THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

VOLUMEN VIGESIMUMQUARTUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS

MDCCLXI.

Apud Joannem Gabrielem Herthz, et Sebastianum Coletti.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

CAROLO COMITI DE FIRMIAN
MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ
Reginæ Pannoniæ & Bohemiæ &c.

AB INTIMIS CONSILIIS
EJUSDEMQUE IN INSUBRIA PLENIPOTENTIARIO
MANTUÆ PRÆTORI &c.

BLASIUS UGOLINUS
FELICITATEM.

REgnum Tibi *sistimus*, VIR PRÆSTANTISSIME, *fama*, *gloria*, *sanctitate*, *Legislatore*, *Rege*, *Imperatore post omnium hominum*, *atque omnium seculorum memoriam quammaxime celebratum* : JEHOVA *regni hujus Legislator*, *Rex*, *Impe-*

Imperator JEHOVA *ipse fuit . Etenim* THEOCRATIA, *quæ primum vetusto cum Abrahamo percusso fœdere , informata fuit , in monte Sinai , frequentissima populi concione , hostiarum sanguine , mutuoque sacramento confirmata fuit , sancitumque omnibus suffragiis , ut Deo in populum summum esset imperium , qui juratus promisisset , si sibi Regi eam fidem qua obstricti essent , ea qua deceret religione , præstitissent , sese ad Regni fines diu noctuque excubaturum , quo suis vigiliis & excubiis a finitimarum gentium terrore , atque hostili populatione tutiores essent ; si vero ab eo , quod tanta sanctitate , sancitum erat , fœdere defecissent , servitutem , excidium , captivitatem , ceteraque quæ victis ab hoste metuenda patiendaque essent mala , subituros . Leges deinde , quibus religio , publica privataque fortuna veluti firmissimo quodam præsidio muniretur , a Deo latæ jussæque sunt , a quibus Atticæ Romanæque , quibus orbis terrarum temperaretur , veluti a fonte divini humanique juris derivatæ sunt . Cum bellum indicendum inferendumque esset potentissimis gentibus , a quibus Patrum hæreditas armis reciperetur , tentorium auri , argenti , ærisque copia , artificio , cælatura , supellectili variaque veste , purpurea , hyacinthina , byssina , Phrygiana magnificentissimum , ornatissimumque sibi Imperatori apparari statuique jussit , facta uni summo sacerdoti sui adeundi conveniendi , consulendique potestate , jussis reliquis , quo Regia majestas populo sanctior , atque augustior haberetur , procul a Prætorio castrametari ; omnibus qui robore atque*

animo

animo præſtarent, ſacramento adactis, res militaris admirabili quadam caſtrametandi, oppugnandi propugnandique ratione inſtituta inſtructaque eſt, qua Legati, qui Midianitico, Chanaanitico, Syriaco bello, Jehova Imperatore meruere, tanta laude celebrati ſunt, ut clariſſimis reliquarum gentium ducibus, vel bellorum varietate & magnitudine, vel victoriæ celebritate, in primis vero Imperatoris auſpiciis & majeſtate præferendi ſint. Regnum quoque MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ JEHOVÆ *regnum merito dici & haberi poteſt ac debet, eo quod Ipſa id unum curaverit effeceritque, ut a populis ſuis obſequium gloria honos, poteſtas, imperium uni Deo ſummo Regi exhiberetur; eaque de cauſa difficillimis ſeu potius deſperatis temporibus, Sibi nulla a* JEHOVA, *quo ſuum quaſi Regnum tueretur, præſidia defuere: Etenim poſt* CAROLI *Cæſaris Patris mortem, cum bellum ab eo infeliciter in Pannonia geſtum eſſet, Myſia & Tauruno Imperii propugnaculo amiſſis, pace cum Turcis nondum confirmata; ſociis, quominus Sibi debita auxilia præſtarent, deterritis opibus & minis fœderatorum Principum, qui nulla fœderum, nulla fidei, nulla beneficiorum, nulla ſacramenti, quo tuendæ ſervandæque Pragmaticæ Sanctionis cauſa, obſtricti erant, habita ratione, Sibi perniciem & exitium minabantur, cum eſſet a milite & a pecunia prorſus imparata, tanta ejus fuit in tanta rerum deſperatione conſtantia & magnitudo animi, ut conſultores & duces, qui jam de ſumma rerum merito deſperaverant, ad ſpem victoriæ &*

ſalutis

geratione muniretur: Nequid deeſſet populorum commodo atque utilitati, ut mercatorum, & viatorum opportunitati conſuleretur, via a Tergeſto Vindebonem uſque per montes & anfractus diducta directaque eſt, Appiæ & Flaminiæ, quæ tantopere celebratæ ſunt, longitudine, amplitudine, latitudine, magnificentia, difficultate operum, impenſarum magnitudine longe præferenda. Præter hæc omnium literis ac ſermone commendantur equeſtris ordo, collegium militare, & literarium ſuo nomine inſtituta atque inſignita, Academia Vindebonenſis, admirabili magnificentia a fundamentis exſtructa atque excitata, accitis ampliſſimis præmiis atque honoribus ex univerſa Europa doctiſſimis viris, a quibus adoleſcentes rem militarem & ſcientias doceantur; futura hæc omnia ſuis populis, pietatis, ſapientiæ, & beneficentiæ ſuæ æterna atque immortalia monumenta. Clementia, humanitate, & beneficentia adeo commendatur, ut ſæpe dicatur illud Titi Cæſaris dictum tantopere celebratum uſurpaſſe, ſe perdidiſſe diem illum, qui non fuerit ſua ſingulari beneficentia inſignitus. Admirantur jam omnes gentes, & poſteri omnes ſui regni annales perlegentes admirabuntur, res tantas tam brevi tempore, tanta felicitate, in tanta rerum difficultate, ſeu potius deſperatione geſtas; ejuſque imago, inter tot Cæſares, qui ex ſua gente omnium virtutum genere claruere, Filiis, Nepotibuſque maximo erit exemplo, atque ornamento. Prætermitto cetera, neque enim commemorari neceſſe eſt omnia, cum illa univerſi orbis terrarum

com-

commendatione, atque omnium gentium prædicatione celebrentur.

Hæc in qua JEHOVÆ *regnum, & leges illustrantur, clarissima nobilissimaque totius Operis pars, Tibi* VIR PRÆSTANTISSIME *præ ceteris debebatur, eo quod juris publici, naturalis & Gentium scientia, ex his ipsis fontibus, quos ornandos illustrandosque suscepi, derivata præ ceteris excellas: In summo illo Germaniæ consilio, totius Europæ amplissimo nobilissimoque in judicandis definiendisque Principum causis, tantam prudentiæ, æquitatis, sapientiæ, & integritatis famam Tibi comparasti, ut* MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ *judicio dignus haberere, ut difficillimis temporibus apud* CAROLUM VII. *utriusque Siciliæ Regem Legatione fungerere. Quinquennali Legatione magna cum dignitate, gloria, & felicitate gesta obitaque, Insubria summa rerum agendarum potestate procuranda, Tibi commissa demandataque est; eo præsertim consilio, quod tanta esset de tua fide, sapientia, & integritate fama & existimatio, ut judicarere, qui populorum felicitati & fortunæ consulere præ ceteris omnino posses. Quo munere in tanta rerum varietate ac difficultate, tanta adhuc cum laude, gloria, & felicitate perfunctus es, ut Tibi pro tuis maximis & singularibus in provinciam promeritis, gratiæ ab omnibus ordinibus, maximæ & singulares sæpe actæ habitæque sint. In tanta dignitate præ ceteris tuis virtutibus celebrantur vigilantia, fides, innocentia, clementia, humanitas, facta omnibus*

Tui

Tui adeundi , conveniendi , conſulendique poteſtate , præſertim iis , qui a probitate , & virtute commendantur : Tua ſtudia & præſidia in tuendis ornandiſque literis , in primis prædicantur , quæ Te oro obteſtorque ne ANTIQUITATIBUS SACRIS *deſint , quum ceteris aſſuerint maxima , ampliſſimaque . Dignæ enim illæ ſunt , quas tua gratia atque autoritate præ ceteris defendas ac tueare , cum ceteras ſanctitate præſtantia , atque utilitate quammaxime excellant : Etenim ſi leges , ſi regnum , ſi imperium militare ſpectaveris ,* JEHOVA *Legislatore , Rege , Imperatore gloriantur . Vale*



BLA-



BLASIUS UGOLINUS LECTORI.

REgnum Tibi exhibemus poſt hominum memoriam legibus, inſtitutis, gloria, & majeſtate maxime celebratum: *Jehova* Regni hujus Legislator, Rex, Imperator *Jehova* ipſe fuit: Si Leges, Regnum, imperium militare ſpectentur, *Jehova* Legislatore, Rege, Imperatore glorian-tur. In primis in hoc Volumine *Jehovæ* Legislatoris illuſtratæ ſunt leges, unde Atticæ Romanæque, quæ tantopere celebratæ ſunt, velut ex fonte Divini humanique juris derivatæ ſunt: In ceteris, quæ conſequentur Voluminibus, illuſtrabuntur Synhedria, magiſtratus, judicia, pœnæ, ſupplicia, res bellica, militaris & Nummaria, cæteraque quæ tantum Regnum & Regem quammaxime decent.

INDEX
OPUSCULORUM,
Quæ in hoc volumine continentur.



JOHANNIS SPENCERI DISSERTATIO DE THEOCRATIA JUDAICA.

PRÆFATIO.

LIBRO primo pene ad umbilicum ducto, dissertationes duas (de *Theocratia judaica* unam, de *Usura* alteram) subnectere visum est, ei cognatione propinqua cohærentes. *Theocratiæ* vero nomine, Dei monarchiam aut imperium intelligo, quæ in *naturalem* & *civilem* distribui potest. Monarchia Dei *naturalis*, ea est, quæ jure creationis & omnipotentiæ suæ Deo convenit, quamque in omnes creaturas, a prima rerum origine, naturaliter exercuit, & semper exercebit: *civilis* ea est, quam Deus inter Israelitas tenebat, jure solennis pacti, quo nomen Regis inter eos, & rerum omnium arbitrium, certa conditione, Deo deferebatur. E duplici illa theocratia factum est, quod Deus in scriptura sacra, nunc (1) βασιλεὺς τῶν (2) ἐθνῶν & *rex totius terræ*, quandoque (3) *rex Israelis*, appelletur. Non est mihi animus in præsens de theocratia naturali (quæ vim magnam scriptorum exercuit) sermonem instituere. Nempe id solum cum re præsente conjunctum est, ut theocratiam civilem explicem, quam Deus inter Israelitas exercuit; cumprimum Pharaonis jugum exuissent. Tunc ipse Deus rerum summæ præfuit, & non modo sacra, sed & civilia, nomine & loco regis politici, rexit & administravit. Huc spectant (*) *Sirachidis* illa, Ἑκάστῳ ἔθνει (4) καθέστηκεν ὁ Θεὸς, (5) καὶ μερὶς Κυρίου Ἰσραήλ ἐστι. *Unicuique genti Deus præsidem dedit, Israel autem Dei portio est*. Sensus est, sicut cæteræ gentes a regibus suis, ita populus Hebræus, & ejus rectores, a Deo regebantur & ducebantur. Quamvis itaque *Moses* & seniores cum imperio aliquo præessent Israelitis, *Josephus* regimen illud non ἀριστοκρατίαν sed Θεοκρατίαν consultus appellavit; quod illi vicarium tantum imperium gererent, & juxta Dei responsa vel præcepta rempublicam administrarent.

Hanc autem imperii formam sermone uberiore persequi, consultum habeo, I. Quod nemo, de hoc argumento, nisi car-

carptim & aliud agens, hactenus differuerit; unde spes mihi non dubia, me rem facturum lectori non ingratam, si in eo nonnihil operæ collocarem. Juvat etiam in ubere messe, nullius falce tacta, laborare. II. Theocratia illa locum principem tenuit inter media extraordinaria, ad idololatriam abolendam adhibita, de quibus capite proximo sermonem feci. Hoc rerum eventus aperte docet: cum enim rerum arbitrium teneret Deus, & Judices omnia Dei nomine & vice ministrarent: nusquam legimus quenquam notæ clarioris virum ad idola descivisse, vel Judices illos præcepto vel exemplo morum corruptelam induxisse. Cum autem reges populo præficerentur, e sacris annalibus appareat, Israelitas, regum exemplo corruptos, a Dei lege & majorum pietate sæpe defecisse. Deinde, dum Θεοκρατία illa duraret, & Deus regis locum occuparet, idololatriæ duplex crimen audiit, & non tantum *apostasia*, sed & *rebellio* (peccatum in secundum simul & quintum mandatum) habita est. Ideoque credi par est, Israelitas omnes, ullo pietatis sensu tactos, idololatriæ præcipue crimen fugere voluisse, quo tabula legis utraque frangebatur. III. Ideo etiam in hoc dicendi campo vires nostras experiri visum est, quod e theocratia penitius intellecta multum lucis accedet legibus & institutis Mosaicis, ad quorum explicationem conatus & studia nostra jam diriguntur. IV. De hoc sacro regimine ex professo jam differendum est, ut objectioni e supra dictis oriundæ cumulate satisfiat, & ἀσύστατα locuti minime videamur. Nam in libri nostri limine dictum est, *Mosis* leges & ritus institutos fuisse, præcipue ut idololatriæ obicem ponerent, & Israelitas a *Zabiismi* pestes puros conservarent: cum tamen a *Mose* multa sancita fuerint, quod œconomiæ & regiminis tunc obtinentis ratio & decorum ita postularent.

Quo vero methodice procedat sermo, quæ jam dicturi sumus ad hæc capita generalia revocabimus.

Primo: Probatum dabimus, Hebræorum regimen, statim ab exitu ex Ægyplo, theocratiam fuisse, & Deum, cum regis nomine & potestate, populo illi præfuisse.

Secundo: Regiminis hujus constituendi formam & modum e collatis scripturæ locis elicere conabimur.

Tertio: Theocratiæ constituendæ causas investigare conabimur.

Quarto: Agemus breviter de illius exordio, duratione, & abrogatione.

Quinto: De iis etiam *Mosis* institutis, quibus hæc imperii forma causam dedit.

Sexto: Hæc omnia ad objectionis modo dictæ solutionem breviter accommodabimus.

CAPUT PRIMUM.

Probatur Hebræorum regimen primitus theocratiam *fuisse, & Deum, cum Regis nomine & potestate, populo illi præfuisse.*

TOtum hunc mundum, qua late patet, Dei imperio obnoxium esse, eumque unum מלך העולם (6) *regem mundi*, (7) scriptura dicit, & nemo mentis integer unquam dubitavit. Cum autem gens Hebræa in Dei peculium electa esset, Deus imperio peculiari iis præesse, & *rex mundi* simul & *Israelis* appellari, non dedignatus est. Ut huic assertioni fidem & lucem afferam, ostendam. I. Regimen Hebræorum theocraticum fuisse, & Deum nomen & potestatem regiam inter eos habuisse. II. Qualis rex Deus erat Israelitis. III. Qua ratione principatum illum administravit Deus, cum ipse in cœlis ageret.

CAPUT II.

Deum potestatem vere Regalem inter Hebræos habuisse, probatur testimoniis & aliis argumentis.

DEUM unum Hebræorum regem fuisse, & imperium absolutum inter eos exercuisse, testimoniis & apertis potestatis suæ regalis indiciis evinci potest.

Inter testimonia, locum primum jure merito Scripturis hoc aperte testantibus assignamus. Inter eas autem elucet maxime locus ille celebris, *Judic.* 8. 22. 23. Ubi Israelitæ, a Midianitarum jugo *Gideonis* virtute liberati, principatum & imperium ei posterisque suis obtulerunt; dicentes, *dominare tu in nos, & filius filii tui, quia liberasti nos de manu Midian.* Ille vero conditionem oblatam respuit, dicens, *non dominabor in vos ipse, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur in vos Dominus.* E quibus apparet, Israelitas imperium & principatum *Gideoni* obtulisse; *Gideonem* autem principatum, tanqnam rem sacram & soli Deo propriam, repudiasse. Porro, Deum in gente Israelitica principatum tenuisse pateat, quod *Samuelem* (populi regem postulantis vota moleste ferentem) ita consoletur; (8) *audi vocem*

popu-

populi in omnibus quæ loquuntur tibi, quia non te spreverunt, sed me spreverunt, ממלך עליהם. τοῦ μὴ βασιλεύειν ἐπ᾽ αὐτῶν, *ne regnem super eos*. His indicat Deus, se gentem Israeliticam hactenus gubernasse, & potestatem regis civilis inter eos exercuisse. Hinc perspicue discimus, cur solium cui *Salomon* insedit, (9) *solium Domini*; regnum quod ejus posteri tenuerunt, (10) *regnum Domini*; judicium quod populi principes ferebant, (11) *judicium Domini*; vocentur: quod scilicet, ante reges exortos in Israele, hæc omnia Dei, tanquam summi regis, fuerint, & ab eo ad reges & principes Hebræorum dimanarint.

Neque sacrorum tantum oraculorum, sed & veterum scriptorum, testimonia, huic veritati præsidium præbent. Inter eos *Josephus* qui *Mosem* inducit sic Israelitas (12) alloquentem; Ἀριστοκρατία μὲν -- κράτιστον, καὶ ὁ κατ᾽ αὐτὴν βίος. Καὶ μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε, τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, καὶ (13) κατ᾽ αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες. Ἀρκεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. i. e. *Optimum quidem* vobis est *optimatum regimen*, *&* *in sic administrata republica vivere; nec est cur alterius politiæ formæ desiderium vos accipiat: sed præstat, ut hac contenti, in legum & vestra ipsorum potestate sitis. Satis enim est Deum habere gubernatorem*. Et paulo post, sic *Mosem* belli leges populo præscripsisse (14) dicit; στρατὸν ἐπ᾽ αὐτοὺς ἀγάγετε, στρατηγῷ μὲν αὐτοκράτορι χρώμενοι τῷ Θεῷ, ὑποστρατηγὸν δὲ χειροτονήσαντες ἕνα (15) τῇ ἀρετῇ προὔχοντα: *Exercitum contra eos* (hostes) *educite, summum imperium Deo committentes; sed creantes unum aliquem virtute præcellentem, qui vicarius sit ei, & quasi proimperator*. Hanc etiam veritatem ratam certamque facit (16) *Theodoritus*, qui formam administrationis publicæ, apud Hebræos antiquitus obtinentis, sic depingit; ὁ δεσπότης Θεὸς, καὶ Θεοῦ καὶ βασιλέως ἐπλήρου τὴν χρείαν ὁ δὲ προφήτης ὑπουργὸς ἦν, οἷόν τις ὕπαρχος, ἢ στρατηγὸς ἢ δημαγωγός. *Dominus Deus, & Dei & regis implebat munus. Propheta vero* (Samuel) *erat administer, & veluti quidam præfectus, aut magister militum, aut tribunus plebis*.

Deum inter Hebræos regis politici munus obiisse, fidem faciunt jam adducta testimonia: hoc etiam e potestatis suæ regiæ signis & indiciis paulo luculentius evinci potest.

Inter ea primo recenseri debent actiones illæ, regio tantum fastigio consentaneæ, quæ in scriptura sacra Deo ascribuntur. Eas autem, vel earum præcipuas, his verbis complexi sunt Israelitæ; (17) *rex nobis præsit*, -- qui *judicet nos*, -- *& egrediatur in conspectu nostro*, *& pugnet bella nostra*: & hæc omnia Deus præstitit, cum inter Israelitas imperii clavum tenuit: nempe. I. Populum ipse judicavit: ille enim (18) leges (judicii normas) in monte *Sinai* dedit, quas etiam, principum ritu, pœna & mercede vitam hanc caducam solummodo spectantibus confirmavit: ille pœnas edixit legum suarum (19) transgressoribus irrogandas: Deus in (20) causa filiarum *Zelophehad* sententiam tulit, & hæreditatum jura definivit. II. Deus egressus est in conspectu populi. Sensum meum satis explicant & confirmant illa *Mosis* verba, Numer. 14. 14. *Audiverunt* Ægyptii *quod tu Domine sis in medio populi istius, quod oculo ad oculum conspectus sis, quod nubes tua steterit super eos, quod ambulas coram iis in columna nubis interdiu, & in columna ignis noctu*. III. Gentis illius bella pugnavit. Hoc aperte dicit *Josbua*, Cap. 23. 3. & 10. Et ut verbis suis fidem astruat, incursus illos hostiles enumerat, a quibus, summi numinis auspiciis, liberati fuissent. Hinc Deus (21) *Triumphator Israelis* audit in Historia sacra, 1. *Sam.* 15. 29. Sed si *Josbua* tacuisset, inde facile cognoscatur Deum gentis illius bella pugnandi provinciam suscepisse, quod arca, præsentiæ divinæ symbolum, agmina sua plurimum (22) præcederet; quod ipse in tentorio ageret; & imperatoris more, per castra (23) ambularet, cum Israelitæ in tentoriis & armis versarentur.

Secundo: Loci regii signa sunt, prærogativæ & *jura*, quæ vocant, *majestatis*, Deo uni reservata. Ille enim *judices*, proreges & vicarios suos, cœlesti aliquo indicio vel immediato (24) Spiritus sui impulsu, subinde constituebat: (25) nulli ad muneris alicujus publici exercitium sine Dei consensu evehebantur: sicli dimidium tributi loco quotannis accipiebat, quod & omnes annum vigesimum supergressi, Deo, tanquam regi suo, solvere tenebantur: (26) fœdera nulla cum gentibus vicinis ineunda, nisi licentiam a Domino prius impetrassent: bella (27) nulla gerenda erant, cum Dei consilium nondum expectassent: leges novas faciendi potestas semper manebat penes ipsum Deum: & (ne multis immorer) ad Dei solius arbitrium judiciumque, summa rerum & consiliorum omnium perpetuo rediit.

Tertio: Tituli regii Deo in scripturis tributi, clara sunt potestatis suæ regiæ do-

documenta. In iis enim Deus המלך *Rex ille* passim appellatur: ut 1. *Sam.* 12. 13. *Jerem.* 51. 57. *Psal.* 149. 2. *Hos.* 13. 10. & מלך רב *ὁ μέγας βασιλεὺς*, *Psal.* 48. 2. *Mat.* 5. 35. Eundem titulum Deo tribuit Chaldæus *Paraph.* in *Cantic.* 1. 11. ubi inquit, *Moses magister eorum*, Israelitarum, *ascendit ad æthera*, & *pacem constituit* ביניהון ובין (28) מלכהון *inter eos & regem eorum*. Nec tantum nomen מלך sed & אלהים. (Deo sæpius in scriptura tributum) docet, eum potestate regia vel imperatoria Hebræorum genti præfuisse. Quantum enim e vocis illius usu in Scriptura colligatur, אלהים dignitatis & potentiæ principalis nomen est, & proprie personas potestate aliqua singulari donatas indicat. Nam nomen illud, angelis, principibus, Judicibus, & magnatibus, sæpius in Scriptura datum esse, multis exemplis probare possem; nisi quod rem hanc quivis Hebraice vel mediocriter doctus norit, & provinciam illam satis ornarint, (29) *Schindlerus*, (30) *Fortunatus Scacchus*, aliique. Nec est cur quispiam suspicetur, Scripturam id nominis Deo (non quatenus Hebræorum tantum, sed) quatenus orbis terrarum domino regique tribuisse: omnem enim suspicionis illius occasionem tollunt ea *Mosis* (31) verba, את · יהוה האמרת היום להיות לך לאלהים *Elegisti Jehovam hodie, ut sit tibi Elohim*. E quibus prompte colligitur, *Jehovam*, nomen divinitatis, & Deo uni proprium, (32) *Elohim* autem (33) dignitatis, imperii vel potestatis, titulum fuisse, & aliquid Deo cum aliis magistratibus commune significasse. In quo dignitatis hujus ratio posita fuerit, & quid potestatis illius vigore Deo concesserint Israelitæ, Moses his verbis explicat, *ut ambules in viis ejus, & custodias ceremonias illius, & mandata atque judicia, & (34) obedias ejus imperio:* nempe hæc verborum forma Deum ut regem respicit, & Israeliticæ reip. regimen, una cum leges constituendi jure & auctoritate, Deo tribuit.

Hic una nobis occurrit objectio, qua veritatis hujusce fides labefactari & concuti posse videatur. Petitur autem e celebri (35) illo scripturæ loco *legem præcepit nobis* Moses *hæreditatem ecclesiæ* Jacob, & *fuit rex in* Jesurun, id est, *in Israel*, si quid fidei Judæi & Christiani plerique mereantur. Atque inde (ni fallor) ansam arripuit (36) *Philo*, Mosem *ἄριστον βασιλέα ϗ νομοθέτην*, *optimum regem & legislatorem*, appellandi. Cum itaque scriptura *regis* titulum Mosi tribuat, summa imperii penes eum, non Deum, fuisse, & ille solus Israelitas jure regio gubernasse, putetur.

Sed difficultas, quam ex hoc loco nectunt adversarii, non multo negotio expediatur. Moses enim *rex* dictus est, quod summam, post Deum, in Israele potestatem exerceret, & ex eo uno penderent omnia: sed nihil inde de Dei jure & auctoritate regia detrahebatur, cum Moses non esset rex ἀνυπεύθυνος, sed omnia Dei judicio se gerere profiteretur, & nihil tam impense desideraret, quam ut sua omnia in summi regis honorem cederent.

Si hæc omnia diligenter expendamus, (37) *Josephi* verbis calculum libenter adjiciemus; Ἄπειροι μὲν αἱ κατὰ μέρος τῶν (38) ἐθνῶν ϗ τῶν νόμων παρὰ τοῖς ἅπασιν ἀνθρώποις διαφοραί. *Innumera sunt particulatim* gentium & *morum apud omnes homines differentiæ*. Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων. *Alii siquidem monarchiis, alii oligarchiis, alii vero democratiis, reipublicæ potestatem commiserunt. Noster autem legislator, nihil horum intendens*, Θεοκρατίαν (39) ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, Θεῷ (40) μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν ϗ τὸ κράτος ἀναθείς, *politiam nostram*, Θεοκρατίαν (*divinum imperium*) *declaravit, Deo præcipue principatum assignans & potentiam*.

SECTIO II.

Qualis Rex Deus erat Israelitis.

DEUM olim regis officio functum fuisse, testimoniis & regii sui muneris indiciis ita sancitum arbitror, ut cuivis æquo lectori satisfaciant. Ut ordinem dicendi mihi datum teneam, ostendam proximo, *qualis rex Deus esset Israelitis*.

Dico itaque primo (quod non semel dixi) Deum regem *politicum* fuisse, & rerum Israeliticarum cum Sacrarum tum civilium curam & regimen habuisse. Hoc argumentis haud facile refellendis, Sectione superiori probasse videar: ne tamen Dissertationis pars aliqua diligentiam meam desideret, aut jam dicta fide firma careant, hæc duo jam adductis subjungam argumenta.

I. Deum regis politici locum in gente Israelitica tenuisse pateat, quod in institutis ejus haud paucis, regum morem & ritum imitari videatur. Verborum meorum fide liberabunt instituta illa plurima, regii moris imitamina, de quibus *Cap.* 5. sermonem magis opportunum habeamus. Quid autem Deus tot in-

instituta moris & apparatus regii formam & imaginem gerere voluerit, nisi quod muneri suo regio convenirent; & inde daretur intelligi, Deum gentis totius regem esse, eique non tantum ut Deo, sed etiam ut regi, reverentiam & obsequium exhibendam?

Secundo: Liquidum est, ante regum tempora, Judices & magistratus omnes potestatem tantum vicariam & Deo obnoxiam exercuisse. Nam I. Iis nulla regiæ (i. e. arbitrariæ & absolutæ) potestatis insignia gestare concessum fuit. *Saulus*, qui primus regis nomen gessit in Israele, (41) *corona & armillis*, loci regii signis, ornatus prodiit: ea vero, inde usque a *Mosis* ætate, nemo Judicum gesserat; quid autem, nisi quod potestatem tantum delegatam haberent, & summi regis personam sustinerent? II. Hujus etiam vicariæ potestatis argumentum est, præceptum quod *Joshuæ*, & in illius persona, Judicibus aliis datum legimus, *Numer.* 27. 21. *Stabit coram* Eleazare *sacerdote*, qui *interrogabit pro eo juxta judicium Urim coram Domino: juxta sermonem ejus egredientur, & juxta sermonem ejus ingredientur, ipse, & omnes filii Israel.* Ex hoc præcepto pateat, *Joshuam* & alios *Judices* cum imperio tantum limitato in rep. versatos fuisse, nec rem suo arbitratu gærere potuisse: nam ingressus & egressus suos ad normam oraculi divini dirigere tenebantur: III. *Judices* pompæ & fastigii regii signa omnia, tunc temporis usitata studiose declinasse videantur. Non enim alebant ingentem satellitum copiam, ut, regum ritu, μετὰ πολλῆς φαντασίας in publicum prodirent; nec tributa vel vectigalia, ad loci sui dignitatem sustentandam, exigebant: nullas domos eburneas, apparatu regio instructas, habuere; nec insanas aliquas substructiones moliti sunt, (42) *in regni* domos *& majestatis* suæ regiæ *gloriam*: non (43) equos & quadrigas, aut ingentem concubinarum catervam, juxta regum orientalium consuetudinem, sibi compararunt: nec *reges* (quibus summum est & unicum imperium) sed *Judices* appellati sunt, ut ipse titulus indicio esset, eos, non tam imperandi, quam juxta legis normam judicandi, & sententias a Deo latas exequendi, potestatem sumere. Quid autem *Judices* omnia, regiæ potestatis imaginem præseferentia, tam solicite repudiarent, nisi quod Deus rex esset, & ipsi vicaria & delegata tantum præfectura defungerentur? IV. *Judices* potestatem limitatam & a Dei nutu dependentem habuisse, satis e populi votis & verbis innotescat. Cum enim, regis sui cœlestis pertæsi, novam regiminis formam postularent; regem sibi præficiendum desiderarunt, ככל הגוים *sicut omnes* in vicinia *gentes*, h.e. (prout sensum eorum interpretatur (44) *Abarbanel*) *qui rex esset simplicem & absolutam habens potestatem*; qui, regum vicinorum more, omnia pro arbitrio suo moderari posset, nec, *Judicum* ritu, a regis superioris nutu & consilio dependeret: nam hujusmodi regimen, tanquam a gentis suæ dignitate alienum, ægre tulisse videntur Israelitæ.

Secundo: Deus rex erat *militaris*, qui Israelitis in terram promissam tendentibus, se ducem & imperatorem præbuit. Nam Israelitæ in deserto, ducibus atque armis instructi, in quatuor etiam agmina generalia divisi, exercitus ingentis speciem ferebant; & Deus in eo summi ducis titulum gerere & munus obire dignabatur.

I. In exercitu Israelitico Deus ipse summi ducis titulum gerere dignabatur. Prout enim copiæ Israeliticæ צבאות יהוה (45) *exercitus Domini*; sic & ipse Deus, יהוה צבאות *Dominus exercituum* vocabatur. Nam fallor maxime, vel Deus hoc titulo toties insignitur, non quod in exercitus (46) cœlestes & terrestres imperium habeat, (quamvis hoc nemo sanus inficias ibit) sed quod in exercitu Israelitico summi ducis nomen & officium olim tenuisset. Deum inde titulum acquisivisse probant *Psalmistæ* (47) illa, *elevate portæ capita vestra, & elevate vos ostia perpetua, & introibit rex gloriæ. Quis est ille rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens bello. Elevate portæ capita vestra, --- & rex gloriæ introibit. Quis est ille rex gloriæ? Dominus exercituum, ipse rex gloriæ.* Quibus verbis apparet, titulum illum (*Dominus exercituum*) Deo adhæsisse, quod *bello potens* esset, & potentiæ suæ bellicæ tot gloriosa specimina, in deserto cumprimis, edidisset. *In deserto*, consultus dixi: nam hoc Psalmo veteres Israelitæ celebrasse videntur adventum arcæ in templum, quæ Dei vicem in deserto gessit, & populo signa collaturo præire solita est. Hanc conjecturam paulo firmiorem reddit locus (48) ille *Samuelis*, ubi sermone de arca reducenda facto, vocatur *arca Domini*, *cujus nomen est Dominus exercituum*, *qui habitat inter Cherubinos*: Quid enim, eo in loco, Deus, *Dominus exercituum* appellatur, nisi quod Deus id sibi nominis acquisivisset in deserto, ubi se bello potentem præstabat, & arca (præsentiæ suæ symbolum

bolum) agmina pugnam initura ducere, & eandem cum iis belli aleam subire videbatur? Res hæc paulo clarior evadet e *Prophetæ* (49) verbis: *omnes ascendent ab anno in annum, ut adorent regem, Dominum exercituum, & celebrent festum tabernaculorum: & erit, qui non ascenderit e familiis terræ, ad Hierosolymam, ad colendum regem Dominum exercituum, non erit super eos imber*. His autem verbis, *rex* & *Dominus exercituum*, quin & *adorare regem Dominum exercituum* & *celebrare festum tabernaculorum*, immediate conjunguntur, & tanquam voces sensus & momenti consimilis usurpantur. Est autem persuasio facilis, Prophetam sic locutum fuisse, quod unus Deus se regem & dominum exercituum Israelitis in deserto præstitisset; quod etiam festum tabernaculorum institutum fuisset in memoriam, non tam populi per deserta ducti, quam Dei (ducis sui) in tentorio habitantis; & proinde quilibet, illius festi cultu, *regem Dominum exercituum* colere crederetur. Cum in his simus, non alienum esse videtur, causam reddere, cur *Zachariah*, longe frequentius quam cæteri prophetæ, Deo titulum illum (*Dominus exercituum*) tribuisse censeatur. Nisi me fallo *Zachariah* hanc phrasin frequentius usurpavit, quod in eo rerum articulo propheta missus esset, quo Judæorum status a patrum suorum in Ægypto & deserto commorantium, conditione non multum discrepavit. Nam Judæorum *Babylon* (si vel idola spectemus aut incommoda) cum patrum suorum Ægypto & deserto nimis apte conveniebat: Judæi multi in *Babylone*, æque ac Israelitæ in Ægypto, mente concidebant, & sibi non minus a spe quam re omni derelicti videbantur: Judæi e *Babylone*, prout patres olim ex Ægypto, jam redimendi erant, & in terram promissam inducendi; hæc redemptio difficultatibus tam similibus impedita erat, quod eam prædicat *Zachariah*, verbis ab historia liberationis ex Ægypto clare mutuatis; (50) *& reducam eos de terra Ægypti*, &c. *Et transibit* populus *in maris freto*, *& percutiet* Deus *in mari fluctus*, *siccabuntur etiam omnes alvei fluminis*, Euphratis nempe, Jordani hic ex adverso respondentis, *Tobiah*, *Sanballat*, aliique multi Judæorum hostes infensissimi, hostibus in deserto paralleli, vi omni connixi sunt, eorum reditum aut res prospere susceptas impedire. Huic itaque rerum conditioni congruum erat, ut Propheta titulum illum antiquum, rerum in deserto gestarum monimentum, Deo sæpe tribueret; ut eorum animos erigeret & fidem firmaret, quibus omnia, de prospero Judæorum statu & instante redemtione prædicta, fabulis forsan & (51) somniis affinia videbantur. Sed ad institutum præsens paulo propius accedamus.

II. Deus, non tantum summi ducis titulum gerere, sed & munus obire dignabatur. Nam ille se perpetuum exercitus Israelitici comitem in deserto præbuit: in tentorio regio, regum militantium ritu, per multos annos (52) *ambulaverit*: ipse cum Israelitis in bellum prodiit, & hostes eorum potentissimos bello superavit: ille הולך בתוך מחנים (uti loquitur *Bechai*) *in medio castrorum ambulans ad particularia quæque provide attendit*, & omnia consilium in loco postulantia responsis suis præsens expedivit.

Tertio: Deus rex erat *cœlestis* Israelitis, & ab iis eo nomine colebatur. Ita nempe lege curatum est, ut ritus & instituta, Dei cultum spectantia, semper aliquid regum mortalium sorte sublimius & augustius olerent, & eodem tempore Jehovæ tribuerent infirmitatem regis & majestatem Dei; nempe, ut hac ratione sensus & affectus majestati cœlesti consentanei populo incuterentur, & legis institutis non minus Dei honori quam plebis imbecillitati consultum esset. Hoc multis exemplis ostensuri sumus, utprimum sermonis nostri methodus occasionem dederit.

Satis e jam dictis elucet, Israelitas Jehovam, *summi regis*, *imperatoris*, *& Dei* loco habuisse, eumque tribus hisce titulis coluisse. Tres illi tituli conjunctim occurrunt *Psal.* 48. 4. *Hirundo nidum sibi invenit quo pullos suos poneret, nempe altaria tua, Domine exercituum, rex mi, & Deus mi*: verbis etiam (53) Prophetæ, *sic dicit Jehovah*, *rex Israel*, *& redemtor ejus*, *Dominus exercituum*, *primus ego & novissimus*, *& præter me non est Deus*: Psalmo insuper 48. 2. & 9. *Gaudium universæ terræ mon Sion*, *ad latus Aquilonare civitas regis magni: sicut audivimus in civitate Domini exercituum*, *in civitate Dei nostri*.

SECTIO III.

Qua præcipue ratione, cum Deus in cœlis ageret, principatum suum administravit.

Docendum tertio, qua præcipue ratione rex ille cœlestis regnandi provinciam administravit. Ne itaque ad rem

rem tam claram & facili reſponſo expediendam per ambages eam, dico.

I. Deum rexiſſe populum per *leges judiciales* a ſeipſo traditas. Deus ipſe, more principum, leges & judicia populo ſuo dederat, & earum adminiſtratio præcipuum erat Dei regnantis argumentum. Erant enim leges illæ voluntatis ſuæ regiæ monumenta, & rectæ rationi (prout res tunc habebant) apprime conſentaneæ. (54) *Samuel* itaque prudens monuit, Judicibus rerum ſummam habentibus, regnaſſe Deum; quod tunc temporis lex, æqui juſtique regula, dominata eſſet: imperio vero ad reges translato, Deum non ultra regnaturum; cum rerum arbitrium futurum eſſet non penes legem Dei, ſed voluntatem hominis unius, more regum ethnicorum, pro libidine ſua dominantis. Deus tunc regis dignitate functus eſt & imperium tenuit, cum Judices populo præeſſent, qui lites inter ſuos ortas, ex lege, vel æquo & bono, determinarunt. At ſolio pene detruſus erat, cum gubernacula tenerent illi, qui populum ſuo rexerunt arbitratu, & ſibi jus (non dicendi, ſed) dandi licentiam arripuerunt.

II. Deus Iſraelitas rexit *oraculis*, & reſponſis extra ordinem datis, cum nodus aliquis incideret ſe vindice dignus. Nam oraculum tabernaculi vel oraculum *Urim* conſultum ibant, cum eos urgerent mala vel dubia aliqua graviora. Iſraelitas conſilium ab oraculo tabernaculi quandoque petiiſſe, ſatis e verbis *hiſtorici ſacri* cognoſci datur; *Judic.* 20. 18. *Aſcenderunt ad domum Domini, conſulueruntque Deum, atque dixerunt, quis* erit in exercitu noſtro *princeps certaminis contra filios Benjamin?* Eos hic ad *oraculum tabernaculi* ſe contuliſſe, dubitari vix poteſt, cum *ad domum Domini aſcendiſſe*, & ibi Deum conſuluiſſe, dicantur. Idem caput oraculi *Urim* conſulti teſtimonium haud obſcurum præbet, nempe verſu 27. ubi verba ſic ſe habent: *& interrogarunt filii Iſrael Dominum, & Arca fœderis* fuit *ibi in diebus illis: &* Phinehas *filius* Eleazar--- *ſtetit coram ea, -- dicens, an egrediar iterum ad bellum cum filiis Benjamin?* Oraculum *Urim* eo loci conſultum fuiſſe, me perſuaſum habeo; quod oraculum illud ad res præcipue bellicas moderandas inſtitutum eſſet, & quod in oraculo illo conſulendo, juxta ritus *Urim*, miniſterio *Phineazi* ſacerdotis uterentur. Cum autem regnum haberet Deus, Iſraelitæ ab oraculo hoc vel illo, in belli præſertim negotio, conſilium petere tenebantur. Bis itaque in bello magnam cladem a Benjamitis acceperunt, quod Dei oraculo nondum conſulto prælium cum illis iniiſſent; nec (55) res proſpere geſta eſt, priuſquam culpam illam correxiſſent.

III. Deus *regendi munere* fungebatur, ſacerdotes, pontificem imprimis, ordinarios regni præſides conſtituendo, qui vice ſua judicia legis exercerent. Nam, *ſi difficile vel ambiguum aliquod* emergeret, & judicum intra portas opiniones de illo variarent; Iſraelitæ ad ſacerdotes, aut Judicem (ſi quis eſſet) cauſam illam graviorem deferre debebant: ſacerdotes autem *judicii veritatem iis indicare*, prout & Iſraelitæ eorum ſententiis acquieſcere, lege (56) tenebantur. Et hac de cauſa, ni fallat conjectura, *pectorale judicii*, non *Joſhuæ*, non judici alicui, ſed pontifici ſoli, geſtare conceſſum eſt; quod ſcilicet ille primus eſſet ſummi regis miniſter ordinarius, & præcipuus inter ſacerdotes litium & judiciorum arbiter: æquum enim erat, ut *pectorale judicii*, tanquam muneris locique ſui ſignum & ſymbolum, ei ſoli geſtandum & conſulendum traderetur. Hinc ratio præcipua petenda videtur, cur Deus Hebræorum gentem ממלכת כהנים (57) *regnum ſacerdotale* futurum pollicetur; quod nempe ſacerdotes, ordinarios regni judices conſtituere, & iis primam poſt ſeipſum populi regendi poteſtatem tradere, decreviſſet. Nec commode res aliter ſe habere poterant: cum primis ſeculis ſacerdotes, pingue otium habentes, legum & artium ſcientia præſtarent cæteris, & *Judices* non omni tempore populo præſiderent. Hinc cauſa non levis data *Joſephi* verbis, de lege dictis: (58) *quis ejus quicquam movere poteſt, aut melius unquam adinvenit? aut aliquid ab aliis gentibus tanquam præcellentius, ad ſtatum reipubl. noſtræ transferre poteſt?* καὶ τίς ἡ καλλίων ἢ δικαιοτέρα γένιτο, (59) τὸν Θεὸν μὲν ἡγεμόνα τῶν ὅλων πεποιημένης; τοῖς ἱερεῦσι δὲ κοινῇ μὲν τὰ μέγιςα διοικεῖν ἐπιτρεπούσης, &c. *aut quæ poterit eſſe melior atque juſtior, quam ea quæ Deum quidem principem omnium eſſe confirmat? Sacerdotibus autem in communi quidem res præcipuas diſpenſare permittit, ſummo vero pontifici aliorum ſacerdotum principatum competenter injungit?*

IV. Deus *regis* officium præſtitit, viros pietate, prudentia & fortitudine præcellentes, ad res publicas ejus vice regendas evocando, eoſque donis propheticis inſtruendo. Cum nempe gentis illius mores in pejus indies laberentur, & populus

pulus sub regis exteri tyrannide laboraret; Deus viros quosdam propheticos extra ordinem excivit, qui regni statores essent, & auctoritate simul & virtute sua omnia in integrum instituerent. Hi שפטים *Judices* dicti sunt: vel quod titulus ille apud (60) *Tyrios*, *Phœnices*, alios, ordinis inferioris magistratibus tribueretur; vel quod illi leges exequendi potius quam condendi potestate gauderent, & locis suis conveniret ut, *Judices* potius quam *reges* dicerentur. Neque leges tantum administrare solebant *Judices*, sed (si res exigeret) bellum gerere; ut Israelitas, regis solius supremi subditos, a gentium externarum tyrannide vindicarent. Hoc opus alienum erat a muneris sacerdotalis religione & sanctitate. Sacerdotes itaque, jus dicentes, Deum qua *regem*; & *Judices*, bella gerentes, Deum qua *Dominum exercituum*; repræsentasse videantur.

CAPUT II.

De regiminis hujus constituendi forma & modo.

CUM Deo visum esset humano more cum Hebræis agere, & *regis* aut *imperatoris* civilis nomen & officium gerere, sic temporum illorum conditioni sese accommodavit, ut ad munus illud modo & forma in principum electione & inauguratione usitatis admitti non recusaret. Nam,

I. Deus ipse, more hominum munus aliquod ambientium, egregia sapientiæ & potentiæ suæ exempla nuper edita populo in memoriam revocat; ut constaret neminem *regis* personam majore cum dignitate sustinere posse. Deinde, *regis* officium se gratum & acceptum habiturum, totamque gentem non tantum in curam & clientelam suam, sed & sinus & intimiores affectus, recepturum, verbis apertis indicat. Nam *Exod.* 19. 4. Deus Mosen ad Israelitas misit, ut nomine suo sic eos alloqueretur: *vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, & assumserim mihi*. Quasi dixisset, „ vobis omnibus innotescit, me Ægyptios „ in perniciem vestram conjuratos perdidisse, currus eorum falcatos fregisse, „ & *Pharaonem* ipsum (regem rei bellicæ peritia celebrem) cum copiis suis „ omnibus in mari submersisse. Sic vobis prospexi, & extra teli hostilis jactum, aut incommodi gravioris sensum, vos omnes posui, ut super alas „ aquilarum vos portasse videar. Nostis „ etiam quam potenter, hostibus licet „ invitis, vos huc adduxerim, exsiccato „ etiam mari rubro, ut sicco & securo „ pede huc perveniretis. “ Hæc fatus, subjungit, *si ergo audieritis vocem meam, & custodieriti pactum meum, eritis mihi* in *peculium de cunctis gentibus: mea* enim est *omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel*. Qui locus, inquit, (61) auctor jam laudetus, hunc sensum facit: „ si ergo me „ in principem & Dominum vestrum „ *eligatis*, de legibus vobis tradendis cogitabo: & si mandatis meis *obtemperetis*, & pactum quod vocibus inibo „ non *violetis*; præ omnibus terræ populis quibus impero, cum sim Dominus omnium, & possim alias nationes eligere, vos eritis mea hæreditas, „ meus populus, in quo regnum & sacerdotium -- firmabo; legibus & ceremoniis *quæ talem* remp. *deceant instructum & stabilitum*.

II. Conditionem oblatam accepit, & Deum in *regem* suum junctis suffragiis elegit populus. Quamvis enim Deus leges figere & refigere, omniaque pro arbitrio suo moderari potuit, quoniam tamen, ducum aliorum ritu, coloniam Israelitarum jam deducturus esset, ad eorum imbecillitatem seculique forsan consuetudinem συγκαταβαίνειν, & imperium, populi consensu potius quam eminentiæ suæ jure, ad Deum deferri videretur. Cum enim Deus potentiæ & bonitatis suæ satis exploratæ Israelitas admonuisset, & eorum in se animum pertentasset; in contextu additur, (62) *& respondit populus, omnia quæ loquutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus, jam nunc veniam ad te in caligine*, &c. E quibus liquidum est, Deum electionem suam in imperatorem ab exercitu Israelitico præstolatum fuisse, eum ab Israelitis electum fuisse, eosque omnes Dei imperium animo lubenti admisisse. Deus autem, qua erat bonitate, hunc populi consensum & electionem non parvi fecisse videtur: nam, observante (63) *Scaccho*, cum Moses populi consensum ad Dominum retulisset, Deus, accepto nuncio, statim cum Mose agere cœpit, de seipso Israelitis manifestando, de (64) tabernaculo in palatium & habitaculum regium fabricando, & legibus de politia & cultu religioso sanciendis. Nam (65) antea, neque populo adparuerat Deus, neque leges ei tradiderat, neque populus eum loquentem audiverat, nec de tabernaculo,

lo, aut ſuo inter eos habitandi propoſito, vel verbum fecerat.

III. Deus & Iſraelitæ, *regum*, & *ſubditorum* ritu, mutuo fœdere & promiſſione ſibi invicem aſtringebantur. Nam Deus, ad *munus regium* electus, ſe populum in peculium habiturum, & in regionem Chananæorum introducturum, ſanctiſſime pollicetur. (66) *Ecce*, inquit, *ego mittam Angelum* meum, qui præcedat *te*, & *cuſtodiat in via*, *&* *introducat in locum quem paravi*. Ex adverſo populus in ſe recipit, Dei leges & ſtatuta omnia ſe religioſiſſime obſervaturum. Cum enim leges a Deo datas, & conditiones quibus eos in clientelam ſuam recepturus erat, audiviſſent; (67) *reſponderunt una voce*, *omniquæ locutus eſt Dominus*, *faciemus*, *&* *erimus obedientes*. Mutua illa promiſſio & ſtipulatio paulo *quæ* explicatius traditur, *Daut.* 26. Ubi Moſes totam legem paucis complectens, *hodie*, (68) inquit, *elegiſti Jehovam ut ſit tibi Elohim* (Dominus aut imperator) *&* *ambules in viis ejus*, *&* *cuſtodias ceremonias ejus atque judicia*, *&* (69) *obedias ejus imperio*. Quibus verbis *viarum* nomine, præcepta moralia; *per ceremonias*, leges rituales; per *judicia* vero, præcepta politica, ſignificari cenſeantur. Cum itaque Iſraelitæ, promiſſionis illius fide & ſolennitate, ad ſtatuta Dei omnia ſervanda ſeipſos obſtrinxiſſent, ſtatim addit Moſes, *&* *Dominus elegit te hodie*, *ut ſis ei populus peculiaris*, *ſicut locutus eſt tibi*, *ut cuſtodias omnia præcepta ejus*, *&* *faciat te excelſiorem omnibus*. E ſacris hiſce textibus appareat mutua Dei & Iſraelitarum obligatio: Deo nimirum populum Iſraeliticum eligente, & ſeipſum ad *Chananæorum* & gentium vicinarum regiones ei tribuendas obligante; & populo vice verſa Deum in regem & imperatorem ſuum eligente, & ad ſtatuta ejus obſervanda fœdere ſancto ſe devinciente. Atque inde veniſſe cenſeo, quod lex populo Iſraelitico data, *fœderis* nomine, in Pentateucho præſertim, appellari ſoleat. Moſes populum alloquens, legis divinæ ſtatuta *pactum* vocat; *Deut.* 4. 13. *Et oſtendit vobis Deus pactum ſuum quod præcipit ut faceretis*, & *decem verba quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis:* Et Deut. 29. 1. *Hæc* ſunt *verba fœderis quod præcepit Dominus Moſi*, *ut feriret cum filiis Iſrael in terra Moab*, *præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb.* Hinc & liber ille in quo leges a Deo latas in monte ſcripſit Moſes, *liber fœderis* dicitur, *Exod.* 24. 7.

IV. Fœdus & obligatio quo Deus & Iſraelitæ ſibi invicem devincti ſunt, ceremoniis in electione principum & aliis contractibus, eo ſeculo uſitatis, ratum firmumque factum eſt. Quantum enim ſeculi tam remoti ritus fœderales percipere liceat, fœdera tunc temporis inita duplici potiſſimum ceremonia rata facta ſunt; nempe victimæ oblatæ ſanguinem in fœderaſos aſpergendo, vel oblatæ victimæ partem aliquam una comedendo. Gentes antiquiores, fœdera ferientes, utrumque ritum in moribus habuiſſe, alibi magis opportune probari poteſt. Fœdus autem inter Deum & Iſraelitas factum, utroque ritu firmatum fuiſſe, pro certo affirmare minime vereamur. Cum enim (70) *Moſes* Dei promiſſa & præcepta in libro ſcripſiſſet, & populus, auditis iterum legibus & promiſſis divinis, aſſenſum præbuiſſet; *Moſes*, oblata victima, (71) *ſanguinis dimidium ſparſit ſuper altare*, quod Dei locum occupavit, & dimidium ſuper populum; dicens, (72) *hic* eſt *ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum*, *ſuper cunctis ſermonibus his*. Atque hoc ritu peracto ut firmitas omnimoda ſœderi adderetur, *Moſes* & *Aaron*, *Nadab* & *Abihu*, ſeptuaginta inſuper e *ſenioribus* (qui populi quaſi perſonam gererent) in (73) montem aſcendiſſe, & ibi, e pacificis verſu V. memoratis, comediſſe, dicuntur. Deum autem fœdus hoc, ritu tunc temporis uſitato, firmari voluiſſe, eo magis credibile videatur; quod olim, cum *Abrahamo* pactum facturus, ad ritum inter *Chaldæos* fœdus inituros uſitatum ſe conformaverit. Cum enim (74) illi, ritu tranſeundi inter diviſas victimæ partes, fœdera confirmarent; Deus cum *Abrahamo* pactum initurus, inter animalium immolatorum partes diviſas, in forma & ſimilitudine ignis, pertranſire voluit. *S. Chryſoſtomus*, hanc συγκατάβασιν divinam ſecum reputans, (75) inquit, *attende obſecro*, εἰς πόσην παχύτητα, *in quantam craſſitudinem ſibi deſcendendum duxerit benignus Dominus*, *ut Patriarcham certiorem reddat:* ἐπειδὴ γὰρ τὸ παλαιὸν οὕτως ἦν αὐτοῖς ἔθος συνθήκας ποιεῖσθαι, καὶ διὰ τούτων αὐτὰς βεβαιοῦν, ταύτην καὶ αὐτὸς ἔρχεται τὴν ὁδόν. *Nam quod olim ita mos eſſet paciſcendi* *&* *pacta firmandi*, *ideo* *&* *ipſe Deus hanc viam ingreſſus eſt*.

CAPUT III.

Regiminis hujusce divini variæ rationes assignantur.

CUM Deus, etiam nullo fœdere vel electione interveniente, totius orbis rex & Dominus sit, & homines omnes ad leges illius observandas sacramenti connati religione teneantur; nonnullis instar miraculi videri possit, Deum ab Israelitis in regem eligi, regis politici partes inter eos perimplere, & palatium aut habitaculum regium in terra tantum Israelitica sibi parari, voluisse. Ne itaque res hac mira cuiquam & pene supra fidem posita videatur, varias rationes (alias ex parte Dei, alias ex parte gentis Israeliticæ, ex parte seculi alias, alias ex parte regiminis ipsius) συγκαταβάσεως hujus assignabimus.

Primo: Ex *parte Dei*: nempe Deus cum populum Israeliticum *manu excelsa*, h. e. (76) miraculis & portentis ne fando quidem auditis antea, ex Ægypto liberasset, iisque omnia ad vitam necessaria suppeditasset: ideoque rationi quam maxime conveniebat, ut Israelitæ Dei solius imperio se submitterent, & eorum omnia Dei nutu regerentur. Ita *Joshuæ* visum est, qui, ut populus ille Deo firmiter adhæreret, iis in memoriam revocat, (77) quam potente brachio eos ex Ægypto eduxisset, quas victorias Dei solius auspiciis ab hostibus suis reportassent, quanta denique cura & studio eos in regiones fœcundissimas induxisset. Deinde, populus ille gens erat quam Deus e medio nationum tulisset, & sibiipsi (78) *de cunctis terræ populis in* סגלה *peculium* elegisset; tantæ vero dignitati conveniebat, ut in Dei tantum clientelam recepti, ejus solius fidei traditi, & imperio subjecti, viverent. Rem totam non male verbis *Abarbanelis* illustremus: (79) *quemadmodum homo qui acquisivit sibi* כסף והזהב וכלי חפץ *argentum & aurum & vasa desiderabilia, ea nulli servorum committit, sed ipsemet eorum in thesauris suis reconditorum curam gerit; ita Israel erit sub gubernatione providentiæ divinæ, nunquam alteri principi vel domino tradendus*. Præterea, cum Deus eo se daret, ut Israelitas a moribus & idolis Ægypti traheret; permagni interesset ad id quod agebat, ut ipse rempublicam gereret, & æqua rerum administratione populi studia sibi & cultui suo conciliaret. Tam sapiens, tam potens, & benignus imperii arbiter, non potuit populo non pergratus accidere, ei præsertim qui *Pharaonis* inhumani tyrannidem non ita pridem exuisset. Si in Israelitas, recentes ab Ægypti servitute, seculi reges imperium habuissent, qui subditos eorum fortunis exuere, vita spoliare, tributis opprimere, & arbitratu suo subditos & seipsos regere, solebant; procul dubio *genus* illud *irritabile* rebus novis animos addixisset, & se conditionibus iniquis vel ipsam Ægyptum reliquisset.

Secundo: Si gentem Israeliticam spectemus, rationes occurrunt variæ, cur Deus inter eos gubernacula teneret, & populo illi fœdere peculiari & quasi politico conjungi non detrectaret. Nam,

I. Populus Israeliticus erat ממלכת כהנים (80) *Regnum Sacerdotum*, moribus, legibus, & honoribus peculiaribus [quemadmodum sacerdotes in sanctuario] a gente quavis alia separatus: decorum itaque fuit, & peculiaribus suis vivendi rationibus apprime consentaneum, ut imperii sui forma peculiaris esset, & a gentium aliarum regimine longe discreparet.

II. Hac ratione prospectum est optime, ne populus ille, moribus Ægyptiis assuetus, ad Deos & ritus Ægypti facile reverteretur. Fieri vix potuit, ut populus a Dei lege cultuque deficeret, cum Deus ipse reip. præsideret, & nulli ad rem Judaicam moderandam, nisi Dei Spiritu afflati & acciti, admitterentur. Assertioni meæ fidem rerum eventus astruit: quamvis enim Israelitæ, cum Deus & *Judices* ab ipso constituti remp. gubernarent, in gentium mores quandoque degenerarent; certum est, eos multo frequentius & diutius sub regibus veram religionem deseruisse. Nempe *Judices* omnes viri fuerunt prudentia & pietate clari, & populum non minus exemplo quam præcepto ad virtutem provocarunt. Reges autem plerique fuerunt idololatræ: (81) *præter Davidem, Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem altissimi reges Judæ*, & contemserunt timorem Dei. Populus itaque sub regibus nunquam diu mansit in obsequio Dei: prout enim regum vicinorum mores reges Judaicos, ita & reges Judaici (morum suorum contagione) totam gentem infecerunt. Deus itaque magis purgatam & florentem, quam ea tempora ferebant, remp. promissurus, *restituam*, (82) inquit, *Judices tuos ut* fuerunt *prius*.

III. Populus ille inter *Jehovam* & *Baalem* fluctuabat, & ancipiti vice nunc hujus nunc illius institutis adhærebat. Ideoque par erat, ut Deus non tantum crea-

creationis, sed & electionis, pactique etiam solenniter confirmati, jure iis præsideret; ut triplex ille funis dubium & incertum populum figeret, eosque Deo arcte devinciret. Nam si quid ingenui sanguinis, aut honesti & decori sensus aliquis, superesset; fieri non potuit ut Israelitæ Dei partes desererent, quum junctis suffragiis eum in regem suum nuper elegissent, & ad leges ejus observandas fœdere tam solenni seipsos astrinxissent.

IV. Cum populus Israeliticus Ægypto primum exiret, res suæ eo in loco sitæ sunt, quod nemo homo muneri regio obeundo par esse potuerit. Nam in gente illa usque adeo turbata & confusa erant omnia, quod ea nemo in ordinem certum digerere norat, nisi qui lucem e tenebris micare jussit. Populus ille moribus tam agrestibus erat & incultis, quod ab Ægyptiis nomine tantum & sanguine discreparet: tam expers etiam consilii & præcipiti temeritate abreptus, quod levi quavis occasione arrepta de reditu in Ægyptum cogitaret. Erant etiam Israelitæ inter medios hostes positi, adeo ut quocunque oculos verterent, ingens belli moles instaret, nullo nisi summi numinis ope & consilio sustinenda. Ea denique fuit gentis illius novæ conditio plane singularis, quod ingenii humani non esset, eorum remp. legibus instruere, quæ populi tam fracti, hebetis, & contumacis ingeniis & circumstantiis convenirent. Cum itaque tantæ molis esset Hebræorum gentem condere & moderari, nec quispiam inventus esset cui populi defendendi cura delegari posset; æquum erat ut Deus ipse, pro summa sua potentia & sapientia, provinciam tam difficilem susciperet, & eorum res omnes Dei solius nutu & imperio [regni saltem surgentis exordio] regerentur.

V. Israelitæ Deum in *regem* & Dominum suum solenniter elegerunt. Hoc e *Joshuæ* verbis colligo: (83) *testes vos estis, quod ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei: & responderunt*, nos *testes*. Gentes aliæ se *reginæ cœli*, *Molocho*, τοῖς *Baalim*, regibus divinitate donatis, vovebant servos: Israelitæ soli *Elohim*, Dominum Dominorum, gentis suæ præsidem statuebant, & se leges ejus observaturos fidem astringebant. Cum itaque Israelitæ soli Deum in *regem* eligerent, nil mirum si benignus Deus eos in populum eligere, & rerum suarum curam & regimen suscipere, dignaretur.

Tertio: Rationes ex *parte seculi* dari possunt, cur Deo ipsi visum esset ad imperii clavum sedere, & hanc regiminis divini formam instituere. Nam,

I. Seculi moribus ita factum erat, ut Dii sui principatum quendam inter servos suos obtinerent, & nomine rituque regio colerentur. Nam seculo illo Deos titulis illis, *Molech*, *Elohim*, *Baalim*, & hujusmodi aliis, regibus & magnatibus tribui solitis, insignire solebant: eos imperii arbitros plerumque ponebant, cum nec bella gerere, nec civitatem condere, nec regem eligere, nec grandius aliquid moliri solerent, priusquam Deos per oracula vel auspicia consuluissent. Quin & iisdem ceremoniis Deos suos, quibus & reges honorabant: eos enim sceptro & purpura donabant, *Baruch. 6.* 11. eos osculis accipiebant, quibus & regibus honorem perhibebant, *Hos.* 13. 2. (84) coronam, loci regii insigne, capitibus eorum imponebant, 1. *Sam.* 10. 1. eos in hominum humeris sublimes in vulgus efferebant, *Jes.* 46. 7. Cum itaque more gentium inveterato receptum esset, Deos tutulo & honore regio donatos colere; nihil absurdi præ se fert, Deum ideo regis nomine se colendum exhibuisse, ut seipsum seculi moribus, qua licuit, accommodaret, & non minus populo suo quam Dii gentium servis suis, adesse, præesse & prospicere crederetur.

II. Seculo illo dæmones titulos potestatem (85) regiam sapientes [*Molech*, *El*, *Elohim*, *Baalim*] usurparant, & sub nominibus illis se Gentibus adorandos proposuerant. Erat itaque consentaneum, ut Deus se diabolo adversum sisteret, & titulum illum המלך, cujus diabolus diu malæ fidei possessor fuerat, sibi ipsi jure vindicaret. Hæc ea causa videtur, cur sibi nomen בעל (86) ævo prisco sumeret. Atque hic opportune se offerunt (87) auctoris, in subsidium nostrum non semel vocati, verba: *quia principes & imperatores reliquarum nationum, quos jam mortuos gentes colebant, sive adhuc inter vivos militari gloria* aut potestate regia *conspicuos*, *venerarentur*, אלים [aut אלהים] *dicebantur*; *Deus*, *ratione fœderis cum populo initi*, *princeps jam & imperator illius reip. constitutus*, *tanquam principibus* illis *dignior & excelsior*, *apud Israelitas nomine* [El & Eloim] *appellari voluit*.

III. Seculo illo usus obtinuit, ut *reges* honoribus divinis afficerentur, & prout Dii sui *regum* ritu, ita & *reges* Deorum ritu & loco, colerentur. *Chaldæos*, *Ægyptios*, alios, (88) *reges* suos factos Deorum loco habuisse, res nota est,

est, nec argumentis ad probandum indiget. Eos etiam *reges* aliquos vivos in Deorum numerum retulisse, iisque dignitatem cultumque divinum sæpe tribuisse, non facile dubitandum est. *Persas* dignitatem & cultum humano majorem regibus eorum concessisse, testatur *Artabanus Persas*, qui sic apud (89) *Plutarchum* affatur *Themistoclem*, Ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾷν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα Θεοῦ. Et verisimile est *Hamanem*, seipsum regibus] coæquantem, se more *Persarum* adorari præcepisse, & *Mardochæum* coram eo genuflectere recusasse, ne cultu Deo debitum homini nefario tribuere videretur. Sic opinandi causam præbet precatio (90) *Mardochæi: tu scis Domine, me non contumelia, neque superbia, neque gloriæ cupiditate fecisse, ut superbum* Hamanem *non colerem; --- sed id feci, ne hominis gloriam Dei gloriæ præponerem, nec quem præter te Dominum meum adorarem*. Nec *Persas* tantum, sed & alias gentes, *reges* suos cultu divino prosecutos fuisse, multis exemplis evinci posset, nisi quod (91) *Filesacus*, in hoc argumento tanta cum laude versatus sit. Cum itaque reges suos adorandi consuetudo passim apud ethnicos antiquiores obtinuerit, haud absurdum est opinari Deum ideo *regis* nomen & officium accipere dignatum fuisse, ut Israelitæ seipsum impensius adorarent, & eorum animi a cultu *regis* alicujus terrestris averterentur.

Quarto: Aliæ rationes assignari possunt, ex *parte regiminis* ipsius, quo nullum felicius, aut cum populi dilecti rationibus conjunctius, excogitari potuit.

Nam I. Hoc *regimen* pacificum erat, & ad reip. tranquillitatem conservandam maxime accommodatum. Cum enim Deus sibi uni potestatem regiam reservasset, litibus illis obviam ivit quæ circa principatum oriri possent. Cum etiam Deus, rerum summam tenens, controversias omnes graviores infallibili sententia determinaret, locus nullus liti vel querelæ, multo minus motui civili, ex injuriæ alicujus illatæ prætextu, relinquebatur. Magistratus qui Dei vicibus in imperio fungebantur, hujusmodi erant qui bello vel incendio civili ne vel unam scintillulam afferre poterant: non enim opibus congerendis animos unquam adjecerunt, non se elatius in imperio efferebant, in judicando præcipiti temeritate minime ferebantur, nec ipsorum honori vel dignitati studebant, sed in rep. conservanda curam integre defigebant. Ut expediam paucis: durante Theocratia, Deus ita temperavit omnia, ut ille bellandi ardor, qui veterum Hebræorum animis insedisse videtur, vix unquam erumperet ad perniciem populi.

II. Hæc reipublicæ moderandæ forma, suavis erat, humanæ naturæ & gentis illius *electæ* dignitati consentanea. Cum enim cæteræ gentes, servorum ritu, dominorum suorum voluntati & imperio mero subjicerentur; Israelitæ, durante *Theocratia*, legibus [dominis æquissimis] obedire tenebantur. *Moses* itaque extremum vitæ diem clausurus, Israelitas monuisse (92) dicitur, *ne* ullam *aliam politiæ* formam concupiscerent; nam vobis, inquit, præstat, ut τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, *leges tantum dominos habentes*, vitam transigatis. Hujusmodi regimen tanti habet *Aristoteles*, quod dicere non veretur, (93) ὅπου μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία. δεῖ γὰρ τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων, τῶν δὲ καθ' ἕκαστα τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πολιτείαν κρίνειν. *Ubi non dominantur leges, non est respub. Omnibus enim legem quidem dominari oportet: de rebus autem singulis*, quas leges non definiunt, *magistratus & remp. judicare*.

III. Hoc *regimen* maxime tutum erat, quod scilicet Israelitas ab omni incommodo, periculo, vel injuria, sartos tectosque conservaret. Cum enim *jura* quæ dixi *majestatis* [legum sanctio, bellorum indictio, magistratuum institutio,] manerent penes ipsum Deum; cum *Judices*, qui secundam a Deo potestatem in rep. tenebant, donis propheticis instructi essent, & a Deo suscitati; cum sacerdotes & Levitæ viri prudentes essent, & judicia non ad libidinem suam, sed leges a Deo datas exercerent; & si quid ardui vel perplexi accideret, semper præsto esset Deus, qui *Judices* & magistratus hærentes, oraculis suis expediret; cum inquam hic esset rerum Judaicarum locus & conditio, necesse erat ut omnia in tuto essent & tranquillo. Nil mali vel timere poterant Israelitæ, cum politia illa θεοκρατουμένη malis omnibus remedium præstaret, aut eorum causas tolleret.

IV. Hoc regimen benignum & mansuetum erat: nihil enim aut jussit aut fecit Deus ut potestatem absolutam ostentaret: bella nulla geri voluit e pruritu dominandi: populum nullis tributis ad explendos thesauros oneravit: (94) viris fortitudine & pietate conspicuis leges suas exequendi potestatem delegavit: ut compendium faciam, Deus summa cum bonitate, justitia, & sapientia, principatum semper administravit; adeo ut Israelitis Deo regi subditis nihil ad sum-

ſummam felicitatem, præter ingenuum felicitatis ſuæ ſenſum, defuiſſe videatur.

Hæc omnia perpendens *Moſes*, ad plures abiturus, id conſilii populo dedit, ſi (95) *Joſepho* credimus, *ne unquam eos regiminis alterius deſiderium caperet*: *Samuel* etiam vehementer angebatur, cum populum Theocratiæ pertæſum, & affrænato *regis* deſiderio captum, cerneret. Sed quid *Moſem* hic aut *Samuelem* memoro, cum gentes aliquæ Θεοκρατίαν Judaicam cuivis imperii formæ prætuliſſe, &, imperii tam felicis æmuli, διοκρατίαν inſtituiſſe, videantur? Huic opinioni locum facit, id quod habet *Scholiaſtes* ad [96] *Ariſtophanis* [Ω Ζεῦ βασιλεῦ] Τοῖς Ἀθηναίοι πυθοχρήςως ἐγένετο, καταλῦσαι μὲν τὰς βασιλέας, προςήσασθαι δὲ Δία βασιλέα· *Apud Athenienſes, Apollinis oraculi monitu factum eſt, ut ipſi reges ſuos exigerent, & Jovem regem conſtituerent*. Non eſt interim diſſimile vero, *Athenienſes* hoc in vulgus ſpargi voluiſſe, ut poteſtatem regiam [quam forſan oneroſam experti fuiſſent] honeſte & cum religione quadam imminuerent.

CAPUT IV.

De regiminis hujus origine, duratione, & abrogatione.

ORdinis mihi propoſiti memor, de regiminis hujus origine, duratione, & abrogatione, proxime dicturus ſum. Hæc tria argumenta unum in caput compingere conſultum duxi, quod aliquid inter ſe cognati habeant, & ſibi mutuam lucem commodare poſſint.

SECTIO I.

De origine Theocratiæ.

IN regiminis hujus origine perquirenda non eſt quod multum laboremus: neminem enim in ſacris literis vel mediocriter verſatum latere poteſt, *Theocratiam* in ipſo rerum Iſraeliticarum exordio aliquatenus obtinuiſſe, ad ἀκμὴν autem non niſi gradatim & poſt legem in Sinai datam perveniſſe.

Gradum primum ad poteſtatem regiam obtinendam feciſſe videtur Deus, cum gentem Iſraeliticam inſigni illo potentiæ & bonitatis ſuæ documento [Ægyptiorum in mari rubro ſubmerſione] ſibi devinxiſſet. Cum enim *Moſes* factum illud egregium Cantico celebraret, *Dominus*, inquit, [97] *regnavit in ſeculum & in perpetuum: quia ingreſſi ſunt equi Pharaonis cum curribus & equitibus ſuis in mare*, &c. Quem locum *Abarbanel* hac paraphraſi illuſtrandum cenſuit: *poſtquam Sanctus Benedictus pro Iſraelitis contra Ægyptios pugnavit, & inimicos illorum demerſit in aqua*, הוא ימלוך לעולם *Ille regnabit ſuper Iſrael in perpetuum* ואין להם צורך למלך אחר *nec alio opus habebunt rege*. Nempe hoc facto Deus Iſraelitas nova quaſi vita donaſſe, & in eos jus peculiare ſibi acquiſiviſſe, videbatur.

Cum autem tam egregium bonitatis & potentiæ ſuæ ſpecimen edidiſſet Deus, ſe regem populo obtulit; ſancte promittens ſe in fidem & clientelam ſuam eos recepturum, e conditione ſervili in *regnum ſacerdotum* evecturum, iiſque regiones fœcundiſſimas conceſſurum, modo ſe morigeros dictoque parentes exhiberent. Populus etiam conditionem accepit, & [ut omnia ritu in principum inaugurationibus olim uſitato peragerentur] Deum unanimi electione imperio præficiunt, & fidem de obedientia præſtanda ſolenniter aſtringunt obſignantque.

Poſtquam autem Iſraelitæ Deum ad officium regium elegiſſent, & utrique fidem dediſſent & accepiſſent mutuo; Deus, jure regio uſus, legibus politicis remp. munivit: tabernaculum, tanquam mobile palatium, parari voluit, ut inter ſubditos ejus habitaret: oraculum *Urim* inſtituit, ut, eo mediante, *Judices* conſilium ejus in regni arduis explorarent: alias etiam officii regii partes implevit, quæ verſantur in litibus dirimendis, ſententiis ferendis, pœnis irrogandis, & [98] gravioris momenti negotiis ordinandis. Et quamvis ſenatum conſtituiſſet *Moſes* qui copias militares regeret, & de [99] litibus levioribus decerneret; certum eſt eos poteſtatem tantum a Deo, tanquam rege ſummo, derivatam exercuiſſe. Sic enim eos alloquitur Moſes quos in magiſtratu poſuiſſet: [100] *audite illos, & quod juſtum eſt judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus: --- nec accipiatis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt*: h. e. „ Judicandi provinciam animo æquo & nullis partibus „ obnoxia adminiſtrare debetis, quod „ poteſtatem veſtram a Deo, tanquam „ rege, demandatam habeatis, & judicium quod fertis non veſtrum ſit, ſed „ ſummi illius principis qui nullius perſonam accipit.

Jam dictorum luce, ad obſcuram antea regiminis hujus originem dirigamur.

S E-

SECTIO II.

De illius duratione.

ISraelitis non tam felicibus esse licuit, ut optima hac imperii forma, integra & imminuta, perpetuo fuerentur. Id itaque pensi mihi proxime proposui, ut illius durationem spectarem, & [qua licet] ipsum tempus indagarem, quo primum Theocratia de rebus evanuisse censeatur. Cum autem regiminis hujus, non simul & semel, sed per gradus quosdam, jacturam fecerint, placet hic veritatis fugientis vestigia gradatim premere.

Primo: Itaque ad certum affirmo, quod Israelitæ, regem sibi dari postulantes, gradum primum ad imperii hujus desideratissimi ruinam fecisse videantur. Res est ultra captum credulitatis, verissima tamen, eos imperium humanum divino præferre, & regem ignotum Deo, tot beneficiis noto celebrique, præponere potuisse. Quin imo in eam evasere vesaniam, quod Dei regimen non tantum *minoris*, sed in pectoris recessu *nullius* æstimarent. Hoc aperte cognoscitur e Dei [101] sermone, quem Græci interpretes in hæc verba reddidere; οὐ σὲ ἐξουθενήκασιν, ἀλλ' ἢ ἐμὲ [102] ἐξουθενήκασι τοῦ μὴ βασιλεύειν ἐπ' αὐτῶν. *Non te nihili fecerunt, sed me nihili fecerunt, ut non regnem super eos.* Cum itaque Dei regimen nihil facerent, & imperii regii splendor eorum oculos unice perstringeret; Deus regi præfecturam tradere statuit, ne populus in pejora rueret, si eorum votis audacibus obstitisset.

Secundo: Dei regimen multo magis imminutum est, cum Deus *Saulem* & *Davidem* ad rerum arbitrium evocasset. Nam e sacris annalibus apparet, (103) eos leges tulisse, pœnas capitales irrogasse, bella gessisse, magistratus inferiores instituisse; non Dei, multo minus populi, suffragium aut consilium expectantes; adeo ut hinc constet eos se pro regibus gessisse, & potestatem arbitrariam exercuisse. Potestas autem arbitraria, cui nihil extra regis ipsius animum & voluntatem limites aut modum ponit, cum Theocratiæ natura pugnat, eique penitus adversatur. Cum itaque *Saul* & *David* hujusmodi potestatem tam frequenter exercuerint, non temere asserimus hanc divinam regiminis formam, iis regnantibus, plurimum imminutam. At vero cum *Saul* & *David* reges essent, non nati sed a Deo electi & constituti; cum etiam constet eos Pectoralis oraculum consuluisse, & res suas illius sententiæ permisisse; non sine ratione arbitramur, Theocratiam, tunc temporis, utut morituram quidem, non prorsus expirasse.

Tertio: Salomone rerum potito, Theocratia multo vicinior ἀφανισμῷ non immerito censeatur. Nam in *Salomone* regnum factum est hæreditarium, cum antea personale fuerit & electivum, Deo *Saulem* & *Davidem* eligente & summæ rerum præficiente. Hoc autem indicio erat Deum magistratus constituendi jure cessisse, & potestatem suam politicam *Salomoni* tradidisse. Nam populus Dei præfecturam rejecturus, sic *Gideonem* alloquitur, (104) *dominare nostri tu, & filius tuus*, &c. Respondet ille, *non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur in vos Dominus:* quibus innuunt *Gideon* & Israelitæ, regnum successorium & dominium Dei politicum simul consistere minime potuisse. Hinc etiam opinandi causa nascitur, Theocratiam extremum pene spiritum efflasse sub *Salomone*, quod admodum probabile sit, *Urim* [præcipuum imperii divini pignus & indicium] primo sub tempora *Salomonis* oracula fundere desiisse. Rationes quæ sic animum inducunt opinari, (105) suo in loco proferemus. Ut opinio nostra paulo firmior evadat, observare juvet, *Salomonem* primum, imperii sacri pignus alterum, arcam intelligo, in Sanctum Sanctorum ferri præcepisse. *Moses*, *Joshua*, *Judices*, *Saulus*, *David*, arcam, perpetuum habebant itinerum aut præliorum comitem: quod scilicet Dei, bellorum præsidis & summi rerum omnium curatoris, indicium esset, & inde responsa ad belli pacisque negotia moderanda subinde peterentur. Cum itaque arca sedem fixam & quietem in Sancto Sanctorum invenisset, apertum erat, Deum copias Israeliticas, ducis politici ritu, nunquam iterum educturum, eum imperatoris personam deposuisse, & regibus *Israelis* imperii summam (belli & pacis arbitrium] jam detulisse.

Quarto: Judæi theocratiæ veteris indicia & vestigia quædam obscuriora, ad extrema usque politiæ suæ tempora retinuere. Nam Deus, diu post tempora *Salomonis*, (106) *rex Israelis* appellatus est: ipso Domini nostri seculo, Hierosolyma (107) *civitas magni regis* audiit: templum, *regis* magni domus & palatium, ad sera secula stetit imperii divini monimentum: lex a Deo rege tradita, *magna* quædam imperii Judaici

char-

charta ſemper habita eſt, & ad ultima expirantis Judaiſmi tempora lites pleræque ex illius præſcripto determinatæ: & quamvis majeſtatem ejus contemtu & impietate pene incredibili polluiſſent, eorum curam geſſit Deus, & [pro ſingulari ſua bonitate] palam edixit, (108) *ego ero rex* veſter. Ex his elucet ratio, cur Theocratiam, Diſſertationis hujus argumentum, non *Iſraeliticam* dixi, ſed *Judaicam*; nempe quod Judæi regiminis hujus [quamvis imminuti] beneficio; multo diutius quam Iſraelitæ, gaviſi videantur.

SECTIO III.

De regiminis hujus abrogatione.

NObis jam conſideranda relinquitur regiminis hujus *abrogatio*. Ut autem in ordinem jam dicenda digeramus, hujus *cauſam* primo, dein & *effectum*, expediemus. Cauſam quod attinet, eam in principalem & minus principalem dividamus.

Regiminis hujus mutati vel abrogati *cauſa principalis*, e 1. *Sam.* 8. cognoſcatur. Ibi enim populi ſeniores *Samuelem* adiiſſe dicuntur, ſenectutem ejus rebus agendis ineptam, & filiorum ſuorum vitam a virtute alienam cauſantes, & eum, ſatis pro imperio, ſic alloquentes: (109) *conſtitue nunc regem ſuper nos, qui judicet nos, ſicut omnes gentes* habent. Et quanquam *Samuel* ſemel atque iterum eos a propoſito revocaſſet, & quanta inde malorum moles univerſæ rei Iſraeliticæ immineret, fuſe recenſuiſſet; propoſiti tam tenaces erant, quaſi tragœdiam a *Samuele* prædictam inſtar ludi habuiſſent. Rationes autem variæ reddi poſſunt, cur Iſraelitæ in hanc formam reip. moderandæ cupiditate tam effrænata ferebantur.

Nempe I. Quod omnes in vicino gentes ſub *regum* imperio viverent. Hanc rationem ipſi reddunt Iſraelitæ, ſic Prophetæ conſilio reclamantes: (110) *nequaquam, rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes*. [111] *Joſephus* horum verborum ſenſum explicans, arbitrati ſunt, inquit, ὐδὲν ἄτοπον ἐιναι, τῶν πλησιοχώρων βασιλευομένων, τὴν αὐτὴν ἔχειν αὐτὸς πολιτέιαν. *Nihil abſurdi eſſe, ſi cum vicini regem haberent, eandem & ipſi imperii formam acciperent*. Nec vane dictum eſt, gentes vicinas reges habuiſſe, cum ex [112] antiquiſſima rerum orientalium hiſtoria conſtet, eas *reges* ſolummodo rerum ſuarum adminiſtrationi præpoſuiſſe. Nec vana fides [113] *Civilis Batavi*, qui *Gallos* alloquens dixiſſe fertur, *ſervire Syriam, Aſiamque, & ſuetum regibus Orientem*. Cum itaque *regum* imperio ſubeſſent gentes exteræ, Iſraelitæ, κακοζηλίας ſtudio abrepti, ad *Samuelem* concurſum faciunt, *regem* & ſibi præficiendum poſtulantes. Cum enim gentes aliæ moribus tantum patriis adhærerent, Iſraelitæ ſemper ad mores & ritus externos imitandos ardore præcipiti ferebantur.

II. Veri ſpeciem præſefert, verba legis perperam intellecta regem petendi anſam Iſraelitis præbuiſſe. Sic enim in [114] *Deuteronomio* legitur: *quum ingreſſus fueris in terram quam Dominus Deus tuus dat tibi, & poſſederis eam, & habitaveris in ea, & dixeris, ponam ſuper me regem ſecundum omnes gentes quæ* ſunt *in circuitibus meis: pones ſuper te regem, quem elegerit Deus tuus. E medio fratrum tuorum pones ſuper te regem*, &c. Auctores autem nec pauci nec obſcuri nominis [quorum nonnullos citat [115] *Johannes Friſchmuth*] ſe perſuaſos habent, Iſraelitas his verbis accepiſſe mandatum eligendi regis, quod, hoſtibus devictis & terra *Canaan* occupata, exequi tenebantur. Hoc & Iſraelitas antiquiores in animos induxiſſe; probabilius habeatur, quod, regem expetentes, *Samuelem* ipſis legis hujuſce verbis alloquantur, *ponas regem ſuper nos, ſicut omnes gentes*; & quod regem petant, non niſi cum terram ingreſſi eſſent, & in ea, devictis hoſtibus, habitarent; quod etiam non ipſi ſibi regem facerent, ſed ad *Samuelem* ſe conferrent, regem petituri. Quaſi dicerent, „ legis „ [116] edicto cautum eſt, ne nos ipſi „ *regem ſuper nos conſtitueremus*, ſed eum „ in *regem* ſumeremus *quem Dominus* „ *eligeret*, id eſt, per prophetam ap„ probaret. Nos itaque, præcepti me„ mores, ad te, Dei prophetam R vicarium, confugimus, ut regem, eumque calculo divino probatum, habeamus.

III. Veriſimile eſt, Iſraelitas imperium regium exoptaſſe, & illud Dei regimini præpoſuiſſe, e ſecreto & cordibus ſuis alte diſſimulato numinum & rituum ethnicorum deſiderio. Plurimæ gentis illius apoſtaſiæ, ſcriptis ſacris memoratæ, probant Iſraelitas, ex Ægypto reduces, cultus ethnici deſiderium alte retinuiſſe, & eos, quavis arrepta occaſione, ad mores ethnicos impetu præcipiti proruiſſe. Huic ὁρμῇ nihil magis obſtabat quam imperium Dei, ſub quo, lege ſimul & pio *Judice*, tanquam duplici fræno, cohibiti ſunt, quo minus in mores Genti-

tilium ruerent, & prophanis eorum affectibus indulgerent. Cum itaque Dei regimen eorum voluntati repugnaret adeo, nil mirum si & Israelitæ regimini illi penitus adversarentur, & *Samuelem* jam senectute fracto, *reges* sibi dari postularent, quos desideriis eorum magis morigeros futuros, se persuasos habuerunt. Nec eos spes sua frustra habuit, cum *reges* pene omnes ad mores ethnicorum deficerent, aut mores ethnicos tolerarent. Israelitas hac præcipue ratione permotos imperium regium Dei regimini prætulisse, e Dei sermone non obscure colligatur, 1. *Sam.* 8. 7. 8. *Non spreverunt te, sed spreverunt me, ne regnem super eos: juxta omnia opera quæ fecerunt a die* illa qua *ascendere feci illos ex Ægypto, usque ad hanc diem, & dereliquerunt me, & servierunt Diis alienis, sic ipsi fecerunt etiam tibi*. Quibus verbis innuitur, Israelitas, Deo regnum abjudicantes, se sui similes præstitisse; nec quicquam fecisse nisi quod moribus eorum idololatricis affinitate proxima jungebatur. Hoc & rerum eventus indicat: nam illi ipsi Dei legem cultumque deseruerunt, qui Dei regimen non ita pridem aspernati sunt; qui Jehovam minime pro *rege*, tandem nec pro Deo, habere voluerunt; & qui regimen olim, tandem & cultum a gentibus petitum impense desiderarunt.

IV. Ingens belli moles eorum cervicibus impendere videbatur, & credebant Israelitæ res suas loco tutiori futuras modo regis fidei & curæ mandarentur. Ex hoc fonte fluxisse regis desiderium, e petitionis suæ *tempore*, *modo*, & *fine* constare potest. *E tempore:* nam observante [117] *Samuele*, tum primum regem sibi præponi postularunt, cum viderent *Nabas*, Ammonitarum regem, bellum adornare; quasi melioribus auspiciis rem gesturi essent, si sub regis potius, quam Dei signis militarent. *E modo:* nam regem sibi præficiendum postularunt, *sicut omnes gentes*, h. e. qui plenaria belli gerendi & justitiæ administrandæ potestate instructus esset, adeoque majorem haberet ad hostes repellendos facultatem & auctoritatem. *E fine*: nam regem petunt, ut *bella sua pugnaret*, & militibus cum hoste congressuris exemplo & consilio opem ferret. Ut paucis complectar omnia: videbant *Samuelem* jam senio debilem, credebant Deum cœlo suo inclusum & rerum incuriosum, norunt etiam Ammonitas, Philisthæos, alios in eorum perniciem juratos hostes: & hebeti populo nulla sibi ad salutem via patere videbatur, nisi rerum suarum tutela & administratio regi forti & militia bono traderetur.

V. Dei regimen, cui diu suberant Israelitæ, tanquam simplex, humile, & omni specie exteriore destitutum, contemtui habuerunt. Quamvis enim imperium regium ob morem ubique gentium receptum, petere videbantur; erat tamen mos ille prætextus potius quam vera illa, quam corde premebant, petendi causa. Eos enim regimen Divinum in cordis penetrali plane contempsisse, satis intelligitur e verbis τȣ̃ καρδιογνώςȣ, 1. *Sam.* 8. 7. *Non te flocci fecerunt, sed me flocci fecerunt, ut non regnem super eos*. Nempe Deus, in cœlis agens, rex erat invisibilis: illi vero, Romano-Catholicorum ritu, caput visibila, regem ipsis oculis usurpandum, impense desiderarunt. [118] *Fac nobis regem*, inquiunt, *qui egrediatur in conspectu nostri*, & majestate sua percellat intuentium animos. Deinde, Dei regimen plane simplex erat, nec ulla visibili pompa & splendore commendatum; & ea de causa dominio regio vilius & inferius populo puerili videbatur. Regem, gemmis & vestibus auro intertextis illustrem, *corona & armillis* exornatum, splendide habitantem & epulantem, cum ingenti etiam satellitio procedentem, habere; pulchrum, augustum, & gentis suæ dignitati consentaneum, videbatur. Eos hujusmodi regem in votis habuisse, paulo clarius elucet e verbis (119) *Hoseæ*, nonnulla referentis quæ in *Samuelis* historia reticentur; *ubi sunt* Judices *tui, de quibus dixisti, da mihi regnum & principes?* Hinc enim apparet, Israelitas non regem solum, sed principes & consiliarios a latere, sub rege constitutos, exoptasse; ne scilicet vicinis gentibus pompa & splendore regio cederent, iisque vel minima ex parte minores haberentur.

VI. Natura e luto tam crasso finxisse videtur Israelitas, ut bona sua minime cognoscere potuerint, nec res ullas veris momentis æstimare. Quamvis enim *Samuelem* nullius injuriæ postulare potuissent, & propheta mala illa plurima quæ regis desiderium allaturum esset, fuse recensuisset; in sententia priori, pertinacia quadam bruta, persistunt; & ita se gerunt, quasi prophetam, de oneribus a rege imponendis disserentem, asinorum auribus audivissent.

Hæc *populi pertinacia* regiminis mutati *causa principalis* haud immerito censeatur. *Causa minus principalis* [de qua proximo dicendum] erat *concessio Dei*. Cum enim Israelitæ Dei regimini rigidius adversarentur, & imperium regium im-

impense desiderarent; eorum votis annuit benignus [dicam, an [120] iratus?] Deus, &, *Samuelem* alloquens, *audi*, inquit, *vocem*, & *pone regem super eos*. Certo certius est, quod non minus populi commodo, quam Dei honori, consultum fuisset, si molli imperii divini jugo cervices suas nunquam subtraxissent: cum autem regis desiderium ferre non poterant impotentes Israelitæ, Deo visum est eorum desideriis effrænatis nonnihil indulgere, quibus si pertinaciter obstitisset, illi forsan, ad alienigenam delapsi, non tantum Dei regimini, sed etiam legi & cultui, renunciarent. Atque, hac in re, Deus ab arte regis politici non recessit: nam regis prudentis habetur, populi connivere postulatis, licet communibus rebus non admodum opportunis, si majus e studiis contrariis dispendium timeatur. Huc pertinet *Ciceronis* illud: [121] Non *permanendum* est *in una sententia conversis rebus*, & hominum *voluntatibus immutatis*, *sed temporibus assentiendum*. *Nunquam enim præstantibus in rep. gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio*: *sed*, *ut* in *navigando tempestati obsequi artis est*, *etiam si portum tenere non queas*; *cum vero id possis mutata velificatione assequi*, *stultum est eum tenere cum periculo cursum quem ceperis*, *potius quam eo commutato*, *quo velis* tamen *pervenire*: *sic cum nobis omnibus in administranda rep. propositum esse* debet, &c.

Secundo: De regiminis hujus abrogati *effectu* vel *eventu* breviter disserendum est. Is autem quadruplex erat: *ira Dei*, *servitus populi*, *subversio religionis*, & *ruina regni*.

I. Ira *Dei*: nam Israelitæ Theocratiam rejicientes & regem postulantes, Deum ad iram quam maxime provocarunt. Nempe regis petitio, notante *Samuele*, רעה רבה (122) *malum multifarium* erat, & summam ingratitudinem, diffidentiam, superbiam, impudentiam, contumaciam, dissimulationem, Dei contemtum, ethnicismi studium, temeritatem, & fidei violationem, in se una continebat. *Summam ingratitudinem*: eo quod regem petendo, illius jugum & imperium ferre recusarent, qui a malis non facile numerandis eos liberasset, & ab infima servitute ad florentem reip. statum & opes vicinis suis invidendas eos traduxisset. Ingratitudinem hanc iis probro vertit *Samuel*, dicens, (123) *vos hodie abjecistis Deum vestrum*, *qui salvavit vos ab omnibus malis* & *angustiis vestris*: & *dixistis ei*, *pone regem super nos*. Nec in Deum solum, sed & ejus ministrum *Samuelem*, se ingratos præbuerunt: nam & eum rejecerunt, qui collapsam morum & religionis disciplinam, abjectis idolorum sordibus, instaurasset, Judicis æquissimi partes implevisset, & eo Philisthæos & alias e vicinia gentes adduxisset, quod ne hiscere auderent, cum *Samuel* rei communi præficeretur. Eorum etiam *diffidentiam* notam faciebant: nam ideo regem expetebant, quod in Domino exercituum non acquiescerent, sed humana præsidia præponerent, & sibi persuadentes, se fato meliore belli consilia sub rege duce tractaturos. Constat enim e verbis *Samuelis*, eos tum primum regem sibi præponi postulasse, cum *Naas* bellum moliretur, eosque de sua publicaque salute sollicitos redderet: (124) *videntes*, inquit, *quod Naas*, *rex filiorum Ammon*, *venisset adversum vos*, *dixistis mihi*; *nequaquam*, *sed rex imperabit nobis*. Eorum insuper *superbiam* prodebant: nam regem postularunt, ut essent *sicut omnes gentes*, h. e. ut sua etiam resp. gloria quadam externa inter alias emicaret, nec regum vicinorum splendor & pompa regia Judicum suorum dignitatem extinguere vel obscurare viderentur. *Impudentiam* etiam, eo quod imperii formam a seipsis excogitatam, politiæ a Deo ipso constitutæ & administratæ præferendam existimarent; & *Samuelem* adirent præcise dicentes, *constitue nobis regem*, cum ea de re *Samuelem* minime consuluissent, nec per otium secum ipsi deliberassent. *Contumaciam* insuper, regem animo tam obfirmato postulantes, quod a sententia sua moveri non potuerint, etiamsi propheta fuse docuisset, in quam immensum malorum mare se præcipites daturi essent, si regimen in gentem electam primitus inductum rejicerent, & regiam judicandi formam a profanis gentibus haustam introducerent. *Dissimulationem* etiam: necessitatis enim aut misericordiæ larvam cupiditati suæ superponunt, ita prophetam alloquentes, [125] *ecce tu senuisti*, & *filii tui non ambulant in viis tuis*: *constitue nobis regem*, &c. Quasi dicerent, „ tu quidem multa cum laude
„ supremi judicis personam diu sustinui-
„ sti: cum autem vires tuæ, senio jam
„ fractæ, molestæ gubernationis oneri fe-
„ rendo non sufficiant, & filii tui a pa-
„ tris ingenio & sanctitate toto cœlo
„ diffideant; ut tibi & reip. bene con-
„ sultum sit, oratum te volumus, ut
„ præfectura cedas, & regem nobis con-
„ stituas, ut pari loco simus cum cete-
„ ris e vicino gentibus. “ At historiæ fa-

sacræ studiosi sat norunt eos hæc dixisse, tantum ut studia & consilia pessima colore specioso tingerent, præterea, petitio populi *regiminis divini contemtum* continebat: nam ideo regii imperii desiderio laborabant, quod pompa quadam alliceret, & præ ea sorderet regiminis divini simplicitas, rudis & ab omni strepitu aulico aliena. Hoc peccatum præ se ferebat etiam *ethnicismi studium:* cum enim regem postularunt, *sicut cæteræ gentes habuerunt*, gentium conditionem suæ prætulisse videntur, & leges illas tacite respuisse, quas (126) regibus Israelitis indixit Dominus, & eas admittere voluisse, quas reges barbari & idololatræ vel tulerunt ipsi, vel ab aliis acceptas coluerunt. Seipsos etiam *temeritatis summæ* reos arguebant, quod mite Dei jugum experti, regis fascibus parere mallent, & regem expeterent gentium vicinarum regi similem; qui nempe suo tantum arbitratu rem versaret publicam, nullum habens cujus potentiam timeret, consilium peteret, aut assensum expectaret. *Samuel* temeritatis hujus, non sine ratione, cum probro meminit, apud (127) *Josephum*, dicens τίς ἔσχεν ὑμᾶς ἄνοια, (128) φυγεῖν μὲν τὸν Θεὸν, ὑπὸ βασιλέα δὲ εἶναι θέλειν; *Quæ vos dementia cepit, ut Dei imperium detrectantes, sub rege esse malletis?* Denique, populus ille regem expetens *in fidei violatæ* crimen incurrebat. Deum enim in regem cum solenniter elegissent Israelitæ, & ad leges ejus observandas promissionis & fœderis religione seipsos devinxissent: cum itaque Θεὸν ἀποχειροτονοῦσι τῆς βασιλείας (uti loquitur (129) *Josephus*) non tantum rebellionis sed & perjurii reatum contrahunt.

Cum *regis* petitio tot nigrioris notæ peccata contineret, Israelitæ pœnitentiam agentes speciatim agnoscunt, se peccatis suis omnibus hunc cumulum addidisse, *quod regem* [130] *postulassent*. Expediam paucis: Israelitæ regem petentes graviter peccarunt, & Deum vehementer offensum reddiderunt, non quod imperium regium [regiminis divini typus & imago] simpliciter spectatum, ei displiceret; sed quod imperium regium, dura licet servitute redemtum, regimini suo, æquo lenique, præferendum existimarent.

Effectus regiminis mutati secundus, erat *populi servitus*. Nam a regibus suis, regum vicinorum potestatem arbitrariam æmulantibus, ita constricti sunt Israelitæ, quod vix ullum libertatis pristinæ vestigium aut memoriam retinuerint. Nam prædixit propheta, reges inter eos, non paterno vel regio, sed (131) herili & tyrannico dominatu, regnaturos; gravia e subditorum bonis exacturos vectigalia; onera, quibus subditorum humeri pares non erant, iis impositiuros; eos ad ministeria, vel servis ignominiosa, filios & filias adacturos; quicquid regibus esset operis urbani, rustici, pecuarii, vel bellici, eos corporum ingenuorum ministerio peracturos. Hæc omnia votis populi, regem qualem gentes habebant exteræ petentis, respondisse videantur. Nam reges *Orientis* potestatem arbitrariam & plane herilem in subditorum personas & fortunas exercebant. Hac potestate veteres in *Assyria* principes usos fuisse, satis e (132) *Justino* discimus: *principio rerum* ait ille, *populus nullis legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant.* (133) *Aristoteles*, de hujusmodi mero principatu loquens, Οἱ περὶ τὴν Ἀσίαν, inquit, ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν, οὐδὲν δυσχεραίνοντες. *Asiatici imperium despoticum ferunt, nec indignantes.* Paulo altius assurgit (134) *Apollonii* dictum: [Ἀσσύριοι καὶ Μῆδοι] τὰς τυραννίδας προσκυνοῦσι. Assyrii & Medi *dominationem arbitrariam* etiam *adorant*. Hinc illa [135] *Livii*, *Syri & Asiatici -- genera hominum servituti nata.* Cum itaque populus Israeliticus ingenio tam servili essent, ut hujusmodi regem & dominationem in beneficii parte ponerent; Deus, regem futurum *Samueli* ostensurus, [136] inquit, זה יעצר בעמי, *iste dominabitur* (137) *in populum meum:* ita *Vulgatus* locum reddit, sed verbum יעצר emphasin continet, & *coercebit*, *coarctabit*, significat.

III. Religionis veræ *subversio* mutationi regiminis imputari potest. Cum, Dei jugo excusso, sub imperio *regum* viverent Israelitæ, populus in omnia statim flagitia præceps ivit, & gentium moribus maxime vetitis & abominandis seipsum contaminavit. Nempe sub regibus laxatæ sunt imperii habenæ, & gens hactenus hypocritica, frænis libera, ad veros mores rediit. Neque *reges* malo tantum regimine, sed exemplo pejore, populi moribus pestem & perniciem attulere. Judices quidem (138) omnes sancti fuerunt, cum tamen e regibus, qui Judicum ordini successerunt, paucissimi fuerint non idololatræ. Hinc causa data doctissimi; (139) *Sanctii* verbis: *dici possunt reges abjecisse Deum: quia vix dum regium nomen in suo populo audierat Israel, cum veri Dei nomen aut abjectum est, aut vile apud plurimos haberi cœpit. Qui tertius regium nomen inter Israelitas obtinuit*

nuit Salomon, *finitimarum gentium idolis supplicavit: vix quartus rex* Rehoboam *regnum inivit, cum decem tribus, paterna religione, aut omnino prodita, aut magna ex parte contemta, aureos conflarunt vitulos, & mores* gentilium *amplexæ sunt. --- Neque duæ aliæ tribus fuerunt* impietatis *illius tam stolidæ* & *inverecundæ prorsus exortes: nam* & *illæ coluerunt idola*, &c.

IV. Regni *ruina* inter triste mutati regiminis eventus numerari debet. Nam post pauco annos, tota natio in duas factiones secessit, bellis frequentibus se mutuo atterentes, donec pars utraque tandem regibus ethnicis in prædam cederet. Captivitatibus pressi sunt luctuosis Israelitæ, quas nunquam experti fuissent, si a summo suo rege & Domino non descivissent. Ut paucis omnia colligam; cuivis in sacris literis cum cura versato pateat, reges in Dei regnum & solium accitos, mille malis, incommodis, bellis, occasionem dedisse, & Israelitis non modo nulli usui fuisse, sed & eorum (140) perniciem accelerasse.

CAPUT V.

De institutis illis Mosaicis, quibus Theocratia occasionem administravit.

AD instituta Mosaica e regimine Theocratico oriunda, oratio jam conferenda est. Ut autem ad hoc argumentum aditum eo promtiorem habeamus, ad memoriam revocandum est, Deum triplici modo spectari posse. I. Quatenus rex mere politicus erat, cui summa imperii Israelitici solenni electione & fœdere deferebatur. II. Quatenus rex cœlestis, qui (141) *thronum in cœlis* habebat, & *magnus rex* erat *super omnes Deos*. III. Quatenus dux & imperator exercitus Israelitici, & regis in castris agentis implebat vicem. Hæc sermone distincto persequi consultius existimavi, quod *Mosis* instituta ad Deum, quandoque ut regem politicum, quandoque ut regem cœlestem, nonnunquam ut regem militantem, respectum habeant; nec facile sit; legum nonnullarum rationes & textuum multorum sensum intelligere, nisi ad varios hosce respectus diligenter attendamus.

SECTIO I.

De institutis Mosaicis Deum ut Regem mere politicum spectantibus.

PRimo: Spectandus est Deus ut rex politicus, cujus erat, non tantum generali providentia, sed speciali imperio, gentem Judaicam regere & moderari. Plurima autem a *Mose* instituta videntur, quod personæ regiæ quam Deus sustinuit apprime convenirent, & honorem ei qua regi debitum, sacrum & illæsum conservarent.

Nam primo: tabernaculum institutum est, ut summo regi, palatii & habitaculi regii loco, inserviret. Cum primum enim Israelitæ Deum in regem suum solenniter elegissent, legem eam de tabernaculo struendo tulisse dicitur, (142) *& facient mihi* מקדש *Sanctuarium, & habitabo in medio eorum*. Ad quæ legis verba, hæc *Moses Ben Nachmam annotavit* יעשו בית וכלים כמקדש מלך ובית ממלכה ושכנתי בתוכם בבית ובכסא הכבוד אשר יעשו לי שם *Facient domum, & vasa quasi sanctuarii regis, domusque regiæ. Et ego in eorum medio habitabo, in domo scilicet solioque gloriæ, quod mihi facient*. Hæc ille, nec inscite: nam (143) palatium regium מקדש Hebræis dicitur, vel quod locus separatus sit, ad quem nulli nisi regi & interioris admissionis famulis & amicis datur aditus, vel quod a rege, tanquam numine terrestri, sanctitatem quandam hauriat. Hac de causa forsan, palatium, היכל מלך, a Græcis, (144) ναὸς βασιλέως, appellatur, quasi palatium regis, inter loca sanctiora, secundum ab ipso templo sanctitatis gradum obtineret. His in transitu dictis, observare juvat, scripturam de tabernaculo, tanquam summi regis habitaculo & palatio loqui solitam. Nam vocatur non raro אהל העדת *tabernaculum testimonii*, quod Deus ibi majestatis & præsentiæ suæ testimonium exhiberet; sacerdotes in tabernaculo ministrantes (145) *ad Deum accedere* censebantur: qui in sanctuario apparebant, (146) *coram Deo apparere*, quæque in eo facta sunt, *coram Deo* facta esse, dicebantur: si cui victimam offerre visum esset, officio illo non nisi coram tabernaculo, utpote Dei habitaculo, fungi (147) tenebatur Nubes ((148) כבוד & δόξα, dicta) quæ tabernaculum decoravit, præsentiæ & habitationis divinæ signum adeo luculentum extitit, quod a magistris trito illo שכינה vocabulo passim appelletur. Hic itaque non minus apposita *Nachmanidis* jam laudati verba: עקר החפץ

במשכן הוא מקום מנוחת השכינה *fundamentum præcipuum tabernaculi erat, ut locus esset quo divinitas quiesceret* aut *habitaret*. E quibus omnibus liquere arbitror, tabernaculum sacri cujusdam domicilii vicem præstitisse, quo Deus, Hebræorum rex, insigni quadam ratione, prout reges terrestres inter subditos suos, habitavit. Cum itaque tabernaculum, & postea templum, palatii & habitaculi regii vicem obiret; Deus illud in atria sua varia distribui voluit: erat enim extimum (149) τῆς αὐλῆς, medium τȣ͂ ἁγίȣ, & intimum adyti, quod & solium gloriæ: nempe, ut ad habitaculi vel palatii regii exemplar expressius fieret.

Secundo: Lege Mosis institutum est, ut tabernaculum ad quæsitissimæ pompæ & splendoris magnificentissimi typos & ideas componeretur: ut illius fabrica auro & cedro plurimo tota spenderet intus, & instrumentis vasisque plurimum aureis (150) instrueretur. Quid autem, nisi ut tabernaculum domus cujusdam regiæ characterem gereret, & omnia in eo Dei muneri & dignitati regiæ convenirent? Antiquissimis ex Oriente principibus id moris erat, ut in domibus arte prodiga fabricatis, & (151) aureo plurimum ornatu & supellectile insignibus, habitarent. Hac de re fuse disserentes legat cui vacat, *Dion. Chrysost.* Orat. 2. & 49. de *Regno. Pined.* de *reb. Salomon* l. 5. c. 6. & *Brisson.* de *reg. Persic.* l. 1. p. 49. 50. 51. Curatum est itaque, ut in Dei habitaculo splenderent omnia, ne aliter a more & dignitate regia discedere videretur.

Tertio: Lege prospectum est, ut tabernaculum supellectile & vasis habitaculo regio consentaneis instrueretur. Sensum meum paulo explicatius exprimunt *Abarbanelis* (152) illa בהיכל היה השלחן והמנורה ומזבח הקטרת כאילו הם כלים לשרת לפני מלך של עולם וגו *In tabernaculo fuere mensa, & candelabrum, & ara suffitus, tanquam res ad ministerium regis mundi aptæ. Non quod illi (cui laus omnis) harum ulla re opus esset, absit ut ita sentiamus; sed ut populi animo penitus insideret, in mediis Israelitis castris versatum esse Dominum Deum ipsius.* Et quoniam habitaculi ratio ita postulavit, cautum est etiam, ne mensa (153) illa, panes suos, scutellas, cochlearia, cantharos, & cyathos desideraret; aut delabro lampades ardentes deessent, quæ lucem perpetuam Dei habitaculo impertirent. Hinc etiam *ignis*, (154) *jugiter accensus*, tanquam focus domus suæ regiæ, super altare esse debuit.

Quarto: Sacerdotes & Levitæ, tanquam ordinis & dignitatis diversæ famuli, instituti sunt, ut Deo, tanquam regi politico, constanti ministerio inservirent. Hinc nomen כהנים sortiti videantur: quamvis enim vox ea ad sacerdotes notandos adhibeatur, *propria sua significatione*, obseervante (155) Junio, *latius patet. Significat enim*, ait ille, *ministrum in ministerio honorabili, ut* Job. 12. 19. *Ideo Davidis quoque filiis tributa*, 2. Sam. 9. 9. *Sacerdotibus autem deinde attributum est, quatenus fuerunt primarii Dei ministri*, & illius quasi sumptibus sustentati. Nanc vocis illius notationem firmant ea legis verba, (156) *adduc ad me Aaronem fratrem tuum, & filios ejus cum ipso: e medio filiorum Israel.* לכהנו לי *ut serviant*, aut (ut Chaldæus habet) לשמשא קדמי *ut ministrent coram me*. Neque vero nomen illud sacerdotibus datum est, tantum quod Deo ministrarent, sed quod ei propinqui essent, & quasi interioris admissionis famuli. Olim enim vox כהן (157) non tantum *ministrandi*, sed & *accedendi* vel *appropinquandi* notionem habuisse putetur: nam filii Davidis, כהנים dicti 2. *Sam.* 8.18. (158) alibi ראשונים ליד המלך *viri principes ad manum regis* appellantur; quod scilicet regis lateri proxime adhærerent, eique a consiliis essent interioribus. Deinde, Sacerdotum nomina קרובים, & הנגשים כהנים, tanquam ἰσοδύναμα, in (159) Scripturis usurpantur: & הקריב *accedere facere*, est *sacerdotem constituere*, Num. 16. 5. Ideo vero sacerdotes, קרובים *Deo propinqui*, tam frequenter dicebantur, quod iis solis sanctuarium (præsentiæ suæ regiæ cameram) adeundi licentia concederetur, & quod sacris ministrantes proxime abessent a Sancto Sanctorum, summi regis solio & interiore habitaculo. Quid autem Deus ordinem sacrum titulis & privilegiis hisce dignaretur, nisi ut tabernaculum suum palatii regii formam præ se ferret, & eo magis officio & dignitati suæ regiæ conveniret? Nam regum mos & dignitas amplissimum famulitium postulat, & ministros varios, quorum alii his, alii aliis officiis præponantur, alii a regis persona longius absint, alii ad illius præsentiam & intetiora consilia recipiantur. Non possum ab hac materia discedere, quin prius addidero, sacerdotes vulgares, vestes decoras & elegantes, sacerdotem primarium vestes auro & margaritis illustres habuisse; nempe, ut habitus sui splendore & elegantia servorum regiorum formam & speciem repræsentarent. Sed & sacerdotes illi, nullo licet

præ-

præcepto (quod scimus) astricti, in tabernaculo stare solebant & (160) excubias agere, ut moribus suis servos regios exprimerent, & Dei habitaculum ad palatii cujusdam regii (ubi servi regis excubias (161) noctu peragunt) morem & imaginem componeretur?

Quinto: Cum habitaculi regii notio & conditio ita postularet, lege curatum est ut tabernaculum cibo & potu, Dei personæ & familiæ regiæ convenientibus, instrueretur. Ibi enim mensa stetit duodecim panibus instructa, vino etiam (ni fallor) non raro perfusa, ut eo propius accederet ad mensæ convivalis similitudinem. Nam mensa illa (162) cyathos quosdam sibi proprios habuit, quibus olim, in mensa sacra (163) libantes, usi videantur. Huic conjecturæ locum facit, non tantum ipse cyathorum usus, & Græcorum versio, sed & Gentilium (a Judæorum ritu raro deflectentium consuetudo: nam apud eos vinum in mensa sæpe libatum fuisse, satis testantur *Virgilii* illa:

(164) *Dixit, & in mensa laticum libavit honorem.*

Nonnunquam precabantur ethnici, vini aliquid leviter in mensam effundentes. Hujus etiam ritus testem assero *Virgilium*,

(165) *In mensam læti libant, Divosque precantur.*

Sed hoc ego dubitanter dictum velim. Institutum prosequor: non panis tantum & vinum, sed & caro (e victimarum nempe reliquiis) in tabernaculi usum abunde parabatur. Nam sacrificia partim super altare igne absumpta sunt, partim a sacerdotibus comesta; qui, cum Dei famuli essent, par erat ut ejus quasi sumptibus alerentur. Quod in altari consumptum erat, Dei portio seu ferculum habebatur, uti liquidum est e Cap. I. *Malach.* v. 12. Ubi altare *Dei mensa*, & sacrificium super eo *Dei cibus*, appellatur: & sæpius (166) in lege, & (167) alibi, sacrificium Dei לחם i. e. *panis* ejus aut *cibus* dicitur. Ut autem convivio cuidam regio responderent omnia, præter animalis in sacrificium oblati carnem, (168) *Mincha* erat aut ferculum (e farina purissima cum oleo & thure factum) & libamen vini, tanquam panis & potus, individui carnis Deo in cibum oblatæ comites. Super hæc: (169) lege diserta cautum est, ne cuivis oblationi deesset sal; eo quod cibus nullus nisi sale conditus bene sapiat. Huic rationi suffragatur *Nachmanides*, qui Denm in quavis oblatione salem præcepisse dicit, מפני שאינו דרך כבוד להיות לחם השם טפל מבלי מלח i. e. *Quod non esset e dignitate cibi Dei, ut insipidus esset, sine sale.* Quoniam autem salis hic mentio inciderit, a re præsenti non erit alienum observare, salem non tantum Dei mensæ (altari) sed & sacerdotum mensæ in sanctuario, semper adfuisse. Scriptura panum duodecim tantum impositorum diserte meminit: at (170) *Villalpandus* & (171) *Fortunatus Scacchus* salem etiam in mensa sacra locum invenisse, e (172) vasis ejus lege memoratis haud absurde colligunt. Huic opinioni favet (173) *Philo*, qui de sacra mensa loquens, ἡ δὲ τράπεζα, inquit, τίθεται πρὸς βορέους, ἐφ' ἧς ἄρτοι, καὶ ἅλες. *Mensa autem posita est versus septentrionem, super quam panes & sales.* Ubi *Philo* plurali ἅλες utitur, ut duo saltem salis vascula, mensæ cum panibus imposita denotaret. Hæc autem sic a Deo comparata sunt, ut tabernaculum quod sibi incolendum cepit, habitaculi regii imaginem eo luculentius exprimeret, & Deus inter Israelitas, prout rex inter subditos suos, habitare crederetur.

Sexto: Solium illud auro conspicuum, quod Deus sublimis insedit, lex in tabernaculi recessu poni jussit, ut Deo qua regi politico conveniret, Deus, ad morem regis, tabernaculi sui interiora præsentia sua speciali decoravit, cherubinos pro sella vel throno regio habens, & arcam pro scabello. Cherubiuos Deo throni regii loco fuisse, & Israelitas Dei sessionem *super* [aut *inter*] eos officii sui regii documentum habuisse, e variis scripturæ locis prompte colligendum est. Primo, e Psalmistæ verbis, (174) *Dominus rex est, contremiscant populi, sedet in Cherubim, contremiscat terra*: nam inde liquet Psalmistam, dominatus sui regii gloriam Deo tribuentem, sessionem *in Cherubim*, tanquam thronnm regium, dominatus illius argumentum habuisse. Huc etiam spectare videntur Psalmistæ verba, (175) *Deus regnavit super gentes, Deus sedit super thronum sanctiatis suæ*, h. e. threnum in Sancto Sanctorum positum. Eo etiam allusum, ad *Hebr.* 8. I. *Talem habemus pontificem qui consedit in dextera* τοῦ Θρόνου τῆς μεγαλωσύνης *solii majestatis*, prout scil. Aaronidæ apud arcam Dei stabant, quæ כסא כבוד *solium gloriæ* ab Hebræis vocabatur. Ad hunc etiam thronum alludi, *Apoc.* 4. suspicari fas est, quod apertum sit, omnia de throno illo Apocalyptico dicta throno in (176) tabernaculi adytis constituto adamussim convenire. Cum autem thronus ille, tabernaculi & templi pars primaria fuerint; inde factum est quod templum

thro-

throni nomine non ſemel inſignitum reperiamus. *Jeſ.* 6. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & elevatum, & fimbriæ ejus replebant templum*, Jerem. 17. 12. *Sclium gloriæ altitudinis, a principio, locus ſanctuarii noſtri*. Et Ezec. 43. 7. *Locus ſolii mei & locus veſtigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Iſrael, in perpetuum*. Et Apoc. 16. 17. *Et vox magna prodiit e templo cœli, e throno*. Quid autem thronus ille in tabernaculo, prout & templo, conſtitutum eſt, niſi quod regii cujuſdam domicilii rationem haberet, & Deus apud Hebræos regis politici vicem præſtaret, adeoque, regum antiquorum ritu, throno aureo inſideret?

Septimo: Hæc regiminis divini forma, oraculo in tabernaculi adytis conſtituto, & reſponſis inde datis, cauſam dediſſe cenſeatur. Si enim de temporum antiquiorum moribus e ſequiorum temporum uſu conjecturam faciamus, ſummi orientis principes tentatoria ſua, atria, ſive conclavia, habebant, quorum receſſibus plurimum obtecti ſedebant; inde vero ſe ſubditis exhibere, iiſque reſponſa, velut oracula, dare, quandoque dignabantur. Cum autem hæc tentoria regia in tholum ſurgerent, & aurea eſſent vel auro magnificientius exornatu, Χρύσεοι ὀράνισκοι, *aurei cœluli* dicebantur; prout e *Plutarcho*, *Athenæo*, & *Heſychio*, nos docet, magnum rei literariæ lumen, (177) *Seldenus* noſter. Cum etiam inde reſponſa, pro oraculis habita, darent Orientis reges, tentoria illa σκηναὶ χρηματιςικαὶ vocabantur. Nam obſervante eodem (178) *Seldeno*, *Ptolemæi Evergetis cœlum* ſeu tentorium magnificum, ἐπιφανὴς καὶ χρηματιςικὴ σκηνὴ, *illuſtre & oraculare tentorium* Polybio appellatur. Cum itaque Orientis ſummi reges tentoria ſua aurea vel aurata haberent, & inde reſponſa regia, pro oraculis habita, non raro darent, a vero non plane abſonum eſt, Deum ideo דביר *oraculum* & ſedem ſuam in tentorii ſui de aurati receſſu poſuiſſe, & inde populo ſuo reſponſa reddidiſſe, ut illius σκηνὴ χρηματιςικὴ regum antiquorum tentoriis magnificis reſponderet, & ſua omnia perſonæ quam ſuſtinuit regiæ quadrarent & conſentirent.

Alia legis inſtituta ex hoc regimine fluentia ſuperaddi poſſent: ea vero, ne ſermo modum excedat, prætermittam; & clauſulæ loco, (179) *Rabbi Schem Tob.*, quæ multa paucis compingunt, ſubjungam verba: השם יתברך צוה לעשות בית בבית מלך ובבית מלך ימצאו כל אלו הדברים אשר אמרנו אנשים שישמרו את היכלו וגו Hæc, & quæ deinde ſequuntur, ſic latinitate donavit (180) auctor mihi dum vixit amiciſſimus: *Deus, cui laus, talem ſibi domum condi juſſit, qualis eſſe ſolet domus regia. In domo regia, hæc omnia, quæ diximus, reperiuntur. Alii ſcilicet, qui cuſtodiant palatium ejus; Alii qui fungantur officiis ad regiam dignitatem pertinentibus, qui epulas inſtruant, aliaque faciant regi neceſſaria. Alii denique qui voce quotidie fidibuſque canant. Et etiam in domo regia locus ad cibos apparandos conſtitutus. Item locus ubi odorament a adolentur. Eſt etiam menſa in domo ejus, itemque conclave ipſi proprium, quo nemo pervenit, niſi qui ei ſecundus eſt, quoſque in maxime charis habet. Eundem ad modum voluit Deus, ut hæc omnia ſua domo ineſſent, ne qua in re terrarum regibus concederet. Eſt enim ille rex magnus, ut his quidem rebus non indigeat. Verum hinc facile elucet ratio victus familiaris ſacerdotibus & Levitis dati, utpote quem rex quiſque miniſtris ſuis ſuppeditare ſolet. Atque hæc omnia eo ſpectabant, ut intelligeret vulgus, regem, nempe Dominum exercituum, inter nos verſatum eſſe*. Nonnulli forſan hæc, & alia quæ dixi modo, luſus tantum in re ſacra laſcivientis habituri ſunt; quod iis incredibile videatur, Deum in inſtitutis ejus, regum ethnicorum mores imitari, vel habitaculum ſuum ad palatii terreſtris modulum componere voluiſſe. Cum autem Deus regis politici nomen & officium ſumere non dedignatus ſit, fidei & rationis conſentit, Deum ea omnia ſtatuere & agere voluiſſe, quæ a ſe regis nomen & officium exigere videbantur. Et certe, niſi hæc, & alia nonnulla, legis inſtituta, ab origine jam dicta promanaſſe cenſeantur; cauſa haud mihi in promptu eſt, cur Deus tanto cum apparatu, & ritu regii moris æmulo, ſe colendum exhiberet.

Nemo hic expectet, ut per inſtituta legis omnia diſcurrerem, quæ ſanctionem & originem ſuam Deo qua regi politico debuerunt; cum id mihi negotii ſolum dederim ut eorum inſtitutorum fontes aperirem, quæ cum Dei cultu & populi Judaici religione cognatione propinqua jungebantur.

SECTIO II.

De Legis inſtitutis, Deum, ut regem cœleſtem, ſpectantibus.

UT Inſtitutorum Moſaicorum rationes diſtincte percipiamus, Deus (uti

(uti dictum eſt) non tantum ut rex *politicus*, ſed ut *cœleſtis*, ſpectari debet. Eo nempe collineare videntur pleraque, tabernaculum præcipue ſpectantia, *Moſis* inſtituta, ut Iſraelitæ Deum ſuum qua regem, & regem ſuum qua Deum ſuſpicerent & adorarent. Rei hujuſce *veritatem* primo, deinde *rationem*, oſtendere conabor.

Rei veritas evinci poteſt. I. Ex inſtitutorum eorum forma, tam varia & ambigua, quod Jehovæ tanquam Deo ſimul & regi convenirent, eumque nomine & reſpectu utroque cultum indicarent. Nam tabernaculi vaſa, quatenus ex auro facta, Deo qua regi; quatenus victimis & libaminibus offerendis apta & accommodata, ei qua Deo; convenire videbantur. Panes duodecim in menſa poſiti, *regem Iſraelis* docebant maxime; panes autem intacti & a tabernaculi tantum miniſtris comeſti, Deum (cibis haud indigentem) denotabant. Tabernaculum magnificum aureo apparatu ſplendidum, ſummo regi; tabernaculum unctum & cherubinis decoratum, ſoli Deo incolæ conveniebat, Sacerdotes, qua pulchre veſtiti & tabernaculi miniſteriis intenti, Jehovæ qua regi; quatenus autem *τῶν ἁγίων λειτεργοι* & officiis tantum ſacris occupati, Jehovæ qua *Deo Iſraelis*, conſentanei videbantur. Lampades ante thronum ardentes, quatenus habitaculo cuivis neceſſariæ, Jehovæ qua regi; qua ſeptem, eidem qua Deo, congruebant; cum ſeptem planetas, aut *ſeptem ſpiritus coram Dei throno*, ſignificarent. Caro, panis, & vinum oblatum, ſignum erant, Iſraelitas Deum qua regem; ſed caro, panis, & vinum altari dicatum, eos regem qua Deum, venerari. Thronus aureus Deo qua regi convenit; thronus e cherubinis, angelorum figuris, conſtans, regem cœleſtem ſonat. Duæ tabulæ, quatenus legibus inſcriptæ & ſub throno poſitæ, indicio erant Iſraelitas Deum qua regem; quatenus in arca cum manna poſitæ, eos eundem qua regem cœleſtem, colere denotarunt. Tabernaculum nulla non arte decoratum; & in partes varias tributum, regem aliquem eximium habitaculi tam auguſti (181) incolam indicavit: at tabernaculum ornamentis & inſtrumentis peculiaribus inſtructum, non regem aliquem humano ſanguine prognatum, ſed cœleſtem, ſed ipſum Deum, in eo habitantem, docuit. Tabernaculi menſa aurea duodecim panibus inſtructa, *regem Iſraelis*; at ara aurata non longe remota, *Deum Iſraelis*, in eo cultum ſignificavit.

II. E nomine tabernaculo tributo patet, Deum ſub lege non tantum ut regem civilem, ſed ut regem cœleſtem, coli & ſpectari debuiſſe. Cum enim Deus de tabernaculo fabricando legem ferret, inquit, (182) *& faciant mihi* מקדש *ut habitem inter eos*: hoc hautem vocabulum notionem duplicem, *palatii* nempe vel *ſanctuarii* aut loci ad ritus ſacros ſeparati, continet. Significatus prioris exemplum præbet *Ezechiel*, cap. 27. 18. ubi de rege Tyri loquens, inquit חללת מקדשיך *prophanaſti ſanctuaria* vel *palatia tua*. Aſſentit *R. Kimchi* & vocem per ארמונך *palatium tuum* interpretatur. Et illud (183) *Jeſaiæ* de Deo O. M. dictum, והיה למקדש idem *Kimchius* ita *παραφράζα*, הוא ארמון ומקום משגב שישגב אדם בו *ille erit ut palatium & locus editior in quo homo exaltari ſolet*. Se ſui ſimilem præſtitit etiam, מקדש per ארמון *palatium* (184) explicans, in (185) *Amoſi* illa *in Bethel ne adjeceris prophetare*, כי מקדש מלך *quia palatium regis* eſt. Occurrnnt etiam textus haud pauci, quibus vox ea pro loco in uſus ſacros deſtinato (*ſanctuario*) uſurpatur: nam hoc ſenſu ſumpta, ſæpe Dei tabernaculum & templum denotat. Semel etiam nomen מקדש, hoc ſenſu captum, idolio tributum legimus, nempe *Jeſ.* 16. 12. Ubi ſic Propheta de *Moab*, ובא אל מקדשו להתפלל *& ibit in ſanctuarium ſuum ul oret*: ubi Græci אל מקדשו reddunt *εἰς τὰ χειροποίητα αὐτῆς*, Vulgatus *ad ſancta ſua*, Chaldæus לבית טעותיה *in domum idololatriæ ſuæ*. Quid autem tabernaculo nomen inditum eſt, palatium ſimul & ſanctuarium aut templum denotans, niſi quod ita factum eſſet ut palatii ſimul & templi ſimilitudinem exprimeret; & ita conſtituta eſſent omnia, ut Jehovam qua regem & qua Deum in eo colendum indicaret? Niſi Deus hac de cauſa tabernaculo nomen מקדש impoſuerit, tenuem meam conjiciendi facultatem præterit, cur hoc ſenſus duplicis & incerti vocabulum uſurparet, cum præſertim tot eſſent alia vocabula, (אהל, משכן, סכה, אהל aut שבת (186)) ad Tabernaculum exprimendum magis apta, & frequentius uſurpata.

Eo me jam vocat rerum ordo, ut rationem oſtendam cur Jehovah Dei ſimul & regis nomine rituque coli voluerit, & tabernaculi ritus & inſtrumenta ſic inſtituerit, ut eum regem quidem, ſed cœleſtem, & longe ſupra regum vulgarium conditionem poſitum, indicarent. Quantum itaque conjectura capio, Deus ita coli voluit, I. Ut nonnihil indulgeret mori temporum, quibus Ægyptii

ptii aliique non tantum Deos suos ut reges, sed reges suos beneficos, ut Deos, adorare solebant. Cultus hujusce testem oculatum audiamus, *Diod. Siculum*: (187) Δοκοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι, inquit ille, τοὺς ἑαυτῶν βασιλεῖς προσκυνεῖν τε, καὶ τιμᾶν, ὡς πρὸς ἀλήθειαν ὄντας Θεούς· --- Τοὺς βουλομένους τε καὶ δυναμένους (τὰ μεγάλα) εὐεργετεῖν, ἡγούμενοι θείας μετέχειν φύσεως· Deus itaque hac in re nil præter seculi morem statuisse videatur. II. Ut Israelitæ serio intelligerent, se non *Molecho* jam (regi alicui terrestri mortuoque) sed regi cœlesti, supra vim fati posito, cultum exhibituros; adeoque Gentium *Molechos* & *Baales*, Deos mortuos & infra ipsam cultorum suorum conditionem positos, contemnere discerent & sugillare. III. Ut hac ratione, non minus Dei majestati quam populi infirmitati consuleretur. Cum enim Deo visum esset, ad regis politici nomen & officium se demittere, ut populi rudioris infirmitati consultum iret; æquum erat ut tabernaculi ritus & instituta quædam, eum rege multo majorem indicarent, quo Dei honori prospectum esset, nec per demissionem illam cultus sibi debiti jacturam pateretur. Ut compendium faciam: ita curata sunt omnia circa tabernaculum, ut Deus semper rege major, cum seipso minor, appareret.

Jam dicta rationem suggerunt, cur nomen cœleste *Deus* & *rex*, eodem in commate, in vet. Test. tam frequenter appelletur; viz. *Jes.* 43. 15. *Zech.* 14. 17. *Malac.* 1. 14. *Psal.* 5. 2. & 20. 9. & 44. 6. & 68. 24. & 89. 18. 95. 3. & 98. 6. & alibi passim; quod nempe lex Jehovam, ut Deum simul & regem, colendum proponeret, & tabernaculum, præcipuus cultus divini locus, tot potentiæ suæ ποιητικῆς simul βασιλικῆς (uti loquitur *Philo*) symbola præberet & argumenta.

SECTIO III.

De Legis institutis Deum ut Dominum Exercituum, aut regem militantem, spectantibus.

TErtio: Deus spectari potest, ut rex in castris agens, & exercitus Israelitici in desertis oberrantis dux & imperator. Multa autem per *Mosem* instituta sunt, quod Deo quatenus exercitus illius duci convenirent, ad quorum nonnulla jam digitum intendamus.

Nam I. Tabernaculum institutum est, quo, tanquam in tentorio militari, summus ille dux & imperator, regum militantium ritu, resideret, & omnia ad militiam spectantia procuraret. Si enim exercitus alio transferendus esset, tentorium dissolvebatur, & iterum erigebatur, ubi dux ille tentoria figenda, columnæ quiescentis signo docuisset. Et hoc tabernaculo, quo ordine castra metenda essent, quibus hostibus occurrendum, quando bellum declinandum, populus admonebatur. Qua ratione hi vel illi puniendi, qui obsequium summo duci debitum detrectarunt, e tabernaculo decernebatur. Hinc forte causa petenda, cur tabernaculum *Salomonis* pacificis temporibus evanesceret, & locum templo cederet; quod nempe pacatus ille rerum status, tunc temporis obtinens, cum tabernaculo, belli sacri monimento, male conveniret. Ut autem Scriptura (quod obiter noto) convenienter ad usum tabernaculi militare loqueretur, non raro vocibus utitur a militia & usu bellico mutuatis. Nam populi cœtus integer, (188) צבאות יהוה *Exercitus Domini* vocatur: Angelus ille qui se (189) *Joshuæ* videndum præbuit, se *principem* aut *ducem exercitus Domini venisse* dicit: Levitæ, tabernaculi ministerio dicati, *ingredi* (190) dicuntur לצבא *ad exercitum*, vel (uti vertunt LXX.) λειτουργεῖν. Hisce congruunt Jesaiæ verba, *Cap.* 40. 2. *Loquimini ad cor Jerusalem, & clamate ad eam* כי מלאה צבאה *quod completa est* (191) *militia ejus*; hæc enim plerique ad sacerdotii *Levitici* ministerium referenda sentiunt: eodem forte spectat locus ille (192) *Danielis*, ubi sacræ sacerdotum turmæ, צבא השמים *Exercitus cœlestis* audiunt, & Deus שר־הצבא *Princeps* vel *Dominus exercitus*, sub cujus quasi signis militiæ suæ munera exercebant. Nam textus *Antiochum* spectare creditur, qui (193) juge sacrificium cessare fecit, sanctuarium polluit, & sacerdotes eos interfecit qui partibus ejus adversi videbantur. Sed in callem redeamus.

II. Ut omnia Dei personæ militari responderent, statutum est, ut populi cœtus exercitus speciem haberet, & in quatuor agmina seu vexilla, signis aut figuris cuique propriis distincta, partiretur. Unumquodque vexillum aut agmen tres tribus continebat, & primariæ tribus signum præferebat. Hæc quatuor magna vexilla dicuntur רגלי מחנה, [194] *Vexilla castrensia*, τάγματα παρεμβολῆς Græce, Romanorum aquilis analoga, legionum singularum signis. LXX. signa hæc δυνάμεις vertunt, & ideo forte יהוה צבאות κύριον δυνάμεων interpretantur.

III.

III. Ut regis militantis morem & formam ſervaret Deus, præceptum eſt ut caſtris metandis omnia ex lege rituque militari peragerentur. Quantum enim ex hiſtoricis & antiquis rei bellicæ magiſtris intelligere liceat, in caſtris ordinandis lex olim obtinuit, ut primo ſummi ducis tentorium figeretur: deinde, ut cuſtodes tentorii ſummi ducis, *excubitores* appellati, per gyrum ſtatuerentur: & tandem reliqui milites, per turmas & vexilla diſpoſiti, circumcirca caſtra metarentur. Iſraelitas leges haſce militares in caſtris metandis & mutandis obſervaſſe, non facile dubitandum eſt. Cum enim *proficiſcendum eſſet*, (195) Levitæ tabernaculum diſſolvere, cum caſtramentandum, erigere tenebantur. Tabernaculo erecto, Levitarum erat (196) *per illius gyrum tentoria figere* & quaſi excubias agere. Reliquus Hebræorum exercitus, in quatuor agmina ſeu vexilla tributus, in tabernaculi circuitu tentoria collocabant. Nam ad Orientem vexillum *Judæ*, ad Occidentem *Ephraimi*, ad Auſtrum *Reubenis*, ad Septentrionem *Danis*, cum ſociis tribubus diſponebatur. Quid autem *Moſes* Iſraelitas eo quem dixi ordine collocari voluit, niſi ut omnia, ad uſitatum caſtrametationis modulum conformata, Dei loco & poteſtati imperatoriæ magis apte convenirent?

IV. Statutum eſt ut arca cherubinis inſtructa (Dei vehiculum & præſentiæ ſuæ pignus) ſemper (197) præcederet, cum Iſraelitæ prodirent ad bellum gerendum aut regiones hoſtiles occupandum. Cum enim Deus rei bellicæ præeſſet, decori ratio poſtulavit, ut arca (quæ Dei vicem tenuit) in primo agmine ſiſteretur, & ipſe, veluti dux & imperator, exercitum in prælium ducere videretur. Milites enim prælium inituri ducem ſuum ſequi ſolent, & ab eo non minus exemplum quam diſciplinam petere: conſentaneum itaque fuit, ut milites & reliqui cum hoſtibus congreſſuri, Deum exercitus Iſraelitici ducem & imperatorem, more copiarum militarium, ſequerentur.

V. Veriſimile eſt *Moſem* inſtituiſſe varias illas cherubinorum formas, quibus Dei vehiculum ornabatur, quod ei, qua totius exercitus Iſraelitici duci, maxime convenirent. Nam quadruplex illa cherubinorum forma vel facies apud (198) *Ezechielem*, opinari ſuadeat, cherubinos Moſaicos faciem quadruplicem (nempe leonis, bovis, hominis, & aquilæ) habuiſſe. Referunt autem (199) Hebræi, ex antiqua majorum traditione quatuor illa vexilla caſtrenſia modo memorata, formis hiſce cherubicis inſignita fuiſſe; & vexillum *Judæ* figuram leonis, *Ephraimi* bovis, *Reubenis* hominis, & *Danis* aquilæ figuram geſſiſſe. Probabile eſt itaque, Deum cherubinis quadruplicem horum animalium formam habentibus vehi voluiſſe, ut ipſe currus aut vehiculi ſui forma doceret, ſe regem & ducem eſſe quatuor cohortum ſeu caſtrorum Iſraelis. Hæc conjectura (200) *Medo* noſtrati placuit, nam *quemadmodum*, inquit, *principum quadrigæ dominorum ſuorum fulgent inſignibus, ita cherubini ſignis Jehovæ, regis & ducis tetrarchiarum Iſraelis*. Sed alius eſt hac de re dicendi locus.

VI. Probabile eſt, ideo ſtatutum fuiſſe ut tabernaculum templum eſſet, & arca [præcipuum exercitus Iſraelitici ſignum caſtrenſe] in eo, tanquam ædicula ſacra, poneretur, quod Deus jam belli præſes eſſet & in caſtris ageret. Tabernaculum templi locum occupaſſe, *Joſephi* teſtimonio confirmatur: (201) ἐκ τοιαύτης ὕλης κατεσκεύαζεν τὴν σκηνήν· (202) ἡ δ' ᾽ȣδὲν μεταφερομένα κ̀ συμπεριινοςȣ̃ντος ναȣ̃ διέφερεν. *Hujuſmodi erat materia tabernaculi, ut nihil ab ambulatorio & portatili templo differret*. Conſentit *Philo*, de Iſraelitis, hæc inter alia, verba faciens; (203) ἐπεὶ δ' ἔτι κατὰ τὴν ἐρήμην ἐπλάζοντο, τοῖς μήπω παγίως ἱδρυθεῖσιν ἥρμοττε φορητὸν ἔχειν ἱερὸν, &c. *Quoniam autem adhuc in deſerto errabant, nullam certam ſedem habentibus conveniebat templum ambulatorium, ut tam in itinere quam in caſtris ſacra facerent*. In tabernaculi vel templi hujus receſſu, tanquam ædicula ſacra, ponebant arcam, quam ſignum caſtrenſe dixi; quod Iſraelitæ militantes ad eam confluerent, præeuntem ſequerentur, [204] eam belli ſpem primam exiſtimarent, eam caſtris poſitis loco maxime conſpicuo collocarent, eamque ſingulari veneratione proſequerentur. Hæc autem ex antiquo caſtrorum more fluxiſſe me perſuaſum habeo, quod in Romanorum caſtrametationibus eorum veſtigia ſubobſcura deprehendi poſſint. Nam veterum fide firmatum eſt, eas in caſtris habuiſſe tabernaculum, non ſolum *prætorium* duci proprium, ſed & *ſacrum*, veluti ſacellum aut ædiculam, quo ſignum caſtrenſe, nempe aquilam, cuſtodire ſolebant & venerari. *Herodianus* [205] τὸν ναὸν τȣ̃ ςρατοπέδȣ, *templum caſtrorum* memorat: hoc idem clarius teſtatur *Alex. ab Alexandro*, dicens, [206] *more ſervatum erat, ut in principiis caſtrorum, aut juxta tabernaculum ducis, templum* ſive *ædiculam ſimili exemplo milites conſtruant*;

juxta *quam signa & aquilam venerarentur & servarent; unde cum opus esset, extra castra adduci possent.* Hæc *Alexandri* verba citat [207] *Fortunatus Scacchus*, & statim subjungit, *hanc omnem ædiculæ rationem Gentes ab institutis divinis hauserunt, & quæ Deus in castris Israeliticis tutelæ ac religionis causa decreverat, idololatræ æmulari non sunt veriti. In stationibus* autem *Dei tabernaculum atque castra imitabantur, ut sub specie religionis populum ille perimeret leo, qui semper rugit: circumiens, & quærens quem devoret.* Hanc autem viri docti conjecturam erroris tantum speciosi laudem mereri censeo: si enim Romani, æmulatione quadam ducti, mores hosce militares ex institutis Mosaicis accepissent; verisimile est eos, arcam, cherubinos, tubas argenteas, & res alias in castris Israeliticis usitatas, imitari voluisse. Et si *leo ille rugiens* quicquam prædæ, *sub religionis Judaicæ specie*, captare studuisset; curasset proculdubio, ut multo plura Judæorum instituta in servorum suorum mores inducerentur. Mihi itaque veritati magis affine videtur, gentes antiquas, militari gloria celebres, duo tabernacula, *civiles* scilicet & *sacrum*, perpetuos castrorum comites, habuisse. Horum primo, totius exercitus dux & imperator residebat; (208) altero Deos, signum castrense, & siqua alia sacratioris notæ, colere solebant & circumferre. Deus itaque, ut imperatoris formam servaret, & res ad morem castrorum administraret, sibi tabernaculum fabricari, & arcam, aliaque κειμήλια sacratiora in eo collocari jussit. In hoc equidem a castrorum usu recessit Deus, quod unum tantum, non duplex, tabernaculum constitui jusserit: cum enim ipse idem Deus esset & imperator, par erat ut eadem fabrica tentorii simul & sacelli vel ædiculæ sacræ vice fungeretur.

E superius adductis elucet, nonnulla legis instituta Deum ut regem politicum, alia ut regem cœlestem, alia ut regem militantem, respexisse; eumque, hoc vel illo modo spectatum, auctorem habuisse: speciatim vero, tabernaculum, quatenus *palatium* erat, Deo ut regi politico; quatenus *templum portatile* vel sacellum, Deo ut regi cœlesti; quatenus *tentorium*, Deo ut regi militanti vel Domino exercituum, respondisse & originem suam debuisse. Hic non περιέργως aut prorsus importune quæri posset, unde (209) Decimarum solutio fluxerit; & an Deus, ut rex mere politicus, cœlestis, vel ut militaris, earum solutionem instituerit? Cum autem hæc obscura quæstio sermonem prolixum postulet, eam in locum paulo commodiorem differre visum est; ne rerum ordinem hic nimis obscuret & interpellet.

CAPUT VI.

Hæc ad Objectionem antea dictam solvendam accommodantur.

Rationibus bene firmis evicisse videar, primævum Hebræorum regimen theocraticum fuisse, & regimen illud leges & ritus nonnullos instituendi occasionem attulisse. Ultimum instituti mei membrum postulat, ut hæc omnia ad objectionis, in Dissertationis hujus exordio propositæ, solutionem accommodarem. Eam autem (ne forte lectori exciderit) iisdem pene verbis repetitam dabo: „ in hujus libri limine dictum est, „ Mosis leges & ritus institutos fuisse, „ ut idololatriæ remedium præstarent, „ & Israelitas ab illa seculi peste puros & intactos conservarent; cum tamen a „ Mose multa sancita fuerint, tantum „ quod oeconomiæ & regiminis tunc in„ stituti ratio ita postularent. " Huic autem objectioni, triplici responso, e supra dictis oriundo, cumulate satisfiat. Nam,

Primo: Leges & instituta Mosaica, quibus hoc regimen occasionem dedit, pauca fuere, collata cum iis quæ idololatriæ abolitionem pro scopo præcipuo habuerunt. Si enim instituta ritualia tabernaculi fabricam & ministerium spectantia excipiamus, cuivis obvium est observare, pleraque alia idololatriæ prorsus adversa fuisse, & e pravo seculi more, magis quam sacræ illius politiæ natura, dimanasse.

Secundo: Instituta illa ritualia quæ theocratiæ natura postulasse videtur, ad idololatriam abolendam erant apprime accommodata. Cum enim regiminis illius regii τὸ πρέπον exigeret, ut tabernaculum, tanquam summi regis portatile domicilium, strueretur, & ut illud tentorii regii pompam & splendorem imitaretur; splendor ille proculdubio populi rudioris oculos attraxit, & eorum animos summa religionis suæ admiratione defixos tenuit. Nec facile fieri potuit ut Israelitæ, cultus divini pompa & splendore perstricti, ad idololatriam deficerent; aut cultum ethnicum divino præferrent, licet oculos duces in religione sequerentur.

Tertio: Ipsa illa theocratia ideo inprimis instituta est, ut medium extraordi-

dinarium esset, quo Deus ad idololatriam extirpandam uteretur. Sic enim invaluit ille seculi Mosaici morbus, idololatria, quod remediis omnibus (ordinariis, extraordinariis) expugnandus esset. Optime autem inserviit hæc imperii forma, ad Israelitas a gentium moribus & idolis cohibendos: Nam,

I. Cum Jehova non Dei tantum, sed & regis nomine, se colendum exhibuerit, aperte significavit, obsequium cultumque omnem sibi uni debitum: adeoque nec regi alicui terrestri cultum divinum, nec *Molecho* regis nomen aut honorem, esse tribuendum. Sub novo Testamento, nomen *regis* & *Domini* Christo signanter tribuitur, ut omnes, Diis & Dominis ethnicorum ad crucem, aut potius inferos amandatis, (210) *unum Deum*, patrem omnium, & *unum Dominum*, Jesum Christum, venerari discerent: nec abhorret a vero, Deum, sub vet. Testamento, regis & Domini titulum sibi sumere voluisse; ut Israelitæ gentium Deos, (tanquam *Elohim*, *Baalim*, & *Molechos*, tantum λεγομένους) insuper haberent, & ei soli potentiam & imperium attribuerent.

II. Cum Deus ipse gubernacula teneret, evenire vix potuit, ut Israelitæ Gentilibus quasi felicioribus inviderent, aut fortunæ lætioris expectatio eos ad defectionem a Deo cultuque suo sollicitaret. Nam Deo rerum præside, iis nec consilium nec auxilium, ad pacis aut belli negotia, deesse potuit. Hoc vel ipse rerum eventus indicat: compertum est enim, *Judicibus*, Dei vicariis, rem in bello semper feliciter processisse; cum autem Dei jugum & imperium rejecissent Israelitæ, testatur historia sacra eos in prælio frequenter inferiores discessisse, & omnia statim in pejus inclinasse.

III. Cum Deus officio tituloque regis uteretur, omnes idololatræ, *rebelles*, & cultus extraneus, (211) *rebellio* (præcepti quinti ac secundi violatio) non immerito habebatur. Et verisimile est, Israelitas, e meliore saltem luto fictos, cultum extraneum fugere voluisse, ne rebellionis simul & idololatriæ reatum contraherent, & regem summum utriusque suæ tabulæ violatæ vindicem severissimum experirentur.

IV. Deo regnante, locus nullus erat magistratibus impiis, & potestatem nullis limitibus clausam exercentibus. Nullis enim Dei vicem gerere concessum erat, nisi Spiritu suo afflatis, & ad ejus legem & voluntatem totam judiciorum rationem attemperantibus. Ideo sub regibus omnia in deterius ibant, quod illi, regum ethnicorum ritu, potestatem arbitrariam affectarent, & (212) οὐ τοὺς νόμους [ἀλλὰ] καὶ τῶν νόμων ἄρχειν, *non juxta leges modo*, *sed & in leges*, *dominari* vellent.

V. Dei regimen idololatriæ non parum obstitit, quatenus ipse, jure regio usus, (213) leges tulit de idololatris morte mulctandis, utpote rebellibus & majestatis imminutæ manifestis. Inter leges eas locum haud obscurum tenet lex ea, qua præcepit Deus, ut, civitatis alicujus incolis idololatriæ compertis, homines & bestias omnes interficerent Israelitæ, (214) civitatem ipsam cum bonis omnibus in cineres redigerent, nec urbem illam unquam instaurarent. E legibus hisce perperam colligitur, quod nobis etiam in idololatras & hæreticos ferro & flamma sævire liceat: nam manifestum est omnibus, nisi quos (215) ζῆλος πικρὸς occæcavit, Israelitas leges illas a Deo accepisse, non quatenus *Jehovah*, sed quatenus *Jehovah Stator* esset, & inter eos, instar regis politici, modo visibili & externo versaretur.

E jam dictis liquido dicitur, in theocratia momenta maxima fuisse ad idololatriam extirpandam; ideoque par esse, ut instituta legis omnia quibus hæc imperii forma causam præbuit, huic usui, mediate saltem, inserviisse censeantur.

N O T Æ.

(1) *Apoc.* 15. 3. *Jer.* 10. 7.

(2) Juxta lectiones *Valesianas*, αἰώνων, quod *Millius* omnino genuinum esse arbitratur. Vid. *Prolegom.* N. 509.

(3) *Zephan.* 3. 15.

(*) Cap. 17. 17.

(4) *Exemplar. Vatican.* κατήσησιν.

(5) *Editio Complutensis* ita se habet, καὶ προσελάβετο τὸν Ἰσραὴλ ἑαυτῷ μερίδα, ὄντα πρωτόγονον, ὄντα πρωτογενῆ παιδεία, καὶ μείζων φῶς ἀγαπήσεως, ἐκ ἀνέλησιν αὐτόν.

(6) *Daniel.* 4. 24. legitur *Chaldaice* מלכא & עליא (juxta *Masorethas* עלאה) *rex excelsus*. *Psal.* 47. 2. מלך על כל-הארץ *rex-super totam terram*. Mentio quidem facta est Jehovæ מלך לעולם regis mundi, *Psal.* 29. 10. & מלך עולם *Jer.* 10. 10.

(7) *Dan.* 4. 24. *Psal.* 47. 2.

(8) 1. *Sam.* 8. 7.

(9) 1. *Paral.* 29. 23.

(10) 2. *Par.* 13. 6. & 8.

(11) *Deut.* 1. 17.

(12) *Antiq. Judaic.* l. 4. c. 8. p. 164. 10.

(13) In lectionibus *Bigotii* & *Exemplari Sambuci*, κατὰ τούτους.

(14) Ib. p. 172. 40.
(15) Apud *Hudson.* τὸν, & lectiones *Vatican.* ἐπ' ἀρετῇ.
(16) In 1. *Reg. Quæst.* 14. T. 1. pag. 239.
(17) 1. *Sam.* 8. 19. 20.
(18) *Nehem.* 9. 13.
(19) *Levit.* 24. 12. & *Num.* 15. 35.
(20) *Num.* 27. 7. 8. 9.
(21) נצח potius *æternitas* seu *robur*.
(22) *Num.* 10. 33.
(23) *Deut.* 23. 14.
(24) *Jud.* 3. 10.
(25) *Deut.* 16. 18. & 17. 15. *Hos.* 8. 4. *Num.* 11. 16. 17.
(26) *Jos.* 9. 9. 14. 16. *Judic.* 1. 1.
(27) *Judic.* 20. 18. 28.
(28) מלכהון In loco laudato nulla est mentio de *rege*: in versu 14. legitur, *oravit coram Domino & placavit pro filiis Israel*.
(29) *Lexic. Pentagl.* col. 79.
(30) *Myrothec. sacr.* P. 2. Cap. 52.
(31) *Deut.* 26. 17.
(32) Vid. pag. 37.
(33) *Ubicunque est* אלהים in *Hebræo*, *significat imperium*. Grot. *in* Exod. 20. 2.
(34) *Deut.* 26. 17. לשמע בקלו *audias vocem ejus*.
(35) *Deut.* 33. 4.
(36) *De Vit. Mos.* lib. 3. p. 681. C.
(37) *Contr. Apion.* lib. 2. p. 1376. 35.
(38) *Hudson* legit. ἰδὼν ex *Eusebio* in lib. 8. de *Præp. Evang.* c. 8. p. 361.
(39) Apud *Euseb.* ἀπέγραξε.
(40) *Hudson Eusebii* auctoritate fretus omittit μᾶλλον μόνῳ.
(41) *Sam.* 1. 10.
(42) *Dan.* 4. 30.
(43 1. *Reg.* 1. 5. 2. *Sam.* 15. 1.
(44) *Comment.* in 1. *Sam.* 8.
(45) *Exod.* 12. 41.
(46) *Genes.* 2. 1.
(47) *Psal.* 24. 7. 8. 9. 10.
(48) 2. *Sam.* 6. 2.
(49) *Zachar.* 14. 16. 17.
(50) *Zachar.* 10. 10. 11.
(51) *Psal.* 126. 1.
(52) 2. *Sam.* 7. 6.
(53) *Jes.* 44. 6. 8.
(54) 1. *Sam.* 8.
(55) *V. Judic.* 20. 18. & 28.
(56) *Deut.* 17. 8. 9. 10. 11.
(57) *Exod.* 19. 6.
(58) *Cont. Apion.* l. 2. p. 1379. 10.
(59) Apud *Euseb. Præp. Evangel.* lib. 8. p. 364. D. τὴν τὸν Θ.
(60) *V. Grot.* not. in *Deut.* 17. 9.
(61) *Fortunat. Scac. Eleocris. Sac.* P. 2. c. 52. col. 562. E.
(62) *Exod.* 19. 8. 9.
(63) *Ub. sup.* col. 559. E.
(64) *V. Exod.* 24. 3. coll. cum *Exod.* 25. 2.
(65) Vid. *Exod.* 19. 8. 9. 10.
(66) *Exod.* 23. 20.
(66) *Exod.* 24. 3. & 7.
(68) Vers. 17. 18.
(69) Juxta *Hebr.* לשמע בקלו *ad audiendam vocem ejus*.
(70) *Exod.* 24. 4.
(71) V. 6.
(72) V. 8.
(73) *Exod.* 24. 1. 5.
(74) *V. Grot.* in *Genes.* 15. 17. & *Jerem.* 34. 18. 19.
(75) *Homil.* 37. in *Genes.* T. 4. Ed. Benedict. p. 374. A.
(76) *Exod.* 13. 3. *Deut.* 4. 34.
(77) Cap. 24.
(78) *Exod.* 19. 5.
(79) *Comment.* in *Pentat.* fol. 169. col. 1.
(80) *Exod.* 19. 6.
(81) *Sirach.* c. 49. 4.
(82) *Jes.* 1. 26.
(83) *Jos.* 24. 22.
(84) *V. Selden.* l. *de tit. honor.* P. 1. c. 8. p. 156.
(85) *V. Seld.* de *Diis Syr. syntag.* 1. c. 6. & *syntag.* 2. c. 1.
(86) *Hos.* 2. 16.
(87) *Portunat. Scac. Myroth. sac.* P. 2. c. 52. col. 562. A.
(88) *V. Grot. not.* in *Exod.* 20. 3.
(89) In *Vit. Themistoc.* p. 125. C.
(90) In *Esth. Apocr.* c. 13. 12. & 14.
(91) Lib. de *Idolol. Politic.*
(92) *Ap. Joseph.* pag. 164. 10.
(93) *Politic.* l. 4. cap. 4. T. 2. p. 369. C.
(94) *Exod.* 18. 21. 22.
(95) *Ub. supr.*
(96) Ad *Nubes*, *init.* p. 57.
(97) *Exod.* 15. 18. 19.
(98) *Exod.* 18. 15.
(99) *Deut.* 1. 16.
(100) *Deut.* 1. 17.
(101) 1. *Sam.* 8. 7.
(102) Juxta *Exemplar. Vatican.* ἐξουδενώκασι, alia, ἐξουδ.
(103) 2. *Sam.* 11. 1. 1. *Sam.* 13. 2. 3. 1. *Reg.* 2. 35.
(104) *Judic.* 8. 22. 23.
(105) *Dissert.* de *Ur.* & *Thum.*
(106) *Zeph.* 3. 15.
(107) *Mat.* 5. 35.
(108) *Hos.* 13. 10.
(109) Vers. 5.
(110) 1. *Sam.* 8. 19. 20.
(111) *Antiq. Judaic. l.* 6. *c.* 3. *p.* 231. 5.
(112) V. *Selden. tit. honor. p.* 4. 9. & 10.
(113) *Ap. Tacit. Hist. l.* 4. *p.* 91.
(114) *Deut.* 17. 14. 15.
(115) *Discurs.* de *Rege eligend.* §. 2.
(116) *Deut.* 17. 15.
(117) 1. *Sam.* 12. 12.
(118) 1. *Sam.* 8. 20.
(119) *Cap.* 13. 10.
(120) *Hos.* 18. 10. 11.
(121) *Ep.* 9. ad *Lentul.* p. 20.
(122) 1. *Sam.* 12. 17.
(123) 1. *Sam.* 10. 19.
(124) 1. *Sam.* 12. 12.
(125) 1. *Sam.* 8. 5. 6.
(126) *Deut.* 17. 18.
(127) *Antiq. Judaic. l.* 6. *c.* 5. *p.* 237. 25.
(128) Juxta *Lection. Vatican.* ψεύγειν -- βασιλεῦ.
(129) *Ubi supr.* c. 4. p. 233. 15.
(130) 1. *Sam.* 12. 19.
(131) 1. *Sam.* 8. 11. 12. 13.
(132) *Histor. lib.* 1. *init.*
(133) *Politic. lib.* 3. *c.* 14.
(134) *Ap. Philostrat. lib.* 7. *cap.* 14. *p.* 291.
(135) Vid. *Liv.* T. 3. Lib. 36. §. 17.
(136) *Lib.* 1. *cap.* 9. *v.* 17.
(137) Juxta *Edit.* SIXT. V. & CLEM. VIII. *populo meo*.
(138) *Hebr.* 11. 32. *Eccles.* 46. 11.
(139) *Comment.* in 1. *Sam.* 8. col. 170.
(140) *Hos.* 13. 9. 10. 11.
(141) *Psal.* 11. 4. & 95. 3.
(142) *Exod.* 25. 8.
(143) *V. Amos.* 7. 13. *Jes.* 16. 12. *Ezec.* 28. 18.
(144) *Psal.* 45. 16.
(145) *Ezech.* 44. 15.
(146) *Psal.* 42. 2.
(147) *Deut.* 12. 11.
(148) *Exod.* 40. 34.
(149) LXX. in *Psal.* 29. 2.
(150) *Exod.* 26. 29. 31. 36. 38.
(151) 1. *Mac.* 11. 58.
(152) Ad *Ex.* 25. 8. *col.* 193.
(153) *Exod.* 25. 29. 30.
(154) *Lev.* 6. 12. 13.
(155) *Not.* in *Genes.* 41. 45.
(156) *Exod.* 28. 1.
(157) Qui plura vult de כהן consulat *Laxicon Pentaglot.* doctissimi *Schindleri* de literis Orientalibus optime meriti col. 846.
(158) 1. *Par.* 18. 17.
(159) *V. Exod.* 19. 22. *Lev.* 10. 3. *Ezec.* 42. 13. & 43. 19.
(160) *Psal.* 134. 1. 2.

(161) *Cantic.* 3. 7. 8.
(162) Καὶ τὰς κυάθους αὐτῆς, ἐν οἷς σπείσεις LXX. in *Exod.* 25. 29.
(163) Apud *MS. Oxoniensem*, ποιήσεις.
(164) *Æneid.* l. 1. v. 740.
(165) *Æneid.* l. 8. v. 279.
(166) *Num.* 28. 2.
(167) *Ezec.* 44. 6. 7.
(168) *Num.* 15. 4. 5.
(169) *Levit.* 2. 13.
(170) In *Ezec.* 41. *T.* 2. *l.* 4. *c.* 57.
(171) *Myroth. P.* 2. *c.* 41.
(172) *Exod.* 25. 29.
(173) *Lib.* 3. de *Vit. Mos. p.* 669. D.
(174) *Psal.* 99. 1.
(175) *Psal.* 47. 8.
(176) *V. Cl. Med.* in *Apoc.* 4.
(177) *De jur. nat. & gent. l.* 2. *c.* 8. *p.* 236.
(178) *Pag.* 237. *ib.*
(179) *Ad Mor. Neb. P.* 3. *c.* 45.
(180) *Outram. l.* 1. *de Sacrif. c.* 3.
(181) V. *Grot.* in S. *Mat.* 27. *v.* 51. *& D. Outram*, de *sacrif. p.* 21.
(182) *Exod.* 25. 8.
(183) Cap. 8. 14.
(184) In *Rad.* קדש.
(185) Cap. 7. 13.
(186) *Quod LXX.* κατοικητήριον vertunt *Exod.* 15. 17.
(187) *Bibl. Hist. l.* 1. *p.* 81. B
(188) *Exod.* 12. 41.
(189) *Josh.* 5. 14. 15.
(190) *Numer.* 4. 3.
(191) *Non* malitia, *uti apud Vulgatum hodie corrupte legitur.*
(192) *Cap.* 8. 10. 11.
(193) *V. Joseph.* de *Bel. Jud. l.* 1. *c.* 1. *pag.* 958.
(194) *Numer.* 2. 17.
(195) *Num.* 1. 51.
(196) *V.* 53.
(197) *Vid. Num.* 10. 33. *Psal.* 68. 7.
(198) *Cap.* 1. 10.
(199) *V. Grot.* ad *Num.* 10. 15. *& Clar. Med.* in *Apoc. p.* 916.
(200) *Ub. sup. p.* 917.
(201) *Antiq. l.* 3. *c.* 6. *p.* 106. 25.
(202) In *Sambuci Exemplar.* ἤδ' ἰδεῖν — Juxta *Lection. Vatican.* καὶ περιανοιγέντος.
(203) *De Vit. Mos. l.* 3. *sub init.*
(204) 1. *Sam.* 4. 5.
(205) *L.* 5. §. 23. *p.* 200.
(206) *Lib.* 1. *Gen. dier. cap.* 12. *p.* 90.
(207) *Myrothec. P.* 2. *c.* 33. *col.* 449. B
(208) *V. Quæ dicta sunt lib.* 3. *Dissert.* 1.
(202) De *solutione Decimarum*, vid. Lib. 3. capit. 10.
(210) 1. *Cor.* 8. 5. 6.
(211) *Jos.* 22. 16. 19. *&* 29.
(212) *Plutarc.* in *Flamin.* p. 282.
(213) *Deut.* 13. 6. 7. 8. 9. & 17. 2. 3. 4. 5.
(214) *Deut.* 13. 16.
(215) *Jacob.* 3. 14.



CHRI-

CHRIST. BLECHSCHMIDII

DISSERTATIO

DE

THEOCRATIA

in Populo Sancto inſtituta.

I. OMnem Civitatem vel ab uno, vel a paucis, vel ab omnibus indiviſim regi; vel mixto imperandi modo, ab uno & paucis, vel paucis & omnibus, vel uno & omnibus, vel uno, paucis & omnibus conjunctim gubernari, recepta eſt in Politicorum ſchola ſententia: Priores tres, utpote ſimplicium Rerumpubl. formas, ipſe *Philoſophus Libr.* III. *Polit. c.* 5. 7. ita diſpeſcit, cujus diviſionem etiam *Cicero Lib.* II. *de divin.* & *Tacitus Lib.* IV. *Annal. c.* 33. ſequuntur.

II. Naturam itaque Reipublicæ populi S. ante Reges ad miniſtratæ, introſpicere cupientibus, age videamus, quænam ex Rerumpubl. formis tam ſimplicibus, quam mixtis, in illa obtinuerit, & penes quem *τὸ κύριον* ſteterit? utrum indiviſim ab uno, tanquam primo & ſummo immediate dependerit, ut inde Monarchiæ: an v. penes paucos fuerit, & horum reſpectu Ariſtocratiæ vel oligarchiæ nomen mereatur: num denique omnibus in communi competierit, adeoque Democratia ſit appellanda: an vero diviſim, & quibus tunc convenerit? verbo: *an aliqua ex omnibus Rempubl. formis, quas Ariſtoteles loc. cit. lib.* 4. *Polit. c.* 3. 4. *& ſequentibus nobis deſcripſit, Politiæ Hebr. ſatis commode tribui poſſit?*

III. Facile a. id ipſum conſtabit, ſi *Capita illa*, ad quæ pleraque revocari poſſunt, quæ circa Reipubl. ſummam expendenda veniunt, explicemus. Sunt nimirum illorum *tria* potiſſimum, ex *Majeſtatis Juribus maxime conſpicua, in quibus poteſtas civilis, quæ in regenda ac tuenda Republ. ſita eſt*, præcipue eminet; ſcil. ex Majeſtatis juribus immanentibus *Legum Sanctio*, *Magiſtratuum inſtitutio*; ex tranſeuntibus v. *Bellorum indictio*. Horum omnium arbitrium, penes quem in Republ. populi ſ. poſitum fuerit, nobis jam incumbit oſtendendum.

IV. Priuſquam v. id aggrediamur, ante omnia hic in anteceſſum fatendum eſt, uti in hoc, ſic & in cæteris animadverti rationem plane ſingularem, quam in aliis profanis Rebuſpubl. obtinuiſſe nuſpiam legimus. Sicut enim præ ceteris ſpecialem ſemper curam Iſraeliticæ gentis habuit æternum Numen, ex qua aliquando totius Orbis ſalus naſcitura erat: ita, tametſi omnes aliæ Reſpubl. occulte a Deo dirigantur, hominibus interim plene committantur, *ſummam tamen poteſtatem Deum ipſum in populo ſuo immediate ſibi ſoli ante Reges ſervaſſe*, ex laudatis juribus ὀφθαλμοφανερῶς patebit.

V. Quod itaque *primum Majeſtatis jus* attinet, *poteſtatem* ſc. *Legislatoriam*, ipſum Deum O. M. populo ſuo leges ſacratiſſimas, tam Morales, quam cerimoniales, & forenſes; non modo civiles, verum etiam Eccleſiaſticas promulgaſſe, eaſque Moſi oretenus tradidiſſe, ex legis libro clariſſime elucet, quarum omnium explicationem afferre, cum noſtri Inſtituti ratio non permittat, *Luth. ad Balth. Meiſneri diſſert. de Legibus, Conſt. Lempereur, Tract. de Leg. Moſ.* J. H. *Hottingeri* Νομοθες *Moſ.* alioſque remittimus. Hoc ſolummodo ſilentio non involvendum, quod *intra ſacræ gentis præcipua honeſtamenta Lex fuerit, quæ a Moſe ſcripta, cunctarum gentium inſtitutis Legibuſque major, certeque dignior eſt, quia Deum ipſum Autorem habet, ut Cunæus Lib.* II. *de Rep. Hebr. c.* 24. advertit.

VI. Neque vero Leges tantum condidiſſe Deum, ſed eas etiam pœnis muniviſſe, ex hiſtoria S. itidem conſtat. Pœnas illas quatuor tantum, eaſque capitales fuiſſe *Excell. Dn. Prof. Daſſov. Prælect. Publ. in Rab. Maimonid* יד חזקה accurate explicat. Et notabile eſt, quod cum inciderent quæ ex iiſdem legibus liquido definiri non poterant, re ad Deum delata, pœnas vel ipſe ſumſerit a ſon-

a fontibus, vel modum fumendi immediate determinarit. *Maxime* autem in his omnibus *argumento est circa jus Legislationis, quod enumeratis illis legibus nil quicquam addere vel demere Deus feverissime populo suo interdixerit.* Ut inde fatis appareat, nihil quicquam poteftatis illius fummæ penes homines extitiffe. Conferri hic poffunt *Sigonius Lib.* I. *de Rep. Hebr. C.* IV. *&* *Reimerus de Rep. Hebr. Sect.* II. *p.* 34. *it.* 87. feq. qui uberius idipfum exponunt.

VII. Quod ad alterum, nempe *Jus creandi Magiftratus*, fpectat, tametfi totum hoc univerfum unius Dei imperio obnoxium effe nemo dubitet, omnifque poteftas civilis eidem foli accepta fit ferenda, illorum tamen, quos in populo Dei ad clavum Reipubl. fediffe legimus, Deum immediate quofdam, ut Mofen, Jofuam, quofdam vero mediate Magiftratus conftituiffe, ita quidem, ut fumma poteftas penes ipfum Deum folum radicaliter & independenter, penes homines vero non nifi dependenter extiterit facultas quædam civilis, ex S. L. liquido conftat.

VIII. Atque ut de ipfis incunabulis Reipubl. in populo S. inftitutæ exordiamur, eandem poft exitum ex Ægypto cum Mofe initium fuum fumfiffe, afferimus: nam antehac intra paternæ autoritatis metam regimen Patriarcharum conftitiffe, idque familiare ac domefticum, neutiquam vero civile fuiffe, & per Confequ. imperium illorum ne quidem Rempubl. nedum Monarchiam, quæ ejus fpecies eft, Philofophice dici poffe, conftans Dd. eft fententia, quod contra *Bodinum Lib.* II. *de Rep. cap.* I. *Tholofanum*, *Lib.* V. *de Rep. cap.* 3. & *Bertramum de Rep. Hebr. cap.* 3. notandum eft. De exteris Rebufpubl. eodem temporeintroductis, hic nobis fermonem non effe, vel ipfa infcriptio difputationis evincit. Diftinguenda proinde venit S. Patrum ætas, a Republ. noftra, quam ut videmus Mofes demum, ex præfcripto divino, in Arabum defertis fundavit: aderat enim ibi jufta hominum multitudo, ex fimplicioribus focietatibus enata, quam gubernari neceffe erat, fi civiliter inter fe vivere deberet.

IX. Mofes igitur immediate a Deo conftitutus, primus omnium ejufmodi Magiftratum in populo fuo geffit, fingulari tamen ratione a Deo dependentem. Quare non incommode Deut. 33. verf. 5. Pro-Rex audit, habito fcil. ad Deum refpectu, quod Luth. optime ita tranftulit: Er Vermaltet das Ampt eines Königes, & in gloffa fubdit, quod verus Rex haud fuerit neque unquam fe pro Rege gefferit. Quem ipfum locum etiam *fumme Rev. & Magnif. Dn. D. Calovius*, *Patronus*, *Præceptor*, *&* *Evergeta nofter*, *in Bibl. illuftr.* ad l. c. *de Mofe* quoque *explicat*, *quod inftar vel vice Regis*, *autoritateque loco Dei fuerit*, *populumque & principes ejus in officio continuerit*, *atque fic vivæ vocis oraculo ex ore Dei rexerit.* Hinc quoque nihil quicpuam ab ipfo, in adminiftratione ejus Politiæ, nifi fpeciatim id jubente vel approbante Deo, actum effe legimus: quod itidem de fucceffore ejus Jofua, &c. cujus aufpiciis poft Deum omnia quoque gerebantur, dicendum eft.

X. Magiftratum hunc fuperiorem excipit ille, quem Dei permiffu Mofes mediate introduxit: cum enim aliquandiu caufas fuorum civium folus judicaret, poftea fuafu Soceri fui, eo quod tanto oneri folus non effet ferundo, partem illius in Seniores & judices inferiores derivabat, qui una cum ipfo ex parte, fcil. in rebus levioribus, minoris Magiftratus officio fungebatur. Mofi autem & Jofuæ, diem fuum obeuntibus, fucceffit *regimen Hegemonicum*, ubi populus per Judices ac duces, tanquam Magiftratum ordinarium regebatur, qui & ipfi quoque facultate quadam civili a Deo ipfis commiffa, pollebant, quæ cum ipfa Majeftate non eft confundenda. Horum tam enim mediate nonnullos miraculofe a Deo excitatos effe legimus, quoties Deum populo fuo Salvatores dediffe in libro Jud. mentio fit, qui non male Magiftratus extraordinarius populo S. ante Regum imperium divinitus datus ac conceffus, nominari poffet. Vid. fupr. laud. *Sigonius l. c. L.* VII. *c.* I. 6. *Reimerus l. c. fect.* 2. *p.* 24. 55. *feq. nec non Conringius difp. de Polit. Hebr.* §. 13. *feq. qui de his* prolixe agunt.

XI. Tertium, *Jus Belli* videlicet, quod concernit, id ipfum quoque Deum fibi foli vendicaffe, ex S. Pandectis luculenter demonftrari poteft, fiquidem leges generales ac perpetuas de modo gerendi bellum populo fuo præfcripfiffe Deum, clare teftantur. Ita Deus ipfe ad *bellum vindicativum* contra Midianitas fufcipiendum adhortatur Mofen Num. III. 2. rurfus *bellum offenfivum* contra Regem Ai exfequendum mandabat Jofuæ Cap. VIII. 2. imo quotiefcunque cum hofte confligendum erat, divino monebantur oraculo. Hinc Mofes non dubitat Deum ipfum vocare איש מלחמה Exod. XV. 3. Conf. Jof. V. 14. Et notatu dignum eft, *Ifraelitas, quoties Dei juffu præliati funt femper feliciter, pu-*

gnaf-

gnasse, cladibusque suis majores extitisse; contra vero magna cæde affectos esse, quoties in jussu Dei prælia iniverunt. Conf. *Hugo Grotius* Lib. I. de J. B. & P. C. II. n. II. & Reinkings Biblische Policey L. II. Ax. 122.

XII. Possemus facile reliqua Majestatis Jura pari modo percurrere, utpote *jus Sacrorum*, quod solus Deus exquisitissima dispositione firmabat. *Jus Fœderum* quod itidem Deus cum populo suo aliquoties pepigit, de quo vid. *Vogelhaupt, pecul. disp. de Foed. sub. Gerhardo* hic loci habita Cap. II. *Jus Tributorum*, cujus specimen præbebant imperatum a Deo aurum, argentum &c. in Tabernaculi usum, item natis filiis imposita capitatio; quo censu quoque habendæ sunt Primitiæ, decimæ, quas *Dn. Prof. Dassovius Præl. Publ. de decimis* recenset. *Cura Monetæ*, cum passim in sacris mentio fiat Sicli sacrarii, aliorumque sed brevitatis studio ea omnia præterimus; imo etiam vix opus esse putamus, cum ex adductis illis veritas asserti nostri tam manifesta sit, ut si illud operosius probare vellemus, lucem soli, quod ajunt, fœnerari videamur.

XIII. Visa jam, probeque perspecta *latitudine imperii* in populo S. sub Mose, Josua & judicibus administrati, & quidem ex Majestatis juribus præcipuis maxime conspicui, sequitur nunc, ut ipsum *Majestatis Subjectum*. (ut ita loqui nobis liceat) jam tum ut putamus cognitum, illi subjiciamus. Nimirum cuncta illius Majestatis jura a nobis hactenus recensita solum Deum unice in populi S. Politia sibi vindicasse, adeoque τὸ Κύριον sive summam potestatem, quæ in aliis Rebuspubl. penes homines esse solet, sibi ipsi in eadem reservasse & hoc pacto Reipubl. istius Caput atque Principem fuisse, ex hactenus dictis constare arbitramur.

XIV. Ut vero magis perspicuum atque clarius fiat assertum nostrum disertis Scripturæ S. verbis solide adhuc confirmabimus. Antea quam hoc facimus, paucis prius *oppositum Majestatis* illius scil. *violationem ejus*, seu, ut Politicis vocatur, *Crimen læsæ Majestatis*, considerabimus, quod in nullius hominis personam, sed in ipsum Deum admissum esse, animadvertimus. Nimirum, quia ipsum sese in Regem dederat omnipotens Deus, ideoque omnes immorigeros, quicunque ejus imperio se subjicere detrectabant, violatæ Majestatis reos judicabat. Notatu dignum est, cum Cora, Dathan & Abiram seditionem contra Mosen excitarent, exprobrantes ipsi prærogativam regiminis, indeque sive Aristocratiam sive Oligarchiam introducere vellent, Moses crimen hoc omne a se declinans, expresse *Num.* XVI. II. 30. Coræ dicit: *Tu & universa factio tua estis, qui conspirant contra Jehovam*, clare innuens, quod non suam, vel alius, sed ipsius Jehovæ Majestatem violaverit.

XV. Nunc ad id accedamus, quod paulo ante instituеramus dicere probaturi sc. Theocratiam ex ipsis S. L. Clarissime autem illud inter alia constat ex I. Samuel. Cap. XII. 12. ubi genti Hebrææ postulanti a Samuele, ut sibi Regem constitueret, S. Vates graviter hoc ipsi exprobrans, *ipse*, inquit, *Jehova vester Rex est*, quod ipsum quoque Gideon probe intellexit; cum enim re feliciter gesta, nonnulli ipsum Regem constituere vellent, ne Deum offenderet, *non ego respondit sed Jehova vobis dominabitur Jud.* XVIII. 23. Hic quippe est, qui in quamcunque gentem Rectorem posuit, dicente Syracide Cap. XVII. 15. ϗ προσελάυετοτὸν Ἰσραὴλ αὐτῷ μερίδα quod Luth. ἐμφατικωτέρως reddit: Uber Israel ist Er selbst HERR worden: quid? quod ipse Deus τὸ Κύριον illud in populo suo sibi soli vendicans, indignanti & irato Samueli, quod populus Regem postularet, ita placabat I. Reg. VIII. 7. *non Te*, inquiens, *sed Me abjecerunt, ne regnem super eos*.

XVI. Atque hinc facile explicatur nodus, qui eruditos etiam torsit: *quare Deus tam indigne tulerit, populum suum Regem deposcere, cum tamen ipse Deut.* XVII. *causam reddiderit, quare aliquando Regem expetituri essent?* nimirum quia vicinæ quoque gentes sub Regum inperio victitabant. Quamvis enim Rab. Maimon. in Lib. I. Sam. c. 8. existimet, id indignationem Dei promovisse: שקצו בשמואל הנביא id quod etiam Cunæus Lib. I. cap. 14. approbat. Nos tn. *Excell. Dn. Prof. Rohrenseens, Præceptoris in hoc studio exoptatiss., ac nostri Ven.* sententiam, in diss. MS. de R. H. adductam, potiorem esse ducimus, *Deum sc. graviter fuisse offensum, quod suum recuset imperium contumax populus, quem ab infima servitute ad florentem Reipubl. statum traduxerat*, quam interpretationem etiam Deus ipse l. c. nobis suppeditat, quippe qui non Regis imperio, sed Israelitarum temeritate offensus, ægre tulit, quod sibi ipsi diffisi, alia ratione dirigi vellent. Quare, *modum saltem Deo ante definire visum est illius, cujus aliquando cupiditatem gentem suam invasuram prævidit*, ut Sigonius Lib. VII. c. 3. advertit. Manifestum proinde evadit, ipsum Deum in gente sua, antequam pro-

proprie dictus Rex ex hominibus constitueretur regnasse, postea vero dato ipsi Rege, eo modo non amplius regnasse.

XVII. His ad eum modum expositis, in proclivi nunc est ostendere: *quænam in populo S. a tempore Mosis, ad Reges usque Reipubl. forma fuerit?* Nempe, quia Deus O. M. præsentissimo Numine Jura Majestatis omnia, Regibus alias tractari solita, solus exsequebatur, & forma regiminis per omnia simplex erat, Monocratia equidem vocari posset, sed voce illa eximie intellecta: si enim dicente *Conringio* l. c. §. 42. *id attendere velimus, quod penes unum τὸ Κύριον in R. H. steterit, is unus ipse Deus non homo fuerit, abstinendum erit ab illo vocabulo, & haud incommode notio alia, qua forma illa auguste satis exprimitur, usurpari poterit.* Invenit illam jam dudum cordatus ille scriptor, Fl. *Josephus, Lib. 11. contra App. pag.* 945. qui cum videret, Rempubl. Hebr. non æstimandam esse ex institutis Oriental. quibus παμβασιλεία & servitus velut congenita erat, neque aliam ex usitatis formis eidem satis commode applicari posse, quod Majestas in ea non ad homines, sed ad unum & solum Deum pertineret, inusitatæ formæ novum attribuit vocabulum, ac ΘΕΟΚΡΑΤΙΑΝ eandem salutavit, *quasi tu ejusmodi civitatem dixeris, cujus Præses Rectorque solus Deus sit, cum quo in societatem regni venire, extremæ dementiæ fuisset,* ut *Cunæus* Lib. 1. cap. 1. id ipsum explicat.

XVIII. Quibus omnibus ita positis, pro confirmanda hac forma Theocratica, majoris perspicuitatis gratia, ita concludimus: *Cuicunque omnia Majestatis jura, tam immanentia, quam transeuntia, in Republ. radicaliter, independenter atque omnimode & quidem soli conveniunt, eidem quoque summam vel absolutam potestatem sive Majestatem convenire necessum est: Atque soli Deo in Republ. Hebr.* &c. Ergo. *Major* constat, quia jura illa nihil aliud sunt, quam potestates partiales, seu partes potestativæ, quæ totum suum potestativum, hoc est unam intensive & extensive summam potestatem constituunt. *Minor* ex præc. sufficienter per singula Majestatis jura demonstrata est, quare stabit conclusio.

XIX. Ordo nunc postulat, ut ad sequiorem sententiam nos convertamus, & quod in contrarium ab aliis afferri solet, paucis examinemus. Antequam autem in specie ad objectiones respondeamus, paucis prius in genere contra ἀντιθέτων ita lubet argumentari, & quidem primo *contra Monocratiam vulgo sic dictam h. m.* (α) *Q. Magistratus in Reipubl. administratione summam potestatem s. Majestatem omnem a se removet, eandemque alteri se superiori in solidum adscribit, penes illum τὸ Κύριον residere non potest. Atqui ipse Magistratus superior in Republ. Hebr. &c. τὸ Κύριον soli Deo adscribit. Ergo. Major* certa: quia qui absoluta potestate seu Majestate gaudet, neminem in regni administratione agnoscit superiorem; sed supremus in omnes & in omnia dominus est, adeoque sibi soli, non alteri τὸ Κύριον vindicat, sicut de Regibus Hebr. constat. *Minor* exemplis Mosis, Josuæ & judicum patet. (β) *Q. Magistratus ipsi fatentur, se nec Reges esse, nec Regum jura exercere, nec alterius se superioris imperio exsolutos esse, illi non gaudent summa absoluta potestate; Atqui ipse Magistratus superior, in Rep. Hebr. &c.* Ergo. *Præmissæ* ex præc. sunt evidentissimæ & non egent ulteriori probatione (γ). *Q. facultatem civilem non nisi per concessionem aliquam, & quidem non abdicativam seu privativam, sed cumulativam, hoc est, jus exercendi illam tantum habet, ille Majestatem ipsam absolute talem non habet, Atqui Pro-Reges, Pro-Principes in Rep.* Hebr. &c. E. *Major* clara: quia facultas civilis Magistratibus a superiore commissa, cum ipsa Majestate non est confundenda. *Minor* ex præced. de Mose Josua & Judicibus constat.

XX. Deinde *contra Aristocratiam* ita inferimus: (1) *In quacunque Republ. summa potestas non nisi penes unum est, in eadem plures alii a participatione ejusdem excluduntur.* Atqui *in Rep. Hebr. Majestas penes unum & solum Deum erat*, Ergo. *Major* patet: quia summa potestas non nisi una esse potest, in eadem civitate. *Minor* §. 17. & præced. probata 2. *In quacunque Republ. Majestatis jura non sunt neque penes plures, neque paucos, illam Aristocratiam vel oligarchiam dicere absurdum est*: Atqui in Republ. Hebr. &c. E. *Major* quia est principium, ideo negari nec potest nec debet. *Minor* in seq. satis ostensa. Et per consequens optimates vel proceres a Majestate illa excluduntur. 3. *Cujuscunque Synedrii auctoritas superiorem semper agnovit præsidem, nec omnibus causis decidendis par fuit, illud absoluta potestate pollere non potuit; Atqui etiam Synedrii Magni, sive Sanhedrin, ut vocant, autoritas* &c. Ergo. Et per consequens penes nullum sive Magistratum sive Synedrium τὸ Κύριον residere potuit: *Minor* ex iis ipsis locis Ss. in quibus adversarii præsidium quærunt, confirma-

matur, de quibus paulo post paucis agemus.

XXI. Denique paucis *contra Democratiam*, quia hæc non adeo in controversiam venit, ita colligimus: *In quacunque Republ. summa potestas non est penes populum, in illa Democratia locum habere non potest*: Atqui *in Rep. Hebr.* &c. *Major* ex definitione Democratiæ certa. *Minor* probatur quia in illa Republ. absque ulla limitatione populum potestati summæ absolute se submittere oportebat, & sic mere passive se habebat.

XXII. Præmissis hisce, tela illa, jam jam prævisa, minus nocebunt, omneque illud Argumentorum contrariorum pondus per se corruet quibus 1. Monocratiæ Patroni, ut sunt *Josephus* Lib. xx. Antiquit. c. 8. *Tholosanus* Lib. v. de Rep. c. 3. n. 15. *Bellarm.* Lib. v. de s. Pont. c. 2. contra nos insurgunt, contendentes, vel veram Monarchiam sub Mose & Josua, vel secundum *Bodinum*, Lib. vi. de Rep. c. 4. *Bertramum*, de Rep. Hebr. cap. 5. *Zepperum*, Lib. iii. Polit. Jud. c. 5. ad minimum Regni speciem fuisse, hinc præter Mosen etiam Josuæ & ducibus quibusdam potestatem regiam adscribunt, eo quod sæpe in S. L. Reges & principes audiant, quodque legatur in libro judicum nullum in Israel fuisse Regem?

XXIII. Sed Resp. 1. Quo sensu Moses l. c. Rex dicitur, eodem prorsus modo Judices quoque non semel Reges appellantur, illud in præced. jam dictum est, quod *Scriptura s. titulum istum non proprie sed minus proprie iis attribuat*. Nam si vox Regis proprie sumatur prout Aristot. Lib. iii. Polit. c. 16. accipit pro eo, qui κατὰ τὴν αὐτῦ βούλησιν πάντα πράττει, sic certe illis adscribi nequit. Argumentor ita *Q. nihil suo arbitrio, verum omnia ex alterius consilio in Reipubl. administratione peragit, ille non est summa potestate præditus*, *Atqui Moses, Josua & ἡγεμόνες &c. in Republ. Hebr. omnia ex Dei consilio peregerunt*, *Ergo*. *Et per* Conseq. nec Reges nec Monarchæ sunt dicendi. *Major* est Philosophi l. c. dicentis: ὁ κατὰ νόμον λεγόμενος βασιλεὺς, ὐκ ἔςιν εἶδος πολιτείας, quo ipso negat, tales improprie dictos Reges proprium constituere regiæ gubernationis speciem. Minor in præced. §. 19. ex Sacris demonstrata. Interim sua sponte sequitur, & *Mosen & Josuam & Judices accurate loquendo Magistratus proprie penesque eos qualemcunque cum judicandi, tum* imprimis *mandandi facultatem fuisse*.

XXIV. Dehin huc facit quod *Grotius* Lib. 1. de J. B. & P. c. 3. §. x. 1. 2. monet, *cavendum* esse, *ne decipiamur ambiguo nominis sono, aut rerum, externarum specie*, eamque ob causam ex Tacito, Livio, aliisque refert, *antiquos olim Reges autoritate suadendi, non potestate jubendi præfuisse, eosque autoritate magis, quam imperio rexisse*. Pari modo *de Lacædem. Regibus* refert C. *Nepos*, *Agesil.* c. 1. n. 2. it. de Reg. c. 1. n. 2. *eos nomine magis quam imperio, sive nomine, non potestate Reges fuisse*. Quod ipsum quoque de Regibus sub Theocratia, nomine tenus talibus dicendum est, cum *illo præsertim requisito, Regibus proprie dictis maxime necessario, non judicari a quoquam alio*, destituti fuerint. Quare si quæ Mosis & Judicum in aliquibus Juribus facultas fuit, ministerium potius Magistratuum, non vero imperium regnantium censendum est.

XXV. Tertio dicimus: nomen principis non denotare semper personam quæ est cum imperio, sed *principes etiam audire, quibus nulla in alios competit potestas, modo præ aliis vel virtute, vel dignitate, emineant, quales laudati illi duces omnino erant, qui nobilitate, prudentia ac sapientia alios excellebant*. Quod vero legitur in libro Judicum nullum fuisse Regem in Israel, ibi Regis nomine intelligi gubernatorem & ducem quemlibet, qui postea a Deo excitatus est, ipse Bertramus l. c. Cap. 9. fatetur expresseque Mosen, Josuam, & Judices, duces tantum fuisse, pari invicem facultate præditos, agnoscit.

XXVI. *Accedimus ad alteram classem, eorum sc. qui formam Reipubl. Hebr. Aristocraticam fuisse, existimant, ut idem Josephus, Lib.* iv. *Antiquit. cap.* 8. *Sigonius, Lib.* 1. *cap.* 5. *Lib.* vi. *cap.* 7. *multique alii, quos Arnisæus, Lib.* ii. *Rel. Polit. cap.* 4. *Sect.* 5. *citat, quorum sententiæ suum quoque calculum addit. Pollicem his premunt Bertramus, cap.* 6. *loc. cit. Grotius, Lib.* 1. *cit.* §. 20. *Schickardus de jure Reg. cap.* 1. §. 2. *Cunæus Lib.* 1. *cap.* 12. *aliique, quibus omnibus, præter Rabbinos persuasum fuit, penes Synedrium M.* τὸ Κύϱιον *in Rep. Hebr. stetisse. Ut assertum hoc stabiliant, duo inprimis loca ex Sacris afferunt, quorum alterum ex Num.* xi. *alterum ex Deuteron.* xvii. *desumunt*.

XXVII. Ut breviores simus quia jam §. 10. & 20. ex parte iis satisfactum, formaliter ad priorem locum ita Resp. *de qua materia fuit Mosis quæstio & querela, de eadem quoque fuit Dei responsio; sed quæstio & querela ejus non erat de civili quadam controversia, sed*

de

de indignante populo, quomodo sit reprimendus. Ergo & Resp. Major certa: quia quæstio & responsio circa eandem materiam versantur. *Minor* ex ipsius Textus vers. 5. & seq. constat. Dicendum proinde in oneris istius, quod Mosi impositum erat, levamen, non autem proprie Judiciorum moderamen LXX. illos viros lectos, adeoque rectius auxiliares oneris, nominandos esse.

XXVIII. Dein Autores citati sibi ipsis contrariantur. Josephum l. c. non æque accurate locutum esse, ac supra, quilibet videt. Sigonius loc. cit. cap. 5. it. Arnisæus loc. cit. n. 18. propria vineta cædunt. Reliqui, quia Rabbinis nimium tribuunt, falluntur, cum in loc. cit. de allatis, altum plane sit silentium.

XXIX. Alter locus contra ipsos potius adversarios militat. Non urgebo jam, nec assessorum numerum nec eorum qualitatem, nec reliqua Synedrii M. requisita eidem respondere, sed hoc tamen regero: ne inter ipsos quidem constare, quando, vel ubi, id ipsum cœperit! Hinc plerique doctiorum, missis Rabbinorum commentis, tempore Mosis, Josuæ & Judicum nullum plane Synedrii M. vestigium agnoscunt, huic ipsi loco allegato confisi, quod vers. 8. *Israelitæ jubentur ascendere ad locum, quem Deus illi elegerit*, quod vers. 10. repetitur, claro indicio, Judicium tale, occupata demum Palæstina, esse instituendum. Quo supposito, objectiones omnes in fumum abeunt. Plura non addam, sed *B. L. ad Joh. Vorstii Dissert. de Synedr. Conringii disp. laud.* §. 24. *B. D. Wendeleri Disp. de M. Jud. Synedr. & inprimis Job. Seldeni, tres integros libros, de Synedriis, in specie Lib.* 11. *cap.* 15. 16. remitto, qui intricatam hanc materiam prolixe & uberius ventilant.

XXX. *Quare, firmo adhuc talo nostra stat assertio: nimirum,* Deum T. O. M. *etsi Duces populo suo, Judicesque daret, Senatum etiam* LXX. *virorum sub Mose institueret; τὸ Κύϱιον tamen in neutrum horum contulisse, ut queas vel formam aliquam Monarchicam sub Mose & Josua, vel Aristocraticam sub aliquo Synedrio; vel Regni speciem sub Judicibus statuere; sed ipsissimum Deum, sicut omnia Majestatis jura solus, ut audivimus, usurpavit; ita etiam ipsam Majestatem sibi soli reservasse: donec tandem, mutata hac sanctissima Reipubl. forma* Theocratia, *populoque Regem hunc suum rejiciente, summam illam potestatem, volens quidem, sed magna cum indignatione, in Saulem & Successores ejus, postea transferret. Quorum ipsum quoque κύϱιον, peculiari Disp. Deo dante, reservabimus. Quod reliquum est,* Deo T. O. M. Regi Regum, Monarchæ Monarcharum, & Domino Dominantium, pro concessis viribus gratias agimus, dicimusque. S. D. G.

SALOMONIS DEYLINGII
EXERCITATIO
DE
ISRAELE JEHOVÆ DOMINIO.

BREVIARIUM.

I. *Adriani Houtuyni de Monarchia Hebræorum sententia.* II. *A viris eruditis rejicitur.* III. *An Moses regio jure & absoluta potestate Israelitis præfuerit?* IV. *Sententia Josephi.* V. *Contra Car. Sigonium evincitur sub Mose & judicibus Israelitarum non obtinuisse Aristocraticam regiminis formam.* VI. *Deus totius rerum universitatis Dominus. R. Jachiades notatur.* VII. *Singulare Dei dominium in priscos Israelitas ex fœdere cum iis inito. Dei Monarchia naturalis & civilis.* VIII. *Locus Ps.* CXIV. 2. *illustrandus. Kimchius laudatur.* IX. *Dilucida* Θεοκρατείας *testimonia ex Scripturis exhibentur.* X. *Deum apud Israelitas jura Majestatica exercuisse, & leges dedisse monstratur. Tolandi impietas.* XI. *Tabernaculum Dei, Israelitarum Regis, palatium.* XII. *Ejus famulitium, quod constituebant sacerdotes & Levitæ. Quo sensu Davidis filii,* 2. *Sam.* VIII. 18. כהנים *dicantur? Cur gens Hebræa* ממלכת כהנים *Exod.* XIX. 6. *vocata?* XIII. *Israelitarum judices a Deo regia auctoritate constituti.* XIV. *Deus sui populi dux de commeatu & amictu, aliisque necessitatibus large iis prospexit in deserto.* XV. *Ceteras strenui ac providi Imperatoris partes obivit.* XVI. *Populi Israelitici vindices rebus collapsis divinitus excitati & missi.* XVIII. *Ex divini hujus regiminis ratione multis Scripturæ locis lux affunditur.* XVIII. *Cur Israelitis nullum cum vicinis gentibus fœdus inire licuerit? Quid sit* fœdus pangere cum morte, & pactum inire cum inferno, *Esaiæ* XXVIII. 15. XIX. Gad & Meni libamen fundere, *Es.* LXV. 11. *Sententiæ interpretum. Nostra conjectura.* XX. *Cur falsus Propheta ultimo supplicio affici debuerit, Deut.* XIII. 5. XVIII. 20. *Dissensus interpretum. Jo. Clericus notatur. Nostra opinio.* XXI. *Cur nonnulla delicta apud Israelitas in foro civili manserint impunita? Qua ratione olim divortium censeri possit permissum fuisse cum polygamia Patrum?* XXII. *An Theocratiæ origo a rudioris seculi ingenio, aut bruti populi indole repetenda? Jo. Spencerus notatur.* XXIII. *Rectius derivatur ex Dei amore, populo patribusque luculenter declarato.* XXIV. *Hebræorum origines non adeo sordidas esse docetur, ut Tacitus, aliique auctores, eas descripserunt.* XXV. *Israeliticæ Reip. ad communem imprimis tranquillitatem accommodatæ præstantia.* XXVI. *Hebræi, divini regiminis pertæsi, Regem sibi poscunt humanum, Deo spreto, & ad indignationem provocato.* XXVII. *Saule & Davide ad rerum arbitrium evocatis, valde quidem imminutum, non tamen prorsus extinctum fuit civile hoc Dei dominium in Israelitas: Illius sub Regibus vestigia quædam & exempla.* XXVIII. *Lux nonnullis Scripturæ locis allata. Unde Regum objurgatio a Prophetis facta? verbi divini ministris hodie non imitanda.* XXIX. *Th. Hobbesius notatur.*

I. VIR Cl. *Adrianus Houtuyn*, Juris-Consultus Belga, emisso MDCLXXXV. Lugduni-Batavorum libello, cui titulum fecit *Monarchia Hebræorum*, probare conatus est, imperium in populum Hebræum inde ab Abrahamo usque ad gentis dispersionem monarchicum fuisse. Ab Abrahamo exorsus, hanc periodum, ad Mosen perduxit. A Mose ad Josuam perrexit. Inde ad Israelitarum Judices, ab his ad Reges, a Regibus per diversas tribus ad captivitatem. Inde ad Cyrum, a Cyro ad Alexandrum, ab hoc ad Seleucum, libertate sub Antiocho Epiphane strenue vindicata, percurrens Assamonæorum tempora, in Aristobulo Rege substitit, tandemque in Templi secundi excidio, cum gens & Respublica esse desiit, Monarchia civili ubique inventa, finivit. Occasionem scribendi sibi suppeditasse ait in-

inveteratum errorem, a Theologis profectum, qui nec civilia, nec publica didicerint jura. Hinc factum esse arbitratur, ut doctissimi viri jura summa vel optimatibus, vel toti populo, vel junctim utrique assererent, & putarent, Deo ab initio Regum imperia in populum fidelem displicuisse. Ubi naturæ humanæ limites ab illis transcendi putat, qui Theocratiam fuisse velint. A nemine equidem, cui mens saltim mediocriter sana sit, negari posse, Deum populo Hebræo imperasse per naturæ leges. Illum tamen imperandi modum non fuisse singularem. Eadem enim ratione Deum aliis etiam gentibus, vel invitis, olim præfuisse, & nunc universo terrarum orbi præesse. Quamvis igitur Deus Israelitas per solitudines deduxerit, monstraveritque, quando castra movere, ire, agere, metarique oporteret, ac præsens fuerit in Tabernaculo inter Cherubos, oraculo responderit, suamque significaverit voluntatem per diviniores vates; nullam tamen rationem esse ait, quæ in Theocratia, quam convellit, jubeat acquiescere. Neque enim ipsum Deum populo locutum. Nec quidquam egisse populum, nisi imperante Mose.

II. At vero haud difficulter demonstrari potest, apud Hebræos ante Saulem non exstitisse monarchiam civilem, qua summum imperium fuerit penes unum hominem, qui jura exercuerit majestatis. Nominari quippe nequit Princeps, qui leges tulerit, & jus dixerit, belliquc & pacis arbitrium, aut fœderum faciendorum & tributa indicendi, aut exigendi habuerit potestatem. Eminens ejuscemodi dominium neque Abrahamus tenuit, neque jura regia exercuit. Quippe qui inter peregrinos egit, tanquam privatus, & ne territorium quidem habuit. Multo minus Isaacus & Jacobus Regum titulo & potestate eminuerunt, quod utrumque tamen *Houtuynus* affirmat. De regno Mosis paullo speciosior est assertio. Populus enim tanto liberatori eo lubentius se subjecit, obsequiumque præstitit, quo plura divinæ missionis providentiæque argumenta, & beneficia a Mose profecta, exstabant. Illa autem omnia nequaquam efficiunt monarchiam civilem, quia populus Mosi paruit non ut Regi, sed ut legato & vicario Dei, cujus solius auspiciis & jussu omnia a Mose gesta sunt, qui tantum administravit imperium Jehovæ, quem populus junctis suffragiis sibi elegerat in Regem. Quod inde dilucide patet, quod Moses controversias graviores circa res sacras, aut civiles, ortas, non suo arbitrio, sed responsis divino oraculo datis, composuit, & determinavit, quemadmodum literis proditum habemus Exod. XVIII. v. 19. & Num. VII. 89. legum sanciendarum & interpretandarum potestate semper manente apud ipsum Deum, ad cujus arbitrium judiciumque summa rerum & consiliorum perpetuo redibat. Adeunda legendaque est *Rechembergii* pererudita Dissertatio de *Ficta Hebræorum Monarchia ante Regem Saulum*, *Adr. Houtuyno* opposita, quæ exstat inter Historico-Politicas *Tom.* I. *pag.* 334. *& seq.* Ceteras *Adriani* nostri nugas in *Politica*, ut appellat, *Contracta* divulgatas, opinionumque portenta, quale illud est, *leges Christi & doctrinam & interpretationem, ut vim definitivam & publicam haberent, a civili potestate pependisse l. c. p. m.* 195. impugnavit & protrivit vir summus *Sam. Pufendorfius* in Appendice ad librum de *Habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem p. m.* 169.

III. Mosen summo cum imperio Israelitis præfuisse dissentiens probare conatur tum ex actibus, regiæ potestatis indiciis, tum ex claris S. Scripturæ dictis, singulatim ex celebri isto loco, qui exstat Deut. XXXIII. 4. 5. ubi Moses Regis titulo diserte insignitur, quando populus ait: *Legem præcepit nobis Moses, hæreditatem Ecclesiæ* Jacob, *& fuit* מלך *Rex in* J*eschurum*, hoc est, *in Israel*, si quid fidei merentur Judæi perinde ac Christiani interpretes. Hæc verba *Houtuyn Cap.* II. *p.* 39. urget, & Jo. *Seldeni* suffragio *Lib.* II. *de Synedriis Cap.* 2. *Num.* 2. *p. m.* 517. munit, qui inculcat, Regem fuisse Mosen, summoque imperio gavisum. Ex eo Deuteronomii loco ansam arripuisse videtur *Philo*, Mosen appellandi ἄριστον ΒΑΣΙΛΕΑ καὶ νομοθέτην, *Libro de ejus Vita Lib.* III. *p. m.* 527. Consentit *Onkelos* Chaldæus, qui habet והוה בישראל מלכא *& fuit in Israele Rex*, quem Jonathan Paraphrastes ac *Syrus* interpres, & *Luth.* noster sequuntur. Notavit ad h. l. *Luc. Osiander*, Mosem in dirigendis & expediendis populi negotiis officium Regis fecisse. Hoc Scripturæ oraculo fretus Jac. *Bonfrerius* commentatur: *Nihil vetat Mosen Regem dici, utpote qui Monarchicum regimen totius populi habuerit*. H. Grotius *in Annot. ad h. l.* Mosen *non quidem nomine & pompa, sed jure Regio* populum gubernasse ait. Consentit Jo. *Steph. Menochius de Republ. Hebræorum Lib.* I. *Cap.* I. *Quæst.* IV. Inde tamen colligi nequit, summam imperii ita penes Mosen fuisse, ut suo arbitratu regioque jure Israelitis imperitaverit. Οἱ δικασταὶ & Judices

po-

populi Israelitici etiam veniunt titulo Regis, Jud. IX. *6.* XVII. *6.* & XVIII. 1. quos tamen constat regia & absoluta potestate nequaquam gavisos, sed Romanorum dictatoribus magis, quam Regibus similes fuisse. Etsi igitur Moses dictatoria quasi gavisus est potestate, Rex tamen ἀνυπεύθυνος non fuit, sed omnia Dei arbitratu & jussu, sicut ipse vice plus simplici profitetur, gessit, nec quidquam impensius desideravit, quam ut cuncta nutu & auctoritate Jehovæ, summi Israelitarum Regis atque Ducis, fierent, uniceque in illius cederent honorem.

IV. Quamvis igitur Moses & seniores aliquo cum imperio Israelitis præfuerint, *Josephus* tamen, diligentissimus rerum Judaicarum enarrator, regimen illud consulto non μοναρχίαν, aut ἀριστοκρατίαν, sed ΘΕΟΚΡΑΤΙΑΝ appellavit, quia Moses vicarium dumtaxat imperium gessit, & Remp. secundum Dei præcepta & responsa administravit. Quando enim asseruerat *Antiquit.* Judaic. *Lib.* IV. *Cap.* VIII. *f. m.* 160. & 172. §. 41. editionis Oxoniensis ab Jo. *Hudsono* nuper nitidissime evulgatæ, Deum fuisse populi Hebræi ἡγεμόνα & προστάτην, Duces vero ejus ὑποστρατηγοὺς πρόχοντας *imperatores vicarios*, vel legatos, paullo post *Libro* II. *contra Apionem* §. 16. *f. m.* 1376. scribit: Οὐκοῦν ἄπειροι μὲν αἱ κατὰ μέρος τῶν ἐθνῶν, vel ἐθῶν, ut mavult legere *Hudsonus*, καὶ τῶν νόμων παρὰ τοῖς ἅπασιν ἀνθρώποις διαφοραί, h. e. *Infinita quidem, si singula expendantur, morum atque legum toto passim hominum genere discrimina sunt.* Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων, *alii quippe uni tantum, paucis quibusdam alii, alii denique populo summam reipublicæ potestatem commiserunt.* Ὁ δὲ ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδοτιοῦν ἀπεῖδεν, ὡς δὲ ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον, θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς. *At legislator noster, hisce neglectis omnibus, Theocraticam reipublicæ formam, instituit, summo principatu Dei numini attributo.* Unde satis constat, Mosem aliosque Reipublicæ Israeliticæ proceres, quoad hæc regiminis forma duravit, vicariam tantum potestatem habuisse ac Pro-Reges fuisse. Conferatur *Fortunatus Scacchus Sacrorum Elæochrismatum Myrothecio secundo Cap.* LIII. *f. m.* 563.

V. *Carolus Sigonius de Republ. Hebræorum Lib.* 1. *Cap.* V. *p. m* 78. sub Mose, Josua, Senioribus & Judicibus Aristocraticam regiminis formam fuisse putavit. Quam sententiam Viri præstantissimi *Besoldus Discursu Politico de Aristocratia p. m.* 37. *Galatinus*, *Joachimus Stephani*, *Calvinus*, *Martyr*, *Danæus*, aliique secuti sunt. Sed ubi οἱ ἄριστοι summum imperium non tenent, ibi nullum locum habet Aristocratia. Constat autem ex historia sacra, jura majestatis summa in gente Hebræa isto tempore penes optimates non fuisse, sed apud Deum, qui ipse rebus agendis perpetuo præfuit. Neque *Josephus* isti sententiæ favet. Etsi enim *Lib.* IV. *Antiqu. Cap.* VIII. §. 17. *f.* 164. in suo ad Israelitas alloquio Aristocratiam seu Optimatum regimen, καὶ τὸν κατ' αὐτὴν βίον, tanquam κράτιστον commendat, facile tamen cum ex loco antea prolato, tum ex his ipsis, quæ proxime sequuntur verbis, facile intelligitur, vocabulum ἀριστοκρατίας non politico, sed grammatico sensu hic exponendum esse. Subjicit enim τὸν Θεὸν ἡγεμόνα εἶναι. *Deum gubernatorem esse* Israelitarum. Propterea nulla Reipublicæ forma, ab *Aristotele* descripta, Israelitico regimini applicari potest. Omnes quippe humanarum Rerumpubl. formæ tales sunt, ut τὸ κύριον, sive summa gerendarum potestas penes homines sit, quod secus hic se habet. Videatur *Melchior Leydekkerus in Notis ad P. Cunæi Remp. Hebræorum Lib.* V. *Cap.* 1. *f. m.* 267. & Jo. *Nicolai* ad *Sigonium l. c. p. m.* 79. nec non Jo *Wandalinus Lib.* III. *de Jure Regio Cap.* II. *pag.* 287. & *seq.* & *Herm. Conringius* de *Republica Hebræorum* §. VIII. XL. & XLVII.

VI. Jehova hujus universitatis, quam late patet, Dominus est, omniumque arbiter & moderator rerum. Deum Regem esse, & Dominum, res ab eo conditæ loquuntur, ipsique Athei, interna animi convictione constricti, sentiunt nolentes. Hanc ob causam Deus Rabbinis dicitur מלך העולם *Rex mundi*. Confer Dan. IV. 31. 34. & Ps. XLVII. 2. Illius imperio astra subsunt, mare obtemperat, neque anni tempestates temporumque vicissitudines obsequium detrectant. Parent cœlestes genii, & ipsimet diaboli, non obstante eorum ferocia odioque, jussa divina exsequi coguntur. Cum igitur *divina* πρόνοια *cuncta gubernet*, Sap. XIV. 3. facile apparet, falli Judæos, dum fabulantur, omnes in orbe gentes præter solos Israelitas adeo a Deo negligi, ut per astra duntaxat & Angelos, quibus hanc curam Deus commiserit, gubernentur. Quam verporum opinionem non obscure prodidit *Josephus Jachiades* in sua ad Danielem *Paraphrasi*, qua Judæis spem imminentis liberatio-

nis

nis facere voluit, & quam *Constant. L' Empereur* cum versione & animadversionibus edidit. Commentaturus enim in Caput Danielis VII. v. 3. inculcat, gentes esse חלק האלילים אשר הם עובדים *portionem idolorum, quæ colant*, ולא חלק ה׳ *non autem portionem* & peculium Dei, quemadmodum Israelitæ. Ideo illius etiam providentia non gubernari. Quicquid illis vel boni vel mali contingat, id naturæ esse, quæ hunc deprimat & illum extollat, prout determinent sidera & stellæ. Videatur *Melch. Leidekkerus l. c. f. m.* 270.

VII. Præter hoc universale in omnes creaturas imperium Jehova in prisco etiam Israele sibi erexit constituitque dominatum, qui civilis regiminis formam habuit. Universo orbi creationis præest jure, suæque potentiæ vi, quam a prima inde rerum origine exercuit. In Israelitas autem, tanquam Rex, summum imperium tenuit jure fœderis, & solemnis pacti, quo rerum summa ei delata, & Deus pro Rege agnitus salutatusque fuit. Solemnia fœderis, quo Deus se populo, populumque, exuto Pharaonis jugo in libertatem vindicatum & ad obsequentiam pronum, sibi obstrinxit, describuntur Exod. XXIV. Veteres fœdus inituri puras mactabant victimas, quarum sanguine fœderati adspergebantur, instituto quoque de parte carnis convivio. Idem in pangendo Deum inter & Israelitas fœdere Moses observavit, qui cæsis ex more hostiis, sanguinem sparsit super altare, quod Dei vicem locumque occupabat. Parte altera adspersit populum, his usus verbis *v.* 8. *Hic est sanguis ille fœderis, quod pepigit vobiscum Jehova super cunctis sermonibus hisce*. Paullo post Moses & Aaron, Nadab & Abihu cum LXX. senatu virorum, qui populi personam gerebant, adscenderunt in montem, ubi, conspecta summi Numinis gloria, sacris divinæ mensæ epulis admoti, ederunt, biberuntque *versu* XI. Ob duplex hocce regimen Dominus Jehova nunc *Rex gentium, & universæ terræ*, Ps. XLVII. 2. nunc *Rex Israelis* appellatur, Zephan. III. 15. Recte proinde Monarchia Dei distinguitur in *naturalem*, quæ universalis est, & in *civilem*, quæ rerum Israelitarum complectitur curam regimenque.

VIII. Deum in populo Hebræo principatum tenuisse, & Rempublicam administrasse, clare intelligitur ex oraculo Davidico Psalmi CXIV. 2. quod illustrandum sumsimus. Ibi enim Israel dicitur ממשלות יהוה *dominationes Jehovæ*, hoc est, populus, in quem Deus peculiari, multiplicique ratione dominatus, & qui præ ceteris nationibus divinam providentiam dominiumque expertus est. Horum verborum sensum non inscite exposuit & declaravit *R. David Kimchius* in Commentario ad h. l. Israelem enim *Dei Dominium* dici censet, ut innuatur, Jehovam eum accepisse בחלקו *in portione* vel parte *sua* שלא היו בממשלות מצרים *ut* Israelitæ ex diuturna servitute erepti, & in libertatem asserti, *non amplius essent sub potestate Ægyptiorum* אלא בממשלותו *sed sub potestate ejus (Dei)* והיתה ממשלת וממלכת בפני עצמה לא ברשות אחר אלא ברשות האל יתברך *imo ut fierent dominium & regnum sui juris, quod non subesset potestati alterius, sed solius Dei benedicti*, secundum Exod. XIX. 6. ממלכת כהנים וגוי קדוש כלומר תהיו לי כהנים ומשרתים לא עברים לעם אחר *& eritis mihi regnum sacerdotale, id est, eritis regnum pro vobismet ipsis, itemque sacerdotes ac ministri mei, non populi alieni*. Hoc Dei dominium in priscos Israelitas uberius describemus, insignem simul hujus doctrinæ utilitatem in illustrandis plurimis S. Scripturæ locis ostensuri.

IX. Divini hujus regiminis rationem non ignorarunt prisci Israelitarum Duces. Moses ad Dei arbitrium omnia retulit. Gideon heros fortissimus & Midianitarum victor, potestatem regiam a populo sibi posterisque suis oblatam, tanquam rem sacram & soli Deo competentem aversatus, his verbis deprecatur: *Non dominabor in vos ipse, neque filius meus habebit dominium in vos, sed dominabitur in vos Jehova*, Judic. VIII. 23. Inde clare apparet, penes Judices populi Israelitici eo tempore non fuisse rerum summam, sive Monarchiam. Id quod contra *Adrianum Houtuynum* notamus, qui *Cap.* IV. *p.* 83. judicibus jus summum adsignavit. Potestas enim eorum, quos sacri annales appellant δικαστὰς, *judices*, & qui a præeundo edicendoque Prætores & Dictatores dici poterant, *P. Cunæo* observante *de Rep. Hebr. Libr.* I. *Cap.* 12. non fuit ἀνυπεύθυνος, nec perpetua, sed vicaria & temporaria. *Flavius* quidem *Josephus* vocavit Monarchas. Sed idem nomen *Syllæ* etiam, *Cinnæ*, *Mario*, aliisque dictatoribus Romanis Græci dederunt. Abimelechus equidem diadema Regium affectavit, obtinuitque reguli titulum, Jud. IX. 6. sed citra Dei nutum, & contra Theocratiæ jam constitutæ rationes. Idcirco regimen ejus minus prosperum, nec diuturnum fuit. Tandem cum, Simsone sublato, Jud. XVII. v. 6. dicitur, illo tempore *non fuisse Regem in Israele*, facile cum ex hi-

historia illorum temporum, tum ex status publici ratione, & S. Scripturæ usu apparet, *Regis* titulum pro gubernatore populi vicario ac judice accipiendum & exponendum esse. Deus ipse declaravit, se summum apud Israelitas principatum tenuisse. Nam Samuelem, vota populi, Regem postulantis, moleste ferentem, consolaturus, his affatur verbis: *Non te, sed me spreverunt* ממלך עליהם LXX. τὸ μὴ βασιλεύειν ἐπ' αὐτῶν, *ne regnem super eos*, civilemque ac summam Regis potestatem in eos exerceam. Huc usque enim Israelitæ fuerant ממשלות יהוה *dominium Jehovæ*, sive μερὶς κυρίου, interprete *Siracide* Cap. XVII. 14. Huc pertinent nomina Regia, quæ Deo in sacris literis tribuuntur, in quibus passim appellatur המלך *Rex*, & מלך רב, μέγας βασιλεύς, *Rex magnus*, Matth. V. 35. Frequentissime appellatur אלהים, quam notionem illustre potestatis regiæ, qua Hebræorum genti præfuit, documentum esse putarunt *Hugo Grotius*, & Jo. *Spencerus de Leg. Hebr. Ritual. p. m.* 305. In Scripturis certe magnatibus, Principibus, judicibus, & Angelis sæpe tribuitur. Videatur *Val. Schindleri Lexicon. f.* 79.

X. Neque nomen solum Regis gessit Deus, sed summi quoque imperii clavum apud Israelitas tenuit, regia potestate palam & frequenter usus. Summi Principis insigne est legum ferendarum facultas. Jehova legibus magna cum majestate cœlitus latis, quibus omnes Præfectos, & cives & Reipublicæ subjectos esse voluit, satis demonstravit, se Israelitarum Regem esse. Nam convocato ad radices montis Sinai populo, ipse e montis cacumine, coruscantibus fulgetris, crepitantibus tonitruis, aliisque divinæ præsentiæ, majestatis, & potestatis indiciis sese manifestavit, & leges promulgavit Exodi XIX. 16. XX. 1. sanctis, justas, æquissimas, & Reip. Hebrææ maxime convenientes, proficuasque. Laudent alii leges Lycurgi & Atticorum, aut XII. Romanorum tabulas. Quicquid istæ habuerunt præclarum & laude dignum, id omne vel ex legibus divinis haustum, aut in his multo exquisitius expressum continetur. Ubi insignem *Jo. Tolandi* castigamus & detestamur impietatem, quando in *Adeisidem. p.* 9. & *Origin. Jud. p.* 104. *Strabonem* Geographum secutus, Mosem gentium Prophetis & Legislatoribus adnumeravit, putavitque, eum eodem commenti genere usum esse, leges suas ad Deum auctorem referendo, quali usi sint *Lycurgus Minos*, cæterique impostores. Quorum hic a Jove in antro Dictæo, ille ab Apolline sua repetiverint, *ut homines nempe divina auctoritate devincti, legibus ab ipsis prolatis libentius obedirent*.

XI. Vetusti orientis Reges splendida inhabitabant domicilia, & tentoria, quæ Græcis auctoribus χρύσεοι οὐράνισκοι dicebantur, quia auro exquisite & splendide ornata, terrestrium quasi Numinum habitacula erant. A Regum responsis, quæ velut oracula censebantur, dici quoque solebant ἐπιφανεῖς καὶ χρηματιστικαὶ σκηναί, *tentoria illustria & oracularia*, quo nomine *Polybius* Ptolomæi Evergetis cœlum insignivit. Videatur *Herm. Witsii* Oratio de Theocratia Israelitarum §. X. Ita Deus ne hac quidem parte maximi orientis Regibus inferior esse voluit. Populo enim in clientelam recepto, initoque atque firmato fœdere, jam tum in vasta Arabiæ solitudine magnificum sibi parari instruique jussit Tabernaculum, quod elegantissima cœli imago, & præstantissima supellectili, auro, argento, gemmisque ubique splendentibus, ornatum, variisque receptaculis distinctum erat. Exterius atrium patebat populo, nulla immunditie polluto, ad obsequia precesque Regi suo offerendas. In sanctuarium, tanquam aulam palatii interiorem, & sanctiorem, soli admittebantur sacerdotes, veluti Purpurati, Regisque amici. In intimo penetrali, nulli mortalium præter Pontificem adeundo, quod קדש קדשים *sanctissimum* dicebatur, divinæ gloriæ thronus, & singulare gratiosæ præsentiæ symbolum erat. Hic Deus cherubis insidens consulentibus in rebus dubiis responsa dabat. Inde precibus votisque annuebat, ac propitium sese declarabat, illato sparsoque versus propitiatorium sanguine victimarum piaculari.

XII. Neque famulitium defuit, tanto Rege palatioque dignum. Nam ut cuncta ad decorem tantæ majestatis composita erant, ita sacerdotes Aaronidæ labis vitiique expertes, & candidis vestibus ornate induti cum Levitis, tanquam inferioris ordinis famulis, die noctuque Deo Regi ministrabant. Propterea sacerdotes non solum קרבים *Deo propinqui*, & quasi interioris admissionis famuli, sed & כהנים solebant dici. Quæ vox Hebræorum sermone principes Regis ministros, in honorabili ministerio constitutos, proprie notat. Hanc vocis notionem dilucide probat illud Dei præceptum, Exod. XXVII. 1. quo Aaronem ejusque filios adduci jussit לכהנו לי *ut serviant mihi*, sive *Chaldæo* interprete, לשמשא קדמי *ut ministrent coram me*, & pe-

penetrale & ſanctuarium miniſtrandi cauſſa adeant. Olim enim vocem כהן & miniſtrandi & appropinquandi ſignificationem habuiſſe, viri eruditi promte colligunt ex 2. Sam. VIII. 18. ubi filii Davidis dicuntur כהנים, quia Regis lateri proxime aderant, ei a ſecretioribus conſiliis futuri. Quo ſenſu 1. Chron. XVIII. 17. appellantur ראשונים ליד המלך *viri principes ad manum Regis*. Deinde ſacerdotibus, tanquam primariis Dei miniſtris, quibus penetrale & ſanctuarium tanquam interiores Regiæ præſentiæ cameras & habitacula, adire licebat, ea vox ceſſit. Horum miniſtrorum non exiguus erat numerus, ſuis ordinibus diſcretus, variiſque functionibus deſtinatus. Alii mactabant victimas, alii erant a cuſtodia, alii Muſicæ dabant operam, & dum flagrabant holocauſta, ac vinum rite libabatur, voce fidibuſque & aliis inſtrumentis, veluti inter epulas regias, canebant. Inter eos eminebat Pontifex Maximus, vix ſine ſtupore ſummaque admiratione viſus. Ejus quippe ornatu nihil præſtantius cogitari poteſt. Ille curam totius Reipublicæ, ac ſacrorum imprimis, gerebat, populumque ritu ſolemni, Levit. XVI. expiaturus, quotannis in ſanctiſſimum & intimum Dei domicilium intrabat, & throno divino appropinquabat, tanquam interpres & mediator Deum inter & populum conſtitutus. In cauſſis difficilioribus ſacerdotes adiri, eorumque ſententia, ex lege, aut oraculo divino depromta, in qua populus acquieſceret, explorari poterat, Deut. XVII. 8. 9. Inde ratio redditur, cur Deus gentem Hebræam vocaverit ממלכת כהנים *regnum ſacerdotum*, Exodi XIX. 6. Ex hac Reipublicæ Hebrææ deſcriptione *Th. Hobbeſius* in *Leviath. Cap.* XL. *p.* 223. & *de Cive Cap.* XVI. §. XIV. collegit, poſt Moſem imperium, hoc eſt, *ſummam belli & pacis poteſtatem*, ut ait *Hobbeſius*, penes ſummum Pontificem Eleaſarum fuiſſe, quippe cui poteſtas imperandi abſoluta a Deo fuerit commiſſa, Num. XXVII. 18. 19. 20. 21. Sed hoc in loco nihil docetur aliud, quam quod Joſua, rerum ſummam, divinitus conceſſam, rite adminiſtraturus, S. Pontificem propter rationem officii conſulere debuerit. Eleazar ſane ſummæ poteſtatis jura exercuit nunquam. Videantur *Adr. Houtuyn. l. c. Cap.* III. & *Jo. Spencerus l. c. p. m.* 311.

XIII. Huc referri debent actiones ceteræ, regio faſtigio dignæ, quæ Deo in Scripturis adſcribuntur. Regis eſt, jus dicere civibus, populique ſaluti proſpicere, Reipublicæ, ne quid detrimenti capiat, curam gerere, ac ſubditos ab hoſtium inſultibus defendere, ductoque in eos exercitu, illatas injurias vindicare. Has regii muneris partes enumerant Iſraelitæ, Regem humanum poſtulantes, 1. Sam. VIII. 19. 20. *ut nobis præſit, judicet nos, & egrediatur in conſpectu noſtro, & pugnet bella noſtra.* Hæc ſingula & univerſa Deus abunde præſtitit, omneſque Regis ac Imperatoris numeros explevit. Leges, judicii normas, non ſolum ſanxit, ſed pœnas etiam edixit, legum tranſgreſſoribus irrogandas, Lev. XXIV. 12. Num. XV. 35. populumque judicavit, & viros pietate, prudentia ac fortitudine inſignes, doniſque inſtructos neceſſariis, conſtituit, & cum ad res feliciter gerendas, tum ad jus dicendum evocavit. Hi regni quaſi ſtatores erant, & quia poteſtate magis leges exequendi, quam condendi, gaudebant, non Reges, ſed שפטים *Judices* dicebantur, quo titulo olim apud Tyrios, Phœnices, & Carthaginenſes, Tyriorum traduces, ordinis inferioris magiſtratus ſolebant inſigniri, ſicut *H. Grotius* notavit ad Deut. XVII. 9. Tales interreges & שפטים *Joſephus*, Acta Tyriorum in Græcum vertens, adverſus *Apionem* Libro priore vertit δικαςάς. Ad cauſſas minoris momenti diluendas, ubivis fere locorum conſtituti erant judices inferiores, quibus ſolicite inculcabatur, judicium non hominum, ſed Dei eſſe Deut. 1. 17. Caſus vero difficiliores, legibus non definitos, munuſve dilucidos, ſibi elucidandos reſervavit Deus, de iiſque per Moſen aut Pontificem M. conſultus, ex æquo & bono pronunciavit, quemadmodum ex reſponſo, filiabus Zelophehad dato, Num. XXVII. 7. apparet, quo caſum ſingularem de familia herciſcunda definivit.

XIV. Præterea Iſraelitis in vaſta ſteriliique Arabiæ ſolitudine palantibus, & commeatu deſtitutis, fameque ac ſiti miſere perituris, de victu & amictu per XL. annos largiter proſpexit, miſſo pane de cœlo, eductiſque ex duriſſima rupe, Moſis baculo percuſſa, aquæ potulentæ rivis, effecitque, ne veſtimenta eorum veteraſcerent, aut calcei longo uſu detererentur, quæ res maximis prodigiis non immerito adnumerantur. Quid dicam de reliquis providi regiminis, divinique præſidii documentis, quæ David in illo carmine, unde noſtrum oraculum decerptum eſt, in laudem Dei decantat? Nam poſtquam *Iſrael* factus eſt *Jehovæ Dominium*, *vidit mare & profugit, Jordan divertit retrorſum. Subſilierunt montes, velut arietes, colles, ut ſubru-*

brumæ pecudes. Quid tibi, mare, cur fugeres? O Jarden, cur diverteres retrorsum? Quid vobis; montes, cur subsiliretis, ut arietes, colles, ut subrumæ pecudes? Ad præsentiam Domini contremuit terra, ad præsentiam Dei Jacobi, qui mutat rupem in stagnum aquarum, saxum adamantinum in fontem rivorum. Ps. CXIV.

XV. Ad Regis Majestatem pertinet jus belli suscipiendi & gerendi, nec non pacis faciendæ cura. Neque hac in parte regio muneri Jehova defuit. Ejus nutu gerebatur bellum, ejus auspiciis ibatur in hostem, aciesque struebantur, & quæ tribus in prima acie collocanda, a quibus pugnæ faciendum esset initium, ceteraque, divino oraculo definiebantur. Ipse *Houtuynus p.* 33. fateri cogitur, expeditiones Mosis in Amalekitas & Ammonitas, summi Numinis jussu susceptas, *bella Dei* fuisse, ab iis distincta, quæ ab Hebræis ad proferendos fines, gloriamque imperii amplificandam, suscepta leguntur, & discriminis caussa *regni bella* dicuntur. Videantur *H. Grotius* ad 1. Sam. XVII. 47. & XXV. 28. *Schickardus de Jure Reg. Hebr. Cap.* V. *Theorem.* 16. 17. *Jo. Seldenus de Jure Naturæ & Gent. Lib.* VI. *Cap.* 12. *de Synedriis Hebræorum Lib.* III. *Cap.* 12. & *P. Cunæus de Rep. Hebr. Lib.* II. *Cap.* 19. Divinis igitur auspiciis & arbitratu expugnabantur urbes, delebantur exercitus, exscindebantur gentes, initisque pacis conditionibus exuebantur arma. Agmen, in vastis Arabiæ solitudinibus iter facturum, præibat arca, luculentum Jehovæ præsentis symbolum, & duce nubis ignisque columna, monstrabat loca, castris ponendis opportuna. In medio castrorum constitutum erat Tabernaculum Dei, Israelitarum Regis & Imperatoris, unde exercitum prospiciebat, & per quem copias lustraturus ambulabat, Deut. XXIII. 14. Proximum a prætorio locum tenebant Levitæ, tanquam satellites Regis, & excubiatores, aulæque regiæ ministri. Reliquus exercitus, in quatuor agmina distributus, circum Tabernaculum Jehovæ, tanquam Ducis sui & Imperatoris, tentoria collocabat. Nostris Ducibus, in hosticum ituris, insuperabiles sæpe objiciuntur difficultates. Dei vero ductu invia complanabantur, superabantur montium juga, maria & fluvii maximi, pontibus vix jungendi, repente exarescebant, facilemque, aquis consistere jussis, trajectum præbebant, Exod. XIV. & Josuæ III. 11. Perinsigne hoc Dei beneficium Josua non solum in publicis regni comitiis in memoriam revocavit populo, in terram Cananæam introducto, Cap. XXIII. 3. 10. inculcans, Deum ipsum pugnasse pro illis, hostesque devicisse, & exscidisse, sed David etiam, aliique vates, idem sæpe repetiverunt & decantarunt. Eam ob caussam Deus 1. Sam. XV. 29. vocatur נצח ישראל *Victor & Triumphator in Israele*, nec non יהוה צבאות *Dominus exercituum*, sicut vicissim copiæ Israeliticæ צבאות יהוה *exercitus Jehovæ* dici solebant. Psalmo XXIV. 8. salutatur מלך הכבוד יהוה עזוז ונבור יהוה נבור מלחמה *Rex gloriæ, Dominus fortis & potens, Dominus potens bello*, quia in Israelitarum exercitu summi Ducis nomen officiumque olim tenuit, plurimaque potentiæ bellicæ specimina edidit.

XVI. Inde satis superque intelligitur, Mosem, Josuam, aliosque judices ac Præsides populi, res suo arbitratu nequaquam gessisse, sed imperio vicario, & suis limitibus circumscripto usos esse. Hanc ob caussam omnem pompam, regiique fastigii insignia declinarunt. Neque enim diademate redimiti, aut satellitibus stipati, Regum orientalium ritu, in publicum prodierunt, nec Regio apparatu tituloque, aut throno usi sunt. Apparet etiam ratio, cur Deus in rebus adversis & conclamatis cœlesti aliquo judicio, vel immediato sui Spiritus afflatu, exciverit, constitueritque vindices, & rerum administros, qui sua fortitudine & auctoritate collapsum Reip. statum in integrum restituerent, regnique statores ac conservatores essent. Ita Judicum III. 10. cum Israelitæ, externo dominatu pressi, divinum auxilium efflagitarent, *Othnielem* excitavit, deditque judicem, & heroem, qui populum in libertatem assereret. Ejusmodi Præsides nil aliud erant, quam Dei, summi Regis, vicarii & legati, Proreges & rerum administri.

XVII. Inde quoque ratio reddi potest, cur, antiquissimo præsertim tempore, nemo ad munus publicum & civile sine Dei consensu fuerit admissus? Non alii Judices & Prætores in civitatibus constitui poterant, quam quos Deus Rex summus designabat, Num. XI. 16. 17. Deut. XVI. 18. Nec Pro-Regem instituere licebat sine Dei consensu & voluntate, Deut. XVII. 15. Oseæ VIII. 4. Simili ratione declarari & elucidari potest quæstio, cur sicli dimidium tributi loco ab omnibus, annum vigesimum supergressis, Deo solvendum fuerit? Cur item Israelitis nulla cum vicinis gentibus fœdera licuerit pangere, vel pacem sancire, nisi venia consensuque prius a Domino impetrato. Nam Jehova populi

Rex

Rex & Dux erat. Quare peccarunt Josua, populique proceres Josuæ IX. 14. 16. fœdus facientes cum Gabahonitis, inconsulto ore Jehovæ, qui per Pontificem Max. pallio sacro indutum, & collari ornatum, interrogatus, responsa consiliaque suggerere solebat. Bella suscipi feliciterque geri haud poterant, nisi explorato expectatoque Dei consensu atque mandato, quia Jehova Rex & summus belli arbiter ac Dux erat, ad cujus unius arbitrium rerum gerendarum summa cum ipsa legum fœderumque sanciendorum potestate pertinebat. Quare gravi peccato se obstrinxerunt Israelitæ, Judic. XX. 18. eo, quod, sua freti multitudine, & virtute, consilium ceperunt de bello persequenda Benjaminitarum tribu, Deo inconsulto. Quamvis enim Benjaminitæ flagitium admisissent, in Republica populi Hebræi non ferendum, fas tamen & æquum, quin & necesse erat, ut Jehova antea consuleretur, quam fratrum tribum delere aggrederentur. Suæ igitur temeritatis præcipitisque consilii pœnas non exiguas dederunt. Inde lucem accipiunt leges de paucis equis & machinis bellicis habendis, nec non de copiis militum ad paucitatem reducendis, Deut. XVII. 16. Jud. VII. 2. 4. in præsens, mutato Theocratiæ statu, a nobis non observandæ.

XVIII. Et quandoquidem Jehova sui populi robur, ac defensor socia opera non indigebat, & in eum solum fiducia collocanda erat, idcirco Israelitis nullum cum vicinis gentibus fœdus inire licebat. Quippe quod, præsente Deo, diffidentis animi indicium, & manifesta eo tempore idololatria erat, & scortatio spiritualis vocabatur, ob quam Judæi multoties leguntur reprehensi, quando in fœdere cum gentili rege præsidium quærebant, vel Monarchæ, a quo sibi metuebant, nimium adulabantur. Peccati fœditatem descripsit Ezechiel. Cap. XVI. v. 26. 28. & 29. Hoc ipsum Esaiæ XXVIII. 15. dicitur כרת ברית את מות *fœdus pangere cum morte, & pactum inire* עם שאול *cum inferno*, id est, cum Monarcha, cuncta alia regna deglutiente, sive cum principibus præpotentibus, a quorum ferocia & indignatione variæ injuriæ, & ipsummet exitium metuendum erat. Ut in Scripturis *Vita* omnis salutis caussa & signum est, sic *mors* sistitur, ut caussa & emblema omnis calamitatis, atque interitus. שאול figurate notat vastam illam voraginem, quæ viventes absumit & tetra caligine condit. Et quemadmodum מות *mors*, atque שאול *infernus* omnes viventes insatiabili cupiditate absorbet & deglutit, sic principes potentes ac ambitiosi, provinciis subigendis ac hominibus deglutiendis inhiantes, cum morte & inferno eleganter comparantur. Huc pertinet locus Habakuki II. II. 5. de Chaldæorum Rege dicentis: *Dilatavit* כשאול נפשו *instar inferni animam suam, &* כמות *instar mortis, quæ non satiatur, colligens ad se omnes gentes, & congregans ad se omnes populos.* Sic in laudato Esaiæ loco *mors* atque *infernus* nihil aliud, quam terribilem aliquem gentium vastatorem notant, cum quo proceres Judæorum profani, spreto Dei auxilio, fœdus pepigisse memorantur, rati persuasique, שוט שוטף *flagellum inundans*, sive exercitum hostilem, aliis provinciis exitium allaturum, ad se non venturum, & sese sub tanti Monarchæ præsidio tutos fore. Consentit *Campeg. Vitringa ad h. l.*

XIX. Alibi idem divinior vates reprehendit illos, quid *Gad* ac *Meni* libamen fundebant, mensamque instruebant, Es. XLV. 11. Dici vix potest, quantopere in exponendo hoc oraculo dissentiant viri eruditi. Plerique putarunt, hoc *Gadi & Meni* cultu Prophetam allusisse ad antiquos idololatrarum ritus. In hoc campo erudite diligenterque se exercuerunt viri præstantissimi, & in literis egregie versati, *Jo. Seldenus* in Syntagmate primo *de Diis Syris, Cap.* I. *Nic. Fullerus Lib.* V. *Miscell. S. Cap.* XVII. *Jo. Spencerus de Leg. Hebr. Rit. Lib.* III. *Diss.* II. *p. m.* 969. & VIII. *p.* 1487. *P. D. Huetius in Observationibus & Notis ad Origenis Commentaria f. m.* 108. nec non in libello, superiori anno Parisiis emisso, sub titulo *Huetiana*, où *Pensées Diverses p.* 335. & *Anton. Bynæus in Calceis Vet. Hebr. Lib.* I. *Cap.* IX. *p. m.* 136. Recentissimus Esaiæ interpres, *Campegius Vitringa ad h. l.* per *Gadum* intelligit Apollinem sive Solem, & per *Meni* Lunam, a Syris & Phœnicibus nomine Astartæ sive Οὐρανίης olim cultam. Idem antea in mentem venerat *Petro Juriæo, in Historia Dogmatum & Cultuum bonorum & malorum, P.* IV. *Cap.* I. *p. m.* 701. Jo. *Spencerus* voce *Meni* heroem Ægyptium, Mose priorem ætate, civitateque ac consortio cœlesti donatum, intelligendum censuit. Sed quid impedit, quo minus simplicissime *Gad & Meni* exponamus de exercitu hostili, & de *turmis*, iisque *copiosis* potentissimorum regum, quorum gratiam Judæi, astutis carnis suæ consiliis confisi, neglecta spretaque Dei ope, solicite ambiebant, & quibus adulari, ac divinum quasi cultum deferre solebant. Hanc ob caussam re-

prehenduntur ab Esaia, tanquam idololatræ הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך, *instruentes Gado mensam, & fundentes Meni libamen*. Certum quippe est, מני esse a מנה numeravit, & *Gad* notare turmas a גדד. Hanc certe significationem Jacobus Patriarcha, alludendo ad nomen filii sui Gad, supponit Genes. XLIX. 19. Neque tamen necesse est, ut גד cum *Aben Esra* per גדודי השמים *turmas cœlestes*, aut cum *Spencero de sidere fortunato*, explicemus, aut eximium & singulare quoddam idolum a Propheta designari cum *Nicol. Fullero l. c. p. m.* 83. putemus.

XX. Quando falsus propheta & impostor ac idolorum cultor, Deut. XIII. 5. XVIII. 20. ultimo supplicio dicitur afficiendus, Romano-Catholici, præeunte *Rob. Bellarmino Lib.* III. *de Laicis*, *Cap.* XXI. *f.* 1820. *Controversiarum Tom.* I. inde colligunt, hæreticos, ab Ecclesia damnatos, morte mulctari posse. Hoc interpretamentum repugnat sententiæ & praxi veteris Ecclesiæ, & doctrinæ Apostoli Paulli, qui hæreticum non occidere, sed vitare jussit, Tit. III. 10. quinimo claro Servatoris nostri mandato, qui Matth. VII. 15. falsos doctores non occidi, sed vitari voluit, & præcepit Matth. XIII. 30. ut servi zizania sinerent crescere, in magno demum & decretorio illo die igne infernali comburenda. Dissentiunt interpretes in his Scripturæ dictis rite conciliandis. *Jo. Adam Osiander in Comm. ad Deut.* XIII. 5. *f.* 122. *Th. Bezam*, hæreticos a magistratu capitaliter puniendos esse docentem, refutaturus, & ad hunc locum responsurus, monet, magnam esse disparitatem inter hæreticos N. T. & Pseudo-Prophetas V. T. ut ratione culpæ, sic & ratione pœnæ. Qua autem in re illa diversitas consistat, & unde oriatur, non definivit. Audiamus *Jo. Clericum*, supplicii, de falso doctore sumendi, rationem redditurum, *in Notis* ad eundem Deuteronomii locum *f. m.* 530. *Certe nulla ratione defendi potuit, qui dixisset male facere Israelitas, qui colerent creatorem cœli & terræ; aut perperam ei tribuere prodigia in sui gratiam facta. Nemo potuit præter hominem nequam, & αὐτοκατάκριτον, proponere Hebræis alium Deum colendum, præter omnium rerum Creatorem, a quo, tot editis prodigiis, ab omnibus gentibus discriminati fuerant. Nemo dicere potuit Solem, aut Lunam, aut aliud sidus, terramve aut aquam, aut aerem, & multo minus homines in Deorum numerum relatos, digniores esse, qui colerentur ab Hebræis, æterno Numine, a quo omnia creata sunt; nisi furiosus esset, aut vir malus, qui aliud quam religionem spectaret. Hæc est potissimam ratio capitalis supplicii, quo hæc lex sancita est, & quæ sponte sese rem paullo adtentius pensitantibus ingerit*. Sed miramur, tantum Criticum, & sacrarum literarum enarratorem, tam parum attulisse, exspectatione dignum. Sit aliquis homo nequam, vir malus ac furiosus, nec ulla ratione defendi possit ejus malitia, num idcirco morte mulctandus erit? Nostra opinione hæc legis divinæ & supplicii capitalis caussa non aliunde rectius, quam ex Θεοκρατίας ratione arcessitur. Nam ejusmodi homo, contra summum Numen tam enormiter peccans, non tantum considerandus est, ut somniator, & impostor, sed ut subditus, & Reipublicæ Hebraicæ civis, qui, præter falsæ doctrinæ promulgationem, crimen quoque læsæ majestatis regiæ committebat, quia rebellionis auctor erat, & populum ad defectionem a Deo, Israelitarum Rege, solicitabat, *loquens* סרה על יהוה *aversionem contra Jehovam*, Deuteron. XIII. 6.

XXI. Huc retulerim jus aggratiandi, quo Deus, summus Israelitarum Rex & legislator, nonnullis legum transgressoribus tam indulgentem sese præbuit, ut eos in foro civili non puniverit, nec puniendos esse edixerit. In foro poli peccata semper sunt & manent peccata, contractumque reatum servant, & vi divinæ justitiæ, nisi illi satisfiat, non possunt non puniri, quia Deo nulla ἀνομία placet, Ps. V. 5. Divina vero indulgentia circa unum alterumque delictum non ad ejus justitiam in foro poli pertinet, sed ad externam, regiamque & legislatoriam ejus in foro Hebræorum civili directionem referri potest. Hæc quippe communem status & regiminis civilis rationem sequitur, & eum imprimis scopum habet, ut publica Reip. salus & tranquillitas utcumque conservetur. Ita a Mose olim permissum dicitur divortium, non quasi licitum eo tempore, rectumque fuerit atque honestum, aut a Deo probatum, sed quia capitis supplicium, aut pœna corporis afflictiva, delinquentibus in foro civili non erat constituta. Nam si quis tam duro & præfracto animo erat, ut uxori diutius cohabitare nollet, Deus, quatenus populi Israelitici Rex erat & legislator civilis, non prohibuerat, quo minus illam abs se amandaret, dato repudii libello, quod *Lud. Cappellus* in erudita Diatriba de *Voto Jephtæ* ante nos observavit. Idem sentiamus de Patriarcharum polygamia. Simili ratione Deus, Rex summus

mus & legislator, Caini fratricidæ in primis mundi incunabulis, & ista hominum paucitate, pœnam externam videtur remisisse, reatu in foro poli permanente. Huc alia etiam pertinent, quæ Jehovæ, non qua Deo, sed qua Principi, ac Israelitarum Regi, adscribenda sunt, & quæ ab humanis etiam Principibus permitti ac indulgeri solent. Vid. *Henr. Hulsii Comment. in Israelis prisci prærogativas ac bona*, *Exerc.* I. *p. m.* 26.

XXII. Caussam, cur Deo visum fuerit, ad Reipublicæ Hebrææ clavum sedere, *Jo. Spencerus*, more suo, a rudioris seculi ingenio, Reges pro Diis agnoscente, nec non ab imperiti brutique populi indole, & ejus inconstantia repetendam censuit, qua itendidem ad *Ægyptiorum* idolorum cultum voluerit redire. Populum istum inter Jehovam & Baalem fluctuasse, & ancipiti vice nunc hujus nunc illius institutis adhæsisse. Par igitur fuisse, ut Deus non creationis tantum, sed & electionis, pactique solemniter confirmati, jure, iis præsideret. Præterea seculi moribus eo tempore receptum fuisse, ut Dii principatum quendam inter servos suos obtinerent, & nomine rituque regio colerentur. Illo enim seculo Deos titulis illis *Molech*, *Elohim Baalim*, & hujuscemodi aliis, insignitos fuisse. Priscas gentes Deos suos imperii arbitros plerumque posuisse, cum nec bella gerere, nec civitatem condere, nec Regem eligere, nec grandius aliquid antea moliri consueverint, quam Deos per oracula vel auspicia consuluissent. Quin & iisdem ceremoniis Deos suos, quibus & Reges, honorasse. Cum itaque inveterato gentium more receptum fuerit, Deos titulo & honore regio donatos colere, non absurdam esse conjecturam, Deum ideo Regis nomine se colendum exhibuisse, ut seipsum seculi moribus, qua licuit, accommodaret, utque non minus populo suo, quam Dii gentium servis suis adesse, præesse & prospicere, crederetur. Consentit *Fortunatus Scacchus*, Ordinis Eremitarum S. Augustini sodalis, *Sacrorum Elæochrismatum Myrothecio* II. *Cap.* LII. *f. m.* 559. a *Jo. Spencero* in subsidium vocatus *p. m.* 319.

XXIII. Nos, re accurate considerata, hujus regiminis originem referre malumus ad summum Dei amorem, multiplici beneficiorum genere Israelitis non solum, sed eorum etiam Patribus luculenter declaratum. Abramum, gentis conditorem, e Syria accitum, & ingentibus promissis oneratum sibi vindicavit, eidemque post centesimum demum ætatis annum ex uxore pertinaciter sterili, etiam effœta, unicum dedit filium, Isaacum, promissionum omnium ex asse hæredem. Cujus ex Israele nepotes, urgente fame, in Ægyptum descendentes, commodam ab initio sedem ibi nacti, paullo post immani Tyrannorum sævitia ita exagitati, & oppressi sunt, ut durius haberentur, quam vilissima mancipia haberi solent. Servilis tamen & misera eorum conditio non obstitit, quo minus Deus, suarum pollicitationum memor, istam gentem in peculium sibi eligeret, assereretque. Quem in finem validissima manu, & portentis, fidem propemodum superantibus, e servitute eripuit, Regemque *Ægyptiorum*, Israelitas manumissos retracturum, cum universis copiis mari Erythræo penitus submersit, ut ne nuncius quidem tantæ cladis Memphim reverteretur. Hunc populum ex Ægyptiacis ergastulis extractum, sibique assertum, Jehova tantis & tam innumeris affecit beneficiis, ut eum communi suffragio & applausu sponte promteque in Regem deposcerent, & nihil se detrectaturos esse, pollicerentur, Exod. XIX. 4. quia ne cogitando quidem fingi poterat, qui Regis personam majorem cum dignitate, magisque ex usu populi sustineret, quam Deus, qui tot sapientiæ, potentiæque, ac benignitatis suæ specimina hucdum ediderat. Jehova imperium sibi delatum non aspernatus, populum in fidem & clientelam suam recepit, clementerque promisit, se eum, ex servili conditione ereptum, & in regnum sacerdotale evectum, in fertilissimas Cananææ regiones, jure hæreditario possidendas, introducturum, & quando morigeros se exhiberent, contra quasvis hostium injurias defensurum, perpetuoque conservaturum esse. Quibus ita constitutis, confirmatisque, Deus unanimi electione imperio præfectus, regioque jure usus, legibus non solum Remp. munivit, sed Tabernaculum etiam, tanquam mobile palatium, erigi sibi jussit, ut inter subditos suos, veluti Rex, habitaret. Quin & oraculum constituit, *Urim* & *Thummim*, ut populi Præsides in gravioris momenti negotiis divinum consilium explorare possent, aliaque gessit, regio fastigio digna.

XXIV. Inde patet, origines Reip. Hebrææ sanctas, & ad ipsum Deum auctorem referendas esse, quas *Cornelius Tacitus*, *Historiarum Libro* V. *Cap.* 3. *p.m.* 544. obtrectatores populi, vagosque vulgi rumores, odio gentis disseminatos, imprudenter secutus, ut sordidissimas descripsit, tradens, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Boccho-

chorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut invisum Diis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum esset, ceteris per lachrymas torpentibus, Mosem unum exsulum monuisse, ne quam Deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet, ut duci cœlesti, crederent. Assensisse miseros, atque omnium ignaros fortuitum iter incepisse. Sed nihil æque, quam inopiam aquæ fatigasse. Jamque haud procul exitio totis campis procubuisse: cum grex asinorum agrestium, e pastu in rupem, nemore opacam, concesserit. Secutum Mosem conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperuisse, Hebræosque, cum terræ promissæ appulissent, effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerint, in penetrali sacravisse. Idem de capite asini magno consensu veteres tradiderunt. Nec minora deliria contra gentem & libros sacros delirarunt *Strabo*, *Plutarcus*, *Justinus*, *Diodorus Siculus*, *Democritus* apud *Suidam* aliique, in primis *Apion*, Grammaticus Alexandrinus, *Manethon*, *Lysimachus* & *Chæremon*, contra quos *Flavius Josephus* disputavit, & antiquitatem suæ gentis erudite vindicavit.

XXV. Quis ex hac Θεοκρατίᾳ non agnoscat Hebraicæ Reip. præstantiam, civiumque felicitatem? Jactet *Plato* suam Rempublicam, extollat *Aristoteles* suam πολιτείαν super omnes civitatum formas, nulla tamen ratione æquiparari possunt cum Rep. Hebræorum, quæ Deum habuit conditorem, Antistitem & conservatorem. Olim jactitare solebant Athenienses, suam urbem esse sub διοκρατείᾳ & *imperio Jovis*, quod ab Apolline referebant, ut Regis nomen Jovi cederet, & potestas Regum imminueretur. Fictitiæ huic Διοκρατείᾳ *Josephus* recte opposuit Θεοκρατείαν sui populi, claris Scripturæ oraculis assertam, & ad publicam civium salutem, communemque Reip. tranquillitatem maxime accommodatam. Nam, Deo Israelitis imperitante, litibus illis obviam itum est, quæ circa principatum oriri poterant. Neque concertationes de regni limitibus proferendis metuendæ erant, quia bellorum indictio non, nisi Deo jubente aut annuente, fiebat, & quia Hebræi sub divinis auspiciis in otio ac pace suis malebant bene præesse, ac uti, quam rapere aliena, more Assyriorum, Chaldæorum, Persarum, Græcorumque ac Romanorum, qui, opum cupiditate & gloriæ studio inflammati, gentes alienas injuste aggressi exspoliarunt, armisque sub suam redegerunt potestatem. Intestinis litibus & bellis civilibus præcisa erat occasio, quia rerum summa penes Deum erat, qui controversias graviores ita decidebat, ut nullus querelæ litique locus relinqueretur, ex illatæ alicujus injuriæ prætextu. Neque minus mite ac benignum fuit regimen, quia nec bella, dominandi libidine, suscipiebantur, ne populus exactionibus & tributis exhauriebatur. Suavem fuisse hanc Reip. moderandæ formam, electæque gentis dignitati consentaneam, inde dilucide apparet, quod Israelitæ, durante Theocratia, Domino & legibus usi sunt æquissimis, cum ceteræ gentes, tanquam servi, mero suorum Principum imperio arbitrioque subjecti essent. Hinc Moses, e vivis excessurus, Israelitas monuisse dicitur apud *Josephum Antiqu. Lib.* IV. *Cap.* VIII. ne ullam aliam politiæ formam concupiscerent. *Nam vobis*, inquit, præstat, ut τὸς νόμους ἔχοντες δεσπότας, *leges tantum Dominos habentes*, *vitam transigatis*. Qualem Reip. formam ipse *Aristoteles* dilaudat, *Politicorum Lib.* III. 16. *&* IV. 4. Inde etiam erat exercitus Israelitici fortitudo, & invictum robur, rerumque gestarum felicitas, & fiducia, in Jehovæ præsentia, tantoque populi duce collocata, & inclamatione ad arcam satis declarata: *Surge Jehova*, *ut dissipentur inimici tui*, Psalm. LXVIII. 3. Hanc ob caussam David Psalmo III. sub hujus Ducis excubiis ac præsidio, nullam hostium vim & iracundiam, nec multos centimillenos formidat. Conferatur Psalmus LX. aliique.

XXVI. Populus Hebræus suavi hac, optimaque regiminis forma perpetuo frui potuisset, si mens non læva fuisset. Sed, Theocratici status pertæsi, imperium humanum divino prætulerunt, & Regem ex hominibus habere maluerunt, qui externa pompa splenderet, perpetuumque militem aleret, aut cives in armis exerceret, ut hostibus incurrentibus statim occurri posset. Gentes igitur vicinas, sub Regum dominatu viventes, imitaturi, Samuelem, senio fractum, aggrediuntur, ab eoque, ut Regem sibi præficiat, efflagitant 1. Sam. VIII. his verbis v. 5. *Constitue nunc Regem super nos*, *qui judicet nos*, *sicut omnes gentes habent*, *&* *qui* v. 20. *præeat*, *ac educat nos contra hostes*, *quando bella nobis sunt gerenda*. Illo tempore ingens belli moles Israelitarum cervicibus videbatur incubitura, Nahaso, Ammonitarum Rege præpotente & crudeli, bellum parante.

Exi-

Existimabat igitur populus, res suas loco tutiori & firmiori futuras, si Regis fidei curæque, ac fortitudini rerum summa committeretur, qui plena belli gerendi, justitiæque administrandæ potestate instructus, majorem auctoritatem atque potentiam ad hostes repellendos habiturus esset, & militibus, cum hoste congressuris, suo exemplo præiret. Samueli hoc institutum consiliumque populi displicuit. Idcirco temeritatem insignem & κακοζηλίαν ipsis exprobravit, & status Regii incommoda aliaque damna, quæ sibi accerserent, prolixe enarravit. Sed populum a præcipiti consilio, & effrenata Regem habendi cupiditate non potuit revocare. Inde Deus, a populo repudiatus, valde excanduit, suamque indignationem hoc exposuit sermone, quem Interpretes Alexandrini hisce reddiderunt verbis: οὐ σὲ ἐξουθενήκασιν, ἀλλ' ἐμὲ ἐξουθενήκασι τοῦ βασιλεύειν ἐπ' αὐτῶν, *non te spreverunt, sed me nihili fecerunt, ut non regnem super eos.* Nihilo tamen minus indulgentem se præbuit audacibus populi votis, Regique humano tradidit fasces & præfecturam.

XXVII. Saule & Davide ad rerum arbitrium & summam evocatis, valde imminutum fuit hoc civile Dei dominium in Israelitas, quia Reges isti, sicut fidem faciunt annales sacri, pœnas capitales irrogarunt, bella gesserunt, potestatisque summæ jura exercuerunt, Dei suffragio consilioque non expectato. Salomonem rerum potito, Theocratia videbatur propemodum exspirasse, quia regnum electitium factum erat hæreditarium, omniaque ab arbitrio & voluntate Regis pendebant. Illa tamen Regum constitutio non impedivit, quo minus Deus Israelitarum Rex maneret. Diu quippe post Salomonis excessum, saltim a cœtu piorum, *Rex Israelis* salutatus fuit, Zephan. III. 15. a cujus præsidio vates divinus singulare solatii fiduciæque argumentum petit. Huc pertinet Samuelis promissio. *Non deseret Jehova populum suum ob gloriam magni nominis sui*, I. Sam. XII. 22. Idem Jehova ipse confirmat, tempore Salomonis pollicitus: *Habitabo in medio filiorum Israel, neque deseram populum meum Israel*, I. Reg. VI. 13. Nec desunt in sacris annalibus divini regiminis exempla vestigiaque. Post Saulis inaugurationem Deus Jebusitas de manu Ammonitarum, memorabili exemplo ac singulari prorsus ratione, liberavit, futuramque hanc liberationem non obscure antea patefecit, I. Sam. XI. 7. Post fatalem regni Hebraici divisionem Israelitas de manu Syrorum Regis miraculose vindicavit, secundum Elisæ vaticinationem 2. Reg. XIII. 14. 19. Locus est illustris Esaiæ XLI. 8. 9. *Tu, Israel, servus meus es, Jacob, quem elegi, semen Abrahæ, qui dilexit me. Quem prehendi ex extremis terræ, quemque ex lateribus ejus vocavi, dixique tibi: Servus meus es, elegi te, nec abjeci te.* Neque enim eos abjecisse censendus est, quibus peculiari modo ac ratione adhuc præfuit, apud quos in Templo inter Cherubos resedit, & quibus per oraculum respondit, ac quos per Prophetas erudivit. Idcirco cœtus fidelium, rebus sub regibus, ac postea, afflictis, conclamatisque, confugiebat ad Deum, tanquam antiquum Israelitarum Regem, cujus præsidio confisus, confirmatusque, exclamabat יהוה שפטנו *Jehova judex noster*, יהוה מחקקנו *Jehova legislator noster*, יהוה מלכנו *Jehova Rex noster*, Esaiæ XXXIII. 22. Confer *Obadiæ* vaticinium *vers.* 21. Hoc Dei regnum inter Judæos in regno domus Davidis conspicuum eleganter comparatur *cum aquis Siloæ placide fluentibus*, Esa. VIII. 5. quas Ephraimitæ non tantum, sed & multi ex Judæis eo tempore leguntur sprevisse, eique prætulisse *aquas Euphratis*, sive regni Assyrii potentiam, unde, Deo neglecto, & palam repudiato, auxilium in istis temporum difficultatibus impie sperabant.

XXVIII. Hæc, rite observata, lucem affundunt multis S. Scripturæ locis. Reges a Deo sæpe designabantur, emittique solebant vates ad eos ungendos. Unde משיחי יהוה *uncti Jehovæ* dicti, non tantum inviolabiles, & sacri, sed & majori pollere censebantur auctoritate, & distinguebantur ab *unctis hominum*, aliarumque gentium regibus, qui immediate a Deo non erant creati, quos Petrus, discriminis hujus indicandi caussa, ΚΤΙΣΙΝ *creationem* quidem, & illustre opus, relata eorum origine ad Deum, appellat, sed ΑΝΘΡΩΠΙΝΗΝ, ab hominibus constitutum, non immediate ab ipso Deo, sicut prisci Israelitarum Reges. Cumque κτίσιν illam ἀνθρωπίνην impune sperni posse, Judæi νεόφυτοι, ad Christum recens conversi, existimarent, cum præsertim idolorum cultores, ac plerumque tyranni essent, monet Apostolus, graviterque inculcat, illis nihilo secius obtemperandum esse, διὰ τὸν Κύριον, *propter Dominum* omnium supremum, qui magistratum constituit, mandatumque dedit de obedientia ei præstanda, I. Petr. II. 13. Luculenta Theocratiæ, sub ipsis Regibus aliqua ex parte adhuc duraturæ, argumenta suppeditat

tat Sacerdos S. Ordinarius perpetuusque Dei ad populum legatus. Huc pertinent miraculosa judicia, cœlitus illata per Angelos Dei ministros, oraculum *Urim*, quo Rex, sacro indutus pallio, Dei voluntatem explorabat, nec non Prophetæ adhabitatio apud Regem, qui ejus consilia in rebus agendis expetebat, & sequebatur, eumque, tanquam Dominum & Patrem suum, honorifice compellabat, 2. Reg. VI. 21. 2. Reg. XIII. 14. Inde derivanda est Regum objurgatio, graviorum pœnarum denunciatio, & exauctoratio per Prophetas facta, 1. Sam. XIII. 13. 14. XV. 22. 28. 1. Reg. XIV. 7. XVI. 1. aliaque, nostro tempore a verbi divini præconibus nequaquam imitanda. Nam quando veteres prophetæ tanta leguntur usi auctoritate, & parrhesia coram Regibus & principibus, id non aliunde rectius, quam ex status Theocratici reliquiis explicari potest, quo vates divinitus afflati & missi, tanquam Dei, summi Regis, legati agebant, ejusque voluntatem denunciabant.

XXIX. *Th. Hobbesius in Leviathane Cap.* XLI. *pag.* 227. *&* 228. asserere ausus est, Servatorem nostrum venisse, ut *Deo Patri per pactum novum restitueret regnum, quod a populo in electione Saulis rejectum fuerat*. Supponit enim, Christum, quando in terra versabatur, regnum in hoc mundo non habuisse, nec redemtorem Regem fuisse ante mortem suam. Redemtorem quippe jus in redemtum, antequam pretium solutum sit, nullum habere. Sed hæc omnia, & ἀγράφως, & ἀντιγράφως, petulanter finguntur, ut ostenderunt *Jo. Templer in Idea Theol. Leviath. dogm.* 30. *&* 31. *p.* 238. 245. & *Cocquius in Hobbesianismi Anatome Cop.* XIX. *n.* 16. *p.* 308. nec non *Zach. Grapius in Christologia recens Controversa, pag.* 60. *&* 61.



HER-

THOMÆ GOODWINI
DISSERTATIO
DE
THEOCRATIA ISRAELITARUM.

I. QUoniam Deus creavit cœlum & terram atque omnia, quæ in iis ſunt: eadem creata potenter conſervat & ſapientiſſime ad fines ab æterno præſtitutos gubernat, merito appellatur *κύριος τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς* Matth. XI. 27. conf. Jer. X. 11. ארון כל הארץ *Dominus totius terræ* Joſ. III. 11. 13. atque ejus מלכות בכל משלה *regnum in omne dominum* Pſal. CIII. 19. Sive univerſale.

II. Habet idem particulare ſive civile in gente Iſraelitica: quatenus, poſtquam eam ſibi potenti manu juſte acquiſivit, inito ſolenni fœdere a ſubditis Rex declaratus eſt atque ab hinc ſolus titulum, pompam, & reliqua jura regia uſurpavit.

III. Rex populi jure dicitur is, qui illum tyrranide injuſti Domini forti brachio liberat: cui a populo liberato poteſtas regia ſolenniter confertur: quique dignitate & privilegiis Regis fruitur: quique etiam paſſim titulis regiis ornatur: Nec alius quiſpiam ſummam ea in Gente poteſtatem ſed a Deo tantum delegatam exercet. Atqui omnibus memoratis modis Deus Rex Iſraelis dici poteſt. Quod nunc eo ordine, quem hic indigitavi, probabo.

IV. Rex populi jure dicitur is, qui illum tyrranide injuſti Domini forti brachio liberat. Atqui Deus Hebræos ſub ſæviſſimo & injuſtiſſimo Pharaonis jugo gementes atque liberationem anhelantes gratioſe exaudivit, pluribus prodigiis perpetratis לעם נחלה *in populum hæreditarium* Deut. IV. 20. ſibi acquiſivit. Unde merito Moſes laudes liberationis factæ decantans Deum ut regem ſiſtit Exod. XV. 18. *Jehova* ימלך *regnabit in ſeculum & æternitatem*. Conf. 1. Sam. X. 18. 19.

V. Inſuper liberatus ſentiens ſummam ſub ejuſmodi Rege felicitatem atque tutiſſimum adverſus quoſvis hoſtes auxilium יחד *unanimiter* legitimum Regem declarat. Ita enim ad Moſen nomine Dei Regnum ambientem populus ait כל אשר דבר יהוה נעשה *Omne quod loquitur Jehova, faciemus* Exod. XIX. 8. conf. Deut. XXVI. 17.

VI. Deus Rex declaratus talem quoque ſe variis modis conſpiciendum & cognoſcendum exhibet, partim ſe comparando ad morem Regum vicinorum, partim etiam demonſtrando ſe illis longe potentiorem & ſanctiorem eſſe, quod ex ſequentibus patet.

VII. Nam mox ſuffragiis collectis præcipit veſtium & corporis ſanctificationem, alios longius a ſe arcet, alios vero propius ad ſe admittit, ut Miniſtros interioris admiſſionis atque internuncios ſe inter & populum: Ipſe inaugurandus vehitur celſis nubibus; fulgura coruſcabant, tonitrua audiebantur & buccinæ fortiſſimum edebant ſonum (Conf. cum inauguratione Salomonis 1. Reg. I. 38. 39. 40.) voce majeſtatis plena משפט המלך *Jus regium*, quale hoc tempore publicandum eſt, vide 1. Sam. X. 25. eloquitur atque præter leges morales etiam ceremoniales & forenſes, quæ alioquin Regem terreſtrem auctorem habent, fert. c. XX. XXI. XXII. XXIII.

VIII. Ne vero quidquam ad mutuam Regis atque ſubditorum obligationem deeſſet, fœdus illud ſolenniter confirmandum cenſuit Deus. Secutus autem eſt morem illo tempore in fœderibus ſpeciatim quæ fiebant inter Regem & ſubditos, receptum, juxta quem victimas mactabant, ſanguinem in fœderatos adſpergebant & oblatæ victimæ partem aliquam comedebant. Conf. Gen. XV. 18. II. Sam. V. 3. Uti plene recenſetur Exod. XXIV. 4. 12. *Scripſit Moſes omnia verba Jehovæ, & ſurrexit multo mane ædificavitque altare infra montem* (quod Deum repræſentabat, unde inferius ſanguinis pars illi inſpergenda dicitur) *& duodecim tribus Iſraelis. Miſitque juvenes filiorum Iſraelis, qui offerrent holocauſta & ſacrificarent ſacrificia pacifica, juvencos. Poſtea ſumſit Moſes dimidium ſanguinis, poſuitque in crateribus: dimidium autem ſanguinis ſparſit ſuper altare. Mox ſumſit librum fœderis, legitque in auribus po-*

puli, qui dixit, omne, quod locutus est Jehova, faciemus & audiemus. Tum sumsit Moses sanguinem & sparsit super populum dixitque: Ecce sanguis fœderis, quod pepigit Jehovah vobiscum super omnibus verbis illis. Dein ascendit Moses & Aaron, Nadab & Abihu & 70. Seniores Israelis, qui postquam viderant Deum, *comederunt & biberunt*.

IX. Regi recens electo subditi ad lætitiam & reverentiam testandum animo spontaneo dona mittere quandoque soliti sunt 1. Sam. x. 27. Pariter Regi Israelis aurum, argentum, cuprum, lanam hyacinthino, purpureo, coccineo colore tinctam, linum subtilissimum, lanam caprarum, pelles arietum ruforum ut & hircorum ætate provectiorum (ita probabiliter תחשים exponendum putamus) ligna Schittim, oleum, odoramentum, unguentum, tandem gemmas sponte magna copia obtulerunt. Exod. xxv. 1. 8. Exod. xxxv. 24. xxxvi. *9*.

X. Reges quoque, ut subditis consilio & auxilio facilius prospicere valeant, inter eosdem habitant. Quo se tamen discernant neque nimis familiares contemnantur, loca incolunt, quæ nemini nisi vocato aditum concedunt Esth. iv. 11. Loca illa nitide extructa, dicta היכל 2. Reg. xx. 18. auro tota splendent aut ii alia conspicitur materia, non minus pretiosa atque artificio magnopere commendata est; Intuere Palatium Salomonis 1. Reg. vii. Vasa quoque splendida & ad pompam regiam affabre facta in iis cernuntur, ea præprimis notabilia, in quibus dapes coquuntur & coctæ imponuntur, ubi incensis odoramentis omnes tetri odores dispelluntur, tenebræ fugantur, sordes eluuntur. Adde solium, כסא nuncupatum, quod ad judicia ferenda, responsa danda Reges conscendunt. 1. Reg. vii. 7. Non minus Rex Hebræorum locum in populo suo sibi elegit Exod. xxv. *9*. Sacrum tamen non solum plebi sed & summis Ministris sub pœna mortis a promiscuo aditu exclusis Lev. x. 1. 2. xvi. 1. 2. qui non minus, ac aliud Regium Palatium היכל 1. Sam. l. *9*. dicitur, nam æque auro rutilabat aut alia pretiosa materia mire picta oculos intuentium in stuporem trahebat: Parietes enim auro obducti & tegumentis varie coloratis tecti conspiciebantur. Conspiciebatur in eo ara sacrificiis sive cibo Dei parando destinata: Mensa aurea, quæ jugiter xii. panes egregie dispositos ferebat: Alia ara, ab usu suffitus vocata, in qua quotidie duabus vicibus fragrantissimi odores incendebantur. Præterea Lychnuchus septem lucernis instructus. Labrum dein ex optimo metallo conflatum, ne quis pollutus rem sacram faciat: Tandem thronus, ex quo oracula fundebat. Vide Exod. xxv. xxxvi. xxvii.

XI. Solent insuper Reges varii ordinis Ministros ad Regiam pompam condecorandum alere, quorum quidam interioris admissionis proxime in conspectu Regis stant. Dan. 1. 5. Alii non item viliora obeunt munera, excubias agunt, canunt, instrumentis musicis amœnum excitant sonum. Omnes tamen labis vel minimæ expertes Dan. 1. 4. pulchris vestibus ornati, prout vices jubent, Regi serviunt atque e regiis redditibus victitant. Regi Israelis numerosum non minus famulitium erat, ordine tamen distinctum. Omnes anteibat Pontifex: Hunc sequebantur gregarii Sacerdotes כהנים (quo nomine alias veniunt ministri Politici 2. Sam. viii. 18.) Tum Levitæ. Illi jugiter versabantur לפני יהוה *in conspectu Jehovæ* in sancto atque atrio proximo. Hi remotiora occupabant loca, observabant, ne immundus quispiam Palatium ingrederetur Num. viii. 26. Sacerdotes juxta ac Levitæ cantabant, buccinas inflabant Rege comedente & bibente, hoc est, quando sacrificium, cibus Dei, igne devorabatur atque libamen ejus effundebatur. Num. x. 8. 10. Nullus e Sacerdotibus, cujus corpus macula aliqua notatum erat, ministrandi jure pollebat, Lev. xxi. 18. 24. vel vestibus laceris aut conspurcatis, quare Rex mox ac palatium suum exornandum præceperat sacerdotes eorumque pro varietate ordinis elegantissimas & artificiosissimas vestes descripsit Exod. xxviii. iisque non minus ac Levitis redditibus ad jus regale pertinentibus clementissime prospexit ad honeste vivendum.

xii. Pensio tributaria Regalis erat vide 1. Reg. ix. 21. Exod. 1. 11. Regi quoque solvebantur decimæ 1. Sam. viii. 15. Deus tanquam Rex Israelis tributum annuum dimidii sicli unicuique viro imposuit Exod. xxx. 13. 14. 15. atque decimas proventuum agri arborumque jure a subditis suis postulavit, Num. xviii. 28. Mal. iii. 8. quas dein Levitis & Sacerdotibus ceu aulicis suis ad sustentationem donavit.

XIII. Rex, si difficultas aliqua Judicibus ab illo constitutis oritur, adeundus est. Neque enim Judices ea decidendi, quæ leges regiæ non deciderunt, potestate pollent. Ita Rex Israelis leges quidem tulit, sed illæ breviores, quam ut inde omnes casus definiri potuerint. Quare difficultas juris orta vel per Mosen

ſeu vel per Urim & Tummim ad regis deciſionem immediate conſequendum deferebatur. Numer. IX. 8. 9. XXXVI. 5.

XIV. Clariſſime *θεοκρατία* Iſraelitica e caſtris, quibus Deus tanquam ſummus Imperator præfuit, inſuper cognoſcetur. *Primo* ſummi ducis eſt exercitum præire atque exemplo ſuo milites ad fortiter pugnandum incitare, vide 1. Sam. VIII. 20. bella indicere, hoſtem, qui aggrediendus eſt, deſignare, præcipere quoque, quo ordine adverſus illum pugnandum ſit. Subſtituere illos, qui operam vicariam ſubeunt. Talem ducem ſe geſſit Deus, qui in nube Iſraelitas anteibat, cujus ſolium humeris Levitarum in fronte exercitus geſtabatur. Num. X. 33. 34. Ille bella adverſus Gentes Cananæas gerenda imperabat. Illum Iſraelitæ interrogant: *Quis aſcendet a nobis ad Cananæum in principio ad pugnandum contra eum? Et dixit* Jehovah ſcil. per Urim: *Jehuda aſcendet* Jud. I. 1. 2. *Quis aſcendet e nobis in principio ad bellum cum filiis Beniaminis? Et dixit* Jehova ſcil. per Urim. *Jehudah in principio*. XX. 18. conf. 23. 28. Ille quoque Joſuam, Otonielem, Gideonem & reliquos duces elegit. Hinc bella a Gente geſta מלחמות יי *bella Jehovæ*. Num. XXI. 15. 1. Sam. XVIII. 7. quemadmodum 2. Chron. XII. 15. מלחמות רחבעם וירבעם *bella Rehabeami & Jerobeami* dicuntur; & ipſe נצח ישראל *triumphator Iſraelis* 1. Sam. XV. 29. nominatur.

XV. *Secundo*: Imperatores militares ſub tentoriis degunt, quæ figere & refigere, prout neceſſitas poſcit, facile queunt: Vaſa quæ ſecum ferunt, ad geſtationem compoſita ſunt. Quieſcentes locum plurimum medium ad conſilium & auxilium omnibus æqualiter ſuppeditandum maxime commodum eligunt. Cuſtodes corporis proxime circa ducem caſtra metantur. Sed remotioribus in locis circumquaque reliquus exercitus bene diſpoſitus jacet. Imperator Iſraelis omni tempore, quo hoſtes ſuperandi reliqui erant, ſub tentoriis degebat 2. Sam. VII. 2. Vaſa, ut commode e loco in locum geſtari poſſent, vectibus inſtruebantur. Ex XXV. Tentorium in medio exercitus figebatur, quo alluditur Pſ. XLVI. 6. Circa illud Moſes, Aaron. Sacerdotes, Levitæ caſtra ponebant, Num. III. 23. 29. 35. 38. Verum reliquus populus ad omnes quatuor plagas, tres tribus ad unamquamque plagam, caſtra miro ordine extendebant, ut Bileamus iis conſpectis in laudem erumpere coactus fuerit: *Quem pulchra ſunt tabernacula tua, o Jacob! habitacula tua, o Iſrael!* Num. XXIV. 5.

XVI. Hactenus evicimus Deum ſe Regem Iſraelis conſtituiſſe, a populo declaratum fuiſſe atque variis modis ſe talem geſſiſſe. Supereſt ut demonſtremus ipſi quoque competere titulos Regios. Atque hoc ex antecedentibus ſequi neceſſe eſt. Igitur ea ſolum allegabimus teſtimonia, quæ non tantum illum Regem dicunt ſed alium quemvis excludunt, imo regnum ejus cum Rege ex hominibus deſumto ſtare haud poſſe aperte dicunt. 1. Sam. XII. 12. *quum vidiſtis quod Nachaſch Rex filiorum Ammon veniret contra vos, dixiſtis mihi; non* (vide c. VIII. 19.) *ſed* מלך ימלך *Rex regnabit ſuper nos*: ויהוה אלהיכם מלככם *quum tamen Adonai Deus Veſter Rex veſter eſſet*. E. Deus ante Saulem, primum Regem humanum, Rex exſtitit. Saule electo regnum Dei rejiciebatur. Niſi enim ſpeciali modo Deus rexiſſet Iſraelem, quo poſtea non rexit, verba Samuelis non valerent. Manſit enim poſtea Deus populi. Pariter c. VIII. 7. *Audi vocem populi juxta omne, quod ad te dicturus eſt, nam non te aſpernati ſunt* כי אתי מאסו ממלך עליהם *ſed me aſpernati ſunt, quo minus regnarem ſuper eos*. Quando pupulus ad Samuelem ætatis paulo provectæ dicebat: *Da nobis Regem, qui judicet nos*, id Judex pientiſſimus, tum Dei, tum ſuo nomine, ægre tulit: Illum autem Deus verbis cit. conſolatur q. v. d. *Samuel noli hanc populi petitionem ægre ferre ac ſi dignitati tuæ adverſaretur. Tu nonniſi Judex a me Rege conſtitutus es: Regem adeoque petentes non te ſed me aſpernati ſunt, meum regimen ſublatum cupiunt*. Quomodo jam Majores *ἀνθρωποκρατίαν θεοκρατίᾳ* ſubſtituiſſent, niſi Gideon memor officii a Rege ſibi demandati obſtitiſſet Jud. VIII. 23. *Non dominabor in vos ego: neque dominabitur filius meus in vos.* יהוה ימשל בכם *Jehovah in vos dominabitur*.

XVII. Theocraticam Regiminis formam pluribus argumentis hactenus adſtructam illuſtrabunt duo ſequentia teſtimonia. Primum Joſephi lib. II. Contr. Appion. p. 1071. ed. Col. *ἄπειροι μὲν αἱ κατὰ μέρος τῶν ἐθνῶν καὶ τῶν νόμων παρὰ τοῖς ἅπασιν ἀνθρώποις διαφοραὶ, ὁ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ τῶν ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων, ὁ δ' ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδοτιοῦν ἀπεῖδεν, ὡς δ' ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴς ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς*. Gelenio Interprete. *Infinitæ quidem particulatim gen-*

tium atque legum apud cunctos homines differentiæ sunt. Alii siquidem monarchis (supple *alii paucorum imperio*) *alii Democratis Reipublicæ potestatem commisere. Noster vero legislator nihil horum intendens, veluti si quis hoc dicendo, mensuram transcendat verbi* (vel *veluti si quis ita diceret & vim faceret verbo*, *nam* θεόκρατεία vocabulum a Josepho effictum est) *divinum imperium* (θεοκρατίαν *declaravit*, *Deo principaliter conversationem nostram* (potius *principatum*) *atque potestatem excellenter assignans*. Alterum R. Schem Tobh ad *Maim. Doct. Perplex.* l. III. c. XLV. p. 174. c. I. השם יתברך צוה לעשות בית כבירת מלך ובבית מלך ימצא כל אלו הדברים אשר אמרנו אנשים שישמרו את היכליו ואנשים שיעברוהו בעבודות המיוחדות למלך לתקן מאכליו ועשות כל שאר הדברים הצריכים למלך ויש אנשים אחרים שישוררו לפניו בכל יום תמיד בשירה נאה ובקול ושרה ויש בבירת המלך מקום אחד מוכן לעשות המאכל ויש גם כן מקום להקטיר לפניו קטורת סמים ויש שלחן בביתו ויש גם כן מקום מוכן אשר כי יושב המלך אשר לא יכנס אדם שם כי אם המשנה לו ואהביו עד מאד וכן רצה השם שיהיה בביתו כל אלו הדברים אשר לא יחסר לו ממלך מלכי ארמה אף כי הוא מלך נרול ואינו צריך לכל זה ונמשך מזה מתנות כהונה ולויה כמו שהמלך נותן לאנשי משמרתו וזה כרי שיאמינו ההמון שהמלך יי׳ צבאות יושב בקרבנו והוא מלך נרול נורא על כל העמים כמו שאמר מקדש יי׳ כוננו ידיך יי׳ ימלוך לעולם ועד כו בזה הבות תפרסם מלכותו ונרולתו ולכן צוה בכל אלו הדברים *Deus* ἐυλογητὸς *præcepit, ut extrueretur domus similis domui regiæ, in qua omnia, quæ diximus, reperientur; scil. vigiles, qui palatium custodiunt: Viri dein, qui ea faciunt officia, quæ ad Regem pertinent, qui ordinant cibos ejus atque alia Regi necessaria: Præterea alii, qui quotidie coram Rege cantant cantu amœno & instrumentis musicis. In domo Regia solet reperiri locus parandis cibis; item locus suffitui aromatum incendendo. Est quoque mensa, conclave in quo Rex considet, & quo alius quisquam intrare haud valet nisi qui ei secundus, aut quos maximo prosequitur amore. Ita placuit quoque Deo, ut hæc omnia in domo sua essent, neque quopiam Regum terrestrium inferior existeret. Quoniam ipse Rex Magnus minime harum rerum indigus est, patet hæc Sacerdotibus & Levitis data esse, prorsus quemadmodum Rex custodibus suis dare solet. Hoc omne autem eo pertinet ut plebs credat Regem Dominum Exercituum inter nos versari, qui Rex Magnus est atque omnibus Gentibus timendus, quemadmodum dicitur Exod.* XV. 17. 18. *Sanctuarium Adonai præpararunt manus tuæ. Adonai regnabit in seculum & æternitatem. Hac enim domo publicabitur regnum & magnificentia ejus, quare hæc omnia inculcavit.*

XVIII. Hoc autem divinum imperium proprie duravit ab eductione ex Ægypto usque ad primum Regem ex hominibus electum. Ostendimus enim Deum jure liberationis Ægyptiacæ jus sibi in populum acquisivisse: Ab eo tempore jura regia exercuisse. Desiisse vero Regibus in Gente constitutis, quandoquidem l. cit. Deus diserte ait *me aspernati sunt, quo minus regnarem super illos*, atque ita testatur se antea regnasse. Ante & post memoratum tempus haud clara θεοκρατίας vestigia cernuntur.

XIX. Non obstat Mosen, Josuam, alios Judices, Synedria quoque præfuisse populo Israelitico. Nam omnis horum potestas subordinata tantum erat. Quæ judicabant, ad legem jam datam cognoscere tenebantur. Difficilia, nova immediate abs Deo petebant. Qui plura hac de Divina Regiminis forma scire cupit, adeat Cl. Witsium, præprimis Eruditiss. Spencerum, qui primus hanc Materiam ex professo pertractavit.

JOH.

JOH. FRID. MICHAELIS DISSERTATIO PHILOLOGICA

NUM DEUS DICATUR אלהים

Inito fœdere cum Populo Iſraelitico, ut Imperator Bellicus, contra Fr. Fortunatum Scacchum.

PRÆFATIO.

NEminem lædendum, neque alicujus manes, poſt mortem, temere evocandos eſſe, naturalis æquitas, & lex, cordibus omnium hominum inſcripta, exigit; ut adeo in refutatione ſententiarum, quæ nobis, a veritatis regula, recedere videntur, & vel a viventibus adhuc, vel a defunctis propugnantur, caute admodum ſit procedendum. Seculi equidem noſtri mos eſt, omne, quicquid primo intuitu paradoxon videtur, arripere, ſententiamque, nihil periculoſi alias foventem, quo ſaltem occaſio inclareſcendi ſuppeditetur, tam odioſe ſiſtere, ut alter, qui rem non probe ponderat, jurare auſit, hunc vel illum inſignem ſalutaremque laborem, ad errores craſſiores depellendos, ſuſcepiſſe; nemo tamen facile, qui ſaltem, aliqua ex parte, candoris, officiique, proximo exhibendi, ſtudioſus eſt, ſe horum numero unquam temere adjunget. Et hoc ipſum in primis, noſtrum etiam, quem nunc, Deo fortunante, ſuſcipimus, laborem, facile turbare potuiſſet, niſi accurata Auctoris, quem, hac Diſſertatione, refutandum nobis ſumimus, inſpectio, omne prorſus dubium ſummoviſſet. Certum eſt, *Fr. Fortunatum Scacchum* mentem ſuam, in explicatione nominis divini אלהים, hactenus fere inaudita, magis texiſſe, quam aperuiſſe; quum ſequentia ipſius verba: *Elohim Deum dici ut Imperatorem, fœdere inito cum populo Iſraelitico*, dubie admodum, ad omnem falſi ſpeciem felicius evitandam, ſint concepta. Hæc enim, nunc ſaltem comparationem quandam Dei, cum Imperatore bellico, nunc relationem inter eundem, & populum Iſraeliticum, ex pacto fœdere reſultantem, innuere videntur, quæ tamen, ſi argumenta Auctoris curatius examinentur, nihil aliud, quam formalem nominis אלהים conceptum, in hac denominatione, exhibent. Dubio hoc ſublato, aliud animum noſtrum urgebat, nos forſan actum acturos, & ſententiam, toties refutatam, denuo refutaturos eſſe. Negare quippe non poſſumus, aliqua *Scacchum* afferre, quæ plurimis, circa hoc nomen errantibus, communia ſunt, quibus in primis derivatio ejuſdem ex אל & אלה, dudum exploſa, eſt annumeranda. Hoc autem, utut ita ſe habeat, animum tamen noſtrum erigunt, atque in cœpto labore progredi jubent, rationes *Scacchi*, quibus ſententiam ſuam fulcire conatur, ſingulares, vix a quodam, ante ipſum, ad naturam nominis divini אלהים, interiorem exponendam allatæ, qualis eſt illa, quæ ex *Deut.* XXVI. 17. & 18. & ex fœdere, cum populo Iſraelitico inito, arceſſitur. Quem itaque, Deo fortunante, ſemel in nos recepimus laborem, illum, eodem Duce, non abſque exoptato, ut ſperamus, ſucceſſu, perficiemus. Ad methodum autem quantum attinet, ita procedemus, ut prima Sectione *originem erroris Scacchi*, ex ratione vitæ Auctoris, exhibeamus, ſimulque *ſtatum Controverſiæ* nectamus; ſecunda, *argumenta ipſius* ſub examen vocemus, & tertia denique *rationes*, iſtas, quæ contra eundem militant, in medium proferamus.

Numen vero ſanctiſſimum, cui nomen אלהים proprium eſt, ita conatus noſtros ſecundet, ut laborem inchoatum feliciter exantlare queamus!

SECTIO PRIMA.

Quæ originem erroris Scacchi, circa nomen divinum Elohim, ex vitæ ejusdem ratione petitam, sistit, & statum Controversiæ nectit.

I. FR. *Fortunatus Scacchus*, natione Italus, nativitate spurius, ex veteri tamen, claraque, Anconæ civitatis, gente, oriundus, quum Pontificio diplomate, jus legitimæ prolis; ad personam & honores duntaxat, non autem ad hereditates, obtinuisset, spe alia emergendi destitutus, in improbo literarum studio fortunam quæsivit, atque invenit. Quare, neglecto Fani Fortunæ, unde Fortunatus, Fanensisque dicitur, horarias nocturnasque preces recitandi, psallendi, obsonia partiendi, & coquinandi officio, Ariminum quidem studiorum caussa, primum concessit, sed mox tamen, incredibili eundem discendi cupiditate, ad altiora, impellente, Anno CIϽ IϽ XCIV. Magistri generalis Comitiis, Romam se contulit, libertatemque, in Hispaniam commigrandi, impetravit. Quo in itinere, tot dubiis, adversæ fortunæ, agitatus fuit ventis, ut Toletum perveniens, *Jano Nicio Erythræo* teste (1), a Patribus illius loci magis aspectu hominis, ad extremum casum adducti, quam imperio alicujus superioris commotis, in familiam sit receptus, atque ad Complutensem Academiam, totius Hispaniæ celeberrimam, missus, in qua etiam ingentes variæ eruditionis thesauros conquisivit. Perficiebat demum elegantem animi culturam, in Academia Salmantina, id quod ipsemet, literis, ad Collegium Salmanticense, datis (2), confirmat, quibus omnia, quæ in scholis Hispanicis, Complutensi præsertim & Salmantina, hauserat, sibi in memoriam revocat, atque huic Myrothecium suum, in grati animi tesseram, offert.

II. Tanto itaque labore rite perfunctus, non poterat non in pluribus eruditionis capitibus excellere, ita tamen, ut in aliis magis, in aliis minus, versatus videretur. Philosophicas & Theologicas disciplinas septem annorum spatio adeo feliciter absolverat, ut cum laude, Hispano more, in arenam descendere, & triduum, tum mane, tum vesperi, cum doctissimis viris, super eo, quod Toleti & Compluti didicerat, pugnare potuerit, certamine etiam in Italia repetito. Imo non tantum sibi solida eruditione plurimum profuit, sed & aliorum utilitatem, Theologiam sacrasque literas, tum, Maceratæ tum Romæ, docendo, insigniter promovit, atque tandem, quum Urbanus Pontif. Max. eruditorum Mæcenas, eundem sacrario suo Pontificio præficeret, ad ingens honoris fastigium ascendit. Neque deerant ipsi dona, quæ, verba ad populum facienti, omnium, qui hominem audiebant, animos conciliabant. Valebat enim & doctrina & eloquentia, qua, *Jano Nicio Erythræo*, & *Philippo Elsio* (3) scribentibus, in præcipuis Italiæ civitatibus auditorum admirationem plaususque sibi paravit, tantopere, ut a Senatu Bononiensi dignus judicaretur, qui, ex triginta magni nominis concionatoribus, ad sermonem sacrum, in solemnibus quibusdam supplicationibus habendum, eligeretur. Linguas præcipuas magna animi contentione excoluit, inter quas primo loco collocavit Latinam, eruditis communem, & quasi vernaculam, ad cujus nitorem elegantiamque, multo sudore, posteaquam scholastico olim imbutus esset dicendi genere, ut ipsemet de se fatetur (4), tandem pervenit, sic tamen, ut non nihil impuritatis admixtum huc dum retinuerit. Græcas literas *Jano Nicio Erythræo* commemorante, senex ut M. Cato arripuit: vidit enim laudatus vir, qui Romæ in eadem, qua ille, vicinia erat, Græculum, qui mercede docebat, quotidie ad eum venientem. Confirmat hoc ipsum hallucinatio Scacchi circa titulum, operi de oleis & unguentis, tam sacris quam profanis, præfigendum, de quo *Bernardinus Stephonius* (5) monuerat, attendendum esse Fortunato diligentius, ne qua pars alicubi pro genere ponatur, neve genus aliquod numeretur in partibus, præsertim in totius operis inscriptione, tum in librorum singulorum prænotationibus, in quibusque postremo capitibus. Nolebat enim operi suo præfigere titulum Latinum, quod barbariem sapere putabat, sed Græcum potius, nimirum *Chrismilæa*, adhibendum censebat, dubius tamen erat, utrum illa vox, quæ per Synæresin ex duabus coaluerat, sit per I aut per *n* scribenda, qua in re consilium Erycii Puteani, Professoris Lovaniensis, sibi expetiit (6). Ad Hebræam dum devenimus linguam, si *Jano Nicio Erythræo*, & *Philippo Elsio* fidem habemus, Scacchus eandem ita novit, ut in illa natus videretur, quod elogium tamen nobis admodum est suspectum. Tanta enim si Fortunato, in Hebræis literis, tribuenda esset eruditio, eandem sine dubio, in primis, quum laudis admodum cupidus fuerit, scriptis comprobas-

baſſet. Jam vero inſpicientes Elæochriſmatων Myrothecia, exiguam certe hujus ſanctiſſimæ linguæ cognitionem Scaccho adſcribendam eſſe, ex iiſdem colligimus. Agit liber de antiquitatibus, potiſſimum Hebræis, oleis nimirum atque unguentis ſacris; nec tamen vel loca Talmudica vel Rabbinica ſunt adducta, quæ, alias, hoc in capite, non ultimum occupant locum. Nunc equidem non repugnat, eſſe aliquem Philoſophum, quamvis taceat, nullo modo vero ſi circa prima elementa erret, quod tamen Scaccho accidit, quando nomen אלה ejuſdemque pluralem numerum אלהים a verbo אלה deducit, & hac ratione literas mobiles, & quieſcibiles turpiter confundit. Tandem, in antiquitatibus Hebræis, Græcis, & Romanis, Fortunatum multa præſtitiſſe non negamus, id modo ſi obſervetur, non omnia ipſius ſtudio & induſtria eſſe collecta. Græcas ſaltem teſtes adhibemus, de qua lingua, ipſe Scacchus, opere ſuo, de Oleis & Unguentis inſcribendo, jam confecto, dum ad Erycium Puteanum ſcribit, candide fatetur, ſe eandem vix in limine ſalutaſſe. Unde itaque iſtiuſmodi homini tanta eſſet ingenii felicitas, ut ex cujuſcunque generis ſcriptoribus Græcis, loca, quæ ſcopum ſuum feriunt, adducere potuiſſet, niſi alii promtas eidem præbuiſſent manus? Vix hoc Scacchus diſſimulare audet, quando *M. Antonino Cuccino* gratias agit (7), pro inſigni opera, in conquirendis veterum nummis, ſibi præſtita, quod, quum in uno factum ſit, etiam in aliis fieri potuiſſe, nemo facile negabit.

III. Scopum, quem ſibi Scacchus præfixerat, jam, magna tot annis, collecta eruditione, totque honorum gradibus, licet conſequutus videbatur, noluit tamen hic acquieſcere, ſed ſeculis futuris nomen ſuum commendare inſtituit. Cum vero optime id, elaboratione librorum magni momenti, perfici poſſe, intelligeret, manum operi accinxit, variaque volumina, multa eruditione reſperſa, conſcripſit, quorum enumerationem *Leo Allatius*, & *Philippus Elſius* nobis reliquerunt. Hæc inter eminent Elæochriſmatων Myrothecia, & VII. tomi de cultu, Canonizatione, & beatificatione ſervorum Dei, ad quorum priora, nobis potiſſimum hic attendendum erit. Fatemur magno labore, diligentia, & doctrina, opus laudatum, a Fortunato eſſe compoſitum, ut adeo *Joh. Baptiſta Laurus* (8) non præter rem ſcribat: *ſe, Elæochriſmatων libros, rara eruditionis fruge reſperſos, ad miraculum uſque ſuſpexiſſe*. Dividitur illud in tria Myrothecia, ſeu unguentorum repoſitoria, quorum primum ſacro profanum (9), alterum, conſecrationis (10), tertium denique de Iſraelitici Regis inauguratione (11) inſcribitur.

IV. Debitam laudem inſigni huic operi tribuendam eſſe, nemo, niſi literarum elegantiorum, divinarum humanarumque antiquitatum ignarus, inficiabitur; propoſitum tamen Scacchi, quod in ſcriptis ſuis maxime reſpiciebat, vix aliquis, quam vanæ gloriæ cupidus, excuſare ſataget. Ipſe Fortunatus, prout de eodem *Janus Nicius Erythræus* refert, dicere ſolitus erat, ſe, libris edendis, nomen ſuum immortalitati velle commendare. Hoc, ſi caſu fiat, nihil vitii annexum habet, quodſi vero primarius edendorum librorum ſcopus conſtituatur, ab inſigni crimine vix liberari poteſt. Talem vero Scaccho, in conſcribendis operibus ſuis, ſcopum primarium fuiſſe, ſuffragante coævo ſcriptore, fideque digniſſimo, *Jano Nicio Erythræo*, ſæpius uſque commemorato, tuto affirmare licet, quum ille de Fortunato ſcribere non dubitet; hominem otii, quietiſque in primis cupidum, quique nihil tam laborabat, quam ut æternam ſibi gloriam, ſcriptorum ſuorum fama, conficeret, ſecretum ſemper, & remotum ab arbitris locum quæſiviſſe. Atque hoc ipſum cauſſam conſtituimus tot digreſſionum, quibus ſæpiſſime opus non erat, & opinionum domeſticarum, quæ eundem a vulgo diſtinguerent. Notavimus jam jam aliquam *Tabulas fœderis* (12) deſcribentes, qua Scacchus, occaſione oraculi 2. *Paralip.* XXIII. II. evincere ſtudebat, tabulas fœderis poſteriores, in inauguratione Regis Iſraelitici ex arca protractas, Regique in manus traditas fuiſſe. Suppeditavit nobis hoc ipſum ſcrutinium, diligentius tum temporis Scacchi Myrothecia evolventibus, anſam, paulo curatius in aliam, quam, de nomine divino אלהים, ſententiam fovet, inquirendi, eandemque legitime examinandi. Illud vero dum aggredimur, ante omnia ſtatus Controverſiæ rite formandus erit, quum Scacchus hac in re tenebris ſe involvere videatur.

V. Quando itaque Fortunatus noſter de nomine divino אלהים ſentit, Deum dici Elohim ut Imperatorem, fœdere inito cum populo Iſraelitico, nullo modo negamus, Numen potentiſſimum, ſummum belli Iſraelitici, contra Cananæas gentes ſuſcepti, ducem ſtatoremque fuiſſe, poſteaquam, ipſummet id, de ſe, variis ſcripturæ S. locis (13), profitetur. Neque in dubium vocamus

Sco-

θεοκρατίαν, quæ in populo Iſraelitico, eadem Scriptura duce (14), ad tempora uſque Saulis obtinuit; ſed id ſaltem negamus, formalem rationem, quare Deus אלהים dicatur, fœdere cum Iſraelitis inito, in officio Imperatoris bellici collocatam eſſe. Unum adhuc, antequam ad rem ipſam progrediamur, notandum erit, obſcurum videri, quid Scacchus intelligat, dum pronunciat: Deum dici אלהים ut Imperatorem, *fœdere cum Iſraelis inito*, ſiquidem verba illa, ſecundum literalem ſenſum, vix alio modo explicari poſſunt, quam hoc: quod demum, inito fœdere cum Iſraelitis, Numen ſanctiſſimum אלהים ut Imperator bellicus vocatum fuerit. Nemo itaque vitio nobis vertet, ſi ſententiam Scacchi, juxta naturalem verbum ſignificationem examinaverimus.

(1) *In Vita Scacchi, una cum iſtis, quæ Leo Allatius & Philippus Elſius, de Scaccho habent, Amſtelodamenſi Mirotheciorum Elæochriſmatων editioni, præmiſſa.*

(2) *Quarum inſcriptio ſequens: Viris Clariſſimis Salmaticenſis collegii Magiſtris & Doctoribus, omnium bonorum literarum & ſcientiarum promis condis F. Fortunatus Scacchus Eremita Auguſtinianus Sacrarii Apoſtolici Præfectus S. P. D. quas itidem adjectas invenies Myrotheciis Elæochriſmatων Amſtel. edit.*

(3) *Uterque in vita Scacchi Myrotheciis Elæochriſmatων edit. Amſtel. præmiſſa.*

(4) *Ita enim in dedicatione Myrothecii primi, quod Urbano VIII. Pontif. Max. obtulerat, loquitur: Illud certe doleo, ea nequaquam dicendi elegantia aut eruditione perpolitum publicari. Difficillimum ſane ac arduum fuit homini per triginta tres annos, & eo amplius, in Scholaſticis ſtudiis verſato, elegantiores demum repetere Muſas, dicendique ſtylum immutare. Scholaſtica enim, quam hodie dicunt, Theologia, quæ in Maceratenſi Academia haud ita pridem me profitentem agnorat, propriis vocabulis publicam ingreditur diſputationum palæſtram, ſuiſque certat armis.*

(5) *Epiſtola peculiari, cujus momenta recenſet Leo Allatius in Apibus Urbanis.*

(6) *Ita enim Scacchus Idibus Januarii Ann. 1619. ad eundem ſcribit: De ſacris Oleis & Unguentis, V. & N. Inſtrumenti, officinam meam inſcribere, ruſticitatem quandam atque barbariem ſapere videtur. Propterea ſacra Chriſmilæa illi adhibendum titulum cogitavi, παρὰ τὸ χρίσμα, καὶ τὰ ἔλαια, duabus bis, in unam, coeuntibus dictionibus, prout in more eſt, apud Græcos, & α finali, prioris dictionis χρίσμα nec non ε in principio poſterioris ἔλαια per ſynæreſin in η mutatis. At cum Græcam linguam, vix ego in limine ſalutaverim, multa in eo titulo me torquent, dictionum nimirum illarum conjunctio & ſynæreſis; quæ ſi cohæreant ambigo, an verbum illud per ſimplex i Latinum ſcribendum ſit Chriſmalæa, an vero Græco retento Chriſmalæa quemadmodum de ω literariæ reipublicæ principem Lipſium tuum in dictione Polierceticων feciſſe perſpicimus: an denique ſecundæ Latinorum declinationi, dictionem Chriſmilæa, ſine reprehenſione adſcribere poſſimus. Reſpondit Eryc: Puteanus. Quare ἀπὸ τοῦ χρίσματος καὶ ἐλαίου formari poſſunt χρισματέλαια, vel rectius ἐλαιοχρίσματα Latine Elæochriſmata.*

(7) *Literis Romæ IV. Idus Martii Ann. cIↄ. Iↄc. XXIX. ad eundem datis.*

(8) *In ſelecta Centuria Epiſtolarum Epiſt. 29.*

(9) *Ita ab auctore nominatur, quia ſacra & profana, tam olea, quam unguenta, in divinis expreſſa oraculis, (ſed quæ proprio alicui nominum generi deſtinata non fuerint) in eo explicantur.*

(10) *Explicans compoſitionem, & uſum unguenti, a DEO inſtituti, ad conſecrationem Sacerdotum, Altarium, & Tabernaculi, & omnium Moſaicorum utenſilium, eorundemque formas, & de novo ex ſacris literis cognitas, aperiens.*

(11) *Siſtens reipubl. Iſraeliticæ ordines, tam ſenatorios, quam militares, inaugurationis pompam, adorationes, acclamationes, præcentiones, & quicquid Ceremoniarum in Regis Conſtitutione ſervabatur.*

(12) *Diſſert. de tabulis fœderis poſterioribus* §. *XIX. pag.* 44.

(13) *Exod. III.* 8. *VI.* 7. 8. *XIII.* 5. 21. 22. *XIV.* 19. *ſeqq. XXIII.* 20. 22. 23. 27. – 31. *XXXIII.* 2. 14. 15. *&c.*

(14) *Jud. VIII.* 23. 1. *Sam. VIII.* 7.

SECTIO II.

Argumenta Scacchi, pro ſententia ſua adducta examinans.

ARGUMENTUM I.

Nomen אלהים *eſt nomen dignitatis externæ.*

SEntentiam aliquam curioſam & ante hac inauditam adducere, eandemque vel nullis, vel nec ſufficientibus, nec ſpecioſis argumentis corroborare, luſum potius ingenii, quam rem ſeriam exhibere videtur, quod, ut Fortunatus noſter evitaret, opinionem ſuam: Deum Elohim dici, ut Imperatorem, fœdere inito cum populo Iſraelitico, quinque potiſſimum columnis ſuperſtruere conatur. Primum locum illud argumentum occupat: ipſum nomen Elohim nomen dignitatis eſſe, qua occaſione tamen dignitas interna, ab externa, probe eſt diſtinguenda, quum & nos ipſi facile concedamus, nomen Elohim eſſe nomen dignitatis internæ, in Majeſtate divina fundatæ, Scaccho autem repugnemus, qui illud nomen dignitatis externæ conſtituit. Hoc enim ſi Scacchus obtineret, ſuam mentem, ſi non directe, tamen indirecte adſtrui exiſtimabat, quum nemo excipere poſſet, hoc nomen, alias ex attributo divino reſultans, Deo, tanquam Imperatori bellico populi Iſraelitico, prorſus non competere. Duplici autem modo rem aggreditur, atque primo non incongruum eſſe putat, ſi dicatur, innuere nomen אלהים principalem aliquam dignitatem, qualem exhibuerint apud Romanos Cæſaris & Auguſti nomina; apud Ægyptios, Abimelechi, & poſtmodum Pharaonis; apud Babylonios Nabuchodonoſoris, quæ, ab aliquibus derivata, qui iis nominibus appellati quum fuiſſent, illi reipublicæ, cui præfuerant, boni nominis & ominis cauſſa adfuerunt, quam ob rem poſtmodum ejuſ-

ejuſdem boni ominis cauſſa eadem nomina ſucceſſores aſſumſerint (1). Facile autem Scacchus animadvertebat hanc rem firmo talo non inſiſtere, quis ejuſmodi nomen, quod Reges, principeſque a majoribus ſuis aſſumſerunt, Deo nulla ratione tribui poteſt. Quis quæſo Deo tale nomen adſcriberet, quod ab aliis, qui ante eum illud, tanquam proprium ſibi vindicaverint, originem trahat, quum ſit primus & ultimus, & hoc nomen a Moſe, circa tempus creationis, ſibi imponi paſſus fuerit, ipſeque rem ita inſpiraverit? Numne ſanctiſſimo & perfectiſſimo Numini opus erat, boni ominis cauſſa nomen aliquod ab aliis recipere, quod ipſum perfectiſſimum & feliciſſimum exiſtit? Cautius hinc ſe proceſſurum exiſtimabat Fortunatus, ſi ſtatueret: Nomen אלהים verius vi vocis, dignitatis eſſe, qualia ſunt nomina Regis, Ducis, Imperatoris, Papæ & aliorum ſimilium, quæ nulli ſunt propria, ſed nomini proprio adjunguntur, ad ſignificandum, qua dignitate is, qui tali nomine inſignitur, gaudeat. Et hoc ipſum quidem jam data opera nobis erit impugnandum, oſtendendo, totum hoc argumentum, re vel maxime ita ſe habente, pro Scaccho non facere, & veritati prorſus repugnare.

II. Liberaliter dum cum Scaccho agimus, evincendum nobis proponimus, quod, ſi vel maxime nomen divinum אלהים dignitatis externæ eſſet, nondum tamen exinde concludi poſſit, Deum dici אלהים ut Imperatorem, fœdere cum populo Iſraelitico inito. Primo enim probabile videtur, Deum, dum nomen אלהים, tanquam nomen dignitatis cujuſdam externæ aſſumſiſſet, illud, haud ideo, quod populo Iſraelitico, in expugnanda terra Cananæorum ſingulari auxilio adfuerit, recepiſſe; ſed potius, quia cœli ac terræ dominus, rerumque omnium auctor ſtatorque exiſtit. Neque vero hunc in modum Scaccho hic inferre licet: Vox אלהים, eſt nomen dignitatis externæ, ergo Deo competit, ut Imperatori bellico populi Iſraelitici, fœdere cum eodem inito, ſiquidem hac ratione nomen iſtud Deo ut Monarchæ potius hujus populi aſſignandum eſſet, quum ex ſignificatione, quam huic nomini Scacchus cum aliis tribuit, id facile etiam evincatur. Breviter, ſi res ſit expedienda, dicendum, Fortunatum hinc nihil, quam id elicere valere, non abſonum prorſus videri, Deum אלהים, ut Imperatorem bellicum, populi Iſraelitici appellari potuiſſe, non autem, eundem re ipſa ita appellatum fuiſſe.

III. Sed enim vero, & illud veritati repugnat, nomen אלהים eſſe nomen dignitatis, externæ ſcilicet, de qua Scacchus loquitur: quod, ut rite impugnemus, Deo fortunante, evincere allaborabimus, vocem אלהים eſſe nomen proprium Logicum, non Grammaticum, ſententiaſque falſas, ab aliis jam refutatas, leviter tangemus. Caute tamen hic eſt procedendum, ne & ipſi quoque graviter aberremus. Tenendum itaque, duplex dari proprium, unum ſcilicet ad vocem, alterum autem ad rem ipſam applicatum. Illud eſt vel Grammaticum, quod Appellativo, vel Rethoricum, quod tropico opponitur; hoc vero ſumitur vel generaliter, pro omni prædicato non communi, ſive eſſentiale illud ſit, ſive accidentale, qua ratione & differentia proprium eſt, vel ſpecialiter, pro prædicabili, quod de ſpecie aut numero diverſis, in quale accidentale neceſſarium prædicatur. Quando itaque dicimus, vocem אלהים eſſe nomen proprium Logicum, illud opponimus proprio ad vocem applicato, & intelligimus proprium Logicum generaliter conſideratum, quatenus nomen Elohim Deo ſoli proprie competit, neque eodem modo aliis commune eſt, quamvis ceteroquin ſecundum Philoſophorum ſententiam, proprium unius alii etiam ſecundario & per participationem convenire poſſit. Ipſa quoque adorationis dignitas quum hoc modo comparata ſit, ut Deo ſoli & ſemper proprie competat, eſſentiamque divinam, noſtro concipiendi modo, conſequatur, nomen Elohim, quod, evincente *Philologo ſeculi noſtri facile principe*, *Celeberrimo* Danzio (2) *Patrono*, *Præceptore*, *atque quondam Hoſpite noſtro*, *ætatem devenerando*, σέβασμα ſeu Numen adorabile, vi originis ſuæ, de qua, *ſequenti Sectione*, *primoque contra Scacchum argumento* agemus, denotat, tuto vel eam etiam ob cauſſam, nomen proprium Logicum dici poterit. Quod ſi tamen id ipſum nondum arrideat, concedetur tamen facile, *dici de Deo*, *ut Celeb.* Danzius loquitur, *primario*, *principaliter*, *& juxta primam impoſitionem*, *&*, *ſi forte de aliis præter Deum occurrat*, *locutionem eſſe tropicam*, *vel prorſus abuſivam*. Jam itaque, quomodo illud nomen, quod Deo vi dignitatis, religioſæ adorationis, quæ ipſi ſoli, ſemperque neceſſario competit, tribuitur, atque eſſentiam ipſius conſequitur, proprium eſt, nomen dignitatis externæ eſſe poterit, quod contradictionem apertam involveret.

IV. Adſtruentes autem, nomen divi-

num אלהים, non esse nomen dignitatis externæ, sed potius proprium Logicum, ultro concedimus, illud ipsum requisita nominis proprii Grammatici tueri haud posse. Recenset illa *Rab. David Kimchi*, (3) his verbis: לא תבוא הא הידיעה על שם האדם לא תאמר האברהם וכן לא יבאו עמו אותיות הכנוי לא תאמר אברהמי יצחקי וכן לא יאמרו מהם בלשון רבים אברהמים יצחקים: i. e. *Non occurrit He Articuli cum nomine proprio, non enim dicitur* האברהם. *Pariter non occurrunt cum eo literæ suffixi, non dicitur* אברהמי יצחקי. *Porro non effertur ullum illorum in numero plurali* אברהמים יצחקים. Vel, qua ratione *Celeberrimus Danzius*, (4) eadem collocat, 1. non flecti in pluralem numerum, 2. non poni in regimine, 3. nulla assumere suffixa, 4. nullum de se formare Verbum, & juxta plerosque, 5. respuere Articulum, quamvis ultimum ex *Gen.* IV. 1. ab aliis impugnetur. Et hæc quidem Requisita omnino, non quadrant in nomen אלהים, quoniam illud ipsum est Numeri pluralis, & & agnoscit singularem אלה, qui *Deut.* XXXII. 17. *Job.* III. 4. *Psalm.* XVIII. 32. aliique in locis occurrit. Construitur etiam hæc ipsa vox cum aliis, prouti constat ex *Gen.* IX. 16. XXVI. 24. *Exod.* III. 6. pluribusque scripturæ oraculis. Neque suffixis caret, sic enim dicitur אלהי *Gen.* XXXI. 30. אלהינו *Exod.* III. 18. אלהיך *Levitic.* II. 13. אלהיך *Jes.* LX. 9. אלהיכם *Num.* X. 9. אלהיו *Deut.* XVII. 19. אלהיה *Ruth.* I. 15. אלהיהם *Jud.* III. 16. אלהימו *Deut.* XXXII. 27. & אלהיהן *Exod.* XXXIV. 16. Assumit denique hoc ipsum nomen multoties ה Articuli, ut *Gen.* V. 22. *Exod.* XVIII. 5. II. 12. 16. 19. sexcentis aliis. Ex quibus omnibua Scacchus tamen nondum colligere potest, nomen divinum אלהים dignitatis externæ esse, ut adeo & illud concidat, Deum ita dici, ut Imperatorem populi Israelitici, fœdere cum eodem inito.

V. Vehementer itaque illi erant, qui cum *Hieronymo* (5) pluralem absolutum אלהים, & constructum אלהי, tanquam peculiaria nomina considerant, vel cum *Abarbanele* (6) nomen אלהים, singulare dicunt, quæ omnia quum a *Celeb. Danzio* (7) solide sint discussa, lubentes hic prætermittimus. Neque isti ab omni errore absolvi possunt, qui nomen אלהים *Drusio* (8) referente, proprium esse contendunt, quando Deo adscribitur; appellativum vero, dum aliis tribuitur, quum sua natura, ob rationes adductas, nomen appellativum Grammaticum sit constituendum.

ARGUMENTUM II.

Nomen divinum אלהים, *aliis præter Deum adscribitur.*

I. MAjori robore Scacchus & præcedens argumentum, & totam rem, se adstructurum putabat, si evinceret, nomen divinum אלהים angelis, principibus, ac viris celebrioribus in sacris oraculis tribui. Id enim si verum esset, facile animadvertebat, negari haud posse, illud ad nomina dignitatis externæ referendum esse, quum alio modo creaturis competere non possit. Hoc vero evicto, & illud, si vel maxime tantum probabiliter, concedendum existimabat, Deum, fœdere cum populo Israelitico inito, אלהים ut Imperatorem appellari.

II. Nos hac in re tam rigorosi non erimus, ut penitus negemus, nomen אלהים ulli, quam soli Deo, secundario saltem in Scripturis tribui, quum varia loca contrarium loquantur. Sic enim ipse Deus Mosen, singulari gratia a se exornatum, אלהים vocat, dum *Exod.* III. 1. dicit: ראה נתתיך אלהים לפרעה: *Ecce posui te Deum Pharaoni*. Sic illud Diis spuriis tribuitur, quando Laban *Genes.* XXXI. 30. Jacobum ita increpat: למה גנבת את הלהי *quare suffuratus es Deos meos*, scilicet Teraphim, & *Exod.* XX. 3. de iisdem usurpatur, Deo prohibente; *non sit tibi* אלהים *ullus Deorum aliorum præter me*, item *Exod.* XXII. 19. ubi Deus jubet, ut sacrificans אלהים, diis, devoveatur, atque *Deut.* XXXII. 17. quo in loco Deus, de populo suo conqueritur, quod dæmonibus, non Deo, sacrificent, אלהים diis, quos neque noverant, ut alia quam plurima loca, quæ huc faciunt, sicco pede prætereamus. Atque hoc ipsum caussa est, quod *Dorscheus* (9) moneat, callidissimum veteratorem Satanam, sicuti alia nomina divina sub aliis, ita etiam nomen אלהים sub Ἠελίυ nomine abscondisse, & creaturis tribuisse. Porro varia reperiuntur oracula, in quibus angeli nomen אלהים gerere videntur, ex quorum numero, primo loco adducimus *Genes.* XXXII. *Cap.* v. 3. ubi Jacobus angelos sibi obviantes מחנה אלהים vocat. Jam *Drusius* (10) scribit, verti verba posse: *castra Dei* & *castra Deorum*, scilicet Angelorum, quum in eo loco מלאכי אלהים seu Angeli Dei eidem occurrerint. At quis non videt, priorem versionem posteriori multis modis præferendam esse, quum hic angeli Dei, an-

angelis Satanæ opponantur, atque hac ratione verba מחנה אלהים eodem modo, ut מלאכי אלהים sint explicanda, ut adeo hoc oraculum ad nostrum scopum prorsus non pertineat. Majori jure alia loca huc trahi possunt, nimirum *Psalm.* VIII. 6. cujus verba ita fluunt ותחסרהו מעט מאלהים *carere fecisti eum paululum præ Elohim*, atque optime ex *Hebr.* II. 17. ab ipso Spiritu S. hoc modo explicantur: ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ᾽ ἀγγέλους, *minorem reddidisti eum paululum angelis*. Quod autem אלהים hic angelos notet, non tantum locus Pauli parallelus, verum etiam oppositio, quam *B. Seb. Schmidius*, (11) animadvertit, clare evincit. Ii enim sunt Elohim, quibus homo Christus & minor & major fieri potuit, quod nulla ratione in Deum summum, sed commodius in angelos quadrat. Huic loco alius, qui *Psalm.* XCVII. 7. occurrit, & ita se habet: השתחוו לו כל-אלהים *adorate ipsum omnes Elohim* merito est adjungendus, in quo illud extra omne dubium positum est, Elohim hic Deum summum haud denotare, quum veneratio Dei, cum submissione conjuncta, ipsi Deo adscribi nequeat. De illo vero, jam dispiciendum, quisnam hic indigitetur; qua in re denuo Divus Paulus *Hebr.* I. 6. nos optime instituit, dum sequenti modo laudatum oraculum adducit: καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ, *& adorent ipsum omnes angeli Dei*, ut adeo id certum sit, nomen divinum *Elohim* interdum angelis imponi. Pari modo de Judicibus nomen אלהים usurpatur *Exod.* XXI. 6. his verbis: *& admoveat eum Dominus ejus ad* האלהים, atque *Exod.* XXII. 8. ubi dicitur: *quem condemnabunt Dii, duplum socio suo restituet*. Hæc loca nos adduximus, ut ipsi Scaccho quasi arma, ex manibus ejus mox iterum evellenda, suppeditemus, quum oracula, ab illo citata, parum, si modo locum *Exod.* III. 1. excipiamus, pro sententia ipsius militent. Quo enim argumento ex *Gen.* VI. 2. ubi refertur, *filios Dei*, *videntes*, *filias hominum*, *quod pulchræ essent*, *duxisse sibi uxores*, *ex omnibus*, *quas elegerant*, evincet, hic per filios Dei non Angelos, non filios justorum, sed Principes intelligendos esse. Longe felicius hic locus ex *Gen.* IV. 26. explicatur, quod oraculum evincit, tempore Henochi mirum in modum numerum malorum fuisse multiplicatum; ut pii & recte credentes coacti fuerint se a Dei nomine appellare, atque a cœtu impiorum distinguere. Tempore vero Noachi homines magis magisque in quævis scelera ruentes, hanc distinctionem non amplius attendebant, sed filias inimicorum Dei ducebant, simulque cultum ipsorum approbabant, ut adeo filii Dei non principes, sed homines veræ Ecclesiæ antediluvianæ addictos, denotent. Non minus ægre oraculum, quod *Psal.* LXXXII. 1. occurrit, atque a Scaccho citatur, evincit, Judices אלהים vocari, quod in primis ex accentuatione apparet. Habent se autem verba ipsius sequenti modo: בעדת אל בקרב ישפט *Judicium institutum est in conventu fortis*, *in medio Deus judicat*; in quibus vox בקרב per Tiphcham, minorem Silluci subdistinctiuum, ab אלהים separatur, אלהים vero ipsum per Munachum cum ישפט conjungitur. Atque hanc ob caussam *Abarbanel* (12), non tantum hunc locum tali modo explicavit, verum etiam reliqua omnia, quæ de judicibus agere videntur, ipsi Deo vindicavit, cujus verba quum jam a *Celeb. Danzio* (13) adducta sint, studio omittimus.

III. Quum itaque ex dictis satis superque constet, ipsum nomen אלהים nonnunquam viris illustribus, Diis spuriis, angelis, judicibus, aliis tribui, quæritur jam, qua ratione id fiat, numve illud nomen soli Deo vero, jure vindicari queat? Utut autem hac in re prolixi admodum in recensendis variorum sententiis esse possemus, ab hoc tamen instituto, cum aliorum, quæ hac de materia magna in copia extant, scripta, merito nos avocent, in nostra solummodo explicatione, hac quidem vice, acquiescemus. Statuimus autem, nomen אלהים, si vel maxime creaturis impositum videatur, immediate semper ipsum Deum respicere. Hic interim loca ipsa probe, a se invicem sunt distinguenda, posteaquam multa in medium afferuntur, quæ, si recte examinentur, nulla ratione nomen אלהים creaturis tribuunt, qualia sunt sequentia, scilicet, *Genes.* VI. 2. *Psal.* LXXXII. 1. & *Genes.* XXXII. 3. in *præcedenti* §. a nobis citata. Atque huc inprimis labor *Gussetii*, (14) pertinet, qui, ut *Celeb. Danzius* loquitur, magno & generoso prorsus ausu, evincere conatur; quod hoc nomen ita Deo summo proprium sit, ut nuspiam de aliis, angelis, judicibus, vel arca usurpetur. Nos, qui prorsus non negamus, creaturis & Diis spuriis nomen אלהים in Scriptura tribui, id tamen ita fieri pronunciamus, ut semper immediate Deum venerandum, divinumque quid respiciat, cujus vestigia vel in creaturis reperiuntur, vel etiam, quod in Diis spuriis evenit, quibus-

busdam male adscribuntur. Viris itaque illustribus nomen אלהים eam ob caussam imponitur, quia ipsum Venerandum Numen omnis venerationis celebritatisque caussa prima est, & honor ille, ob quem ipsis nomen אלהים tribuitur, non mediate, sed immediate a Deo, iisdem est collatus, id quod Mosis exemplum egregie evincit. Ad Deos vero spurios quod attinet, ex insigni mentis cæcitate, hominumque malitia veneratio atque cultus, quo solummodo Deus verus condecorandus erat, eidem eripitur, atque in idola transfertur, quæ deinde sub specie veri Dei adorantur. Eodem modo res cum Angelis comparata est, hi enim ipsa nominis vi, dum מלאכים atque ἄγγελοι dicuntur, legati sunt sanctissimi Numinis, quibus singulares honores, non ratione personæ propriæ, sed ratione officii, quod gerunt, regii, exhibentur, ut adeo illi, non tam in legatos, quam in Regem, a quo missi sunt, ultimato recidant. Dum itaque Angeli nomine אלהים nonnunquam compellantur, hoc nomen non tam ipsis, ut Angelis, sed ut Dei vicariis imponitur, ut adeo iterum, non tam ad angelos, quam ad ipsum Deum referatur. Tandem etiam judicum facienda est mentio, de quibus etiam commemoravimus, quod nomine אלהים condecorentur. Quod si vero rem curatius examinemus, animadvertimus, judices personam Dei agere, officiumque, a Deo, tanquam summo judice, sibi impositum, in terris administrare. Non itaque Deus tantum in se, verum etiam in vicariis suis venerationem sibi exhibendam exigit, unde denuo colligere licet, nomen אלהים judicibus impositum, non tam ad ipsos judices, quam ad Deum, cujus personam sistunt, referendum esse.

IV. His itaque præstructis, cadit ultro argumentum Scacchi, quod a nomine אלהים, creaturis, Deisque spuriis, imposito, iste desumsit. Facile enim quisque assequi poterit, quod, si nomen אלהים aliis, extra Deum impositum, non illos, quibus tribuitur, immediate respiciat, sed potius ad divinum illud, quod in ipsis reperitur, venerationemque summi Numinis referatur, nomen dignitatis externæ nullo modo sustinere possit. Hoc vero destructo, & illud necessario cadit, Deum, fœdere cum populo Israelitico inito, אלהים ut Imperatorem bellicum appellari, quia illud ipsum ad dignitatem externam est referendum.

ARGUMENTUM III.

אלהים *formatur ex* אל & אלה.

I. Novo, quamvis levi admodum argumento, Scacchus noster, sententiam suam, quod nimirum Deus, fœdere cum populo Israelitico inito, אלהים dicatur, ut Imperator bellicus; comprobat, dum se ad etymologiam convertit, atque hoc ipsum nomen ex אל & אלה formari statuit. Ex significatione utriusque vocabuli suam mentem adstruere conatur, & quidem primo loco ex voce אל quam *fortem*, *potentem*, atque hac ratione etiam *bellicosum* denotare, neminem facile negare posse existimat. Jam vero subsumit, si ulli, in toto exercitu, animus strenuus atque heroicus competat, talem necessario ipsi Imperatori adscribendum esse, quippe cujus fortitudine reliqui excitantur, ut hostes promte, magnoque cum successu, aggrediantur. Id porro extra omne dubium positum esse, adnotat; Deum ipsum pro Israelitis decertasse, quumque אלהים ex אל ita dicatur, eum sine dubio hoc nomen, ut Imperatorem bellicum, obtinuisse. At enim vero, non saltem ex אל, verum etiam ex אלה rationes pro sua sententia petit, dum radix hæc alias quoque *jurare*, *execrari*, *pejerare* significat. Quum itaque receptæ sit consuetudinis, ut Principes, fœdere aliquo, atque juramento interposito, eligantur, non male videtur Scaccho, Deo nomen אלהים tribui, ut Principi atque Imperatori bellico. Non parum quoque mentem Scacchi sacramentum militare explicare videtur, quod apud Romanos tam celebre erat, ut etiam peculiare militiæ genus inde sacramentum diceretur. Singuli enim jurabant, se pro Re publica esse facturos, nec nisi confectis stipendiis discessuros, prouti hac de re multa apud *Rosinum* (15) & *Dempsterum* (16) occurrunt. Non itaque mediocrem hic convenientiam inter Imperatores & Deum, nec non inter milites Romanos & populum Israeliticum, ex sententia ipsius Scacchi, fingere possumus. Ad Israelitas quod attinet, jurejurando iidem se obstrinxerant, se non saltem præcepta legesque divinas recepturos, verum etiam sancte hæc omnia observaturos: Deus ipse vero Israelitis juramento quasi reciproco promiserat, se ipsis in Deum, illos autem sibi in populum futuros. Atque hac ratione pronum Scacchus esse existimat, quum אלהים simul ex אל deducatur,

Deum

Deum ita, ut populi Israelitici Imperatorem bellicum vocari. Quod si vero hæc omnia recte examinemus, fucum ista faciunt, & nihil, nisi ingenii lusum, ostendunt, unde in refutatione, recepta methodo ita denuo procedemus, ut primum evincere conemur, quod stante etiam sententia Scacchi, אלהים scilicet ex אל & אלה derivari, ille hinc nihil certi evincere possit; dehinc vero paucis demonstremus, quod neque vel ex אל vel ex אלה separatim, neque ex utroque conjunctim nomen אלהים derivari queat, qua ratione totum hoc Scacchi argumentum subruemus.

II. Demus itaque Scaccho nostro, ut eo melius veritatem totius rei omnium oculis exponamus, derivari nomen אלהים ex אל & אלה nihilominus tamen exinde non evincet, Deum ita ut Imperatorem bellicum appellari. Quamvis enim vox אל generaliter *validum*, *potentem*, atque *fortem* denotet; argumentum tamen Scacchi tum demum valeret, si omnis qui virtute atque potentia aliis præstaret, Imperator bellicus foret dicendus. Eadem ratione res cum radice אלה comparata est, quoniam varii generis juramenta & fœdera occurrunt, a quibus omnibus Deus אלהים diceretur, ut adeo & hæc sententia ne probabili quidem fundamento superstructa sit.

III. Ne tamen sententia Scacchi etiam vera saltem videatur, jam paucis, quum id plurimis a *Celeb. Danzio* (17) factum jam tum sit, vel inde adstruemus, quod nomen divinum אלהים neque ab אל & אלה, distincte sumtis vocabulis, neque ab iisdem, si conjunctim accipiantur, derivari possit. Ut itaque ab אל initium faciamus, sine dubio hæc vox descendit a verbo quiescente Aiin, ut sit vel forme זקן vel כרש atque hac ratione, quum nomina formentur a verbis servata eadem qualitate, media radicali abjecta, (..) impurum evadit, sicque correptionem in (:), in אלה obviam, non sustinet. Deinde tertia radicalis, ה nimirum mobile, aliunde esset accersenda, quod ipse Scacchus probe animadvertit, atque inde etiam statuit, quod ה illud demonstrativum sit, & in significatione, *illos validos*, *illos fortes* exhibeat. Recte vero *Celeb. Danzius* monet, talem compositionem Hebræis prorsus non esse receptam, quippe qui, si Nomina propria excipiamus, vel nulla, vel paucissima composita habent. Sic quoque nihil prorsus exemplum illud evincit, quod Scacchus ex nomine Abrahami petit, quem, quum antea אברם seu *pater excelsus* diceretur, deinde ideo אברהם vocatum esse dicit, ut esset Dux & Imperator militum. Constat enim ex ratione impositionis nominis ipsius, quando *Genes.* XVII. 4. 5. Deus dicit: אב המון גוים נתתיך *patrem multitudinis gentium constitui te*, eundem integro nomine אברם המון seu *patrem excelsum multitudinis* appellari, ut adeo euphoniæ & firmioris connexionis caussa, ם mediæ, & ון ultimæ syllabæ abjiciantur, atque tali modo ה illud non demonstrativum, aut quod Judæi fingunt, ex nomine יהוה petitum sit, sed cum ultimo ם e voce המון deducatur. Tacemus, Abrahamo hoc nomen nullo modo, propter prælium cum gentibus commissum, impositum fuisse, ipsumque propterea Ducem aut Imperatorem bellicum nominari potuisse.

IV. Neque vox אלהים originem suam ex radice אלה trahere potest, quum secundum *præcepta Danziana* (18) cujuslibet derivationis veritas, recte per convenientiam formationis & significationis cum sua origine exploretur, quorum utrumque hic desideratur. Non enim ratione significationis nomen אלהים cum radice אלה convenit, quia nulla, nisi coacta caussa dari potest, cur Deus, a juramento denominetur, quum potius vel ab essentia, vel existentia, vel ab attributo aliquo sit denominandus. Neque id procedit ex convenientia formationis, quoniam ה tertiæ radicalis, quia verba לה sæpius patiuntur Apocopen, vel in אלה ad formam אב, אח aliorumque, aut saltem in plurali אלהים abjiciendum esset, siquidem ה, quod sua natura quiescens erat, in medio moveri non potest; jam vero hoc ipsum ה quod in singulari אלה, & in plurali אלהים occurrit, in utroque movetur, quare etiam a radice אלה non descendit.

V. Sed, si etiam voces אל & אלה conjunctim sumantur, ex iisdem tamen nomen אלה, vel plurale אלהים, formari, aut potius componi nequit. Nam primo nomen אלהים non est proprium Grammaticum, sed Logicum, atque hac ratione prorsus non, vel ægre saltem, compositionem admittit. Non vero hoc tantum, sed etiam natura atque leges compositionis huic formationi repugnant. In compositione enim requiritur, ut partes inter se uniantur, vel saltem aliquid ex utraque parte adsit. Jam vero frustra prorsus אלה & אלהים ex אל & אלה componeretur, quia in אלה eodem modo ac in אל literæ א & ל inveniuntur.

VI. Mirum itaque, Fortunatum nostrum, tam turpiter circa prima linguæ He-

Hebrææ fundamenta erraſſe, cui tamen ab *Erythræo* & *Elſio* hæc laus tribuitur, quod in hac lingua tam exercitatus fuerit, ac ſi in eadem natus videretur. Quid quæſo roboris ſententiæ ipſius accedit, qua exiſtimat, Deum, inito fœdere cum populo Iſraelitico, אלהים ut Imperatorem bellicum appellari, quod ex אל & אלה hæc vox derivetur, quoniam hæc derivatio multis vitiis laborat, atque merito ſuum ad auctorem eſt remittenda.

ARGUMENTUM IV.

Evincit id ipſum oraculum Deut. XXVI. 17. 18.

I. NEminem in rebus ſacris, ipſa Scriptura, præſtantius dare teſtimonium, quiſque, qui eandem veneratur, facile admittet, unde & Scacchus, ut ſuam ſententiam eo melius pingeret, ſacrum aliquod oraculum pro ſe allegat. Occurrit illud *Deut.* XXXVI. 17. 18. atque ita ſe habet: את יהוה האמרת היום להיות לך לאלהים, quod Scacchus ſequenti modo vertit: *Jehovam elegiſti hodie, ut ſit tibi Elohim.* Duo autem ex hoc dicto elicit, quæ ipſi ſententiam, ſæpius memoratam, adſtruere videntur, electionem nimirum, atque dignitatem illam, ad quam Jehova electus fuerit. Dum de electione loquitur, niſi nos omnia fallunt, tacite animum dirigit ad electionem Regum, Principum, atque Imperatorum, quibus eligentes eo ipſo ſe obſtringunt, quod dicto audientes eſſe velint. Eodem modo electionem Iſralitarum, qua Jehovam in *Elohim* eligebant, comparatam fuiſſe Scacchus dicit, quum Moſes eandem his verbis explicet: *Ut ambules in viis ejus, & cuſtodias ceremonias illius, & mandata atque judicia, & obedias ejus imperio.* Atque hinc etiam de ipſa dignitate, voce אלהים ſignificata, conſtare putat, quum hæc verborum forma, Deum, ut Imperatorem reſpiciat, & habentem regimen Iſraeliticæ Reipublice, cum jure & auctoritate leges atque mandata conſtituendi, & firmandi omnino illam Rempublicam. Utrumque iam examinabimus, atque oſtendemus, Scacchum non adeo recte textum inſpexiſſe, neque hoc ipſum pro ejus ſententia facere.

II. Ut ab electione ordiamur, dubia admodum eſt vox האמרת, cujus ſignificationem vel ab אמיר, quod nomen *ſummum ramum* denotat, ut hac ratione ipſum verbum *magnificare* atque *evehere* ſignificet, vel a notiſſimo radicis אמר *dicendi* ſignificatu derivant. Audiamus hac de re Interpretum ſententias. Ita enim *R. David Kimchi* (19) ſcribit: את יהוה האמרת כלומר רוממת והגדלת אותו ויתכן גם כפרש מענין אמירה כלומר סבבת שיאמר להיות לו לעם והוא סבב שתאמר להיות לך לאלהים וללכת בדרכיו: *Hæc verba* את יהוה האמרת *eodem modo ſe habent, ac ſi diceres, exaltaſti & magnificaſti eum. Poteſt etiam exponi in ſignificatione loquendi aut dicendi, ac ſi diceres: cauſſa fuiſti ut diceret, te eſſe ſibi in populum, & ille cauſſa fuit, ut diceres: eum tibi eſſe in Deum, teque ambulaturum in viis ejus.* Eodem modo hanc vocem *Ben Melech* (20) ſequentibus verbis interpretatur: האמירת ענין רוממת וכן האמירך כלומר רוממת והגדלת אותו ויתכן לפרשם ענין אמירה כלומר סבבת שיאמר להיות לו לעם והוא סבב שתאמר להיות לך לאלהים וללכת בדרכיו: i. e. *Verbum* האמרת *habet ſenſum exaltationis, quo modo res comparata eſt, cum voce* האמירך, *ac ſi diceretur: exaltaſti & magnificaſti eum. Poteſt etiam illud explicari ſenſu locutionis, ac ſi diceretur: cauſſam præbuiſti, ut diceret, te ſibi eſſe in populum, & ille cauſſam dedit, ut diceres eum tibi eſſe in Deum, teque ambulaturum in viis ejus.* Neque ab hac interpretatione recedit *R. Aben Eſra* (21) cum *R. Jehuda*, cujus verba ipſe in medium profert, dum ita loquirur: האמרת מלשון גדולה וקרוב מגזרת בראש אמיר ויאמר רבי יהודה הלוי הספרדי נ״עכי המלה מגזרת ויאמר הטעם עשית הישר עד שיאמר שהוא היה אלהיך גם הוא עשה לך עד שתאמר שתהיה לו לעם סגולה ויפה פירש והנה תהיה מלת האמרת פעל יוצא לשנים פעולים: i. e. האמרת *eſt e ſignificatione magnificentiæ, & probabile, quod ſimili ſignificatu gaudeat ac nomen* אמיר *Jeſ.* XVII. 6. in vertice ſummi rami. *Sicque R. Jehuda Levita Hiſpanus, requies ejus ſit paradiſus, exiſtimat, quod hæc vox ſit e ſignificatione radicis* אמר, *ut hic ſenſus emergat: quoniam feciſti rectum, ut diceret, quod ille ſit Deus tuus, etiam ille fecit tibi (bonum), ut diceres, quod ſis ipſi in populum peculiarem. Atque hac ratione pulchre interpretatur. Et ecce eſt vox* האמרת *verbum egrediens in duo ſubjecta patientia.* Paulo aliter *Raſchi* (22) hanc vocem ſequentibus explicat: האמרת והאמירך אין להם עד מוכיח במקרא ולי נראה שהוא לשון המשכה והבדלתו הבדלתו לך מאלהי הנהר להיות לך לאלהים והוא הברישך אליו מעמי הארץ להיות לו לעם סגולה ומצאתי להם עד והוא לשון תפארת יתאמרו כל פועלי עון: i. e. *Hiſce verbis non eſt locus parallelus probans in ſcriptura,*

ra, *mihi vero videtur*, *quod illud verbum gaudeat significatione trahendi & separandi*, *tali modo* : *separasti illum tibi a Diis peregrinis*, *ut esset tibi*) Jehova) *in Deum*, *atque is te sibi segregavit a populis terræ*, *ut esses ei populus peculiaris*. *Inveni vero pro istis locum parallelum*, *quod notent gloriam vel exaltationem nimirum Psalm*. 94. v. 4. *ubi hæc verba occurrunt*, *verbis exaltabunt se omnes*, *qui faciunt iniquitatem*. Quod vero *Raschi* maxime postremæ faveat sententiæ, alibi (23) tradit, ubi verbum האמרת per שבחת *laudasti*, *laudibus extulisti*, exponit. Paraphrasin Chaldaicam porro inspicientes, eandem admodum dubiam invenimus, dum locum nostrum, ita vertit: *;*ית יי יומא דין jam vero radix חטב significationem *decerpendi*, *decidendi*, *separandi*, *seligendi*, *exaltandi*, *magnificandique* habet, ut adeo citata verba reddi possint: *Dominum extulisti*, *vel decidisti*, *aut selegisti hodie*, *ut sit tibi in Deum*, ויי חטבך יומא דין & *Dominus extulit*, *decidit*, *aut selegit te*, *ut sis ipsi in populum peculiarem*. Alio modo, ita tamen, ut propius ad illos, qui ex loquendi significatu sensum hujus vocabuli petunt, accedat, *Lud. de Dieu* (24) vocem האמרה interpretatur, dum ostendit, radicem אמר apud Arabes *scire*, aut *nosse*, & in transitiva significatione, *scire facere*, *docere*, *significare*, & *profiteri* denotare, unde & hunc non incommodum sensum ex nostro dicto elicit: *Tu Jehovam professus ex hodie*, *quod sit tibi in Deum*, *quod iturus sis in viis ejus &c. Et Jehova professus est hodie*, *quod sis ei in populum peculii &c.*

III. Enumeratis adhuc Interpretum, de voce האמרת, sententiis, jam inquirendum, quænam optima sit, atque maxime calculum mereatur. Si itaque dicendum quod res est, illorum explicatio admodum coacta videtur, qui existimant, hunc esse dicti nostri sensum : *Fecisti dicere Jehovam ut sit tibi in Deum*, quum hic verbum האמרת non Deum, sed tantum Israelitas subjective respiciat. Maxime probabilis itaque illa interpretatio est, quæ significationem magnificandi, exaltandi, deprædicandique, nostro verbo tribuit, in primis ex hoc capite, quod non leve, uti ex citatis locis Rabbinicis apparet, in Scripturis fundamentum ista habeat, dum istiusmodi significatus radicis אמר non saltem in voce אמיר, verum etiam *Psal*. xc. 4. obtinet, ut adeo oraculum citatum commode hunc in modum exponatur: *Deprædicasti Jehovam ut tibi sit in Deum*. Quamvis autem hæc interpretatio maxime probabilis sit, melius tamen versio illa, quam *Ludovicus de Dieu* affert, cum toto contextu convenire videtur. Unicum illud dubium eam premit, num scilicet radix אמר etiam in Hebræo idiomate *profiteri* significet? quod tamen facile diluitur, si perpendamus, multas radicum significationes linguæ Hebrææ in Arabica quasi reservatas esse. Præterea *profiteri* nihil aliud est, quam, *cum emphasi dicere*; jam vero Hiphil emphatica admodum Conjugatio est, in qua vox האמרת formatur, ut hac ratione commemorata radix, etiam ab usitata inter Hebræos significatione non multum recedat. Illud interim urgeri huc dum quadantenus poterat, quod minimum isti Interpretes pro Scaccho faciant, qui huic verbo *eligendi vim* adscribunt? At enim vero, si ingenue judicandum, plus solatii ex ipsis quoque non hauriet, Vir Cl., nisi quod unus alterue cum ipso facere videatur, revera tamen non faciat. Sic *Raschi* non longe a Scaccho recedit, quando *separationis* notionem verbo האמרת tribuit, quum *separatio* cum *electione* egregie conveniat. Id tamen simul notandum, eundem huic interpretationi non inhærere, quippe quæ nexui textus adversatur, atque firmo haud insistit fundamento. Post *Raschium* etiam *Paraphrasis Chaldaica* in medium afferri posset, si nimirum radix חטב unica *seligendi* significatione gauderet, quod, quum non sit, eandem, pari jure, pro nostra sententia allegare possumus. Ut vero fontem detegamus, unde Scacchus explicationem suam hauserit, nullum alium, quam Vulgatam versionem nominare possumus, cujus verba ita fluunt: *Dominum elegisti hodie*, *ut sit tibi Deus*. Atque eodem modo Scacchus, retentis saltem nominibus *Jehova* & *Elohim* oraculum hoc vertit, quod ipsi equidem ut Philologo, atque summo Hebræo, pro quo haberi discupit, condonandum. Concidit itaque illud, quod Scacchus, ex electione Jehovæ in Elohim, evincere conatur, illum videlicet, federe cum populo Israelitico inito, ita, ut Imperatorem bellicum appellari, quia ipsum verbum האמרת, ad quod se recipit, electionem non denotat. Posito autem de electione in oraculo citato sermonem esse; non tamen ibi de rebus bellicis agitur, ut electio in Imperatorem bellicum, intelligenda sit, sed de cultu potius divino maxime Levitico & ceremoniali, prouti id sequentia verba, *ut ambules in viis ejus*, & *custodias statuta*, *mandata & judicia ipsius*, *atque voci ejus* obe-

obedias satis superque testantur; ad quem cultum juxta *Exod.* XXIV. *Caput*: Deus, etiam certis de caussis consensum populi exigebat.

IV. At huc dum nobis obstare quodammodo videtur ipsa vox אלהים, utpote quæ, quum populus Israeliticus Jehovam Elohim elegerit, vel, si juxta nostram sententiam vertamus, professus sit, novam forsitan aliquam dignitatem indicabat. Ita equidem Scacchus sentit, & eandem dignitatem imperatoriam, militaremque fuisse asserit, vehementer vero fallitur, quum dignitatem illam internam, quam nomen אלהים innuit, quaque Deus, σέβαςος appellari meretur, atque religiose colendus est, jam ab omni æternitate idem iste possederit. Nihil itaque aliud Moses citatis verbis nobis proponit, quam quod ex una parte promissionem Israelitarum, qua fidem certissimam dederant, se leges, statutaque divina recepturos, atque Deum his ipsis religiose veneraturos esse; ex altera vero, promissionem Dei, qua, ex singulari gratia, Israelitis peculiarem prorsus curam protectionemque spoponderat, repræsentet. Accedit & illud, hanc loquendi rationem ante, & post initum fœdus, speciatim illis temporibus, quibus Israelitæ Reges suos Imperatoresque bellicos habebant, multoties in Scriptura occurrere. Sic enim *Genes.* XVII. 17. 18. Deus Abrahamo jam promittebat, se ipsi לאלהים *in Deum* futurum, non, ut esset Imperator bellicus, sed ut specialissimam ipsius curam in se susciperet. Porro antequam *Deus* adhuc fœdus, cum populo Israelitico iniret, *Exod.* VI. 6. non habito respectu ad electionem, eundem jam hoc solatio erigebat; *Accipiam vos mihi in populum, eroque vobis* לאלהים *in Deum*. Imo temporibus Prophetarum, sæpius Judæis, si nimirum ad Deum reverterentur, hanc promissionem dabat, se ipsis לאלהים in Deum, eos vero sibi in populum futuros, quod, e multis, sequentia loca, ut pote *Jeremiæ* VII. 23. XI. 4. XXIV. 7. XXX. 22. *Ezech.* XXXIV. 24. XXXVI. 28. XXXVII. 23. 27. *& Zachariæ* VIII. 8. clare evincunt. Sed enim vero, eo tempore, quum jam ipsi Israelitæ Reges Imperatoresque sibi statuerent, θεοκρατία cessaverat, unde neque veritatis speciem habet, Deum, citatis in locis se אלהים, ut Imperatorem populi Israelitici bellicum, appellasse.

ARGUMENTUM V.

Tandem illud e fœdere, inter Deum & populum Israeliticum, firmati, constat.

I. Unum in humanis errorem, sæpe alios complures parere, uti tristis experientia testis est, ita dolendum, quod Scacchus quoque eadem fata subjerit. Inclarescendi cupiditas eundem ad singulares invitabat sententias, inter quas illa, quod Deus dicatur Elohim, fœdere cum populo Israelitico inito, ut Imperator bellicus, non infimum locum meretur. Hanc vero, quum occasione *Deut.* XXVI. 17. 18. potissimum ex electione, comprobare conetur, mox etiam ipsum fœdus, quo hanc electionem factam fuisse existimat, in subsidium adducit. Mens enim ipsius, si rem probe consideremus, eo tendit, ut, quum Imperatores bellici alias, juramento & fœdere addito, electi fuerint, Deum quoque ipsum, fœdere cum populo Israelitico inito, Imperatorem ipsius bellicum electum & confirmatum fuisse, sentiat. Non semel autem Scacchus & hac in parte labitur, quare ordine ipsius errores, quoad nostri fori sunt, considerabimus, reliqua vero, quæ ad Theologorum scholas pertinent paucis saltem attingemus. Primo itaque loco in eo aberrat, quod hoc fœdus pro nude legali habeat, nulla prorsus mentione fœderis gratiæ injecta, cui tamen illud insistit, quamvis, ob sententiam suam vix aliter statuere potuerit, quam existimet, Deum, harum legum receptione, atque hac ratione, ipso hoc fœdere, in Principem & Imperatorem bellicum populi Israelitici electum fuisse. At enim vero tuit tota Scacchi sententia, si demonstretur, fœdus, in monte Sinai percussum, legale non fuisse, quod, quum nobis, qui non dogmata sacra, sed philologemata, ex instituto jam nunc proponimus, ulterius deducere vetitum sit, sufficiat verba *Dni. D. Reuteri* (25) allegasse, quæ ita se habent: *Distinguendum* inter ipsum fœdus, *quod tale est, in tota sua natura; atque* inter dispositionem exteriorem *circa idem fœdus. Unum fuit atque est in V. & N. T. si* essentialiter *illud consideres: sed dispositiones &* accidentariæ *circumstantiæ diversæ sunt, quæ tamen exteriores accidentariæ dispositiones aliquando ipso fœderis nomine insigniuntur*. Imo, mox demonstrat, fœdus totum post lapsum, 1. ratione initii, fundamenti, & acquisitionis, 2. ratione annunciationis, 3. ratione applicationis, ad hominem, 4. ratio-

tione status & conservationis, atque, 5. ratione confirmationis & effectus ultimi, nudæ gratie esse. Neque negligenda sunt, verba ipsius, quæ speciatim de fœdere in Sinai agunt, atque ita fluunt (26): *Accurate si loqui, velimus, patefactio illa voluntatis divinæ in Sinai, non erat speciale fedus, sed singnlaris applicatio universi illius fæderis gratiæ, quod Deus in paradiso constituerat, atque in mulieris semine firmata. Ideo, quum Israelitæ non servasse dicuntur fedus, sensus non est, quod non servaverint legem tantum moralem, in Sinai datam, quæ fuerit vetus testamentum, & quod propterea rejecti fuerint, sed quod neque legem moralem, neque cum eam haud servare potuerint, totam gratiosam Dei dispositionem, ad consequendam salutem vera fide adhibuerint, atque retinuerint.* Atqui potius totum cultum divinum in Christo Jesu respicit.

II. Alterum, in quo Scacchus circa hanc materiam graviter aberrat, est, quod statuat, Deum in hoc fœdere dupliciter, nostro concipiendi modo, considerari posse, nimirum ut Deus est, nec non etiam, ut Imperator Israelitici exercitus, sive Israeliticæ Reipubl. Dnx atque princeps. Illo modo eum huc non pertinere, quia non solum Israelitica Respublica, verum etiam singuli omnium nationum homines ad præceptorum divinorum observationem obligantur; sed potius posteriori, quo Deus, pro saa benignitate, humanæ imbecillitati sese accommodans, tanquam alienus, supremum exercitus Imperatorem se haberi voluerit, qui, aliquam deducturus coloniam, imperatoriam dignitatem, ab eorundem militum electione exspectet. In eo equidem Scacchus non est improbandus, quod Deus in hoc fœdere sine omni respectu considerari non possit, siquidem laudatus jam jam *Dn. D. Reuterus*, (27) (propriis verbis hic studio abstintmus,) hac super materia, ita etiam mentem suam exprimit: *Etsi non diffiteamur, inter Deum, & creaturam fedus proprie dictum non habere locum, sed posse eundem imperio prorsus herili uti, quod plus terroris habet, suique metu auctoritatem confirmat. Omnis tamen modus, quo Deus benignus cum homine agere, semper instituit, satis demonstrat, ipsum tanta amoris & mutuæ obligationis conjunctione temperare imperium suum, ut quos severitate, minisve posset, eos libera mutuaque obligatione, tum beneficiis, precibus etiam blandisque verbis commovere, & quasi allicere studeat.* Quum itaque se res ita habeat, minus accurate Scacchus statuit, Deum in hoc fœdere dupliciter considerari posse, ut Deum scilicet & deinde ut populi Israelitici Imperatorem bellicum; quia potius ut Deus, & Dominus supremus unice hic spectandus venit. Qua ratione enim fœdus cum Adamo, Noacho, & Abrahamo initum, explicatur, ea ratione etiam hoc fœdus est interpretandum, quia non nisi unum fœdus gratiæ, semel iterumque confirmatum, repetitum, & variis modis dispositum, post lapsum occurrit. Non autem aliter hoc in negotio Deus considerari potest, quam ut pater aliquis benignissimus, qui quamvis ex herili potestate obedientiam simpliciter exigere potuisset, mutua tamen obligatione se hominibus devincit.

III. Habet tamen hoc fœdus in Sinai sancitum, peculiare aliquid, quod Scacchi sententiam non adstruit, sed penitus prosternit. Deus enim in V.T. in populo aliquo ecclesiam visibilem erigere, eandemque typis, qui ecclesiam N.T. repræsentarent, exornare volebat, ut nimirum eo melius omnibus innotesceret, atque gentibus occasionem, ad Deum veniendi, salutemque æternam consequendi præberet. Nulli itaque populo alligatus erat, nullum etiam ad ecclesiam hanc visibilem recipiendam vi aliqua externa cogebat. Quod vero nulli populo Deus alligatus fuerit, ex eo constat, quod tum temporis, quo contra eundem Israelitæ insurgerent, eos delere, & ex Mose peculiarem populum sibi excitare voluerit, quod ex *Num.* XIV. 12. constat, prouti etiam ipse consensum populi Israelitici ad leges & cultum ceremonialem requisivit, dum non prius tabulas fœderis, quam consensu publice dato, eidem concessit. Quæ autem ad expugnationem terræ Cananæorum pertinent, fluunt equidem ex hoc fœdere, quum Deus, populo Israelitico etiam locum peculiarem, in quo hunc singularem cultum exerceret, assignare insimul decreverit. Quando itaque Scacchus dicit: fœdus hoc Deum, ut Imperatorem bellicum, & post hunc, expeditionem bellicam, atque leges militares, maxime respicere, graviter a toto fœderis hujus scopo aberrat, ut adeo & illud argumentum; Deum, dici אלהים fœdere cum populo Israelitico inito, ut Imperatorem bellicum, ob naturam hujus fœderis penitus evanescat.

(1) *Non adeo accurate Scacchus hic procedit, quum fere circa unumquodque horum nominum aliquid desiderari possit. Falsum est, Cæsaris nomen successores boni ominis caussa recepisse. Octavianus enim Augustus, Svetonio commemorante, testamenti adoptionisque titu-*

lo Cæsar appellabatur, alii vero postmodum, extincta fere Cæsarum familia, Cæsares dicebantur, non quod summæ rerum præessent, sed, quod spem duntaxat succedendi Imperio haberent. Augusti titulum Imperatores Romani non ideo retinuerunt, quod Octavius Augustus, princeps omnium consensu felicissimus, eodem a Senatu Populoque Romano, Munatio Planco annitente, condecoratus fuit, sed C. S. SCHURZFLEISCHIO, Differt. de titulo Augusti, *scribente*, quod eo nomine summa quædam inter gentes designabatur auctoritas, quæ singularem venerationem conciliat, & simul efficit, ut hac ratione, inter omnes Reges, Imperator Augustus singulariter emineat, & a cæteris Regibus, tanquam Regum omnium maximus, distinguatur. *Et sane hoc ipsum nomen quatenus sacrum & venerationis plenum est, recte exprimit nomen divinum Elohim, non tamen illo modo, quo id Scacchus sibi concipit. Abimelechi nomen in Scripturis non est Regum Ægyptiorum; expresse enim Abimelechus, Rex Geraris, cujus Genes. XX. primum mentio injicitur Genes. XXVI. Rex Philistæorum appellatur, quum tamen Rex Ægypti jam Genes. XII. Pharao appelletur. De Pharaonis Nomine, quod Forsterus a* פרע *vacuum, otiosum, liberum esse, deducit, ut dominum absolutum sacratamque personam denotet, negare non possumus, illud Regibus Ægyptiorum commune fuisse, quamvis dubium sit, utrum a primo Rege, vel potius a dignitate, quam hoc nomen innuit, ita sint nominati. Tandem Nabuchodonosoris, vel juxta Scripturam Nabucadnezaris nomen huc prorsus non pertinet, sine dubio enim Babylonii Reges, nomen hoc a Nebucadnezare illo, cujus magnificentiam sacræ paginæ celebrant, accepissent. Jam vero post eundem, non nisi Evilmerodachus, & Balthazar sive Blaschazar Reges in Babylonia exstiterunt, quo postremo occiso, summa rerum Persæ potiti sunt, ut adeo nemo post Nebucadnezarem nomen Nabuchodonosoris gesserit.*

(2) *Divina inter coæquales de condendo primo homine deliberatione* §. 5.

(3) *In Michlol. p.* 15.

(4) *Literatoris cap. III.* §. 33. *memb. VI. num.* 1. *nota* 5.

(5) *Tom. III. in Epist. ad Marcellum.*

(6) *Comment. in Legem. s. 6. c. 3. circa finem.*

(7) *In laudata Dissertatione.*

(8) *De Nomine Dei* אלהים *statim ab initio.*

(9) *Dissert. de nomine Jehova.*

(10) *Dissert. de nomine* DEI אלהים.

(11) *Comment. in Epist. ad Hebræos.*

(12) *Comment. in Legem s. 6. c. 2.*

(13) *L. c.* §. 5. *p.* 18. *Not.* 6.

(14) *Comment. Linguæ Hebrææ* אלוה.

(15) *Antiquit. Rom. lib. X. cap.* 3.

(16) *Paralipomenis ad l. c. Rosini.*

(17) *In sæpius laudata dissert. de divina inter coæquales de primo homine condendo deliberatione.*

(18) *Compendii* §. 29. *obs.*

(19) *Sepher Schoraschim.*

(20) *Michlal Jophi ad h. l.*

(21) *Commentariis in hunc locum.*

(22) *Commentariis in hunc locum.*

(23) *In Glossa Talmudica Chagiga fol.* 3. 1.

(24) *Critica S. ad hunc l.*

(25) *De Fœderibus & Testamentis divinis parte I. cap.* 2. *num.* 15. *sub finem.*

(26) *Ibidem parte II. cap.* 2. *num.* 15. *pag.* 156.

(27) *Ibid. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 5.

SECTIO II.

Sistens argumenta contra Scacchum pugnantia.

ARGUMENTUM I.

Aut ipsum nomen divinum אלהים, *derivatur a radice Arabica* اله *coluit, aut hæc radix, a nomine* אלהים *formata, significationem suam inde petit, atque evincit, hoc divinum nomen* σίβασον, *vel Augustum denotare.*

I. COmmunis fere sententia eruditiorum Philologorum est, nomen אלה & plurale אלהים, quum ה mobile loco tertiæ radicalis habeat, ab Arabica radice اله *coluit*, originem trahere. Non ineptum hoc est, quum Arabica lingua, ob insignem dictionum copiam, tantum non omnes in Sacro Dodice non extantes Hebrææ linguæ radices conservaverit; nemo itaque rigide unquam negare poterit, etiam nomen אלה, cum in sua lingua radicem non amplius inveniat, eandem ex Arabica denuo repetere. Præterea hic tam convenientia formationis quam significationis, cum sua origine, occurrit; Arbes enim tantum has tres literas, Elif. Wau Ie, non vero He, inter quiescibiles numerant, ut adeo tam in radice اله, quam in nomine אלה, ה in fine moveatur. Significatio etiam harum vocum egregie inter se convenit, quum memini, præter Deum, religiosus cultus adscribi possit atque debeat.

II. Huic tamen sententiæ, quod nomen divinum אלה & אלהים a radice Arabica اله deducatur, acriter repugnat *Jacobus Gussetius*, (1), & non leves, pro sua sententia rationes adducit. Octo harum numerat, inter quas illa primum locum tenet, quod Hebraicæ, primariæ linguæ ac matris, vox primaria, a filia ipsius, & quidem una ex natu postremis, ita deducatur, qua tamen, jam creationis tempore, Deus denominatus fuit. 2. Quod Chaldaicæ linguæ quidem vestigia, in historia Mosis, ætate Jacobi, appareant, nullis Arabicæ indiciis existentibus. 3. Quod probabilius videatur, Arabes verbum suum اله *colere* ex Hebræo nomine אלה finxisse, prout sæpe in omnibus linguis, ex nominibus re-

rerum, formantur verba, actiones, passiones, aliasque accessiones significantia, cum falsum sit, verbum saltem, non vero nomen etiam radicem constituere. 4. Quod vox אלהים antiquissima sit, adhibita in colloquio serpentis & Evæ; sic itaque ex Arabismo natam non esse. 5. Quod incredibile sit, hanc radicem apud Hebræos deperditam, ab Arabibus vero conservatam esse, quum potius a veræ ecclesiæ membris eadem conservanda fuerit. 6. Quod hac ratione Hebræi commodius, ad cultum denotandum, vocabulum, aspernati sint, incommodioribus שחחוה & עבר quæ tropica, & generaliora sunt, retentis. 7. Quod horum verborum imperfectio Arabes movere potuerit, ut istud اله conderent. Tandem 8. quod, quum antiquiora, Christo nato, monumenta Arabica non extent, incertum sit, an verbum اله prius extiterit. Existimat itaque *Gussetius* nomen divinum אלה suæ esse originis, atque idem, quod Græcorum Θεός, Latinorum Deus, & Germanorum *Gott* denotare, naturam scilicet divinam, ut est res subsistens vel substantia. Atque hactenus, sententia ipsius absque omni difficultate probari potest, in eo vero calculum non meretur, quando scribit (2): nomen Elohim, Deus, æqualiter se habere, ad omnia attributa Dei, quia alias, si v. c. justitiam peculiariter spectaret, hæc verba, Deus est justus, quæ idem valerent, ac, Deus est Deus, nugationem battologam sisterent. Refutat etiam se ipsum, dum in alio loco (3) monet; si vel אלה & אלהים Deus dictus esset a juramento, vel ab adoratione, significationem tamen ipsius, istis rebus non limitari, sed, sicut nomen שלמה, quanquam a pace, occasionem nactum sit, illam personam integram & quæcunque ei insunt, etiam ubi pax non spectatur, demonstrat; ita quoque nomen אלהים Deum totum, non ex parte, nec in solo respectu ad juramentum, vel ad cultum designare. Quamvis itaque nomen אלה sua esset originis, tamen a cultu religioso Deus ita diceretur, quia ipsi Arabes verbum اله colere, non sine ratione inde formarunt.

III. Atque hic denuo Scacchi sententia infringitur. Quis enim nomen אלהים ex אל & אלה deduceret, quum longe melior accuratiorque deductio in promptu sit? Hac vero supposita, nemo qui genuino rationis usu gaudet, a cultu Deum Elohim, tanquam Imperatorem populi Israelitici bellicum, appellari, affirmabit, quia hac ratione derivatum, cum primitivo, nullam convenientiam in significatione haberet.

ARGUMENTUM II.

Sententia Scacchi viam sternit, ad eripiendum Theologis singulare argumentum, pro pluralitate personarum divinarum.

I. NON leve argumentum Theologi nostri, ex nomine divino אלהים, atque ipsius constructione cum nomine & verbo singularis numeri, pro demonstranda pluralitate personarum divinarum, in una essentia, desumunt. Et in hoc certe non aberrant, quum omnia, quæ adversarii in contrarium afferunt, levioris sint momenti, quod præ aliis *Doctiss. Danzius* in sæpius memorata dissertatione, solidissime evicit. Suspectæ itaque sunt, istæ Philologorum sententiæ, quæ Theologiam non suffulciunt, sed potius ipsius veritates atque argumenta probantia enervare intendunt. Atque istiusmodi notæ est illa Scacchi sententia, qua existimat, Deum אלהים, nomine dignitatis externæ appellari, ut Imperatorem bellicum, fœdere cum populo Israelitico inito. Id enim dudum Sociniani aliique, in patrocinium sui erroris adduxerunt, Deum scilicet אלהים in plurali appellari, ad indicandam dignitatem ipsius, qua ratione adhuc Imperatores, Reges, Principesque, de se in plurali loquuntur: *Nos Dei gratia &c.* Ipse igitur Scacchus viderit, qua ratione notam mali Philologi effugere queat.

II. Longe melius nostra sententia Theologiæ favet, dum statuimus, Deum אלהים vocari, nomine dignitatis internæ, tanquam Numen venerabile, ita, ut vox אלהים jam sua natura hanc dignitatis significationem habeat, non vero ex numero plurali consequatur, hoc ipso enim ut plurimum personarum pluralitas indicatur, qua ratione denuo instituto nostro, non parum consuli arbitramur.

ARGUMENTUM III.

Stante sententia Scacchi, nomini Elohim duplex significatio, ante & post fœdus, cum Israelitis initum, adscribenda esset.

I. NUllam prorsus certitudinem, sententiæ Scacchi inesse, porro ex eo patet, quod hac ratione nomini Elohim

him duplex respectus affingendus esset, quia Deus ob aliam caussam Elohim Elohim diceretur, ante fœdus, cum populo Israelitico, initum, ob aliam vero, post fœdus, cum commemorato populo confirmatum: Id ipsum Scacchus hisce verbis innuit, quando scribit, *Deus Elohim nominatur, ut Imperator, fœdere inito cum populo Israelitico*, de quibus jam in prima sectione monuimus, quod licet obscurius quodammodo sint concepta, secundum literam tamen nullum clium quam hunc sensum exhibeant: Deum non ante, sed post fœdus, cum populo Israelitico initum, אלהים ut Imperatorem fuisse appellatum. Atque sic necessario id Scaccho concedendum erit, Deum, si istiusmodi nominis אלהים ratio formalis existat, ante hoc fœdus, ob aliam prorsus caussam, ita nominatum fuisse, in primis quum jam in primo Codicis sacri versu אלהים dicatur. Hoc ipsum vero inusitatum prorsus est in Scriptura, quamvis enim ratio denominationis Abrami & Saræ mutaretur, nomina tamen ipsa etiam aliquam patiebantur mutationem, ut Abram in posterum Abraham, Sarai autem Sara vocaretur.

II. Neque videmus, quo modo Scacchus hoc excusare possit, nisi id per anticipationem factum dicat. Jam faciles in eo sumus, ut aliquam anticipationem in Scripturis admittamus, quæ tamen, si alicubi statuenda, ita comparata sit, necesse est, ut res ipsa nos urgeat, quo concedamus, anticipationem, hic occurrere. At nihil videmus in nomine Elohim, quod urgeret, Deum ita per anticipationem, ante fœdus cum populo Israelitico initum, appellatum fuisse.

ARGUMENTUM IV.

In Deum non adeo commode quadrat titulus Imperatoris bellici.

I. Titulus, dignitasque Imperatoris bellici, a Romanis commode, apud quos duplici modo, *Rosino* teste derivatur (4), Imperatoris vocabulum, in usu fuit. Imperator enim dicebatur, quicunque exercitus Dux, qui suis auspiciis bellum gereret, & qui imperium, id est, jus belli gerendi haberet; magis tamen proprie ille Imperator nominabatur, qui hostibus magno prælio fusis ac profligatis, eo nomine, militum acclamatione in castris, & sententia Senatus in urbe appellatur erat. Hic itaque notandum, hoc vocabulum, si posteriori modo accipiatur, non perpetuam innuere dignitatem, unde Dio (5) commemorat, antiquitus non nisi semel bello uno quempiam Imperatorem appellari potuisse: eaque præter veterum consuetudinem evenisse, ut Claudius uno bello aliquoties Imperator diceretur. Deinde & id rite est capiendum, quando Imperatores, ut Imperatores considerati, suis auspiciis bellum gessisse, jusque belli habuisse dicuntur. Institutum fuerat ab initio (quæ *Rosini* verba sunt) ut nihil, neque domi, neque militiæ, nisi auspicato gereretur; hæc vero auspicia ad solum Imperatorem pertinebant, cui ea provincia evenerat, cæteri ejus auspiciis pugnare, ipse bellum, ut ductu, sic auspiciis suis gerere dicebatur. Adhibebantur autem in castris duo auspicia, alterum coactum, alterum ex acuminibus. Coactum, tripudium alias nominatum, erat genus divinandi maximæ auctoritatis, quum pullos, cavea inclusos, magistratus ipsi, sive urbici, sive militares, vesci juberent. Quale vero illud ex acuminibus sit, ipse *Rosinus* dicit incompertum esse, quum *Cicero* (6) saltem ejusdem mentionem injiciat. Denique quando dicitur, quod jus belli habuerint, illud non ita est capiendum, quasi nulla ratione Senatu Populoque Romano consulto, bellum quodcunque inchoare, illudque simpliciter pro suo arbitrio gerere potuerint, sed quod insigni, dependente tamen potentia, nisi major dignitas in eodem subjecto conjuncta fuerit, gavisi sint.

II. Jam itaque judicemus, utrum hæc omnia ad Deum rite applicari queant, & quidem, si priori modo Imperatoris vox capiatur, commode dicere non licet, Deum suis auspiciis bella Israelitarum gessisse, quum auspicia cultum idololatricum & superstitiosum, a summo Numine in verbo suo, prohibitum, supponant, atque præterea Deos superiores respiciant, quorum directione auspicia, vel fausta, vel sinistra eveniebant. Falsum præterea est, Deum vel levi saltem respectu, ab alio dependere, quum alias Deus esse desinat, terminis scilicet potentiæ ipsius positis. Neque posteriori modo hic titulus eidem convenit; non enim hoc nomen semel iterumque ipsi saltem impositum, vel etiam ab Israelitis in præmium rerum bene gestarum eidem datum fuit; sed jam ab inito mundi illud habuit, atque constanter retinuit: imo, ipso Scaccho fatente, ante initum cum Cananæis gentibus bellum populus Israeliticus Deum in Elohim elegit. Atque sic nomen hoc, contra Scacchum, Elohim, Deo immortali vi-

res

res concedente, modeste vindicavimus, cui religiosissimas pro præstito auxilio persolvimus gratias, nosque, omni tempore, ipsius Curæ & Clementiæ submisse commendamus.

(1) *Comment. Linguæ Hebrææ sub voce* אלח *&* אלהים *pag. 46. col. 1. & 2.*
(2) *L. c. pag. 45. col. 1.*
(3) *Pag. 46. col. 2.*
(4) *Romanar. Antiquit. libr. X. Cap. VI.*
(5) *Libr. 60.*
(6) *Libro I. de divinatione.*

HENRICI HULSII DISSERTATIO DE JEHOVA DEO REGE

Ac duce militari in prisco Israele.

I. Quum in creatione qua tali omnia a Deo & per Deum sint quæ sunt, in restauratione autem hominis peccatoris ac lapsi unice gratia dominetur, hinc non tam proprie dictum *Fœdus* inter Deum & creatum hominem intercedit quam *Testamentum*. Non enim est hoc modo creatus homo sui juris, ut pro arbitrio eligere aut rejicere stipulationem & conditionem possit, nec præstatio postulati liberum ac promissum donum ac meræ sponsionis res, ut nec affert aut operatur quid homo in adstipulatione ex suo, nec obligare potest ad repromissionem Deum; Unde proprie loquendo neque Fœdus *Naturæ* consistit, quod operatio Dei tanquam causæ primæ tollit ac absorbet, neque Fœdus stricte dictum *Operum*, quod potestas Dei Dominica ac Legislativa perimit, neque *Gratiæ* tandem, quod per ipsam gratiam operantem rationem fœderalem amittit.

II. Multominus *Merito* locus esse potest; Est enim creatus homo servus ac mancipium Dei, cujus totum reale ex Deo est oriundum & ad Deum spectat, qui hinc uti eo potest libere ac jure ad servitia sua, ut hinc non obligetur. Et si vel deberet prœmium sequi obedientiam ac operam, habuit illud modo homo in beneficiis creationis & præcedaneis, quæ ne quidem demereri & compensare sua opera unquam valet, nedum ut quid in ea supersit quo nova commereri posset. Sed & omne, quod operatur homo, est a Deo & Spiritu, cujus hinc ille potius laudem accipit. Neque est officium ex genere operum laboriosorum quæ unice merentur, sed ipsum præmium, amor Dei, delectatio in Deo, non molestum servitium. Et si proportionem spectes est opus finitum ac temporale quid, at merces infinita Deus ipse ac pondus æternæ gloriæ, quod infinite intervallo valorem prioris exsuperat. Consistit item in hoc ratio obstrictionis & meriti, ut in eo homo Deo dare, prior dare, & quidem sic dare teneatur ut utilitatem quandam indebitam illi afferat, quam reddi & pro qua æquivalens sibi dari jure postulat ac exspectat; *At an Deo prodest vir, quum frugi se præstiterit super iis prudens? An voluptas omnipotenti, cum juste egeris. Et an emolumentum, cum integras habueris vias tuas* Job. XXII. 2. Certe hic obtinet potius illud Servatoris nostri, *Quum omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quæ debuimus fecimus*, inutiles & nobis & Deo Luc. XVII. 10.

III. Unde exulat procul omne Meritum, sive in statu *naturæ* quod justificationem primam acquirat & de congruo appellatur, sive in statu *gratiæ* quo mereamur incrementa sanctitatis ac justitiæ, vitam æternam, laureolam in ea, aliis, & ut vicissim meritis aliorum in hac vita & post hanc vitam adjuvemur. Loquuntur equidem castius recentiores qui meritum ex *nudo pacto* urgent, at insistunt tamen qualicunque sui operis merito in justificatione sua, evacuant etiam legem quæ non potest non vel defectum unum æterna pœna damnare, cum hoc ratio sit quare ex condigno agi nolint, quod legi congruam perfectionem

non

non afferre se sciant. Collyram faciunt inanem, qui Christum docent *meruisse hoc, ut opera nostra mererentur*; Si enim perfecte legem servamus, non opus habemus illo pretio dignificante Christi, si imperfecte vero, non jam Christus tantum dignitatem affert, sed & veri nominis obedientiam nostro loco defectus & hiatus nostros omnes adimplentem. Neque convenit a Christo pretium vel tantum pretium derivare ac petere: non prius, quod rident dignitatem imputatam, atque non est pretium nisi in perfecta obedientia nobis imputata: nec posterius, cum ei, qui ipse non operatur, sed credit tantum, imo impio plane, justitia imputetur. (*) Omnem autem pudorem ac verecundiam exuunt, qui docent ex se ac *citra pactum*, *citra etiam accessionem ullam dignitatis ex meritis aut persona Christi*, *opera in statu justitiæ auxilio gratiæ moventi facta*, *vitam æternam commereri* Vasq. in 1. Sec. tom. 2. disp. 214. Adde his qui de *condigno* mereri volunt, item eos qui putant ab *homine irregenito* viribus naturæ solis posse fieri opus moraliter bonum secundum omnes suas circumstantias, posseque non minus quemlibet Viatorem secundum legem communem converti, quod nullus Viatorum sit, qui non possit bene uti naturalibus, quod *Sotus* censet & *Vega*.

IV. Accedit propius *Testamenti* ratio & fundamentum, ex quo per liberalitatem & gratis donantur ac veniunt quæ in eo legantur. Quæ & causa est, quare in Scriptura illæ voces συνθήκη ac διαθήκη *Testamentum ac Fœdus* alternent & confundantur inter se, vox Hebræa ברית etiam non fœdus tantum significet sed & Testamentum Gal. III. 15. Heb. IX. 16. Heb. VIII. 10. Luc. XXII. 29.: quanquam διαθήκη proxime non *legem* significet prout *Socinus* vult, nec *fœdus* quemadmodum *Grotius* torquet, sed *testamentum*. Certe cum ratione gratiæ ac salutis novæ in Christo probe imo plene convenit indoles ac ratio Testamenti, tum qeod non venit nisi intermedia morte, tum quod venit gratis, tum quod a parte legantis Dei ratificantur cuncta, hominis partibus non attentis multum, prout fit in confectione Testamenti, tum ob immutabilem rei firmitatem, tum quod in executione ratio fœderis tota absorbetur, & conditio fidei ac resipiscentiæ ab homine postulata in bonum fœderale transit, quod Deus ipse vult operari ac dare spiritu legem inscribente in cor.

V. Est vero Testamentum non unum; Quorum sunt *Testamenta* Rom. IX. 4., *hospites Testamentorum Promissionis* Eph. II. 12. Restringuntur ad duo; Hæc sunt *duo Testamenta* Gal. IV. 24.; Quorum alterum dicitur *prius* sive *vetus* Heb. IX. 15. 2. Cor. III. 14., alterum *secundum* & *novum* Heb. VIII. 7. Matth. XXVI. 28. Jer. XXXI. 31.: Quanquam revera Testamentum sit unum, una quippe gratiosa ac æterna voluntas dandi hæreditatem Filio, Abrahamo, Judæis, atque tandem Electis omnibus per Filium gratis, interveniente ejus morte, in qua Testamentum firmum est; Licet enim etiam Filius bona habeat per meritum in sua manu eaque dispenset Luc. XXII. 29., hoc tamen non obstante nihilominus Patri hoc potissimum attribuitur, cujus Filius potius hæres est, qui & ipsum donavit filium; Illi enim primo in ordine ac Directori in opere omni etiam gratiæ primæ partes proponendi, stipulandi, ac determinandi competunt: Prout item non Filii sed Patris est dare regnum & potestatem cui vult. Matth. XX. 23.

VI. Hoc est Testamentum illud *æternum* de quo Heb. XIII. 20., quod & ab æterno cœpit, & per tempora cuncta dominatur, & æternæ ac immutabilis efficaciæ est, & de bonis æternæ justitiæ ac vitæ disponit. Hoc item visum est atque suos effectus exseruit modo in tempore *Promissionis*, quum nil de cæteris Testamentis conspiceretur: quin hoc est Testamentum illud *anteratificatum in Christum*, & quod hinc per legem post subintrantem non irritum fieri potuit Gal. III. 17. 18. 19. 21. 2. Cor. III. 6. 7. Ratum est per se hoc Testamentum, rata per se hæc salutis via per immobile æternum decretum, per id quod est inviolabile Testamentum, divinum Testamentum, per id quod est donum puræ putæ gratiæ ab homine independens, res propositi nudi a conditione nulla suspensi, cadens in debitum promissum: Sed & accesserunt post alia quæ ratificarunt, constituti in Christum Typi, obsignantia Sacramenta, Sermo jurisjurandi, Solennitas in erectione fœderis adhibita, Fides Abrahæ confœderati, qua promissio abiit in firmum ac irrevo-

(*) *Obscurissimis verbis suam hic auctor prodit nequitiam. Nam Ecclesia Catholica aperte docet Hominem justum mereri de condigno vitam æternam. Meritum de condigno duo requirit, scilicet Dei promissionem, & hominis opus bonum, ac Deo gratum, quod opus ex Divina gratia hominem libere movente procedit. Hoc argumentum egregie tractant præter Bellarm. de Sacrif. Missæ. Sapientissimi Fratres Wallemburchiis? Adeat Lector & legiat.*

vocabilem contractum; Certe *Lex* non se loco ejus vendidat, eo quod Abrahamo *appromisit* Deus, & constituit & largitus est per *promissionem*.

VII. Quod vero cætera atque multa ea Testamenta spectat, illa minus proprie nomen illud gerunt, quum contineant accidentaria tantum quædam bona illius boni perpetui ac universalis, atque in se non tam sint Testamenta constituta quam executiones Testamenti & exhibitiones actuales bonorum legatorum, tum & in tempore Promissionis ac Patriarcharum non fuerunt, quippe tunc Deus nomine Jehovah i. e. efficacia nominis Jehovæ, qua sit Deus in exhibitione actuali boni legati ac promissi quod ante in promissione est, nondum reali implemento adducto innotuerat adhuc Exod. VI. 3., neque enim Veteris neque Novi Testamenti bonum tunc repræsentabatur. Testamentum hinc Vetus non includit simul tempus Promissionis ac Patriarcharum sed excludit potius, incipitque a fœdere ac tempore eo quo cœpit dari primum bonum accidentarium, quod neque tempori Promissionis nec tempori Novi Testamenti commune est, cujus & hæres unice est Israel contradistinctus a mundo & Gentilismo toto. Dispescitur vero hoc Testamenti tempus iterum in Testamenta duo, tum pro diversitate fœderis ejus temporis in genere, tum pro differentia bonorum fœderalium & conditionis fœderalis in specie: Primum Testamenti Veteris tempus erat suave ac lene, quod fuit ruptum in idololatria vituli una cum tabulis fractis & laceratis; Alterum vero asperum per subintrantem una Legem ac phasin legalem. Primi initium incidit circa exitum ex Ægypto. *Non secundum Testamentum, quod feci cum Patribus ipsorum eo die, quo apprehendi manum eorum ut educerem eos ex Ægypto* Jer. XXXI. 31. 32. *Quum puer esset Israel, dilexi eum & duxi funibus amoris* Hos. XI. 1., *quo non præcipiebat de sacrificiis & jugis* Jer. VII. 22., quo Israel *Regale Sacerdotium* constituebatur & *populus sanctus* Exod. XIX. 5. 6., *quo peccatum in mundo existens non imputabatur* Rom. V. 13. Secundum autem incipit proxime a *monte Sinai, & parit in servitutem* Gal. IV. 24., *quo Moses ira accensus confregit tabulas primas ad pedem montis* Exod. XXXII. 19., *quo irrito facto fœdere uno, dominationem duram exercere Deus cœpit in eos* Jer. XXXI. 32., *quo sustulit de novo in deserto manum, & tradidit eos in præcepta non bona* Ezech. XX. 23. 24., in quo erat fœdus *Israeli poprium* Ezech. XVI. 61. Sequitur vero hoc legale Testamentum (quod & dicitur tempus Legis) in plenitudine temporis, post initiationem per sanguinem veri Testatoris ac Mediatoris Christi, Testamentum Novum.

VIII. Ex quo hinc evidens est, non duo, nec tria, sed quatuor esse concipienda tempora ac fœdera, atque præter æternum tria adhuc Testamenta alia; Quæ nervose complectitur Ezechiel cap. XVI. 60. 61. *Et recordabor ego fœdus meum tecum in diebus pueritiæ tuæ, & erigam tibi Fœdus ac Testamentum æternum, & recordaberis viarum tuarum, & confunderis, quum accipies sorores tuas majores te ad minores, dabo eas* (Ephraimitas, Samaritanos, reliquias Sodomæorum & Gentes) *tibi in filias*, at *non ex fœdere tuo*, i. e. nec per fœdus tuum quod potius arcet Gentiles, nec ut adigantur in fœdus tuum atque ejus filiæ evadant.

IX. Sunt Testamento Novo bona meliora, quemadmodum & est Christus *meliorum promissionum Sponsor* Heb. VIII. 6.; *Unde ebria & irrigua non confundenda cum sitiente* Deut. XXIX. 19.: *Unde Vetus caret gloria præ excessu ejus in novo* 2. Cor. III. 10.; *Unde melius nunc intra muros nomen, quam erat priscorum filiorum* Es. LVI. 5.: *Unde infirmus tam fortis quam David*, & *Domus David tanqam Dei* Zach. XII. 8., *atque minimus in Regno cœlorum major Johanne Baptista* Matth. XI. 11. Complectitur hæc bona in compendio conjunctim hic ibi Scriptura Sacra, veluti Es. LII. 6. 7. LIV. 13. Jer. XXXI. 11. 34. Dan. IX. 24. &c. Deut. XXX. 6. &c. Zach. XII. 10. Luc. II. 14. Rom. XIV. 17. 2. Tim. I. 10. Præfigurabat vero hæc olim exclusio filii Hagar qui non debebat hæreditare cum Isaaco filio Saræ, filiorum Promissionis Gentilium & fidelium Novi Testamenti figura Gal. IV. 30. Indicant idem & nomina speciosa atque augusta illi tempori attributa, *Complementum temporum* Eph. I. 10. *Annus acceptationis* Esai. LXI. 2. *Tempus Satietatis* Deut. XXIX. 19. Jes. LV. 1., *Sabbathum* Ps. XCV. 11. Heb. IV. 5. 7. Esai. XXVIII. 12i, *Consumatio* Heb. XI. 40. Colligimus in Systemate bona ea ac referimus ad tres classes, 1. Bona quæ insimul sunt causæ ac fundamenta aliorum bonorum, Christus præsens, Spiritus Christi qui ante glorificationem vario modo etiam nondum erat Joh. VII. 39., Regnum, Evangelium. Hinc sequuntur 2. Bona ipsa, Ju-

Justitia actu adducta, Adoptio ac jus filiorum, Status consummatorum ac cœlestis, Lætitia regni cœlorum, Fiducia, Fortitudo, Spiritus precum & supplicationis augustior, Notificatio clarior nominis ac verbi Dei, Sanctificatio seu Inscriptio promptior & efficacior legis in cor, Pax, Gloriatio in afflictione. Inde sequitur 3. Status ac modus ille excellens & beatus, in quo fideles Novi T. hisce bonis melioribus perfruuntur, dum gaudent illis in plena libertate, in satietate, in Sabbatho & quiete, absque ferula ac pœdagogia, procul item a formidine ac metu.

X. Econtra Vetus Testamentum non solum laboravit defectu hujus omnis, sed & fuit asperum ac durum; Pariebat enim *Hagar in servitutem* Gal. IV. 24., *Erat Moses Minister condemnationis* 2. Cor. III. 7. 9., *Ponebat Œconomia sub peccatum & legem* Rom. V. 13., *Operabatur Lex iram* Rom. IV. 15., *Exercebat Deus in populum dominationem, atque cogebat in vincula* Jer. XXXI. 32. Ezech. XX. 27., *Tradebat in doctrinam non bonam*, atque *impurabat arcendo ab altari universum populum Israel* Ezech. XX. 25. 26., Concludebat Lex, tum sub peccatum Gal. III. 19., tum sub maledictionem ℣. 10., Atque hoc exsuperabat cuncta, quod Moses in ipsa etiam vindicatione levium rituum puniret & *exsequeretur sine misericordia* Heb. X. 28. Describitur status eorum infelix brevibus, *qui in timore mortis servituti per totam vitam obnoxii erant* Heb. II. 15.; Erat varius horum olim metus, quem & spiritus in operatione sua tunc non tollere, sed relinquere, sed confirmare potius convenienter Œconomiæ tenebatur: In timore enim mortis perpetuo servitutem serviebant suam; Erat accurata Servorum ac Angelorum inspectio ac observatio, rigida Mosis executio; Non pariebant chirographa præcepta & juga operosa conscientiæ lætitiam; Potius metum incutiebant, & elongatione, & exactione, & accusatione, & damnatione, & coactione ad perpetuo sumptuosa victima quasi satisfaciendum, & ira omni quam operabantur; Tota servitus filialiter Israelem non tractans ad metum erat; Atque præter Deum simul homines ac angelos formidare debebant; Neque servitus fuit minor, tum in subjectione, tum in oneribus & jugis servilibus impositis Act. XV. 10.; Neque enim erat subjectio solum sub *Prophetis*, qui semper nova parte Canonis accedere eaque obligare de novo poterant, nec sub *Sacerdotibus*, quibus in ore Dei consulendo & expiatione habenda affixi erant, sed potissimum sub *Senioribus*, quorum officium erat clavem cognitionis custodire ac dare Mal. II. 7. præcepta paris cum divinis authoritatis ad legem Dei sepiendam injungere Heb. XII. 10., (unde & *Mechokekim* Legumlatores Gen. XLIX. appellantur) sub pœna mortis injungere ac præcipere Deut. XVII. 10., tum & sine omni misericordia ac venia, quæ statuta erant pœnalia, exequi Heb. X. 28.; Magis vero importabilia erant onera & juga tunc imposita, quod tam *multa* erant quæ imponebantur poterantque accessione contraria augeri, quod *frustraneus* omnis circa cum occupatus ac operosus labor quum irrationalis in se cultus esset ac puerilis, quod *servatio est stricta* & restricta esset præcise ad tempus, numerum, modum, atque *tam necessaria* ut sine ea non veniret gratia ac salus, quod *significatio scæva* ingrata, sub contraria, accusans, ac iram operans, *origo* idololatriæ commissæ memoria, *pœna* denique neglectionis certa & executio rigida; Rigor enim erat *in* præcepto cujus ne minima quidem circumstantia externa impune negligebatur, *in* inspectione dum quod Seniorum oculos fugiebat ab Angelis observabatur, tum & quam maxime *in* executione, quæ nullo modo connivebat vel condolebat. Quod autem Heb. II. 15. *metu mortis per totam vitam servi* fuisse dicuntur, id vult dicere 1. adstrictionem ad elementum Canaæ diu fovendum & non in matura morte amittendum, quod id Sacramentum ac pignus cœli esset, quo privari violente triste est, 2. adstrictionem ad Sacerdotem sub pœna manentis reatus quando per eum non expiabantur, mortis vero, siquidem ipsi ad expiandum accederent. Dicit etiam 3. hoc adstrictionem ad placita & constituta Seniorum sepientium ipsam Lege Dei, qui pœna dupla atque *plaga rebellionis* vindicabant inobedientiam cathedræ exhibitam, sed & nota 4. dici etiam in genere, quod ob Œconomiæ priscæ rigorem & Angelos observatores ac Vindices, in perpetuo metu mortis agere & *legi servili affixi* aut servi esse tunc deberent; Unde & apparentis Angeli hæc prima vox *Noli metuere*, non ad vindicandum transgressionem aliquam nunc adsum: Non enim ex conscientia peccati, aut fulgore, insoliti, quem etiam natura horret, hic metus exsurgebat solum.

XI. Atque figurabant olim etiam imperfectionem hanc, *ut in genere* Ceremo-

monialia cuncta quibus indicium imperfectionis adjectum semper fuit, e.g. continua sacrificiorum pro malis iisdem iteratio, sanguinis oblatæ victimæ calcatio, sacrificii facta peccato graviori negatio, *ita in specie* certa & selecta eorum genera; Sic incedit olim *Isaac* Filius promissionis ac permittitur ire vivus, at sub cultro, & ut injectus altari, donec tertia die per vocem Angeli intercessoris & substitutionem actualem victimæ in suum locum plene demum atque vere liberaretur. Ita manebat *Profugus in asylo*, donec in morte Sacerdotis immunis ac expiatus plene esset, quo mors Christi Sacerdotis e fovea & carcere demum actu ac vere educens indicabatur tunc. Idem indicabat etiam priscum *Sabbathi* institutum, juxta quod sex diebus opera *nostra* vigebant adhuc & permissa quidem in paresi Dei, quæ tamen in se impura erant ut abstineri ab iis deberet, reatum item mortis inferentia cum quis morte propter ea facta ob figuram plectebatur, atque demum in Sabbatho desinebant ut non essent ac viderentur. Præ aliis vero illustrem hujus rei typum exhibebat in die Expiationis *Hircu Azazel*, qui, expiatione licet per unum hircum facta, nihilominus adhuc peccatum totius Israelis reliquum ac nondum sublatum ferebat; Quæ & ratio unica duplicis adducti hirci erat, quum secus Christus unus est, neque ille post expiationem factam ac resurrectionem in vivis peccatis amplius onustus conspiciatur, ut nec de rupe cum hoc hirco præcipitari nec in desertum expelli potest. Populum vero Judaicum peccatis induratum non intelligi, alibi late demonstramus.

XII. Neque est speculatio inanis ac otiosa has temporum differentias veterisque imperfectionem novique perfectiorem statum ac justificationem perfectam in Christo ita perlustrare, sed fœcunda valde est doctrina hæc & non unius usus. Facit enim aperte contra *Judæos*, qui vim plene expiandi sacrificiis pecudum sumptuosis olim etiam attribuebant, contra *Socinianos*, qui morti Christi vim aphesin ac satisfactionem impertiendi negatum eunt contra *Pontificios*, (*) item, qui & novam adhuc oblationem in missa & satisfactionem in passionibus fidelium & jus ad vitam per opera adhuc propria acquirendum & remissionis inchoatæ plenitudinem, perfectione hac exstante, frustra requirunt. Ne dicam tempora sine hac observata rite differentia facile immutari, ac satiatam cum sitiente confundi.

XIII. Hoc omni vero non obstante erant nihilominus etiam Veteri Testamento privilegia ac bona sua, eaque tam singularia & propria ut cum eo inciperent simul ac desinerent, atque ea quæ sequebantur tempora paria in iis cum eo facere non possent. Præprimis hoc videre est in Testamento primo nudo, quo Regale Sacerdotium populus constituebatur. Bona propria illi tempori erant inter alia Decus terrarum omnium *Canaan*, *hæreditas Israelis appellata* Hos. IX. 3., at figura iterum hæreditatis mundi sub N. T., & obsignatio Sacramentalis Cœli, *Deus* in ea terra propinque adhabitans, figura Christi tum incarnati, tum in regno Cœlorum sub N. T. unice Domini & Capitis, *Adoptio* & proprietas fœderalis, confœderationis consummatæ umbra quæ in plenitudine temporis contigit in Christo, *Arcanum legis ac verbis*, quod item in hanc hæreditatem *cœtui Jacob datum* Deut. XXXIII. 4., Ps. CXLVII. 19. 20. &c.

XIV. Equidem post mutatio ingens facta per legem subintrantem ob indolem Israelis puerilem Gal. IV. 2., ut cogeretur in vincula fœderis Ezech. XX. 37., ut curaretur peccatum in mundo cubans Rom. IV. 13., ut custodiretur in Christum & fidem revelandam populus Gal. III. 23. 24., ut gratiæ via commoda præstrueretur Esai. XL. 6. 7. 8., ut Deus nomen suum sanctificaret, illeque per longam peresin ac diutinum silentium non credatur similis esse peccatori, indolemque ad peccata conniventem æque se habere ac habet homo Ps. L. 21., ut in idololatriam ac defectionem enormem, commissam jam in initio primo & coram facie Dei, animadverteret Exod. XXXVIII. 6. 7. Inde igitur Lex venit, & in materia sua, & in phasi, & in clausulis binis suis adjectis Rom. V. 13., Gal. III. 10., quæ & imputavit peccatum Rom. V. 13., & abundare fecit ibid. V. 20., & sub illud conclusit Gal. III. 19. 22., & iram operata est Rom. IV. 15., & in doctrinam non bonam tradidit Ezech. XX. 25., & Israelem totum tanquam indignum ac impurum ab altari removit, & dominationem exercuit aut neglecte habuit Exod. XXXIII.

(*) *In Missæ sacrificio non offertur nova victima; sed illam eamdem victimam in Crucis ara pro nobis oblatam Sacerdos offert Augustissimo Patri, quæ quidem victima, cum sit ipse Christus, vim virtutemque habet satisfaciendi & impetrandi varia donorum genera iis, qui fideli animo adstant huic Sacrificio. Hoc argumentum egregie tractat Maldonatus de Eucharistia, & Fratres Wallemburchii.*

xxxiii. *6. 7.*, Heb. viii. *9.* Quo omni porro notitia fuit obscurata, & justitia imminuta, & Spiritus Sanctificationis inhibitus, tum & fiducia ac libertas deperiit valde.

XV. Quanquam haud inficiet etiam jam *Veteri Testamenti Nudi tempore* alique jam tunc rigorem adfuisse, *sive* ob Dei umbratice adhabitantis propinquitatem, qui necessario sanctificatur a propinquis ipsi, *sive* ob typicam atque sacramentalem terræ rationem, quæ hinc necessario exspuere malos debet, quod iis obsignare non potest, *sive* ob figuratas per Ceremonialia tractata gratiæ res, quarum in figuris & umbris neglectus aut contemtus necessario etiam gravis est.

XVI. At interim bonis ac prærogativis haud aspernandis Tempus vetus inclaruit, ne quidem eo excepto etiam, quod fuit sub Lege.

XVII. Primas facile inter eas habet Jehovah qua *Deus*, *Rex externus*, *ac Dux Militaris* priscorum Israelitarum, de quo Deut. vii. *6.* 7. 8. *9.* 10. 11. 12. 13. late, *Populus sanctus es Jehovæ Deo tuo, te elegit Jehova Deus tuus, ut fieres ipsi populus peculiaris ex omnibus populis: sed quia dilexit vos, & servat juramentum quod juravit Patribus vestris, eduxit & redemit te, & cognosces quod Jehova Deus tuus sit Deus, Deus ille fortis ac fidelis, servans fœdus & gratiam amantibus se, & diliget te, & benedicet tibi, & faciet te augescere, & benedicet fructum ventris tui &c.*

XVIII. Ne vero in limine impingamus, Jehovah *Deus*, *Rex*, & *Dux* Israelis, nonnisi Filius & Christus est, quæ Facies Dei tunc ivit ac duxit, qui Angelus Fœderis ac Sermo tunc nubem incoluit ac habitavit. Apparet id ex omni parte elogii quo hic appellatur ac venit; Quis enim primo ille Jehova & Ehjeh Mosen vocans & mittens ad cogendum sibi Israelem Exod. iii. 14., nisi Angelus ille Fœderis, cui in rubo primiter apparenti ad montem Sina iterum serviri debebat? qui & unice, non vero Pater, fit Deus & effundit divitias & implet promissa? Quis deinde *Israelis* Deus ac *noster* Deus? Patris est in Œconomia formam ac phasin Dei retinere, eo quod prima persona est, aliique sine turbatione eminentiæ personalis atque ordinis minime subjici potest; Unde ille personam Directoris, Legislatoris, & Judicis, in Œconomia salutis sustinet, & hinc *Deus* Œconomice dicitur, tum quod causam Dei agit, tum quod in forma Dei manet. At quia Filius misericordiam Deitatis exserit, formam servi induit, carnem nostram assumit, & bona cuncta donat, quin & sanguine suo nos in peculium emit, hinc ille præ Patre nomen *Domini* Œconomicum gerit, atque Deus *noster*, qui nostræ naturæ personaliter conjunctus est, & causam nostram fovet, in Scriptura dicitur. Si porro Deum qua Regem spectas, cui inter personas Testamento Regnum iterum, nisi Filio Dei, dispositum est Luc. xxii. *29.* Ille idem etiam *Angelus ille Fœderis* est, qui duxit Israelem in deserto, atque ante faciem ejus egressus profligavit inimicos ejus Exod. xxiii. 20. 21. Atque hinc est, quod exclamat in carne jam existens Christus ac Deus Isai. i. 2. 3., *Audite cœli, atque auribus percipe terra, nam Jehova loquitur: Filios educavi ac illi deficiunt a me. Cognoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel non cognoscit, populus non animadvertit.* Hæc sunt verba Christi, cum *veniret in propria, & proprii eum non reciperent* Joh. i. 11., imo fatuæ virgines ac luce digna destitutæ *prætereuntem non cognoscerent* Matth. xxv. 3. Ejus Jehovæ ac Sapientiæ Patris est *ludere in terra apud filios hominum* Prov. viii. 31.

XIX. Ille Jehovah & Filius autem primo *Deus* Israelis est; Quod insigne imo plenum ac perfectum est bonum. Habent quidem Gentes omnes Deum, at *Bene illi populo, cujus Jehova Deus est* Ps. xxxiii. 12. Nunc statim instaurato post diluvium mundo sonat primum in vaticinio Noachi hæc veritas Gen. ix. *26.* 27., *Benedictus Jehova Deus Sem, & Canan servus ipsi: Persuadebit Jehova Japhet, ut habitet in tentoriis Sem.* Solius hic Jehova est Semi Patris Hebræorum Deus, qui hinc & ex eo Canaan servum habet, & Japhet in tentoria accipit; Dei enim est anima & Filii & Patris & omnis, ejusque potestati tam plene subjecta, ut libere de ea statuere possit, ac pro arbitrio hunc *ad panegyrim admittere*, *alium in carcerem compingere* Job. xi. 10., æquales ac fratres etiam quam longissime disparare: Atque competit vere hæc potestas illi tum ex creatione, quæ jus plenum in omne reale creaturæ tanquam ex se oriundum illi dat, tum ex peccato, quod novam ac magis liberam statuendi potestatem ex delicto concedit, tum ex natura gratiæ coercentis, confirmantis, custodientis, præservantis, qua gratiæ, quæ immeritum quid est & se dare æque ac negare potest, huic dare item, vel alii, *cui enim gratiosus sum il-*

li

li gratiosus sum, tum & potissimum ex eo, quod ipse & voluntas ejus est prima causa boni omnis & rei, quod hinc ipsum præoccupare atque dirigere non potest; Hinc in ipso lapsu, cum ad testandam suam solam perfectionem & plenam libertatem cum permitteret, fœdusque operum & homo insuper ipse eo & ita vellet, negavit libere gratiosam & immeritam coercitionis & præservationis gratiam, atque in hunc modum formavit etiam jam tunc decenter & justissime vasa ad dedecus. Post in prima promissione negavit se iterum hæc libebera gratia plurimis, dum aliquos reliquit in semen serpenti. Non mirum hinc quod eodem particulari, ac libero hoc modo se Gratia, convenienter intrinsecæ indoli suæ, se etiam erga Israelem unice exseruerit, & quidem sic, ut non ullum dignum aut indignum in eo moveret. Porro Israeli unice se post Deus adstrinxit circa ætatem Abrahæ, Isaac, & Jacob, dum cum Abraha præputiato adhuc (ut idoneum Exemplare Gentium adducendarum esset, ac jam statim in initio ceremonialis omnis ac prosapiæ circumcisæ dignitas periret) fœdus init, tum & cum semine ejus in perpetuum, & quidem sic ut nota circumcisionis impressa hinc illud separaret ab aliis populis, populosque item structo muro ceremoniali intergerino abstineret a communione hujus fœderis. Potissimum vero atque in implemento accidere id videmus in monte Sinai in deserto, postquam jam exercitus hic Dei in justa copia & multitudine ex Ægypto eductus esset, ut rempublicam ac populum peculiarem nunc constitueret; Adest hinc in monte Angelus fœderis, atque pangit cum populo, Mediatore Mose, solenne fœdus, & quidem stipulationi & conditionibus præmittens bonum fœderale, ut hoc esset indicium quod Gratiæ esset fœdus; Inquit enim jam in præloquio Deus, Ejo Jehova *sum modo Deus tuus*.

XX. Erat Israel modo *Filius Dei primogenitus*, quemadmodum verba in legatione ad Pharaonem sonant; Neque enim id respectu gratiæ semini mulioris concessæ tantum vetat, quæ Dei imaginem restaurans vere filios Dei sistit, sed & ratione naturæ ac geniture naturalis, *dum* Israel tanquam filius promissionis ex Abrahamo ac Sara inidoneis, tanquam ex saxis, per Deum eductus est, *dum* fœcunditas populi hujus stupenda non nisi ex Deo erat, *dum* terra ac hæreditate per Deum & Angelum Dei occupata vegetantur & aluntur, *dum* & per gratiam Christi non vita spiritualis tantum sed & vita atque existentia naturalis eorum ut sic restituta est, cum prior corruptioni & morti obnoxia esset; Unde & non de nova aliqua qualitate solum sed de *toto Novo homine* in Sariptura mentio est.

XXI. At majus quid est cum Jehovah insuper *Deus* Israelis fit; Ubi ante omnia, quid sibi velit Deus qua Deus, tum in usu vocis tum in ejus etymo, in antecessum expediendum est. *Deus* est Numen Sacrosanctum quod religiose colimus, quod ad opem & bona quæque habendum adoramus, cui & cujus placito tanquam Fini ad gloriam hic vivimus, ut ab eodem tanquam Summo etiam Bono post vitam hanc juxta spem nostram omne beatitatis præmium accipiamus; seu ille Creator Coservator & Director, in quo sumus, vivimus, ac movemur. Juxta vocis Hebrææ etymon venit ea *jurans*, *adjurans*, & *execrans*: Qua *jurans* est Deus primum *Testis infallibilis*, qui verba certissima & verissima edit ac profatur, neque enim quis jurat nisi cum verba eaque certissima antecesserint, nisi stulte temere & falso jurare velit, atque jurata aut juramento firmata verba sunt per se prorsus vera ac infallibilia. Hoc sensu *Moses in* Exodo *Deus*, *Aaron vero Propheta & prolocutor ejus*. Hinc ait Christus Ps. L. 7. *Israel tester inter te*, *Dous tuus Ego*. Hinc *Dii olim* in Cathedra considentes, quod Dei ac infallibile verbum apud eos iisque factum erat Joh. x. 35. Et inde Eloah *Oraculum infallibile*. Qua *jurans* autem porro Deus maxime est *jurato promittens*, *fœdus erigens*, *& confœderatus ac fidelis & juratus amicus*; Solent enim fœdera, ut sectione animalis adhibita, & juramentis mutuis ac solennibus iniri: Et qui etiam in amicitiam & assistentiam omnem jurat, ille eo ipso fœdus certum ac firmum jam facit. Hinc Fœdus gratiæ *sermo jurisjurandi qui post legem est* Heb. VII. 28. Hinc est, quod formula *Ego Deus tuus* tanquam bonum excellentissimum continens in capite promissionis omnis occurrit, ac tanquam præmium summum promissum annectitur officiis præstitis. Et inde Eloah *Pretector ac Salvator fidelis ac potens noster*. Quatenus vero Deus *adjurans* & ad homagium sibi præstandum obligans est, eatenus Dominium Regium, & potestas Legislatoria illi asseritur, quo sensu etiam Politici Principes ac Magistratus Dii esse queunt, qua de causa etiam Paulus tam intime *Deos ac Dominos multos* connectit 1. Cor. VIII. 8. tanquam res eodem pertinentes; Et hinc cor-

correlatum significatus hujus in sacris, *Hinc & vos este populus meus*. Qua *execrans* vero judicium justum ac in excratione & maledictione puniens sibi Deus arrogat; Quo sensu Magistri eam vocem sumunt, quemque Eloah non credit ille נבל ac stultus Psalmi XIV. cum Sadducæo, indeque simul pergit male agere ac peccare. In plurali vero numero occurrit ea vox dicoque *Elohim*, tum quod multus in personis Deus est, tum quod emperichoresis ac immeatio unius in aliam est, tum quod persona una ad fœdus & אלה peccatoris non sufficit, tum quod una absque alia neque agit neque coli atque honorari vult.

XXII. Prima hinc relatio significatus ad *Verbum Dei* se extendit quod *pro norma infallibili unice recipiendum est*, cuique auscultandum in historia, consilio, monito, præcepto, tanquam Torah i. e., indici fideli viam ad metam beatam commonstranti, quemadmodum & hinc religio fides & ratio Deum colendi *Via* in sacris dicitur; Ad hunc significatum pertinet id quod Jerem. VII. 21. legitur, *Non locutus sum cum Patribus de sacrificio quum eduxi eos Ægypto, sed hoc præcepi ipsis, dicendo, Auscultate voci meæ & fiam vobis Deus: At non audiverunt nec arrexerunt aurem suam & ambularunt in consiliis & firmitudine cordis sui mali*. Similiter Es. LV. 2. *Auscultando auscultate ad me & comedite bonum, attendite aurem vestram & venite ad me, Ecce testem nationum dedi eum Principem & Præceptorem nationum*. Confer Esai. VIII. 20. *Ad legem ac testimonium, non consulite mortuos non Hariolos*. Insigne igitur erat hinc hoc Israeli prisco Bonum, quod verbum arcanum & oraculum Dei apud eos, propter quod adibant eos Gentes & prædicabant ultro, ubi Gens quæ tam sancta præcepta habet! *Indicabat enim Jacobo statuta & jura sua Israeli, ita non facit ulli Genti* Ps. CXLVII. 20. Unde pariter infatuati Gentiles fuerunt atque viam pacis i. e. salutis non noverunt. Unde Sapientes unice Judæ, *Præceptores Nationum*, *Duces cœcorum*, quod περισσόν Apostolus Rom. II. 19. fuse prædicat & extollit. Neque enim de nihilo est cognoscere verum Deum, arcana Dei, & viam latentem unicam ad justitiam consolationem salutem ac beatitudinem & summum bonum.

XXIII. Deum esse significat deinde *Dominum certi populi tanquam peculii esse, cumque ita sanctificare, ut religiose præceptis ac legi actu ac vere subjiciatur*. Quo modo unice etiam Jehova Deus Israelis erat, unde eum Apostolus appellat *Deum populi sui Israelis* Act. XIII. 17. Hinc non puduit Deum quo minus Deus ipsorum cognominaretur, *quandoquidem paraverat iis civitatem* Heb. XI. 16. intellige præter cœlestem & μέλλουσαν καὶ μένουσαν futuram ac permanentem Heb. XII. 22. 23., seu Regnum cœlorum in quo & Gentium existet Rex: quæ sane civitas est quam Patres exspectabant etiam ac appetebant Heb. XI. 10. Atque hoc novum Israeli pariebat decus, quod unice Dei populus unicum Dei veri in mundo regnum ac peculium erat.

XXIV. Neque vero simplicem tantum subjectionem Deus Dominus exigit sed *cultus etiam religiosi, atque tenerrimarum etiam conscientiæ fibrillarum, ut* ab eo affectu & cogitatione omni pendeam, illum timeam, illum invocem, illum canam, illi vivam, illi confidam, illi mea commendem, in eo spem omnem reponam, atque omnia, quæ mihi cum in facultatibus animæ quam corporis & seculi sunt, ad ejus gloriam impendam & lubens atque integre consecrem. Hæc enim demum est servitus quæ Deo qua Deo convenit & præstanda est. Atque hæc sanctitas ac justitia præceptorum erat, quam Israel in cultu ac civitate sequebatur, & Gentes stupebant ac imitari conatæ sunt.

XXV. Sed hactenus officia fere visa sunt eaque singula ordine, quæ Deo qua tali conveniunt; Latent in hoc etiam beneficia insignia & captum omnem exsuperantia: In quibus primum locum tenet *Fœdus* quod vox Elohim importat, *sive* id fœdus jurato erigendum sit, quo promissio nuda ratificatur ac firmitatem contractus obligatorii accipit, *sive* actu percolendum, quod toto Veteri Testamento in longa & potenti illa bajulatione contigit, *sive* initiandum ac fundandum, quod in sanguine Christi, cum is peccata expiaret ac daretur in fœdus populi, contigit, *sive* perficiendum & consummandum, cum spiritu veniente ac fuso inscribitur conditio & Lex in cor, ut adstipulatio sequatur ac fœdus non irritum reddatur. Quæ insignis ac nova creaturæ infirmæ & præprimis peccaminosæ & vacuæ felicitas est, Deum in conjunctione proprietate ac fœdere habere, imo fœdus Dei in os sumere Deumque suum dicere.

XXVI. Præprimis vero apparet hoc evidenter, quum recogitatur attentius quænam sint illa pericula, illa mala, illa bona, quæ avertere e quibus eripere & quæ procurare ac adducere confœderatus fidelis Deus debet; Sunt ea pecca-

cata ac pęnæ immortales sine quorum sublatione res omnis nihil adhuc est, sunt justitia ac beatitudo infinita quæ & malum omne arcent & intime conjungunt & bona digna demum sunt & cultus religiosi præmia individua semper fuerunt. Unde quid porro est esse Deum quam *Clypeum* peccatoris esse, & in justitia *mercedem amplam valde* Gen. XV. I. Hinc deducitur etiam hæc salus omnis ex fundamento eo Psal. LXXXI. 9. II., *Ego sum Jehova Deus tuus, dilata os tuum & ego implebo illud*. Consimiliter Jes. XXV. 9. *Ecce Deus noster hic est, exspectavimus eum & servat nos, exultabimus & lætabimur in salute ejus*. Porro Es. XII. 2. *Ecce Deus est salus mea, securus ero & non pavebo*. Confer & Luc. I. 68. *Benedictus esto Dominus Deus Israelis, quod inviserit & redemerit populum suum*. Et sane, *in Deum alicui esse, se Deum cuidam exhibere*, est tale quid, quod non vulgaria beneficia & auxilia spondet. Sed & promissor qui jurat, simul auxilia simul promissa ac beneficia digna per se jurato confirmat, nisi temere jurare velit: præprimis quum fœderaliter juratur adhæc super eo, quod *in fędere promissio* stipulationi conjuncta firmiter est. Hinc præmittitur Decalogo, qui Fœdus gratiæ est, hæc formula, *Ego Jehova sum Deus tuus*, quod compendium quoddam summarium hujus gratiæ Israeli jam ante opera postulata modo concessæ ac appropriatæ in se complecteretur ac haberet.

XXVII. Continetur item in verbis his insigne bonum Novi Testamenti quod in Veteri non fuit, prout etiam enunciationes cunctæ in futuro docent. *Hoc est Testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos dicit Dominus, indam legem meam cordi illorum & ero ipsis Deus & erunt mihi populus* Jer. XXXI. 33. *Et tunc ambulabo in medio vestri, & fiam vobis in Deum, & vos mihi fietis in populum* Lev. XXVI. 12. Dicitur hoc sic *quod* in Testamento Nova ipse solus testatur misso omni verbo humano, ipse solus præcepit & judicat Senioribus item omissis cum statutis ac pœnis suis, *cum Jehova Judex noster, Jehova Legislator noster, Jehova Rex noster, & ipse servat nos* Esai. XXXIII. 22.: Deinde *quod* eo tempore etiam salvatio actu fit & Fędus consummatur: porro *quod* tunc facessere jussa Œconomia ac phasi legali Spiritus actu funditur qui inscribit legem, ut sic fędus etiam a parte hominis perficiatur in adstipulatione ac ratum fiat.

XXVIII. Non minus infertur ex eo, quod Deus est Deus Abrahæ, *æterna ejus vita* in Cęlo ac beatitudo, tum quod contractus ac fędus est tantum inter vivos, tum quod pactum obedientia hujus vitæ jurato promissum in altera debet præstari, tum quod summum bonum non potest Deus esse nisi in fruitione, tum quod in hac vita ac terra non se Deus exserit ac fruendum dat, tum & quod hæc ratio omnis religionis est & Dei, ut ille colatur in vita hac remuneret vero ac pręmium det post hanc in æternitate.

XXIX. Sed & *Sanctitas hinc fęderalis* emergit, qua semen haud impurum sed sanctum est, quod in populo eo nascitur cujus Jehovah *Deus est*; Cujus sanctitatis in genere hic effectus est, ut non sit abjectum ac elongatum plane a Deo semen, ut sit dignum semen, & dilectum item propter Patres ac radicem, & promissio sit ipsorum. Affet etiam hæc sanctitas in specie porro hoc, ut non semper calcetur semen, ut econtra semper aliqui ex eo gratiæ fœderalis hæredes ac participes fiant, ut moriens in infantia semen salvum actu sit, quamdiu nimirum ante annos discretionis non de se sed Patre fœderis communi Abraham, tanquam pars ejus, censetur.

XXX. Denique & sunt verba hæc expositio genuina vocis *Jehova Fio quod Sum*, quum se vere Deum ubivis declarat constituit ac facit in conversione populorum in omni orbis parte; Quum enim Jehovah in se Deus est & insuper fit quod est, hinc & Deus ubique fieri ac pro Deo vere agnosci ac haberi debet: Unde conversionem gentium, simul ex nomine Jehovah simul ex eo quod ipse Deus est ac fieri vult & gloriam hanc alii porro non indulgere, deduci videmus Esai. XLII. 6. 8.

XXXI. Non vero tam in eo felicitas reposita est quod quis *habet Deum*, sed quod *Jehovam habet Deum*, qui Deus verus unice est opposite ad inania ac mortua Gentium Numina, quæ non juxta significatum hujus characteristici & vocis *Jehova* prædicere futura queunt quæ sistuntur accurate, nec Deus fieri, aut Deitatem suam testari: Est & *Jehovah* Deus *Creator* qui *esse* rebus dat, & hinc meretur ut Deus ac Dominus omnium sit; Sed & significat Jehova eum qui *fit quod est* ac ostendit Deitatem efficaciter in operibus & auxiliis magnis, & hinc potest præstare etiam quæ sunt Dei: At & est in eo qua *Jehova esse merum* carens omni defectu ac non esse, & sic ipse Ens Omniperfectum, quod est definitio ipsa & formale

le constitutivum Dei: Ne dicam quod qua Jehovah æternus ac immutabilis etiam sit, tum & Trinus in personis in quibus plene *fit quod est*, atque exserens etiam suum esse, quæ simul digna Deo imo ad effusionem gratiæ pernecessaria requisita sunt. Quemadmodum &, *quoad fit quod est*, Deitati ac perfectioni convenienter agit, tum & comminationes atque promissiones veraciter implet, & sic omnes partes Dei, quin & confœderati Dei, absolvit.

XXXII. Licet autem ita verius Jehovah Deus ac gratiosus esset in tempore primo Promissionis ac Veteris Testamenti nudi, plenius etiam sub Novo, non tamen hinc interrogare licet ex Rom. III. 1. Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου, ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς, *Quæ igitur excellentia Judæi, quæ utilitas circumcisionis?* Singulari enim atque eo etiam modo se tunc exhibuit Deum quo non in temporibus aliis; Nam primo tunc se vere *tanquam Deum* exseruit, i. e. omnipotenti divina atque miraculosa plane efficacia atque operandi ratione, ac ut ubivis fere digitus immediatus Dei deprehenderetur; quod in ductu miraculoso ex Ægypto exorsum ab eo nunquam fere desiit fieri, & quidem adeo, ut & Heroes ac Ductores hujus populi spiritu ac robore miraculoso Dei pleni Dii gentium cœperint ubivis esse. Fuit collocutio cum Deo per Urim ac Thummim in eo populo immediata. Misit Prophetas cum ipsis formalibus Dei verbis accedentes, qui & occulta ipsis revelarunt & futura. Egit cum iis per Angelos in apparitionibus crebris & continuis. Exercuit judicia manu cœli venientia & repentina. Excitavit Heroem post Heroem. Decidit ipse controversias & causas ad se adlatas, & non allatas de adulterio potione suspectæ præbita terminavit. Extendit brachium potentiæ jugiter. Clamant hoc opera & miracula stupenda a sæculo. Unde fides ibi continua viguit, absque ulla tentatione, Miraculosa.

XXXIII. Neque se Jehova Deum tantum testabatur eo tempore in efficacia divina exserta, sed & Deum *ipsorum* in conjunctione arcta & propinqua cum iis obtinente, ut & exclamarent Gentiles, *Ubi populus cui Dii tam propinqui?* Stata erat ac fixa Dei in templo ac medio eorum habitatio. Cubabat dilectum Domini inter humeros Benjamin, inde & *Schechina* i. e. habitatio appellatum. Comitabatur eos in columna nubis. Portabatur post ab iis in arca & præsens arcæ. Patebat ad eum accessus in penetralis & adyti intimum Sacerdoti. Præsto erat ad consilium ac responsum qua Sermo seu Verbum post caro factum & habitans in populo in forma servi. Accipiebat & audiebat preces in templo, quum inter sacrificandum clamabatur ad eum in nomine Jehova.

XXXIV. Sed & adeo fuit Deus tunc *ipsorum*, ut & affixus iis esse deberet, neque recedere ad alium populum posset in toto tempore præstituto Veteris Testamenti; Hinc bajulare eos debuit quantumcunque etiam exacerbatus ab iis ac tentatus toto eo tempore, atque iram usque ad vindictæ diem ac plenitudinem temporum, cum gentiles in populum assumeret, prolungare. Exigebat id fœdus ad Abrahamum ac semen ejus restrictum. Efficiebat paries integerimus quo Gentiles necessario disterminabantur. Indicabat circumcisionis nota quæ a præputio & gentili separabat. Hinc una migrabat Schechina cum exulibus in ipsam Babelis captivitatem tempestate procellosa impulsa Ezech. I., in qua & egregie sanctificavit se Deus tum in excitatis egregiis Prophetis, tum in miraculosa servatione, tum in opera Michaelis ac Gabrielis in aula & animis Principum Persiæ coercendis & expugnandis confecta, dum Michael Christus opitularetur gratia ac intercedendo, Gabriel Spiritus quoad Oeconomiam provinciæ ac muneris potentiam ac vim exserendo. Quin & hæc affixio Dei confœderati ad hunc populum est tanta, ut & repudii tempore non omnes abjiceret verum servaret in seminium Ecclesiæ novæ & radicem Sylvestrium ramorum ac gentium, & etiamnum anima ejus non fastidiat abjectos adhuc dilectos propter patres, & post vi prisci fœderis hujus reasumturus sit in fine dierum, imo iram præsentem non nisi viam ad miserationem ac gratiam constituerit Rom. XI. 32.

XXXV. Et licet olim abscederet ab iis Pater Judex in Oeconomia constituta factus, ne ipsos contereret in ira, successit statim in locum Filius & Facies ejus præivit ac duxit, Angelus Assertor & faciei Christus. Cum & removeret post primogenitos omnes tanquam impuros ac indignos a Sacerdotio & altari, eligebatur e vestigio Stirps Aaron, quæ & intimum penetravit Sacrarium. Sed & post eum neglecte populum habuit, misit nihilominus ad eum Legatos continuo ac Prophetas.

XXXVI. Ex hac Dei *qua Dei* propinquitate & operatione miraculosa in hoc populo promanat, quod omnes Gentilium Scriptorum priscorum paginam implent *Tempora Deorum*, *Terra Deorum*,

&

& Marciani Capellæ *Stemmata Deorum*; Quæ ipsis aperierunt γενικὰ τȣ ἑρμȣ̃ *Genesis Mosis*, prout Manethos apud Eusebium loquitur. Non enim fuerunt columnæ aliæ famigeratæ nisi Sethi & Mercuriales i. e. Mosaicæ in Ægypto, ex quibus origines rerum didicerunt gentiles, ipsi cæterum sine Deo ac ἄθεος in mundo juxta Eph. II. 12., sine *Deo*, dum Diis Angelis ipsi ac parariis ad Jovem unice destinata opera servirent, sine *vero Deo*, qui ignotus ipsis erat, tum & sine *fœderato vero Deo*, qui ipos tunc sub inobedientiam concluserat ac suis permiserat ire ac errare viis.

XXXVII. Neque vero Deus tunc solum erat Israeli Deus & *Rex Externus* excluso tunc omni hominis Magistratu thronum erigens in templo, jussa ejus inde ad populum deferente primo ac intimo Status Ministro Sacerdote maximo, qui legatione continua fungebatur.

XXXVIII. De hac olim vigente *Theocratia* loquuntur non Sacræ Scripturæ solum sed & exoticæ. Nomen reperit Josephus. Rem vero exhibent innumera loca alia. Excellunt quæ sequuntur; Num. XXVII. imperatur in persona Josuæ Præfectis Politicis omnibus, *Stabit coram Eleazare Sacerdote, qui interrogabit pro eo juxta judicium Urim coram Domino: juxta sermonem ejus egredientur & juxta sermonem ejus ingredientur ipse & omnes filii Israel*. Et diserte Gideon Jud. VIII. 23. *Non dominabor in vos ego, nec dominabitur in vos Filius meus, sed dominabitur in vos Dominus*. Adde locum illustrem 1. Sam. VIII. 7. *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, quia non te spreverunt sed me spreverunt, ne regnem super eos*. Venuste in hanc rem loquentem Mosen Josephus introducit Antiq. Jud. l. 4. c. 8. Ἀριστοκρατία μὲν κράτιστον &c. *Optimum quidem vobis est Optimatum Regimen & in administrata tali republica agere, nec est cur alterius politiæ formæ desiderium vos capiat: sed præstat ut contenti hac in legum & vestra ipsorum potestate sitis. Satis enim est Deus habere Gubernatorem*. Concinit cap. XVII. 14. Syrach, *Unicuique Genti Deus Præsidem dedit, Israel autem Dei portio est*. Optime item Theodoretus in Ἐρωτ *Dominus Deus & Dei & Regis implebat munus: Propheta vero Samuel erat Administer, & veluti quidam Præfectus, aut Magister militum, aut Tribunus plebis*.

XXXIX. Sufficiat hæc adnotasse loca quæ rem ipsam in se confirmant abunde. Neque enervat eam officium Regis Mosi Deut. XXXIII. 5. tributum, nec character Legislatoris & Regis optimi quo eum *Philo Libro de vita Mosis* 3. insignit. Sumitur enim vox hæc in iis locis in sensu quodam diminuto, quemadmodum & Ps. LXVIII. 15. & Rectoris in Schola vocabulum. Fuit & Vicarius Dei Regis. Verum & non plane removit hæc Theocratia humanum omne Regimen sed juxta ac sub se passa est facile; Ita ferebat Theocratia regimen Patrum olim, dein Seniorum, posthæc Sacerdotum, denique & Judicum seu Administratorum, qui non suo sed Dei arbitrio robore ac impulsu agebant.

XL. Non tamen cœpit hæc Theocratia demum sub populo Israel, sed ea fuit jam prius modo ac fere naturalis etiam sub tempore Patriarcharum, in quo lege ac religione naturali fere dominabatur Deus unice & sub eo Pater; Unde & nomen compositum *Abimelech Pater Rex*, & simplex nomen *ABH Pater* directionis quanquam inferioris indicium in historia Josephi. Quum vero desineret longævitas unius infinitæ multitudini Nepotum præfecti Patriarchæ, blandaque Patrum indulgentia parceret nimium quantum teneris natis, remansit nihilominus ac venerabile semper exstitit in Theocratia Regimen Dei, fuitque primus Nimrod qui hoc turbavit ac *venatus est* in casses homines *coram Domino* i. e. coram Deo Rege Gen. X. 8. 9. 10. Quanquam non sic tolli ac aboleri potuerit unquam, ut non continua ejus remanserint semper vestigia quædam ac indicia; Hinc enim exstiterunt & reliqua fuerunt Oracula semper in gentibus, quæ consulta fueruut in antecessum a Principibus quando ardui quid suscipiebant: Hinc ipsi Reges ex *Magis & Sacerdotibus*, qui Diis familiares erant, in Oriente & Ægypto desumti ac electi: Hinc post mortem Reges in Sancta Numina conversi, ut Lex ab iis viventibus constituta imperare valide semper posset: Hinc Pontificatus & Regis Sacrorum prænobile munus: Hinc uncti saltem post & consecrati a Sacerdote fuerunt, quum nil potestatis hujus de cœtero reliquum esset; Tam antiqua, tam naturalis, tam accepta, tam apta & opportuna visa semper est Dominatio hæc.

XLI. At cum de Mosaica nobis cogitandum unice hic, ejus institutæ primum ratio nobis prius est vestiganda & expendenda; Ubi non de bonitate Regiminis quod sub Deo viget & Lege multi agimus, sed ad alia potius attendimus. Nam cum etiam ob alias causas typicas proxime ac in medio populi adhabitare Deus deberet, hinc & opportunum erat ut illi regimen in populum

eum

eum ac defensio simul tribueretur. Erat & externe peculium populus hic propriissimum Dei, tum quod ipse ex parentibus inidoneis eum tanquam filium primogenitum exsciderat, tum quod & suo brachio exerto redemit ac possidere fecit, unde nòn conveniebat etiam ut ille alii quam Deo addiceretur in subjectionem. Neque fert secus libertas Regii Sacerdotii, neque sanctitas, neque ira & exacerbatio gentium vicinarum, quæ impetum secus in Sedes ejus facturæ ac impetu uno eversuræ fuissent, nisi Dei Regis propinque adhabitantis reverentia ac metus potenter abstinuisset. Eminet vero inter causas ac rationes omnes, quod Canaan ac populus priscus idea ac Typus regni cœlorum tum sub Novo Test. tum in cœlesti beatitudine exstituri esse debebat. Omitto causas quæ a more sæculi Reges pro Diis agnoscente, ab imperito & bruto populi genio, tum & levitate ac incostantia eorum identidem ad idola Ægyptiorum relabente, secus adduci solent ac proferri; Unde non solum præsens esse debebat Deus olim ad consolationem ac beatitudinem eximiam ejus populi electi, nec tantum quod Princeps mundi tunc nondum judicati Oracula occupasset ac præsens secus populum Dei seduxisset, nec quod ænigmata veteris revelationis ac Scripturæ Interprete continuo indigerent, sed quod Rex in Israel Deus esset.

XLII. Eximia & luculenta erat Regni hujus forma & species externa, stabat auro coruscum Sanctuarium, Regis aula ac palatium: Sonabant ipsi responsa & jussa, ad quæ volebat ille omnem rem exigi & componi in republica sancta. Aderant ad ministerium legationem & excubias Pontifex Sacerdotes & Levitæ. Interstrepit Musica. Apparantur Mensæ. Neque deest quicquam, quod ad aulæ ac Palatii Regii decus ulla ratione pertinere potest.

XLIII. In majore autem quodam gradu hoc omne conspici debebat in prima Veteris Testamenti Œconomia, suavi ea nimirum ac læta, quæ statim per juga legis immutata fuit ac periit; In prima enim ejus parte vocat Moses Exod. XIX. 6. populum Israel præcipue ממלכת כהנים *Regnum Sacerdotum*, quod post vocatur RegiumSacerdotium, qualis erat vel esse potius debebat populus Israel etiam jam olim in prima veteris œconomiæ parte; Refer autem etiam hoc ad ipsum Clerum sub Deo tunc dominaturum, quum debebat exesse omne regimen politicum & profanum, solumque spiritualis divina mitis & sacra vigere administratio Sacerdotum: Sed &, si cum *Petro* ad populum hanc nomenclationem referre ames, manebit illi non minus tunc libertas plena ac Regnum, erit non minus ille totus aliquod Sacerdotium, *tum* quod intimæ futurus admissionis ac familiaritatis & elongatione post demum introducta, *tum* quod ex tribu & familia omni accedere posset Sacerdos, nondum ab altari abstentis & sic impuris declaratis universis filiis Israel, *tum* quod potestas illi & auctoritas ingens relinquenda absque onere ullo & jugo, *tum* quod populus cultum Deo unice exhibens futurus ille in orbe.

XLIV. Stetit hæc regendi forma usque ad tempora *Samuelis*, qui ad stulta vota populi Regem illi humanum, & quidem ad similitudinem gentium arbitrario modo dominantem, creavit, postquam ingente Regio proposito a cæpto eum absterrere non potuit. *Jus Regium* appello, quod illud omne competit Regi, tum humano, qui servitute & opera hominum apposite ad Deum Regem eget, tum Gentili & ad modum Regis Gentilis exacto, qui pro arbitrio dominabatur. Stulta vero erant non minus hæc Israelis vota, qui summa cum ingratitudine ingens illud beneficium Divinæ Dominationis ac libertatis hoc modo repudiat, ac spernit, ac se in dura ac arbitraria servitia hominis sponte dedit ac præcipitavit.

XLV. A quo tamen ipso tempore etiam neutiquam periit Theocratia hæc, certe non sic ut non undequaque potentia ejus indicia elucerent ac remanerent: Neque enim hinc Deus plane throno decedit quum hominem precario in consortium inferius regni admisit; Ex hac Dei Dominatione reliqua ac retenta proveniebant olim judicia illa crebra miraculosa cœlitus & per Angelos Dei Ministros illata: Ex hac erat, quod Prophetæ Dei Legati in tanta coram Regibus ipsis & Principibus Viris loquerentur & agerent actoritate, quod ab imperitis Pastoribus promiscue confundi & ad Nov. Test. tempora ex æquo perperam pertrahi solet; Præter legationem enim immediatam a Deo, præter formalia ipsa a Deo allata, præter Deorum officium & characterem; præter captationem benevolentiæ in verbis præmissis, ita *dicit Dominus*, jus dabat ipsis ita loquendi tunc Dei & Virorum Dei tum vigens Theocratia ac divina auctoritas, cum nunc *Paulus* jubeat senem non increpare sed hortari seu prece hortari, tanquam Patres, ipseque item in *Actis* revocet verba asperius in Summum Sa-

Sacerdotem & Caput plebis inscienter dicta: Ex hac Theocratia promanabat item olim, quod in lege ac sanctione sua Deus permitteret sæpe olim ac aggratiaret; Non enim censendum a Deo qua Deo hoc provenisse olim, & quidem sic ut hoc illudve peccatum hinc desineret peccatum esse & reatum contrahere in foro poli, verum hoc unice ad Regiam & Legislatoriam in foro civili Judaico directionem referendum est, quæ sequitur & necessario sequi debet communem status & regiminis externi rationem, nisi pessum dare omnia velit; Ita Moses permisit olim *divortium*, non quod licitum fecerit, aliud enim post ingeminat Salvator, sed quod pœnam afflictivam corporis aut mortis divertentibus in foro civili non constituit. Ita in multivaria uxorum specie ac Polygamia, sub tempore Patriarcharum, obtemperavit Deus qua Legislator externus mori & consuetudini inolitæ seculi, quantum ullo modo fieri potuit, tum & potestati ex delicto quam duriorem per lapsum ex post Maritus tanquam Dominus in uxorem accepit, & per quam æqualia illa cum viro non porro prætendere valet. Refer huc *aggratiationem Caini*, qua pœnam externam in paucitate prima hominum Legislator ac Director Deus Fratricidæ remisit, æterna salva ac permanente. Refer huc & cætera cuncta quæ ipsi non qua Deo sed Regni in Veteri tempore imputanda sunt, quæ & Regi Principi simile quid permittendi ac indulgendi potestatem jure concedunt. Ex hac Theocratia porro erat item olim, quod mortis pœna ac supplicio Pseudopropheta Idololatra & Blasphemus Reipublicæ Judaicæ subjectus posset ac deberet necessario affici, non enim his commissis poterat dici, *Ego crimina Majestatis Regiæ læsæ vindicabo, Dii injurias sibi illatas propulsabunt*, cum hic subditus in Deum peccans crimen Majestatis Regiæ læsæ eo simul committeret.

XLVI. Sed & grassante post Regia plene Dominatione humana in Israele divina nihilominus permansit & luculenter conspecta est; Huc proxime referri debet Oraculum Urim stabilitum, quo vel ipse Rex voluntatem Dei Ephodo indutus rogabat, Adhabitatio Prophetæ ac Videntis apud Regem in monte, quem & consulebat in agendis Rex & tanquam Dominum honorifice compellabat. Ad hoc pertinebat simul Unctio ac designatio Regis per Deum & Prophetam ad ungendum emissum; Qui hinc dicebantur *Uncti Domini* atque majori pollere credebantur authoritate ac inviolabilitate: opponebant enim in Scriptura veteri iis *Unctos hominum* i. e. Reges in Gentilismo, aut tales qui hac immediata Dei vocatione ac designatione carebant; Hos vocat Petrus in Scriptura nova ἀνθρωπίνην Κτίσιν *humanam creationem*, sunt *creatio* i. e. magnificum opus & quod ante non fuerunt, sed quos Dei manus non unxit, unde male censebant tales Reges impune ac licite sperni a se posse. Non minus Theocratiam priscamque populi liburtatem sapit dicta Regi Lex de *fratribus colendis* & de *Crethi ac Plethi* i. e. Cananæis evadentibus tantum ad servitia ac ministeria publica aulæ ac templi adhibendis. Refer huc & Sacerdotem Summum Angelum ac Legatum ordinarium Dei ad populum, ingentem Cathedræ authoritatem ac superioritatem, Legem capitulationis Regi præfixam ac observandam, Exauctorationem Regum per Prophetas, tum & reliquam ac relictam plebi potestatem in autonomia, & jure, ut vocant, Zelotarum.

XLVII. Interea vero ingens beneficium ac bonum erat Deo frui eoque solo *Rege*, excluso arbitrio omni quod imperfectum erat creatum ac humanum; Facile enim quisque animadvertit invictum illud esse, sapientia constitutionum ac sanctitate legum cætera cuncta antecellere, quin & cœlum in terra præoccupare. Adhæc suave necessario erat atque a Tyrannide omni Deglubitorum immune, liberum item, pacificum, benignum, ac tutum plane & securum. Atque ad hanc insignem Theocratiam exhibendam spectabat inclytus ille apparatus palatii aulæ ac templi, in templo secessus adyti, in secessu solium auro conspicuum, quod Deus Rex in sublimi inter Cherubinos duos insedit. Qui est Thronus amplus de more Orientis in quem plures possunt assumi de quali agitur Apoc. III. 21., de quo & exstat Heb. VIII. 1. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextra Solii Majestatis aut gloriæ*, quo nomine etiam arca secus insignitur. Nimirum sedebat in sanctissimo templi secessu Pater seu Deus in Christo existens super propitiatorio & Arca. Erat vero ab utraque parte hujus Throni locus pro Filio & Spiritu, at conceptis in Œconomia tanquam binis & insignibus Cherubim seu Archangelis, occupat vero Filius dextram sedentis, Spiritu claudente latus alterum ejus. Et hæc potissimum est sessio Christi ad dextram, in throno nimirum tali amplo. Et sane non poterat nisi Filio & Spiritu Œconomice missis, & sic Angelis factis, propinquatio & adhabitatio Dei inter

ter homines locum habere. Qui Thronus amplus & regnum naturale & regnum Œconomicum plurium Deitatis personarum in complexu quodam ac pariter adumbrat, thronumque totum Es. VI. Apoc. IV., quin & articulum de Sessione Christi ad dextram in throno Dei, latiuscule declarat.

XLXIII. Et ut omne officium Deus in Israele impleret, fuit simul in castris ejus Campi Mareschallus ac *Belli Dux*, qui bella ejus cum inimico & hoste depugnabat: Quo tentorium referunt deserti, Excubitores positos, Tubas argenteas, Castra quadripartita & vexillis distinctis insignia, Arcæ ædiculam & præsentiam: Refert enim *Alexander ab Alex.* lib. 1. Gen. dier. cap. 12. *More servatum esse, ut in principiis castrorum aut juxta tabernaculum Ducis templum seu ædicula construeretur, juxta quam Romani signa & aquilam venerabantur ac servabant: unde &, si opus esset, ea extra castra poterant deduci.*

XLIX. Atque non opus est hoc demonstrare fuse, quum id res ipsa clamet, totaque progressio Israelis per deserta & Canaan occupatam ipsam, in qua Deus & Angelus fœderis præsens continuam stragem miraculoso modo fecit, primum in columna nubis & ignis, post in arca, denique & gladio Michael. Hinc *Deus Zebaoth* appellatus est, i. e. Deus multorum exercituum, aut Deus tam potens ac multus exercitus. Hinc speciatim Christus Michael *Princeps exercitus Dei* Dan. XII. I. Hinc Israelitæ *Exercitus Jehovæ* Exod. XII. 41. Hinc inclamatio ad Angelum aut Arcam, *Surge Jehovah ut dissipentur inimici tui.* Atque huc suo sensu etiam spectat promissio illustris Abrahamo facta, *Ego sum Clypeus tuus & merces tua magna valde.*

L. Insignia iterum afferebat Imperator ac Dux hic Bellicus Deus Israeli commoda. Semper enim Antesignano hoc erat exercitus Domini invictus. nunquam non corona insignis ac agens triumphos. Stabat ad nutum ejus omne mare, impetu omni fracto, procella omni sedata. Neque erat pericula & impedimenta ulla quin verbo transponeret ac dissiparet. Sed & non poterant angustiæ unquam confingi tantæ, quin posset Israel erigere animum ac lætari in Deo Rege ac perruptore; Unde *Juda recumbit ut Leo, & quidem sic ut nemo excitare audeat eum* Gen. XLIX. 9.

LI. Et si vel peccata intervenientia auxilium & brachium Dei retinere ac impedire quomodo niterentur, ut non se in salutem populi peccaminosi exsereret, sed pœna se sanctificare deberet, nihilominus effecit hæc arcta inter eum & populum necessitudo, hæc de se populi Israelis Deo Rege ac Duce fama, ut vel propter nomen ac gloriam nominis sui, ne id prophanaretur inter gentes, plene parceret, vel pœnam pro opere extraneo reputaret, vel specie quadam resipiscentiæ ostensa statim pœnam auferret, vel ex statu plene perdito ad fastigium eo majus erigeret, vel gentes iræ suæ ministrantes ob hoc extremæ internecioni suo tempore in Tophet a se structo daret; Inde dicitur virgam furoris post castigationem peractam in ignem abjicere, ira percitus hinc, quod panem primitialem suum hostes plane devorare intenderant.

LII. Atque opportuna etiam est hæc Deo Duci ac præfecto auxiliandi hora, quando res aut parvæ aut nullæ aut & adversæ simul atque contrariæ plane sunt, quando *relictum & conclusum abiit*, quando *manus populi sancti dissipata est*, quando *non Vir qui intercedit superest*, quando *vespera plena jam incidit*; Facit enim auxilium in extremis angustiis talibus collatum, ad majorem Dei nullius auxilii indignam gloriam, ad evidentiorem ejus in opere miraculoso ostensionem, ad majorem hostis ac potentiæ hostilis confusionem, ad majus item spei ac fiduciæ vel in extremis etiam non abjiciendæ in fidelibus incitamentum. Hinc enatum est illud veterum Prophetarum, *Nemo spernat diem parvarum rerum*, quippe qui sic & proximus auxilio ac saluti est, & magis Deum ad auxiliandum promtum ac lubentem reddit: præprimis olim, quum ipse Dux & Princeps exercitus Dei esse vellet, qui nunc pleno at spirituali & cœlesti modo Rex ejus factus est & cluit.

LIII. Ad hunc Dei Militarem Ducatum pertinent *Ministri*, qui Prophetæ ac Sacerdotes in aciem progressi fuerunt, sed & robore miraculoso pleni sua perficiebant, quod iterum in Deum Authorem recidit: Robur enim illud non nisi digitus Dei non nisi omnipotentia Dei erat, quæ Heroibus illis ad preces eorum eo tempore parata adfuit, quæ & in Magis etiam ipsis Ægypti forte judicium ad maturitatem perducit, certe Bileamo tunc adhuc minime defuit, at sic ut in opere minimo pediculi hærerent illi, at sic ut mala allata depellere consimiliter non possent, at sic ut baculi eorum a baculo Mosis tandem deglutirentur.

LIV. Conveniunt & probe cum Ducatu hoc divino ac cœlesti militari *Arma*

ma illa, aut potius media, per quæ populo prisco auxilium obvenit, quæ non *exercitus erant aut arcus* Zach. IV. 6., sed spiritus Dei providentis, & hinc maxime flectentis corda Regum tanquam rivos aquarum, sed tubæ circumeuntes ac sonantes, sed hydriæ ac testæ confractæ, sed faces accensæ & ardentes, sed ignis intestinæ seditionis ac grassationis de cœlo cadens ac super exercitu hostili depluens: qui Deus & secus volucrem retrahentem a cæpto ex Oriente vocare, imo vento ac nube pugnare potest.

LV. Potissimum vero indicabat & confirmabat hoc ante castra tota progrediens *Calumna* ac *Arca* Fœderis, qua surgente debebant dispergi inimici Domini.

LVI. Ex hac Dei Ducis & Bellatoris prisca præfectura prognatæ olim sunt etiam variæ *Leges*, quæ nunc obtinent minime porro, imo ridiculæ futuræ essent; qualis est, ea de *paucis equis & machinis bellicis habendis*, ea de *copiis reducendis ac destinata opera ad pauxillum reducendis*, potissimum vero ea *de fœdere cum gente nulla* neque devota neque vicina *ineundo*, quod Deus populi hujus Dux & robur socis nulla opera indigeret, minimeque uni ac soli illi diffidendum esset. Unde hoc aperta tunc erat Idololatria, Fiducia in creatura præsente Deo, Deus alienus coram Dei facie, ac Scortatio Deo Marito ac Regi derogens, vel amicitiam ac fœdus cum populis mundi securitatis majoris ergo inire, vel posita Dei ira in fœdere cum Gentili potentia præsidium quærere, vel potentiæ alicui Gentili ad Monarchiam excrescenti nimium adulari. Graphice Deus abominabilem gravitatem ejus depingit capite toto Ezechielis XVI., non minus distincte *Israelis*, qui sub nomine mulieris *Ahala* i. e. tabernaculi vacui ac nudi venit, tum & *Judæ*, quem Ahalibah fœmina seu *Tentorium meum apud eam* in ea signat, capite Ezechielis toto XXIII. Atque sane etiam erat hoc *dotare alienum* Ps. XVI. 4., *cum orco* i. e. Monarchia cuncta alia regna deglutiente *fœdus icere* Esai. XXVIII. 15., *Gad ac Meni* i. e. turmis iisque copiosis *libamen fundere ac mensam instruere* Esai. LXV. II.; subducere se vel *acclivari animo* Hab. II. 4., *Scortari cum filia Dei peregrini*, Mal. II. II.

LVII. Ad hos montes igitur Ducis Dei debebat Israel semper, profligatissimo etiam rerum statu, cum in fiducia tum affectu desiderii oculos attollere, atque nil formidare de cetero ultroque appetere, quemadmodum & semper Christus memoria adeo fixe tenendus, ut & *habitet in cordibus* Eph. III. 17., sive tanquam crucifixus Heb. XII. 2. 3., sive tanquam excitatus & gloriosus 2. Tim. II. 8., quanquam nunc terræ oculus sit *medius & considens in eo fœmina improbitatis* Zach. II. 7., imo *plenus adulteræ* 2. Pet. II. 14.

LVIII. Hinc David Ps. III. & aliis vel multos centimillenos sub excubiis hujus Ducis & Patroni non formidat, qui vel ipse vel per angelum in exercitu Assyriaco momento uno myriades pessum dat, qui & eo promtius, quo copia major est, adest ac sternit, ut in gloriam eo majorem suam exeat strages & clades illata ac facta.

LIX. Nemo non igitur ex his videt, fidem Israelis hoc toto Ducatus & Ductus tempore miraculosam fuisse esseque debuisse, quam secus fovere velle tentatio Dei futura fuisset ingens, quum ea solum sit temporis ejus cui promissio quædam, quæ ejus fundamentum est, miracula atque opera ea supernaturalia ob causam & rationem addicit, in quo & necessitas id exigit ac requirit; Sic potui primo T. N. tempore, in quo opera illa illustria contingere debebant juxta promissionem Prophetarum, fidem miraculorum habere, at vero jam cessat hoc, estque Pseudoprophetarum proprium, jubeorque causas secundas sub spe benedictionis divinæ addenda adhibere.

LX. Sed & non minus liquidum est hinc, quam imperite iterum, imo qua cum gravi ac temeraria Dei tentatione, hæc denuo confundantur a multis, ac pertrahantur ad necessitates etiam nostras, dum decantantur & applicantur promiscue Psalmi loquentes de auxilio immediato ac miraculoso a nobis. Toti vero aberrant, qui & pietatis esse autumant cum parva copia juxta exemplum & imperium priscum Dei in aciem nunc prodire etiam, atque ob hoc tamen plane nil diffidere ægreque sperare.

LXI. At ut ad prisca tempore redeamus, ad quæ unice etiam pertinet argumentum hoc, neglecta fuit varie tunc hæc res in variis deserti peccatis, Deusque adeo propinquus ac potens tunc Dux tam ignominiose habitus, ut vel abnegaretur indesinenter ac turpiter.

LXII. Abnegant Dominum & dicunt *Non is*: vel *Nihil illud*, *non veniet super nos malum* Jer. V. 12., Prov. XXX. 9., Job. III. 27. Abnegationi huic opponitur תודה *Confessio*, quæ & in obsignatione auditi verbi per fidem illi habitam fit, & in affirmatione imperterrita Martyrum sonat, & in adstipulatione agno-

agnoſcente ac annuente fœderali contingit, tum & ſpe fiduciali in eo repoſita, precibus ac hymno ſacro in laudem ejus decantato, præprimis obedientia ipſa actuali dicente *Dominus es tu* Pſ. XVI. 2. Quæ agnitio & confeſſio de Deo, *Utique tu es tam ſufficiens, tam ſanctus, tam potens, tam verax &c. ſacrificium* vocatur *Deo gratum* Pſ. L. 14. 23., ſive ea ſit confeſſio perfectionum Dei, ſive Salvatoris Chriſti, ſive veritatis teſtimonii ac Evangelii 2. Cor. IX. 13., Rom. X. 9. Fit autem abnegatio etiam actu & affectu cordis Prov. XVX. 9., Job. XXXI. 27.

LXIII. Ita abnegabat vehementer olim Iſrael priſcus Deum in os, utut coram præſentem ac Ducem. Abnegabat eum nefario modo Idololatria exercita, tum per imagines, quæ & ſimilem ac parem per ſe conſtituunt, & gloriam Dei in ſimilitudinem Bovis demutatam exhibebant, tum & ſecus; Deficiebat enim tunc a Deo populus cui ſe jam paulo ante viſibiliter in fœdere jurato appropriaverat, qui ipſum tam exerto ac potente miraculoſo brachio ducebat ac protegebat, coram cujus tanquam familiariſſime præſentis ac inhabitantis facie Dii habebantur alieni; Deficiebant autem ſic facile, quod actu variæ crederentur Deitates, quod Deus mundi ſe item potenter tunc adhuc exereret inter gentes, quod Deum quemque crederent Deum eſſe in propinquo non longinquo, quod vincerentur ſæpe a potentia gentili. At potiſſima tamen erat abnegatio in infidelitate ac hinc oriente timore meticuloſo, non credente ſed explorare volente ac tentare, num Deus etiam hoc poſſet aut præſtaturus foret: Et ſane potiſſima jure hæc abnegatio dici meretur, quod ex ipſo principio Atheiſmi Divinitatem veram non credentis reſultat, teſtamenti ac fœderis exinanitio eſt, Deumque ab homine pendere facit; Grave autem adhæc, audita licet divina promiſſione, audito promiſſionem confirmante juramento, viſo Deo tam propinque præſente, perceptis item ad momenta ſingula ejuſdem ſignis, nihilominus animo addubitare, metuere, diffidere, aliiſque timorem incutere. Ad minimum hi aut potentiam aut veracitatem ejus in dubium vocant, qui officii tamen ratione & Rex erat, & exercitus Dux.

LXIV. At licet *neget homo*, eſt tamen *fidelis Deus*, qui ſe ſe ipſum viciſſim ulla ratione aut impunitate *negare*, & contra ſuam exiſtentiam, potentiam, ac virtutes & perfectiones teſtari non poteſt, ſive verbo permiſſione ac lege, ſive ſilentio & conniventia, ſive opere ac ſtructura ejus indecora, ſive providentia ac inordinata ejus directione quum ſe abſolvit ea 2. Tim. II. 13. Hoc veritas ipſa vult, quæ nec in opere nec ſecus, neque de opere neque de Deo, mentiri ac falſo teſtari patitur. Hoc item juſtitia æterna ac immutabilis non minus requirit, quæ ſuum cuivis nec magis nec minus in teſtimonio rei tribuit ac dat, & inde ὁσιότης veritatis dicitur; Porro & vult hoc rectitudo, quæ non ſiſtitur cum beneplacito ac finit incongruis, ac inordinatis, tum ſanctitas quæ non hæret in defectibus ac impuris, adde & potentiam item, quæ non terminatur in nihilo. Et cum Deus omnia operetur ad reſponſum ſuum, ex voluntatis beneplacito, cum ratione ac ſapienter, tum & ſecundum indolem naturæ ac perfectionis ſuæ, hinc ne minima quidem in opere ac directione ejus aberratio, turpitudo, ac abnegatio, conſpici poteſt unquam.

LXV. Eo ipſo quo operatur Deus non poteſt ſe *relinquere inteſtatum*, ſed declarat neceſſario pro ratione operis rationem ſui ac operantis Act. XIV. 17.; Ita in opere Deus non poteſt mente ſiſtere tabulam raſam, aut mentem ſtultam ac malam, ſic enim teſtaretur menti ſe non eſſe, ſe non velle cognoſci amari timeri, rectum & bonum eſſe omiſſo Deo in aliud etiam bonum ferri, peccatum non nocere, Deo placere etiam peccatum. Non hinc in Deo etiam concipienda eſt potentia plene abſoluta agendi, cum ea exigitur in Scriptura ad id quod ἔπρεπε ac *decorum ſimul eſt* Heb. II. 10. Non porro hinc bonum eſt demum ſolum per & conſequenter ad voluntatem Dei, ſed jam & antecedenter ad eam, pro ratione ſumme neceſſariæ & immutabilis naturæ ac perfectionis divinæ, quæ ita ſe habet neceſſario, atque aliter ad arbitrium alicujus voluntatis habere ſe nequit. Hinc porro non poteſt alienare gloriam, potentiam, & laudem potentiæ ſuæ, qua Jehovah qui ſit ubivis quod in ſe eſt, & qui gloriam ſibi debitam non porro ſculptili vult relinquere, ex quo hinc potenter ab Eſaia cap. XLII. 8. converſio Gentiliſmi ad Deum *ac turbatio idolorum in eo* educitur. Sed & ex eodem veritatis fundamento non poteſt Deus peccatum impunitum dimittere Exod. XXXIV. 7., diſerte enim docet Pſalmus L. 21. ſine inſequente pœna Deum vere peccatori, in connivente impura indole, ſimilem futurum fore, qui ante pœnæ certo ſequentis actualem

exi-

existentiam apparebat ac videbatur modo talis esse.

LXVI. Quæ & ratio est, quod post has abnegationes Dei se non negantis graves hinc in populo sancto strages ac pœnæ exstiterunt, dum non solum judicia crebra e vestigio insequebantur, sed & ambagioso itinere per totum desertum circumducti sunt, omnesque in arena ejus occubuerunt, ut ad quietem Josuæ suavemque Canaæ possessionem non pervenirent. Imprimis vero in *Mose ac Aarone* hoc illustri quodam modo conspicuum fuit, quorum infidelitas atque abnegans tentatio causa item duræ exclusionis eorum ex hæreditate jam dividenda unice etiam fuit, quamque præ aliis gravissime olim semper Deus vindicavit, sive quod fides potissimum quid & conditio fœderis gratiæ est, sive quod fides miraculosa per se ob Ductum Christi miraculosum continuo olim vigebat, sive quod Tentatio talis Dei ex Atheismo non veram divinitatem Dei credente, ex infidelitate, ex irreverentia, quæ Deum operantem suspendit ab hominis arbitrio, prognatum grave malum est; Non enim censendum Mosen ideo in deserto periisse ac sepultum esse, ut expiaret eo generationem peccaminosam in deserto occumbentem, atque secum eam inde reduceret, quo R. Alschech refert verba Es. LIII. *Et posuit cum improbis sepulchrum:* Præter Typicam enim rationem de lege Morali ac Ceremoniali præsentata per Mosen & Aaronem, quæ *ad* salutem ducit non vero *in eam* introducit, in *via* etiam ad hæreditatem mundi occupandam atque sic ad tempus solum in Nov. T. retenta est, fuit pœna atque ira Dei gravis quæ utrumque percussit, quam norunt Magistri aliqui convertere in laudem Israelis, quum ajunt quod hinc ira exaserit Deus in Mosen, eo quod & immerito succensuit Israeli, & vilipendit honorem Israelitarum, dum rebelles eos appellavit Num. XX. 10.: Rectius vero imputant alii Mosis infidelitati & oriundæ hinc divini nominis prophanationi. Neque potuisset sane melius ac illustri magis exemplo & modo Deus commendare *fidem*, fœderis Novi conditionem, quam cum ab hæreditate & introitu in typicam quietem sic arcet eos, qui fide digna ad eam habendam non instructi erant, licet de cœtero viri Deo amicissimi essent.

LXVII. Et sic occumbunt in deserto & exscinduntur omnes, qui non digne Deo tanto Duce in itinere se gerebant: quanquam non unius generis excisio ea fuerit, atque etiamnum jam est in Israele; Trinam enim facit *Nachmanides*, aliam solius corporis, aliam solius animæ, aliam corporis & animæ simul, quæ phrasi *excidendo excidetur*, nimirum & in hoc & in futuro seculo, soleat indigitari. Quemadmodum & mors naturalis atque accidentalis iis est: Verba enim comminationis non de morte naturali, quæ sequela naturæ ipsis, exponunt, sed accidentali, quum mature quis ex vita exscinditur, sive plagis ac morbis cœlitus immissis, sive manu violenta creaturæ: Quæ duplex accidentalis mors duplicato illo *moriendo morieris* etiam innuatur. Excisio vero ex *terra viventium* non præcise terram Israelis respicit, sed in genere mundum ac vitam hujus seculi, tum & Ecclesiam veram, cui Esai. XXVI. 19. opponitur venuste *terra mortuorum*. Confer Job. XXVIII. 13.

LXVIII. Atque hac pœna ac strage inflicta ac absoluta, recessit *opprobrium Ægypti ab Israele* Jos. v. 9., quanquam simul servitutem peregrinitatis id spectet, quæ non minus in introitu Canaæ periit ac desiit: potest vero & ad circumcisionem tunc factam, de qua eo loco mentio fit, commode hoc item referri, filiatio enim naturalis Ægyptizantium una cum omni statu gentili per amotionem præputii recissa est, ipsi vero nota hac ad familiam Abrahæ initiati ac traducti fuerunt, prisca Gentis claritate illis iterum post longam servitutem intentatamque commixtionem asserta. Sed & erat ipsum nomen Ægyptii qua tale, a quo nunc tanquam familia Abraham distinguebantur per notam, Gentibus aliis opprobrium ac opprobriosum, quemadmodum Abramidæ augustum, honoratum, ac splendidum, quod singulariter adnotari meretur; Quid enim Ægyptius quam servus & ad juga ac luta portanda damnatum mancipium, a quo Joseph in annonæ caritate post bona & agros etiam personas Ægyptiorum Regi acquisivit ac proprias fecit: unde illud Poetæ, *Quod nec centum ferre queant Ægyptii*: Quæ & ratio est quare in Decalogo non solum ratione Israelis verum & absolute ac in se Ægyptum *Domus servorum* appellatur.

HEN-

HENRICI HULSII
DISSERTATIO
DE
SCHECHINAH

Seu propinqua Dei in Israele præsentia ac habitatione.

I. EXclamaturæ item inter alia de Israele erant sine stupore Gentes, *Ubinam populus cui Dii tam propinqui sunt* Deut. IV. 7., sive Deitas vera illa sit ac fœderata insuper, quæ gentes olim omisit, sive Deitas qualiscunque & fictitia, quæ simul adeo se communicare olim nationibus mundi visa nullibi fuit.

II. *Schechinah* seu *Habitatio* dicitur in genere *Præsentia Divinæ Majestatis & gratiæ inter homines, quod ea vel externo emblemate vel secus inhabitat ac præsens est*. Quæ enim Gloria Dei olim sub Veteri Test. in nube lucida in templo inter Cherubinos duos, super propitiatorio apud arcam præsens erat & humeris Benjamin incumbebat, ea post etiam Prophetis ac Viris Dei, tum & Martyribus, quin & singulis fidelibus, propinqua est: præprimis sub N. T. fine, cujus temporis Ecclesia singulari modo *Jehovah ibi vocabitur*, ac *Tabernaculum Dei apud homines est* Ezech. XLVII. 35., Apoc. XXI. 3., idque plene post consummationem Seculi hujus, quum post conflagrationem universi terram novam & justitia inhabitabit, & gloria filiorum Dei revelanda implebit, beatitudine ad locum certum altum corporeum non adstricta præcise ac relata fixe 2. Pet. III. 13., Rom. VIII. 21.

III. Non opus hanc Schechinah restringere ad certam Trinitatis personam, quum aliquando ea tota Trinitas veniat, quæ super arca olim præsens erat & nunc in cordibus fidelium habitat. Aliquando autem restringitur ea Parte abeunte ac recedente ad Filium, cujus est ludere & gaudia excitare *in habitabili apud filios hominum* Prov. VIII. 31. qui est *Dilectum Domini degens inter humeros Benjamin* Deut. XXXIII. 12., atque verbum illud *habitans inter nos* Joh. I. 14. Quo & referri potest illud R. Janna *in Mid. Tillim.*, *Per tres annos ac dimidium stetit Schechina in monte Oliveti, & prædicavit dicens, Quærite Dominum dum ille est inveniendus, invocate eum dum prope est.* Sed & venit ea voce persæpe Spiritus Sanctus, cujus est proprie adesse nobis, adhabitare, & opitulari 1. Pet. IV. 14.; Quare & Magistri Judæorum exponunt per Spiritum Sanctum, at non tertiam quandam Deitatis personam per eum intelligentes, quam egregia ac in supremo perfectionis gradu concessa dona, & communem seu inferiorem quendam Prophetiæ gradum: Ad quatuor enim revocat *Joseph Albo* Prophetiam gradus, quorum infimus est, cum quis suggestu rationali Spiritus Sancti recondita sapere atque in laudes Dei singulari orationis eoque metrico nitore erumpit sic, ut nesciat unde hoc ita repente ipsi veniat, quomodo *Daniel*, *David*, *Salomo*, ac *Saul* prophetasse dicuntur: A quo gradu distinguit superiores tres alios, quum aut imaginatio Prophetæ exhibita specie afficitur, aut revera oculus res vere præsentes deprehendit ac videt absque omni phantasia ac visione diserta locutio percipitur ac fit, qui gradus Angelicus ad Mosaicum quamproxime accedens fit: Quanquam & quandoque distinguant ipsi Rabbini Schechina & Spiritum Sanctum atque diversa per duo illa subinnuant; Ita enim inquiunt in *Libr. Joma* cap. 1. in fine. *Istæ sunt quinque res quæ fuerunt in Sanctuario primo ac non in secundo, Arca cum operculo propitiatorii & Cherubim, Ignis Cœlestis, Majestas Divina, Spiritus Sanctus, Urim ac Tummim*. Quibus obclamat *R. Bechai* Comment. in Pentateuchum loco Spiritus *Oleum Sacrum* inter deperditas res quinque numerans. Aut censemus nos non opus fuisse ea ut perpetuo in secunda domo externe essent, quum ea in Christo domum eam subeunte in corpore implemento ac rei veritate quinque his decoranda erat ac de-

decorata actu fuit, ita existimamus in re utrosque hos convenire, quum Schechina possit & stricte ac separatim sumi, & oleum unctionis aut spiritum in donis una sub se continere.

IV. Ab hac Schechina dicitur etiam Ecclesia *Habitabilis* & οἰκουμένη; Quemadmodum enim secus in litera per habitatum orbem intelligimus in genere partem globi aridam ac terrestrem, in specie partem eam terrestris quæ ob frigoris & caloris temperiem incolas fert, aut barbarie ac vastitie deserti non horret, ita cosimiliter Scriptura Sacra habitabilem dicit Ecclesiam quod ea colitur habitatur ac fruges fert, quod apta & instructa fontibus ac pratis est ut habitare ibi animalia gloriæ possint, præsertim vero quod Schechina ac Deus populum eum incolit & inhabitat.

V. Non patimur initio nos destineri hic nugis Magistrorum, quas de hac Schechina disseminant ac spargunt, *quod* ea non sit per manus impositionem aut secus alicubi extra terram sanctam, *quod* sit inferior prophetia ordinaria, quæ sit influxus promanans a Creatore in Prophetam interventu ultimi gradus Angelorum seu Ischim, *quod* non habitet inter mœrores ac dolores Pesach. cap. 7., *quod* recedat a Propheta quum is indignatur ac in ira effervescit Nedar. cap. 4., *quod* non sit nisi apud sapientem fortem divitem atque excellentem Berachot. cap. 8. Hæc omittimus ideo, quod nugæ sunt & experientiæ apertæ obluctantur, quomodocunque ea etiam incrustare & cum grano salis interpretari ac exponere nitaris. Sed & ejusdem commatis sunt, quæ iidem de Metamorphosi & immutatione hominis repentina, in quem Schechina descendit, docent, quomodo oculus ei subito aperiatur ad videndas eas species quæ & secus in aere semper sint at non deprehendantur, quomodo infra solium gloriæ acceptis ideis novis contempletur sanctas ac puras formas, quomodo subeat eum Spiritus, quomodo elevetur anima & commisceatur cum gradu Angelorum qui vocantur Ischim, juxta illud 1. Sam. x. 6. *Et immutaberis in alium virum.*

VI. Nec attendimus magis ad ea, quæ Gentiles de præsentia ac propinquitate Deitatum suarum gloriantur & commentantur. Collocant statuas, habent augusta templa, adornant hecatombas, atque putant sic se consecratione intermedia posse advocare ac ciere in loca ea suos Deos; Efficere enim credunt intentionem figentem in iis locis cultum, ut ejus avidi accedant ultro, &, utut non nidore carnium sacrificaturum repleantur, sentiunt tamen honore sumtuosæ victimæ ibi ipsis offerendæ eos nihilominus delectari. Stulta vero committunt, dum post Dei advocationem & statuam catenis aureis incingunt ac ligant, & nomen Dei silent, ne unquam gens alia id scire Numenque ad se inde evocare possit. De tota autem re censet *Varro* apud *Augustinum* lib. 4. de Civ. Dei cap. 36., *Qui primi simulacra & habitacula Deorum populis posuerunt, ii civitatibus & metum demserunt, & errorem addiderunt.* Existimat vero aliter lib. 2. de Legibus *Cicero* inquiens, *Græci & Nostri, ut augerent pietatem in Deos, eosdem urbes illas, quas nos, incolere voluerunt: affert enim hæc opinio religionem utilem civitatibus.* *Tacitus* autem videtur approbare morem Germanorum, de quibus memorat, *Cæterum neque cohibere parietibus Deos, neque in ullam speciem assimulare ex magnitudine cœlestium arbitrantur: lucos autem ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant Secretum illud, quod sola reverentia videtur.*

VII. Si rem ex vero velimus censere, non aderat olim adhuc promissus Spiritus, *quia Jesus nondum erat glorificatus* Joh. VII. 39.; Erat quidem in sua persona: Erat etiam operans in medio Israelis, at non erat in proprietate ac jure, non in copia, non in promissa læta operatione, non in efficacia inscribente in cor, non in impræpedito fluxu, non in extensione diffusa ad omnes, non in sceptri robore ac dominatu, non sine mensura. Quid enim sceptrum habere debeat Christus, ante glorificationem Rex nondum factus? Quid dare promissionem spiritus, quam ipse ante glorificationem tanquam præmium exantlati laboris a Patre nondum acceperat? Quid ungi & honorari spiritu fuso, qui in gloria nondum erat? Et quid denique spiritus gratiæ lætitiæ & consolationis plenæ esse, antequam omnia plene a Christo decertata & consummata sunt.

VIII. Certe non erat olim adhuc in V. T. *Spiritus promissionis*, licet esset *spiritus servitutis ac metus* Gal. IV. 5. 6., Rom. VIII. 15., i. e. qui relinqueret in fidelibus adhuc affectus serviles & formidolosos, quin & faceret reverenter obtemperare legi servili in metu. Vocatur ille autem *Spiritus promissionis*, quod est spiritus enatus ac promanans ex gratiosa Dei promissione, illique convenienter operatur & agit, quod ita operatur ut in tempore suavi promissionis, quod est spiritus Christo Abrahæ totique novo semi-

mini ubique in ſcriptura promiſſus, quod eſt ſpiritus certo juxta indolem abſolutæ promiſſionis fundendus, quod eſt ſpiritus non in præſenti legali œconomia ſed futuro dandus, quod non eſt ſpiritus ſerviles & pœnales operationes exſerens, quod non eſt communis & nativitate cuivis adhærens ac debitus, quod & naturæ atque arbitrii vires aſcendit & excludit. Dicitur item ſecus Spiritus ingenuitatis, filiorum, ac adoptionis, i. e. qui filiis convenit, qui in filios regenerat, qui auſus & affectus ingenuos ac filiales excitat & Abba Pater clamare facit. Vocat autem & Rom. VIII. 15. Paulus eum *Spiritum Filii Dei ſeu Chriſti*. Eſt vero Zachariæ cap. XII. 11. *Spiritu Gratiæ & invocationis*; Eſt ſpiritus gratiæ appoſite ad naturam, legem, ſervitutem, ac iram. Deſcendit ex gratia. Operatur gratioſe. (*) Excludit merita ac vires arbitrii in fide. Quia vero ſpiritus gratiæ hinc & ſimul eſt Invocationis, qui a Deo ac non viribus propriis pendere facit, omne tanquam donum gratuito exorat, jus & libertatem cum fiducia accedendi & compellandi dat, gratiamque ipſam implorat. Hæc vero nunc ejus eſt ratio ut non *in menſura detur* Joh. III. 34., i. e. non in adſtrictione quod legem & qualitatem ſervilem quæ illi modum ac menſuram ponunt, nec in adſtrictione quoad ſubjecta pauca quæ de eo participant.

IX. Sed & obtinebat olim *Elongatio* ſuo modo contraria ac adverſa propinquationi & propinquitati veræ, quoad abſtinebantur a communione Dei per velum ſanctuarii perpetuo clauſum, per ϛάσιν in atrio e longinquo, per ſpiritum formidinis ac metus qui abſtinebat, per Vicarium & Sacerdotem ad quem in ſacrificio & prece accedebant. Quæ elongatio in memoriam iis revocabat ſacrificia ac diem expiationis viam ad ſacrarium non aperire, reatum, qui diviſionem inter Deum & ipſos facit, nondum ab iis eſſe ablatum, jus item ad intimam cum Deo communionem nondum eſſe partum & adductum, ſecus ac in Novo Teſt. de quo inquit Heb. x. 19. Paulus, *Habentes libertatem ad intrandum in Sanctuarium in ſanguine Jeſu, accedamus cum vero corde in certitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala*. Sed & abierat jam ſub initiis primis ab Iſraele Pater, abſtentus item ab altari univerſus Iſrael ac impurus declaratus.

(*) *Non excludit fidei meritum; nam in Divinis Scripturis Geneſ. & apud Paulum ad Hebræos teſtimonia extant locupletiſſima.*

X. Hoc omni vero non obſtante viſa eſt nihilominus inſignis eſſe ac ſtupenda olim externa propinquitas Dei, inhabitatio, ac præſentia, gloria ſua cum terram ſolium Jehovæ tum etiam templum ſic adimplens, ut & emblemate continuo, & diſerta voce, & miraculoſis judiciis ac effectis in loco ſancto exſereret ſe & appareret, menſa foco & igne ibidem adornatis ipſi & ſtructis quotidie tanquam in domo: neque ut vigeret præſentia ſolum propinqua tunc ſed & continua & affixa inſuper atque habitatio perfecta exurgeret, quæ & Judam in captivitatem Babelis deportatum procella impulſa ſequebatur Ezech. I. & X.

XI. Haud indecora fuit concluſio illa Dei intra certum locum, tum quod religionis erat abſtrahi ita ac ſeparari, tum quod mundum a Deo impletum figuraret priſcorum rotunditas templorum, tum quod cœlum ſupremum pingeret ſanctuarium interius, in quo item ſolo gloria Dei plenius ac glorioſe declaratur, tum & cum maxime vero quod ita typus ferret atque exigeret umbra templi ceremonialis, quum conſimiliter & ſic. a. reſtricte unus Chriſtus plenitudinem Deitatis in ſe σωματικῶς ac perſonaliter habitantem haberet, non homo ac Propheta alius. b. reſtricte una Eccleſia communione & gratia ejus gaudeat. c. reſtricte item olim unus Iſrael Deum obvium haberet conjunctum ac familiarem, pariete intergerino ſecluſis populis omnibus mundi.

XII. Erat vero neceſſaria externa propinqua ac fixa habitatio hæc, 1. ut poſſet cum externe tum interne hæc Hereditas ad bonum Teſtamenti Veteris dici ac eſſe; Appellatur ea *hæreditate Iſraelis* Hoſ. IX. 3., terra quam *Jehova Deus dat* in præcepto V., Semini tuo dabo terram hanc Gen. XII. 7., Jehova pepigit fœdus quod illis daturus eſſet Gen. XV. 18., Confer Gal. IV. Nunc vero pars Jacobi formator omnium eſt, quo ſic & ipſum & formata ab ipſo ſingula plene poſſideat Jer. X. 16., unde & Deus externo emblemate æternæ hæreditati conjunctus debuit eſſe. Inde *terra Jehovæ* Hoſ. IX. 3. *ſolium Gloriæ* Jer. III. 19. *habitaculum ſanctum Dei* Exod. XV. 13., Tuli vos alis aquilinis & deduxi *ad me* Exod. XIX. 4. Atque ſane dictat ipſa ratio ſana & conſcientia intima bono terreno ac finito appetitum infinitum hominis minime expleri, bonum ſanctorum commune cum reprobis non eſſe, ſpemque fidelium ac mundum hunc abnegantium turpe concupiſcentiam in creatura hærentem, ac temporaneum & eva-

evanidum quid, non esse. Necessaria fuit 2. inhabitatio hæc, ut typus cum Cœli, tum Ecclesiæ, tum & incarnationis verax constitui posset, in quo Deus propinquus communioque ejus omnia efficit! Exigebat non minus 3. eam prisca in populo peculiari Theocratia, quemadmodum venuste innuit M. Coccejus Sum. Theol. Cap. LIV. §. 5., *Quum igitur decrevisset Deus eam gentem habere in terra tanquam populum suum cujus ipse sc. Rex esset, conveniens erat, ut simul voluerit cum eo populo agere, quemadmodum consentaneum est Regem cum suo populo agere. Voluit igitur quasi Comitium cum illis habere, ipsos propria voce alloqui, & se ipsis quodammodo spectandum præbere*. Fuit item ut 4. Interpreti & Oraculo, quod in dubiis & ænigmatis veteribus consuleretur, locus esset, ut 5. ab Accaron Belzebub & consultatione Dæmonum populum abstraheret 2. Reg. I. 2., ut 6. infantiæ ac timori Israelis consuleret, qui hinc pellebatur insigniter cum Deum proxime adhabitantem ac Tutorem se habere animo recogitarent, 7. ut cultum omnem ita ad se tam propinque præsentem Deus dirigeret. Adde 8. ut ita propinquus sanctificaretur magis inter propinquos, iique caverent tanto magis Deum sibi proximum, coram ipsius oculis ac facie, irreverenter habere.

XIII. Effecit vero & varia propinqua habitatio hæc ac Schechina tunc, ut jam ante sub veteri etiam Testamento nudo velo esset opus etiam ac elongatione aliquali, ut purificatio jam tunc propinquis necessaria etiam esset, ut in illa propinquitate nemo nisi vocatus prope ad altare ac mensam Dei confidentis accederet. Effecit habitatio hæc item animum & affectum eo magis ad hoc mundi elementum affixum, utpote quod sic non hæreditas tantum Israelis esset, nec bonum fœderis promissum, sed & sanctificatio religiosi cultus, locus implendæ omnis promissionis, quin & facies Dei ibi habitantis, imo Dei ipsius habitaculum ac palatium; Provenit & hinc timor in quo agere debuit necessario priscus Israel, quum secus procul a Jove procul ac remotus magis etiam a fulmine sit. Crebra etiam hinc tunc enata sunt judicia & exilia, quod terra hæc exspueret necessario impuros ac maleficos, tum ob sacramenti, quod impiis non obsignat, respectum, tum ob Sancti Israelis terram hanc inhabitantis propinquitatem, qui aut in vero cultu aut judiciis ac pœnis immissis purgari ac sanctificari debet in propinquitate ac propinquis sibi: Varius enim ac non unus fuit Boni Veteris ac Terræ Canaan respectus, quanquam emineret præ aliis Typicus ac Sacramentalis, quo mundi similiter sub N. T. hæreditandi ac occupandi, habitationis Christi per dies carnis in eo mundi loco frequentandæ, potissimum vero Cœli in veram hæreditatem post fata dandi, figura fuit; Unde & lacte & melle tanto olim abundabat hæc terra, amata fuit olim sic possessio & longæva possessio ejus terræ, tam ingrata item fuit privatio ejus in morte præmatura & exilio tristi: Sed & hinc sancte exspuebat impuros habitatores, distribuebatur sorte directa unice a Deo, distribuebatur æqualiter, reddebatur portio ejus ab alienata in Jubilæo, quod ex gratia & hæreditate Christi ac Cæli nemo excidit: Sed & hinc Angelus fœderis manu miraculosa sua terram occupatam largitur ac distribuit, ut magis in eo Testamenti ac doni divini ratiu effulgeret ac cerneretur.

XIV. At quanta non provenerunt ex propinquitate & habitatione hac beneficia ac bona *Terræ*, *Clivo Sacro*, *Sacerdotio*, *quin & Populo universo*.

XV. Illustria primo hinc exsurrexerunt epitheta *Terræ*, quæ nimirum inde *Sancta* est opposite ad impuram Amos VII. 17., *Solium Jehovæ* Jer. III. 19., *Terra Jehovæ* Hos. IX. 9., *Habitaculum Sanctem Dei* Exod. XV. 13., *Vallis visionis*, tum quod Jehovah ibi videt audit in miseria respicit ac respicitur, tum quod in ea sola visio ac Prophetia vera, tum & quod promissa omnia in ea implebuntur ac repræsentabuntur Esai. XXII. 1. Dicitur & *facies Dei* a qua expelli triste Ef. XXXVIII. 10. 11., quin & *terra decoris* ac *decus terrarum* Dan. XI. 45., *Abaliba* item *Tentorium meum in ea*, seu *Jehova* Schammah *Jehova ibi* Ezech. XXIII. 4. & XLVIII. 35.

XVI. Non minor hinc venit existimatio *Clivo Moriah* uni ex tribus montibus potioribus Hierosolymæ, de quibus Micha canit cap. III. 12. *Zion ut ager arabitur*, *Hierosolyma tumulus lapidis erit*, *& domus montis excelsum sylvæ*. Intelligitur Mons Templi distinctus a Monte Zion, qui fuit exsiccus atque altissimus inter cœteros, continens in se Arcem, Urbem superiorem, ac sepulchrum Regum ac David, in quo thesauri reposti erant: Fuit & mons templi distinctus a monte Acra in qua fuit urbs inferior ædificata. E regione Acræ autem situs erat Mons Templi, quem Salomo planum fecit aggere & egestione, antequam templum illi superædificaret, cinctum

alia urbe tanquam amphitheatro quodam; Hinc phrasis Esai. II. 2. *Mons domus Jehovæ*. Appellatur autem secus *Moriah*, non tam a docendo, vel timendo, vel Dominio Jah, quam videndo ac *respiciendo*, quod ibi Deus *respicere* & apparere, & videre, & expiare peccata ac nos respicere tandem vellet, ob quam causam & olim ille mons in oblatione tentatoria ac liberatione Isaaci consimile nomen tulit Gen. XXII. 14.; In qua liberatione & Abraham diem Christi & liberationis aperte satis vidit, ut non opus hinc sit hoc vel ad Cœlum, vel ad Isaaci nativitatem, vel ad hospitationem trium Virorum quos convivio excepit, vel ad Melchisedeci occursum, vel ad fidei impropriam visionem referre. Quum vero Deus pro loco habitationis eligeret hunc montem aditum & cultum omnem etiam adstrinxit ad hunc locum; Quo enim nisi eo, ubi Deus erat, cultu esset contendendum: Quæ dignatio magna hujus montis ac elementi mundi erat, oculosque & corda omnium illic defigebat, unde & acclivati nimium post fuerunt, qui in clivo Deoque ibi habitante nimium fiduciam collocabant, & a clivo hoc tum ægre divelli poterant Hab. II. 4. Accedebat ad fastigium dignitatis quod & *unus hic* totius terræ mons & locus honore eo gaudebat, quod tamen institutum ad potiora atque alia longe etiam pertinebat: referebat enim hoc apposite unitatem etiam Numinis quod colendum est, coercebat vagam & multam in quovis occurrente loco idololatriam, adducebat & omnem ad eum oblationem, sed & indicabat hoc unitatem altaris Sacrificii ac nominis in quo oportebat salvari, sed & excludebat velut paries intergerinus a cultu tunc potenter gentiles, qui ad unum hunc montem impossibiliter ex remotis mundi angulis poterant ter in anno confluere & congregari, facilem item reddebat hoc suo tempore cultus totius ceremonialis destructionem, utpote ab uno clivo hoc pendentem, qui cum terra facile poterat hosti barbaro in possessionem ac vastationem perpetuam tradi.

XVII. Excellens item provenit ex habitatione hac prærogativa ac dignitas *Sacerdotio & Sacerdoti*, ut quod absque propinqua adhabitatione hac propinquare & officio sacro defungi non potuisset, neque enim Sacerdos priscus ad Deum in excelsis propinquat, sed id Melchisedeco unice tribuitur ac proprium est: Interea vero hoc inde traxit, quod ipsi soli, impurato ac elongato omni Israele ac fratre, intime accedere licuit, populusque omnis in re omni ardua ab ipso dependere debebat, sive consilium a Deo petendum esset, sive de lege ac mente ejus insignis scrupulus occurreret, unde Sacerdotis labia scientiam servare dicuntur, sive expiatio peccati facienda porro esset, sive precatio solennis ad Deum in eo loco sedentem deferenda ac ibidem exaudienda; Hinc Sacerdos vere *Cohen* i. e. Vir Deo propinquus familiaris, & qui vocatus propinquare audet. Hinc fœdus *pacis ipsi cum Deo* Num. XXV., Vir socius & *proximus Deo* Zach. XIII. 7., *Angelus & Legatus Jehovæ ex adyto ad populum* Mal. II. 7., *Templum Domini*, cui adeo se communicavit, ut spiritus arcani consilii & verbi Dei plenus esset aut esse posset Jer. VII. 4.

XVIII. Quis autem ea bona singula enumeret quæ hinc *Populo ipsi* prisco obtigere, qui sic una cum Deo civitate gaudebat, cœlum in terra præcerpebat, Hierosolyma ac mater primi temporis erat, Præceptor Nationum in originibus & sacris tradendis factus est, tum & in ea propinquitate sapientia ac sancta instituta præ gentibus accipiebat. Inexpugnabile atque munitissimum urbis & populi robur inde Psalmus XLVI. deducit. Fuit & perpetua ac propinqua præsentia hæc perpetuum Dominantium ac Tyrannorum frenum, ut non auderent peculium hoc Dei nimium opprimere. Erat item hoc quasi memoriale scriptum coram Deo, ut *muri Zion essent perpetuo ante oculos Dei*, ipseque populus versaretur indesinenter in oculis Curatoris Dei, & non oblivio ejus Deum incessere posset Esai. XLIX. 16. Visibile ac *παραστηρητὸν* erat populo illi non minus cum cœlum tum regnum Dei una cum via ad Deum, ut posset certo indigitari *hic ibi*, & *non alibi* est. Non Hierosolyma sed tota Curia ac Aula Cœlestis tum in humeros Benjamin descendit, atque habitavit in iis in monte qui tangi & adiri poterat. Et sane nil volupe magis Israeli, quam Templum tanquam Domum Domini adeo propinqui sibi conspicere & coram intueri: Quæ & causa est quare *Delicium Oculorum* Ezech. XXIV. 16. appellatur.

XIX. Abutebantur vero Judæi ingenti beneficio & proteremate hoc, non tantum ut securi hinc redderentur nullamque calamitatem & expugnationem suæ urbis olim formidarent, sed & ut alia hinc iis præjudicia subnascerentur, atque putarent Deum esse Deum in propinquo ac inter populum suum, non consimiliter e longinquo item, Deum abdicasse

caſſe regnum in cœteras mundi partes, eaſque commiſiſſe Præfecturis & providentiæ Angelorum, quin & Deum cacumen Moriæ inhabitantem ad Montes potentiam & operationem adſtrinxiſſe; Et hic quidem error in defectu. Exceſſus autem inſuper quidam eſt, quod ipſum clima Canaæ ſapientem hominem reddere gloriantur, quod extra terram Schechinam non venire credunt, atque hinc in iis locis non facile manus imponunt. Attribuebant etiam terræ huic olim vim quandam expiandi ob altare Montis, quam & cauſam faciebant humationis corporum in terra ſancta, quanquam & alia ad hæc accedat ratio, quod exitum corporum reſurgentium ex terra illi terræ appropriant, ac monti Oliveti findendo, prout judicium extremum adſtrinxerunt ad vallem Joſaphat.

XX. At inquirendum nunc nobis propius porro atque in ſpecie eſt, quid rei illa *Schechina* & *Gloria Dei* tunc fuerit; Ubi tamen in rem ipſam hac Schechina figuratam non tam hoc loco inquirimus, quæ aliquando Spiritus Sanctus Judæis eſt quieſcens ſuper Prophetis & habitans in cordibus fidelium Elias in Tisb. Rom. VIII. 11. Eph. III. 14., aliquando Majeſtas præſentia & manifeſtatio Dei ſive in Eccleſia ſive ſecus in Pirk. Abhot. c. 3., *ubi ſedent duo qui legem tractant Schechina cum illis eſt* coll. cum Matth. XVIII. 20., aliquando Chriſtus in carne ac Judæa agens habitans ac loquens Joh. I. 14., aliquando etiam tota Trinitas atque Pater cum Filio in corde fidelis habitans: At hic de re Veteris Teſtamenti & externo Typi, qui tum fuit, videndum nobis eſt. Non hinc cum Moſe ipſam Dei Gloriam adſpicere & pernoſcere avemus Exod. XXXIII. 18., ſive ea ſit gloria ac beatitudo cœleſtis piis in futuro ſeculo communicanda, quemadmodum Doctoribus in Schemot. Rab. placet, ſive corpus aliquod perſubtile, quod aliquando Deus Prophetis videndum exhibuit, at quod communiter ac ordinarie ob ingentem ejus ſubtilitatem percipi ac videri nequit ut R. Jehuda in Cuzri vult, ſive ſcintilla lucis divinæ, ſive ipſa Dei eſſentia ut ſic, quod Maimonides exiſtimat, ſive facies ipſa formalis eſſentiæ, quum poſteriora tantum com. 23. videnda exhibentur: Abſit hinc longe a nobis id expetere, quod nemo hominum vivit qui Deum videt, ſed in futuro ſeculo Deus demum videbitur ſicut eſt, quum ideis ac proportione majorem ſimiles magis illi erimus I. Joh. III. 2.; Quod & ad ipſa Animalia ſanctitatis thronum ſuſtinentia ac ſupremi gradus angelos extenditur Ba Midb. Rab. fol. 178. Ad quod non attendunt ſatis, qui eſſentialia Dei cum eſſentia mentis noſtræ adeo comparant, ut conſimiliter in toto Deo nil magis quam intellectum ac voluntatem eſſe prætorie definire audeant. Significant autem poſteriora viſa ac videnda non iram ac juſtitiam quæ terga obvertit, nec demonſtrationem in executione oppoſite ad arcanum ignotum decreti, nec cognitionem veſpertinam oppoſite ad matutinam, ſed in genere rudem & qualemcunque generalem cognitionem Dei, porro determinationes certas centri illius ſimpliciſſimi omnis perfectionis, tum & delineationem ac revelationem Dei in opere creationis ac ſpeculo verbi oppoſite ad Deum adſpectum in perſona, quod eſt in ſpeculo cernere, ac in lumine Dei ſparſo lucem adſpicere. Interea vero Moſi quid hic cenſent Magiſtri obtigiſſe, quo & Meſſiam vincat & intelligentias ipſas cœleſtes: Sic enim in Teſchu. cap. 9. Maim., *Rex qui ſurgit ex ſemine Davidis majori ſapientia ornatus quam Salomo, & magnus Propheta proximus Moſi M. n.* Et Rabb. Joſua in 30. Exod. *Atque per eos quinque gradus Moſes elevatus eſt ſupra reliquas creaturas etiam Angelos*: quam iterum obſtrepat illi id in *Roſch Haſ.* & *Nedarim*, *quinquaginta portæ ſcientiæ creatæ ſunt in mundo*, *atque omnes traditæ ſunt Moſi excepta unica*, *quia dicitur Minorem eum feciſti pauliſper Angelis*. Sed & habuit hoc Moſes ut familiariter cum Deo tanquam amicus cum amico colloquia frequentaret, proxime in petra illi adſiſteret, manu Dei ipſa tangeretur, ac tegeretur: Vidit autem *ſecus poſteriora tantum*, i. e. & nebulam nubis externæ cui Deus inviſibiliter aderat, & adhæc poſterius etiam nubis tantum quum jam ipſa eum præteriiſſet, atque nubis adhæc ejus quæ bonitatem ſaltem non omnem gloriam Dei continebat & prætervehebat.

XXI. Nos externo Schechinæ ac Typi hujus impræſentiarum intenti hæc nunc omittimus, atque tria illi conſtituimus temporum ac periodorum intervalla, in quorum primo fuit *Columna Nubis ac Ignis*, in ſecundo *Arca*, in tertio *Nubes gloriæ inter Cherubim ſuper propitiatorio & arca in Sancto Sanctorum*.

XXII. Primum igitur ſub Moſe Columna Nubis & Ignis Iſraelem duxit, quæ & כבוד *Gloria* Exod. XL. 34. dicitur, & שכינה Magiſtris, decantatiſſima una cum Sapientia eam inhabitante in univerſa Theologia Fabuloſa Gentium; Hæc enim eſt Helena illa celebris, Jo pul-

pulchra, Hesione, ac Deianira, Proserpina, ac Diana simul, & Feronia. Hanc habes in historia *Bachi*, Herculis, Apollinis, ac cœterorum insignium fere omnium Heroum Israeliticorum a Gentibus cultorum. Erat Bachi ζητητις & ἕυρετις, quoad Moses & columna mersa quærebatur in profundo mari rubri mersa & reperiebatur iterum. Hinc eum in Columna pingebant, aut quadrato lapide, Columnæ hujus figura. Hinc & Arabibus *Ourotal* i. e. *lumen suspensum* dicitur, seu Lux in aere pendens, missis nugis Dickinsoni, quæ clarissima Columnæ hujus indicatio est. Hinc Jovis & Proserpinæ seu columnæ ac Sapientiæ vagantis Filius. In *Hercule* habes *Trinoctium* in monte ac tenebris, quo Hercules i. e. Angelus fœderis & Sermo in columna genitus a Jove est, *Prometheum* e Caucaso i. e. ardente monte Sinai una cum nube solutum ac liberatum Angelum fœderis, ut recederet inde atque duceret & progrederetur, *arcum item in Solem intensum*, quem non solum in tenebris Ægyptiacis verum & nube refrigerante rorante ac obtegente conspicere licet, *Cervam æripedem* Dianæ sacram seu columnam hostes obterentem quam Hercules & cursu assecutus sit, & tranantem cœperit, ac in montem Artemisium transtulerit, quin & *Columnas ipsas* Tyrii seu Palæstini Herculis. Confer item historiam *Apollinis*, cujus erat statua Delphis Columna; Conveniunt item nomina, Delphus *Manifestator*, Delphi *Stillantes*, prophetantes. Luna æris tinnitu cœlo arte deducta ætatem Josuæ & cladem Gibea respicit equidem, attamen in ipsa Columna ea lucida id etiam visum. Sed & Hecate ab הכה & percutiendo ita dicta, Jasoni opem ferens, imperiumque in terram ac mare exercens, ipsa iterum columna erat: quemadmodum & prorepens pedetentim Proserpina, quæ ad ostium Ægyptii maris a Plutone & profundo rapta, mediamque ætatis partem in inferis ac obscuro dimidiam in superis ac luce esse coacta est. Conveniunt item singula, e. g. Troja ad *cytharam Apollinis* ædificata, & *Palladio* celebrato decora, Noctiluca, Helena, & Luna, Musæ, Sybillæ, Delphi stillantes & singula. Præprimis ac sigillatim veram duplam Columnæ faciem involvunt gemini *Castor* & *Pollux*, conjuncti in columna una fratres, quoad Castor, a כסה *texit*, obscurum nubis, Pollux autem ignis lucem subindicat: Hinc dicuntur esse Jovis filii, ivisse cum Argonautis, esse in mari, atque navigantibus præbere signum faustum ubi gemini apparent, infelix, ubi nubes obscura, sola, Ægyptiis hostibus perdendis quippe obversa; dominabantur vero alternis ille de nocte hic interdiu.

XXIII. Non Columna hæc fuit insculpta, ac ad docendum res arduas antiquas & religiosas comparata, quales fuisse perhibentur columnæ *Seth*, quales & in Ægypto erant, præter Hieroglyphicos in locis subterraneis parietes, præter sphæras, columnæ famosæ *Herculis*, ad quas pertinebant cum γενικὰ τῦ ἑρμῦ seu *Genesis Mosis* appellante ita Manethone apud Eusebium, tum Capellæ *Deorum Stemmata* saxis eminentibus adscripta; Scribebatur enim primum saxis, dein vellere convoluto, denique charta, sive essent duriora saxa, sive lateres cocti, sive ligna, sive arborum cortices ac trunci: Hinc *Scalpendi* vox, *Legisque Scalptor* apud Hebræos, *Lapisque* pro Doctore passim in Scriptura Sacra. Est & lapidearum Columnarum usus apud sepulchra, sive in perpetuam honoris memoriam, sive ut elogia mortuorum in iis exciperentur & conscriberentur, quæ columnæ etiam aliquando reliquias mortuorum continebant quemadmodum Pyramis culta a *Brachmanibus* in Indiis. Sunt & præmia Victorum in certamine Olympiaco, unde & nomen Säulrich seu ejus qui columnis dives est, & appellatio usque *ad columnas Herculis* i. e. quousque pervasit robur ac fugatio Herculis. Inscribebantur iis etiam Leges cum & Fœdera sancta inita. Distinguebant & Columnæ fines ac terminos regionum, quod in agris privatorum faciebat aliud Saxum, *Deus Terminus*. At hic putamus eam solum quæ olim dicebatur *Dux Hebræorum*, atque divisa insuper erat tum a columnis & pyramidibus Ægyptiorum, tum a columnis duabus ad imitationem Hierosolymitanarum in templis gentium fabricatis & collocatis.

XXIV. Non vero Columna hæc duplex erat, altera nubis altera ignis, quemadmodum *Procopius* censebat, nec una sic ut interdiu nubes fuerit noctu vero in ignem commutaretur, sed ita potius una, ut a parte Ægyptiorum tenebrosa, parte autem anteriore Israelitis obversa lucida esset Exod. xiv. 24.

XXV. Erat in Columna *Christus Facies Patris*, quæ comitari populum debebat cum ut intercessor Protector & Dux populi sui, tum ut Sapientia ac Sermo loquens cum populo; Fuit autem Columna hæc in genere Præludium ac figura Dei incarnandi peculioque electo conjungendi, Symbolum ac indicium cer-

tum

tum ac visibile præsentiæ divinæ, Comes ac Dux certus in itinere, Sacramentum ac obsignatio protectionis & lucis Es. IV. 5. Baptizatio Israelis ex Ægypto impuri, cum per obscurum nubis lucem omnem impedientis, quod damni & carentiæ pœna erat, tum per aqueum nubis, tum per decidentem actu exinde rorem pluvium, quomodo sic dicuntur stillasse cœli Ps. LXVIII. *9*. Unde hinc ipsi purgatio venit ac refrigeratio non levis, quanquam & sano sensu Christus igne exustionis tum & pœnalis destructionis baptizet aream que suam purget 1. Cor. x. 1. 2. 3. 4. Baptismus ac immersio in mari duravit ad tempus, Longior vero erat baptizatio sub nube: At fuerunt baptizati tunc *in Mosen*, non in nomen Mosis, nec in Mosen ut Patrem & Spiritum Sanctum, quemadmodum de baptismo in Christum perhibetur, sed simpliciter in Mosen! Quid vero hoc? an in disciplinam, an in Dominium & Magisterium Mosis, cum baptismus & discipulos faciat & Dominis subjiciat; An vero tantundem valet *in Mosen* quam omnes baptizatos esse *usque ad Mosen*, ac *non excepto quidem Mose*? Vertunt alii ministerio & ביד Mosis aut *per Mosen*. Sed nec opus est dicere in doctrinam aut promissionem Mosis. Neque est hæc baptizatio lotio Proselyti Mosaici, possunt enim simpliciter hæc verba retineri. Certe enim in Mosen ac subjectionem Mosaicam tunc in fœdere prisco initiabantur etiam, quanquam non adeo severe initio legislationis, atque Moses etiam liberator Typicus ad Christum simul etiam baptismo hoc deducebat: Et hinc vere dici potest Sacramenta vetera minime quidem signa vacua aut externi alicujus ac Sacramenti novi figuras fuisse, cum typus Moses eo ipso, quo est figura pignus ac typus, ad alia interna ac rem spiritualem, quam obsignat, etiam se referat, at asserendum tamen conjunctim ea simul ad externum & internum deduxisse.

XXVI. At videamus etiam Columnam hanc distincte, & quid in partibus illa significet singulis; Facit columna Christum *Adonai* ac *basin*, quæ portat singula & in quo omnia subsistunt, facit & cum ad obtectionem extensam, tum ad refrigerationem pluviosam in siccitate deserti, tum ad motum ac ductum progressivum, tum ad baptismum ac rorem inde in Israelem Dei stillantem. Est *Nubes*, est *Ignis* pariter rei ac personæ divinæ cœlestis & excelsæ indicium. Est *Nubes* distincte humanitatis *Ignis* Deitatis venustum emblema. Facit nubes & obscuritatem & recreationem simul, quemadmodum & ignis tum lucem in via tum perditionem hostilem & adversam. Una vero Columna binum hoc in se conjunctim exhibens, quid nisi Christus personali uno vinculo cum humanitatis nubem tum Deitatis fulgorem in se conjungens, quin & suave in Christo temperamentum justitiæ ac misericordiæ divinæ, operationes item cum Ecclesiæ salutares tum hostibus nocivæ & exitiales.

XXVII. Post Columnam adhærebat sub ductu Josuæ *Schechinah Arcæ* Sacerdotum humeris portatæ, in qua repositæ erant binæ fœderis tabulæ 1. Reg. VIII. *9*. 2. Chron. v. 10. cæteris rebus prope arcam in sanctuario depositis, teste diserto Mose Exod. XVI. & Numer. XVII. ad latus dextrum arcæ Deut. XXXI. *26*. Chaldæo in Capsa ibidem posita, Thalmudistis in Scrinio, Rabbinis in lapide tribus digitis prominente; Ulterius iverunt alii, qui occasione verborum Deut. XXXI. *26*. *Tollite librum istum & ponite eum in latere arcæ fœderis Dei vestri, ut sit tibi contra te in testimonium*, suspicantur ac putant librum legis in ipsa arca etiam fuisse, namque hinc Epiphanio creduntur cæteri Apocryphi dici, quod ab arca & crypta hac abessent: quemadmodum & idem post non solum de Deuteronomio nec de Pentateucho sed integra scriptura veteri Canonica credi cepit. Majore vero cum audacia fingunt Mosen instante morte tredecim exemplaria legis descripsisse, quorum duodecim in usum cederent duodecim tribuum, unum vero servaretur in arca ex quo reliqua emendari possent, si quæ forte iis labes inolevisset.

XXVIII. Non obstat Epistola ad Hebræos, quæ ad cap. IX. ℣. 4. plura item in arca commemorare videtur, cum id quod in latere arcæ conclusum fuit etiam in arca fuisse dici commode possit, particula ἐν etiam late sumatur pro *apud*, *prope* Jud. XVIII. 12. 2. Cor. XIII. 4. quemadmodum & Christus in Jerusalem passus esse dicitur, qui prope eam patiebatur, cæterumque in mensa esse dicitur quod supra eam est. Unde nec opus est cum Theodoreto, Œcumenio, Theophylacto, Vatablo, distinguere tempora Mosis a futuris, quibus alia præter tabulas Arca etiam in se concluserit, neque cum Torniello, Tremellio, Junio ad tentorium verba epistolæ referre, quæ in sanctissima sui parte hæc in se asservaverit, neque cum Gomaro, Beza & Cornelio a Lapide enallagen ac mutationem præpositionis adducere.

XXIX. Arca hæc, non erat Scriptura Sa-

Sacra continens in ſe theſaurum omnem Evangelii & revelationis, nec, ut alii volunt, Eccleſia repræſentativa in ſcrinio pectoris cuncta ſervans, quum dicatur Jehova; Eſt 1. remedium certum contra idololatriam, efficiens, ut non externam viſibilem perſonæ ſtatuam Deo erigerent Iſraelitæ, qui tam præſens Dei ſymbolum viſibile habebant modo. 2. Argumentum certum perpetui fœderis, quod in arca ea incluſum erat. 3. Emblema Chriſti ſurgentis hosteſque diſpergentis: Venit autem is hic ſub emblemate Arcæ, *quod* humanitas illi adeſt in qua plenitudo Deitatis habitat, *quod* in ipſo fœdus cuſtoditum ſtabile ac fixum, *quod* mortuus & ſepultus exhiberi ad hunc finem debet, quemadmodum *ciſta mortuaria* voce originali venit. Appellatur autem ſecus *Arca Teſtamenti*, quod omnis promiſſio in eo mortuo *næ ac Amen*, *Arca roboris* Pſ. CXXXII., quod in morte Chriſti ac fœdere cum Deo ſitum eſt omne Iſraelis robur, *Arca Teſtimonii* quod in Chriſto ac vi confœderationis Deus familiaris nobis eſt, & in revelatione arcanum commercium colit, *Arca Legis* quod & Lex in medio Chriſti ſculpta ac impleta reperitur Pſ. XL.

XXX. Fuit arca *ex Cedro*, quod eſt lignum terræ, Judaicæ terræ, proceritate conſpicuum, rubei ſucci, incorruptibile, auro reſperſum, nova ſimul ac vetera ferens. Quo peropportune illa, quæ Chriſti humanitatem tangunt, nobis pinguntur ac veniunt; Fuit enim humanitas Chriſti ex Eccleſia, eaque Judaica, quin & ſtirpe procera Regia: pingit ſucci rubedo ſanguinem vivum, durities potentiam indiſſolubilis vitæ, aut immunitatem a carie, quum ſepultus jaceret pro nobis: Sed & ultra inſtaurata vetera adducit hoc lignum vitæ nova; Eſt & auro ac pretio infinitæ dignitatis, vi perſonalis cum Deo unionis, imbuta omnis ejus pars humanuſque ſanguis: Aurum enim arcæ hujus pretium afferens, præprimis ac ante omnia eſt Divinitas Chriſti humanitati vinculo intimo conjuncta, inde meritum dignum, innocentia, ſpiritus, imo ignis aut zelus fervidus, unde ignis ex altari deſumtus legitur non ſemel purificaſſe. At propius arcam contueri liceat, & impune quidem nunc, ubi ſub Novo Teſtamento agimus; Exiſtimamus enim non communem ſed mortuariam hanc ciſtam Chriſtumque mortuum ea præſentatum ac figuratum ſimul fuiſſe: Significat enim vox ארון, teſte Julio Polluce, non ſolum arcam vulgarem quæ res pretioſas continet, ſed & in ſpecie arcam funebrem in qua corpora mortuorum reponuntur, Vide & Gen. L. 25. Accedit quod ex cedro loculi olim efficerentur. Conſonat & propitiatorium, quod in operculo arcæ erat ac mortui ſanguinem requirit, tum & ſanguis ipſe arcam imbuens ac inſpergens. Sed quid multis? tum res ipſa loquatur, &, ad confœderationem peccatoris cum Deo, ultro mortem ſacrificium & ſanguinem exigat.

XXXI. Ubi tamen cum *Spencero* minime conſentimus, qui putat ab Ægyptiis & Zabiis gentibus ut ritus Moſis cæteros ita & ſpeciatim Arcam hanc promanare; Quod & olim impudenter etiam affirmavit *Simplicius* in l. 8. Phyſ. Sect. II. adverſus Philoponum diſputans, cuncta *Moſen ex fabulis ipſis Ægyptiorum expreſſiſſe*. Traxit originem opinio ex eo, quod Judæi ad tempus incolæ fuerunt Ægypti poſt inde egreſſi, quod & Moſes Legiſlator Iſraelitarum probe fuit educatus & eruditus in ſcientia omni Ægyptiorum. At hinc nemo eliciat diſciplinam Iſraelis fuiſſe petitam ab Ægyptiis, quum teſte luculento Pſalmo CV. 22. *Joſeph* Iſraelita potius dicatur *ſcientiam omnem docuiſſe Ægyptios*, Deuſque Iſrael aperte abominetur & ſub gravi comminatione vetet imitari gentes in ritibus.

XXXII. Quod ad præſens attinet argumentum, concedimus in uſu crebro gentibus fuiſſe ciſtas ſacras; Deſcribit Apulejus in aureo aſino l. 11. pompam Ægyptiacam, in *qua tulerit aliquis ciſtam ſecretorum capacem, penitus aperta magnificæ religioais celantem*. Tibullus lib. 1. 8.

Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.

Valerius Flac. 2. Argon.

Tympanaque & plenas tacita formidine ciſtas.

Hinc Pſyche deprecans per *tacita ciſtarum Sacra* aſin. aur. lib. 6. Adorabant etiam ciſtas, hinc apud Clem. Alex. in Protr. p. 12. Κίστην θρησκεύειν *Ciſtam colere*, cui & illæ vocantur in Admon. ad Gentes Κίσται μυστικαὶ in quibus τὰ ἅγια καὶ ἄρρητα ſint, at revera τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, repertum enim fuit aliquando in iis *Dionſiſii pudendum* teſte Clemente in Protrept. p. 12.; Portarunt item illas, quos Bajulos appellat Suidas κιστοφόρους. Poſſunt autem ciſtæ hæ ſacræ gentium redigi ad ſequentes claſſes; Continebant, Syneſio in *Calvitii Encomio* referente, Ciſtæ myſticæ Ægyptiorum ſphæras myſticas & figuras ſymbolicas, atque ſic erant eæ ad erudiendum comparatæ ac aſſervandum ſapientiam veram rerumque

que originem ac primitatem. Erant aliæ, quæ ſtatuas rationem & myſteria ſuorum Deorum, præprimis obſcœnorum ac humanorum, in ſe concludebant, quod in Bachi ac Eleuſiniis ſacris frequens erat. Circumferebant & arculas parvas, quæ erant effigies Templorum Deos ipſos in ſe continentium, quales in Actis fabricabat Aurifaber ille Epheſinus. Erant vero & mortuariæ ciſtæ, in quibus corpora aut reliquias defunctorum Deorum circumportabant; Huc ſpectat arca feralis Ægyptiorum; Huc modus colendi per planctum, atque Serapis, plurimis *Ciſta Apis*.

XXXIII. At licet hæc ita ſe vere habeant, non tamen hinc eliciet quiſquam ab Ægyptiorum arca petitam eſſe arcam famoſam Iſraelis, ſed ad ſummum colliget affinitatem ſolum quandam intercedere inter ſacra hæc. Cenſendum vero e contra potius eſt Gentiles, imitatorium pecus, ex Moſe potius omnia hauſiſſe ſua, tum quod ipſi hoc ſatis aperte fatentur, tum quod pro Diis colunt Heroes Iſrael ſpiritu potentiæ miraculoſæ ac divinæ plenos. Et ſane, quid illa circumportatio arcæ, quam imitatio aperta ejus quod ſub ductu Joſuæ contingebat? Quid Eurypiti arcam intuentis ac furore ſubitaneo percuſſi pœna apud Pauſaniam, quam hiſtoria *Uſa* & *Bethſemitarum?* Et vero Argonautæ illi quibus Tympana ſupra tacitaque formidine plenæ ciſtæ, quid, ſi recte cenſemus, niſi iidem priſci Iſraelitæ? Et cum Junonis templum depingit Pauſanias lib. v. p. 319., arcam ex ipſiſſimo ligno Cedri confectam in templo poſitam eſſe aſſerit.

XXXIV. Neque obſtant adducta á Spencero Chryſoſtomi verba, *a gentium ruditate arcam principium habuiſſe*; Certe enim inſedit animis hominum hic rudis affectus, ut Deum viſibilem ſibi præſentem ac in perſona expreſſum vellent, loco cujus Deus qualecunque monumentum externum præſentiæ, populo ſuo gratificaturus, in Arca indulſit.

XXXV. Imo ſi plene rem eloqui debemus, vel ipſis Ducibus Iſraelis originem arcæ ſuæ circumlatæ Ægyptii debent; Quid enim ciſta eorum mortuaria, quam imitatio planctus quo Jacobum & Joſephum poſt fata proſequebantur Iſraelitæ? quin & honor, quo ipſi Joſephum ac Moſen in vita mox perditos mox denuo repertos & receptos afficiebant, quanquam & ſimul Soli ac Nilo ſacratis hiſce Ducibus ſymbolis eum præſtarent, Tauro etiam ſacrato decedenti & conſimili reperto exhiberent, Taurus enim Dux gregis erat, conſecrabant eum Joſepho, quod is agros quaſi coluit & in longa penuria frumenta ſubminiſtravit; Illa enim ſapientia Fabuloſæ priſcæ erat, & a multis unum denominare, & in uno multos e contra comprehendere & colere.

XXXVI. Hæc arca famoſa ea eſt, Iſraelitarum Columen & Palladium fortiſſimum, ſive quod juratum Dei fœdus contineret & exhiberet, ſive quod Chriſti incarnati mortui ac Mediatoris legem ac fœdus in ſe habentis ac ſtabilientis typus eſſet. Hæc eſt altera illa Navis divino Palladis conſilio poſt columnam fabricata, ex ligno Mali loquacis ex Dodonæa quercu, quam conſcendit Jaſon i. e. Joſua, aureum vellus ex *Colchide* petiturus, prout Mythici Gentium loquuntur.

XXXVII. Quantumcunque vero etiam hæc Arca indicium fecerit Schechinaque Dei adduxerit, nullibi tamen plenius occurrit ac viſitur quam in adyto ac penetrali intimo ſanctuarii, ubi & Cherubim adſunt, & Propitiatorium cernitur juxta arcam ac nubem, & Gloria Dei habitans in ea.

XXXVIII. Ubi Gloria Dei inhabitans non tantum in ſe habet reliquias priſcæ nubis & ignis quæ in columna prius erant, nec Filium tantum, ſed & ipſum Patrem totamque Trinitatem, quæ & corda fidelium inhabitare ſolet. Pingi ſolet autem ubique fere Gloria Dei fulgore igneo nube cœleſti reverenter obtecto, qualis & fulgor hic inter Cherubim conſpicuus fuit, quod vel ex verbis Porphyrii apud Euſeb. præp. Ev. l. 5. cap. 13. colligere licet, qui Serapim Ægyptium in hunc modum de ſe ipſo canentem introducit,

Φαιδρὴ μὲν κατὰ δῶμα Θεῦ.
Lux lata Dei templum irradiat,
Venit quippe magnus Deus & adſpexit
Invictum robur meum - - - - -

XXXIX. Quid rei autem *Cherubim* ſedes proxima Dei, quid *Propitiatorium* in arca Scabello pedum fuerint, id non æque liquidum ac expeditum eſt.

XL. Nulli dubitamns nomen *Angelorum*, *Cherubim*, *Seraphim*, & *Animalium gloriæ*, nomen officii atque non ſpeciei certæ creatæ eſſe, & hinc perſonis divinis variiſque humanis æque ac Spiritibus angelicis in Scriptura tribui & appropriari. Nec minus certum originem etymi Chaldæo & Syriaco כרב *aravit* deberi; Nihil enim obvium & frequens magis eſt, quam quod linguæ hæ vicinæ radicem & cubile vocum ſib i invicem ſer-

ſervent & cuſtodiant fideliter : Neque efficiunt quicquam etymologiæ cæteræ *Cerabh*, *Ut Magiſter aut multus* in intelligendo, *Cerabja ſicut puer* in Chaldæo, *Rechubh currus* per literarum tranſpoſitionem, *Cherubh* a Chæræbh *gladius*. Unde Cherubim nil ſunt niſi. 1. in genere *exarati illi & picti* in tabernaculo ac templo. 2. in ſpecie *juvenci vituli aut boves ſeu aratores* picti, ad quod alluditur Amos VI. 12. An *current in petra equi*, an *quis arabit bobus*. Quemadmodum & Cherubh fuiſſe formam potiſſimam vituli aut bovis, præter imitationem Jeroboami, Collatio Capitis I. & X. Ezechielis aperte confirmare videtur. Qui tamen bos ac vitulus duplex cum Bove Ægyptio, ſimiliter & Aaronico, qui juxta Hieroglyphica Ægyptiorum Ducem populi fabricare voluit, minime eſt confundendus : ut fruſtra exultet in his Cherubim Spencerus quippe abſque dubio omni ad morem Ægyptium efformatis, quum demum poſt Moſi bos in Ægypto ſit poſitus, iſque unus non duplus, quemadmodum hic loci in ſanctuario. Fallitur item vehementer, quod cum communi Schola per eos *fortes Angelos* intelligit.

XLI. Veniunt non uno Angeli, Miniſtri Eccleſiæ, Fideles, nomine improprio; Vocantur *Seraphim* aliquando, non ab igneo corpore quod circumferunt, nec a Miniſterio iræ & judiciorum quæ exequuntur, ſed a zelo fervore & defecata puritate. At imponitur hoc nomen etiam Apoſtolis igne ſpiritus plenis, & in harmonia ſanctificationem nominis Dei in Chriſto proclamantibus Eſai. VI. Reperiuntur & in credentibus ac martyribus primis Romanis lapides ignis Ezech. XXVIII. Vocantur non minus hi omnes in ſcriptura non quidem *θηεία* at חיות *Animalia viventia* & quidem *gloriæ*. Dicuntur item *Cherubim*, quemadmodum de Epiſcopis primis Romanis legitur Ezech. XXVIII. 13. 14. *Tu Cherub longe expanſus es:* atque convenit probe cum nomen parallelum Angeli quod commune eſt, tum ſignificatus nominis, qui aut ad ſacrificia & martyria bovem vocat, aut ad agri ac frugiferæ Dei Culturam, quod appoſitum ac fideli Miniſtro & cooperario Dei proprium eſt. Neque tamen etiam confundi debent ulla ratione Seraphim hi cum Serapide Ægyptio ac Teraphim Hoſ. III. 4. Jud. XVII. 4. quemadmodum *Spencerus* nugatur, rem ita inſtituens, ut putet Teraphim in iis locis eſſe poſitos pro Urim, ac poſt eoſdem faciat cum Seraphim ac Angelis Dei. At quis docuit perfrictæ frontis hominem non agi in locis his de Teraphim damnatis Gentium, debebat enim Iſrael juxta verſ. 3. Hoſeæ a cultu peregrino omni abſtinere, a Deo ſatis in terris gentium liberaliter habitus, atque inſamat aperte Michæ Teraphim contextus de ſculptili adornato, & id quod Jud. VIII. in domo Gideon contigit. Sed & ſi vel daretur Urim ac Tummim per eos indigitatos in loco utroque fuiſſe, illud nec turpe quid foret quum & idololatricum *augurii* vocabulum etiam rei ſacræ quandoque approprietur, prout nec Teraphim cum Seraphim eoſdem facturum foret, quum Urim ac Thummim ſane Seraphim ac Angeli non fuerint, veluti ſuo loco demonſtramus.

XLII. Bovem a ſacrificiis removerunt aliquando Gentilium Sapientes ac Myſtæ, juxta Ovidii lib. IV. Faſt.

> *A bove ſuccincti cultros removete Miniſtri,*
> *Bos aret, ignavam ſacrificate ſuem.*
> *Apta jugo cervix non eſt ferienda ſecuri,*
> *Vivat, & in dura ſæpe laboret humo.*

At fuit ſecus in pretio eximio *Bos*, cum in ipſo ſacrificio de communi ritu gentium, quæ loco victimæ ponunt bovem in proverbio, *non per bovem omnia obtinebis*, tum & ſecus, quum omne præclarum eximium ac magnum voce *βȣ* addita deſignarunt, e. g. *βȣ́παιδες majores pueri*, *βȣ́λιμος ingens fames*, quo & refertur a quibuſdam *βȣκέφαλος*. Obtulerunt vero Bovem, Jovi tanquam Deorum Supremo ac Duci, Cereri ob arationem, Veneri ob laſciviam. Fuit autem in Ægypto Symbolum hoc poſitum Joſepho, & illi omni Heroi qui ſimilis illi exiſtit aut ſpiritum eundem Deorum in ſe habuit, quomodo & Livius teſtatur Lib. IV. conſimiliter *Minucium annonæ præfectum bove aureo donatum eſſe*. Attribuit etiam eandem bovis gloriam illi Moſes in Teſtamento Patriarcharum. Conſonat & *frumenti Modius* capiti Serapidis impoſitus. At & ſunt qui nomen Apis a nomine Joſephi *Abb rech* derivare amant, quemadmodum & Serapis vertunt *Bupater & Princeps Pater*, quaſi etymon eſſet שור aut שר. In vitulo deſerti autem noluit Aaron imitari Apidem Ægyptium nec Cherubim templi pro tunc nondum viſos & exaratos, ſed leges Hieroglyphicas Ægyptiorum, quibus Ducis & Defenſoris emblema erat Bos, quod adeo pervulgatum ac proprium, ut & Princeps nomen gerat bovis Gen. XLIX. 6.

XLIII.

XLIII. Ab his omnibus longe absunt Cherubini illi duo constituentes Dei thronum, facientesque adhabitare nobis Deum Sanctum Israelis; Quia enim distinguuntur ab iis qui in velis & parietibus picti, quia tantum duo, quia Deum adducunt & adhabitare nobis faciunt, hinc distinguo eos ab Angelis creatis, qui nec hoc efficere queunt, nec in ea paucitate reperiuntur. Neque licet duplex genus creaturarum rationalium Humanum & Angelicum binario hoc indigitare, Angelis etiam introspicere cupientibus Eph. III. 10. nec Ecclesiam Veteris & N. T. huc pariter directam intelligere. Definio igitur Cherubim binos hos esse Filium ac Spiritum Sanctum in Œconomia ac missione occupatos, neque enim est quid majus duos hos Cherubim quam Angelos Dei appellare, qui & revera a Patre procedunt & missionem ac functionem peragendam in terris habent: *Et nunc mittit me Deus & Spiritum suum* Es. XXVIII. 15. Et sunt vere Cherubim quia Angeli, sunt item quia boves & aratores, cedit enim in Sacrificium Filius, arat, ornat & colit agrum & Ecclesiam Dei Spiritus, nos autem arvum Dei sumus: atque ita operosus Filius ac Spiritus adducit Deum ad Ecclesiam, facitque stabilem Dei cum homine communionem, qua in relatione ac ratione hic spectatur & occurrit. Et sic bini illi Cherubim propinqui sedi, sunt Archangeli illi bini insimul *Michael* & *Gabriel*, de quibus latius in prophetia Vir desideriorum Daniel; Videntur hi obtutu primo etiam esse creati Angeli, quod cap. X. Dan. accensentur multitudini primariorum angelorum, cap. XI. alter horum auxilium postulat ab alio, tanquam operi fere succumbens solus ac non adjutus: At indicat aliud aperte Michaelis elogium, quo dicitur Princeps Israelis ac exercitus Dei, aliud opus effectum in conversione Gentium Apoc. XII., aliud item disertum nomen Jehovæ illi attributum in collatione epistolæ Judæ cum Zach. III. Non alius igitur Michael *quis sicut Deus?* quam Filius facies & imago Dei, non alius Gabriel *fortitudo Dei*, quam Spiritus Sanctus principium illud operans in stupenda Dei Trinitate. Quod autem alter alteri assistit atque assistere tenetur, id non procedit ex impotentia quadam naturali ut sic, sed 1. ex characteristico personali, cui hæc & illa operatio appropriata ac naturalis est, 2. ex Œconomia operis gratiæ & salutis, in qua Filius intercedendi ac liberandi partes & provinciam gerit, spiritus operandi efficaciter & applicandi, ubi sane non potest operatio salutaris habere locum nisi prius gratia Mediatoris ac Mediationis intercedat juvet ac adsit. Adde his 3. jus imperfectum sub V. T., in quo omnia precario obtinebat Christus, ex jure autem exstante non ausus fuit increpare Satanam Zach. III. Quando igitur adfuit Michael sua gratia ac intercessione in aula Persiæ, ut posset eo melius animos Principum in ea aula Gabriel flectere ad populi prisci redemptionem ac libertatem, id œconomiæ a Deo libere institutæ præ cæteris dandum, quæ hoc exigit, ut nemo in jura & provinciam alterius involare debeat.

XLIV. Id, quod hactenus pertendimus, confirmabunt magis propiores inspectæ Cheruborum horum qualitates; *Alati* primo erant juvenci hi; Alatos pingebat Deos omnes Taautus, teste Sanchoniathone apud Eusebium Præpar. lib. 1. cap. 10., atque dicuntur Angeli *alites cœli* Job. XXVIII. 21. Ornant & alæ dynastarum caput, quoad eæ sublimium & excelsorum indicia sunt. Faciunt vero secus ed cœlestium nunciorum velocitatem, tum & ad obnubendum, tum ad patrocinium & umbram indulgendum ac fovendum. Hinc crebra phrasis πτερὸν βασίλειον & umbra alarum. Atque vere etiam exhibentur Cherubini hi tanquam patroni bajulantes, & promti alis expansis ad opus gratiæ ac salutis perficiendum. Quod in extremitate atque finibus arcæ consistunt, illud sedem gloriæ Dei efficit ac parat. Quod sibi obvii exhibentur id auxilium in opere commisso gratiæ subindicat. Quod autem pariter ad arcam faciem obvertunt eamque respiciunt, id finem, in quem adsunt, directe exprimit, qui est curare fœdus, & opus illud gratiæ, quo in peccatore conjungitur, cum Deo perficere.

XLV. Erat & *Propitiatorium* seu lamina aurea igne & ictu crebro præparata, arcam tegens & operiens, Hebræis Capporæt dicta a כפר *firmiter pice obtexit*, Græcis & LXX. ἱλαστήριον, Vulgatæ *Oraculum*, Vernaculæ Gnadenstuhl. Erat materia ejus ex auro, forma lamina aurea, ut ad operiendum, Deum sedentem suscipiendum, & percussionis crebræ expiatorios ictus toleratos exprimendum, esset apposita. Tegebat autem immediate arcam, non elevabatur solum super arca, quemadmodum Thomas Cajetanus & Cornelius a Lapide censent, vocatur enim diserte operculum arcæ, neque subjiciuntur fulcra quibus in elevata subsisteret, confirmat item Josephus III. Antiq. cap. 6. Non vero faciebat obte-

obtectio hæc ad custodiendum sic eo melius originale fœderis ac legis, nec ad curiosum oculum inhibendum, nec ad religionem sic majorem inducendam, qua ratione nolebant Romani sacra ac mysteria sua desuper spectari. Notatur vero in arca tum legis fulmina tum nostram carnem damnabilem in & cum Christo exhiberi, ad ea enervanda fœdusque faciendum expiatione ac propitiatorio opus esse, modum propitiationis per imputationem alieni & obtectionem fieri, tectaque peccata V. T. adhuc exstare non sublata penitus esse, quod Psal. XXXII. distincte expendit, medium expians autem esse pretiosum quid, ex unione personali puraque obedientia igne & ictu crebro percussum, & in eum usum præparatum, ut & Deum ira exuta adducat, legis postulata ac fulmina tegat, fœdus efficiat, idque ob nostri Intercessoris expiationem & justitiam perpetuum faciat & custodiat, *Et si peccemus, habemus intercessorem apud Deum, qui justus est & expiatio peccati* 1. Joh. II. 1. 2. Quod autem aspersio fieret propitiatorii & coram arca, id notat percussionem pretiosi in Christo ad mortem, expiationem justitiæ ipsius quæ in Christo, cruentationem personæ: Notabat item, quod sanguis aut anima luxata Christi tempore mactationis in Sanctuarium cœli debebat contendere, ibique Deo se offerre & exhibere. Quod autem septies aspersio fiebat, id refert Guilielmus Parisiensis ad perfectam emundationem, Antoninus ad Canonicas emundantis pœnitentiæ septem horas, Communis Doctorum Schola stulte ad sacramenta, cum ad sabbathum cæterasque potius periodos septem in his respici soleat.

XLVI. Male vero *Sociniani* ex his arripiunt ac docent, *expiare igitur Christum in cœlo*, atque hinc expiare non esse aliud *quam peccata per sanctificationem potentem Regiam tollere*, atque sic *iram Dei sedare*; At erat Deus placandus in cœlo, ad quem hinc merito sanguinem eum adducit Sacerdos magnus Pastorque animarum. Sed & sunt hæ Christi intercessoris perpetuæ in cœlo partes, Patrem vulnere ac sanguine ostenso placare in cœlo. Condescendit vero Deus & jam προέθετο & extra Sanctuarium *proposuit* Rom. III. 25., cum descensu Hierosolymæ cælestis in terram, tum præcurrendo gratia & spiritu, tum favendo indulgendo ac vocando, tum in verbo Novi Test. idque non sine clave ac gloria in lingua intelligibili promulgando ac exhibendo.

XLVII. Adde his tabernaculi vel templi *Sanctissimum partem*, & perfectum habebis id, quod in emphasi plena dicitur Schechinah. Aliud est schola, aliud proseucha, aliud domus conventus ad colendum & interrogandum, aliud Templum, quod statuam aut rude monumentum ac emblema cui Deus præsens, ut & altare, in se continet, *sive* id sit ædicula i. e. parva effigies magni templi, in qua icuncula Dei circumferebatur, unde Tertullianus lib. de Idol. *si templum, si arcam, si ædiculam ejus instruxeris*, *sive* tentorium statuæ circumductum ac in itinere & processione in bello receptum, quemadmodum sic Romani signa aquilæ victricis circumferebant; Unde Proceres apud Vitellium deprecantes *ne per agros Palæstinæ ea duceret*, atque putat Grotius cum Tertulliano hoc esse *abominabile stupentis* de quo Dan. XI. & Matth. XXIV.; Habebant vero & fana cultus magis privati exercendi gratia, & Succoth e. gr. Benoth seu Tentoria parva, quale erat id quo puellæ, antequam nuptui darentur, se publicabant. Hæc vero omnia loca superabat Templum proprie sic dictum, quod in Israele Mysterii causa erat unum, situm in monte urbeque declivi.

XLVIII. Quum autem sic starent parati alis expansis Cherubim, i. e. Filius Dei ac Spiritus, constituti in missione angelorum ad perficiendum fœdus, & sacrificando ac arando sibi obvii fierent & conjungerentur, quum deinde adesset arca i. e. Christus Mediator & stabilis custodia jurati fœderis & propitiatorium, quum porro Nubes ac reverenda Numinis obtectio, idque in Christi incarnati Sanctuario ac templo, ibi poterat sancte cum in Veteri tum sub Novo Testamento exhiberi ac esse Dei Schechina & propinqua adhabitatio in medio peccatorum, itemque eorum etiam qui erant olim ante factam ullam peccati expiationem in prisco Dei Israele; Picturam enim constituebant hæc tunc externam saltem rei futuræ tandem σωματικῶς, ac promittebant simul qua umbræ instare & certo propinquare etiam ipsum hoc corpus. Indicabant item Israeli Deum consimiliter in medio ipsorum externe ad tempus ac spiritualiter in perpetuum habitaturum, ut ipsum viderent ac audirent, imo Deum illum etiam propitium inventum iri, ac verba Regis ac Patris locuturum in ac super eo, cui analogum erat propitiatorium arcæ impositum.

XLIX. At adhabitatio hæc non solum erat beneficium quod ex contextu harum rerum

rerum proveniebat; Profluxit hinc etiam nobis patrocinium interceſſionis, propitiatio, conſœderatio, oraculum & revelatio perpetua, auxilium item ac robur.

L. Ita ſedet Deus in Cherubim, ſed & inter Cherubim, cum ad rationem Trinitatis tum ad procuratam per Cherubinos propinquitatem & adhabitationem exprimendam; Non enim Cherubim hi duo ſymbolice notant Eccleſiam electam redemtam & a Deo ſanctificatam, tum quod ea in multitudine aliorum pictorum Cherubinorum potius eſt quærenda, tum quod locus ille ſuperior Eccleſiæ minus convenit, & inſpectio in arcam adeo vetita & punita olim fuit. Secus haud gravate concedimus aliquando per animalia Cherubim dicta etiam Eccleſiam & quidem permixto animalium genere inſignem venire; τὸ λογικὸν & ſapientiam enim Eccleſiæ pingit forma hominis quæ in Cherub conſpicitur: tolerantiam Ducatum laborem ac martyrium Bos, cujus & biſulci pedes & ruminatio figurant eximie: exhibet porro Leo magnanimitatem ac fortitudinem invictam: in aquila vero quadrat apposite τὸ ὑψιπετὲς, quo ſe contemto mundo ſpretaque omni ſede humana in altum ac cœleſtia erigit, ac ſolis radios intuetur, quod item cadaver e longinquo & ubicunque odoratur ac appetit, ſanguine item paſcitur. Sedet vero etiam Deus in nube i. e. contectus velo, quæ hinc non ſpeciem humilem regni Dei in mundo indigitat: Ita dicitur etiam venire nube quæ & velum & vehiculum emblematicum ejus eſt. Ipſa autem Arca tertius habitantis locus, excepto propitiatorio, ſcabellum quaſi pedum ejus dicitur, atque infima fere ſolii baſis ac pars.

LI. Schechinæ hujus defectum imputant Judæi duobus. 1. quod agunt extra terram ſanctam. 2. quod ceſſant ſacrificia; Trinum enim ſacrificiis adſcribunt effectum, expiationem peccati, placationem ſpiritus Aſaſel, cui ſanguis ad pedem altaris fuſus bibatur, & adductionem Schechinah ac præſentiæ divinæ: Prout enim exiſtimant abſque peccato Adam præſentem ſemper futuram Schechinam inter homines, ſic opinantur eam abiiſſe nunc in cœlos, & non niſi ſacrificiis crebris inde ad nos accerſi ac revocari.

LII. Pſeudoſchechinam ac *Vitulos* fabricarat Jeroboam in Regno x. tribuum diviſo, ne cultus ergo ſubditis novis Jeroſolymam eundum regnumque Judæ repetendum eſſet, utque contra populus recens moleſtia longi trinique in anno itineris liberaretur, eoque etiam beneficio novo Regi devinctus eſſet eo arctius; Quod peccatum illud famoſum Jeroboam eſt, in quo & defectio a Deo uno vero Hieroſolymis conſidente, & abnegatio unici Mediatoris altaris ac ſacrificii, & idololatria id quod inter vitulos præſens adorans, & ἐθελοθρησκεία, & Deus incertus, & Deus Elil i. e. *nihili*, *vacuus & nullus*, certatim concurrunt. Repetitur idem peccatum cum in Oriente tum in Occidente ſub Novo Teſtamento; Applicatur hæc Cherubinorum & altarium multiplicatio Hoſ. VIII. 11. Orienti ac Græcis, qui id ſimiliter committunt in ſeparatione ac ſchiſmate, in imploratione Sanctorum, quibus thura precum committunt ac imponunt, cum & in ſuo Neſtorianiſmo ac perſona duplice Mediatoris. Non vero minus committit Latina Eccleſia in Occidente, quæ hominem unum totius multitudinis Imaginem ponit ſpirituque infallibili replet, quæ ſtatuas conſecrat in iiſque vim ac gratiam certam quærit, quæ ſacramenta impregnari credit poſita incerta Miniſtri intentione, Chriſtumque in pane cœnæ quærit, ad quem nec venit, nec veniſſe certum ipſis juxta hypotheſes eorum eſt. Adde his omnes qui in locis mundi ac non unice in ſupernis quærunt, ubi nunc ſolum Chriſtus reperitur ac eſt juxta Col. III. 1. 2.

LIII. Sed & exiſtimabant olim Hierophantæ Gentium, ſe, quoties vellent, poſſe Deo parare Schechinah ſtatuam ac domum, inque eam illum certo advocare. Sententiam paucis tradit Auguſtinus de Civit. Dei Lib. VIII. cap. 23. (*) Cenſet Triſmegiſtus Statuas ac ſimulachra Deorum corpora eſſe, qui Magicis quibuſdam conſecrationibus ad ea aſſumenda ac animanda coguntur. Conſentiunt gentes apud Arnobium Lib. VI., *Nos neque æris neque auri argentique materias, quibus ſigna conſiunt, Deos eſſe decernimus, ſed eos his colimus, quos dedicatio infert ſacra*. Huc etiam pertinent verba Triſmegiſti in Aſclep. cap. IX. *Vides ſtatuas animatas ſenſu & ſpiritu plenus, tanta ac talia facientes, ſtatuas futurorum præſcias*. Conſecrabant autem ac adducebant Dœmonem, cum epicleſi & prece religioſa, tum ſtatua ſumtuoſa ac affabre ſtructa, quod erat *corpus facere Deo* Præp. Evang. Euſ. lib. V. cap. 12., tum & ſacrificiis quibus credebant

(*) *Neque Catholica Romana Eccleſia Statuas Divorum Deos vel Numina eſſe putat, ſed tantum ſigna quæ homines rudes excitant ad memoriam Sanctorum religioſe non ſerviliter colendorum. Videat Lector Fratres Wallemburchios.*

ſe poſſe quam maxime Dœmoni placere, quanquam rationem inveſtigare non poſſent, ob quam nidor mactati ſacrificii Diis tam gratus eſſet; Unde alii credebant Deos antea homines carnales appetitu carnis ac cibi adhuc delectari, alii vero cenſebant mundum unum animal eſſe in quo communis anima, quæ in beſtia oblata deſtructa ſimul humanam læderet, referebant vero alii ad corpora Deorum quibus induebantur, ut illa effluviis mactatæ carnis recrearent, revera autem quod honor divinus in ſacrificatione exhibetur quæ ſumtuoſa Deo offert, quem Dœmones affectabant & appetebant.

LIV. Ex hac Schechina Dei, varia promanarunt in Theologiam Fabuloſam quæ illa adoptavit, quæque viſa potiſſimum in Gentibus illis quæ Paleſtinæ vicinæ erant. Huc & non aliorſum referri debet primum famoſus ille *alatus Cneph Deus* Ægyptiorum; Teſte Sanchoniathone apud Euſebium Taautus i. e. Moſes *Deos omnes fingebat alatos*, hi ſunt Angeli & Cherubini multi alis inſtructi in Sanctuario Dei: Sed & referente Porphyrio apud Euſebium teſtatur Orpheus *Jovem ipſum alis* inſtructum fuiſſe: Conſimiliter alæ erant in capite Cneph, cujus & nomen deducunt ab Hebræo כנף quod *Ala* eſt. At quæ ejus ratio eſt quæ cauſa vera ac proxima? Interpretatur Euſebius quod Deus mens cognitu difficilis eſt & abſcondita, nec palam apparens, & quod more intelligentis rei movetur. Jejuna hæc. At non longe exſuperat ea in Demonſtratione *Huetius*, quum ſubjicit, *Nos rei hujus cauſam arceſſimus ex ipſis Moſis verbis, qui Deum ſic inducit loquentem, Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet* Exod. XXXIII. 20. *Unde David de Deo, Et poſuit tenebras latibulum ſuum*. Pſ. XVIII. 12. Quid enim ſimplex & obvium magis, quam intelligere hic Deum non tantum nube ſed & alis Cherubinorum in Sanctuarii Schechina contectum: Certe enim Cneph rerum omnium Parens & Conditor Deus Ægyptiis eſt, cujus etiam templum Syene viſebatur. Appellat Athenagoras Erot. lib. 6. Κνηφαῖον. Narrat porro fabula, *Cneph ovum ore emiſiſſe, indeque Phtha eſſe procreatum*. Exponit vero Jamblichus in Lib. de Myſter. eadem eſſe Amun, Phtha, Vulcanum, & Oſiridem. Et cenſent Viri docti *Phtha* ſubſtituendum eſſe pro *Opas*, quod id vocabulum ignorabile ſit ſecus, quemadmodum iterum abſurde *Huetius* in Demonſtr. Quum de ovo ore emiſſo & generatione τῶ Pthah lego, non poſſum non de Logo ac Minerva ex cerebro Jovis prognata i. e. Filio Dei generato cogitare, quod & vox Nutritii ac Filii *Amun* confirmat. Sed & is in Schechina eſt *Phthah*, ſive ab Hebræo פתח ac perſuaſione originem vocabuli deducas, ſive a Græcorum πείθω, Sapientia enim Dei & Sermo loquebatur ex nube & poſt in Schechina; *Vulcanus* autem dicitur ab igne & luce in Schechina ac nube gloriæ effulgente; Fuit hinc item *Oſiris* ſeu הזרע & *Semen Iſchæ* ac mulieris. Demiror autem ignorabile dici *Opas*, quum illud & in Hebræo & in Verſione Græca *Faciem illam* Dei, Chriſtumque in deſerto præeuntem, luculente ſatis indigitet.

LV. Ex Columna nubis & ignis prima nata eſt Dei *Statua*, aut primum ſaltem *Emblema* in Gentium fanis caſtis primo & imaginem omnem neſcientibus, referente Silio lib. 3.

Sed nulla effigies ſimulacrave nota Deorum
Majeſtate locum & ſacro implevere timore,

Ubi loquitur de Templo Gaditanorum, qui Phœnicum ac Tyriorum colonia erant ac ritu Phœnicio cultum adminiſtrabant Appiano in Ibericis teſte: At variæ erant in Gaditano hoc templo Columnæ argento & auro fuſæ, quemadmodum una ab Hercule Ægyptio poſita erat in Africa: atque tradit ex Sanchoniathone Philo Byblius duas Tyri columnas *igni ventoque* ſeu nubi aereæ conſecratas atque adoratas fuiſſe. Traduxit & Columnas has in ipſam Indiam tunc Hercules, Carthaginem, Pontum, ac Hiſpaniarum fines. Et ſane fuit Pyramis Clemente teſte a Brachmanibus culta. Ipſi Arabes hoc imitati non minus fuerant, de quibus Maximus Tyrius Serm. XXXVIII. *Arabes Deum quidem colunt, qualem tamen minime novi: ſtatua autem, quam vidi, erat quadratus informis lapis*. Quem penitius exponens Clem. Alex. Strom. lib. I. ac ad Græcos referens, ſcribit,

Exhilarans Bachus Thebanis eſt Columna,

quo non ſolum teſtati fuerunt Dei imaginem effingi ſtabilitatemque labefactari non poſſe, ſed hæc pariter originem ſuam debent *Columnæ* illi quæ caſtra Iſraelitarum olim anteceſſit in & qua Deus ſe revelavit. Interea vero poſſunt hæc etiam nomen Adonai non minus reſpicere. Aliæ vero erant Columnæ Gentium, quæ literis inſcriptæ monumenta ſervabant antiqua, aut ad imitationem co-

columnarum in templo Salomonis ponebantur, aut ad alios fines ac usus faciebant. Disertus in hanc rem est Clem. Alex. 1. Str. Cap. 13. in fine, *Antequam habebant simulacræ divinitatis gentes, loco eorum fuerunt columnæ erectæ splendentes*, Non minus *Ignis* in Theologia prophana Gentium ubivis collucet, certe perpetuus ille, qui debebat ope Sacerdotum ali ac sustentari & ad ipsa Sacra Vestalia Romam deductus cum innumeris aliis fuit, teste Licinio Rufino in *Collatione legum Judaicarum & Romanarum*, at & ignis e nube Gloriæ effulgens Deumque indicans non minus. De hoc igne visum supra in fragmento Porpbyrii

Lux lata Dei templum irradiat &c.

Hinc Phthat & Filius paulo ante *Vulcanus*. Huc pertinet Columna una igni consecrata, ignis item perpetuus adoratus, Lychnus item in templo Ægyptiorum Ammoniorum semper ardens. Num item huc spectent quæ sibi acclamabant in Sacris Bachi Sacerdotes, ὕης, Αττης quasi הוא אש *ipse est Ignis*, & אתה אש *tu es Ignis*, id in medio relinquo.

LVI. De *Nube* ipsa diserte loquitur Pseudo-Orpheus apud Justinum in Paræn. & Euseb. Præpar. lib. 13. cap. 12. *Ipsum autem non video, nubes enim eum circumsistit:* Quare & Authores prisci Deum verum appellabant παγκρυφον: atque inde accusatio illa Judæorum apud Juvenal. Satyr. XIV.

Nil præter nubes ac Cœli numen adorant;

Quia enim non statuæ ullæ in templo visæ, ad nubem autem Gloriæ in Sanctuario se convertebant, hinc nubes & cœlum adorare crediti sunt. Confer Titulum Codicis de Judæis & Cœlicolis.

LVII. Una vero illa arca fœderis inter Judæos tot peperit arcas sacras & Κιςοφόρης inter gentes, quæ nihilominus, utut secretorum quisquiliarum capaces essent, non tamen fœdere tacita que formidine plenæ erant, quemadmodum de cistis Argonautarum 2. Argon. narratur. (*) Quod autem in consimilem rationem jam Pontificii Deum ciborio inclusum circumportare præsumunt, in eo profecto vehementer aberrant, quum umbra cesset, & *hic ibi* in terris Christus non reperiatur, in supernis vero quæri unice debeat, operaque & humeris gerulorum insuper indigere nolit. Potius a ritibus gentium, quæ præpostere sequi ac imitari voluere Judæos, hæc habent. Petierunt potius a Sacris *Cybeles*, in quibus circumgestatio oratio ac sacrificatio fiebat in lectisterniis & angulis platearum, a Sacris *Cereris* de quibus Virgilius

Terque novas circum felix eat hostia fruges,

a Sacris *Dianæ*, cujus mysteria in curru circumvecta non ex fenestra ac superiore parte domus impune adspectare licebat. Quid multis? Testis luculentus est Polydorus Virgilius quum inquit, *Omnia hæc similiter nostri faciunt in Processionibus Sacerdotes: omnes has observamus & nos ceremonias, verum nescio num hoc tam Deo gratum sit, quam pulchrum apparet. Metuo nos magis Gentilium Diis hisce placere quam Christo, qui sine pompa in Spiritu ac veritate coli vult.*

LVIII. Immane quantum ab hoc statu abest Ecclesia N. T., quæ nihil in terra habet quod quærit sed in supernis, nihil visibilis externi ac fixi in terris quod posset observari, aut de quo posset dici, *hic*, *ibi*, & non alio in loco, sed in quam tabernaculum cœleste unice invisibiliter descendit. (*) Laudant Pontificii mutantes tempora ac legem certam iterum cathedram, certam sedem, certum hominem qui videri potest externe ac adiri, a quo omnia expectant ac derivant. Nugantur *Chiliastæ* de Christo visibiliter in terras reduce, ibidemque per mille annos una cum sanctis visibiliter regnaturo, quæ sententia, prout articulos fidei convellit ac luxat, sic & contextum totum Apocalypticum corrumpit & invertit.

LIX. Exspectant vero Judæi Schechina Arcæ, Templi totiusque structuræ ac Œconomiæ priscæ instaurationem sub Messia Rege adhuc venturo, immemores dictorum luculentorum Es. LXVI. 1. &c. Mal. 1. 11., ac præsertim Jer. III. 16. *Non dicent amplius arca fœderis Dei, neque veniet in animum, neque recordabuntur ejus, neque visitabunt eam, neque fiet amplius*. Quæ verba nimis plena atque efficacia sunt, quam ut possint elidi, *vel* effugio D. *Kimchii*, qui censet ob bellum in alta tunc pace arcam non in

(*) *De vera corporali ac personali corporis Christi præsentia in Eucharistiæ Sacramento jam satis superque disputatum est. Tenebras quas offundere conati sunt Sacramentarii, ut Misterium tantum dubium redderent; egregie discussit Auctor de Perpetuitate fidei; ubi penitus jugulata Calvinianorum sophismata invenies Lector, si illum adire velit.*

(*) *Ecclesia Christi legibus pubernatur, quæ spiritum sapiunt, & hominem docent ea quæ spiritum perficiunt teste Apostolo; tamen cum ex hominibus sit conflata Ecclesia, debet caput habere, & Cathedram visibilem. Hac de causa Christus Ministerii potestatem Apostolis contulit. Vide Wallemburchios, Bossuetum de Ecclesia.*

in castra educendam fore, secus arcam ipsam cum aliis quatuor deperditis rebus restituendam certo esse, *vel* exceptione *Jonathanis* Chaldæi, qui in sensu fere eodem inter *existentiam* arcæ distinguit, ac ejus *usum*.

LX. Apparet ex omnibus his, unde ortum primo decet insignis illa descriptio Dei, qua Paulus eum exhibet 1. Tim. VI. 16. *Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum, nec potest videre*; *Lux* est veritas opposite ad umbram, cognitio, sanctitas quæ vere exprimit in studio rem ac non formidat lucem, tum & lætitia quæ non dubia & exterrita in obscuro hæret ac incerto: Omni hoc & alio modo etiam Deus est lux, eaque ἀπρόσιτος & inaccessa, sive profundum Sapientiæ consilii & cognitionis spectes, sive sanctitatem quæ cœlos & Angelos impuros facit, sive infinitum perfectionis quod aperitur & contegitur luce ac nimio lucis, sive beatitatis denique abyssum. Ac originem primam descriptionis putem esse habitationem hanc Dei in penetrali templi, ubi lux erat ipse, atque habitabat lucem, sed nube circumductam, sed velo oppansam, sed crassiori thuris excitando fumo Sacerdoti ipsi illuc intranti oppletam.

LXI. Coronidis ergo adjicimus Hierosolymam cœlestem ac novam descendentem ultimo tempore in Ecclesiam, ut Schechina sit *ac tabernaculum Dei inter homines* Apoc. XXI. 2. 3. Non ea Christum visibiliter in terras reducem ac per mille annos Regem volunt, ligatis & conclusis per id tempus hostibus cunctis ad quatuor angulos terræ; Quid enim Regnum Christi sub N. T. sit παρατηρητῶν, visibile, externum, ac observabile? Quid ambuletur in his terris in aspectu? Quid juxta Pseudoprophetas existat Christus *hic*, *ibi*? Quid politeuma nostrum ita sit in terris? Quid ad Christum habendum opus porro quærere in supernis? Quid aboleatur item sic adoratio ad hunc vel illum locum? Quid cœli ita eum contineant hoc modo, usque dum redit in fine sæculorum? Et quid tempus ac mora Christi, ad judicandum reducis constituatur dies? Omitto cætera quæ pariter per hoc inane somnium conficiuntur & cadunt. Hoc saltem indigito longe alia novissima ultimi temporis requirere ac velle, *non sedem ac thronum in terra* Esai XVI. 1., sed *tabernaculorum festum* Zach. XIV. 6. Et sane cum Gog ac Magog secure habitantes post exactos hos mille annos aggressurus sic, quæ hæc audacia decumana ac infrunita aut potius induratio futura, quum Christus totumque cœlum visum illi patrocinium hujus populi sibi sumere ac sumsisse per tantum tempus? quid Cœlum ipsum stultitia petat aperte hostis hic? Interea vero minime est diffitendum digno ac spirituali modo non una ratione ac vice novam Jerosolymam descendere a Deo ex cœlo; Hoc enim factum 1. semper, a quo cœtus fidelium ex electione Patris, redemtione Filii, & sanctificatione Spiritus prodiit ac enatus est. 2. in Novo Test., ubi Hierosolyma superna, *eum* Patrum liberæ Promissionis tunc existentium in cœlo, *tum* consummatorum in Cœlis, filios & sibi similes accipit. 3. in regno ultimo N. T. glorioso, in quo Deus magis evidenter & copiose gratiam Spiritum & operationem exseret, ac major status gloriæ ac perfectionis ad Ecclesiam accedet. Adde vero præprimis 4. his terram post consummationem seculi & extremum judicium instauratam, quæ tum plene in gemitu exaudita gloriæ filiorum Dei serviet Rom. VIII. 21. a justis & justitia habitabitur 2. Pet. III. 13., imo a beatis calcabitur, atque ipsa etiam cœlum esse incipiet, quum ad beatitudinem qua talem non conferat locus; Adeo tunc in terram descendet exporrectum late cœlum.

LXII. Ultimo vero tempore præprimis ante seculi Consummationem celebrabitur in Ecclesia N. T. Festum Tabernaculorum, ultima item anni Judaici festivitas Zach. XIV. 6.; Exstruebant tempore eo Israelitæ olim tentatoria in tecto domus, lætabantur grate de messe plene peracta, offerebant serotina, prodibant in conciones, agitabant ramos palmarum, perfundebant aqua Siloe vino permixta atria templi, licet aliqua horum ex instituto cathedræ essent, attamen a Zacharia & Christo ut videtur approbata & allegata Zach. XIV. Joh. VII. Qui autem olim sub V. T. hoc festum agitabant, non solum sibi in memoriam revocabant commorationem Patrum in tentoriis deserti, de qua finita sibi gratulabantur, sed & jubebantur habitabilem Canaæ ipsam pro loco peregrinitatis & tabernaculi habere, messe ad Deum adducere, atque in omni typico hoc simul futurum aliquod sibi in spe tum N. T. politeuma nostrum in cœlis est & Spiritus copiose funditur, sic & Extrema Regni gloriosi tempora habent etiam ultimam panegyrim tubam & ad urbem seu Ecclesiam congregationem ac vocationem, prout & fontes ac montes tunc manabunt aqua vino & lacte: ne dicam errores omnes ad occupandam hære-

re-

reditatem mundi tunc esse finitos, messem divitem ex populis omnibus coactam & collectam, aquam cœli ac spiritus liberaliter & copiose fusam, abitum item ex peregrinitate seculi instantem. In genere atque tropologice vero docet hoc festum, Ecclesiam non esse de hoc mundo, Israelem Dei decere seculi & boni omnis temporanei contemtum. &c.

JO. CONR. DANNHAVERI POLITICA BIBLICA.

PROŒMIUM.

UT politiæ idea antecedanea abstracta, efficta extra lusum, (quem licet satyricum spectasse videntur cum stultorum sapientissimus Thomas Morus ut Utopia, tum Theologus non vulgaris D. Jo. Valent. Andreæ in Reipublicæ Christianopolitanæ descriptione) in usum (quem molitus est olim Plotinus in Republica Platonica repræsentanda, apud Arnisæum Doctr. Polit. c. 2. p. 37.) coacta, nihil est absurdius; ita ejusdem idea consequente ex singulis Reipublicæ formis studio Zeuxideo collecta, inque prudentiæ, (quam usus & memoria gignunt, ille visu audituque hic lectu ac auditu constat, autore Lips. Polit. 1. 8. v. 9.) œconomiam redacta nihil est salutarius. Multum antehac studii, contentionis, cultus datum non politiæ Græcæ Romanæque; Hebræa contra antiquissima illa, sapientissima, vereque heroica, in qua pronoeæ divinæ lusuum observationum e variis Rerumpublicarum orbibus conversionibus, periodis, fatis, consiliis, studiis, eventibus, artiumque furtis, casuum ancipitiis, simulacris, σοφίσμασι, unde Tibi Tuæque Reipubl. quod imitere, capias, inde fœdum inceptum, fœdum exitum, quod vites, abunde est, hac parte destituta vel certe perfunctorie solum habita mansit. Nos regionem minus occupatam ingressuri primas solum lineas ducturi sumus, decora ingenia excitaturi, ut coloris lumina totamque adeo faciem addant. Cæterum ne sit arena sine calce, quod instituimus; Politiam Biblico-Hebream multiformem in ea historia descriptam, in qua nullam historiæ virtutem desideres, sed omnia reperias in summa perfectione, veritatem, explanationem, judicium: ad methodum Politicæ Aulicæ illustratæ ab Arniseo Polit. p. 8. adstringemus. Esto ergo cum Deo propitio

SECTIO PRIMA.

Politica Antediluviana.

I. SEmel hoc ac in vestibulo statim notamus, quod omnibus constat finem ꝟ ac ultimum institutæ a Deo politiæ esse gloriam sui nominis quærendam, celebrandam, propagandam: ad id homo creatus, imagine divina ornatus, in id ὁροθεσία orbis instituta; Act. XVII. 26. 27. idem agnovit gentilitas alioquin cœca, interprete Epicteto apud Arrianum. lib. 1. cap. XVI. Conf. Lips. Monit. lib. 1. cap. 2. In limine hic impegit, qui a maculato virgineo papyri vellere nomen habet satis dum scripsit esse, Principem externa specie pium & religiosum videri, etsi ex animo non sit. Deo ista vox victimanda, unde prodiit, illud & ut præcognitum supponimus finem esse externum, ut politiæ universæ, ita & primæ fuisse politiam cœlestem & signare & curare. Breve est, quod vivimus, fatui huic vitæ, prudentes æternitati vivunt; inquit Carolus Scribanus in politico Christiano lib. 1. cap. 1. Politia hujus vitæ æternæ illius ac patriæ ubi nostrum est πολίτευμα, & symbolum & schola. Symbolum Hieroglyphicum, in quo jucunde contempleris statum, locum, felicitatem alterius seculi, schola gymnastica, in qua discas ita numen colere in tempore, ut eo fruare in ævo. Evanida est politiæ terrenæ ratio, bestia bestiam sequitur, e bulla marina oriunda:

da: Colossus a Nebucadnezare somniatus somnium fuit ac umbra terrenæ monarchiæ; ut pedi illi institit infirmo, & corporis laboravit ἀσυμμετρια (erat enim altus LX. cubitos, latus VI. ac Vitruvio auctore, justa proportio debuit esse X. cubitorum in latitudine) ideo suamet mole ad lapidis fatalis ictum facile corruit. Contra cœlestis politia sola fundamentum habet ἀσάλευτον. Porro finem ὦ internum ad quem populus natura duce collineat, Princeps collineare debet, est salus ac beatido Reipublicæ. Vide Arnis. cap. Contzen. lib. II. polit. c. 2. Post lapsum accessit Finis medicus, quo malitia conpescatur, chaos morum in ordinem redigatur, limites officiorum constituantur: atque hic finis ultimus est. Intermedius forma Reipublicæ potestate imperantium & subjectione parentium constans.

II. Illud denique quod originem politiæ & in ea firmatæ potestatis attinet, inter saniores politicos dudum est quod convenit, Deum Optim. Maxim. esse auctorem, non qui permiserit solum, sed & instituerit politicam & societatem & potestatem; explodendum esse Bodinum, cujus judicio (de Rep. I. 6.) vi primum omnia imperia coaluerunt; standum eum judiciis sapientum, quorum dicta colligere Lips. Monit. I. Contzen. l. 5. & 6. Ac nominatim a Deo fuisse generis humani propagationem, ex una sanguinis gutta in immensum mare excrescentem: fuisse ejusdem limitationem per lineas gradusque, quos extra sanguis & genus miscenda: fuisse illum instinctum, quo ad socialem vitam suique conservationem ab ipsa necessitate & egestate sunt excitati primi mortales apud Aristotelem Polit. IV. 4. ut quem prudentiæ ac justitiæ laude probassent præstantissimum, eum sibi Regem eligerent, Herodoti de Sententia lib. I. Hist. suffragantibus Tullio II. Officiis & Justino in fronte suæ historiæ; fuisse sermocinandi facultatem testem socialis vitæ a Deo institutæ. A divina providentia esse ordinem, quo apes & formicas & locustas ornavit, esse τὸ θεῖον, quod manifeste aliquando pellucet in rebus humanis: esse fatalitatem, quam in impiorum vicibus notavit post alios nonnihil Ἐποιχίτερος. Lipsius Polit. I. 4. Videnda de fato nostræ Christeidos protheoria. p. 3. Ejusdem numinis opus esse illam, quam deprædicat gentium doctor καστροθεσίαν ϗ ὁροθεσίαν. Unde nulla non imperiorum periodus est, in qua non colossum Nebucadnezaris (a quo figmentum aurei, argentei, æerei & ferrei seculi poetis natum est) deprehendas, neque illo vacavit ætas antediluviana, si ea quæ paulo post proponemus, attendas. Nec insuper hic habenda nostratis Berneggeri observatio de quingentesimis periodis imperiorum fatalibus in eodem hoc nascentibus orbis initio animadversis, quæstione CLIII. in Tacitum. Hoc vero manet inter nos & Romano-Catholicos dubium: An ut majestas omnis ita prima quoque immediate a Deo fuerit? Nostra sententia dicitur hac quæstione sic habet. Potestas civilis accepta active (nam passive est in Subditis regi natis, cum ubi non est gubernator, corruat populus. Prov. XI. 14.) absolute abstrahendo ab hoc, hic & nunc (nam de potestate electrice ac certi subjecti, e. g. Caroli V. determinatrice, non est quæstio, quæ ab humano consilio proficiscitur, nec immediate est a Deo, ipsa tamen potestas regendi absolute sicut non est in subditis, quos vel singulos vel conjunctos regere per naturam impossibile est: Qui enim regentur si omnes potentia Reges? ita est immediate a Deo) ab hac vel illa Regiminis forma (nam hæc mutabilis est, manente semper potestatis substantia, sicut eadem est concordia personis licet & habitu mutatis) est a Deo instituta immediate, (immediatione proprie dicta: nam illa, quam comminiscuntur Suarez & Tannerus, quæ e societatis humanæ immediate conditæ natura consequenter fluit, ita est a Deo, sicut quilibet effectus naturalis naturalem causam sequens, h. e. mediate. Quis enim dicat vinum e vitibus natum esse immediate a Deo?) Quæ sententia firmatur I. ex revelatione divina, quæ Deo hanc curam potestatemque immediate assignat. Gen. IX. 5. Numer. XXVII. 17. quæ sic Deum potestatis rectoriæ auctorem facit, ut creati mundi. Prov. VIII. 15. 16. si conferas Joh. I. 3. facit omnem aliam causam intimiorem excludens: Deinde ex nominatione Deorum; Principes seculi Dii vocantur. Exod. XXII. 8. quia scil. sunt vicarii regni Dei. Sap. VI. 5. At vicarius Regis non potest nisi a Rege ipso immediate constitui. Unicus est qui obstare videtur locus Petrinus, in quo Magistratus ἀνθρωπίνη κτίσις dicitur. I. Petr. II. 13. At de personis ibi sermo est, non potestate: De potestatis subjecto, non originis instituro. Est omnino Magistratus homana creatura subjective; quia inter homines usitata, exque hominibus adsumta. Conf. M. Ant. de Domin. in ostensione errorum Fr. Suarez. pro Rege Jacobo, cap. 3. p. 918.

III.

III. Materia politiæ primæ, ut omnis alius, est ipsa humana societas vitæ monasticæ ac Eremiticæ prorsus ignara. Nam quod de Enoso peculiaris cultus & sublimioris Religionis instructore, atque hinc adumbratore monasticæ vitæ finxit Bellarm. lib. I. de Monach. c. v. seductus sublesta expositione verborum Gen. IV. ult. in eo a suæmet religionis sociis desertus est: quorum glossas collegit. Geh. C. C. lib. 21. p. II. articulo VII. cap. I. p. 224. de sensu loci citati varie tracti videndi post D. Geh. Comm. h. l. D. Glass. P. III. Philol. S. p. 289. Salianus ad A. M. CCL. p. III. Rivet. Exerc. XLVIII. in Genesin. p. 233. Amama Antibub. p. 355. & 384.

Jacobus Bulducus Cappucinus in Ecclesia ant. Legem. lib. I. cap. XIII. & XV. duas ante diluvium sodalitates commentus est. Quarum prima quasi Carthusiana Enosæa dicta ab Enos, in Essenos, Christianos scil. desiit. Altera quasi Minoritica Kinea a Kainan derivata. Omnia per conjecturas ruunt, nihil per consequentiam aut claram historiæ literam fluit. Sane tam Enos quam Cainan in matrimonio vixere, uterque docendi munere functus est. At monachi cælibes sunt, monachus psallentis & plangentis nomen est, non docentis, inquit Hieronymus.

Manet igitur societas ac amicitia humana in primis statim mundi incunabulis tergemina, Civilis, Ecclesiastica & Œconomica. Jacta sunt Hierarchiæ tergeminæ fundamenta in paradiso ante lapsum. De Œconomico statu constat ex primis nuptiis, nuptiarum tabulis, dote, ad speciei conservationem ac mutuum adjutorium ordinationem; ex paradisi habitaculo, in quem homo inductus est colonus, ad exemplar horti divini ex toto terrarum orbe paradisum facturus. Sola serviendi ac dominandi sors ante lapsum ignota fuit. Est enim ut paupertas, ita servitus onus ac pœna peccati. Nomen servi culpa meruit, non natura. Nusquam sacrarum legimus servum, antequam justus Noa peccatum filii indicaret; ait Augusl. de C. D. XIX. 45. Ecclesia quidem proprie dicta (nam ubi omnes justi, nulla selectio locum habet) non exstitisset. Attamen cœtus Deum Sabbato maxime in id instituto, (in Hebræo est עץ: pro esse præcise arborum significat: sed recte a Luth. putatur esse ein Gehölz/) in nemore vitæ tanquam sacramento immutabilis vitæ cœlestis in nemore scientiæ tanquam anathemate & dependentis dominii monumentis, religiose colentium. Legendo commentario D. Luth. ad Genes. II. fol. 27.

Denique qualis nunc est societatis civilis indoles, imperantibus æque & parentibus dura, tædiosa, onerosa longo abfuisset longius: attamen inter homines, ut stellas, ut Angelos, ordo fuisset & (quam agnoscit quoque Augustinus l. c.) relatio in officio consulendi & eligendi. Fuisset quoque electio arbitrii liberi: non quidem contrarie, tamen contradictorie. Hinc politia, in qua quis justius monarcha, quam generis humani summus patriarcha, qui supra omnes animas gloriosus fuit, Adam? Syrac. XLIX. 10.

IV. Societas prima distincta fuit familiis, bonis, ordinibus, studiis, domibus in harmoniam justam redacta. Familiis primum: nam ex his civitas constat; apud Arist. Polit. l. 2. quarum distinctio naturalis est testibus στοργαῖς & zelo justo, quo maritus in uxorem & hæc in illum, ardet. Deinde bonis, quorum partitionem initio mundi habuisse locum, vel solæ victimæ Caini & Abelis e proprio cujusque peculio depromtæ evincunt. Sed hic ardua suboritur controversia. An ista partitio bonorum naturalis fuerit? Ac ut explicatius dicam: An jus proprietatis divisæ (quis enim negabit actualem ac individualem partitionem electionis fuisse) bonorum in actu habendi (nam ut mensa Josephi fratribus evidenter patuit in potentia, actu singuli suas portiones quas Symposiarcha admensus est, tenuerunt, ita mundus totus, tanquam communis quædam Solis mensa a creatore strata est omnibus hominibus, ut actu singuli sua propria possiderunt domicilia) bonorum divisibilium (sunt enim nonnulla, quæ sub partitionem non cadunt; diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argento non emo, ait Plautinus ille Sarsinas in Asin. Actu I. Sc. III. Confer. quæ de mari libero disputat Hugo Grotius cap. V. seqq. & de J. B. lib. II. cap. 2. n. 3.) non tantum ratione fructus, cujus ratione amicorum ex liberalitatis virtute non obligationis concitatæ omnia sunt communia, sed & ratione possessionis naturale fuerit? h. est, non positivum mere arbitrarium ac eventuale; sed perpetuum ac immutabile, ut nullo casu, quod alterum proprium est, tanquam communi uti possis? Negant, quicunque natura omnia esse communia volunt jubentque, Socrates & Plato apud Arist. Polit. II. 5. Cicero Offic. l. 21. Grotius de J. B. loc. cit. qui partitionem bonorum eventualem faciunt, hu-

humanæ negligentiæ & cupiditatis medicinam. Ja. Dominicus a Soto lib. IV. de ſuſtentatione & Jure. cap. III. qui contendunt, in extremo famis articulo, ut vitam ſerves, licere alienum arripere, non jam in hoc caſu amplius alienum, ſed commune. Bellarm. de B. O. III. II. Ajens nobis veri videtur ſimilior, firmata ab Ariſtotele loc. cit. cujus analyſin exhibuimus in Excerptis philologico-philoſophicis. Syllog. 2. excerpto 3. Quam confirmatiſſimam facit Lex Decalogica ſeptima & decima, quæ utique juris eſt naturalis. Unde argumentum: Id quod jure naturali eſt prohibitum, juri naturali eſt contrarium, ac eidem conſentaneum, quod eſt oppoſitum; Communio bonorum &c. E. Tum ordinibus, diviſis non ſtatu ſolum ac ſtudio vitæ, ſed & nobilitate ſanguinis. Nam ut inter ſtellas flores, metalla, lapides alii aliis ſunt natura ſua nobiliores; ita & homines alii aliis. Hinc lucerna in domo Davidis I. Reg. XI. 36. Hinc איש שמות, viri nominis. I. Chronic. VI. 24. Hinc veſtis nobilium candida Eccleſ. Nehem. XI. 16. Hinc Borrhoenſes ἐυγενέςεροι. Act. XVII. II. Veſtigia hujus præminentiæ deſignant familiarum primogeniti: Unde res omnes nobiles ac eximiæ apud Hebræos voce Bechor בכיר primogeniti denominantur. Igitur ad quæſtionem: Da Adam hackt und Eva ſpann etc. reſpondetur Primogenitos familiarum; ac nominatim in familia prima Caini: quorum jus deſcriptum extat. Gen. XXV. 33. XLIX. 3. Eeut. XXI. 16. II. Chronic. XXI. 3. exornatum ſpe Meſſiæ e ſanguine primogeni-i naſcituri, veſte ſingulari inclitum. Gen. XVII. 17. conſecratione exemtum, Exod. XIII. II. XXIV. 5. Levit. XXIII. 10. liberrima tamen Dei gratia ſæpe mutatum ac in natum minorem (non ſine myſterio primorum noviſſimorum & noviſſimorum primorum) collatum; ſed quo ſplendidior fuit nobilitas, hoc pejor, cum degeneravit. In quam rem legenda vectiva Luth. ad Gen. IV. p. 74.

V. Acceſſit IV. Studiorum diverſitas ac in genere varietas. Antiquiſſimum vitæ genus fuit extra controverſiam ruſticum & paſtorale. Utriuſque in Adamo non ſolum Colono paradiſiaco, ſed & beſtiarum domino, veſtigia deprehendas exempla in Caino & Abele, quorum ille victum, hic amictum duo ſolum neceſſaria vitæ ſubſidia curavit. Ornamentum utriuſque ſtudii philoſophia fuit. Sicut enim Adam in Examine paradiſiaco nobile ſpecimen edidit, totius quaſi Cyclopediæ philoſophicæ, evolutum in lacte Catechetico. P. III. p. 224. ita vita Adamica (& poſt lapſum, per quem non omne σόφος naturale perdidit) philoſophica fuit, adque Deum & divina, pædagogia anagogica. Sideralem ſcientiam in Setho laudat Joſephus Antiq. l. 3. ne autem inventa ſua (verba ſunt Joſephi) ex hominum notitia dilaberentur, ſcientiam Adamum univerſalem rerum innutritum, præceciniſſe, mundum unum incendio, diluvio alterum periturum, excitatis duabus columnis utrique ſua inventa inſcripſit; ut ſi lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret. Sed fabulam iſta redolent. Unde enim hoc habuit Joſephus? ex revelatione; an traditione? Si illud, propheta fuerit θεόπνευςος, ipſo Moſe antediluvianæ hiſtoriæ conſervatore felicior. Si hoc res erit pro genio traditionum incerta. Alumna philoſophiæ antediluvianæ & conciliatrix fuit ſtupenda longævitas, quæ illud Hippocratium quæritari non potuit: Vita brevis, ars longa. Cauſas longævitatis ex Abulenſi recitat Spondanus ad A. M. CIↃIↃCLI. n. 3. & 4. Conf. Doct. Luth. Comm. fol. 99. & 171. D. Gerh. Comm. in Gen. V. pag. 165. Synchroniſmos Patriarcharum adornant Luth. Comm. in Gen. fol. 99. & D. Heluicus Syſtem. Chronologico. Acceſſere poſt ſeu ad commoditatem ſeu ad ornamentum, ſeu ad luxum faſtum ac varia artium ſtudia vel ipſis nominibus (quæ hiſtoriæ antediluvianæ quendam quaſi commentarium exhibent) prodita. Vide Luth. loc. cit. fol. 91. Jubal a cornibus arietinis nomen conſecutus cornibus ad lætitiam & bella uti docuit, metalla excoluit Tubalcain (ex quo inter gentes Vulcani nomen) orbis poſſeſſionem per arma agitans: Ada faſtus veſtiarii; Zilla luxus culinarii princeps exſtitit. Jabal denique tentoriorum auctor celebratur. An igitur ante Jabalem homines primi belluarum more ſub dio vixere? Non id ſane credibile; quin etſi homo manſiſſet integer, architectonicam utique (mathematica παραφυὲς per propaginem exercuiſſet, donatum ſtruxiſſet: nec defuiſſent naves ad piſcatum, certe ad congreſſus & viſitationes eorum qui longius habitarunt. Quidni igitur tentoria habuerint ante Jabalem, quem ante & ars fuit pecuaria: ſed quia Jabal ab acceſſione, adductione & proventu nomen habet, artis illi argumentum, quam primordium tribuere malumus. De artium originibus & progreſſibus notat nonnulla Hugo Grotius ad lib. I. de V. R. Chr. p. 5. ſeqq. Primus urbis exci-

citator & dedicator Cain fuit, hactenus vagus & exul, cum ad majorem sui tutelam, tum ad dominium ac prædas vicinorum, quas auctore Josepho lib. I. c. II. facere solebat, exstruxit, aque filio Hanocho tanquam novi mundi felicioris dedicatore Hanochiam nominavit. Obiter hic de victu antediluviano quæritur: An carnium tunc esus fuerit in usu ac more improhibito? Hac de re sententiam nostram exposuimus in Auctario, quæst. moral. cap. XVIII. quæst. l. p. *679*. Nec mutamus, quod jecimus, accedentibus novis argumentis ex discrimine mundorum & immundorum animalium jamtum facto, non solius sacrificii, sed & cibi causa distinctorum. Gen. VII. 2. & culpata in ante diluvianis hominibus gula. Luc. XVII. 27. Spondanus ad A. M. CIↃ IↃLXVII. num. 7. opinatur, saltem probos ac Deum timentes a carnibus abstinuisse. At quod ille de carnibus, id nos de vino a piis non potato probabilius asserere possumus. Vide P. II. Lact. Catech. p. *466*. Annon vitis aurea, de qua Grotius ad Luc. XXI. 5. illustr. templi Hierosolymitani anathema paradisum respexerit?

VII. Societas hæc prima in Caino statim & Abele coegit scindi in duas civitates, Dei alteram, alteram Diaboli; in cujus utriusque genio explicando totus est Augustinus de C. D. XXII. lib. 5. præcipue XIV. ult. XV. n. 17. & 20. Conf. Luth. fol. 71. seq. Civitas Dei Ecclesia est initio statim indivisa in se, divisa a cœtu segrege Cainico, adhuc vivente Adamo, ait Josephus l. 4. Contigit Caini sobolem per successionem esse nequissimam & aliam alia pejorem. Ecclesia, inquam, & genita & pasta verbo Dei tradito magis quam scripto, quod illo ævo Scripturæ non fuerit tanta necessitas, quanta nunc est, Patriarcharum longæva & traduce cura advigilante, ne quid corruptelæ attraheret revelatio divina. Quid de Enochi prophetia statuendum, alibi notavimus, in Christeid. Act. I. phenom. 2. p. 57. & phantasm. 2. p. 889. Quanquam ut credamus, nihil literarum monimentis prodidisse patriarchas antediluvianos, quæ Suada persuadebit! Vide quæ de diariis Patriarcharum rejicit non solum noster Luth. in Gen. V. fol. 253. sed & e parte adversa C. Sanctius ad Job. c. 5. Verbi Seminator primus sine dubio Adam fuit, cujus verba recitat Moses, quoties Domini recitat verba, per Adamnm sc. & Cainum dicta; uti statuit Luth. Eximii præcones exstitere Enoch & Noah in N. T. celebrati. Accessere ad verbum

illa quasi Sacramenta Ignis Sacrificialis e cœlo in Abelis victimam delapsus, nutritus inque arca conservatus ab Abrahamo in montem Moria delatus & Arca Noachica incolarum suorum spes salutis & anchora & sigillum, ac Petro interprete, Baptismi typus, Ecclesiæ filii fidem suam testati sunt sacrificiis.

VIII. Superest societas domestica ac Œconomica, divisa in familias, juxta legem Gen. II. 14. proseminata Conjugio, cujus contrarium cœlibatus, contumax in natura communicabilis & corrupta visus est, Deo est bonus, quicquid sit de cœlibatu gloriæ, gratiæ, extraordinariæ necessitatis ex defectu aut naturæ aut vocationis. (Unde Augustino auctore de C. D. XV. 20. ante diluvium nemo ab opere generandi abstinuit.) Duorum tamen (quam exclusivam in prima nuptiali lege intellectum evincit expositio Christl, Matth. XIX. 15. & Argumentum Tertulliani in Exhortatione ad castitatem cap. V. cum Deus hominem figurasset, eique parem necessariam prospexisset, unam de costis ejus mutuatus, unam illi fœminam vinxit, cum utique nec artifex nec materia defecisset. Plures costæ in Adamo, & indefatigabilis manus in Deo, sed non plures uxores apud Deum) Consanguineorum primum, quod (verba sunt August. C. D. XV. *16*.) quanto antiquius fuit compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente. Duxerunt itaque fratres suas sorores & hæ illis nupserunt idque ex mandato Dei, qui jussit propagationem generis, quæ (cum Deus voluerit ex uno sanguine totam gentem humanam deducere) alia ratione impossibilis erat.

IX. Constituta hactenus societate prima tanquam materia illa eadem sua quasi forma imbuenda est, quæ ex summæ, potestatis ratione numeri æstimata dispensatione (sicut Arnis. Polit. c. 7. demonstravit) primum Monarchica fuit sub Adamo & patre liberorum & pastore auditorum & Rege familiarum. Primum maximeque divinum regnum fuit, uti recte sensit Aristot. IV. Polit. 3. Aversa huic monarchiæ Tyrannis, quam Cain vivo adhuc patre cepit, mortuo roboravit, filiis tradidit, quorum sex Reges usque ad diluvium memorat Augustinus de C. D. XV. 20. Atque hi illi נפילים de quibus mox. Quæ de XV. Dinastiis Ægyptiorum refert Genebrandus lib. I. Chronograph. pag. 8. fabulis sunt affinia.

X. Media Reipublicæ conservandæ a divino consilio fuere Educatio, Lex, pro-

missio, Comminatio, Exemplum, Poena. Educationis quanta sit vis, quæ necessitas, qualis ratio, præscribunt Arnis. cap. XVIII. Polit. & Scribanius in Polit. Christ. c. V. Ingenii ac inclinationis curam habuisse Adamum conjicere licet e diverso vitæ instituto, quod primi filii Cain & Abel susceperunt, quamquam dedicatius fortassis habitus Cain (nimia matris spes) præ Abelo qui ipsum suum nomen fuisse videtur. De cura ac electione ingeniorum copiose egimus. P. III. Lact. Catechet. p. 397. Lex deinde anima quasi Reipublicæ eandem est moderata. Lex primum insita, e cujus dictamine Cain intellexit sibi ob cædem patratam ex jure talionis occidionem deberi. Gen. IV. 14. Lex deinde positiva de abstinentia ab arbore scientiæ, de sacrificiis adolendis minime sane e lumine naturæ natis notisve: Sed divino instituto initiatis. Vide Μυςηρως. p. 661. Tum lex individualis ἀσυλίας Cainicæ peculiari signo notatæ, quæ extat Gen. IV. 15. Ἀσυλίας sc. a cæde latronis gladium privatæ vindictæ districturi, non ab omni omnino pœna. Ἀσυλίας pœnalis, ut ei mors solatio potuerit, vita supplicio fuerit. Ἀσυλίας probrosæ, notatæ signo, quo & quali? liquido non constat. Plerisque videtur, horribilis aliquis tremor fuisse malæ conscientiæ perpetuus testis, quam conjecturam, temeritatis temere damnat Sixt. Amama Antib. p. 383. Ἀσυλίας denique sapienter a Deo factæ tum ob humani generis adhuc multiplicandi raritatem, tum in exemplum vivum ac horrendum toti posteritati ad latrocinia cavenda propositum: quanquam per accidens hocce exemplo obfirmavit Lamechus, nefaria quoad numeri παρονομασία divino interdicto illudens. Gen. IV. 23. Is enim ad uxores conversus: Esto, inquit, viri prophetæ ac juvenis discipuli sanguine manus imbuerim, tam impune id feram, quam abavus meus Cain, imo numerosa e vobis mihi nata prole septuagies septies ulciscar cædem mihi illatam. Promissio promissionum & fundus omnium beneficiorum, quibus mactati sunt primi homines, fuit illustre protevangelium, quo sic affectus fuit Adam, ut nomen novum uxori (חוה) adderet ac mortis comminationi exponeret: de quo in scholis Theologicis. Comminatio quæ semel in paradiso facta de morte, ut sublata fuit a fidelibus Messianis, ita mansit super impiis. Accessit comminatio novissimorum per Abelem, si Targum Hierosolymitanum non fallit apud Fagium in Gen. IV. Extremi judicii per Enochum, ut habetur in Ep. Judæ & diluvii per Noachum denunciatio itidem septulæ vindictæ in occisorem Caini (quo ipso jus gladii institutum apparet. Gen. IV. 15.) Cur autem septuplo gravius puniendus homicidæ sacrilegi interfector, quam puniretur sacrilegus latio ipse sc. Cain? respondetur: quia Caini interfector ad simplicem cædem adhibiturus erat contemtum numinis ἀσυλίαν Caino præstantis, obstinaturus se exemplo Cainicæ ἀσυλίας quo tamen deterreri debuisset. Verbales minas roboravit reale spectrum, Cherubinum ignis impervius, quo obseptus paradisus, cometa horribilis præteriti peccati index, futuri supplicii præsagus. De quo Luth. Comm. in Gen. fol. 67. Exempla pietatis, & quædam quasi lumina mundi antediluviani fuere sancti Patriarchæ ac hæroes, quos intereminent Martyres, Abel, vir anonymus, propheta fortassis & prophetæ discipulus (ut hinc conjicere liceat, jamdum scholas propheticas exstitisse) ab impio Lamecho occisi. Gen. IV. 23. Cainum a Lamecho occisum contendit Salianus ad A. M. IↃCLXXXVIII. p. 116. & Spondanus ad A. ↃCCCLXX. quintum, n. 2. sed argumentis non satis fortibus. Quibus e mundo migrantibus Cataclysmus sequutus est. Etenim Methusalem illo ipso anno beate finiit, quo diluvium orbi immissum est. Eminuere tanquam duo luminaria magna Henoch & Noachus. Singulorum hujusmodi heroum epitaphia quasi panegyrica expressa legas in Annalibus Saliani. Denique pœna designata in protoplastos: in Cainum diriori pœna affectum, quam de patre Adamo exacta fuit. Vide comparationem institutam a Paulo Burgensi, ac repetitam a Riveto Exerc. XLIII. in Genes. p. 218. Denique in totum primum mundum: de quo mox.

XI. Hæc primæ politiæ idea fuit ex intentione divina, fortunata si sua bona novisset; nec semet sponte peremisset, nefaria corruptione, ad quam non conversio Reipublicæ, sed exitialis ruina est secuta. Agmen malorum duxit securitas censuræ Spiritus Sancti gravi, quam Dominus ipse conqueritur. Gen. VI. 3. in paradiso nata, in Caino roborata, in posteris adulta, cœli nemesin clamans, Gen. IV. 10. Idololatriæ quidem nulla fit mentio ante diluvium, sed quia illa quoque jamdum invaluerit, nimis, quam probabile est ex iis, quæ disputat Spondanus ad A. M. CCXXXVI. n. 2. Confer Cunæum de R. Ebr. III. 19. & Dionys. Voss. ad Maimonidis Idololatr. cap. 2. seqq. De Syncretismo constat, religionis æque ac sympolitiæ. De priori actum in Myst.

Myst. Syncret. sect. I. §. 2. Posteriorem denudat Moses Gen. VI. 2. cum mixtionem sanguinis in impari religione deplorat, factam passim sine metu, ruptis finibus Ecclesiæ tempore Enoschi constitutis (Gen. VI. 2.) Sunt h. l. Filii Dei non Angeli incubi (quod quidem persuasum fuit non solum Hebræorum magistris, sed magnis olim in Ecclesia luminibus; deceptis τῶν LXX. versione: οἱ ἄγγελοι Θεοῦ pro בני אלהים) Vel enim angelos lucis bonos intelligunt, vel malos: non illos, ut qui jam confirmati fuerint in bono, & conjugii incapaces, Matth. XXII. 3. non hos intelligere possunt, ut qui filiorum Dei nomine in scripturis sacris nusquam gaudeant. Adde quod clarissime repugnet locus Apostolicus. Act. XVII. 13. Sed filii sanctorum patriarcharum ac Sethianorum, qui genus sanguinemque cum puellis Cainicis miscuerunt. Videndi ad hanc rem D. Luth. in Comm. ad cap. VI. fol. 407. D. Gerhardus p. 174. Spondanus ad A. IƆCCCCLXXXVII. n. 3. & seq. Scalig. in animadv. Euseb. p. 243. Rivet. Exerc. L. Sixt. Amama Antib. p. 390. hinc tergeminæ hierarchiæ summa ἀναρχία delineata a Gerh. l. c. p. 174. Aluit namque domus privata polygamiam a Lamecho primum inductam. Gen. IV. 18. de qua in universum sententiam nostram copiose diximus in P. III. Lact. Catechet. p. 273. de Conjugii itidem in dispari religione p. 302.

Luxum fastumque a filiis ac filiabus Lamecchi præcipue propagatum, intimatum a Salvatore Christo Luc. XVII. 26. Ubi tam non colpatur thalamus ipse, quam plantatio & ædificatio. Sed in his hujusmodi alioquin adiaphoris culpatur luxus, fastus, securitas execrationes aliæ, de quibus Aug. de C.D. XV. 23. Conf. Gerh. ad Gen. VI. p. 177. Harmonia cap. CLXII. p. 979. Vidit præterea Ecclesia Antichristum antidiluvianum, de quo Luth. fol. 114. & 118. In Ecclesiæ sub sanctitatis obtentu persecutoribus, quorum omnium pater Cain fuit, primus martyrici sanguinis (in agro, ut creditur Damasceno ominoso juxta traditionem Hieronymicam in Ezech. c. XXVIII.) dedicator, prolem nactus, ut sequiorem, ita nequiorem. Vidit denique politia immanes tyrannos ex Setho-Cainico sanguine prognatos. In Hebreo dicuntur נפלים h. e. ut optime vertitur Aquilæ ἐπιπίπτοντες, latine ruentes & irruentes, lapsi per apostasiam, oppressores per tyrannidem. Dicuntur & הגבורים h. e. dynasta & אנשי השם viri nominis, hoc est, nobiles. In meliorem partem dum hæc nomina exponit Boulducus lib. I. cap. III. IX. non solum scopo Mosaico, sed & toti antiquitati contravenit. In Græco γίγαντες audiunt. Sap. XIV. 6. quasi γῆ γενεῖς terrigenæ, terræ filii. Hinc Cyclopum & Centaurorum fabulæ. Luth. fol. 113. mavult hos gigantes ex giganteo animo, quam corpore æstimari: Etsi enim ordinarie homines antediluviani postdiluvianis quasi nanis proceriores fuerint, (Unde & cubitorum arcæ Noachicæ proportio sumenda) etsi quædam quasi monstra proceritatem ordinariam excesserint: Num. XIII. 14. tamen cum hæc causa universalis diluvii a Mose in id alligata verius fuerit hic Titanios ac Cyclopicos animos, mores, fastus, quam corpora intelligere. Hos in bella publica & cruenta exarsisse quis iverit inficias?

XII. Succedunt his decumanis malis remedia, divina Reformatio scil. tempore Enoshi instituta, & hac per Syncretismum impie perdita, μακροθυμία divina nequiter illusa, horrendum aquarum diluvium in Ethnica & quamvis corrupta antiquitate celeberrimum. Vide quæ post Joseph. l. 4. in compendium collegit Spondan. ad An. CIƆIƆCLVI. n. 15. seq. Diatyposin totius calamitatis proponunt Luth. fol. 132. Salian. fol. 147. & ex Seneca H. Grotius ad Gen. VII. 11. Hic gentis humanæ ac Ecclesiæ in Noachi familia conservationem quis satis mirabitur? quis satis conservatoris providentiam stupebit, quæ θαύματι scholis theologicis reservamus.

SECTIO II.

Politia Ante-Exodica Hebræa.

I. HActenus ætas annorum, quam Varro apud Censorinum de die Nat. cap. 21. vocavit, ἄδηλον, sequitur gentilibus quidem Mythica, nobis vero quos verior lux dignata est, historica, in qua alter Adam primus gentis humanæ conditor post exsiccatas diluvii aquas Noachus fuit. In Gentilismo Janus dictus Saturnus & Prometheus. Id quod ex antiquitate non minus jucunde, quam erudite deduxit Vossius l. de Idolol. c. XVIII. p. 136. Conf. Freinsh. ad Curt. VII. 3. 22. Societas humana (ignara vitæ monasticæ, quam in cyneis suis, cum denuo quærit Boulducus lib. 7. inanos culmos excutit. Confer. ejusd. deliria de Rapheis, Emimæis, Sucæis cap. 10.) Propagata per tres ramos Japetum (hic enim primogenitus fuit הגדול teste locupletissimo Mose Gen. XX. 21. reclamet licet Salianus ad A. N. CIƆIDIX. An prima

ma Sybilla Japeti uxor fuerit, & quid de Sybillis universim sentiendum, diximus in Christeid. Act. I. Phænom. I. p. 20. Semum, e quo Messias generis humani decus, Chamum qui in Jovem Hammonium degeneravit, apud eundem Voss. cap. XXVII. p. 197. ob irrisa Patris nudati verenda in filio Chanaan ut acrius ureretur, posterorum servitute per maledictionem paternam, heroicam, propheticam, inimitabilem, damnatum, ut qui paternam obedientiam neglexisset, servilem incurreret. Hinc jus belli Josuani in Cananæos, juxta Epiphanium hæresi LXVI. Hic perpetua Phœnicum & Africanorum sub peregrinis regibus subjectio, quam exhibet Spondanus ad A. N. CIƆIƆCLXIX. n. 3. Hic amplus se aperit campus de pœnis hæreditariis differendi, quem quia alibi in arctum contraximus, illuc hujus rei sitibundum lectorem remittimus. P. 10. Lact. Catech. p. 349.

II. Hæc prima ex Noacho societas armata fuit gladio cœlitus & legibus circumsepta. Gladii potestas ante legem Leviticam fundata in imaginis divinæ respectu, tam in Magistratu pellucentis, quam in occiso adhuc quoad sacra paradisi lipsana lumen veri & ferme boni, residuæ constituta exstat. Gen. IX. 6. Constituta inquam, non solum aut permissa aut prædicta, quod Osterodus contendit Instit. cap. XXVIII. cum si nuda prædictio fuisset, sæpe fefellisset. De publica vindicta hunc locum optime exponit Chaldæus Paraphrastes, qui illud in homine refert ad testes. Præsentibus, inquit, testibus juxta sententiam, judicum sanguis ejus effundetur. Lex proponitur Gen. IX. 4. Veruntamen carnem cum sanguine ejus (vel palpitante adhuc in membro vivo, vel suffocato intra animal, vel jam extra vasa sua effuso, qui anima est ipsius (metonymice est signum visibile animæ invisibilis, ut exponit Augustinus contra adversarium legis & prophet. lib. II. cap. VI. Idem enim est animæ sanguis, quod oleum lychno) ne comedito. Quæ lex est primo exceptiva a concessa carnis comestione impie postea in papatu restricta. Est deinde ceremonialis etsi liturgia Mosaica antiquior. Talis enim & lex fuit de sacrificiis. Tertio in novo testamento quoad jus quidem abrogata, sed quoad morem & usum ad tempus adhuc servata, ut facilius coalescerent cum gentilibus Judæi, ad eum modum, quo contubernalis in gratiam sui contubernalis ab allio, caseo, tabaco, halecibus infumatis abstinet. Quarto stulte retenta in Ecclesia Græcanica, quam obfirmavit Leonis Imp. Novella LVIII. Vide Augustin. lib. XXXII. contra Faustum, cap. XIII. Quinto, Rationabilis cum ad cavendam crudelitatem, quam imbibit, qui sanguinem bibit, tum in honorem sacrificii; Levit. XVII. 12. maxime sanguinis aliquando pro nostri expiatione effundendi & in sacramento bibendi. Huc loci pertinent illa inter Talmudistas prædicata sex præcepta Noæ toti Noachidarum posteritati data; ut sunt: non colere idola; benedicere Deum; servare jus publicum; cavere ab incestu & nefando concubitu; non fundere humanum sanguinem, non rapere non tollere membrum de animali vivente. Ita enim ex Hebræorum magistris refert Genebrardus p. 23. Conf. Cunæ. de Rep. II. 19.

III. Eadem prima societas maligne & oblique in arctum coacta est per Nimrodicam & cyclopicam turris Pharique Babelici: ad cœlos usque (hyperbolice, de quo hyperboles genere vid. Mart. Del-Rio III. Adag. sacr. p. 18.) machinationem. Quæ turris (quanquam in alia omnia abeat Salianus ad A. CIƆIƆCCCCIX. num. 7. seq. quem suo patimur abundare sensu) & obex esse debuit consilii divini de coloniis in universum orbem derivandis teste Josepho, l. 5. & obses unionis syncreticæ. Nimirum Nimrod Chamit a fatali nomine rebellis, Apostata primus post diluvium seu Turca seu Papa, ut Luth. sentit fol. 160. fortis Venator hominum magis quam ferarum, ut conjecit Augustinus de C. D. XVI. 4. coram Domino (id est sine fronte metuque numinis (de adagio hinc nato iterum consulendus M. Del-Rio p. 17.) monarchiam animo agitans, omnium nationum capita suo unius sceptro subjicere moliebatur, sub gloriæ ædificantium prætextu. Hæc enim ratio alligatur Gen. XI. Gloria nominis structoribus proposita δελεάρ fuit, quo sophista venatus est subditos. Causa autem intima & arcana latuit, diuturnis scilicet operibus occupatos unitosque detinere, sibique magnifica turri & auctoritatem & munimentum tyrannidis condere. Instrumentum immanis consilii Syncretismus fuit, de quo egimus in Myst. Syncret. Occurrit hic de venatione ferarum locus, a qua tanquam rudimento aliquo bellico ad venationes hominum grassatus videtur noster ille Centaurus, quam, hoc exemplo moti Johannis Sarisburiensis in Polycratico l. 4. & Th. Morus lib. II. Utopiæ p. 198. vix homine, nedum Christiano saltem non Principe, sed lanio dignam censet. Vide Epicresin Riveti Exerc. LXV. in Genesin p. 316.

IV.

IV. Cæterum qui exaltat ostium, quærit ruinam. Proverb. XVII. 19. Ita & Gigantum opus inter gentes posteras quoque infame referente Euseb. præparat. Evang. IX. 4. (Ita enim fieri amat, ut qui gloriam ambit, pro gloria infamiam metat) divina manu turbatum in nihilum recidit. Nam quæ societas unius linguæ Hebrææ commertio (quod colligas ex hominum antediluvianorum fluminum, bestiarum & gentium nomenclatura, ex radicibus primis Hebræis in linguas alias eductis, ac nominatim in nostram Germanicam, apud Schickardum in horologio p. 82. Conf. Rivet. Exercit. LXVI. p. 317. ut hic facile ruant argumenta Gorropii Becani pro Cimbricæ linguæ antiquitate contendentis.) Pridem usa est quam tanquam palladium e linguarum confusione Hebræa familia reportavit, Hebraicæ (ut colligere est e Gen. XXXI. 47. ea per mirandam linguarum confusionem (de qua videndi Salianus ad An. CIↃCCXXXI. n. 10. & Rivet. Exerc. LXVIII. p. 328.) per principes linguarum in omnes terras trans maria (quomodo ad factum, videndus Spondanus ad An. CIↃCCCXXXI. n. 22. quo quemque sors tulit & Dei digitus duxit, disseminata; de qua disseminatione consulas licet iterum Salianum ad An. eund. n. 21. usque ad An. seq. & Fuller. lib. II. Misc. sacr. c. IV.

V. Facta itaque dispersione Noachitarum surrexere paullatim varia regna, principatus, dynastiæ: angustis pleræque limitibus & tot fere regibus, quot urbibus contentæ: quas omnes commemorare, præsentis nostri instituti non est. Quanquam Melchisedecus Cananæus & Job Idumæus Rex non omnino hic silentio prætermittendi videantur. De illo sententiam nostram in peculiari dissertatione de Melchisedeco diximus. De hoc ejusdemque genere statu, sanctitate, philosophia, Majestate, felicitate, justitia (cujus specimen in cap. XXIX. sui commentarii exhibuit, ubi antiquissimas juris institutiones reperias licet) videndus Sanctius in Prolog. ad Jobum Conf. D. Gerh. T. I. Exeg. §. 134. Rivet. in Gen. pag. 710. Voss. Idololat. p. 318. Excelluit quatuor monarchiarum prima Babylonio Assyria. Hæc enim una eademque est. Illa hujus quasi semen fuit & fermentum, ut loquitur Salianus ad A. 1932. n. 5. Conf. Spond. ad A. 1931. n. 4. Prima fundamenta jecit Nimrod a divinatione Belus dictus, Nini (a quo Ninive nomen habet) pater. Ita enim refert ex Eupolemo, historico antiquissimo Alexander Polyhistor, & ex hoc Eusebius in Chronico & Præp. Ev. IX. 4. subscribentibus, Hieronymo in cap. 2. oleæ, Augustino de C. D. XVI. 17. Unde τὸ Assur Gen. X. 11. appellative, quam proprie malunt exponere, non solum Trem. & Junius, sed & noster Gerhardus Comm. in Gen. p. 257 Conf. notata Berneggeri ad Justin. l. 27. Erraverit igitur hic Cluverus p. 6. Floruit hoc regnum in suo aureo capite sub Nebucadnezare, inclinavit sub Sardanapalo de quo Cluverius compendio p. 41. defecit in Belsazer. Missis Rebuspubl. aliis sola nobis Hebræa selecta est, in qua nunc occuparemur, quam si quis (juvat parodia quadam consectari L. Annæum Florum proœm. rerum Rom.) quasi hominem consideret, totamque ejus ætatem percenseat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut postea velut consenuerit, quatuor gradus gressusque ejus invenerit. Infantia ab Ebero ad exodum usque porrigitur, cujus notanda stirps, distinctio, forma, media conservationis, sors, corruptio, conversio. Societatis Hebrææ prima Stirps a qua nomen consequuta, Eber fuit Gen. X. 21. (quo de nomine videndi Fullerus Misc. IV. 4. Rivet. Exerc. LXVI. p. 318. Propheta, qui ut censet nonnulli, dispersionem populorum præsagiit, ac ideo filio suo nomen imposuit Peleg. Vide Spond. ad A. 1754. n. 2. Consilii ædificatorii expers, religionis suæ & linguæ servantissimus. Vide Luth. ad Genesin. XIV. fol. 41. Distincta hæc societas fuit primum bonis, quod vel unius divisionis factæ inter Abrahamum & Lothum exemplo patet. Gen. XIII. Adde semina hæreditatum divisarum ab annoso sene Jacobo prædictarum. Gen. XLIX. Ubi Ruben primogenituræ jacturam fecit, ac principatum quidem Judæ, sacerdotium Levi, geminam portionem hæreditatis cessit Josepho Nasareo. Deinde studiis, pastoritio imprimis, illo antiquissimo simplicissimo maximeque frugali. Id quod fratres Josephi coram Pharaoni ingenue profitentur. Gen. XLVI. 34. Ubi observanda obiter in Pharaone regia virtus ac prudentia civium hospitumque studiis sollicita & אנשי חיל viros roboris ac industriæ præferens. Quod si in eligendis pecorum pastoribus tam impense curavit Rex Ægyptius, quanto se sacrilegio adstringunt, qui in eligendis Ecclesiæ pastoribus hic, ut mitissime dicam, somniant: De ociosorum in Republica noxa & legibus veterum, videndi Rivetus Exerc. CLXX. p. 835. Thomas Morus lib. II. Utopiæ p. 140. Camerar. Op. 17.

Succis. Cent. 1. c. 5. Deinde mercatorio: nam & hoc jamdiu & inter Hebraeos invaluisse Genesis Mosaica aliquot exemplis tradit. Unde enim tanta Abrahamo vendaci magis quam emaci, ac rerum preciosarum aestimatori (secus quam de suis Uropiensibus scribit Thomas Morus loc. cit. p. 175.) auri argentique copia & pecunia, nisi ex pecu? Obiter hic observandum, pondere tum magis, quam numero nummos aestimatos. Unde Sicli profani alii, alii sacri. Tum & philosophico, quod reliquos vitae labores jucundo comitatu sequebatur, & sequi hodie quoque posset, nisi contraria & barbara consuetudo praevaluisset: modum ostendit denuo in sua Utopia Thomas Morus l. c. p. 140, & Val. Andreae in Republica Christianopolitana p. 41. seq. De Abrahamo Sopho ac philosophiae in Ægyptum (naturalem scilicet locum Philosophiae, unde illa in omnem orbem emanavit; uti post Heurnium in Barbarica philosophia Jo. Lipsius in Manud. ad physiol. Stoicam late probat) propagatore videndus Josephus l. 9. Jacobi in baculis philosophia naturalis, divinitus tamen patefacta ac inimitabilis memoratu digna est, quam prolixe exponit Rivetus Exerc. CXXXI. p. 645. Denique bellica expeditione, quam instituisse Abrahamus ex Gen. XIV. 14. liquidum. Expedivit ille חניכיו initiatos suos, edoctos ac militiae auctoratos. Vid. Luth. ad Gen. XIV. fol. 42. Denique domibus, potius lucis, scenis, ac tentoriis ad peregrinatoriam vitam aptis, quoties seu divina vocatio seu vicinorum intuta fides, seu fames exilii benesuada, (quod si nuperrime multi Germanorum elegissent, vitam servassent) jussisset, mutatis.

VII. Forma hujus politiae nascentis iterum & monarchica fuit & liberrima imperiique superioris ignara, quod de se profitentur Judaei, Joh. VIII. 33. nulli servivimus (sc. de jure;) id usque captivitatem Babyl. valuit. Tyrannis enim fuit, non jus quo hospitio primum, non mancipio in Ægyptum recepti servili jugo succubuerunt.

Axioma majestatis supremae arguunt jus gladii bellique & quas cum populis vicinis inierunt confoederationes. Judas regionis suae ac familiae princeps Thamaram (quam Melchisedechi filiam fuisse, temere fingit Genebrardus, lib. 1. Chronol. p. 53. ceu adulteram ad ignis supplicium poposcit, imprudenter quidem, sed ἐξουσίᾳ. Obiter hic disceptari posset de mercede meretricia, de qua juste soluta gloriatur Judas; sed vacare hic nos jussit D. Meisn. P. III. Phil. S. f. 1. q. 3. p. 431. Bello justo ac coelitus approbato (cujus vendicias instituit Rivetus Exercit. LXXV. p. 362.) Abraham adortus est Reges vindicandi fratris studio accensus, elicito stratagemate victor generose magis quam ex debito praedae oblatae ac satisfactionis pro praestito auxilio recusator. Strategemate, inquam (quo noctis usus praesidio copiis distractis in hostes ex inopinato irruit) ac prudentia inaequalitatem copiarum compensavit. Strategemata an licita; hic quaeri solet; affirmavi, si justitiam dolo proprie dicto non offendant. Legendi Serarius ad Joh. VIII. quaest. 2. Conzen. Polit. x. 38. & 47. Rivet. Exerc. LXXV. p. 364. Lact. Catech. P. 1. p. 442. Foederum contesseratio eandem regiminis libertatem testatur, quam iniit Abraham cum principe Mamraeo, Isaac cum Abimelecho, filii Jacob cum Hemore Hephaeo. Cujus loci est controversia de foedere cum infidelibus icto, an justum? Respondimus P. II. Lact. Catech. p. 138.

VIII. Ad media conservationis progredimur, eadem sc. quae in superiori sectione notata sunt. Educationem bonam in domestica Patriarcharum schola multa in historia Mosaica produnt. Nec putamus omnino explodendum quod de scholis Melchisedechianis aliisque ex Hebraeis memorat Boulducus. lib. II. c. XVI. p. 270. Ubi denuo ingeniorum discrimina advertas, maxime in Esavo & Jacobo Gen. XXV. 37. ac in Esavo, qui prodiit ex utero rufus & pilosus, ac ideo Esavi, hoc est, perfecte facti quasique adulti, nomen est consequutus, notam progenitivam. De quo notatum genere vid. Bernegg. ad Just. xv. 4. 9. Juvaret hic in nobilem disputationem de physiognomia digredi, nisi agerem actum in Auctario Qq. Ethic. Cap. 2. q. 4. p. 573. Lumina in Hebraea familia, quibus alii ad religionem vitaeque sanctimoniam accendi debuerunt, exstiterunt illustria, Abraham, Isaac, Jacob, Loth, quorum tamen infirmitates historia sacra non tacet ne quis temere imitetur. Sol inter haec sydera Josephus fuit, perfecti viri Politici idea perfectissima, ad summa fastigia ex imo producenda divino somnio (quo geminam hierarchiam repraesentatam ostendimus Lact. Catech. P. III. p. 400. seqq.) auctoratus. In summam omnia ut contrahamus, fuit Josephus Charitum quasi filius, virtutum corona & providentiae divinae admiranda pila. Charitum, inquam, filius, in quem sublimia chrismata Sp. S. deposuit, maxime facultatem onirocriticam adjunxit,

fe-

felicitatem & dexteritatem in rebus agendis, ingenium dedit sublime, gratiosum fecit hominibus, & quæ gratiarum gratia fuit, in toto vitæ decursu per omnem ferme fatorum periodum vivum Messiæ exemplar esse jussit. Virtutum, inquam, corona, quas inter familiam ducit primum pietas & numinis reverentia, qua extrema pati quam læsa castitate Numen lacessere maluit. Ejus symbolum fuit, quod exstat Gen. L. 19. Sub Deo sum. V. Scribanii Polit. Christ. cap. 21. Monita hic conferri possunt de modis peccata vitandi in Josepho expressa ab eodem Scribano tradita ibid. c. 27. Quatuor sunt, quæ purpuram pietatis Josephicæ maculasse quibusdam visa sunt. Unum est juramentum per vitam Pharaonis, quod Anthropolatriæ vicinum; alterum κυλικομαντία; tertium simulatio, quæ fratribus illusit; quartum eorundem inebriatio. Vindicavimus Josephum a primo crimine. P. I. Lact. Catech. p. 512. a secunda ibid. P. III. p. 44. a tertio ibid. p. 443. a quarto P. II. p. 468. Sequitur secundo Prudentia, quæ in juvene statim apparuit, pelluxit in viro, cujus egregia specimina præbuit primum solerti granarii cura, e prævisa septennali annonæ caritate, non voto penuriæ, sed antidoto, non aggravationi, sed subsidio in conservationem boni publici, non compendii privati, nomine regis, non suo, dispensanda pretio æquo, non veteratorio, quibus limitibus ejus consilium ab hodierno fœnore facile distinguitur. Deinde mancipatu subditorum Regi acquisito Gen. XLVII. 17. ac gubernante divina providentia, quæ & Pharaonis beneficentia in Israelitas remunerata est hoc dominii in subditos accessu, ac simul Niloticorum ignaviam, luxum, futurique incuriam, annonæ decoctione mulctavit. Nihil illi iniqui passi sunt in mancipatu, quia volentes: nihil in imposita quinctatione, quia eam terra tam fertilis sine damno subditorum ferre poterat.

Hic vero quæritur, annon præstet populum, quam principem ditescere? Ita sane, si populus rerum suarum satagit & laboriosus est, quod strategemate Cypsali Corinthii, Arist. in œconomicis probat, sin; præstat posterius. Tertio translatione, subditorum, facta cum in testimonium servitutis; colonorum enim permutatio est signum amissæ possessionis propriæ; tum ut seditioni præveniret, vid. Grot. ad Gen. XLVI. 41. p. 50. Quarto hierophantarum exemptione a conditione vectigali seu emphyteutica, de qua vid. Rivetus Exerc. 170. p. 838. Quinto fratrum in terram Gosen collocatione, cum ad simplicitatem vitæ, tum ad religionis puritatem, contra sycretismos & aulicismos tuendam. Tertio φιλοπονία incredibilis, ut qui totum regnum circumvectus oculo agrum quasi pinguefecerit Dei pronœam cum humana prudentia conciliarit, ac industria fatum mitigarit, inque se expresserit, quod de bono Principe scribit Salomon Eccles. v. 8. Rex sit agri servus. Conf. auctar. qq. polit. p. IↃCXC. Longe illi fuerunt ocia, lusus, commessationes aliaque Principum vitia. Quarto justitia grata parentibus, quos lare ciboque donavit, fida Regi) quam non insanis pyramidibus, quos Pharaones sequiores exstruxere) sed beneficiis inclarescere maluit, supparibus æqua fratribus, maxime (quos ex conscientiæ, quam juris dictamine tractare maluit. Vid. Lact. Catech. P. 226.) & sacerdotibus Ægypti, qui si omnino hierophantæ fuere, ac non magis satrapæ seculares, privilegio exemptionis gavisi sunt temporario & particulari, a quo ad jus universale nulla est consequentia: Inferioribus facilis, mansueta, magnanima, benigna. Quid in principe valeant hæ vires, egregie docet Scribanius Politico Christiano, lib. I. cap. VIII. XVI. XVII. lib. II. cap. III. IV. VII. XII. XVII. XLV.

Denique providentiæ divinæ pila, varie jactata ab imo ad summum, ex abysso in cœlum, e carcere ad dignitatem a Rege proximam. Venditus primum Potiphari, (diverso a sacerdote sive principe Oniorum, Glossæ juris Canon. hallucinationem h. l. notant D. Glass. P. III. Philol. S. pag. Calixtus hist. Joh. p. 28. Amama Antib. Bibl. p. 441.) Eunucho Pharaonis (in Hebr. סריס a סרס, quæ vox nominis impositione castratum notat usu, a quo in dignitatis nomen provenit, dynastam ac satrapam aulicum, & conjugatum non castratum; Nam inter Hebræorum aulicos סריסים fuerunt. II. Reg. VIII. 6. Jerem. XXXIV. 19. XLII. 16. quos castratos esse lex vetuit, Deut. XXIII. I. quia igitur apud Orientis Reges Eunuchii prævaluerunt, dignitate ac officiis, ideo, qui his ipsis prævaluerunt postea, Eunuchi nomen retinuerunt. Quorum alii Gynacæi ac lecti custodes, quasi εὐνὴν ἔχοντες (vid. Scal. Exerc. CCLXXVII.) fuere Esth. II. 15. alii cubicularii Judith. XII. 20. alii palatio præfecti, Est. I. 10. alii aulæ magistri Dan. I. 3. alii thesaurarii. A. d. IIX. 27. Fuerit Potiphar Eunuchus officio potius, quam casu aut naturæ vitio, excellens, dignitate, quam exoletus, secus quam censuit nuper H. Grot. ad Gen. XXXIX. I. Magistro lictorum שר הטבחים & præfe-

fecto carceris Gen. XLII. 3. honorarium tunc fuit officium, cum nondum Pharisaico. Pontificatus Romano-Catholicus curiam ob sanguinis effusionem infamavit, aut ex contactu malefici contaminationem aliquam in tangente notavit. Hujus Potipharis servus fuit Joseph primum in officio executionis, postea communi servitio exemptus, œconomus in tota familia & secundus a Domino, & quod mirere, tandem a commentariensi sive subpræfecto carceris secundus factus est, bonis si licet ominibus prælusum ad scalam honoris celsioris, scalam scilicet casibus, rectis non obliquis firmatam: quam illustravimus P. III. Lact. Catec. p. *64*. in qua ascendit ad fastigium a Rege proximum, proregium, consiliarium intimæ admissionis, Scholarchale p. CV. 41. 42. De vocibus, אברך & אפנת פענח, quibus Josephi dignitas signatur, videndi Rivetus Exerc. CLVIII. p. 780. Calixt. Hist. Joh. p. *26*. Adde ejusdem Epitaphium adornatum a Saliano ad A. M. CIↃ CIↃ.CCCXCI. p. 373.

IX. Accedunt ad media conservationis Promissiones divinæ luculentæ Hebræis identidem factæ de possessione Chananææ spirituali magis quam corporali; supplicia designata ac pœnarum illa pœna, Sodomæa conflagratio cœlitus inflammata, horribile exemplum omnibus & ætatibus & nationibus expositum; insignitum statua salina, de qua exstat egregium carmen apud Tertullianum de Sodoma, fœdum fœdoribus & pomorum mendacio, de quo post Sap. X. 7. Augustinus de C. D. XXI. 8. Conf. ib. Ludov. Vives Testimonia τῶν ἔξω, in quos hoc nemeseos divinæ monumentum dimanavit, in manipulum collegit Hugo Grotius Annot. ad l. 1. de V. R. & p. 100. seq.

X. Superest sors fatumve politiæ Hebrææ hoc præsenti seculorum orbe descriptæ, Ænigmatica prophetia denotatum, signatum primum felicitate prolis numerosæ, gregum prædivitum proventuum ad invidiam usque ac ostracismum (quem ad Gen. XXVI. *16*. observat H. Grotius vid. de ostracismo Erasmus in Chiliad. p. 371.) uberrimorum. Quocunque sancti patriarchæ migrassent, comitem habuerunt cœlestem peregrinationem: sed ætas pejor avis divina bonitate lacessita, in nefas defecit, ac in prima statim infantia idolorum puppas amare visa est. Id quod in mysterio Syncretismi sect. I. §. 3. ostendimus. Confer post Luth. ad Gen. X. fol. 2. & 4. item fol. 59. Salianum p. 214. & 218. Promovit sine dubio idolorum cultum contubernium Labanicum, e quo תרפים prodiere, Dii quasi lares, Rahelis deliciæ ac furto ablati thesauri; de quibus vid. Lud. Vives ad Aug. de C. D. IX. II. Selden. de Diis Syris prolegom. cap. III. & Syntagm. I. cap. 2. Incrementa cœpit ea superstitio ex syncretismo Ægyptiaco, de quo in eod. myst. syncret. §. 4. Nec leve momentum addidere scandala Rubenis, Simeonis, Levi, omniumque adeo fratrum Josephi, quorum posteri emtam Josephi servitutem justa talione, servitute luerunt. Hinc divina pædia, hinc tristia in Ægypto fata, primum extus illata a Gethæis Philistæis. I. Chronic. VII. 21. quam cladem non ab Ephraimitis, illatam Gethæis (quod nonnullis persuasum fuit, Osiandro ad h. l. Cluvero Epit. Hist. p. 13. Genebr. lib. I. chronograph. p. *61*.) sed ab his illis post Salianum A. M. CIↃXLI. p. 374. & Piscator contendit in Comm. h. l. p. 58. Deinde intestina, quorum primum quasi semen odium fuit gentis Hebrææ Pastoriciæ, Genes. XLVI. 34. natum ex politica magis causa, quam superstitiosa, uti a Jos. Scaligero in Animadv. Eusebianis p. 19. persuasus sentit D. Calixtus Hist. Jos. p. 44. Conf. Cunæus lib. I. de Rep. Hebræ. cap. V. Accessit ad odium invidia, quam notat Josephus Origin. II. 5. initio. Accessere Pharaonis sophismata Politica (ita enim Lucas appellat Act. VII. 19. οὗτος, inquit, κατασοφισάμενος τὸ γένος ὑμῶν נתחכמה לו Sapiamus in illum. Wir wollen sie mit List dämpffen inquit Pharao Exodi l. 9. Sophismatos inventor Satan fuit, cujus scopus erat seminis promissi ex populo Hebræo oriundi, quasi in herba extinctio; ipsum sophisma exstat expressum l. c. Hic populus multus robustus est præ nobis E. minuendus, enervandus, delendus. Advertas in antecedente regnare suspicionem metumque, auctum sine dubio ex pastoritiæ ac proletariæ plebis indole & superiorum temporum experientia, de qua Scaliger. Metum inquam ex robore & numero hospitum exitum aliquando & libertatem si prohibeantur & vi & conjunctione cum hostibus regni quæsiturorum. Cujus suspicionis iniquitatem, quanquam non omnino a vero abesset, late ostendit Rivet. in Exod. p. 12. in consequente dolos vimque, atque in his, qui sequuntur, gradibus. Quorum primus est nervi bellici per onera realia explicatio: in id enim constituti videntur שרי מסים h. e. commissarii, publicani, vectigalium exactores; ita enim vox Hebræa accipitur I. Reg. V. 12. Deinde onerum personalium ac angariarum in immensum extensarum im-

impositio, qua ne Hebræi liberis operam dare possent, curatum videbatur, juxta illud

Otia si tollas, periere cupidinis arctus.

Nam & flumen Nili (ita Josephus Antiquit. Judaic. II. cap. 5.) in multas fossas diducere sunt jussi & mœnia exædificare, & aggeres exstruere, quibus inundationes fluminis arcerentur, pyramidum & insanis substructionibus vexabant gentem nostram, cogendo varias artes ediscere, & laboribus ferendis adsuescere. Conf. Philon. de vita Mosis lib. I. Addit Eusebius lib. IX. Præparat. Evangel. ex Eupolemo, Regem jussisse Hebræos diversa quam Ægyptios veste indui, ut ita risui & vexationi omnium exponerentur. Scribunt Hebræi quidam, coactos fuisse fæces, & stercora ex urbibus evertere & cophinis imposita suis humeris reportare, quod colligunt ex Psal. LXXXI. 7. Conf. ibid. Genebr. pag. 50. III. Verbera & flagella, nisi pensa absolvissent, Exod. V. 14. Summa tandem malorum ἀκμή, Infanticidium fuit, an metu Mosis, de quo vaticinium memorat Josephus l. c. per obstetrices primum Hebræas (id n. verisimilius per rationes a Riveto ad Exod. I. p. 25. collectas) frustra tentatum, post suffocationem imperatam confectum quidem, sed justa talione suffocationis in mari Erythræo expiatum. Ideam hic verissimæ tyrannidis titulo eyercitioque (definitæ a J. Lipsio Polit. II. 6. V. 5.) per omnes characteres conspicies. Quid vero sub hoc jugo Hebræi? An cum numero & robore potuissent, vi restiterunt? Nequaquam, ex causis, quas edidimus in P. III. Lact. Catechet. p. 133. sed precatu ac gemitu cœleste auxilium pie implorarunt, patienter respectarunt, hilariter obtinuerunt. Divini auxilii hi notantur gradus. Prolis inviso licet ac impediente Pharaone sub onere benedictio, singularis ac divina. (Hanc enim malumus causam reddere, quam ex genio loci respondere cum Grotio ad Exo. XII. 37. Confer. Voss. lib. III. Idolol. cap. XXII. p. 834.) Liberatio masculæ prolis cum universæ per obstretrices, tum Mosis per Thermutidem Filiam Pharaonis. Legatio Mosis stupendis miraculis insignita, quibus cor Pharaonis (damnum ex dimisso populo majus æstimantis præ plagarum incommodis) ex accidenti induratum magis, quam liquefactum. Lux ac Asylia Gosenica sub mediis Ægypti plagis; Exitus factus divino ductu per mare rubrum, (Cur rubrum dictum? videndi Fuller. Miscell. Sacr. II. 20. Amama Antib. Bibl. lib. II. p. 455.) copiosus numerus eductorum, opulentus spoliis (de quorum justitia videnda P. II. Lact. Catech. p. 290.) præcipitatus necessitate; ordine decorus; prudenter devius, potentia miraculosus.

SECTIO III.

Politia Mosaica Critica Antebasilica.

I. SUccedit Juventus politiæ Hebrææ vegetior, fortior, bellicosior. In qua iterum notare licet. I. Societatem ipsam, Monasticæ vitæ nesciam, Exodi XXII. 29. quam frustra ex Exod. XXXVIII. 9. post Baronium Appar. Annal. num. LIII. probare conatur Corn. a Lapide Comm. h. l. Erat, inquit, quasi cœtus religiosus fœminarum devotarum illius temporis, qui typus & umbra fuit nostrarum religiosarum. Confer Bonfrerium in h. l. Glossæ inanitatem ostendimus in præfat. Colleg. Decalog. contr. Casaub. Exerc. I. c. XXIII. Similiter filiam Jephtæ non fuisse ex voto Parentis perpetuæ virginitati initiatam; sed victimam mactatam in Dissert. de voto Jephtæo confecimus. II. *Societatis propagatæ* numerum, genealogias ad tribuum ordinem, quem cum in conspectu habuisset Bileam, benedictione plane emphatice laudavit. Num. XXIV. 5. seq. Vidisses tribus alias aliis nobiliores, tribuum capita, civium munia, artes opificum, quos inter Bezaleel eximium nomen fuit (quantum momenti habeat in Republica opificum manus, vel ex solius fabri defectu, hostium versutia illato, quem deplorat intimatque sacra historia Judic. V. 8. I. Sam. XIII. 19. conjicere licet.) Militaria progymnasmata, quæ prodit elogium Benjaminitarum, quod exstat Judic. XX. 16. Confer. hic Drusius Comm. ad loca difficil. Judic. p. 357. Funditores balearicos, de quibus Florus III. 8. ubi ordo, ibi major vis ac potentia, quod exemplo indigestæ turbæ, quam in Græciam intulit Xerxes Seneca ostendit, de Benefic. VI. 31. Ibi benedictio divina opulentior, quod jucunde animadvertas in textu Græco Marci VI. 40. III. *Societatis in ordinem digestæ* sortes suis quaslibet terminis circumscriptas, quo pertinet in Jos. XIII. seq. Consignata Geodæsia sacra ac terræ Cananææ (cujus & quam bonæ? vid. Serar. Comm. in Jos. XIII. quæst. 2. seq.) divisio juxta numerum familiarum Cananæarum (confer. Gen. X. 15. seq. cum Deut. XXXII. 9. ubi obiter notanda mala & fallax versio LXX. Seniorum castigata a

S. Amama Antibarb. lib. II. p. 596.) per τὸς τῆς γεομετρείας ἐπιςήμονας, teste Josepho Conf. Serar. l. c. quæst. XII. & XII. Adde ibidem divisionis causas finales, quæst. XVII. dixi suis quaslibet terminis circumscriptas, quas loco moveri piaculum, juxta illud Deuter. XXVII. 17. Unde in gentes quoque dimanavit religio Termini sacrificii primum Unctionis & coronationis, ut est apud Brissonium lib. V. Formular. Vindicati, si quis trasferret, damnatione in metalla aut relegatione in Insulam, ut ex Julio Paullo memorat Frontinus lib. de militibus, ad ἀποθέωσιν usque honorati, vid. Augustin. C. D. IV. 23. & 29. & ibid. Lud. Vives v. Societatis per sortis digestæ vitam simplicem, frugalem luxus fastusque nesciam. Rusticam vitam Samgar judex coluit, qui vomere sive baculo aculeato stragem edidit memorabile Philistæorum IↃC. nulla enim caussa est, a litera historiæ ut deliremus cum Lyrano, vide Cosm. Magalianum ad Jud. III. annot. 25. p. 274. Legenda, quæ de agricolarum in bello fortitudine ex historia congessit idem Cosm. l. c. Agriculturæ non puduit Saulem. (De hoc enim dicamus, quod eleganter de Romano Plinius XVIII. 25.) Eadem erat ? ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri, ut fas sit credere gaudere terram vomere laureato & triumphali aratore, sive illi eadem cura semina tractabant, qua bella, eademque diligentia arva disponebant, qua castra. Hæc Plinius. Nondum caballorum Ægyptiorum apparatus invaluit. Placuit Jairo pompam 30. filiorum in pullis asinæ circumducere, quam prisci ævi simplicitatem imitatus videtur Salvator in suo ad Hierosolyma ingressu. Mercaturam exoticam suismet soli beneficiis contenti nesciebant Hebræi, juxta & fœnora usurasque. Legenda, quæ de lege agraria Hebræorum, de anni Jubilæi causis, de commerciorum cum exteris raritate haud abs re meditatus est Cunæus R. E. lib. I. cap. III. nondum transmarinæ gustus illecebræ cupitæ, sed parabili, frugali, inempto cibo vita ad seros annos perducta vigor in senectute conservatus est, cujus rei Moses & Caleb exemplo esse possunt. Deut. ult. v. 7. Jos. XIV. 11. Conf. Serar. ad Jos. XIV. 13. quæst. III. pag. 348.

II. Subtractis Nilotico jugo cervicibus caput exseruit Reipub. Hebrææ forma. I. nova, novi anni in æquinoctio mensis Abib inchoati institutione patefacta, sacrificio epuloque paschali & strena primogenitorum consecrata, de quo divino instituto aliquid diximus Mysterio S. II. a. 2. §. 20. p. 258. Equidem probabile est, quod conjicit Corn. Bertramus de Polit. Jud. p. 30. Hebræos & in Ægypto habuisse aliquam politiam Aristocratica ratione gubernatam a senioribus populi. Exod. IV. 29. e quorum collegio nonnulli exstitere שוטרים Exod. v. 6. at imminutam illam potestatem a Busiride Ægyptio, ac in exactionem reliquorum Hebræorum solum permissam, cujusmodi fuit in captivitate Babylonica Æchmalotarcharum gubernatio, omnia clamant: successit tamen nunc, ut dixi, recens & gloriosior forma. II. non nova tamen, sed & sancta æque omni alia in mundo politia diversa. Facta enim est regnum sacerdotale Exod. XIX. 6. hoc est, Dei in peculium consecratum, præ omnibus mundi regnis selectum, ac ut pridem sacerdotium Ægyptium, liberum, immune, exemtum. Videndi de hoc regni sacerdotalis epitheto Fagius in annot. ad Targum hoc loco. Rivetus in Exod. p. 485. Cunæus R. E. l. 14. p. 117. finge Judæos hodie, quod jactat Benjamin in suo Itinerario alicubi gentium late regnare, tamen non est regnum hieraticum. III. Monarchico-divina: primum sub Monarcha ac Rege immediato Deo. I. Sam. XII. Cancellario Mose, omnia ex summi legislatoris dictamine perficiente, dictatoribus Josua ac judicibus, quos ἡγεμόνας & ὑποςρατηγὸς Josephus appellat in memorabili loco lib. IV. cap. VIII. ςρατηγῷ μὲν αὐτοκράτορι χρώμενοι τῷ θεῷ, ὑποςρατηγὸν δὲ χειροτονήσαντες ἕνα τὸν ἀρετῇ προέχοντα: Senatu τῶν ἀρίςων, quo respiciens Josephus primam regiminis formam Aristocraticam dixit: IV. 8. quem sequitur Sigonius l. R. E. 5. IV. Inclyta præcellentia supra omnes sub cœlo populos, quam Apostolus τὸ περιοσὸν appellat; de quo copiose actum Christeid. Act. I. theatr. I. p. 56. sqq. V. Ordinatissima, cum magistratuum constitutione facta in Principes populi Tribunos, Centuriones, Quinquagenanos, Decanos. Ex. XVIII. 21. Jos. XXIII. 2. Conf. Sigon. 15. tum Synedrii consilio; Quod fuit origine sanctum & divinitus novo spiritu instructum. Num. XI. 16. qui Spiritus post Mosen non prorsus expiravit, maligne de Magica facultate expositus apud Cun. l. 12. p. 113. Auctoritate olim summum & improvocabile, cum Mosis adhuc interesset, in cujus spiritus communicationem venerunt Senatores non per diminutionem & derivationem, sed æqualitatem. Accepit enim Dominus de Spiritu Mosis non ex Mosis rivulo, sed suo ac divino fonte. Huic judicio Reges etiam

iam ac nominatim Herodes ſe ſiſtere fuit coactus, teſte Joſepho XIV. 17. Numero Septuagenarium, tot ſcil. Senatorum, quot animæ in Ægyptum ingreſſæ ſunt, quo de numero videndus non malus divinator Bertramus de polit. Jud. cap. V. p. 57. Subjectis ex omni hierarchia ſapientiſſimis, prævia & δοκιμασίᾳ & χειροθεσίᾳ cooptatis. Deut. XVII. 8. II. Paralip. XIX. 8. Conf. Cunæum lib. I. R. E. cap. XII. p. 59. Etiam Pontifex adſcitus, ſi cordatus & capiendis conſiliis non ineptus eſſet, alioqui reprobare eum fas fuit, teſte Maimonide apud Cunæum l. c. Ordine æquale, ne quidem Moſe hic aliquem ordinarium Principatum præ reliquis habente, uti Salianus contendit ad A. M. CIↃ IↃ XLV. num. 251. Dixi ordinarum: Nam cum extra ordinem ex adflatu divino aliquid edixit egitque, in eo ſuperior fuit, non tam ut Princeps Monarchicus, quam ut organum Dei. Id quod notandum contra Gretſerum. Tom. 12. defenſ. Bellarm. p. 411. quamvis præſederint duo, ſine tamen juriſdictionis principatu, unus loco Moſis נסי Naſi laude ſapientiæ inclitus; alter priori a dextris ſedens, provectior ætate, pater domus judicii appellatus, Rerum tractatione graviſſimum, cum enim omne judicium judaicum eſſet triplex; infimum trium virorum, qui cognoſcebant de rebus ac litibus levioribus & bonis mobilibus: inſtitutum in oppidis minoribus, ubi incolarum numerus conſtabat CXX. viris; modicum, quod conſtabat viris XXIII. & tractabat cauſas capitales in ſingulis Paleſtinæ civitatibus erectum, idque geminum Hieroſolymis, inferius unum in porta montis, per quam patebat acceſſus ad portam templi, alterum ſuperius, quod erat in porta Eſdræ ad portam atrii. Tertium ſummum exſtitit & unicum in civitate Solymorum, quo definiebantur ea, quæ ad totam gentem, tribus integras, pacem, bellum, pſeudoprophetam & Regem pertinebant. Vide Cunæum lib. I. cap. XII. Fato tandem exſtinctum, conſervatum quidem defloreſcentibus rebus Judæorum & jugo peregrino preſſis, ſed precario, ab Herode delectum, inque ſuæ factionis hominibus ab eo reſtitutum, ſed tandem in exitio urbis funditus exſtinctum. Vid. Joſeph. XIV. 17. Fagium ad Deut. XVII. Galatin. A. C. V. lib. V. cap. 5. Denique differentia ordinum, quæ ſic habuit, ut extra Synedrium Moſes Aarone ſuperior exſtiterit, eumque aliquando ab orbita recti delirantem in ordinem redegerit. Exod. XXXII. Licentioſi figmenti hic poſcimus Joſephum in oratione Moſis, quam deſcribit libro III. cap. IX. Joſuæ in Sacerdotes imperium agnoſcit Serarius ad Joſ. III. II. quamvis ex principio Spiritus prophetici incerto effugio, quod enim illic imperitavit Joſua ex ὑπεροχῇ Politica procedere potuit. Inter ipſos ſacerdotes ordinis differentiam nemo facile inficiabitur. Sed ſummum Pontificem juriſdictione ac poteſtate Monarchica ſuperiorem fuiſſe reliquis ſacerdotibus, id facilius jactat, quam probat Becanus Tomo III. Opuſc. VII. cap. IV. qu. VI. Stramina ſunt, non argumenta, quibus ſuam opinionem fulcit ex officiis ſummo Pontifici propriis deducta, qualia ſunt primum Introitus anniverſarius in ſancta ſanctorum Levit. XVI. deinde poteſtas conſecrandi Levitas & Sacerdotes Exod. XXIX. Levit. VIII. Num. VIII. tertio ſupremum in controverſiis judicium, ac peculiari Sp. S. adſiſtentia ultima & decretoria ſententia. Deut. XVII. 12. Reſpondemus ad I. illum ingreſſum monadicum eum quidem fuiſſe, ſed non monarchicum, alioquin eadem ὑπεροχή ex hypotheſi adverſariorum, quam refellimus in Chriſteid. pag. 758. Jacobo Apoſtolo competeret. Ad II. Conſecrationem non inferre poteſtatis ἐξοχὴν, ſed tamen declarationem ejus, qui ſucceſſio naturalis debetur, niſi & ipſe ſummus Pontifex ſuo, quem omnino habuit, conſecratore fuit inferior. Ad III. Judicium circa controverſias probare inſigne aliquod lumen ſapientiæ, non item poteſtatis, niſi & Turcarum Muphti oraculum quaſi vivum regni Othomannici ſit Monarcha Othomannico imperatore ſuperior, quis alias ſenſus ſit loci Deut. XVII. 12. in Hodomoria copioſus oſtendimus.

III. (VI.) Majeſtate ſereniſſima, quam produnt jura Majeſtatis, ut ſunt I. Poteſtas circa ſacra, ea quæ Conſtantinus M. ἔξω τῆς ἐκκλησίας appellavit. Quæ ordinarie penes judicem totumque ſenatum fuit, cui Pontifex ſubjectus erat. Extra ordinem quidem in caſu deficientis judicis Regiſve ſummo competiit Pontifici, ut patet ex Hiſtoria Eli, qui ſi juriſdictionem politicam exercuit, ut magiſtratus exercuit, non ut Sacerdos. Deinde 2. Poteſtas bellica a Deo bellorum juſtorum auctore, informatore, Soſpitatore ipſoque viro belli איש מלחמה data per Joſuam & Indices bella Domini gerentes exercita. Exercenda primum pie, conſulto ante ore Domini ac invocato numine; in id enim præcipue valuit oraculum אורים ותמים, quod cum ſemel tantum percontari Joſua neglexiſſet, magnum errorem erravit. Joſ. IX. Invocato

to itidem numine & placato per ſeriam pœnitentiam Exod. XVII. 19. Joſ. VII. 12. Cujus defectus magno aliquando ſtetit Iſraelitis in Benjaminitas inſurgentibus. Judic. XX. Cauſſa belli juſtiſſima fuit, ſed temere, Numine nondum placato, ſuſcepta. Non defuit luctus natus non ex peccatorum præteritorum, ſed cladis ac damni percepti dolore. Comitante porro diſciplina militari, cui legem Dominus ipſe præſcripſit Deut. XX. pediſſequa gratitudine, cujus exempla exſtant Exod. XVII. 4. Judic. V. Secundo Juſte; titulo primum & cauſſa. Quæ quod bella Cananæa attinet, varia fuit, utpote tranſitus denegatio, prætenſa a Moſe Num. XX. & XXI. De qua vid. H. Grot. I. B. & P. lib. II. cap. II. n. XIII. p. 135. alimentorum denegatio Judic. IIX. 4. defenſio neceſſaria clientum & fœderatorum. Joſ. X. 7. præſcriptionis CCC. annorum privilegium. Judic. XI. a Jephte allegatum. Vide Grot. ibid. c. IV. I. 2. Summa autem ac præcipua cauſa fuit Numinis ira ob enormia contraque naturam commiſſa Cananæorum peccata Levit. XIIX. & XX. recenſita: quorum agmen quaſi duxit idololatria capite punienda juxta Exod. XXXII. 2. Deut. XIII. I. a cujus ſupplicio, quod obiter notamus ad ſimile hæretici ſupplicium nulla eſt ſequela. In idololatra enim natalitia eſt, in hæretico cœcitas ac mentis temulentia. Ille rationi rectæ, quæ idolorum cultum e ſuomet lumine damnat, repugnat, hic circa myſteria ſupernaturalia errat. Ille Reipublicæ Scandalo & quæ fornicationi ſpirituali plerumque hæret, fornicatione corporali, ἀνθρωποθυσίᾳ, aliis criminibus obeſt, hic non item. Irati & poſt longam μακροθυμίαν, de quo Gen. XV. 16. laceſſit adimpleta jam menſura juſta nemeſis, Joſuæ maxime tanquam divino executori carnifici magis quam militi commendata, unde & Joſuana bella bella Domini audiunt, quæ quidem juſtiſſima belligerandi ratio fuit, inimitabilis illi, qui pari divino χρηματισμῷ non eſt initiatus. Nam quæ ex antiquo Hebræorum a Semo derivato jure Epiphanius in fine Anchorati profert, ea per longam præſcriptionem diſparuerunt, ſalvo tamen jure divino antiquiori. Vide Serar. ad Joſ. I. quæſt. V. 224. Obiter hic legi poſſunt, quæ noſter Berneggerus monuit, de bello imperii amplificandi cauſa ſuſcepto quæſt. II. & CLXXXVII. Poſito juſto belli titulo nemini licuit eſſe ἀδιαφόρῳ ſive ut vocant neutrali. Juſto bello Iſraelitæ reliqui Benjaminitas adorti ſunt ob conniventiam & juſtitiam non adminiſtratam in eos, qui Cananæis, ſi non atrocius, par tamen crimen admiſerunt, ac in totum populum, ni animadverteretur, divinam nemeſin armaverunt. Jabeſitæ interea neutram partem amplexi, præſtolati, quo inclinaret fortuna; Sed occidione occiſi hujuſmodi ἀδιαφορίαν juſte luerunt, Judic. XX. & XXI. Quid alias in univerſum de hac ἀδιαφορίᾳ ſtatuendum, diximus in P. II. Lact. Catech. p. 226. De raptu mulierum, facto a Benjaminitis poſt Ambroſium Offic. II. 14. quid ſentiendum diximus in P. III. Lact. Catech. p. 301. Quæri hic poteſt de titulo bellorum Simſonicorum, juſtus is fuerit, an ſecus? Hic jam altius adſcendendum, ac conſiderandus eſt Simſon ut Naſaræus, ut Judex, ut Heros, a Numine ad vindicias ſui populi extra ordinem initiatus ac roboratus, qui prima tyrocinia Spiritu Domini agitante mature depoſuit in palæſtra caſtrorum Danicorum. Acceſſere ſemper irritamenta juſtæ pœnæ de Phliſtæis juratis Iſraelis hoſtibus ac iniquis oppreſſoribus exigendæ. Primum inſidiæ XXX. ſodalium, de quo ſodalitio hæc notat Joſephus V. 12. Damnitæ, quod vires Simſonis haberent ſuſpectas honoris ſpecie XXX. adſectatores ex æqualium numero adhibent, juſſos obſervare ne quid auderet. Quam fraudem ac ſimulatam amicitiæ ſpeciem XXX. Aſcolonitæ luerunt. Deinde adulterium uxoris ac lenonia ſoceri impune perpetrata, cui ingenioſo agri incendio parentavit, alias prohibito. Vide poſt Grotium J. B. III. V. 2. Colleg. Decalogi Diſp. XII. §. 7. Tum oppugnatio in ſpelunca petræ Ethææ, quam mille virorum cædes mandibula aſini facta eluſit. Obiter hic iniquitas caſtiganda eſt termille virorum Judæ Simſonem hoſti offerentium. Quorum inſtitutum ab aliquo Oratore hunc in modum pingi poſſet. Avitum eſt, inque viſceribus juſtitiæ natum, exemplis comprobatum, rationi conſentaneum ſaluti univerſitatis donari pœnam unius, quanquam innocentis, utile publicum privato honeſto ſanctius. Præſtat injuſta facere, quam pati. Si ut totum corpus ſervetur, conſilio Medici pars amputanda, ſi leproſus nulli alias crimini obnoxius quaſi quodam auxilio mulctandus eſt, ne tota civitas inficiatur, cur iniquum ſit, ſi tyrannus totam provinciam vaſtatum ivit, niſi quem ille vellet, unus tradatur unius ſanguine totius communitatis ſalutem redimere. Hæc illi perperam. Eſto enim communitatem uni præferendam, num ejuſmodi una, quo ſtante, cadente, ſtat caditque Salus publica? quid ſi is unus caput ſit Reipubl. jure avito ἄσυλον!

Si Rex, si judex, si heros, qui se unus toti exercitui opponere ausit? in cujus vita omne regni nomen tum contineatur? Auctorem Reipublicæ ultra privatas necessitates amari par est. Denique exoculatio, carcer, mola, obscœna (non enim improbabile, quod Hebræi conjiciuntur τὸ molere fuisse dormire cum mulieribus robustis, ut ex Simsone robustam ei parem acciperent. Confer. post Hieronymum Sanctium ad Esa. XLVII. adverbio : Tolli molam p. 471.) sibi mortem, Philistæis stupendam stragem peperit.

IV. Juste deinde Exercito. Hinc ante omnia in quæstionem venit rigor Josuanus, in septem populos exterminio devotos; annon barbarus ille, immanis & crudelis fuerit? Rigorem juris militaris æquitate temperandum esse, suadet sana ratio, e cujus dictamine multa erudite collegit H. Grotius I. B. III. 11. seqq. At quid actum cum Cananæis? Gladii anathemate delendi erant omnes Tros Rutulusve fuat, nullo cum sexus ac ætatis imbellis discrimine Deut. 11. 34. XX. 16. Cujus præcepti neglectum Saul postea coronæ jactura luit. Dirum hoc & Cananæis visum est. Ideo Josuam latronem dixere. Visæ Procopio, si qua fides lib. 11. belli Vandal : ad urbem Tingin duæ columnæ albæ marmoreæ, in quibus Punica lingua scriptum : Nos (Phænices) sumus, qui fugimus a facie Josuæ filii Nunis prædonis. Memorabilis, si vera est relatio Talmudica de Africanis sub Alexandro M. Cananitidem terram postliminio repetentibus Schickard in Jure Regio, theorem. XVI. p. 120. Sed jus summi numinis extra bella Domini inimitabile omnium jurium instar est, cujus executionem acuerunt 1. oblatæ pacis repulsa Jos. XI. 19. & Amalekitarum nequitia decaudicantium debiles in agmine Isrelitico. Deut. XXV. 18. de qua immanitate videndus Schick. l. c. p. 112. ob quam omnis memoria Amalek delenda fuit Deut. XXV. ult. quamvis & hoc temperamenti fuerit, quod non simul ac semel omnes indigenæ exstirpati, ut semper essent qui posterorum virtutem exercerent. Vide Schick l. c. pag. 111. Dixi : Pacis oblatæ. Tria enim fertur Josua præmisisse diplomata per Feciales, antequam intraret terram. In primo præscriptum erat : Fugiat qui vult; in secundo : Dedat se, qui vult; in tertio : Pugnet qui vult. Continebat insuper illa pacis oblatio tria petita; 1. 1. ut recipiant septem præcepta filiorum Noæ, 2. ut fiant tributarii, 3. ut servi. Excepti autem erant Moabitæ & Ammonitæ, quibus solis pax non fuit oblata, concessa tamen, si ultro eam rogarent. Causa exceptionis redditur, Deut. XXIII. 4. Conf. Cunæus R. E. II. 20. p. 281. Nascitur ex quæstione quæstio: quid statuendum de Gibeonitis Jos. IX. qui cum essent Hephæi c. XI. 19. vel si nomen Amorræorum latius sumas, Amorræi, 2. Sam. I. 22. adeoque exitio devoti, pacem arte fraudulenta, ab Israelitis obtinuerunt. Quæritur 1. An potuerint in fœdus recipi? Resp. Potuisse non quidem in fœdus sociale; Id enim vetitum; Exod. XXXIV. 11. Deut. XX. 10. potuisse tamen in fœdus dediticium ac tributarium. Unde si Josua scivisset, ex vicinis & devotis populis eos venire; tamen pacem petentibus potuisset parcere. Quæritur 2. An juramentum fœderale fraude extortum ac errore præstitum a Senioribus populi fuerit validum? Affirmatur. Fuit enim error, qui non dedit causam actui. Unde juramentum hoc sero post a Saule violatum familias Saulis septem filiorum suspendio terra fame triennali expiatum est. Quæritur 3. Ad quid igitur a Josua Gibeonitæ perpetua servitute & angaria puniti, & tanquam lixæ, ad aquas, & ligna damnati? Quia populo imposuerunt : atque si Gibeonitæ, ut Hieronymus in traditionibus Hebraicis notat, illi Nathinæri fuerunt, quorum frequens alias mentio. Vox Hebræa sonat servos donatos aut alligatos templo, qui ligna & aquam ad sacros usus in templum comportarunt. Ad Justitiam belli & pertinet prædæ divisio, geometrica proportione instituenda, cui lege providit nomotheta divinus. Num. XXXI. 27. exercita Jos. XXII. 8. 1. Sam. XXX. 24. Videndi Grotius 1. B. III. 6. 17. & C. Sanctius ad 1. Sam. XXX. 514.

V. Prudenter, cujus specimina sunt exercitus lustratio. De Gideone, qui curvato poplite bibentes domum remisit, reservatis prælio iis, qui aquas lambebant instar canum, videndus Sixt. Amama Antibarb. III. p. 606. Symboli militaris observantia, quale fuit Schibboleth in historia Judicum XII. 6. Strategematum inventio studiumque Jos. XVIII. 2. Jud. XX. 14. Vide Cosm. Magalian. Judic. p. 318. & 668. Serar. in c. XVIII. Josuæ quæst. II. Conzen. Polit. lib. X. cap. XXXIIX. XCVI. & XLVII. Exploratorum emissio. Num. XIII. 7. Jos. II. 3. Vide Coll. Decalog. Disp. XII. §. 7. Proditorum usus, qui utique si sine perfidia fiat, licitus est; Non est autem perfidia, cum proditio fit vel ex fide in Deum, qualem verisimile est exstitisse in

in cive Bethelis, Judic. 1. 24. Certum vero in Rahab. Hebr. XI. 31. σημείοις τοῖς ἐκ Θεοῦ διδαχθέντα, ut habet Josephus v. 1. Conf. Serar. ad Jos. II. quæst. 15. 16. & 17. Petr. Martyr. in Jos. II. p. 14. vel ex fide in magistratum & populum, cui majoribus ex causis favere debet, quo consilio Chusai Absalonis consilia aperuit. 2. Sam. XVII. 16. & Christianus ille qui obsidionis Turcico-Viennensis furta detexit, de quo D. Gerhardus Tom. VI. de Magistr. Politico p. 1211. Confer. Serar. ad Joh. VIII. quæstione 2. Magalian. ad Judic. 1. sect. 1. p. 68. Conzen. Polit. x. 51. 52. Denique fortiter & animose in periculis κατ' ἄνθρωπον accendente animos Sacerdote ante prælium. Deut. XX. 3. Nondum illa ætate ἀλεξίκακα & περίαπτα corpus invulnerabile præstantia cognita erant; de quibus non male Serarius ad Jos. x. quæst. 39. p. 272. scribit: quod apud poetas narratur fuisse Achillem, quia undis esset submersus stygiis, invulnerabilem, præterquam qui vulnus mortemque hausit: hoc in superstitiosis & vanis hominibus, qui contra enses & fistulas ferreas characteribus operiammatis sese muniunt locum habet, qui in aquas nimirum stygias se immergunt dæmonum se potestati tradunt; pede tamen, id est, in extremo vitæ tempore vulnus lethumque accipiunt Conf. Mart. Del-Rio Disquisit. Mag. II. Epist. 21. p. 197. Ad majestatem porro pertinet 3. Potestas judiciaria & Criminalis, ad Talionis rationem admensa. Unde frequens illa exactio oculi pro oculo, dentis pro dente &c. Ad rationem, inquam, & analogiam, non rem. Nam, si rem ipsam attendas nihil iniquus Monoculi e. g. læsionem unius solum oculi excussione ulcisci. Quis hic carnifex æquabit vulnus vulneri, ut nec excedat nec deficiat. Vide Gell. N. A. XX. 1. Fagium ad Targum Deut. XIX. Hodosoph. phænom. XVIII. p. 484. Exercenda. 1. in blasphemos; Qui enim nomen Domini hoc est, Dominum ipsum (de quo Hebraismo videndus Drus. quæst. Hebr. l. II. quæst. 69.) nuncupaverit, scilicet contumeliose, morte moriatur. Levit. XXIV. 16. cujus edicti intermissionem sui internecione luit Achab. 1. Reg. XIX. 42. Executionem in nostris Argentinensibus laudant duo Jesuitæ Cornel. a Lap. ad Esa. p. 307. & Drexelius in Phaetb. p. 94. Deinde 2. in profanatores Sabbathi Exod. XXXI. 14. XXXV. 2. Exemplum extat Numer. XV. 32. Hoc quoque jus hodie frigere deplorat. D. Franz. Oraculo LVIII. p. 523. 3. in parentum percussores Exod. XXI. 15. Deut. XXI. 18. ad quem locum videndus Bonfrerius p. 464. 4. in addulterii reos. Levit. 20. 10. Deut. XXII. 22. 23. ubi quod probationem virtutis attinet, legendi D. Gerh. Loc. de Conjugio p. 194. & Arnisæus de Jure Connub. cap. III. p. 151. Pro exasperanda adulterii pœna zelose pugnat D. Gerh. P. II. Disp. Academ. p. 1639. contra Bellarmini conniventiam lib. 1. de Sacramento Matrimonii cap. XVI. 5. in Magos & Sagas non tantum eas, quæ veneficiis aliisve maleficiis nocent, sed & quoslibet Sathanæ fœderatos Exod. XXII. 19. Nam si capitalis commixtio cum bestia multo magis cum Spiritu. Tractavimus hanc quæstionem in Colleg. Decalog. Disp. XII. §. 10. De furti pœna an capitalis esse debeat disceptatur. Sententiam nostram diximus in Colleg. Decalog. l. c. Quæritur itidem de Corporibus suspensis; An inhumata in patibulo relinquenda? Negavimus ex Deut. XXI. 23. in Colleg. Decalog. Disput. XII. §. 11. Nec mutamus quod jactum est. Item Asyla in controversiam veniunt, de quibus actum P. II. Lact. Catechet. p. 125. Joabum impie ab ara ἀσύλῳ abstractum contendit C. Sanctius ad 1. Reg. II. p. 963. Nobis contraria sedet sententia, firmata justitiæ sanctimonia, quæ major est loci sanctitate, unde hæc illi cedat necesse est. Usurpari hic illud Christi potest: stulte, justitia major est, an ara?

VII. Media conservationis (præter promissa minasque Calendario quasi perpetuo denunciatas Levit. XXVI. Deut. XXVII. præter suppliciorum exempla in deserto maxime designata tanto horribiliora, quanto, cum lex ab igne Sinaico adhuc calida, tum obedientiæ stipulatio fuit, recentior) Leges fuerunt & exempla Heroum ad imitationem proposita. Lex omnis Mosaica vel Moralis fuit vel Ceremonialis vel Forensis, de quorum differentia actum est in Hodosoph. phrenom. VI. p. 314.

Prima juri æterno subnixa omnes mortales passim ac semper obligat. Altera solos Hebræos in terra Canaan usque ad sepultam Synagogam qua tumulata legis ceremonialis observantia facta est montifera. Tertia translato sceptro Judaico non quidem amplius ligat, nec tamen prorsus sepulta est, sed ob rationes mortales amputatis circumstantiis judaicis adhuc dirigit, reverenter habenda, ac cæteris paribus sequenda, quia & sanctissima est, & antiquissima: Unde Atticorum Axes, Romanorum XII. tabulæ derivatæ sunt. Vide annotationes Grotii ad lib. de verit. Relig. Chr. p. 17.

VIII.

VIII. Leges Mosaicas maxime forenses singulas illustrare etsi hujus loci esset, tamen quia campus hic se aperit amplior, quam capiat temporis semestris, cui condiximus, angustia; ideo rem majori cura dignam in alium locum, comite vita, servabimus: selecturi nunc præcipua quædam & difficiliora summi Legislatoris sancita, brevi commentariolo exponenda. Extat Lex Exod. XXI. 23. De Matricida, quæ de verbo ad verbum juxta fontes sic haber: Cum rixati fuerint & percusserint mulierem prægnantem & egressi fuerint nati ejus & non fuerit exitium sive mors puniendo punietur, quemadmodum imposuerit super eum Dom. mulieris: & dabit in judicibus. Etsi mors fuerit, dabit animam pso anima. LXX. decepti lectione אושרך pro אסון ut putat Corn. a Lap. ad h. l. reddunt, ἐὰν ἐξέλθη τὸ παιδῶν αὐτῆς μὰ ἐξει κονισμένον, adhuc informe. Unde Latina vulgata: Si abortum fecerit. Hinc monstra opinionum, embryonem nondum effigiatum esse adhuc inanimatum, illi solum nigrum mortis theta præfigendum, qui prolem vivam occiderit; non qui nondum vivam. Animam non propagari per traducem in ipsa conceptione, licere matri pharmacum dare ad faciendum abortum, ut matris vita servetur (quem casum ezposuimus in Auctario moralium cap. 2. q. 2. Monstra hæc facile antevertet, qui e fontibus bibet, in quibus 1. nulla distinctio fœtus formati an informati? deinde nulla restrictio ad matrem vel ad matricidium, sed lex & de matricidio & de infanticidio uterino intelligi potest. 2. nulla consequentia: Embryonem informem excutere non est capitale? E. caret anima. Nam sic etiam colligas: Servum non esse animatum, cujus cædes capite non punitur ex vers. 20. & 21. ejusdem capitis. Legislator judicem ἐπιεικέως hic monet in cæde casuali: Mulierem quam præ oculis habuit, si occidit, cædis tenetur; sed si prolem (quam nescivit in utero ferri) non item. Nulla denique consequentia est: Embryo caret anima. E. impune medicamentis expelli potest. Tertullianus in Apologetico jam olim respondit: Non referre, natam quis eripiat animam an disturbet nascentem. Homo est, qui futurus est, fructus omnis jam est in semine: homicidii festinatio est, prohibere nasci.

IX. Exstat interdictum usurarum Exodi XXII. 25. Levit. XXV. 25. Deut. XXXIII. 19. Quod quia alibi a nobis expositum est, Colleg. Decal. Disp. XVII. §. 6. hic vacare licebit. Exstat sanctio Decimarum. Exod. XXII. 29. (ubi plenitudo & lacrima notat arida & liquida: Luth. vertit: Deine Fülle und Thränen.) Levit. XXVII. 30. Num. XVIII. 21. Deut. XIV. 22. Decimarum, inquam, quæ si omnes decimationis species connumeres, de quibus, post Hieronymum, Sigonius R. E. III. 15. quintam proventuum partem consumsere: id quod Logistica haud difficili evincit Schickardus Jur. Reg. cap. 14. θ 15. p. 196. Sancitarum potissimum ad ministerii politici sustentationem, & si undecim tribus singulæ tribui Levi alias exsorti decimas contulissent, tantundem haberent Levitæ, quantum singularum tribuum contribules. Lex quoad quotum & specificationem tota ceremonialis est, ex ratione status Judaici nata, attamen moraliter exigit κοινωνίαν ἐν πᾶσι ἀγαθοῖς. Galat. VI. 6. Extat interdictum Animalium levitice immundorum. Levit. XI. in N. T. abrogatum. Act. X. 15. Rom. XIV. 14. præscriptum non venerationis & religionis ergo quod Plutarchus opinabatur, refutatus a Cunæo R. E. lib. II. cap. XXIV. p. 238. (138.) Sed primum ob separationis studium, ut gens Hebræa sancta ab aliis hac quoque externa disciplina seorsim iret. Levit. XXVI. 25. Deinde & corporis curam, ne esus suillæ lepræ contagio inficeret; vid. Plut. lib. IV. Sympos. cap. V. tertio ob pædagogiam animæ ut scirent Hebræi ab illis viciis abstinendum, quorum figuram in bestiis immundis notassent; abhorrerent indicio ungularum non scissarum ab indiscreta impudentia: indicio cibi non ruminati a voracitate & gula, exemplo leporis, qui & inire & iniri solet, a libidine. Videndus hic Vossius lib. III. Theol. gentit. cap. LXVI. p. 1081. exemplo suis a cœno & volutabro peccatorum. vide Lactant. lib. IV. Instit. cap. XVII. 4. ob mysterii intimationem, ad Eum non minus adversari cor impurum in sacrificio Spirituali, quam bestiam immundam in sacrificio corporali. Adde denique causam absconditam apud Cunæum. loc. cit. p. 236. 316. Extat interdictum graduum prohibitorum Levit. XVIII. quod quia in Lacte Catech. P. III. p. 258. illustratum ivimus nolumus hic agere actum. Exstat Lex de Jubilæo Levitici XXV. in qua debitoribus σεισάχθεια concessa; servis libertas, iis qui bona sua alienarunt, avita ac patria possessio reddita. Unde venditio fundi locationi similior fuit, quam venditioni, quæ dominium quidem transferret, sed vindicabile. Causa legis quidem fuit sacra, ut, qua cura homines ad rem suam attenti sunt, eadem & familiarum ac ge-

genealogiarum non confundendarum tangerentur, ne esset obscura origo Messiæ ex tribu Judæ. Accessit typica ratio præludens anno Jubilæo Messiano, quem præsagiit Esaias cap. LXI. Christus digito indice notat Lucæ IV. 19. Apostolus intimat 2. Cor. VI. 21. Conjunctæ tamen fuerunt causæ Politicæ: primum familiæ conservatio, ne quis prodigus avitos fundos dilapidando familiæ conservatio decus obscuraret: deinde ut modus poneretur ditescendi studio, quod non nisi in mobilibus occupari poterat: tertio ut constaret: solum Deum esse Dominum terræ seu feudi: Hebræos esse vasallos ac usufructuarios. Exstat lex Hæreditatis occasione casus, a filiabus Salphaad proposita. Num. XXVII. 1. seq. quam non sinistre exponit Grotius in annotat. illius loci. Limitatur eadem lex ob instantiam agnatorum ex respectu Jubilæi ad thalamum contribulem. Num. XXXVI. unde ex legis hypothesi thesis facta est de non mutandis, quoad thalamum, tribubus, exceptis Leviticis, quibus licuit ex alia tribu ducere uxorem sicut Zacharias Elisabetham, eo quod idem periculum alienandi patrimonii hic desit. Excepto item summæ necessitatis casu, quo moti Benjaminitæ Silunticas sibi virgines sociarunt. Conferas hic licet Grotium ad Num. XXXVI. & ad Matth. 1. 16. Calixt. Harmon. Evang. p. 24. Exstat Deut. XXIV. 1. non lex, sed permissio (alias in foro conscientiæ fas piumque non erat) repudii Judaici nati ex odio fœditatis moralis & enormitatis de qua videndus D. Gerhardus Loco de Conjugio p. 1001. permissio, inquam, Christo interprete Matth. XIX. Equidem Marc. X. 5. vocatur ἐντολή præceptum scil. non repudiandi, sed si sedet repudiare, scribendi libellum repudiandi onerosum.

X. In censu virorum illustrium, qui hanc politiæ Hebrææ periodum ornarunt primus locus debetur Mosi, qui in circumcisione Joachim dictus, auctore Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. a Thermuthide adoptatrice Ægytia lingua Moyses ex aqua servatus teste Philone lib. 1. de Vita Mosis. Fide primum occultata, cujus correlatio est verbum aliquod prophetia aut instinctus Dei, quem suis commentis obscurare videtur Josephus lib. II. cap. V. Ubi & alia μυθικώτερα de diademate regio concultato, de bello Æthiopico legas. Absque illo divino instinctu fuisset, expositio infantis vi posset excusari. Vide Rivetum in Exodi 1. p. 4. matre conducta lactatus per triennium fortassis ex more gentis 2. Maccab. VII. 18. Videndus itidem Sanctius p. 575. Conferre hic licet auctores pro debito maternæ lactationis Ambros. lib. de Abraham cap. VII. Gell. Noct. Att. lib. XII. cap. 1. Tirmellus de Nobilit. cap. XX. Bernegg. ad Tacit. quæst. CXV. Aulæ a matre traditus an bene illud ac inculpate? Videndus Rivet. in Exod. pag. 45. 52. literis Ægyptiacis probe imbutus. Vide Spondan. ad A. CIƆ CIƆ CCCLIX. n. 2. cui & literaturæ (invicem Hieroglyphicorum substitutæ) origo tribuitur ab Eupolemo, de quo ex Eusebio Grot. in Annot. de V. R. Chr. p. 15. Heroicum Spiritum mature apricatus in cæde viri Ægyptii ex conscientia suæ vocationis facta in vindictam justam. Act. VII. 24. 26. Quam tamen caute & sine arbitro conficere conatus est, ad eum modum, quo & seditionis metu aliquando magistratus clam de reo supplicium sumit. Vir factus potens fuit dictis & factis rotundo ac brevi, sed amplissimo elogio protomartyris Act. VII. 22. omnia paucis complexus est in Mosis epitaphio Salianus ad A. M. CIƆ CIƆ IƆ LXXXIII. Sequuntur viri magni alii: HOBAB oculus regni Hebræi, Num. X. 31. Quo fine magnum corpus cyclopicum videri poterat. Oculi hujus virtus transluxit in celebri de magistratu constituendo consilio, Exod. XVIII. 21. cui conferre licet Lips. Monit. polit. c. IX. Scribani Polit. Christ. c. XXVII. Josua heros incomparabilis, de quo quicquid dixeris, minus dixeris, victor non solum hostium Cananæorum, sed etiam (sano pioque sensu) numinis, a quo solis stationem moramque precibus esse consequutus, quod miraculum elevat quidem Grotius rabbinizans, in annotat. ad cap. X. sed tuetur Serarius, qui multa in hanc rem pro suo combajulatorio more congessit, lectu haud injucunda in c. X. Jos. quæst. XIII.

Judices Sacerdotes, Heroes, Prophetæ, claræque mulieres Mirjam, Debora (prima quæ cum imperio fuit mulier) Jael, Sibyllæ scil. & Amazones Hebræorum. Adde & Rutham Moabitidem, quem Spiritus Sanctus peculiari commentario est dignatus. Quorum quarumque omnia hic memoranda essent encomia, nisi jamdum Syracides, Epistola ad Hebr. Salianus in epitaphiis hac opera defuncti essent. Paucula quæstiones ad præsens institutum facientes quasi ad racemationem relictæ sunt. 1. An Simson impie sibi manus intulerit? Neg. quia Sp. S. ad preces robus addente in Nemesin coutumeliæ Deo Israelis illatæ, fide corroboratus. Hebr. XI. 33. habuit

præ

præ se fortitudinis objecta fiduciali æque ac terribilia, ratione usus concessiva magis quam votiva: Ulciscar exoculationem: deinde moriatur anima mea cum Philistæis. Vide Augustin. de C. D. lib. I. c. XXI. Brent. ad judic. XVI. p. 54. Deinde 2. an Pinehæ Zelus laudabilis? Imo laudatus ab ipso Spiritu Sancto Num. XXV. II. Ps. CV. 31. Sed heroicus, consequenter inimitabilis nisi ab eo qui Pinehæ per omnia par, in easdem circumstantias rerum inciderit. 3. An exemplo Jephtæ spurii Reipublicæ præfici possint? Resp. Non posse, nisi hunc extra ordinem legemque. Deut. XXIII. 2. sancitam. Jephta præfectus est, necessitate extrema jubente, extra ordinem. Uti promoveri nothos ad honores publicos extra necessitatem res est mali exempli: ita non promoveri urgente necessitate justæ infelicitatis. Quid de irregularitate ex impudico thoro nati juxta Canones statuendum, videndus Claud. Espencæus lib. III. digressionum cap. XV. Quo loco numeroque habendum facinus Ehud & Israel τυρραννοκτόνων? Heroicis quoque motibus imputandum quos extraordinarius divinus motus in vindicias gloriæ divinæ stupendo successu nobilitatis indicat. De Ehud res non est obscura ex Judic. III. & 28. Conf. Hebr. XI. 32. Is cum verbum Domini secretum ad Eglonem se afferre professus est, nullo se mendacio alligavit. Habuit enim verbum Domini ad ipsum reale, habuit vocationem ac inspirationem divinam. Idem multo magis cogitandum de facto Jael divinis elogiis celebrato. Judic. IV. 9. V. 24. Confer post Augustin. quæst. XX. in lib. Judicum Serarium ad Judic. III. Cosm. Magalian. ibid. sect. 2. p. 209. ad cap. IV. sect. 2. annot. 9. p. 237. Nullam ab his exemplis sui Regicidii (de quo actum in Antichristosoph. Sect. 2. art. 7. p. 733.) veniam consequi possunt. Vide de toto hoc argumento Christeid. protheor. phænom. IX. p. 56. seq. 5. An pie satis ac prudenter Naemi suaserit Ruthæ, hæc paruerit consiliis ambiendi thalamum Boazi, quæ proponuntur Ruth. p. 20. Confer ibid. rationes judiciorum in portis habitorum ad c. XIV. pag. 24. Adde morem detracti calcei ad cessionis confirmationem adhibitum ab Hebræis p. 26. Heroibus istis probrum gentis Hebrææ & sui seculi lues oppositus fuit Abimelech tyrannorum tyrannus, a cujus acceptatione populum memorabili apologo necquiquam abduxit Jothan. Judic. IX.

Corrupta est hæc Reipublicæ forma & lacessita divina nemesis, cum scandalis variis in deserto adhuc perpetratis, scelere Benjaminito, idololatria moscholatrica, Moabitica. Num. XXV. (quam consultori suo pessimo consilio persuasit suada Bileamica & explicata ab origine in hoc loco, qui Bileamum sic loquentem inducit: non virtute militum, sed decore mulierum pugnandum est, nec armatorum vigore sed mollitie fœminarum. Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat, vincentur specie, qui non vincentur prælio. Lenociniorum narratione illustrata a Josepho lib. IV. cap. V.) Michæana, alia, Judic. II. 9. & X. 6. Syncretismo castigato Judic. II. 2. tum vel maxime prurigine Regis habendi nefaria I. Sam. IIX. 5. quam sequuta est prioris regiminis mutatio, Hebræis onerosa, seditione extorta, indignante numine permissa. Hos. XXIII. 11. Vide Schickard. l. c. theorem. I. ubi ostenditur, ipsam regis petitionem legi consentaneam fuisse. Deut. XVI. 15. Sed culpam hæsisse in diffidentia numinis, fastidio Samuelis & cacozelia: Adde in temporis nondum maturi ac divinitus constituti importunitate.

SECTIO IV.

Politia Basilica.

I. AD florem nunc assurgimus & virilem vigorem, Reipublicæ Hebrææ. In qua iserum socialis vita placuit, monastica exulavit. Nem quæ de Carmelitarum excalceato monacho æque ac Patriarcha monachorum orta familia omnium prima post alios garrit Th. Aquinas a S. Joseph Carmelita excalceatus in differt. Historico-Theologica de patriarchatu Eliæ Parte I. Sect. X. Parte II. per tot. Parte III. Sect. I. illa tanquam nugamenta videt post alios ibidem citatos Parte I. Sect. II. pag. 9. grande Domus Romanæ columen Baronius, cujus sententiam ipse adducit Parte I. Sect. VII. p. 35. Avitæ nobilitatis cupido cogit interdum homines delirare. Nec melioris sunt pretii, quæ de Rechabitarum proposito votove post Bellarminum, aliosque deblaterant Cornel. a Lapide ad Jerem. XXXV. p. 760. & C. Sanctius p. 759. Sententiam nostram diximus in Christeide Act. I. metamorph. 2. p. 703. Vita inquam specialis placuit, studiis bonarum artium dedita, quas inter literarum cultura primas habet, exercita in scholis Hebræorum, quas Philistæos hostes licet, ἀσυλίᾳ ac securitate donasse, quodammodo colligere est e I. Sam. X. 5. Quas inter nomen aliquod famamque con-

consequuta est vetustissima Phœnicum Academia, Auctore e profanis Xenophonte, Kiriath-Debir dicta, quasi dicas urbs oratorum sive oratoria, alias & Kiriath-Sepher, civitas literarum sive literaria ae libraria, in Josuæ commentariis clara, cap. xv. 15. non temere Levitis donata. Jos. xxi. 16. 1. Chron. vii. 59. Ejusmodi quoque bonarum artium & sacrarum literarum collegia Samuelis proculdubio instituto fuere in Bethel, Jericho, colle Dei, Najoth Ramathea, Abela, quam mulier prudens 2. Sam. xx. matrem in Israel appellat, q. d. Hæc civitas *Abila*, quam tu Joab obsidione cinxisti, bonorum ingeniorum ferax, liberarum altrix disciplinarum magistra a multis jam annis fuit: ad quam tanquam commune totius Israelis oraculum, si quis nodus vindice dignus incidisset, relatum, quæsita sententia, auditum responsum: Verosimile, tale quoque scientiarum emporium fuisse in Dothan, quam Elisæus scholarum ea tempestate episcopus atque Rector visitavit, Angelicæ excubiæ muniverunt. Dothan enim lex est, quasi dicas legum explicandarum officium. Floruerunt in his Gymnasiis præter Theologiam Mosaicam studia poetica & musica, quas ab Adamo ad hæc usque secula deduximus in oratione de Spiritus S. poesi. In hoc sane, præsenti seculorum ordine vidisses totos Poetarum æque ac Prophetarum cuneos in Hebræo helicone colle Dei in collegia distributos, qui cum afflarent cytharas cœlitus afflati laudes divinas cecinerunt, harmonia vocum cum symphonia fidium paria faciente, quorum eruditæ tibiæ cum se miscuisset aliquando Saulis agrestis avena, sed & ipsa divinitus concitata, proverbio famam dedit: quid Saul inter prophetas? quid argutos interstrepit anser olores? Phœnix in entheato poetarum choro David fuit e pastore ovium cytharœdus Rex, qui divina oracula in odas, hymnos, psalmos dispensavit, dispensata magistro symphoniæ ad jugem repetitionem commendavit, commendata æternitati consecravit. Longum esset regium Salomonis armation, quod plagio violavit Theocritus Idylliographus, ut in prædicta oratione ostendimus. Observasses jamdum in tonos cantuum differentias figuratam Musicam, legas 1. Chron. xv. 20. 21. voces השמינית אל־ עלמות Modum carminis metrumque ex Josepho, Philone, Eusebio, Theodoreto, Hieronymo, Augustino in eadem oratione deduximus, ubi & judicium de Gomari lyra Davidica latum. Sed & militares scholæ a prudentissimo Davide instituta 2. Sam. 1. 18. quibus cum instrumentorum bellicorum aliorum, tum maxime arcus tractandi (in quo Philistæi; quorum virtute tanquam cote Hebræa juventus acuenda fuit, artifices erant) studium exerceretur. Methodum sagittariæ disciplinæ tradidit Vegetius lib. 1. de re milit. cap. xv. E ludo hoc athletico videtur prodiisse par duodenio juvenum sub lanistis Joabo & Abnere crudeliter dimicantium. 2. Sam. 11. 15. Sunt qui velitationem tantum bello decretorio præmissam volunt, eamque strategematicam juxta præceptum illud, quod Vegetius tradidit lib. iii. de R. M. c. ix. Si adversarium intelligit fortiorem, certamen publicum vitet: id spectasse Abnerem impotentiorem, ut traheret hujusmodi duellis diem in noctem, cujus præsidio tutius evaderet. Sunt qui prælium divinatorium fuisse contendunt, simile illi veterum Germanorum apud Tacitum, qui ejus gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum patriis quemque armis committunt; victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur. Conf. Piccart. in observat. hist. polit. decad. iii. cap. v. Vero tamen similius, fuisse ludum gladiatorium in oblectationem imperatorum institutum, cujus alea collusorum vita fuit. Gemina illi Romanorum Saturnalia integro commentario a J. Lipsio expolicata. Barbarum sane ludendi genus, & longe diversum in nostris quoque rebuspublicis: permissa legibusque adstricta palæstra gladiatoria, quæ non vulnera primo, sed artem cæsim punctimque pugnandi declinandæ vel petendæ plagæ spectat. Adde mercaturæ studia, de quibus infra in Salamone.

II. Forma politiæ hujus fuit monarchico-aristocratica synedrii eminentia temperata: id quod optimis argumentis demonstrat H. Grotius lib. i. de S. B. cap. iii. pag. 80. cujus expilare scrinia non lubet. Unde inter Mosis instituta retulit Josephus illud: Nihil agat Rex, nisi de Pontificis & Seniorum sententia. Unde & Nabothum Achab non potuit ad necem damnare insciis ac invitis senioribus. Quod adeo verum, ut Rex certo casu potuerit in jus vocari, potuerit & repulsando puniri, id quod Schickardus egregie docuit in theorem. vii. Juris Regii Hebræorum. p. 86. Monumentis Rabbinicis eandem majestatis mixtionem docet Schikardus l. c. theorem. ii. p. 7. Synedrii insuper jus erat eligere Regem. Quomodo? & qualem? & quo unctionis ritu? consulendus idem Schick.

Schick. theorem. III. & IV. ubi multa memorabilia politica inspersa reperias. Quanquam ut omnia Hebræorum officia, ita & regia dignitas hæreditaria fuit & successiva, de quo successionis jure, iterum videndus Schikardus theor. XX. pag. 177. Jus Regium hic nobis præcipue exponendum est, ac primum quidem legale, quod geminum erat; Unum antiquum a Mose intimatum, Deo propitio dictatum, quod extat Deut. XVII. 15. Quo primum edicitur legis ad memoriam solidandam bina descriptio propria manu facta. Notat enim τό משנה duplum, alioquin nihil seorsim diceretur Regi, cum & reliquis Israelitis incubuerit descriptio una juxta Maimonidem apud Schick. theor. V. p. 32. Debuit Rex unum exemplar secum semper circumferre, semper legere: qua flagrantia? qua cura? denuo videndus Schik. theor. VI. p. 49. Ut ita Regis os esset quasi cœleste oraculum, juxta illud Proverb. XVI. 10. Divinatio in labiis Regis. Interdicitur deinde electio Regis alienigenæ: addunt Hebræi fœminæ & cerdonis, apud Schick. theor. Tertio Equorum copia, adjuncta ratione ne confisus populum Ægyptum reducat. Schick. theor. X. Quarto Polygamia ad cavendam a Deo apostasiam, quæ prohibitio licet comparata fuerit, ut non male exponit Rivetus Exercit. XV. in Genesin, tamen absolutam nequaquam excludit. Quinto πλεονεξία, cum satius sit ditescere populum, quam Principem, quod exemplis declarat Aristoteles in œcumenicis. Conf. Corn. a Lap. ad Proverb. Cap. XIV. p. 348. & Schick. theorem. XI. Sexto superbia in fratres vid. Schick. th. XII. XIII. Totaque adeo prævaricatio quæ lege, Dei cui fortius quam quisque Israelitarum innodatus Rex fuit v. Schick. theor. VII. Alterum jus sumtum magis fuit, quam datum, Deoque irato & irritato permissum, quod Samuel non tam dictitat, quam præsagit. I. Sam. VIII. 9. usque ad 18. Ubi cum Samuel Jus regium proponit, sine dubio non loquitur de jure justo ac legitimo, longe enim hoc ab illo antiquiori discrepat: Nec & de nudo facto, nihil enim esset in eo eximium, cum injurias facere & privati privatis soleant: sed de tali facto, quod conjunctum erat cum effectu obligatorio ad non resistendum, ut nihil superesset, nisi pœnitens ad Deum vindicem provocatio. Vid. monit. Schikard. th. VII. p. 65. Quam gravia Reges hoc jus sequuti subditis imposuerint vectigalia, docuit Salomon, qui populum sic gravavit, ut ab illo se revelare voluerit, neque filius leviora cogitabat, sed cum supremum se dominum existimaret, & populi bona suam esse possessionem arbitraretur, respondit inclementer & barbare: Pater meus aggravavit &c. hæc notat Sanctius ad h. l. p. 172. Hoc jure damnatus Naboth in judicio corrupto per testimonium exemtum in lingua serva, ex hujus juris tenore: Jus Regis esto agros & vineas & oliveta optima tollere. Stabat a Naboth jus longe antiquius de non permutando paterno prædio. Levit. XXV. 23. At vis prævaluit, vis veteratorie dissimulata; nam oppidi judicibus cognitio permissa, ut speciem majorem juris, minusque odii res tota haberet, [Imaginem cognitionis dixit Tacitus Annal. III.] & Jejunium intimatum, quo magis credat populus, rem pie agi & Naboth ὁ τοῦ γένους ἐπιφανοῦς, teste Josepho, inter primos populi collocatus, ne odio damnasse crederentur, quem ipsi honoravissent; sed religione coacti cum summo suo dolore. Videndus Nabothicæ innocentiæ patronus Ambrosius lib. III. offic. c. IX. Adde ejusdem Comment. de Naboth. Frustra hic quæritur de colore justo, quo induta Nabothici fundi perempto jam Domino invasio? Nam regi barbaro ac tyranno vis jus est, quamvis & prophasis esse potuerit, jus regii fisci, cui bona caduca [nam & prolem Nabothi occisam colligitur ex 2. Reg. IX. 26.] adjudicari solent. 2. Sam. IX. 7. Mitius suo jure usus est Rex David qui maluit aream Arephne nummo emere, quam vi extorquere, 2. Sam. ult. vers. 21. De jure regio a Samuele descripto inque sanctuario deposito videndus Sanctius ad 2. Sam. XII. 25.

III. Deinde jus axiomaticum, alias jus majestatis hyperepiscopicum, Sacerdotum dignitate eminentius; unde Regem pontifex venerari debuit, adsurgere venienti, cedere sedenti, uti e Maimonide probat Cunæus lib. I. de R. E. cap. XIV. (p. 87. sq.) omni coactiva jurisdictione destitutus, quæ in solidum potestati regiæ manebat, quamvis sacerdoti denunciare licuerit, quod lex divina fieri cogit, vetatque 2. Chronic. XXVI. 20. Absurda est Bellarmini comparatio in lib. contra Baraclajum cap. XXXVII. Si ob lepram corporalem potuit Sacerdos Oziam regno privare, quidni hodie Pontifex idem in regem possit ob lepram spiritualem, hoc est hæresin? Probet enim Oziam ab Asaria regno privatum aut regia dignitate exutum, etsi juxta Dei legem consortio hominum semotus fuerit. Id quod & de propheta accipiendum,

dum, qui Regi exemplo Nathanis reverentiam debuit extra actum propheticum, in quo constitutus immediato Dei impulsu fretus, imperare Regi adde & minaci oratione exprobrare poterat. I. Reg. XIIX. clavem itidem adhibere. 2. Sam. XII. 7. qua autem discretione? Videndus H. Grotius de imperio S. I. cap. IX. p. 223. Nec Regis jussibus parere tenebatur. 2. Reg. I. 9. quanquam prudenter cum Rege agi decuerit, & si non aliter commoveri regius animus potuit, affectus proprios in fabellas transverti, calumniam factis eludere jocis fas erat, quod Phædrus de servitute dixit. Vide I. Reg. XX. 39. Quin & Ironia ex gestibus facile perceptibili insana consilia irridere. I. Reg. XXI. 15. Unde nec prophetarum consilia, tanquam oris Dominici oracula in rebus arduis susque habere Rex debuit. ἱερὸν γὰρ ἡ βȣλή: quo fine a Balaco Bileam adscitus, a Joaso Jojadas in pretio habitus, a Joramo Elisæus requisitus, ab Ozias a Zacharia perpendit. Scribæ magistratibus Hebræis adsidui erant, ut notat ad Matth. II. p. 31. H. Grotius. De negotiis mixtis res clara est, sed & in mere politicis principis conscientia informanda eque verbo Dei solidanda est. Unde non possumus non laudare substantiam consilii conscientiarii apud adversarios erecti: non idem adhærentia vitia: quemadmodum & Christus substantiam prudentiæ in Oeconomo injusto commendavit. Vide Bernegg. quæst. LVI. ad Tacitum. Dependebat a regio sceptro speciatim I. pontificis auctoratio & exauctoratio. I. Reg. II. 27. I. Chron. XXIX. 21. Salomon sane non ut propheta, quamvis cum respectu ad vaticinium propheticum de domo Eli, sed ut Rex ex Regio officio utriusque tabulæ custode Abjatharem loco movit, juste tanquam ordinarius judex longeque justiori titulo, quam Saul sacerdotum interfector, cujus judicio restiterunt Satellites non quod Sacerdotes exemtos a judicio regio putassent, sed immanitate notoria absterriti. Quæ hic notamus contra instantias Bellarmini lib. II. De R. P. c. XIX. & Saliani ad A. CIↃ CIↃ CIↃXXIII. v. XV. Deinde 2. Liturgiæ sacræ institutio, orthotaxiæ ac ephemeriæ dispositio I. Chron. X. 22. XVI. 4. XXIII. 24. 25. 2. Chron. IIX. 26. XVII. 8. 9. XXIX. 15 XXXV. I. 4. 15. Nihil sunt Becani sophismata pro ἐξȣσίᾳ & excellentia Pontificis supra Regem Hebræum adornata, opusculo VII. cap. IIX. deducta ex principatu I. originis, quæ in Pontificatu a Deo fuit, in Regno ex populi importunitate 2. familiæ, quæ illic Levitica & sacra, e qua sola Pontifici licuit uxorem ducere. Levit. XXI. 24. hic promiscua quævis: 3. inaugurationis ac unctionis oleo sancto factæ, solennioris ac ordinariæ. 4. ornamentorum apud Syrac. cap. XLI. 5. officii a regia potestate independentis, cum regia potestas a sacerdotali penderet: supremi in controversiis legalibus ac amplioris regia. Resp. ad I. regiam dignitatem in Saule non primum inchoatam, sed a Deo per judices ab antiquo & retrorsum usurpatum. Ad 2. Esto sanctior fuerit tribus Levi, majestate tamen potentior non fuit. Ad 3. solennis sacratione fuerit inauguratio sacerdotalis, non tamen potestate eminuit, quid quod sacrum quoque oleum Regibus adhibitum fuisse contendat Sanctius ad I. Sam. X. p. 193. Conf. Salian. ad A. CIↃ CIↃ IↃ CCCCLXII. n. 80. ad An. CIↃ CIↃ IↃ CCCCLXIX. num. 7. & 8. Ad 4. Nitidior pontificis ornatus typi symbolum fuit, non ἐξȣσίας. Ad 5. officium Sacerdotale independens fuit, quoad τὰ ἔσω, non item quoad τὰ ἔξω. Esto, nullo casu potuerit Rex œconomiam Ecclesiasticam suscipere, cum nullum tantæ necessitatis periculum fuerit: potuit tamen aliquo casu Rex succurrere Ecclesiæ in casu sacerdotii corrupti & lupescentis. Neque Levitarum pro primogenitis acceptio actum exemtionis probat, sed actum consecrationis tantum, qua paterno potius, quam regio juri derogatum erat: Esto, exemti fuerint Levitæ a quibusdam onerosis, non tamen ab omni regia jurisdictione. A Jojadæ exemplo in Athaliam filiam Jezebelis jus ac arma distringentis nihil pro se impetrat, Bellarminus contra Barclai. cap. XXXVIII. cum in tyrannum titulo justo ad breve tempus toleratum, nunquam autem receptum, quilibet homo privatus multo magis unus ex proceribus miles esse potuerit. Tertio 3. Cura orthodoxiæ, cujus neglectus regibus frequenter imputatus, studium celebratum in Davide, Salamone, Asa, Josaphato, Hiskia, Josia: Reformatio commendata exstat. I. Reg. XV. 12. 2. Chron. XXXIV. 33. culpata contra segnities in excelsis amovendis I. Reg. XV. 14. quia fortassis turbas timuere a populari furore antiqui deamati moris justo tenaciori.

IV. Secundo Jus Vectigalium ac tributorum immo directe exactorum a Salamone ac in luxum fastumque mulierum collocatorum, qui cum non amplius tonderet, sed degluberet pecus, schismati regni insanabili ansam dedit.

De

De immoderato hujusmodi vectigalium pondere videndi Philo lib. de creatione principum, Cassiodorus lib. IV. variarum historiarum cap. 38. Nazianzenus Orat. 14. in Julianum, ubi inter alia. Quo modo, inquit, alios descripserimus in libro rationum & census, eodem ipsi quoque describemur. Hanc descriptionem si facilem & accomodam experiri cupis fac te commodum nobis ac humanum præbeas: optima tributi ratio ea est, quæ divites præ egenis onerat, & quidem pro divitiarum modo & proventuum magis, quam patrimonii quanto. Exempla legas 2. Reg. XV. 19. & XXIII. 35. Debentur tributa non solum in exercitus alendos pro pace publica tuenda, aliaque Reipublicæ commoda provehenda, sed & in victum ac ornatum regium: omnia tamen in αὐταρκείας legem. Vide illustrem locum Jerem. XXII. 16. 17. intra itidem prudentia orbitam: Ita enim Rex agri fœnora captet, ut & maneat servus agri. Eccles. V. 8. Tertio Jus judiciarium egregie iterum & a Schickardo ex Hebræorum monumentis expositum J. R. theorem. XIV. ubi legas de judicio censorio τῶν שטרים h. e. visitatorum, qui cum fustibus & flagris per plateas urbis circumibant, ut mensuras & pondera examinarent, mores publicos observarent, & si quid pravum offendissent, Magistratui denunciarent: De monito justitiæ ad sex gradus throni Salomonici adclamato, de juris rigorosi mitigatione Regi promissa exemplis ibidem declarata, ne summum summa crux esset, de judicio secundum conscientiam; de quadruplici genere suppliciorum non recte ab omnibus intellecto, & similia lectu non injucunda. Quo & pertinet pœna carceris. Jerem. XXXII. 2. ad quem locum videndus C. Sanctius p. 701. Confiscatio bonorum ejus, qui patriæ solum vertisset, magna tamen cum moderatione ut notat H. Grotius ad 2. Reg. IIX. 3. 6. Servitus idem onerosa obæratis pro debiti mensura incumbens adnexum & liberorum grassata, ut exemplo liquet 2. Reg. IV. Confer. Matth. XVIII. 25. Similis lex apud Romanos fuit, ut tradit Dionysius Halicarn. lib. II. Antiquit. Ro. quæ jus permittebat parentibus adeo liberum in filios, ut illos oblato pretio pro suo arbitratu alienare possent impune, quod suamet ætate fieri graviter dolet Ambrosius lib. de Job. cap. VIII. Jus porro famulitii aulici, in quo exponendo nos iterum vacare jussit Schickardus theor. VIII. Ubi & de morionibus aulicis nonnulla legas, pag. 67. quorum si sunt simplices, abuti simplicitate non decet ad ludibrium; si mente capti, multo minus, sicut nec cœco illudere fas est. Dominus enim est, qui videntem & cœcum facit. Exod. IV. 15. si ingeniosi permitti possunt cœteris paribus tanquam parrhesiastæ, eo quod magnis fastigiis nihil tam desit, quam qui verum dicat. Non legas facile exemplum morionum aulicorum in aulis Regum Hebræorum, sed in barbarorum quidem. Achis sane praviter in illos indignatus est 1. Sam. XXI. 24. qui furiosum & desipientem hominem adduxerunt, quasi dedecori fuerit regiæ domui in illam stolidum hominem induci. Itaque procul eum arceri jussit; satis inquiens, stultorum est in Palæstina, neque aliunde adsciscere oportet. Leo ferarum generosissimus, non aliam bestiam magis odit, quam simiam: ajunt & febri correptum etsi ad furorem exæstuet, simiæ tamen pastione convalescere: eo quod simia cum potest, ex arbore leonis caudæ insiliat, ac quibus potest modis illi suo Regi illudat. vide Pier. Hierogly lib. 1. cap. X. Jus denique Belli, de quo iterum Schickard. theorem. XVI. cui quod addamus non succurrit. Jus item armandiæ ac munitionum. Quanquam enim nunquam magis tuta civitas Hebræa fuit, quam dum Deo nixi & in fide constantes religionis gratia humano auxilio destituti cives videbantur, juxta promissum Exod. XXVIII. quomudo & a tela araneæ defensus fuit David, juxta Chaldaicam paraphrasin in Psalm. LVII. tamen fide populi deficiente extraque religionis negotium armis ac munimentis opus fuit. 2. Chron. XI. 5. 12. XXVI. 15.

V. Exempla clariora in utramque partem sunt ista 1. Regum non amplius ut pridem in Canaitide terra regulorum. Unde enim tot quorum fit mentio in ea terrarum angustia Reges? Respondet ad hoc problema Serarius ad Josuæ XII. quæst. 2. p. 304. Sanctius in prolegom. Jobi proleg. IV. p. 7. Primus Regum Saul fuit e vilissima tribu ac tribus novissima familia oriundus. 1. Sam IX. 22. Ut hinc intelligamus antiquam Dei methodum ex nihilo aliquid faciendi. Fuisse autem tribum Benjamin contemtissimam, ex eo patet, quia tribus Judæ accessio tantum, & quædam quasi mantissa habita est, a qua tribu Judæ nomine quasi amisso absorpta. Imperavit omnino Rehabeam super Juda & Benjamin 2. Chron. XI. 1. & tamen tanquam hæc nulla esset, una tantum tribus dicitur sequuta domum Davidis 2. Sam. XI. & XII. Caussa est, non quia Benjamin natu minimus fuit, sed ob immane scelus im-

impune admissum, & ex hoc stragem, quam jure sustinuit, Judic. XXI. Unde & minus mirabimur rusticationem & post regiam purpuram nondum desuetam, quanquam & eo tempore quæstus e lana detonsa regios filios non decere visus est. 2. Sam. XIII. 23. Idem Saul admirandus fuit ob dona, quibus eminuit 1. naturæ; non enim solus Anchises apud Maronem lib. VIII.

Cunctis altior ibat.

Sed & Saul 1. Sam. IX. 2. Videtur hic Deus alias formæ externæ in eligendo Rege quasi incurius, 1. Sam. XVI. 8. gratificari populo novarum rerum studioso voluisse, ne quid desideraret in suo Rege, quod pleræque gentes in suis Regibus commendarent. 2. Gratiæ supernaturalis gratis datæ, ut vocant scholæ, in impios & cadentis, temperantiæ, cujus specimen exstat. 1. Sam. X. 11. XIX. 20. Unde proverbium: Num & Saul inter Prophetas: num corvus in Musas; an argutos interstrepit anser olores: ne sutor ultra crepidam. Vide Mart. Del-Rio Adag. Sacr. adag. 178. p. 191. 3. Fortunæ regiæ, bono omine signatæ, armi quem ei cocus ex jussu Samuelis proposuit, sinistri. 1. Sam. IX. 24. ut esset hieroglyphicum symbolum cum regiæ dignitatis, tum regii roboris quasi ossei, quod giganteos humeros requirat. Vide Sanctium ad h. l. p. 187. Similia omina & quasi chriæ activæ apud veteres fuere diademata, i. e. albi coloris fasciæ plenitatis ac mansuetudinis symbola, eo quod Rex apum in fronte maculam habeat, quasi quodam diademate candicantem apud Plinium. Vitellio transmissuro Euphraten prosperum tanquam placati Euphratis iter sunt ominati milites, quod, ut habet Tacitus, albentibus, spumis in modum diadematis orbes sinuarit, auspicium prosperi transgressus. Item sagittæ emissio in hostilem terram victoriæ præsaga exstitit. 2. Reg. XIII. 14. de Alexandro Justinus lib. II. scribit; cum delati in continentem essent, primus Alexander jaculum velut in hostilem terram jqcit.

Ecquis erit mecum (ita Turnus apud Virgil. Æn. IX.) juvenis, qui primus in hostem:

En ait, & jaculum intorquens emittit in auras,

Principium pugnæ.

Vide Gell. lib. XVI. N. A. cap. XIV. Alexandrum ab Alex. lib. IV. cap. III. Rosin. lib. V. antiquit. Rom. cap. I. 4. Gloriæ virtutum, cum parvulus adhuc esset in oculis suis 1. Sam. XV. 17. Nam tunc modeste horruit regni fasces, seque domi sui abscondidit 1. Sam. X. 22. Eund. in sublimi jam forte constitutum, non puduit aratri, magno & modestiæ & prudentiæ argumento: Homines Belial. h. est jugi impatientes incredibili mansuetudine tulit dissimulans se audire 1. Sam. X. 27. nonne quia novum imperium inchoantibus, utilis est clementiæ fama, apud Tacit. Hist. 18. unde & 1. Sam. X. 13. in die parte victoriæ misericordiæ occasionem corripuit. Quem diem vacuum pœna, ubi inter sacra & vota, quo tempore verbis & abstineri mos esset, vincula & laqueus inducuntur? ajunt patres de Tiberii sævitia quærentes ap. Tacit. Annot. IV. Longe sit Rex in suis, quam in alienis exorabilior injuriis, inquit Seneca lib. 1. de Clem. cap. XX.

Virtutes Saulis maxime militares complexus est in sua parentatione David, quæ exstat 2. Sam. 1. majori Saulis an Davidis elogio? non facile dixerim. Nam Regis ac soceri tam malevoli ex animo plangere mortem, & vestimenta discindere ac montes execrari, in quibus illum cecidisse cognovit, ad effectus significationem ingenii generosi liquidissima sunt argumenta. Vide exegesin lessus Davidici in Sopranis Davide p. 227. Inimicitias morte finiendas neque in defunctos hyænæ instar sæviendum egregiis exemplis docet Piccart Dec. V. Observat. historico polit. c. VI.

Quantæ autem cunque hæ Saulis virtutes fuerunt, tamen vitiis si non superatæ, certe æquatæ sunt. Ut sunt 1. in pietate Hypocrysis, quam obtentui duxit obstrepentibus ovibus & Agago reipsa contradicente, cui perpecit seu stulta misericordia, seu ambitu triumphi lautioris, si tam elegantem Regis formam in Pompa traduceret. Unde & gloriæ fornicem arcumve triumphalem (non quod Moses olim fecit Domino. Exod. XVII. 15. sed.) Sibi erexit 1. Sam. XV. 12. 20. 21. Sunt qui ὑποκρίσει quoque imputant excisionem fœderatorum Gibeonitarum, 1. Sam. XXI. 2. Zelum vindicandæ & propagandæ religionis præseferendo. Ita quem per religionem necare debuit, peperit: & quos per eandem religionem non debuit, necavit. 2. In imperio & consiliis præcipitantia. En enim insanam populi adjurationem ex abdicato divino oraculo natam 1. Sam. XIV. 19. 24. Defendit hoc facinus ut pium Ambrosius. Serm. XXV. de quadragesima; sed ut diabolicum damnat Chrysostomus homil. XIV. ad populum Antiochenum. Nobis insanum magis, quam vel pium vel impium, utpote in re indifferenti videtur, Nam & diu

diu pugnantibus cibus temere interdictus, & pœna delicto gravior decreta fuit. Obstat approbatio edicti regii divina. Deus enim respondere nolebat ob violatum a Jonathane regium edictum, & sortem ita temperavit, ut Jonathas proderetur. Etenim alia causa subfuit irati Numinis, nimirum violatio edicti regii etsi insani. Cui simpliciter in re indifferenti parendum fuerat; quin & lex promulgata ignorantem obligat, uti Becanus tract. de legibus non male disputat. Unde & permissa sorris proditio, ut furorem suum Pater acerba filii sorte lueret. Tam autem postea rescindi hoc juramentum potuit, quam Jephtæum votum, imprudenter jactum, proinde & contrario populi (deprecatorio magis, quam imperatorio) juramento rescissum fuit. Tacite enim a juramento excipiebatur ignorans. Quanquam male ab hoc exemplo, ut nonnullorum fert opinio, mors invaluit dimittendi malefici in die festo ad populi postulatum: quo liberatus fuit Barrabas in historia passionis dominicæ. Vide post Tostatum, Abulensem, Sanctium ad 1. Sam. XIV. p. 273. In affectu quo exarsus in Davidem insontem, invidia (ad psaltriarum triumphale canticum ore & applausu totius populi decantatum primum accensa: Geminum exemplum e profanis habet Xenophon Cyropæd. lib. IV. de quodam Assyriorum Rege in Generum suum Gobriam debacchante) & iracundia plusquam tyrannica, ita furiosa ut recti vix species aut prætextus apparuerit. Nam quæ a Soprane in suo Davide 101. pag. excogitata est recti species, hujusmodi est, ut in virorum bonorum senatu facile difflari possit. Esto, suspicio de Davide, successore non æmulo, aut ansectatore sceptri regii, fuerit vera; tamen non fuit justa persequendi causa: inque divinam agendi libertatem cyclopice insolens. De Saule dici possunt illa Sophorum Romanorum: Regibus suspecti sunt, qui excellunt. Aliena illis virtus formidolosa est: sinistra illis erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala. Sicut Geometræ αἰτήματα quædam habent; sic Regum αἴτημα est, ut suæ securitatis causa quemvis liceat occidere. Non multum absimile exemplum de Carolo Philippi Hispaniarum Regis filio memorat Strada lib. VII. belli Belg. p. 317. Adeundus hic omnino Beneggerus, & legenda quæstio CLXXI. in Tacitum: An principi consultum sit vividos suorum animos deprimere. Sorte demum fuit miserrimus, ut qui pridem a Satana abreptus, sic tamen ut adhuc haberet liberum rationis usum: id quod ex intorsione hastæ ingeniose colligit C. Sanctius ad. 1. Sam. XVIII. pag. 368. Ejusdem Satanæ furiis incaluit ad impietatem cruentam, consilia vesana, necromantiæ & Pseudo-Samuelis implorata responsa, donec Spiritum inferno, utpote in peccatis suis mortuus 1. Chron. X. 13. miserit, corpus suomet gladio transfixerit. Quod factum cum Hebræi & hos sequutus Lyranus tuentur ut fortiter factum, frustra sunt. Vide Ambrosium in cap. IX. ad Rom. Hieronym. in Ezech. XIX. Bernard. serm. XXVI. in Cantica. Augustin. de C. D. l. 17. seqq. Sane si mortem a Philistæis inferendam timuit Saul, quæ, rogo, stultitia est, ne moriare mori? Si probra & dedecora mortis, non debuit æterno dedecore temporale redimere, quod mortuus evadere non potuit. Quos in eum triumphos egerint, videndus Sanctius ad 1. Sam. XXXV. p. 521. seqq. Adde quæ ad morem circumlati capitis hostilis notavit Cl. Freinshemius ad Flori IV. *9. 6.*

VI. Saulem sequutus (non statim quoad jus in re; hoc enim mansit Sauli quoad vixit; sed quoad jus ad rem) David Hebrææ gentis incomparabile decus: ortu Jessæus e tribu Juda, illustris lumine nobilitatis in seros nepotes propagandæ: 1. Reg. XI. *36.* corpore elegans. 1. Sam. XVI. 12. rufus ac Martium quiddam tuens, teste Josepho VI. *9.* indole animi ac virtute simplex ac humilis 1. Sam. XVII. *39.* ut quem non puduerit servitiorum post unctionem regiam, miratus sibi regiam sponsam promitti, qui, si turgidos habuisset Spiritus, facile potuisset suam familiam ex Juda oriundam æquiparare vilissimæ Saulis domui; ac in se per omnem vitam pulcherrime expresserit illud sapientiæ documentum, veteris fortunæ memoriam retinendam esse, illustratum a Piccarto Decad. IV. cap. III. pag. 191. In juvenili ætate bonarum artium, maxime Musicæ & Poeseos studiosus, ovium pastor fidelis, exercitatissimus in fundæ jactu, animosus, atque hinc leonicida ac ursicida 1. Sam. XVII. 34. Confer. Syrac. XLVII. 3. quamvis bellicarum artium rudis ac ideo puer, non corporis exiguitate, ut vulgo creditur, quem si in eo Saul spectasset, non tam fuisset absurdus, ut ei regia arma induisset. 1. Sam. XVII. 33. & 38. Confer. Sanct. p. 346. & Sopranem pag. *63.* tyrocinio victor Goliathi: ubi tria ad politicam pertinentia observes licet. 1. Audaciam non esse, sed fiduciam, quæ Dei Spiritu concitante ad he-

heroica facinora sese instruit. 2. a Duce exercitus præcipuo trucidato plerumque malum omen concipi & panicum incuti terrorem. Unde Lacedæmones & Romani Imperatores suos puniceis, ac purpureis uti vestibus voluere, ne concolor e vulnere sanguis exercitui animos adimeret. Vide Valer. Max. II. 6. Conf. Plutarch. in Areto & Lucullo. 3. Tum duellum Davidico-Goliathicum non prostare in exemplum imitationis, seu ad privatam, seu publicam vindictam: non ad illam, quia privata non fuit nemesis, qua David ad conflictum accensus est: Ipsa etiam hujusmodi monomachia per se mala est, nec ullo justo titulo condecorari potest, ut demonstravimus in lactis Catech. P. II. 244. Non ad hanc, quia quod David suscepit duellum, heroicum fuit: ordinariæ autem prudentiæ non est in re tanti discriminis, in quo cardo belli vertitur, omnes reipublicæ fortunas uni quasi alæ jactui exponere, quanquam non desint exempla eorum, qui, ut amat loqui Florus, bellum hoc modo in compendium vel misere, vel mittere voluere, Menelaus & Paris apud Homerum, Æneas & Turnus apud Vergilium, Horatii & Curiatii apud Livium. Conf. Val. Max. III. 2. Gell. IX. 11. & 13. Mart. Del-Rio lib. IV. Disquisit. Magic. cap. IV. quæst. IV. sect. 2. Zvvingerum volum. VIII. lib. IV. p. 22. 3. Sorte ac dignitate primum Aulicus ac Regis citharoedus, in quo nullam facile boni aulici virtutem desideres, quam in suo aulico exegere post alios Piccardus Dec. IV. cap. 1. pag. 181. & Scribanius in Politico Christiano cap. XI. p. 163. deinde Chiliarcha voto Regis in victimam expositus, eventu mirum quantum felix. 1. Sam. XVIII. 13. tum gener regius, cui filia centum hostium præputiis sine dubio ad conspectum allatis magno suimet capitis discrimine coemenda desponsata fuit: δῶρον scil. ἄδωρον, poculum venenatum saccaro illitum. Futurum enim putabat Saul, ut filiam in prodendo conjugem haberet obsequentem, neque nescius erat fœminarum blanditias ad quidvis persuadendum esse potentissimas: Vide Sopran. p. 91. seqq. sed Micholmaluit Davidis esse uxor, quam Saulis filia, quem ingeniosa simulatione fefellit. 1. Sam. XIX. 13. Vide Sopran. p. 101. ubi ingeniosum mulieris factum ingeniosius illustratum reperias. In quo facto simulatio facilius defendi potest, quam mendacium per ea, quæ de hoc argumento proposuimus P. I. Lact. Catech. p. 442. Denique Rex divina sorte manu Samuelis unctus, qua & quam prudenti cautione, qua consilii ocultatione? ne quid durius a barbaro Rege Saule vel ipse Samuel, vel David, vel Isai familia, sustinere cogeretur. Apparet ex 1. Sam. XVI. Recte ille potuit unam veritatem, quæ fuit sacrificii intentio exprimere, premere contra alteram, de unctione regia: Ceremoniam unctionis palam adhibere, finem autem unctionis soli Davidi ac Davidis patri in aurem insusurrare, auctore Josepho VI. 9. Adde Sopran. p. 40. Caussas justi timoris in Samuele exponit idem Sopranes p. 30. & 31. Idem ibid. absolvit Samuelem a mendacii dica, impie autem hujus loci occasione tuetur æquivocationes & pias fraudes. Nulli autem Regi contigit promissio perpetuandi regni in sempiternum, præterquam Davidi. Quod absolute completum fuit in filio ejus Christo θεανθρώπῳ, conditionate nec filiis reliquis. Unde pactum Sauli promissum 2. Chron. XIII. cum grano salis accipiendum.

VII. Rex itaque David fuit 1. ex asse pius, omnibusque regibus sequentibus in exemplum positus, verissimum voluntatis divinæ heliotropium, qui fecerit rectum in oculis Domini excepta caussa Uriæ 1. Reg. XV. 5. Reliqua peccata vel infirmitatis fuere, vel in comparatione minora, vel non regis propria fuere. Infirmitatis fuit illa præceps ira in Nabalem, iniquissime recusantem pauperi militi stipem de sua abundantia (Vide hæc illustrantem Sopran. pag. 157. 161. 162. adde ibi excusationem Abigailis. p. 164.) eque ira nata exsecratio. 1. Sam. XXV. 22. Item polygamia, quam ita arcte prohibitam ignoravit, communi cum patribus superioribus errore. Mendacium officiosum in summa necessitate ad huc quoque infirmitatis locum refert Sopranus ad 1. Sam. XXI. pag. 117. Confer. eundem absolventem Davidem a causa necis sacerdotalis ad 1. Sam. XXII. pag. 133. De numeratione populi ita non abs re sentit Lucas Osiander in sua paraphrasi ad 1. Regum XV. p. 789. Quod populum David numerari jusserat, id quidem peccatum fuit, sed tamen pœnæ subsequentis causa major erat in populo, qui antea multum peccaverat, quam in Rege: Regis vero erratum occasionem Deo præbuit justam, ut peccata populi tum juste puniret. Populus sane expers criminis non fuit, sed proditæ fidei in seditione Absolonica reus juxta Theodoretum, quæst. 37. Adeo verum est, seram quandoque esse numinis vindictam. In ipso censu populi peccatum est contra legem Exodicam

dicam XXX. 12. cum a Rege ambitiose sibi censum arrogante, quem Deus in recognitionem sui dominii sibi soli reservaverit, tum a populo, qui non dependit dimidium siclum Deo debitum. Quod vero causam Uriæ attinet, fuit illud peccatum sine dubio atrocissimum cum gradu, tum cumulo admissum a Rege tam pridem sancto, tam exoptato, Spiritus S. templo, tot immensis beneficiis numini devincto, a Rege deceptore simplicis Uriæ, quem sub specie gratiæ Regiæ bonis verbis, muneribus, inebriatione (qua pruritum adeundæ uxoris excitaret) pellicere voluit, ut ovis a se positis incubaret. Denique Bellerophontæis literis, quæ in ferale Theta desinebant. Unde quia exemplo scandalosissimo peccavit, in exemplum clarissimum justa retaliatione mulctatus est.

VIII. Fortissimus & magnanimus. De fortitudine testatur Husai 2. Sam. XVII. 8. ad quam proverbialem phrasin obiter observanda causa physica, cur ursa suis fœtibus orbata tantopere sæviat? quia scilicet illi filiorum procreatio atque formatio pluris constat, quam alicui alteri animantium generi. Videndi Plinius VIII. 39. & Ælianus II. 19. Atque hinc terror gentium vicinarum. 1. Chron. XV. 18. XVIII. 8. Ad magnanimitatis laudem pertinet moderatio utriusque fortunæ incredibilis, vento suaviter adspirante mansit τετράγωνος, duriter respirante idem. Id quod clare pelluxit in ea, quam sustinuit a filio perduelli, seditione, in qua advertenda censemus seditionis auctorem, caussam, socois, sociorum consilia, eventum &, quod caput est, Davidis magnanimitatem. Caput totius tragœdiæ Absolon fuit, Davidis (Ammone occiso, Chileabo in pueritia, uti veresimile est, cum ejus post locum mox citandum, nulla amplius fiat mentio mortuo) filius primogenitus. 2. Sam. III. 20. Cui jure naturæ gentiumque videbatur successio in regno deberi. Exod. II. 5. 2. Reg. III. 27. 2. Chron. XXI. 3. De Artamene Darii primogenito videndus Justinus lib. II. deque toto primogenituræ jure legendi Tiraquellus de jure primogenituræ, Arnisæus Polit. c. IX. p. 76. seqq. Heider. System. polit. cap. V. p. 803. seqq. Quanquam Deo præsertim intercedente, quod hic factum est, 1. Chron. VIII. 5. jure Hebræo Regibus licebat e filiis eligere, quemcunque regno idoneum censuissent. 1. Reg. I. 2. Fuit ita in Republica Hebræa successio electione temperata, & sic quæstio decisa, Electio successioni, an contra, præstet? quam definit. J. Lipsius lib. II. Monit. Polit. c. 3. & 4. Conf. Schick de J. R. theor. 1. & 2. Hinc factum ut Salomon minimus natu omnibus aliis filiis regnis prælatus, idque ex patris promisso: quorsum Hieronymus in traditionibus Hebræis consolationem Davidicam retulit. 2. XII. Sam. 24. nimirum bono esset animo, non se post obitum mariti fore peccatricem, quod metuebat 1. Reg. 1. 21. non adulteram habitum iri, nec filium ex se natum Spurium, sed regni successorem fore. Ita ex eadem libertate Rehabeam antelatus fuit fratribus, quos habuit, natu majoribus, ut colligere licet l. 2. Chronic. XI. 18. Forma corporis ad miraculum usque præcellens atque hic regno haud ineptus, candidus & talos a vertice pulcher ad imos. Comam alebat. CC. siclos æquantem, pretio potius quam pondere! Quis enim aut persuadeat, aut credat, tam prodigiosam capillorum molem anniversaria tonsione decidisse, quantum non haberent duo ovium & caprarum vellera? Pretium impendisse puellas Solymitanas, ut Absalonicis pro suis uterentur, vero non perquam simile. Unde Salmasius Epist. ad Colvium super 1. Cor. XI. pag. 30. seqq. frustra est negotiosus, quanquam densiorum capillorum fœtum exemplo Absolonis ut per se malum diffamari nolit: Esto, comis suismet intricatus & strangulatus fuerit. Suberat tam eximio naturæ decori animus sine dubio hospes egregius, paternorum spirituum æmulator summorum capax, digna vel barbarorum judicio visa tam elegans forma imperio. At simul ac in ingenium suum migravit, semina virtutum suffocavit, manus fraterno sanguine sub specie amicitiæ nequiter cruentavit, patremque accepit & aversum & adversum, donec tandem res in nervum erupit, ut perduellio fieret lectique paterni temerarius constuprator: Impurior nescias, (Ita Salvianus lib. II. de providentia) an cruentior filius, quia interficere patrem non poterat parricidio, fœdavit incestu. Hactenus caput seditionis. Causa mali fuit cupido regni insana juris primogenituræ prætextu jam devorati, suspicio Salomonicæ successionis, quam homo haud obesæ naris subolfecerat, & desperatio rei cui inhiabat, potiundæ ad ancipitem instigans. Quid enim desperatio non audet? Vide Arnis. lib. II. Polit. cap. IV. p. 377. Fax & flabellum totius sceleris post Satanam pantomimum fuit Architophel ipse suum nomen, quod Latine sonat frater ruinæ, vel frater, qui lapsus est, Davidi pridem a consiliis. 2. Sam. XV. 12. sed ut nonnulli suspican-

cantur, irritatus ſtupro Bethſabæ nepti ſuæ (ut colligere licet ex collatione 2. Sam. xi. 3. & xxiii.) illato, Neſtor ſcil. Hebræus, cujus conſilium οὐρανοπετὲς habitum, verſipellis veterator, patris pridem ſtudiis, poſt filii molitionibus opportuna ſuadens, cui tale conſilium de conſtuprandis patris concubinis ſuggeſſit, quale vix a diabolo exſpectari poſſet. Timens enim (ita Theodoretus quæſt. 33.) ne Nathan Patrem filiumque rurſus conjungeret, deinde ſi fieret reconciliatio, pœnas daret proditionis, extremam illi ſuaſit iniquitatem, ut reconciliationis nullus pateret aditus; tandem malum conſilium conſultori peſſimum voluntaria ſtrangulatione mortis, quæ timebatur dignæ & ignominiæ præventaneæ occupatione letho dedit. Nec meliori fato periit monſtrum naturæ Abſolon, primum conſiliis contrariis confuſus, quæ exſtant 2. Samuel. xvii. 1. Achitophel maturandum putabat negotium, atque Regem adhuc laſſum, timidum, infirmum, inermem, idque a ſe belli duce, opprimendum, conſilio utili atque ad illius temporis articulum opportuno. Ita enim Vegetius iii. 28. occaſionem ſcribit in bello plus interdum, quam virtutem juvare. Apud Lucanum Julius Cæſar. lib. 4. Pharſaliæ.

Dum trepidant, nullo firmatæ robore, partes,
Tolle moras: ſemper nocuit differre paratis.

Juvat annotata Grotiana ad hunc locum adſcribere. Frequenter in bellis omnibus, maxime vero in civilibus, incidit illa deliberatio, feſtinare rectius ſit, an bellum ducere, & majores copias opperiri. Qualis conſultatio egregia inter Othonianos duces Taciti hiſtor. 2. At in hoc tempore, de quo nunc agimus, haud dubie dies pro legitimo Rege erat, primum fuga ex urbe magnum haud dubie pavorem infectantibus ipſum intulerat, quo recente facile ille opprimi potuit. Deinde locum hic habebat hiſt. 1. Daret malorum pœnitentiæ, daret bonorum conſenſui ſpacium: ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcere. Livius nunquam defuturos ait, qui gratiam melioris partis bono publico velint quæſitam. Chuſai contra Davidicæ partis fidelis (an juſte? juſtiſſime, ut qui juſtæ cauſſæ & legitimo Regi plus debuerit, quam filio ſeditioſo in cauſa mala: Unde non omnis proditio culpanda) Achitophelis oraculum contraria ſuada modeſte (ait enim hac vice tanquam miraretur viri alias ſemper prudentis deliquium) refellit: quod 1. hoſtis præſertim tam animoſus, tam fortis ad deſperationem non ſit adigendus, futurum ut ſi vincatur Abſolon, uno momento ſpes omnis decollet populo ex omine primo futura mala conjectaturo & caſtra deſerturo: quod 2. incertum ſit, ubi lateat David, jam olim cum a Saule vexaretur, deſertis & cavernis montium adſuetus; fruſtra hinc populum defatigari; prius indagandum eſſe hoſtem totius Iſraelis communi opera roris inſtar terram occupatura, ne rima ſuperſit, qua evadat. Scilicet, ut venatores ſolent, ſaltus occupare & feras in circumferentiam & extrema impellere, quam oppugnandum: quod 3. Abſolonis imperatoris præſentia opus ſit, quæ quid in bello poſſit, docuere Plinius in Panegyric. & Onoſander Strategicus cap. xlii. Eventus belli fuit, qui docet eos, qui in cœlum ſpuunt, ut in ſe ſpuant. Nam cui milites mandati regii memores pepercerant, eum quercus comprehendit divinæ vindictæ adminiſtra, quercus ſcil. pro columna marmorea, quam ſibi erexerat, memoriali, de qua Joſephus lib. vii. cap. ix. pro mauſoleo vilis fovea cumulo lapidum operta, de quo Sanctius ad 2. Sam. xviii. pag. 791. Ut velocitas pedum celerrimo Azacheli, ita Abſoloni aurea cæſaries damno fuit, ac pœnæ omnino extraordinariæ. Vix enim ordinarie fieri poterat, ut ſuis capillis implexos ſuſpenderetur ob rationes, quas reddit Sanctius l. c. p. 788. Ad extremum ſtupenda Davidis eſt manſuetudo, patientia ac magnanimitas, illi fuga pro ſtratagemate fuit quo Deum pœnitens placaret perterritus minis Nathanicis 2. Sam. xii. 11. Vidit enim cum Deo ſibi pugnandum fore, ſi armis ſine pœnitentia evibratis pugnare voluiſſet. Curæ & illi civitas fuit, ne ſe adhuc præſente in primo furore aliquid pateretur acerbius. Preces illi pro armis fuere, preces maxime pro infatuatione conſilii Architophelici, cujus lingua plus videbatur, quam gladium, timuiſſe, gnarus conſilia ſenum eſſe haſtas juvenum: Pillulas felleas, quas cum lapidibus & ludibrio injecit Simei, deglutivit (cur maledictio Simei maledictio peſſima vocatur, videndus Sanctius p. 764.) ratus non decere Regiam majeſtatem privatas injurias ulciſci; proprium enim ait Seneca lib. iii. de Ira c. xxv. magnitudinis veræ eſt, non ſe ſentire percuſſum: Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpicit: irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat. Notum illud Hadriani, qui renunciatus Imperator a vindicta deſtitit illius, quem privatus infectabatur, quare cum illi occurriſſet, dixit: Evaſiſti,

q. d.

q. d. Pœnas mihi amplius non dabis, cum Imperator injurias suas honeste persequi non posset. Clementia certavi cum filii dementia, cui tanquam puero tenello parci voluit, tanquam consiliis aliorum insanis decepto indulgere; Ita enim στοργῆς quodam vitio pater filium strabonem pætum vocat, apud Horat. lib. I. Sat. III. Nimis indulgenter scribit H. Grotius ad. 2. Sam. XVIII. 5. & cum publica pernicie. Romanis antiquis non populi tantum salus, sed & disciplina castrorum antiquior fuit, quam caritas liberorum vel postliminium §. filius, D. de captivis. Cicero de finibus de Manlio Torquato agens ait, eum ipsi naturæ patrioque amori prætulisse jus majestatis atque imperii. Cur David puellum ex adulterio susceptum defleverit, defleverit autem Absolonem communis Patrum est opinio, factum id ideo, quia de puerili salute æterna, de Absolonis æterna pernicie certus fuit. Videndus Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani, Augustin. lib. III. de Doctor. Christi. lib. XXII. contra Faustnm Manichæum, cap. LXVI. Denique victo seditioso populo veniam dedit, secutus illa prudentiæ præcepta, quæ suggerit Arnisæus lib. II. Polit. cap. V. p. 423. & seqq.

Rex (III.) Prudentissimus, non tam naturæ, quam experientiæ tot tentationibus exercitæ beneficio, a qua Angelus Domini dictus est. 2. Sam. XIV. 10. Prudentiæ specimina edidit in vulpinarum Saulis artium (de quibus Sopranes p. 129. ubi τὰ πάθη orationis Saulicæ eleganter expoliuntur) & ferociæ leoninæ declinatione. Prudentiæ fuit agmen, hominum obæratorum, inopum, desperatorum, amaro animo, i. e. mala in Regem animatorum, numero CCCC. circumduxisse, quo? nisi ad vim arcendam, si inferretur. Vid. Grot. lib. I. de I. B. c. IV. §. VII. pag. 99. Quæ vero inquis, prudentia purgamenta terræ circumducere quod in Catilina suo contemsit Cicero Orat. Catil. II. At nec prudentiores hodie delectus fieri posse deplorat Lipsius lib. II. polit. c. VIII. Fuerint contemti licet; tamen vel fortes fuerunt, vel facti sunt sub fortissimo duce juxta illud Flori lib. II. cap. XVIII. tanti esse exercitum, quanti Imperator, difficileque admodum esse, ut sit ignavus miles sub bono Duce.

Esto; prudentis hoc fuerit, an & satis pii, an constantis, qui malorum contubernio se abhorrere non semel professus est; maxime Psalmo XXVI. 5. Quid enim speres ab hac populi Judaici sentina, nullum scelus ex desperatione expavescente? At non semper, quem fortuna miserum fecit, eundem & improbum? Peccarint illi bonis cedendo, fugiendo creditorum vexationes; non tamen peccavit David recipiendo in patrocinium. Fuerint improbi, tamen disciplina & exemplo Davidis meliores facti sunt. Unde Cajetanus conjicit ad hanc militum turbam audiendam a Davide Psalmum XXIV. esse compositum. Prudentiæ fuit, sed ad miraculum usque felicis, quod Sauli onus ventris levanti laciniam vestis abscidit, testem animi candidi, simplicis, mansueti. Ad miraculum inquam felicis. Nam tentare tale quid in spelunca etsi spatiosa, multisque cryptarum anfractibus fallaci gressus tum tacitos formare, murmura sociorum ita clam miscere, ut Saul nihil senserit. Nimirum qui araneam prætexuit speluncæ suspicionis, averruncam, qui post I. Sam. XXVI. tam profundo sopore omnem Saulis exercitum sepeliit (quanquam hic miraculum agnoscere noluit Sopranes, p. 181.) is stuporem Sauli, ne strepitum sentiret, immisit. Vide Sopranem p. 146. Prudentiæ fuit fregisse suorum in Saulem furiosum impetum; prudentiæ ita se demisisse, ad mitigandam leonis ferociam, ut se canem mortuum vocarit. Prudentiæ quidam quasi cumulus apparuit in illa castrorum regiorum exploratione, cujus trophæum hasta regis. Vide omnino concise perpendentem Sopran. p. 178. & seqq. Prudentiæ fuit simulatio moriæ, coram Achis rege Getheæ, quam summa vitæ necessitas excusat. Quærat hic aliquis, cur tam inconsulto hanc fugam arripuerit ad illos, quos longhissime fugere debuisset? Respondet Sopranes p. 122. Ad alienigenas fugisse, quia domi ubique insidiæ structæ; Ad Gethæos, quia speravit ibi se (olim cum Goliathea trucidasset, adhuc adolescentem imberbem, inermem, & raptim conspectum) non facile agnosci posse. Jam postquam cœpit, quamvis dubitanter, agnosci, nullum aliud habuit effugium, quam ut ne plane agnosceretur. Ad hoc autem quid opportunius, quam speciem ostentare cum Davidis statu extreme pugnantis. Cui enim in mentem veniret, Davidem solum, incomitatum, furentem in alia terra debacchari. Etenim stultitiam in tempore simulare magna interdum prudentia est, qua usus Ulisses, Solon, Junius Brutus ac ideo Brutus dictus. Prudentiæ fuit responsum Regi Gathæo datum. I. Sam. XXVII. 10. se profectum in regionem Judææ meridionalem, cum tamen Judææ fines non attigisset, quia pars illa regionis quam prædabundus invaserat,

ad

ad partem Judææ meridionalem pertinet. Nec tamen illarum gentium cædes ad Philistæos permanaret, neminem passus est vivere, idque jure Hebræo, quod ipse tanquam Rex designatus, in populos devotos Cananæos habuit. Deut. xx. 16. Prudentiæ fuit, sanum consilium admisisse 1. Sam. xviii. 21. & 2. Sam. xix. 6. Prudentiæ solertis fuit, ex uno nuncio felicem belli eventum conjectari. 2. Sam. xiix. 25. Cum enim multi turmatim atque confuse veniunt, aperte dolent, se ab hoste victore urgeri a tergo: at cum unus venit, cursu velocius concitato facilius suspicionem removet, acceptæ cladis. Ejusdem solertiæ fuit quod innocentiam ex Mephibosethi (inique a servo Siba apud Regem accusati. 2. Sam. xvi. 3.) verbis, gestu habituque lugubri ac fœdo subodoratus fontem liberalitatis qui ingratitudine (si vera fuisset) aruisset. 2. Sam. x. ix. 29. Atque sic priorem errorem fidei habitæ mendacio (quod sui impudentia facile se prodidisset, nam quæ spes recuperandi regni patrii potuisset accendere Mephiposethum, si Absolon rerum potiretur?) correxit, ita tamen, ut ne deprehenderetur aperte regiæ sapientiæ deliquium superius decretum non omnino resciderit. Prudentiæ fuit ille Syncretismus quod Abnerem (fulmen belli Saulici, ducem & potentem & multis in domum Saulis meritis clarum, stolide ab Isbosetho sceleris, licet nondum comperti, accusatum & exacerbatum) certa conditione (qua autem arte ab Abnero tractata? videndus Sanctius pag. 571.) sibi conciliari passus est, in justum damnum tertii: de quo licito syncretizandi genere videndus Arnisæus lib. ii. Polit. cap. v. p. 418. Prudentiæ, quod Joabo Abnerem in suspicionem insidiosæ pacis adducere volenti fidem non habuerit. 2. Sam. iii. 25. Hujusmodi enim suspicio a consiliariis in Regum animos illata ac admissa quantum sæpe damni dedit? 2. Sam. x. 10. Rex (IV.) Justissimus, in Numen primum, cui si quisquam Regum sincera religione fuit addictus, David fuit. Qui in Numinis honorem multa magnifice liberaliterque gesserit, ac eidem domum ædificasset, nisi sanguinis in bello effusi divino odio fuisset absterritus. Quippe adeo Deo sunt invisa etiam justa bella, in quibus humanus sanguis prodige effunderetur. Qui in eundem numinis cultum sacra sacerdotum, Levitarum, Cantorum, Nethinæorum ordinem vicesque religiose digesserit. De quo argumento fusius agit Bertramus. R.E. cap. xv. p. 254. seqq. Neque religionem violasse putandus est, cum anathema sacrum gladium scil. Goliathi in tabernaculo sacro sepositum necessitate exigente communibus, iterum usibus adhibuit. Vide Gamalielem nostrum pag. 30. Ipsa bella potiora, quæ gessit, in hostes Israelis exarserunt, præsertim in hostes ipsam divinam majestatem ludibrio petentes, quale fuit illud Jebusæum 2. Sam. v. 6. Nimis enim verisimile est, Jebusæos deorum suorum tutelarium imagines in muris collocasse, ac Davidi illusisse. Non ingredieris huc, dicentes, nisi abstuleris deos hos tua opinione cœcos & claudos. Quamquam aliis quoque causis irritatus suam majestatem potius defenderit quam irritarit alienam. Quo pertinet bellum Ammoniticum e violato legationis jure profectum. 2. Sam. x. 4. Immanis est injuria barbam vellere: unde teste Plutarcho in Apophtegmatis, Alexander, ne hoc unquam Macedonibus accideret, jussit milites prælium inituros barbam radere: immanior dimidiatam radere, & caput decalvare: immanissima vestes abscindere a natibus usque ad pedes sine dubio in circumcisionis contumeliam. At hæc hujusmodi ludibria accidere nunciis Davidis contra jus gentium. Quid igitur mirum, si modum postea ac temperamentum in victos hostes excessisse visus est victor justus, opimo coronæ Ammoniæ aureæ (talentum contra æstimatæ, non pondere, sed pretio. v. Sanct. p. 714.) spolio onustus? Id supplicium barbarum sane, quod describitur 2. Sam. xii. 31. si irrogatum fuisset iis solis, qui in peccati societatem venerunt, justitiæ consentaneum fuisset, sed quia eos & corripuit, quos ἐκ ἀδίκημα ἀλλ' ἀτύχημα in belli necessitatem adegit, quibus alias est parcere solitus, ut ex 2. Sam. iix. 2. colligit Sanctius p. 652. utique crudelius fuit, quam ut excusari queat. Unde ad sermonem Uriæ, h. e. historiam Uriæ, ubi David solum peccasse dicitur, ad ea tempora pertinet, quibus adhuc fuit in fermento peccati. Confer de suppliciorum crudelitate in genere differentem Piccartum. Dec. iv. observat cap. vi. pag. 207. Obiter hic legi possunt, quæ de justa præda ex bello Ammonitico reportata disserit H. Grotius lib. iii. de I. B. cap. vi. §. 7.

Justus porro fuit suo regno in jure dicendo & suppliciis irrogandis. Quale designatum est cum in aliis exemplis, tum maxime in Amalekita cædis Regiæ jactatore, atque hinc præmii Evangelici captatore: tametsi enim si David ordinem juris observasset, secundum acta & probata judicasset, consequenter facti veri-

ritatem penitius indagasset, mendacem linguam facile deprehendere potuisset. An enim Saul, qui ne a manibus incircumcisorum occideretur, mortem sibimet inferre voluit, ab Amalekita incircumciso se jugulari sustinuisset? tamen quia oris semet condemnantis professionem habuit, atque in reo delectatio mortis regiæ apparuit, justas pœnas dedit. Vide Sopran. l. c. p. 221. Quanquam in justitiæ negotio non raro & oscitantia obrepserit, dum de Ammone incestuoso (seu στοργῆς vitio seu conscientiæ metu, ne in filio puniret scelus, cujus non multum absimile ipse admisisset, pœnas non exegit, nec levior est lentitudo impunitatis Absolonicæ; fuit quidem atrox pœna remotio a conspectu patris generoso animo morte intolerabilior. Unde cum Manlius Torquatus apud Val. Max. lib. VIII. c. 8. Silanum filium a suo conspectu abire jussisset, tam tristi Patris sententia perculsus lucem ulterius intueri non sustinuit, suspendioque se proxima nocte consumsit. At sanctior ac antiquior lex divina esse debuit, sanguinem improbe effusum sanguinis justa effusione compensari sanciens. Gen. x. Quantum turbarum sufflaminasset David, si divinæ legi maluisset obsequi, quam vel suo affectui, vel Joabi consilio, vel mulieris Thekoanæ suadæ? Excusatior non nihil est conniventia in Joabum, cujus scholion ipse David proponit. 2. Sam. III. 39. quem noluit in præsens supplicio, insidiosæ cædi debito, afficere, tum quod vires Regi adhuc tenero in reum potentiorem, exercitus favore florentem, deessent: Vide verba Davidis apud Joseph. VII. 12. tum quod majus turbarum periculum metuendum esset, ne diffluerent initia regni, quæ vix cœluissent. Discat hic Princeps, nihil supra vires esse tentandum & differendum interdum esse supplicium, quantumcunque clamet sanguis contra fidem & justitiam effusus, si nondum venit opportuna illius ulciscendi maturitas. Dii interea laneos habent pedes: quod David armis adhuc flagrantibus non est ausus, id, iisdem silentibus, fecit Salomon.

IX. Davidem excipit filius Salomon Regum Sophorumque Phœnix (in quo Stoicum illud adimpletum deprehendas: Solus sapiens Rex) gemina nobis imagine repræsentandus: primum ut bonus ac felix, deinde ut a se mutatus, malus & miser. Felicitatis fuit primum Regia dignitas, illi non ordine nascendi, sed gratuito Dei patrisque beneficio delata, nequicquam ambiente fratre Adonia, pro quo quidem faciebat ætas ab Absalone secunda, forma corporis venusta, Joabi & Abjatharis favor, acclamatio populi, quibus gradibus, cum nihil effecisset, arte maluit ac insidiis e thalamo Abisai Sumanitidis, in thronum Regium irrepere, quam aperto marte, quem in Absolone infortunatum expertus fuerat. At Salamon facile subodoratus, quid machinaretur Adonias, thalami regii ambitum regni ambitum interpretatus est. Sicut apud Persas auctore Plutarcho in Artaxerxe, qui regiam vestem induisset, capitale censebatur incurrisse crimen. Et Pompejus cum in cruribus cretatam gestaret fasciam, quod imperatorium erat insigne, suspicionem apud aliquos movit affectati imperii. Neque alio spectabat Absolon cum patris concubinas spectante populo cognovit, nisi ut eo cum regiis concubinis impuro congressu paternum regnum inesse videretur. Celebre est, quod de Alexandri clementia refert Val. Max. v. 1. qui cum exanimatum pene militem invenisset, exsiliit e solio & in illo collocavit afflictum. Hic ad se rediens vehementer expavit, cui Alexander apud Curt. VIII. Ecquid, ait, intelligis miles, quanto meliore sorte, quam Persæ sub Rege, vivatis. Illis enim in sella regis consedisse capitale foret, tibi saluti fuit. Ejusdem sortis fuit divitiarum incredibilis affluentia, quas ipsemet deprædicat Ecclesiast. II. 7. seqq. Videndus Jerem. Drexelius in Salomone Œconomo cap. II. Salomone industrio cap. IV. Salom. divite cap. V. ubi fontes divitiarum percensentur, & Salomone ditissimo cap. VI. Inter alios opum fontes memorabilis est Ophiricus, unde quovis triennio thesauri exportati. An is idem fuerit cum novo orbe Americano h. e. India occidentali, videndi Ariasmontanus in libro de gentium regionibus cap. IX. Mariana de rebus Hisp. lib. XXVI. cap. XX. Lips. Physiol. Stoic. Dissert. XIX. Keckerm. problem. nautico IX. An ex mercatu deceat Regem ditescere, anquirit & definit Arnisæus II. 5. pag. 453. Fuerunt hæ hujusmodi opes instrumenta magnificentiæ, quam coloribus exscribit Drexelius in Salomone Architecto liberali, magnifico, magnificentissimo, cap. 3. 7. 10. 11. Ad felicitatem quoque pertinet fama & nominis gloria toto orbe celebratissima, quæ magnetis instar attraxit ab Austro reginam Sabæam, de qua multa curiose quærant quibus vacat. Videndi post Pinedam C. Sanctius 1121. & Drexelius in Salomone hospitali cap. VIII. Virtutis porro fuit. 1. Pietas in Deum post matrem Bethsabeam, quam pietatem mixtis tamen superstitioni-

nibus monstrat Drexelius in Salomone pio & pientissimo cap. XVI. & XVII. Deinde 2. Justitia, cum clementiæ temperamento conjuncta, exercita in pœnis Adoniæ, Joabi, Simei, Abjatharis atque in litigio duarum mulierum & occasione; monita nonnulla politica ἀξιομνημόνευτα collegit Drexelius in Salomone justo X. tum vel maxime sapientia sine exemplo admiranda, sapientia scil. non tam studio acquisita, quam cœlitus infusa, illustrata a Drexelio in Salomone sapiente & sapientissimo cap. XIV. & XV. Sapientia plena, quanta in hominem mortalem cadere potuit, ac in boni principis ideam debet, declarata a Sanctio ad 2. Reg. III. pag. 1006. Sapientia civili & togatæ virtuti accommoda, quæ plerumque militari arte difficilior. Unde de Cajo Mario Vellejus Paterculus censuit, virum eum quantum in bello optimum, tantum pace pessimum fuisse: Sapientia sagacissima & tantum non cardiognostica, qua controversi filii veram matrem indagavit. Vid. Prov. XX. 5. Parallella τῶν ἔξω exempla similis ἀγχινείας exstant de Claudio Imp. apud Sueton. Claudio c. XV. de Phryne meretricula apud P. Crinitum lib. XXIV. cap. de Eresistrato Medico apud Val. Max. V. 7. X. de Ariopharne Rege Thracum apud Diod. Siculum. Has fraudes bono publico compositas magistratui concedit Plato de Rep. lib. V. Nefas contra legatorum arcana vini propinationibus exantlare. Hactenus elogia Salomonis, sequuntur vituperia & solœcismi Politici. Eminent 1. Syncretismus ex consuetudine uxorum alienigenarum. Unde abnegatio numinis & idolorum cultus eo usque insanus, ut templo Domini a se exstructo ex adverso opposuerit in oliveto templum Chamos, diversorium scilicet publicarum libidinum. 1. Reg. XI. 7. 2. Legis Regiæ a Mose olim dictitatæ Deut. XVII. oblivio, de non multiplicandis uxoribus, equis ac e subditorum tributis opibus nummariis. Salomon contra regias, nobilesque fœminas DCC. & CCC. concubinas in gynæceo aluit. Esto pauciores ex his ad thorum regium admissas fuisse, uti e Cantico. VI. 7. colligit D. Franzius Orac. LI. nimius tamen adhuc grex prodigio lib. II. cap. 3. Idem equorum ex Ægypto allatorum pompam & equitum splendorem composuit. 1. Reg. IV. 26. Vide post Josephum VIII. 1. & 2. Sanctium ad lib. Reg. pag. 1010. Idem Rex nimis uxorius, tributorum jugum populo imposuit, de quo apud filium Roboamum conqueruntur subditi. Quantum ad turbas valeat nimia tributorum exactio, videndus Arnisæus II. 4. pag. 391. Hinc irritatum numen, hinc hostes in Salomonem undique excitati, quos inter seditiosorum Princeps Jerobeam; qua ex causa in Salomonem inflammatus, videndus Sanctius ad libb. Reg. p. 1154. Prima hactenus & præcipua regni Hebræi nomina. In iis quæ sequuntur, ea solum hunc in locum conferimus, quæ scopo nostro congrua & partem in utramque memorabilia videntur, ut sunt Roboami stoliditas primum in continuata acerba populi exactione ad sanguinem, usque quam, causis sublatis per mortem Patris, amputare debuisset. Conferas hic licet, quæ de tributis Politici notant. Salomon ipse Proverb. XXX. 33. Qui, inquit, vehementer emungit, elicit sanguinem. Philonis de sententia satis est, si Princeps e sua ditione annuum accipiat, sicut Dominus ex suo prædio non nisi annuum exspectat. Greg. Nazianzenus. Orat. IX. in Julian. Quomodo, inquit, alios descripserimus in libro rationum & censu, eodem ipsi quoque describemur. Tiberii vox nota: Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere. Alexander M. apud Plutarchum in Apophthegm. Odi, dicebat, olitorem, qui radicitus olera exscindit. Deinde in senatus junioris coætaneo præ seniori prælatione. Coætanei, inquam: ita enim principum filiis a teneris statim unguiculis associari olim solebant pueri, cum quibus adolescerent, qui illis mature fidem adsererent, ut fidos haberent, amicos ac virtutis incentores. Quod institutum uti prudentiam spirat, ita, si delectu careat, tam noxium esse potest, quam salutare. Imprudenter sane Sesostris Rex Ægyptius apud Diodorum Siculum lib. II. c. 5. Infantes pueros promiscue quotquot eodem cum filio die nati essent, ex toto regno, eo temporis articulo, quo nondum explorari omnium indoles potuit, adsciri jussit, cumque filio pariter educari. Sunt qui hic quoque Salomonis desiderant sapientiam, quod filio in tanti imperii spem nato socios tam præcocis ac immitis ingenii convivere voluerit. Unde factum, ut cereus in vitium flecti animus similibus facile morum formis imbueretur. Laudatior hic Philippus Macedo, qui filio Alexandro cooptavit ejusmodi sodales, quorum post usus esse poterat in bello, in quos amplissimi imperii molimina divideret. 1. Maccab. I. 7. 3. In feroci ac minaci responso de aggravando jugo & mutandis flagellis in scorpiones. Seniorum sine dubio consilium fuit populo ad res novas inclinante, consilio

opus

opus esse, non impetu, palpo non ferro, quod fera in fermento posita si asperius tractetur acrius efferetur. Arduum esse adversus iram prœliari. Juniores contra in omnia adversi timidi animi esse censebant, & regio nomine prorsus indignum, inanium populi vocabulorum rationem habere, ac timere vacuas rerum umbras: quod si armatos populus animos habeat, ejus spiritus esse comprimendos, contraque fluminis imperum nitendum esse. Exigeret igitur tributa, si libentes dependere recusent, extorqueret ab invitis. 4. In legatione ad populum commissario inviso commissa. Audierat jam vesanus Rex seditiosas voces, & tamen Adoram mittit, ut tributa vel vetera exigeret, vel nova imponeret, nec cogitavit, nondum maturam esse vindemiam, neque ex acerba uva quidquam exprimi præter dolorem viscerum & stuporem dentium. Valerio Publicola in ejusmodi casibus, vel Menenio Agrippa, adeoque Oratore fuisset opus pietate & meritis gravi, quem conspicientes siluissent, adrectis auribus adstitissent. Vid. Arnisæum Polit. II. 5. p. 380. & 421. Cæterum populus sceptro gravis excusari ab impia rebellione non potest, ut qui veteri juri regio olim condixerit. 1. Sam. VIII. uti contra Tostatum, Abulensem disputat Salianus A. CIↃ CIↃ CIↃ LX. n. XV. & XXIV. & An. seq. n. 3. Deus tamen qui hanc apostasiam permisit, noluit fratrio sanguine eundem vindicari, eoque ipso ostendit religionis restaurandæ gratia bella non esse movenda, si id cum tanto sanguinis humani impendio conjunctum sit. 1. Reg. XII. 24. Unde Amasias Israelem bello iterum sibi adserturus carduum cedro desponsasse, adeoque impossibilia tentasse perhibetur 2. Reg. XIV. obedientiam ori dominico præstitam merito stupet Salianus l. c.

X. Versutior contra Jerobeamus fuit, cujus scopus erat regni a Robamo divisi ac divisione populi accepti conservatio. Medium erat avocatio a templo & pristina religione. Prævidit facilem recidivatum, si eadem sacra, religionem, aras, templum tueretur: Populum templi studiosum lege adactione ter singulis annis illuc abiturum. Id quia rationibus suis sciebat fore incommodum, abducendum esse populum ratus, veterem vitulinam religionem restituit. Sophismata ad hunc scopum collineantia fuere. 1. Dispositio populi per qnosdam, qui innovationem sacrorum apud populum laudarent; uti censet Cyrillus ad Oseæ VII. 3. 2. Oratio ad populum flexanima, quam totam prodidit Josephus VIII. 3. in qua persuasit populo solennibus comitiis; molestam esse peregrinationem annuam ad templum ab extremis finibus regni. Se hac illum molestia liberaturum, ac duo sacraria, ad aquilonem unum, ad austrum alterum dedicaturum: ubi non minus vero Deo cultus exhiberi possit, quam Hierosolymis. Cumque vidisset Levitas nolle se novæ religioni accommodare, sed e regno Israelis exulatum ivisse, 2. Chron. XI. 23. non, ait, defuturos sacerdotes & Levitas per me designatos, nequid Leviticam tribum & Aaronis progeniem desideretis. E. quicunque ex vobis sacerdotium ambit, vitulum & arietem Deo mactet, quo ritu ferunt & primum sacerdotem Aaronem creatum esse. Hæc Josephus. Hinc jam pressa ecclesia sub Jeroboami Tyrannide (de qua Salianus A. 3062. n. 1.) gemuit; statum illius Ecclesiæ depinxit Bertramus Polit. 1. Jud. cap. XVI.

XI. De Achabo Rege nimis uxorio, atque hinc pessimo idololatra & Nabothicida, supra nonnulla notavimus. Nunc quæ de illo πολιτικότερα præcipue 1. Reg. XX. memorantur, percurremus. Observes enim licet in l. c. 1. Benhadadi hostis æquivocam deditionis promissæ interpretationem. Dederat meticulosus Rex Achab, se suaque omnia Benhadado, sed in fidem, h. e. æquitatis arbitrium & probitatem victoris, non in proprietatem & servitutem. Id veteratorie Benhadad interpretatus est de deditione in proprietatem contra mentem Achabi & jus gentium, nimirum ut olim Manlius Cos. Romanus Phanææ Ætolorum legati verba est cavillatus apud Livium XXXVI. Vide Grot. J.B. III. 20. p. 650. 2. Ejusdem stolida consilia contra Deum primum ab adulatoribus suggesta, ut astu quodam Israelitas a montibus, in quibus illis Deus Hebræorum ὀρειβάτης Deus montanus faveret, seu quia legem in Sina monte Hebræis datam, sive quia illos in excelsis sacra facere comperissent extra montes impotens futurus, avocatos in planum & campestria deduceret, quemadmodum Hercules de quo Plutarchus in tentorio & Lucan. IV. Pharsaliæ, Anthæum Terræ filium, quem, quoad terram tetigisset, vincere non poterat, sublatum e terra vicisse fertur. Contra deinde hostem: A quo consilium captum, ut sicut ille pridem vicisset per principum sive filios, sive pedissequos, per eosdem & Syri pugnarent, dimissis Regibus sociis delicatulis suæmet fortunæ quam alienæ studiosioribus quasi, quo Deus instrumento Hebræis victoriam præbere voluit, id statim Syris

ſucceſſurum ſit. 3. Ejuſdem miſeram deditionem, qua Achabo ceſſit civitates ante ablatas cum platearum jure in Damaſco Syriæ metropoli: quod axioma Regium fuiſſe videtur. Ex adverſo, notes, licet, Achabi 1. prudens reſponſum: ne glorietur agentis accinctus æque ut diſcinctus, h. e. nemo canat epinicium ante victoriam. Nemo metat ante ſegetem maturam, cum multa cadunt inter latices ſupremaque labra. Vide M. Delrio Adagalia S. adag. 206. pag. 256. 2. Imprudentem in Regem blaſphemum clementiam. Vicerat Achabus hoſtem non ſua virtute, ſed Dei miraculo, non robore militum, ſed manipulo pediſſequorum ex conſilio divino præter diſciplinæ militaris rationem dato, & tamen pepercit hoſti, qui ut victima pacis Deo mactandus erat. 3. Tyrannidem in prophetam, qui parabolica & activa cria impietatem Regi exprobrat, nonnullorum de ſententia ille ipſe Michæis, qui ab Achabo captus, Ramothicum bellum diſſuaſit. 1. Reg. XXII. Vide Joſeph Antiq. VIII. 8. & 10. 4. Infelicitatem in bello etſi juſto: Ramoth in Gilea juſta ab Achabo bello a manu perfidi Regis vindicabatur. Non defuit eidem prudentia in aſſumendo vulgaris & gregarii militis habitu loco ſplendoris regii, in ſtatione itidem adverſus Syros vulnerata, licet cauſa & cute regia ne animos deponeret exercitus. Et tamen infeliciter bellum ceſſit. Adeo verum eſt illud Lucani in 1. Pharſaliæ, quod quandoque

Victrix cauſa diis placeat, ſed victa
Catoni.

In Joſaphato obſervanda ſunt pietatis ſpecimina ea Dei benedictione felicia, quanquam Syncretiſmo *συμπολιτείας* infelici fœdata. Quid philoſophiæ naturalis cognitio in politica & bellica functione valeat, ex eo, quod in bello Joſaphatico cum Moabitis. 2. Reg. III. accidit ſymptomate apparet. Rubrum colorem contraxerat alveus Moabitis ex nubibus matutino tempore rutilantibus, quarum imaginem aqua terſa ac perſpicua facile recipit. Moabitæ, qui alveum pridem exaruiſſe ſciverant, jamque erubuiſſe viderant, ſanguinem ex hoſtium corporibus exundantem interpretati ſunt, ideoque ordine neglecto confuſe non ad aciem conferendam, ſed ad prædam colligendam excurrerant, eventu heu quam infauſto! ſi divinare potuiſſent, ex omine hoc ſtragem ſanguineam ſibi ominoſam debuiſſent potius conjicere, ſicut apud Curtium IV. in obſidione Tyri. Cauſa exitii fuit ignorantia naturalis philoſophiæ. Similiter philoſophiæ uſum in politica notant Polyhiſtores. Videndus de equi hinnitu Juſtinus, de plenilunio Jul. Cæſar lib. IV. belli Gall. p. 83. de ecclipſi Pontanus vol. 3. p. 1. prog. 30. p. 723. In Amaſia inſania. 2. Chron. XXV. quam prodidit. Syncretiſmo primum militari, conducendo ex Iſraele Deo inviſum militem & mandante licet Domino ægre dimittendo, ob jam expenſa centum talenta, quæ ſibi peritura doluit. Deinde victoriam a Deo contra hoſtes Idumæos conceſſam idololatria hoſtili fœdando, tum a Deo victore deficiendo ad Deos victos, tum Prophetæ ſana ſuadenti nuncium mittendo: Denique laceſſendo novum hoſtem ex inſolentia, quam res ſecundæ plerumque pariunt. Melius Cato apud Gellium lib. VII. N. A. cap. III. qui ne quidem deliberationem admittit animo adhuc e fortunæ favore læto: Veni, inquit Amaſias ad Joas, & videamus nos, hoc eſt, experiamur, uter noſtrum in bello, aut fortior aut felicior? vel opportuno loco congrediamur & inveniamus modum, quo Iſrael Judæ concilietur, ut Joſephus exponit lib. IX. cap. X. ſed falſum Proverbium audit; Infeliciter carduum cedro deſponſari.

In Ozia œconomia, dum regno providit non ſolum pacis inſtrumentis, ciſternarum ſcil. ac turrium in deſerto fabrica, ſed & munimentis ac armamentario ad leges Geometriæ ingenioſiſſime exſtructo. 2. Chron. XXVI. 9. ſeqq. Fruſtra eſt Bellarminus, cum ex turpiſſima confuſione τῶν ἔξω καὶ τῶν ἔσω Eccleſiæ poteſtatem pontificiam Oziæ cœlitus lepra puniti exemplo tueri conatur. Vide ejuſdem tract. de poteſtate S. P. contra Barclajum cap. 37.

In Joas mirabile ſervatæ vitæ regnique redditi fatum. Conjuratio Jojadæ contra Athaliam exauctoratam Regicidiis Jeſuitis ac nominatim conjurationi Sulphureæ, quam totam Rex Jacobus ipſe nomine ſuppreſſo deſcripſit, nullatenus patrocinatur; ſicut nec poteſtatem Pontificis in temporalibus juvat, etſi in eum finem allegetur a Bellarmino contra Barclajum cap. 38. Etenim ut recte judicat H. Grotius ad 2. Reg. XI. Athalia regnavit vi mera, nullo jure: nam inquit: Hebræi fratres ſuos habebant Reges, non ſorores. Deut. XVII. II. Quare non mirandum eſt etſi Jojada & civis bonus & in magno magiſtratu conſtitutus, ac per affinitatem obſtrictus ad curam Regis pupilli, cujus ſororem in matrimonio habebat, vi regnantem vi depulit. Huic periculo conjurationis conatus

tus est prævenire Jacobus R. Angliæ mandato juramento Anglico, quod conceptis verbis recitat illius juramenti Hyperaspistes M. Ant. de Dominis in ostensione errorum Suarez. I. VI. pag. *961*. Vindicatum illud est ab ipso & Rege Jacobo in triplici cuneo triplici nodo opposito, quod alioquin de Rege puero Salomon monuit Eccles. x. *16*. id intelligendum de Rege puero sibi relicto, nec sancta & prudenti ephoria gubernato, quales Joaso contigit, quem laudat Scriptura ob rectitudinem actionum, quoad Jojadæ consiliis obsecundavit.

In Hiskia zelus reformationis religiosus. Hiskiam ænei serpentis destructorem temere imitati sunt Mauritius Hassiæ Landgravius, de quo Johannes Laetus Comp. Histor. univ. p. *679*. & Fridericus Palatinus, in cujus concionatorem aulicum Scultetum Iconoclasten adornavit D. Thummicus. Temere, inquam: sicut ostensum est in Colleg. Decal. Disp. III. P. 2. §. 17. In Josia idem reformando zelus, ab impiis cultibus, quam reformationem amplificat C. Sanctius Com. ad 2. Reg. XXIII. Sed & solœcismus politicus observandus, quem admisit in prohibendo transitu ex ore Dei a Rege Ægyptio postulato 2. Chron. XXXV. 21. seqq.

XII. Hactenus Reges memorandi. Sequuntur Viri Illustres alii, quos inter Princeps Samuel, de quo digne satis nemo unquam dixerit. Hujus loci est, officium, quod gessit judiciarium, in quo suammet fidem ac dexteritatem sequemet memorabili, sed raro exemplo in examen tradidit toti populo. Qui, quam in eo culparet, nullam ne verrucam quidem invenit. I. Sam. XII. Accessit non suo, sed contagii vitio filiorum iniquitas; acetum enim plerumque vini proles: (חמץ בן יין) Jonathan Davides delicium, in quo cum heroica alia tum vel maxime heroicam amicitiam mirere: princeps scil. opilionem sine fastu, filius ad spem regni natus peregrinum regni successorem sine invidia, virtutem Davidis solam, sine pretio tam impense & præ patre diligit, ut non posset impensius. Quis hoc par amicorum non stupeat! Vide hæc hujusmodi declamantem Sopranem in Davide p. 21. Joab & Abner duo belli Judaici Israelici fortissima propugnacula. In Joabo fortitudo bellica notanda, sed quæ in crudelitatem quandoque exerravit. Boni itidem publici egregium studium, cujus intuitu non levi periculo jussum aliquando regium neglexit. Vid. Grotius ad 2. Sam. XVIII. 13. In Abnere insignis militaris prudentia cujus specimen exstat. 2. Sam. II. *26*. Conferas hic licet Frontinum II. *6*. & Veget. III. 21. Heroes Davidis, quorum epinicia decantantur. 2. Sam. XIII. 8. seqq. quorum immanes ac inauditas victorias nemo in dubium facile revocabit, aut in alios sensus, quam primore conceptu se insinuant detorquebit, qui cogitabit, quid Simson non raro incurrente in eum Spiritu Domini designavit.

XIII. Sortis suæ impatiens hæc Respublica orbem suum fatalem cum explevisset, paulatim exspiravit, admisso, peccatorum atrocissimorum veneno. Quæ annales Regum & Prophetæ passim maxime in fine chronicorum deplorant, obstreticati sunt suomet exitio. Manasses, qui extrema impietate cum paterna religione quasi certare visus est. Jojakim perfida a Rege Babylonio defectione: & verbi divini contemtu; quod tanquam ut hodie vocari solet, pasquillum in regiæ majestatis injuriam compositum scindi comburique passus est. Jerem. XXXVI. 25. Zedeckias nominis sui (a Rege Babylonio impositi, quod significabat Dei justitiam) nefaria oblivione; Prophetæ itidem Jeremiæ persequutione, idque ex ratione status. Nam qui ferretur in urbe, qui militem effeminaret & defectionem ad Regem hostem suaderet? Jerem. XXXVIII. 4. Malum omen fuit nomen Regis Jechonia in Chonia mutatum. Jerem. XXII. 24. nam ablatum Jod capitis diminutionem significabat; adjectio Vau contemtus nota erat, quasi dicat Chonia ille. Primum nemeseos divinæ auspicium fuit intestina filiorum Davidis sævitia. Accessit fatalis tribuum sub Roboamo sectio, colophonem malorum imposuit Solymorum eversio, cædes Principum, captivitas populi, terræ fecibus in solo patrio relictis, fabris omnibusque adeo artificibus abactis, magna arte ne novis rebus ulla superessent aut præsidia aut instrumenta.

SECTIO V.

Politia Hebræorum senio infirma, captiva, serva sub quadruplici jugo, Chaldæo, Persico, Græco, Romano.

I. AMplissima inter Gentes, Princeps inter provincias, quomodo est facta tributaria? Thren. I. I. II. II. Id stipendium est peccati sigillatim exponendum. Jugo itaque peregrino submissa gens Hebræa suam quidem societatem servavit, eamque nullius iterum mo-

monastici status conscīam (nam quod Baronius in Appar. num. 53. argutatus est ex 2. Maccab. III. 19. de virginibus κατακλείστοις sive conclusis, id docte refutarunt Casaubonus Exerc. 1. sect. 23. pag. 87. Amama lib. III. Antibarb. pag. 934. Nec minus hallucinati sunt, Serarius, Genebrardus. H. Grotius ad 1. Maccab. II. 42. p. 336. quibus Assidæi, quorum in historia Macabæica non semel fit mentio, iidem sunt cum Essenis cœnobitis, confutati a C. Sanctio ad 1. Mac. II. p. 146. qui & ipso a meta telum longius jecit, quando eosdem comparat cum hodiernis ordinibus militaribus ad religionem tuendam sacramento alligatis. Optime de his censuit Casaubonus ad Appar. sect. IX. num. 33. Confer. Christeid. Act. 1. p. 84. & 785.) sed sub Rege scientiarum tamen ac literarum Chaldaicarum patrono, cui bonorum ingeniorum indago ac studiorum examen curæ fuit. Ideo enim adolescentes Hebræos e regio ac generoso sanguine, forma animi hospitis teste venustos, dociles in spem & consilia regni ali voluit. Tenuit quidem captivus populus adhuc aliquam politiam, sed veteris simulacrum; suis vixit religionibus, sed precario; habuit supra se Æchmalotarchas, sed dependentes a Rege peregrino. Videndus de his Casaub. Exerc. 1. pag. 14. & Schick. in I. R. c. II. theor. IV. pag. 30. Eminuit in captivitate Daniel (non apocryphus ille, cujus in tragœdia Susannina exstat judicium alias justum, eque actis & probatis legitimum, singularis indaginis ceremonia, & prudenti illo conjurationis dissipandæ remedio τῷ David conjunctum. Multum enim refert, ut est in epistola Adriani, quam recitat Callistratus L. Testium. D. de Testibus, qui simpliciter visi sunt dicere, utrum unum eundemque meditatum sermonem attulerint, an ad ea, quæ interrogata sunt ex tempore verisimilia, responderint) sed Princeps simul ac propheta futurorum in IV. monarchiis fatorum præsagus illuminatissimus. Explicata sunt illius vaticinia & visiones ad politiam pertinentes in Anti-Christosophia quæst. 1. art. 8. Invidia tamen aulica indignissime vexatus, adque leonum usque lacum detrusus, quæsita ab æmulis primum causa regni, sive crimen læsæ majestatis, quod unicum eorum crimen esse dicebat Plinius, in Paneg. qui crimine vacant. Sed cum nihil tale inveniretur, sacra (& quæ omnium iniquissimum, irrevocabilis lex, Dan. IV. 15.) lex confecta, ut læsæ religionis posceretur.

II. Sub Rege deinde Persico retinuit quidem societas Judaica αὐτονομίαν & αὐτοδίκαιον ad cæsionis, colaphizationis, depilationis, imo & capitis pœnam usque Nehem. XIII. 25. Conf. Sanctium ad h. l. 138. Adde Esræ VII. 14. 25. 29. IX. 8. Hugone Grotio auctore ad Nehem. X. 1. fuit tunc Politia Judaica ἀριστοκρατικὴ κατ' ὀλιγαρχίας ab hoc tempore ad tempora Asmonæorum pauci principes, ut Zerobabel, Nehemias, Esdras, regebant populum de consilio senatus & aliorum magistratuum, postea magis ad Democratiam flexit status, ut notat Josephus; & inde ut fieri solet Tyrannidem. Deinde Leviticæ tribus ἀτέλειαν ac immunitatem a tributis ac vectigalibus Esdræ VII. 24. sed omnia precario ac beneficio Regum Persicorum, si quid vellent Judæi impetrare, supplicatione potuerunt, non jure Nehem. 1. ult. Tertio Genealogiæ accurationem a Genealogitis a sacerdotali functione abstentis; ibid. vers. 62. Quarto Musicæ usuram: neque enim temere cantorum & cantatricum fit mentio Esdr. II. 64. & III. 10. Quinto gratiam Regum Persicorum, qui & Hebræis erant propitii magis, ac avergetæ, quam pridem Chaldææ. Esdr. IX. 9. Gratiæ filii basilicæ 1. ἀσυλία in Babylonis vastatione. Persas tunc pepercisse iis, qui lingua uterentur Syriaca, vel Xenophon lib. VII. Cyronpæd. testatu. 2. Restitutio prioris soli, unde abducti olim passim vagabantur, (neque enim tutum videbatur prioribus regibus devictum populum monumentis urbium gaudere idque & Judæorum hostes causabantur data illis sepes in Juda & Jerusalem. Esdra IX. 9. hoc est domicilium fixum & muri sancti in tutelam; totaque adeo civitas Hierosolymitana e cineribus suis excitata in vicos & regiones, quibus præfecti impositi Nehem. III. 9. in vicorum domos & tabernas & scruta vendentium distincta, ibid. cap. IV. 30. 3. Patrocinium Ecclesiæ ex divino instinctu præstitum, Esdr. VII. 7. 4. Munificentia in eandem Ecclesiam, inque sacrificia pro vita & salute Regis adolenda. Esdr. VI. 7. Simile quid de Nebucadnezare laudatur Baruch. 1. II. 5. Bonorum Ecclesiæ vindicatio ac redditio Esdr. 1. 7. 6. Literarum salvi conductus pro tuto commeatu copia. Nehem. II. 7. Gratiæ, inquam, regiæ hæc fuerunt beneficia. Mansit interea politia Judaica serva. Nehem. IX. 36. 37. æque dependens Principatus. Esdr. VII. 14. Autonomia enim concessa a Dominio Persico neminem exemit: mansit Rex Persarum Hierarcha ac sacrorum exteriorum dispen-

pensator, ut patet ex Esdr. i. toto cap. vii. 27. Neh. i. 23. Unde & Nehemias regius præfectus, auctoritate regia usus reformationem disciplinæ ipsiusque summi sacerdotis Eliasib instituit, Nehem. xiii. 7. Levitis jussa dedit ibid. vers. 22.

III. Fata Judaica sub Persico sceptro hæc sunt: i. Hostilitas transfluvialium populorum, nata ex invidia novæ urbis ac iniqua suspicione defectionis a Rege; strui scilicet muros in pace, tanquam ad bellum Nehem. vi. 6. 7. exercita accusatione calumniosa per literas descriptas Esdr. iv. ii. plenas Rhetoricæ artis, suadæque argumento inter alia ab inutili desumto, non permittendum esse urbis dirutæ restaurationem, quia cives illi regio fisco vectigales si firmum nacti fuerint præsidium, excussuri sint a cervicibus impositum jugum, quosque habuisset Rex hactenus subditos, eos sit habiturus adversarios, remoris itidem injectis, quibus nova strues impediretur, non nisi hinc laboriosa, illinc armata manu promovenda. Nehem. iv. 16. obstinata denique & inveterata adeo ut Judæi Samaritanos semper habuerint infensos. Vide epistola a Samaritanis ad Antiochum Regem scriptam apud Josephum lib. xii. Adde Christeid. act. i. Phæn. 2. p. 53. ii. Tragœdia Hamanica, in qua personas advertere licet singulas suam stationem sive ornantes, sive fœdantes. Haman ludi Princeps & fortunæ pila, aulæ Persicæ Sejanus felix initio gratia & favore regio peregrinus ortu, sed a rege ad apotheosin usque sublatus in altum, ut lapsu graviori rueret. Atque hinc Spiritu inflatus

Sacro nec cessit honori,

Nuper in hoc regnum pedibus qui venerat albis, ut joculo ludit Satyricus, quo invisum Hebræorum genus, consilio difflarat, spe devorarat. Regem coluit, calcaret, ut omnes: quod in atheo Herculi Seneca dixit. Calumnia negotium, quod machinabatur, orsus, populum dicebat Hebræum non esse tolerandum, sed funditus delendum ob ἀσυμφωνίαν cum religionis, tum vitæ regno Persico noxiam. Esth. iv. 8. & 9. Si ex illius populi interitu aliquid regio fisco decedat, compendium ex tot capitibus tributariis deminuto censu, curaturum se ut illud quam primum resarciatur abunde, etsi de suis facultatibus aliquid decedat, neque laturum se ægre illud domesticum detrimentum dummodo & constet regia dignitas, legum observantia, & publica tranquillitas, adducturum se esse regiæ gazæ decem talentorum millia. Idem negotium forte delusus imprudenter traxit in annum, non cogitans hoc temporis intervallo aut Regis facilis alias ac inconstantis voluntatem astrictam licet decreti per cursores promulgatione posse mutari aut Judæis succursuram aliquam evadendi rimam. Hic vero summus rerum arbiter sortes ita moderatus est, ut suæ Ecclesiæ utiles noxiæ essent hosti. Hinc dies Purim Esth. ix. 31. Dulci hactenus fortuna ebrius, post territus malo homine ex imperata Mardochai circumductione honorifica, cunctabundus Esth. vi. 12. a suis sophis monitus in eam quam fodit, foveam incidit. Horrendum aulicæ lubricitatis exemplum & fortunæ ludentis monumentum. En enim subitanea conversione ex Judæo vilissimo & morti devoto amicum Regi proximum! contra fortunæ quasi filium repente e summo loco in summam arborem promotum, confiscatis bonis, utpote in crimine læsæ majestatis Esth. viii. 2. Ita enim apud Persas mos & jus erat Esth. vi. 11. Conf. Joseph lib. xi. cap. i. Ita uni occidit sol in meridie, alteri in vespera oritur. Vide similem fortunæ lusum in Sejano, apud Baron. An. xxxii. num. xlvii. & Juvenal. Sat. x. Altera persona notabilis Esther fuit, in locum Vasthi thoro regio nobilitata, in qua mirere pietatem cum prudentia attemperatam: pietatis fuit, quod vita posthabita contra Regis mandatum sanguinis sui patrocinium susceperit. Esth. iv. 16. annot. Grotii. Prudentiæ fuit, electio per convivium temporis, quo Regis animum sibi conciliaret. V. Sanct. ad Esth. vi. 6. Ejusdem prudentiæ fuit suada conciliatricula, qua usa est, a salute non tam sua & suæ gentis, quam rigore depromta Esth. viii. 4. V. Sanct. ad h. l. pag. 338. Ejusdem prudentiæ fuit petitio revocandarum literarum, non quas Rex, sed quas Haman scripsisset. Sanct. ibid. p. 342. Rex denique Ahasverus, lenis nimis ac facilis ad consiliariorum suffragia & Hammannis artes approbandas: unde & ab Esther in contrariam eadem facilitate inclinari potuit, ut vindictam in Hammanem omnesque Hammanitas & Judæorum hostes indulgeret. Justene in innocentes? Juste jure Persico, quo & in propinquos grassabatur, ab iis, qui fato Hammanico condoluerunt, paratis sive ad ultionem, sive repercussionem exacta: ab infantibus & a quibus ne paternæ cædis memores aliquid contra Regem vel Judæos data occasione molirentur, timendum erat.

Denique iii. Tributorum immanitas. Etenim tertiam partem ex omnibus seminatis, dimidiam e fructibus arborum, exi-

exigebat Regum Perficorum fifcus, ut colligere eft cap. I. Maccab. XI. 35. Quid? quod ne Sabbathico quidem f. feptimo anno parceretur, nam & hoc anno, licet fterili, vectigalia extorquebat regius exactor; a qua penfione poft immunitatem impetravit Jaddus pontifex apud Alex. M. & Jofeph. XI. 8.

IV. Heroes & lumina præclara, quæ hanc quoque politiæ Judaicæ periodum condecorarunt, funt Mardochai, Deo Regique fidum pectus: Zorobabel, Efdras, Nehemias, vir religiofe ac fapienter aulico Politicus, in quo reperias pietatem pro inclinatione cordis regii ad Deum clamantem, Nehem. II. 4. charitatem in patriam ib. verf. 3. prudentiam in captanda opportunitate fupplicandi eo temporis articulo, quo Rex liberalius bibiffet: eloquentiam eo argumento regium animum movendi, quod jus fuum gentiliumque patrii fepulchri ftudiofe dictitaffet; liberalitatem Nehem. V. 16. Nam cum præfecti regii fuperiores alias, ut hirundines fanguinem, bona fubditorum exhauffiffent, Nehemias de fuifmet facultatibus munificus fuit.

V. Parum fuit Judæos reduces factos ab externo hofte premi, nifi & inteftina mala acceffiffent, utpote I. fyncretifmus & commixtio conjugialis cum fanguine profano. Efdr. IX. 1. 2. Nehem. XIII. 23. Unde biformis proles & quafi hybrida. Solutio hujus matrimonii, jufta fuit 1. jure univerfali, ficut nonnulli colligunt: exoticæ enim mulieres primis ac Judaicis uxoribus fuperinductæ fuerunt, quo quidem in cafu non conjuges, fed adulteræ fuerunt. 2. Jure Judaico, quo conjugia cum feptem populis devotis fimpliciter interdicta fuerunt. Deuteron. VII. 3. 3. Jure repudii fumto aque Deo ob duritiem cordis permiffio. Hodie materia inter Judæos & Gentes rupta hujufmodi folutio, excepto primo cafu prorfus eft illicita. An a. & proles cum matre exotica, ut fructus fequeretur ventrem, dimiffa? Id quidem Zacharias fuadet Efdr. X 3. & factum effe innuit Jofephus lib. XI. 5. fed verifimilius eft, Efdram a Domino edoctum fuiffe, ne filios cum matribus dimitteret, Ethnica religione & moribus barbaris inficiendos. II. Ex fyncretifmo nata linguæ Hebrææ & patriæ defuetudo ac peregrinæ commixtio, quod malum, quam turpe fit ac periculofum Reipublicæ notat Piccartus Decad. III. obf. CLX. III. Fœnus centefimæ a fratribus, ut haberent, unde Regi tributa folverent, expoftulatum. Nehem. V. 11. qui e. g. fœnore accepit ad centefimam centum aureos pendere debuit fingulis annis duodenos, & ita octo annis & 4. menfibus totam fortem adæquavit: eo ufque acerbum, ut nonnulli ad venditionem liberorum adigerentur, durioribus ufi Dominis, quam in captivitate Babylonica. IV. Malitia & fegnities, in conftruendo templo cujus fabricam diftulerunt Judæi tanquam regio edicto abfterriti, fuarum interim domorum ftructores haud fegnes, quod iis exprobrat Haggæus c. II. 2. V. Inteftina feditio Neh. V. 18. & proditio feu tacita cum Tobia hofte Samaritano confpiratio, Neh. VI. 10. 17. 18. En tibi proditorum artem, qui ne quid infidiarum fubodoraretur Nehemias, fed ut fecure hofti crederet, Tobiam laudarunt a bona fide & moribus antiquis, vf. 19.

VI. Sequuntur jam fata fub jugo Græcanico, quo anterius fuit Ægyptium a Ptolomæo Philopatre impofitum & lib. III. Maccab. prolixe defcriptum, quo dominante Judæi jus ἰσοπολιτείας cum Alexandrinis, quod confecuti funt a Ptolomæo Lagi filio, perdiderunt, dejectis in plebem per Laographiam, qui hederæ charagina Bachi fcil. fignum acceperunt, in fervorum fortem, qui id detrectarunt, ut notat ad lib. III. Maccab. H. Grotius p. 474. Sub jugo, in quam Græcanicæ monarchiæ, quæ a fummo culmine fortunæ Alexandro M. (cujus fata præfagierunt prophetæ Jerem. XLIX. 19. Dan. VIII. 5. eadem expofuit fcriptor lib. I. Maccab. c. II. & fqq. illuftravere οἱ ἔξω Juftinus XI. 14. Sen. Epift. LXXXIII. & XCIV. Plutarchus & Curtius totis commentariis. Laniationem prædæ a quatuor leonis catulis factam expreffit Orofius. III. 33.) ad ultimum finem folos L. annos in flore ftetit juxta Liv. lib. XLVI. quod reliquum ætatis fuit, bellorum paroxyfmis paullatim eft detritum & confumtum. Sub hoc jugo Judæa politia (Democratico-Ariftocratica, ut colligere eft ex I. Maccab. IV. 59. VIII. 29. XII. 6. ita tamen ut haberet dictatores Maccabæos ac Hafmonæos, de quo nomine videndi Fullerus Mifcell. II. 13. & Serarius ad I. Macab. XV. I. æque Jofepho aliquoties, qui poftea in Principes, imo Reges potius degenerarunt, quam profecerunt, omnia autem precario ac dependenter, idque jure belli quo Syriæ Reges adepti funt axioma & in facra I. Maccab. X. 20. Nam confecuta eft Judæa ab Alexandro M. immunitatem Sabbathicam agrorum vacantium tefte Jofepho XI. 8. ab Alexandro larvato Antiochi illuftris pfeudofilio juxta Juftin. XXXII. libertatem a tributis reliquis ab auro corollario, a tertiis frugum

gum agri. 1. Maccab. x. 16. eidem Jonathas debuit μεριδάρχην f. honorem quasi palatinum & Dapiferum a Demetrio jus Armandiæ 1. Maccab. xi. 6. & 35. ab Antiocho Eupatore ex prudenti Lysiæ consilio, quod extrema necessitas extorserat, religionis Judaicæ αὐτονομίαν 1. Maccab. xv. 6.) sub hoc inquam jugo Judaica politia pressa contributionibus Asiaticis. 1. Maccab. 10. 29. malisque aliis sexcentis infestata ab incubitoribus tyrannis, præcipue ab Antiocho Epiphane Græcis, sed Judæis Epimane dicto, cujus sceleratam vitam prævidit Daniel. cap. VIII. 23. describunt auctor libri 1. Maccab. cap. 1. 10. Hieron. ad Dom. XI. Athenæus lib. x. Dipnosoph. cap. XI. Conf. ejusdem epitaphium apud Serarium pag. 445. Tyrannidem illius deplorat historia Maccabaica irritatam diris e cœlo prodigiis, & gaudio Hebræorum e fama mortis illius frustra concepto. 2. Maccab. v. 2. Tyrannidem maxime in sacra & religionem quam ex iisdem fortasis hypothesibus, quibus antichristus vult, unam esse voluit in toto regno, 1. Maccab. 1. 43. 58. De sævitia in septem fratres martyres videndus Serarius ad lib. 2. Maccab. VII. pag. 402. accessit ad jugum externum intestina Syncretistarum & Apostatarum, Alcimi præcipue, proditoria nequitia. Tandem Maccabæorum cœlitus excitatorum (quo fine impulsu non licuisset arma capere in Regem: nam quod quidam nominatim Bellarm. contra Barclaj. c. XXVI. arma Maccabeorum eo nomine defendunt, quod Antiochus non Rex sed hostis ac invasor fuerit, dilutum est. Etenim Judæi a Nebucadnezare primum devicti jure belli, ex eodem jure successoribus Chaldæorum & Medorum paruerant, quorum totum imperium ad Macedonas venit. Hinc Judæi, Tacito teste lib. v. histor. dum Assyrios penes Medosque oriens illi fuit, vilissima pars servientium. Nec alio quam regio nomine Antiochus in libris Maccab. salutatur) heroica fortitudine in libertatem asserta, halcyonia nacta respiravit, sub Simone domestico principe simul ac sacerdote, qui non amplius precario, sed suo nomine literas fastosque publicos obsignavit. 1. Maccab. XIV. 41.

VII. Heroes libertatis ac patriæ vindices clari existere Matthatias. 1. Macc. II. 24. seqq. qui zelo pio justoque Judæum apostatam idololatram mactavit. 1. Maccab. II. 2. idque ex potestate a lege facta. Deut. XIII. 2. exemplum secutus majorum suorum Levitarum. Exod. XXXIII. 29. Conf. Serar. ad 1. Macc. II. p. 521. Judas Maccabæus, fortitudine & magnanimitate leo, divinis promissis & parvæ manui si pia sit, victoriam asserentibus. Levit. XXVI. 7. & experientia superiorum prœliorum animatus, 1. Macc. IX. 21. Prudentia serpens, quam testatus est prædæ intempestivæ interdicto, 1. Maccab. VI. 17. ut qui sciverit, prædæ immoderatum studium sæpe victoriæ fructum perdidisse; Sic Mithridaten e manibus Romanorum effugisse Cicero pro L. Manilia scribit. Ejusdem prudentiæ fuit fœdus cum Romanis, quorum tunc nomen passim fuit terribile, initum. 1. Macc. VI. seqq. Videndus de illius cæde & causis amissæ victoriæ C. Sanctius ad 1. Macc. IX. p. 484. Jonathas fulmen itidem belli sacri non minus consilio quam viribus præstans. Prudentiæ militaris fuit, quod exercitum suum hinc lacu, illinc Jordane conclusum fortiter pugnare coegit. 1. Maccab. IX. 45. nim. ut Annibal apud Liv. XXI. ad milites suos dixisse fertur, dextra levaque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem navem habemus: hic vobis aut vincendum est, aut moriendum, o milites. Ejusdem prudentiæ fuit e duobus quasi procis rivalibus elegisse partes, Alexandri præ Demetrio, cujus infidum ingenium pridem exploratum habebat 1. Macc. x. 47. Simon pacis æque ac belli moderator ter sapiens æque prudentiæ exemplum egregium. 1. Maccab. XIV. Cujus prudentiæ & fuit illud consilium, quo auro voluit parcere, quamvis Tryphonis genium, artis perfidiam calleret, ne domi male audiret ob & patriam periculo objectam, & fratrem heroem non redemtum. 1. Macc. XII. 17. Eleazaris denique nomen non omittendum cujus (non temeritatem) sed inclitam virtutem descriptam, 1. Maccab. VI. 14. celebrat Ambros. lib. 1. Offic. cap. XL. Confer horum heroum pyramides erectas a Poeta, cujus carmen producit Serarius in Comm. ad lib. Macc. pag. 50.

VIII. Finimus in Fatis politiæ Judaicæ sub jugo Romano, quod paullatim illa ac sensim induit. 1. In victoria, quam de Antiocho M. Scipio Romanus reportavit, unde Syria Romanis tributaria facta dicitur 2. Maccab. VIII. 6. 7. 10. Liv. lib. IV. dec. v. Justin. XXXI. & XXXII. Obses primum Senatui datus est Antiochus Epiphanes, in cujus locum substitutus Demetrius Seleuci F. quem Senatus rogantem dimittere noluit, teste Appiano in Syriacis. 2. In admisso sociali fœdere 1. Maccab. VIII. Verum hic quoque illud Tullii: Noster po-

populus sociis defendendis omnium terrarum potitus est; quamvis enim a senatu Rom. Simoni libertas administrationis concessa fuerit. 1. Macc. XIV. 26. tamen. 3. Occasione intestini inter fratres Hircanum & Aristobulum belli Hierosolyma a Pompejo occupata; ipsa tandem Judæa in provinciæ formam redacta, pristinum decus omne amisit, id quod monstravimus in Christeid. actu 1. phænom. II. p. 63. Videndus hic omnino de justitia bellorum Romanorum J. Lips. IV. admirand. cap. III. Retinuit eadem Judæa sub hoc dominatu præter αὐτονομίαν & religionis libertatem, immunitatem septimi anni a Cajo Cæsare indultam, teste Josepho lib. IV. 17. Sed experta durum Romæ jugum seditione nequicquam se liberavit, sed in extremum se dedit exitium, de quo pluribus actum est in nostra Christeide Act. 1. theatr. 1. phænom. II. pag. 89. & theatr. III. phænom. IV. pag. 687.

HERMANNI CONRINGII EXERCITATIO DE POLITIA SIVE DE REPUBLICA HEBRÆORUM.

THESIS I.

QUA ratione quæcunque societas humana, quæ civitatis nomine censeri potest, administretur atque gubernetur, id considerare nemini non suave atque jucundum esse potest. Atque id eo magis, quo ἀκρότατον illud ἀγαθὸν, quod per commodam sui gubernationem societas humana obtinere solet, expenditur intentius. Cum enim omnia diffluxura videantur, si omni omnino societas gubernatione destituatur, sola hæc si commoda sit præstat, ut bene beateque inter homines vivi queat. Quin si non per omnia satis recte se habeat, præstat tamen, ut societas, quæ coiverat, e vestigio non prorsus diffluat & dilabatur.

II. Cæterum qua ratione gubernata olim fuerit Israelitica gens, turbata illa hominum, quam Ægyptiacæ tyrannidi subduci jusserat ipse Deus, quemque adeo seorsim ab Ægyptiis degere, & peculiarem rempublicam constituebitur omnium. Israelitica enim gens illa erat, apud quam, ut sacra phrasi utar, ignem & caminum habebat, atque adeo singulari modo habitabat ipse Deus; cui revera præstabat talia, qualia numquam nationum ulli. Hanc eandem voluit Deus non consuetis inter quasvis alias gentes modis gubernari, sed qui excellentia quadam sua a cæteris haud parum discreparet omnibus. Nos ab insigni, quam diximus, suavitate allecti, in expendenda Hebræorum Reipublicæ forma paululum nos exercebimus.

III. In naturam autem rerumpublicarum introspicere volentibus τὸ κύειον sive summa potestas ante omnia consideranda fuerit, penes quem nimirum illa ipsa sit & utrum penes unum, an vero penes paucos, an denique penes omnem populum sit. Hinc nimirum tres diversissimæ & maxime ἀντιδιῃρημέναι simplicium rerumpublicarum formæ emergunt. Aristoteles ubi considerare instituit politias sive respublicas, πόσαι τὸν ἀειθμὸν, καὶ τίνες εἰσὶ quot numero sint & quæ (facit id autem *lib.* III. *Polit. c.* 7.) ita pronunciat illico: ἀνάγκη δ' εἶναι κύειον ἢ ὀλίγυς ἢ τὰς πολλὰς. Quam divisionem & Cicero *Secundo de divinatione*, profitetur se a Platone Aristotelis præceptore ejusque philosophia didicisse, *respublicas teneri tum a principibus, tum a populo, aliquando a singulis*. Tacitus quoque conformiter prorsus hisce loquitur *lib.* IV. *Annal. Cunctas nationes*, inquit, *& urbes populus, aut primores, aut singuli regunt*. Ita a numero τὸ κύειον sive summam potestatem obtinentium, omnis naturæ rerumpublicarum fluit diversitas.

IV. Porro vero simplicibus politiarum formis, certa etiam nomina jam olim tri-

tributa esse, nemini non est cognitum. Si nimirum unus rerum potiatur. Monarchiam appellavere hanc regiminis formam. Et porro τὴν πρὸς τὸ κοινὸν ἀποβλέπουσαν συμφέρον, quæ ad communem utilitatem respicit, βασιλείαν regiam potestatem dixit Aristoteles. Quæ autem Monarchia πρὸς τὸ συμφέρον τοῦ μοναρχοῦντος, ad commodum dominantis respicit, illam Aristoteles τυραννίδα appellavit. Si πολίτευμα sive summa potestas penes plures, eosque paucos sit, hæc regiminis forma, sive recta sit per omnia, sive rectæ παρέκβασις & ἡμαρτημένη, plurimis Oligarchia olim est dicta. Aristoteles vero, ubi respublicas dispescit, Oligarchiæ vocabulum paucorum potentiæ minus recte se habenti, & ad publicam utilitatem non respicienti, tribuit: Sin paucorum potentia publicam salutem procuret, Aristocratiam appellat illam gubernationis formam. Si denique populus πολιτεύηται, sive summam potestatem obtineat & quidem ad communem utilitatem, Aristoteles hanc regiminis formam communi omnium rerumpublicarum nomine πολιτείαν appellat, hujus vero παρέκβασιν dictam vult Democratiam. Complures tamen, qui Philosophum & antecesserunt & secuti fuerunt, Democratiæ vocabulum generale esse voluerunt, cujuscunque τοῦ πλήθους κυρίου, a quibus neque ipsum Philosophum prorsus abire intelleximus.

V. Sed ad illam tandem potestatem quæ in gente Israelitica obtinuit, versandam atque considerandam accingamur, eamque talem, qualem ubique terrarum in gentium gubernatione omni memoria observare fuit. Cum igitur gens Israelitica post diutinas tergiversationes ab Ægyptiorum Rege dimissa tandem esset, atque ut in Palæstinam commigraret per deserta Arabiæ Petrææ iter facere inciperet, peculiarem rempublicam illico constituit. Erat ibi justa hominum multitudo, quæ ex simplicibus enata fuerat societatibus. Hanc gubernari utique erat necesse, si civili etiam ratione commode inter se vivere deberet. Atqui si more inter alias gentes consueto gubernari deberet, fuerit τὸ κύριον seu summa potestas alicui vel aliquibus committenda, vel certe si penes universum populum esse deberet, aliquibus tamen deleganda, qui exercerent.

VI. Hic autem singularem rationem, quæ inter alias gentes non obtinebat, neque obtinuit unquam, est animadvertere. Omnis quidem potestas, quæ civitate moderatur, præcipue Deo T. O. M. ab illis, qui eam obtinent, accepta est ferenda, juxta illud gentium Doctoris: οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ. Neque dubium est quin ille *qui hominum interest animis & mediis cogitationibus intervenit*, quod prudentissimus Seneca agnoscit, quin inquam, ille summam potestatem, quæ magnos hominum gubernat cætus, præcipue dirigat, atque moderetur. At vero inter summam potestatem, quæ gentem Israeliticam gubernavit & quæ cæteras gubernat gentes, illud est: quod hæc, licet occulte a Deo dirigatur, hominibus tamen plene committitur: illam autem ipse Deus maximam partem sibi servavit. Fit adeo, ut illa, quæ hominibus committitur, non raro abutantur ipsi homines. Neque enim vi eam dirigit aut si male ea utitur homo, sensibiliter semper retundit Deus, sed ut a præscripto legum divinarum exorbitet, non raro permittit. Quam autem circa Hebræos sibi servaverat Deus, illius usus non nisi sanctissimus esse potuit.

VII. Cum autem τὸ κύριον sive summa potestas in variis sita sit, videmur operæ pretium facturi, si quid potissimum nos velimus per hanc summam potestatem intelligi, explicemus. Potestatem itaque summam quam maxime sitam esse dicimus in regenda aut tuenda republica. Hæc enim potissimum illa capita sunt, ad quæ revocari pleraque possunt, quæ circa reipublicæ summam in disquisitionem venire solent. Atque huc pertinet illud Poetarum principis Homeri quod de Agamemnone dixit: ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. Quæ porro ad regendam civitatem pertinet potestas, illa præcipue in legibus condendis & magistratu constituendo est sita: Quæ autem ad tuendam, in armis & gerendo bello. Tria adeo fuerint in quibus summa potestas, quantam nimirum cunque in politiis observare possumus, maxime est conspicua: leges condere, bellum indicere, magistratus constituere.

VIII. Porro horum omnium in republica Hebræorum penes ipsum Deum arbitrium fuit. Et id quidem in proclivi nunc est ostendere. Potestatem condendi leges quibus gens Hebræa etiam ad politicum bonum fruendum gubernaretur, reservasse sibi ipsum Deum atque etiam leges illi genti condidisse, tam manifestum est, ut qui id operose probare vellet, lucem Soli, quod ajunt, fœneraturus videri posset. Elucet autem id maxime ex plurimis Levitici, Numerorum & Deuteronomii capitibus, quæ quasi dives sunt penu, unde quicquid etiamnum

num in vita humana commodis legibus definitum est magnam partem depromtum videas. Primum cum Deus ter O. M. ex Arabiæ monte Sinai pararet leges ferre, de se ipso præfatus est hunc in modum: *Ego sum Jehova Deus tuus qui eduxi te ex Ægypto e domo servitutis*. Tum illam primo mundi tempore hominum mentibus insitam legem per fulgura ac tonitrua clarissime edidit atque repetiit. Post hæc e vestigio istiusmodi tulit leges, qualium in politiis instituendis usus esse solet, qualibusque viventibus commode & quiete inter homines vivi potest; abolitis ex adverso vel nullis existentibus, fieri non potest, quin injuriæ τοῦ τυχόντος plurimi sint expositi. Hæ nimirum sunt illæ, quas ut distinguamus a naturalibus ac cæremonialibus, quarum recensione codicis Mosaici bene magna pars consumitur, forenses dicere consuevimus. Atque illarum singulas pressius considerare operæ quidem magnum fuerit pretium, nostri tamen in præsentia haudquaquam est instituti. Facturus id aliquando est Vir Excellentissimus, sub cujus auspiciis hæc nobis nata est confidentia, ut levidensia ista ad publicam συζήτησιν extruderemus.

IX. Præterquam vero quod Deus universales tulit leges, per quas similibus delictis similis atque eadem pœna fuit irrogata, usu etiam venit, ut quidam malefici ad occultas pœnas a Deo raperentur, vel sciscitanti Moysi singularis quædam pœna indicaretur, quæ maleficio esset irroganda. Pœnæ capitales quidem quæ apud Hebræos obtinebant, videntur ad quaternarium numerum commode posse revocari. Sunt igitur illæ: Combustio sive vivi comburium, lapidatio, decollatio, & denique strangulatio suffocatio sive suspendium. Quod autem quidam, quos inter etiam sunt doctissimi Viri Sigonius *l.* VI. *de Repub. Hebr. c.* 10. & Lipsius *l.* I. *de cruce cap.* 9. crucifixionem etiam supplicium inter Hebræos usitatum fuisse existimant, næ in eo oppido falluntur, id quod ostendit nobis ὁ πάνυ Isaacus Casaubonus *Exerc.* XVI. *in Baron. num.* LXXVII. Cæterum quod diximus Deum ipsum quosdam ad occultas pœnas rapuisse, apparet ex *Levit. cap.* X. *Numer.* XI. XII. XIV. XVI. Sed & privilegia quædam ab ipso Deo quibusdam irrogata videmus, & Moysi in mandatis datum, ut ea homines exequerentur. Sic *Num.* XXV. mandat Deus, ut principes populi suspendantur qui nimirum Moabitarum fœminis sese miscuerant. *Num.* XV. memoratur quendam ligna Sabbatho legisse; cum autem lege minus clare fuisset expressum, quomodo is ipse plectendus esset, mandasse Deum ut capitali supplicio afficeretur, hoc est lapidibus obrueretur. Ex *Levit.* XXIV. capite intelligimus, blasphemum quendam in custodiam datum fuisse, donec luculenta a Deo darentur responsa, qua ipse pœna esset plectendus: & cum illa data essent, lapidibus blasphemum illum itidem fuisse obrutum. Ita quæ legibus clarissime definita non erant, de iis expectabatur ipsius Dei definitio.

X. Eodem modo, si in iis, quæ ad ritus pertinebant, quicquam suboriretur dubii, consulebatur itidem Deus, ejusque expectabatur responsum, ut apparet ex *cap. Num.* ubi de contaminatis & peregre profectis agitur, an simul una cum cæteris festum paschatos celebrare & agnum edere ipsis esset integrum. Cum filiæ Zelophchadis peterent, ut sibi etiam darentur prædia, Moyses ad Deum ipsarum causam defert, & mandata accipit, ut quæ ipsarum parenti Zelophchadi tribuenda fuissent, nunc ipsis filiabus tribuantur, uti hæc leguntur *Num.* XXVII. Edita enim tum universalis sanctio est, ut quæ defuncto cuidam tribuenda essent prædia, illa tribuerentur illis, qui proxime ipsi sanguine essent juncti aut cognati. *N.* XXXVI. Cum etiam dubium suboriretur; an illæ ipsæ Zelophchadis filiæ jam ἐπίκληροι factæ viris, qui non ejusdem cum ipsis essent tribus, nubere possent, nec ne, Moyses exquisita Numinis voluntate ita respondet. *Hoc est verbum quod præcipit Jehova de filiabus Zelophchadis, dicendo cui bonum videbitur in oculis suis nubent: veruntamen in familia tribus paternæ suæ nubunto. Nam non avertetur possessio in filiis Israelis a tribu in tribum: quum filii Israelis adhærebunt quisque possessione tribus paternæ suæ*. Illæ autem relationes, quæ ad Deum fiebant, in Hebræorum republica maxime erant necessariæ, cum nec legibus definita omnia essent quæ usu venire poterant, nec illis quicquam addere sive demere vel omnino in illis migrare ulli homini esset licitum. De vulgaribus rerum publicarum legibus Aristoteles ita loquitur: *l.* 3. *Polit. cap.* XX. δεῖ τοὺς νόμους εἶναι κυρίους κειμένους ὀρθῶς, τὸν ἄρχοντα δὲ, ἄντε εἷς, ἄντε πλείους ὦσι περὶ τούτων εἶναι κυρίους: περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι καθόλου δηλῶσαι περὶ πάντων. In Hebræorum republ. leges utique erant optime omnium positæ & eædem etiam dominabantur. At incidere quædam poterant quæ ex illis definiri liquido non possent. Circa talia igitur etiam potestatem ac arbi-

bitrium ſibi ſervaverat & κύριος erat ὁ ἄρχων illius Reipublicæ ipſe Deus; quomodo nimirum in aliis rebuſpublicis iſtiuſmodi poteſtatem habere debent οἱ ἄρχοντες. Cæterum legibus θεοσδότοις quæ Hebræorum rempublicam moderari debebant, non licuiſſe ulli homini privato auſu aliquid addere ſive demere, id exſertis verbis dicitur *Deut.* IV. & XII. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Hoc igitur argumento maxime eſt juris majeſtatis, quod in legibus ferendis eſt poſitum, nihil quicquam penes hominem fuiſſe.

XI. Ut autem poteſtas leges ferendi penes Deum, ſic pariter immunitatem & privilegia concedendi poteſtas fuit. Ita qui ex tribu Levi erant, omnes a malitia jubet eſſe immunes & ſacro muneri addixit, *Num.* I. Immunitatem a militia conceſſit etiam aliquibus aliis, utpote qui vineam noviter excolere cœpiſſent: qui uxori ſe deſpondiſſent necdum demum eam duxiſſent: qui novas ædes exſtruxiſent nec dum ea incolere cœpiſſent: denique qui timidi eſſent & cæteris etiam metum viderentur incuſſuri, quomodo hæc leguntur *Deut.* XX.

XII. Porro belli gerendi arbitrium in gente Iſraelitica Deum ſibi reſervaſſe & penes Deum fuiſſe, de eo dubitari non poteſt. Deus præerat & intererat præliis. Verſabatur in gente Iſraelitica, *Num.* XIV. *Deus in medio veſtri eſt*, inquit Moyſes, *& pro vobis contra hoſtes pugnabit Deut.* XX. Ipſe Deus jubet numerari populum, ordines conſtitui & prælium iniri *Num.* I. Ita ſingulos tribuum præfectos jubet in acie in primo ordine locari *Deut.* XX. Iubet etiam prælium inire cum Midianitis & internecione delere eos, quia gentem Hebræorum ad idololatriam illexerunt. *Num.* XV. & XXXI. Quemadmodum autem ſemper feliciter præliabantur, quoties Dei juſſu id faciebant Iſraelitæ, ſic contra turpiter rem gerebant & magna clade afficiebantur, cum injuſſu Dei pugnabant. Moyſes in quarto hiſtoriæ ſuæ ſacræ c. XIV. dehortatur gentem ſuam, ne inirent prælium: *Dominus vobiſcum non eſt*, inquit, *ne corruatis.*

XIII. Sed de magiſtratibus tandem oſtendendum nobis eſt, quod & ipſorum inſtituendorum arbitrium penes ipſum Deum remanſerit in Hebræorum Republica. Fiet id commode ſatis, dum de ipſis magiſtratibus, qui in republica Hebræorum fuerunt, diſſeremus. Antea autem, quam hoc faciamus, conſideranda proponimus illa ipſa S. Scripturæ verba, quibus Deus ter Optimus M. gentis Iſraeliticæ Rex diſerte appellatur. Nimirum hinc etiam oppido fiet manifeſtum, τὸ κύριον ſive ſummam poteſtatem, qualis in aliis rebuſpublicis penes homines eſſe ſolet, in Hebræorum republ. ſervaſſe ſibi ipſum Deum. Cum igitur Hebræi poſtularent, ut ſibi Rex daretur, quales finitimæ ipſis gentes ſibi præfecerant, ipſe Deus ad Samuelem loquitur in hunc modum: I. *Reg.* VIII. 7. *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Regnaverat igitur ipſe Deus in Iſraelitica gente, antequam proprie dictus Rex ex hominibus conſtitueretur, & eo modo poſtea non regnabat cum ex hominibus Hebræis Rex eſſet datus. Porro vero idem clariſſime innuit Samuel, ubi ſuæ genti κακοήθειαν illam exprobrat, quod poſtulaſſent ſibi Regem dari: I. *Reg.* XII. 11. *Cum videretis*, inquit, *Nahaſum Ammonitarum Regem bello vos appetentem, dicebatis mihi: Non tu ſed Rex nobis dominabitur, cum tamen ipſe Jehova Veſter Rex eſſet.* Sed illud huc pertinet, quod cum Gideon rem bene geſſiſſet & quidam ex gente Iſraelitica ipſum Regem eligere & regnum poſteris ipſius itidem addicere vellent, quod, inquam, ipſe Gideon iis reſpondet: *Jud.* VIII. 23. *Ego nequaquam dominabor vobis, ſed Jehova vobis dominabitur.* Syracides denique expreſſit idem hiſce verbis: *In unamquamque gentem præpoſuit rectorem* καὶ προσελάβετο τὸν Ἰσραὴλ αὐτῷ μερίδα *& pars Dei Iſrael facta eſt manifeſta.* Germanicus noſter interpres ſenſum commode expreſſit hunc in modum: über Iſrael iſt er ſelbſt HErr worden.

XIV. Nnnc ad id accedemus, quod paulo ante inſtitueramus dicere. Qui igitur ex hominibus populo Iſraelitico præfuerunt uſque ad Saulem, illi ἀρχαὶ ſive magiſtratus ſtricte ita dicti ſunt dicendi. Ex mente autem Philoſophi ἀρχαὶ ſive magiſtratus maxime illi ſunt appellandi, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαι περί τινων, καὶ κρῖναι καὶ ἐπιτάξαι καὶ μάλιστα τοῦτο, *quibus datum eſt deliberare de quibuſdam & judicare ſive ſtatuere & mandare ſive jubere & maxime hoc poſtremum.* Geſſit igitus iſtiuſmodi magiſtratum in populo Iſraelitico primus omnium Moyſes, quem habito reſpectu ad Deum, qui ſummam poteſtatem ſibi in populo Hebræo ſervaverat atque adeo illius Rex erat, haud abſurde proregem dixeris, Certe *Deut.* XXXIII. *verſ.* 5. in benedictione Moyſis habentur verba, cum qui-

bus id non male congruit. Apud vulgatum interpretem illa ita sonant: *Erat Moyses apud rectissimum Rex*. Osiander autem ita corrigit: *Et fuit Moyses in recto Rex in colligendis capitibus populi in unum tribubus Israel*. Leonis Judæ versio hæc est: *Et fuit æquabilis Rex*. Illam Vatablus immutat hoc modo: *Fuit autem in Israele* (tanquam) *Rex*. Quicquid sit de una voce Hebræa, de qua sententiarum animadvertere est divortium inter interpretes, Moyses utique Rex hic videtur dici. Verum id omnino intelligendum, quomodo Vatablus intelligit, quod nimirum Moyses fuerit *tanquam* Rex. Atque eodem modo commode noster interpres Germanicus: Er verwaltet das Ampt eines Königes. Verus utique Rex haud fuit, neque unquam se pro Rege gessit, qui se afflictissimum mortalium queribundus profitetur, *Num.* XI. & XII.

XV. Cæterum gessisse Moysen magistratum, habuisse ipsum potestatem peculiari tamen modo ab ipso Deo dependentem, deliberandi, statuendi, & mandandi ac de controversiis judicandi in gente Hebræorum, id ex historia sacra quam ipse Moyses scripsit, abunde liquet. Cum per deserta Arabiæ in Palæstinam tenderent Hebræi, aliquanto tempore solus Moyses causas dijudicabat omnium, ut operas matutino tempore exorsas in multum vesperæ produceret & vires suas nimium quantum exhauriret. Quod cum Jethro generum suum invisens animadverteret, judicia aliter instituendi consilium ipsi dedit. Sacer scriptor memorat illud hisce verbis; *Exod.* XVIII. 17. & *seq. Res quam tu facis, non est bona. Omnino marcesces & tu & populus iste, qui tecum est: Nam gravius est negotium quam ut tu hoc solus conficias. Audi igitur vocem meam consulam tibi, & erit Deus tecum. Tu gere curam populi coram Deo & refer causas ad Deum, & doce eos statuta & leges & viam eis ostende in qua ambulent, atque opus quod faciant. Porro ex omni populo tu prospice viros fortes, timentes Deum, viros veraces, odientes avaritiam, & præfice illos tribunos centuriones quinquagenarios & decuriones. Illi judicent populum omni tempore: omnem vero rem gravem quæ inciderit, ad te referent, ipsi vero universas res parvas judicent, levabuntque te cum fuerint tecum.*

XVI. Non insuper id consilii habuit Moyses, atque ex eo operæ, quæ ipsi soli hactenus incubuerat, partem in alios derivavit. Audierat ipse & dijudicarat causas suæ gentis promiscue minimas cum maximis. At ex consilio soceri, in litibus magis liquidi juris judicandis laborem aliis delegavit, nulla, judiciorum parte sibi reservata, nisi quando lex ipsa vel obscurior esset. Certe in consilio Iethronis hæc sunt: *Tu gere curam populi coram Deo & refer causas ad Deum*. Moyses ipse *Deut. l.* 18. scribit in hunc modum illos a sese constitutos judices isthoc tempore sese allocutum: *Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me & ego audiam.*

XVII. Cæterum illi ipsi quos Moyses ita instituit judices, ex quibus & quemadmodum fuerint instituti, non perinde liquet. Possit sane cui videri, fuisse illos jam antea capita tribuum, eoque in potestate positos, cum ita Moyses memoret se dixisse: *Et sumpsi capita tribuum vestrarum viros sapientes & nobiles & constitui illos capita super vos, principes chiliadum, principes centuriarum, principes pentecostyων, principes decuriarum & præfectos tribuum vestrarum*. Non licet tamen hoc ipsum ex illis verbis colligere: *capita* enim seu *principes* audiunt etiam, quibus nulla in alios competit potestas, modo præ aliis vel virtute vel re quadam alia emineant: quales sane illi fuerunt *sapientia & nobilitate*. Vulgatus interpres hosce principes vocat & quidem primi ordinis *tribunos* (commodius fortassis chiliarchos dixisset) secundi ordinis *centuriones*, tertii *quinquagenarios*, quarti denique *decanos*.

XVIII. Quales fuerint illæ chiliades, hecatontades, pentecostyes, atque decades, de eo itidem omnium non eadem est sententia. Legimus conjecturam Bonaventuræ Cornelii Bertrami; quam etiam ipsius verbis huc adscribemus: *De Rep. Hebr.* VI. *p.* 60. *edit. Const. Empercur. Ex Josuæ cap.* VII. *liqueat populum Hebræum distributum primum fuisse in tredecim tribus: tribus illas in Septuaginta gentes, quas Hebræi animas vocant sæpius quam Mischpachoth quod vulgo exponunt familias: Septuaginta illas gentes in familias, quas Hebræi fere appellant Batim, id est, domos, domos illas in Gefarim, id est, viros seu capita. Capita vero seu viros hic appellamus qui patres familias sint, filiosque & quam latini familiam appellant habent, Chiliarchos, Centuriones, Quinquagenarios & Decuriones, ut jam subindicavi, non per gentes quæ duntaxat septuaginta erant, designatos puto: nec per eos qui proprie dicuntur Gefarim, id est, viri seu capita, quum immenso fere numero futuri essent, sed per batim, id est, domos seu familias.*

XIX. Cæterum fuerunt quidem singulæ tribus divisæ in gentes: hæ porro in do-

domos: domus denique constiterunt ex pluribus patribus familias: quod autem gentes illæ exacte septuaginta fuerint, non apparet. Quot & quæ singularum tribuum gentes aut familiæ fuerint, cum Hebræi in desertis Arabiæ quadraginta annos fere exegissent, rectius intelligimus ex *vigesimosexto Num. capite*: & vero secundum illam distributionem populus jam occupata Palestina semper fuit divisus. Quod item Bertramus existimat, chiliades illas, hecatontadas item, pentecostyas & decadas esse domorum, quales nimirum in Josuæ *capite septimo vers.* 17. intelliguntur, non patrum familias: id non omni procul est dubio. Verisimilius videtur esse illas chiliadas patrum familias, cum eundem loquendi modum de præfectis militum passim usurpatum videamus. Quemadmodum enim Moyses dicitur constituisse principes chiliadum & centuriarum qui causas judicarent, ita etiam præfecti militum dicuntur, alii quidem principes chiliadum, alii hecatontadum. Videantur modo postrema *capitis* XXXI. *Num.* tememata. Chiliades nimirum hæ atque itidem hecatontades militares, cum fuerint singulorum virorum: fuisse igitur & alteras illas tales per est verosimile. An vero principes chiliadum, hecatontadum, pentecostyων, & decuriarum, qui causas dijudicarunt, subordinati, invicem fuerint, quomodo principes chiliadibus & hecatontadibus militum præfecti utique fuerunt, de eo amplius est cogitandum.

XX. Hos minores magistratus & judices divus Moyses instituit, ipse a Jehova immediate institutus. Ubi observandum: quod illi a Moyse instituti munus suum proprio consilio propriaque prudentia tantum administraverint: Moyses vero quammaxime egerit tantum internuncium Dei. Neque vero quidquam legas alicujus in republica momenti a Moyse actum, nisi speciatim id jubente Deo. Eoque Moyses mandata immediate accipiebat a Deo, etiam si quando bella gerenda cum hostibus essent; nec alia autoritate constituebantur Chiliarchi & tribuni militum. *Num.* XXXI. Moyses a Jehova jubetur ulcisci Midianitas. Post Moyses mandata summi numinis perfert ad populum, jusso illo deligere atque instruere qui in militiam proficiscantur. Ipse tamen delectos dicitur misisse & amandasse in militiam.

XXI. Superest de illa Magistratuum institutione agere de qua narrare putatur sacer scriptor Moyses *libro quarto cap.* XI. quæque paulo ante facta est, quam eo penetrasset gens Israelitica unde exploratores in Palæstinam mittebantur. Incesserat tum gentem satietas mirabilis edulii, quo aliquamdiu victitarat, atque ex adverso carnium appetitus. Ægre etiam forte fecerat divino suo ἡγεμόνι, carnes ab ipso exposcendo, quod inde gentem abduxisset ubi carnium fuerat affatim. Queritur igitur Moyses de sua miseria & mori præoptavit quam illam perferre amplius. Ipsa Moysis verba sunt illa: *Num.* XI. 13. *Unde mihi esset caro, quam dem toti populo huic? nam flent adversum me dicendo: Da nobis carnes, ut comedamus. Non possum ego solus ferre onus totius populi hujus nam grave hoc est supra me.* Deus autem Moysen deligere jubet septuaginta viros, ex primoribus & præfectis seu moderatoribus suæ gentis, eosdemque ad tabernaculi ostium ducere, additque quid cum facturus ipse sit. *Tum descendens*, inquit, *loquar tecum ibi & seponam de spiritu qui est supra te ponamque in eis, si portabunt tecum onus populi, neque portabis tu solus.*

XXII. Magnus Grotius *Annot. ad Matth.* V. dicit hæc locutum esse Deum ad Moysen, cum questus hic ipse esset supremorum judiciorum ac relationum oneri (quod hactenus sustinuerat) se non sufficere, & septuaginta illos spiritu novo (judiciali) instruxisse, jussisseque partem oneris ferre, supremorum nimirum judiciorum & relationum. Et constans doctorum sententia est, institutum hic a Deo concilium illud atque Synedrium esse, cujus vim Herodes Rex fregit, majoris momenti causis quæ in singulis civitatibus decidi non poterant, dijudicandis consecratum. Multa de tali Synedrio, quod detorta paululum voce Hebræis jam olim Sanhedrin appellatum fuit, ex Rabbinorum adytis depromunt, queis in illa se penetrare fuit datum.

XXIII. Ex Moysis Maimonidæ *Valida manu* & quidem *Halacha Sanhedrin* producit quædam Wilhelmus Schikardus in *de Jure Regio* commentario, quæ ibi legere est volenti. Non continemus nos, quin pauca illinc huc etiam transferamus: *Senatus major in Sanctuario erat & vocabatur Sanhedrin magnum. Numerus illorum erat* LXXI. *sicut dicitur: congrega mihi* 70. *viros de senibus Israel. His Mose præfuerat, sicut dicitur: stabunt ibi tecum. Ecce in summa* 71. *Qui grandior sapientia, cæteros omnes antecellebat, eum faciebant præsidem seu caput consessus. Is ipsius est, quem eruditi ubique terrarum appellant Nasi, hoc est Principem, isque præest loco Moysis magistri nostri. At qui inter septuaginta senatores annorum ratione*

ne

ne natu maximus erat, eum collocabant a dextris illius vocabantque ABHBETHDIN h. e. patrem consistorii. Ceteri 69. se debant ordine promotionis & dignitatis suæ; quo quisque major in sapientia, quam collega suus; eo locabatur propius ad sinistram principis. Circum sedebant autem dimidiam quasi aream semicirculariter ut eos ambo præsides, Princeps & Pater, omnes simul in conspectu haberent.

XXIV. Credendum scilicet censent viri eruditi in his Moysi Maimonidæ & Talmudistis, tanquam ex traditione hæc talia habentibus. Cæterum quod pace illorum liceat dicere, non profecto ii sunt Talmudistæ; multo minus is est Maimonides scriptor recens, quibus tuto credas antiquissimas populi Hebræorum res, nullis suppetentibus sacris testimoniis: cum constet mendaciis plurimis dudum omnem eos decoxisse fidem. Itaque quod attinet quidem collegium LXX. virorum a Moyse institutum, non potest de ejus usu, ratione & duratione quidquam certi, nisi ex sacris codicibus haberi. Hi vero, nisi admodum fallar ab iis Judaicis Rabbinorum narrationibus plurimum dissentiunt.

XXV. *Principio* enim notandum est illo ipso Numerorum loco, ubi synedrium tale, quale diximus, institutum esse vulgo creditur, de summi judicii institutione vix leviter agi. Neque enim legitur, Moysen fuisse questum de onere aliquo summorum judiciorum, quod hactenus ipsi incubuerat: sed simpliciter de onerosa totius populi cura. Verba conquerentis apud Deum sunt: *Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi*. Respondens Deus jubet eligere LXX. viros: *ut sustenderent*, inquiens, *tecum onus populi & non tu solus graveris*. Jam vero onus Moysis non tam erat situm in judicando, quam in omnibus populi negotiis audiendis & ad Deum deferendis, adeoque in perpetua illa molestia agendi inter populum & Deum. Non pertinebant autem illa negotia ad lites & controversias, nisi tantum, si quando lex vel deficeret, vel esset obscura, ceu jam supra est dictum. In hujus itaque oneris (quod nondum composita republica & in vaga illa populi vita non potuit non esse maximum) levamen, non autem proprie judiciorum ergo lecti sunt illi LXX. Hinc sane iidem acceperunt partem Spiritus sancti, quo unus Moyses hactenus fuerat præditus, adeoque etiam ipsi facti sunt Prophetæ: quo spiritu simpliciter ad judicia non fuit opus. Quin imo videtur illud collegium Propheticum post obitum Moysis, republica jam stata desiisse: cumprimis munere illo consulendi Deum in causis dubiis post translato in collegium Levitarum, aut extraordinarium a Deo constitutum pro tempore Judicem: qua de re agitur *Deuteronomii cap.* XVII. Certe in toto Veteris Testamenti codice Prophetici consessus judicarii ex LXX. viris constante, aut vero collegii Prophetici tantum ex illo Prophetarum numero constante, nusquam fit mentio, sed Prophetarum incertus semper post fuit numerus.

XXVI. Lecti porro illi LXX. fuerunt ex senioribus & præfectis sive moderatoribus populi, adeoque *habuerunt jam antea populi curam*, ut recte dicit Hugo Grotius. *Annot. in Matth.* v. I. Imo pars illorum fortassis jam antea causas dijudicavit: pertinens ad eos, quos supra judicandis litibus chiliarchos, hecatontarchos, pentecontarchos & decadarchos constitutos fuisse dicebamus. Moysen enim Deus jussit Septuaginta seligere, *quos norit populi esse seniores & Schotrim. h. e. moderatores, præfectos, judices*. At Schotrim sunt illi ipsi chiliarchi, hecatontarchi &c., qui de tribunali pronunciabant. Liquet id ex *Deuteronom. c.* I. Moysis, ubi ita ipse loquitur. *Accipiens itaque primores tribuum vestrarum, homines sapientes & cognitos, constitui istos primores vobis, chiliarchos & centuriones & præfectos quinquagenos & decurioges & Schotrim, h. e. moderatores, per tribus vestras*. Moderatores sive præfecti hi non sunt alii a cæteris. Hinc in Exodo, ubi autem res memoratur, vox illa prorsus omittitur.

XXVII. Ex Rabbinorum adytis quidam depromunt, quod Schotrim sive moderatores illi fuerint lictores sive apparitores cum virga & flagello; utpote Wilhelmus Schickardus, Nicolaus Fullerus, Constantinus l'Empereur. At profecto ex lictoribus lectum esse Propheticum illud collegium cui persuadebitur? Septuaginta interpretibus illi Schotrim sæpe dicuntur γραμματεισαγωγεῖς, fortasse quod accusationes ad judices introduxerint. Nam apud Athenienses εἰσαγωγεῖς τῶν γραφῶν dicebantur qui certam κατηγοριῶν speciem, nemirum τὰς γραφὰς ad judices introducebant. Quamvis vero neque hæc ratio nominis satis videatur conveniens, tamen fortassis est verosimilior illa, quam S. Augustinus exposuit hisce verbis: *Moyses in populo Dei constituit, qui docendis literis præessent, priusquam divinæ legis ullas literas nossent*.

sent. Hos appellat scriptura Grammato isagoges, qui Latine dici possunt literaruum inductores, eo quod eas inducant vel introducant in corda discentium.

XXVIII. Licet vero LXX. illi Prophetæ in partem curæ illius Propheticæ venerint cum Moyse, multum tamen illo fuerint inferiores: eoque longe aliter per ipsos respondit Deus, quam per Moysen: quod ipsum Deus ipse significat Numerorum XI. 6. 7. 8. Multum itaque eximia mansit præ omnibus Moysis autoritas. Hinc solus legitur postea jussu Jehovæ exploratores in Palæstinam misisse: Solus legatos ad Edomitarum Regem amandasse: Solus jussus etiam est, ut Midianitas ulcisceretur. Quam maxime solus ille etiam postea mandata Jehovæ genti suæ exposuit.

XXIX. Porro vero cum divinus Moyses per χρηματισμὸν didicisset, se diem suum jamjam obiturum & quidem antea, quam gens cujus hactenus summus dux fuerat, in Palæstinam penetrasset; precatur ipse Deum, ut suæ genti præficeret alterum, qui illam fidi pastoris in modum duceret ac gubernaret. Annuit Deus atque ita respondet: *Sume tecum Josuam filium Nunis, virum in quo est spiritus meus, ut imponas manum tuam illi, sistensque illum coram Elhazare sacerdote & coram toto cœtu, mandatis instruas illum ante oculos eorum & impertiaris ei de gloria tua, ut auscultet ei totus cœtus filiorum Israelis.* Cum igitur decessisset Moyses, surrogatus in ipsius locum est ille ipse Josua, vir consimili prorsus sanctimonia, integritate & innocentia conspicuus, & ad secretiora cum Deo colloquia itidem admissus. Verba quibus ipsum post Moysis obitum alloquitus Deus, initio libri, qui ipsius nomen præfert, est legere. Ibidem vero & illud, professam esse gentem Hebræam se Josuæ dicto velle audientem esse, quemadmodum ipsi Moysi fuerat. Et post illa Josuæ auspiciis gerebantur omnia.

XXX. Sed opportunum nunc est docere, quomodo Magistratus institui debuerit in Palæstina. Est vero id expositum a Moyse, antequam defungeretur in conspectu quasi ipsiusmet Palestinæ. *Judices*, inquit, & *moderatores constituito tibi in singulis portis tuis, quas Jehova Deus tuus dat tibi per tribus tuas, qui judicent populum judicio justo.* Intelligere vero hinc est, cum in singulis urbibus fuisse judices institutos, tum populo datum jus eos sibi eligendi ex suo numero, tantum habita indubie ratione prudentiæ & justitiæ.

XXXI. Cæterum pergit Moyses paucis interjectis: *Si occulta erit res tibi in judicioferendo, inter cædem & cædem, inter litem & litem aut inter plagam & plagam e rebus controversis intra portas tuas, tunc surgens ascendens ad locum, quem elegerit Jehova Deus tuus. Et adibis sacerdotes Leviticos vel summum judicem, qui erit diebus illis, ut consulas eos & judicent tibi statum illius judicii. Deinde facies ex præstituto illius sententiæ, quam indicaverint tibi, profectus a loco illo quem eligerit Jehova, & observabis, ut facias secundum omnia quæ docuerint te. Ex præstituto legis, quam docuerint te, & secundum judicium illud quod dixerint tibi, facito: ne recedito ab ea sententia quam indicaverint tibi, dextrorsum aut sinistrorsum. Vir autem ille qui commiserit superbe, ut non auscultet sacerdoti constanter ministranti, ibi Jehovæ Deo tuo, aut summo judici; utique morietur vir ille & tolles malum illud de Israele.* Hactenus Moyses. Cæterum de sensu verborum non una est omnium sententia; sive judicium ipsum spectes, sive eos quibus judicium committitur. Sunt enim qui existiment judicium illud fuisse potestatem ἀνυπεύθυνον administrandi totam rempublicam, conjunctam cum infallibili ratione omnes de sacris & religione enatas controversias decidendi. Porro judicium hoc alii uni summo Pontifici, alii & huic & septuaginta illis quorum ex Numeris supra meminimus, committi arbitrantur, quasi hisce verbis denuo sit constitutum Synedrium magnum. Non desunt, qui duo hic judicia censent instituta, alterum forense, alterum ecclesiasticum. Quamvis vero hæ sententiæ per sunt celebres & ob auctoritatem doctorum invenerint applausum magnum: fortassis tamen non fuerit difficile commonstrare, quantum aberrent a vero.

XXXII. Primo igitur ad certa tantum & quidem pauca, nimirum tantum ad controversias dubii juris in nonnullis negotiis judicium hoc ex instituto divino pertinuisse significant ipsa Dei verba commate octavo. Quæ optime exponuntur in notis Vatabli: *Si causa aliqua fuerit ambigua & difficilior, quam ut de illa pronunciare possis: cujusmodi inter sanguinem & sanguinem, h. e. inter innocentem & crimine capitali damnandum, qui aliis rationibus tibi videtur esse innocens; inter causam & causam h. e. inter litem pecuniariam & quæ sit minoris momenti vel inter litem actoris & litem defensoris: & inter plagam & plagam, h. e. inter livorem & vulnus.* Non igitur hoc loco a Deo cuiquam committitur cura totius Reip. sed tantum nonnihil ad partem

tem pertinens judiciariam, quæ inter præcipuas administrandæ Reipub. infima est. Nonnihil, inquam: Nempe demum *judicum* inter portas variantibus verbis. Tum scilicet licuit consulere sacerdotes: fere quemadmodum ex Jethronis consilio Moyses suscepit judicanda tantum ea, quæ difficiliora erant & ambigui juris.

XXXIII. *Secundo*, quamvis huic judicio voluerit Deus ab omnibus obtemperari, non tamen hinc debet colligi, fallere vel falli illud non potuisse. Eodem enim modo: *In ore duorum aut trium testium voluit Deus, ut omne constet verbum*: & tamen indubie etiam duo aut tres potuerunt in falsum testimonium consentire: imo ipse sacer codex hujus non unum rei gestæ exemplum suggerit. Tantum igitur voluit Deus populo nullam dare potestatem detrectandi sententiam illius judicii. Digna lectu sunt, quæ ad hunc locum commentatus est Dionysius Carthusianus: *Dicit glossa Hebraica, ut refert Lyra, etiamsi dixerint tibi, quod dextra tua sit sinistra vel e converso, talis sententia est tenenda. Quod reprobat Lyra; quia sententia nullius hominis, cujuscunque sit autoritatis, si contineat manifeste falsitatem sive errorem, servanda est. Quæ reprobatio vera est, si glossa illa Hebraica dicere velit, quod talis sententia sit tenenda ita, ut ei mente consentiatur, tanquam veræ & justæ si autem vult dicere, quod est tenenda ita: quod pœna aut damnum sententiæ debeat patienter tolerari ab innocente, qui non potest ad altiorem judicem in hoc mundo habere recursum, potest salvari. Nam & Gregorius ait, quod sive juste sive injuste liget Pastor, sententia ejus tenenda est gregi*. Fateor tamen judicium illud infallibile fuisse ante Babylonicam captivitatem si ex Dei mandato omnia institueret. Etenim in dubiis omnibus tum semper a sacerdote consuli & potuit & debuit oraculum illud *Urim*, appellatum propterea *Rationale judicii*. Certe ex eo, quod v. 12. habetur, non licet colligere sacerdotis infallibilitatem, nisi etiam dicendum sit, *Judicem* fuisse infallibilem. Æque enim illi de Judice, atque de Sacerdote sermo est, si meliores interpretationes Hebræi textus consulamus. Qualis est præter illam Tremellii & Junii, qua supra sumus usi, ipsius Xantis Pagnini, & Græca vetus, & Germanica Luth.

XXXIV. *Tertio* non uni summo sacerdoti commissum tale esse judicium manifeste utique liquet ex verbis disertissimis commatis noni, decimi & undecimi: *Venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore &c.* In hisce verbis non de una persona sed multis agi, qui judicare debeant sole profecto clarius est. Porro illi, qui in sacris Judices κατ' ἐξοχὴν dicuntur, cujusmodi fuere, post Moysen Josua, Othoniel, Debora, Thola Jair, Jephtha, Samson, Samuel, alii, etiam ipsi judicarunt totius Israelitici populi difficillima quæque & tamen tantum abest, ut fuerint sacerdotes summi, ut ne quidem Levitica fuerint tribu oriundi. Nusquam præterea legas in monumentis sacris; summum sacerdotem solum vel consultum fuisse de jure vel de jure pronunciasse: nisi quod id fecisse Eli sit verosimile: qui tamen id judicis potius potestate, qua simul fungebatur, fecit, quam sacerdotis. Penes sacerdotem summum postremo non fuisse summum judicium sed penes Synedrium magnum, constans est Judaicorum Magistrorum sententia, Schikardus scribit de jur. Reg. c. 11. p. 60. *Summus sacerdos non tantum ob varias pollutiones de facili contingentes dicti fustigationis ritu cædi sed & prorsus occidi potuit, si mortem ex lege mereretur*. Subjungit sententiam Thalmudicam ex *hala. kel. hammikd.* ita versam: *Pontifex judicat & vicissim judicatur, atque testantur contra eum: sed capitaliter eum nemo judicat, nisi Synedrium magnum*.

XXXV. Aliud *quarto* hoc judicium esse, quam illud LXX. Moysi adjunctum, non uno est argumento colligere. Etenim illud jam tum dudum erat institutum: hoc autem demum instituendum occupata jam Palæstina fuisse, liquet ex illis: *ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Item: *Faciens quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus*. Illud porro fuit constitutum ex omnium tribuum hominibus: hoc ex solis Levitis coiisse indicant illa: *Venies ad sacerdotes Levitici generis*. Illius munus totum fuit propheticum: hoc circa lites quasdam occupari tantum debuit, ut paulo ante ostensum. Illius præses indubie fuit Moyses: hujus autem summus sacerdos.

XXXVI. Quamvis porro hoc judicium sacerdotale Synedrio originem & occasionem forte dederit, revera tamen ab institutis Synedrii plurimum abfuit. Hoc enim Levitici generis senatores tantum admisit: Synedrium autem præter sacerdotes habuit assessores ex aliis quoque tribubus allectos. Hoc ad controversiarum paucarum judicium tantum fuit adstrictum: synedrii vero ampla primo fuit potestas. Schikardi verba sunt: *Senatus illo Magnus cognoscebat præcipue tantum*

de

de rebus magnis religionem & Rempublicam attinentibus, v.g. de controversiis legalibus, anno intercalari, pseudo prophetis, apostatis, excommunicandis; de Rege, bello, fœderibus, legatis, vectigalibus, publicis, ædificiis, Magistratibus inferioribus &c. Præses illius Levitici judicii indubie semper fuit ipsemet summus sacerdos: at Synedrii princeps non potuit non interdum esse alterius tribus, si verum est quod Moyses Maimonides scribit apud eundem Schickardum: *Qui grandior sapientia cæteros omnes antecellebat, eum faciebant Præsidem seu caput consessus. Is ipsus est, quem eruditi ubique terrarum appellant Nasi h. e. principem, isque præest loco Moysis Magistri nostri.* Imo secundo Abravanelem *temporibus Hasmonæorum princeps domus Jehudæ semper fuit caput senatus Israelitici nuncupati Sanhedrin, ut* scribit Menasseh ben Israel *in Consiliatore quæst.* LXV. *Genes. p. 92.*

XXXVII. Verosimilius videtur, Synedrium constitutum esse post captivitatem Babylonicam & quidem maxime Hasmonæorum tempore ad effigiem senatus a Josaphato Rege constituti, cujus fit mentio in Paralipomenis. Etenim illud ex parte fuit idem cum illo sacerdotali per Moysen instituto, ex parte cum synedrio. Verba quibus narratur illius judicii prima institutio, observatu sunt digna: II. *Par.* XIX. 8. *In Jerusalem quoque constituit Josophat Levitas & sacerdotes & principes familiarum ex Israel, ut judicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus, præcepitque eis dicens: sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitabant in urbibus suis inter cognationem & cognationem, ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus: Ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros: sic ergo agentes non peccabitis.* Omnino autem videntur & sequentia illa ad hoc judicium pertinere: *Et ecce Amerias sacerdos & pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Juda super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent: habebitisque magistros Levitas coram vobis.*

XXXVIII. Hunc Josaphati senatum habuisse cum utroque illo altero consessu aliquid commune, aliquid etiam diversum facile est discere ex verbis adductis. Etenim quod admiscui in consessum non sacerdotes tantum sed etiam principes familiarum Israelis: item quod de sacris controversiis & dubiis majoris momenti, nec non de negotiis regiis fas illi fuerit judicare, cum Synedrii institutis convenit: non autem cum Levitico illo per Moysen instituto. Videntur quoque huic judicio duo quasi præsides præfuisse: alter in causis sacris, isque summus sacerdos, alter in negotiis regiis, isque dux domus Judæ. Quod itidem Synedrio ex parte convenit, cui non minus duo præsiderunt, uno *Nasi*; alter *Abh beth-din* appellatus, ceu liquet ex verbis Maimonidæ *Hal. Sanhedrin* a Schickardo laudatis. Longe major tamen fuit potestas Synedrii, quam etiam hujus senatus, utpote cujus limites longe alios posuerit Josaphat Rex, quantum ex ejus verbis colligere est. Duorum quoque Præsidum Synedrii alia fuit ratio, quam duorum quos Josaphat suo illi judicio præfecit. Quemadmodum Nasi fuerit constitutus in Synedrio, audivimus modo narrantem Maimonidem. De altero pergit idem: *At qui inter septuaginta senatores annorum ratione natu maximus erat, eum collocabant a dextris illus* (Nasi scil.) *vocabantque Patrem consistorii.* Verum de his obiter.

XXXIX. *Quinto* denique etiam id alienum esse a veritate, quasi publicis generis sint judicia constituta, alterum Ecclesiasticum, alterum forense, apparet ex eo, quod caussæ judicio illi submittendæ non nisi unius sint generis. Neque vero in sacris literis illis ulla diversi generis litium fit mentio. Utut autem nonnunquam circa idem negotium aliud Ecclesiastici, aliud civilis sit fori: in paucis tamen hoc habet locum, nec propter illa pauca opus fuit duo diversa judicia constituere. Decepit viros optimos illud, quod & sacerdotes hic & judex sigillatim nominentur. Sed mens legis facile patet, si judicis nomine intelligamus Suffetem aliquem, qualis fuit Josua & quidam alii libro judicum memorati. Intelligimus nimirum ex illo libro hujusmodi Suffetes (utimur voce Carthagini olim recepta) non semper in republica habuisse locum; eoque non fuisse magistratus ordinarios sed tantum extra ordinem efflagitante necessitate populi a Deo ipsa constitutos. Ut igitur apud Romanos Dictatori omnes ordinarii magistratus cesserunt: ita indubie Judici tali cessere cum alii Hebræorum magistratus, tum quoque sacerdotales Judices. Adeoque si quando a Deo fuit aliquis Judex constitutus, perinde illum licuit adire in controversis negotiis, atque sacerdotale collegium: nec minus ipsius

ipsius sententiæ fuit standum. Hanc esse sententiam legis patet ex usu quem compertum habemus ex libro isthoc Judicum. Illos enim finiisse populi controversias sive uno loco consederint, sive regionem circuierint, nemini non est manifestum. Verum de his satis.

XL. Nunc porro super hactenus dicta reflectamus paullulum mentem & quæ forma regiminis in gente Hebræa sub Mose, Josua & Judicibus obtinuerit, consideremus. Plerique existimant formam reipubl. Hebræorum fuisse Aristocraticam ante Reges, Petrus nimirum Galatinus, Carolus Sigonius, Angelus Caninius, Joachimus Stephani, Calvinus, Martyr, Danæus, quos Henningus Arnisæus *Relect. Pol. lib.* II. *c.* 4. *Sect.* 5. allegat. Caroli Sigonii quædam verba huc lubet apponere. *Cæterum*, inquit, *cum de forma reipubl. quæritur, nihil aliud quæritur, nisi penes quem principatum summa rerum fuerit constituta. Hæc vero primum penes Optimates posita fuit, deinde penes Reges, quorum principatuum illum Aristocratiam, hoc Regnum Græci vocarunt. Aristocratia fuit sub Moyse, Josua, Senioribus & Judicibus, Regnum sub regibus.*

XLI. Quo tempore Sigonius dicit regnum fuisse rempubl. Hebræorum, de eo nos nihil dubitamus. Quod autem de Aristocratia dicit, id dubium videtur haud parum esse. Primum nulla ex formis Rerumpubl. quas Aristoteles nobis descripsit, Reipubl. Hebræorum, quæ ante Reges fuit, satis convenire deprehenditur. Omnes illæ formæ tales sunt, ut τὸ κύϱιον sive summa potestas rerum agendarum fuerit penes homines. At in Hebræorum repubL. τὸ κύϱιον diu mansit penes ipsum Deum. Apparet idipsum ex Majestatis juribus, quæ majora vocant, legum sanctione, Magistratuum institutione, bellorum indictione, quæ Deus sibi servarat.

XLII. Si nunc igitur id attendere velis, quod unus summam potestatem in Republ. Hebræorum ab initio obtinuit, Monarchiam dicere illam Rempubl. possit. At vero si id potius velis attendere, quod is unus fuit ipse Deus, non homo, abstinendum ab illo vocabulo fuerit: fingendum autem aliud, quod inusitatæ huic formæ tribuas. Et finxit jam olim Josephus, quod haud male illi tribuas, vocabulum. Apponam verba quædam, quibus vulgares formas & nostram de qua nunc agimus, inusitatam, complexus est cordatus ille scriptor. *l.* II. *contra App.* Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, inquit, οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων. Ὁ δὲ ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδοτιοῦν ἀπεῖδεν, ὡς δ' ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον θεοκρατίαν ἀπέδειξε, θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθεὶς καὶ πείσας εἰς ἐκεῖνον ἅπαντας ἀφορᾶν, ὡς αἴτιον μὲν ἁπάντων ὄντα τῶν ἀγαθῶν, κοινῇ τε πᾶσιν ἀνθρώποις παρέχοντα καὶ ἰδίᾳ. Horum versio non adeo commoda quæ Sigismundi Gelenii est, ita habet; *Alii siquidem monarchis* (alii vero paucis) *alii vero populo potestatem reipubl. commisere. Noster vero legislator nihil horum intendens, veluti si quis hoc dicendo mensuram transcendat verbi, divinam rempublicam declaravit: Deo principaliter conversationem nostram atque potestatem excellenter assignans & satisfaciens eum cunctos inspicere, tanquam causam bonorum omnium universis hominibus existentem.* Appellat igitur Josephus rempubl. Hebræorum novo vocabulo θεοκρατίαν. Hoc illud est, quo inusitatam formam reipublicæ, in qua Deus summam potestatem obtinet, exprimere haud incommode possis. Et apparet Josephum hic loqui voluisse ἀκριβέστερον, quomodo in libris contra Appionem omnino solet. Neque aliter decebat decernentem cum tali, qui doctrinæ eruditionisque nomine tam erat celebris, ut *Plin. in præfat. Cymbalum mundi* vulgo audiret.

XLIII. Non æque accurate videtur loqui voluisse Josephus, cum θεόφορον virum Moysen introducit ad gentem suam verba facientem, hunc in modum: *l.* IV. *Antiq. cap.* 7. Ἀριστοκρατία μὲν οὖν κράτιστον καὶ ὁ κατ' αὐτὴν βίος καὶ μὴ λάβῃ πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε, τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, κατ' αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες· ἀρκεῖ γὰρ ὁ θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. *Optimum quidem est optimatum regimen & in sic administrata republica vivere, nec est cur aliam ejus speciem concupiscatis: sed præstat, ut hac contenti in legum & vestrum ipsorum potestate sitis. Satis enim est Deum habere præsidem.* Effinxit hunc sermonem ex decimo septimo Deuteronomii capite, ubi postquam de magistratibus singularum civitatum esset dictum, agitur etiam de quibusnam, qui in certa quadam civitate ab ipso Dei post occupationem Palæstinæ demonstranda constituendi sint, ad quos adeo causæ difficiliores quæ a magistratibus singularum civitatum decidi haud queant, tanquam ad summum tribunal sint referendæ. Propter concilium illud Rempublicam vocat ἀριστοκρατίαν Josephus. Unde & hujus autoritatem pro se allegant alii. Verum enim vero quæ Josephi mens fuerit luculenter ap-

apparet ex verbis paulo ante citatis, quibus rempubl. Hebræorum ab omnibus aliis ſeparavit & peculiari nomine inſignivit: Ubi vero Ariſtocratiam vocat, ibi ipſum minus accurate voluiſſe loqui cenſendum utique eſt.

XLIV. Mirari vero ſubit, dum animadvertimus Joſephum hiſce proximis vix conſentientia ſcripſiſſe alibi. In undecimo nimirum *Cap.* 4. ἀρχαιολογίας libro, quaſi aliud agens, de forma Hebræorum reipubl. hæc poſuit: Καὶ οἱ μὲν ὑπὲρ τούτων δαψιλευόμενοι ταῖς θυσίαις καὶ τῇ περὶ τὸν θεὸν φιλοτιμίᾳ κατῴκησαν ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις, πολιτείᾳ χρώμενοι ἀριστοκρατικῇ μετ᾽ ὀλιγαρχίας οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων, ἄρχις οὗ τοὺς ἀσαμωναίου συνέβη βασιλεύειν ἐκγόνους, πρὸ μὲν γὰρ τῆς αἰχμαλωσίας καὶ τῆς ἀναβάσεως ἐβασιλεύοντο ἀπὸ σαούλου πρῶτον ἀρξάμενοι καὶ δαβίδου, ἐπὶ ἔτη φλβ', μῆνας ς' ἡμέρας ι'. πρὸ δὲ τῶν βασιλέων τούτων ἄρχοντες αὐτοὺς διεῖπον, οἱ προσαγορευόμενοι κριταὶ καὶ μόναρχοι καὶ τούτων πολιτευόμενοι τὸν τρόπον ἔτεσιπλέον ἢ φ' διήγαγον μετὰ μωϋσῆν ἀποθανόντα καὶ ἰησοῦν τὸν στρατηγόν. Agit primum Joſephus de forma reipubl. Hebræorum quæ fuit, poſtquam ex Babylonia reducibus, ut ſuis legibus rurſum gubernarentur, permiſſum fuerat. Ea occaſione inſimul brevi exponit, quis reipublicæ ante Babylonicam captivitatem ſtatus fuerit, dicitque inter alia, ante Reges Hebræam gentem gubernaſſe ἄρχοντας, τοὺς προσαγορευομένους κριτὰς καὶ μονάρχους, *Principes, qui appellati fuerint Judices & monarchæ*.

XLV. Credamus hic itidem Joſephum non voluiſſe æque occurate loqui, ac in libris contra Appionem fecit. Conferamus autem hæc non æque accurate dicta, cum iis quæ paulo ante ex quarto Ἀρχαιολογίας produximus, ubi itidem minus accurate ipſum loqui voluiſſe dicebamus. Introduxit igitur Moyſen Ariſtocratiam agnoſcentem in ſua gente & illam ipſam commodiſſimam deprædicantem. Iſtiuſmodi etiam Ariſtocratiam, qualis tempore Moyſis eſſe poterat, Moyſen ex mente Joſephi extendere uſque ad proprie dictos Reges, inſpicienti illa quæ ex dicto *lib.* IV. paulo ante producta ſequuntur, videri non immerito poſſit. Imo abſque hoc eſſet idem aliunde colligeremus. Quæ enim Ariſtocratia cum poteſtate Moyſis & Joſuæ conſiſtere poterat, eandem nihil prohibuit cum poteſtate judicum itidem conſiſtere. Nam Judicum poteſtas nihilo major & auguſtior illa, quam Moyſes & Joſua habuerant. Intellexit autem eodem modo doctiſſimus Sigonius. Probaturus enim Judicibus rerum potientibus Ariſtocratiam fuiſſe adducit verba Joſephi, quibus is Moyſen facit loquentem.

XLVI. Sed intelleximus Joſephum, quod antea dixit judices fuiſſe μονάρχους, aſſeveraſſe iterum *lib.* XX. Ἀρχαιολ. c. 8. ἐγένετο δὲ αὐτῶν, inquit, ἀριστοκρατικὴ μὲν ἡ πρώτη πολιτεία μετὰ ταύτην δὲ μοναρχία, βασιλέων δὲ τρίτη. Gelenius vertit: *Sub his* (XIII. prioribus Pontificibus) *primo penes optimates fuit adminiſtratio Reipublicæ, poſt ad Monarchas, poſtremo ad Reges tranſiit*. Apparet hinc clariſſime, Joſephum tempore Judicum non agnoſcere ariſtocratiam, quod etiam ex verbis proxime ante hæc adductis apparet. Etſi verba: μετὰ Μωϋσῆν καὶ Ἰησοῦν, quæ inter proxime præcedentia ſunt, bene conſideres, commode illa conciliabis cum his quæ poſtremo produximus. Nimirum ſub Moyſe & Joſua Joſephus exiſtimat Ariſtocratiam obtinuiſſe. Dubium igitur ſuperfuerit de loco ex *quarto Antiquitatum* antea adducto. Imo ſecundum poſtrema duo fuerit intelligendus. Quam recte autem ſeſe ille habeat, nunc non amplius diſquiremus, ſed illa Joſephi tandem faciemus miſſa. Id tamen dicendum eſt, luculente nunc apparere, quam parum doctiſſimus Sigonius efficiat, ubi Joſephi verba ex IX. antiquitatum producit, ut probet tempore Judicum Ariſtocratiam obtinuiſſe.

XLVII. Si accurate loqui velimus, Ariſtocratia dicetur reſpublica, ſi omnis ſumma poteſtas, ſive omnia Majeſtatis jura, quantacunque penes homines eſſe poſſunt, ſint penes paucos quoſdam. Quare cum præcipua Majeſtatis jura in republica Hebræorum non fuerint penes plures, qui quidem non integram gentem conſtituerint, ſed pauci ex illa fuerint, illam ipſam rempublicam, ſi accurate loqui volueris, Ariſtocratiam non fuiſſe concedendum utique eſt.

XLVIII. Diximus jam antea nullam ex vulgatis formis reipublicæ Hebræorum quæ plane ἐξαίρετος eſt, per omnia eſſe congruam. Quare nec monarchiam fuiſſe quales vulgo ſunt, etiam ipſi nos fatemur. Verum aliorum, idem qui negant, non eadem mens eſt. Negant enim Hebræorum rempubl. fuiſſe monarchiam ante Reges, quod quicquid ſummæ poteſtatis in illa gente penes homines fuit, id fuerit penes paucos. Cæterum ſi hoc volunt; nimirum penes LXX. virorum conſilium, de facili eo poſſunt adigi, ut eodem ſenſu monarchiam aliquando fuiſſe ante Reges primum concedant. Nimirum quicquid ſummæ poteſtatis penes homines in gente Hebræorum fuit, id fuit aliquando ſine omni con-

controversia penes unum Moysen. In hujus annalium secundo istuc memoriæ proditum est, omnes causas adhuc solum initio fuisse relatas; post vero ex consilio Jethronis constitutos fuisse, quos vulgatus interpres vocat tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos, qui levioris momenti causas dijudicarint; graviores autem & difficiliores Moysen sibi reservasse. Tulit igitur unus θεόφορος Moyses primo quidem omnes causas minimas cum maximis dijudicandi, post vero summorum duntaxat judiciorum ac relationum laborem. Fecitque id per biennium ferme sine omni controversia. Fuit igitur tum penes unum Moysen summa potestas, quantamcunque nimirum penes hominem Deus volebat esse. Atque adeo per biennium saltem non obtinuerit Aristocratia. Quo modo septuaginta Aristocratiam constituere potuisse censent, eodem modo per biennium ferme unus Moyses monarchiam constituere poterat.

XLIX. Quin etiam cum septuaginta jam allecti essent a Moyse, hic tamen summam autoritatem retinebat, quod supra ostendimus. Post ipsum vero Josua ac Judices Josuæ sane eodem modo parebant Hebræi, quo paruerant Moysi, ut videre est ex Josuæ annalium capite primo & vigesimo tertio, quin etiam ex cæteris. Moyses quidem in Israele tanquam Rex fuerat, uti in Deut. xxxiii. cap. legere est. Josua igitur itidem. Rectius itaque dixeris monarchicum potius, quam aristocraticum statum plerumque obtinuisse usque ad proprie dictos Reges. Si nimirum ex summa potestate, quantacunque in Hebræorum republ. penes homines fuit, illam ipsam rempublicam vel Monarchiam vel Aristocratiam dicere omnino voluerit.

L. Judicum quoque summam quadamtenus fuisse autoritatem belli pacisque temporibus, ex sacris literis itidem constat. Quod Josephus judices ἄρχοντας & μονάρχους appellarit, intelleximus ex ipsius verbis. *lib.* I. *de Rep. Hebr. c.* II. *Josuam*, inquit Cunæus, *pari potestate secuti sunt, qui præeundo edicendoque prætores dici dictatoresque poterant.* Quod tamen non omnino verum est: cum Dictatores Romani vere regia omnia habuerint, tantum quod potestas tempore fuerit circumscripta. Quomodo tamen Moyses alicubi Rex dictus est, ita Judices itidem non semel Reges videntur dicti, ceu haud inepte collegeris ex Jud. *cap.* XVII. 6. *cap.* XVIII. I. *cap.* XIX. I. ex quibus locis Josephus fortassis suos μονάρχους exstruxit. Minus proprie tamen ita sunt dicti, quemadmodum itidem Moyses. Fuere certe non nisi κατὰ νόμον reges quales Aristoteles nobis descripsit *Polit.* III. *c.* 16. Et in illo statu se beatos censebant esse. Non desiderabant κατὰ τὴν αὑτῶν βούλησιν πάντα πράττειν, neque adeo reges esse, qui maxime proprie ita dicerentur. *Jud.* VIII. Norant Jehovam servare summam potestatem, cumque illo in societatem regni venire non conabantur. Gideonis inter alios hanc integritatem fuisse proditum est, ut cum regnum proprie dictum ipsi posterisque ipsius addicere quidam vellent, suscipere illud ipse non sustinuerit.

LI. Sed pertæsum tandem fuit stolidam gentem hujus status, ita ut in servitutem se tradere mallet, sive quemadmodum Sulpitius Severus loquitur, *l.* I. *Sac. Hist. ut non sine exemplo amentiæ præoptaret libertatem* (talis nimirum est etiam in regno, si undique bene illud sese habeat) *servitio Regio mutare*. Postularunt itaque, ut Rex sibi præficeretur & quidem, qualem vicinæ circum circa gentes habebant. Indignum sane id erat illa gente, quæ præsentissimum ipsius Dei auxilium haud consueto modo toties fuerat experta. Ægre etiam id tulisse divinum Samuelem, cum stultam gentis suæ postulationem cognovisset, atque e vestigio morem illi haud voluisse gerere apparet. Sivit tamen voluitque is, qui hactenus singulari modo se ipsum Hebrææ gentis constituerat Regem, gentem voto suo abundare. Mandavit itaque Samueli, ut Regem suis præficeret talem, qualem obtabant, prædiceretque simul, fore, ut experirentur tandem, quantum illa divini imperii detrectatio accersitura esset incommodum. Ita autem queritur de gente I. Sam. cap. VIII.: *Non te abjecerunt sed me, ne regnem super eos. Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto, usque ad diem hunc, sicut dereliquerunt me & servierunt Diis alienis, sic faciunt etiam tibi.*

LII. Quæ sane verba, non apparet, quomodo permittant, mandatum hic intelligi, quod Hebræi de Rege constituendo acceperint. Clarissimi viri Petrus Cunæus & Wilhelmus Schickardus omnino existimant, mandatum esse Israelitis a Deo, ut Regem sibi eligerent, ubi in Palæstinam penetrassent. Videntur autem in eo autoritatem defugere noluisse plerorumque Rabbinorum: qui id pene unanimi consensu docent præeunte Gemara Sanhedrin *cap.* 2. præcipue vero Moysis Maimonidæ. Sed Moysi forte opponi possunt ex sua gente nonnulli quo-

quorum verba itidem producit Cl. Schickardus. Accedit vero illis & Ishacus Abravanel inter recentiores Judæorum magiſtros primæ dignitatis: ceu ejus ſententiam refert Menaſſeh ben Iſrael. Rabbinorum tamen autoritas neminem hic movere debet. Tantum verba Moyſis, non Rabbini illius, quem ex ſuis plurimos poſt ſe relinquere facile credimus: ſed vetuſtiſſimi ſacrorum ſcriptorum expendamus. Ita autem illa ſe habent: *Deut.* xv. II. *Cum ingreſſus fueris terram illam quam Dominus Deus tuus dabit tibi & poſſederis eam, habitaveriſque in illa & dixeris, conſtituam ſuper me Regem ſicut habent omnes per circuitum nationes, conſtitues eum, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* Mandatum in his agnoſcit Cl. Schickardus, *quod utique non ſit arbitrarium ſed maxime ſerium, ideoque reduplicatione inculcatum hoc modo*: ponendo pones ſuper te Regem. Cunæus etiam rationem gentis plauſibilem eſſe ratus videtur, ipſique Deo non fuiſſe improbatam. *Permulti mirati ſunt*, inquit, *cur indigne tulerit Deus ſummam rei a Samuele ad Regem aliquem tranſferri, ſiquidem illud & probaverat antea & futurum pro indole dixerat ſacri populi.*

LIII. Cæterum ut, quod res eſt, id dicamus, videntur fortaſſis clariſſimi illi viri Rabbinorum, quorum in ſcriptis volutati plurimum fuere, nimirum tribuiſſe autoritati. Mandatum quidem & nos agnoſcimus in verbis Moyſis, ſed alio quodam modo. Ad vertendum nimirum eſt, mandatum illud ex hypotheſi eſſe editum. Non mandat per Moyſen Deus abſolute, ut Regem ſibi proprie dictum conſtituant Hebræi, ſed potius jubet ipſos τὰ παρόντα στέργειν, quod in vulgaribus etiam politiis virtus maxima eſt. Divinum Moyſen Joſephus ita facit loquentem, *l.* I. *Antiq. cap.* 8. Μή λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, κατ' αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες, ἀρκεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. Hæc quidem optime. Pergit autem: βασιλέως δ' εἰ γένοιτο ἔρως ὑμῖν, ἔστω μὲν οὗτος ὁμόφυλος. *Attamen ſi Reges vos cupido ceperit, nemo ſit, niſi veſtri generis & ſanguinis.* Ita omnino eſt, quomodo Joſephum videmus rem intellexiſſe. Debebant στέργειν præſentem Statum. Si tamen ipſos Reges, qualem cæteræ habebant gentes, inceſſeret cupido, (quod fore aliquando utique prævidebat) autoritate Dei id quidem permittit Moyſes, ut Regem conſtituant, ſed edicit tamen inſimul, ut ne Regem conſtituant, qui ἀλλόφυλος ſit & ut talem conſtituant, qui ex eadem gente ſit cum ipſis, quemque præterea Deus ipſe commonſtrarit. Expendendi divini ſcriptoris verba hæc ſane non poſſunt eſſe non manifeſta Mirum vero, ſi mandatum de conſtituendo Rege abſolutum Hebræis fuiſſet datum, quod illud exſequi aliquot ſeculis neglexerunt, quodque Gideon admirandæ vir innocentiæ ac integritatis, cum ipſi ex gente ſua Regnum proprie dictum addicere quidam vellent, conditionem illam accipere recuſavit, ſuoſque, ut Jehovam amplius agnoſcerent Regem, commonuit. Cæterum reduplicatio verbi quam Schickardus urget vim ſuam minime amittit, ſi ita, quomodo ipſe, verba Moyſis non intelligas. Illius nimirum genuina vis hæc eſt; ut ne ἀλλόφυλον conſtituerent Regem, ſi Regem conſtituere vellent: non illa, quam Schickardus exiſtimat verbis ineſſe, ut nimirum Regem omnino conſtituerent.

LIV. Cæterum cum Deus annueret, ut Hebræis ex hominibus Rex daretur, mandavit, ut mores, qui in Regnis, vicinarum nimirum gentium obtinerent, ipſis Samuel exponeret, quomodo nempe agere Reges cum populo & quam duriter eum habere ſoleant. Innuebat igitur grave id ipſum, quod petiiſſent ipſis futurum, ſpecie modo falſos eſſe; revera longe durius illud imperium fore, quod optarent, quam crediđiſſent. Adſcribemus quædam verba ſacri ſcriptoris, quibus id innuitur: I. *Reg. c.* VIII. 9. 10. 11. 18. *Nunc ergo vocem eorum audi: veruntamen conteſtare eos & prædic eis jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a ſe Regem, & ait: Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum &c. Et clamabitis in die illa a facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiiſtis vobis Regem.* De jure Regis, cujus in his verbis fit mentio, varias obſervare eſt doctorum ſententias. Cum iniqua hæc videantur eſſe, quæ ad jus Regis pertinere ſacer ſcriptor dicit, per vocem *jus* intelligunt quidam *morem* ſive conſuetudinem. Et ſane ipſa vocula Hebræa non omnino recuſat ita verti, cum & alibi eodem modo fiat. Neceſſum tamen non eſt, ut eo deveniamus. At nec de jure vero eſt intelligendum, hoc eſt, de facultate honeſte & juſte aliquid agendi. Longe enim alia vi-

vivendi ratio præſcribitur Regi in ea parte legis, quæ eſt de officio Regis. Intelligitur vero factum, quod effectum aliquem juris habeat, id eſt, non reſiſtendi obligationem. Ideo additur, populum preſſum iſtis injuriis Dei opem imploraturum, quia ſcilicet humana remedia nulla exſtarent. Sic ergo hoc jus vocatur, quomodo prætor jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit. Hæc ita verbis Magni Grotii placuit exponere.

LV. Cum autem manifeſtum ſit ex ſacro codice Regem Hebræis a Samuele præfectum eſſe, Regnorum vero variæ ſint differentiæ, videndum erit quænam ſpecies hic obtinuerit. Ariſtoteles *l.* III. *Polit. cap.* 14. quinque regnorum ſpecies obſervat & recenſet. Primam Laconicam appellat, quæ nimirum belli poteſtas perpetua ſit. Alterum genus vocat Barbaricum, eo quod apud Barbaros in uſu fuerit, & differre dicit a Tyrannico, quod legitimum illud & hæreditarium ſit: tyrannicum autem nequaquam: alias etiam dominatus dici ſolet. Tertia Regni ſpecies Æſymnetia dicta eſt, ubi nimirum ad imperium ſuffragio perveniebat Rex, & ad certa negotia conficienda gerebat facultatem. Quartus Regni modus eſt Heroicus, ita dictus, quod Græcorum Heroum tempore, ut eſt in eorum fabulis, obtinuit idque in volentes, patrius & legitimus fuit & propter inſigne collatum beneficium in meritos delatus. Ultimum genus quod Ariſtoteles recenſet, eſt illud, quod proprie ſic appellatur, quod interpres rerumpublicarum ſimplices formas primam eſſe voluit. Porro vero ſequente capite XV. maximus Philoſophus ita loquitur: *Fere autem duæ ſunt regni ſpecies, de quibus conſiderationem facere expedit, una hæc de qua diximus proxime* (ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν, *quando unus omnium habet poteſtatem*) *altera Laconica. Nam aliarum pleræque inter has mediæ ſunt*, ἐλαττόνων μὲν γὰρ κύριοι τῆς παμβασιλείας, πλειόνων δ' εἰσὶ τῆς Λακωνικῆς. *Pauciorum nimirum poteſtatem habent quam omnimoda poteſtas Regia, plurium vero quam Laconica.* Adhuc ſequente capite XVI. Regem, qui παμβασιλείαν obtinet, ſive qui omnium habet poteſtatem, innuit illum eſſe, qui cuncta ex voluntate ſua agit. De Laconico autem Rege ſive Regno ita loquitur: *Ille qui* κατὰ νόμον *ſecundum legem dicitur Rex, non facit regiæ gubernationis ſpeciem, quia in cunctis rebuſpublicis fieri poteſt, ut ſit quidam ducendo exercitui, cum civitas bellum gerit, perpetuo præfectus, puta in populari ſtatu & optimatum gubernatione, pluresque autoritatem uni committunt belli gerendi.* Liquet ex his, παμβασιλείαν & Regnum Laconicum eſſe quaſi ſummum & infimum Regnorum gradum, inter quos ſint quidam intermedii. Τῶν γὰρ ἄλλων, inquit, αἱ πολλαὶ μεταξὺ τούτων εἰσί. *Aliarum pleræque inter has mediæ ſunt.*

LVI. Ut nunc de Hebræo Regno dicere pergamus, Laconicum illud procul dubio non fuit, cum auguſtiora quædam in illo animadvertere queamus, quam in Laconum Regno, huicque ſimilibus. Num vero inter παμβασιλείαν & Laconicum Regnum medium fuit? Ita cenſet Grotius *l.* 1. *de jure p. & b. c.* 3. *num.* 10. Et nos ipſi adſtipulari fere non dubitamus. Id tamen ita intelligendum eſt, quod Regnum Hebræum a Laconico longiſſime: a παμβασιλείᾳ prope & ferme nihil abſuerit. Ubi notandum παμβασιλείαν proprie eſſe, quando unus qui totum populum univerſe ſumptum virtute omni civili exſuperat, imperat ad communem utilitatem: eſſe vero quædam & herilia unius imperia, quæ cum παμβασιλείᾳ conveniunt quidem ἐν τῇ αὐτοκρατείᾳ, alias autem multum differunt & Ariſtoteli tyrannides audiunt. Non itaque veram cenſemus παμβασιλείαν fuiſſe Hebræorum regnum, ſed potius Regnum tyrannicum (ex Ariſtotelis mente accepta voce) quæ tamen ad Regni proprie dicti modum quodammodo fuerit adminiſtrata, laudato etiam Ariſtoteli more *l.* 5. *Polit. c.* 10. Neque abnuit Grotius. *Hi* (Reges Hebræi) inquit, *quin in rebus pleriſque ſummo jure impetraverint, dubitari nefas arbitror.* Rationem additurus pergit: *Voluerat enim populus Regem, qualem habebant vicini. At Orientis populi addicte regnabantur.* Hoc porro oſtendere potuit plurimis veterum teſtimoniis, inter quæ ſunt illa, & quidem Livii: *Syri & Aſiatici genera hominum ſervituti nata*; Taciti: *Servirent Syria Aſiaque & ſuetus Regibus oriens*; Ariſtotelis: οἱ περὶ τὴν Ἀσίαν ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν οὐδὲν δυσχεραίνοντες, *Aſiatici dominatum æquo animo ferunt.*

LVII. Et hanc quidem ſententiam ſuam de regnis Aſiaticis Ariſtoteles *lib.* III. *Polit. cap.* 14. ibi expoſuit, ubi regnorum ſpecies enarrat, & quidem harum ſecundam, quam apud Barbaros obtinere dicit, hiſce verbis deſcribit: *Eſt & alia Monarchiæ ſpecies, qualia ſunt apud quoſdam Barbaros regna, vim habentia proximam Tyrannidi, licet ſint legitima & ſecundum more patria. Ob id enim quia magis aptæ ſunt natura ad ſerviendum nationes Barbarorum, quam Græ-*

co-

corum & eorum qui incolunt Asiam, *quam eorum qui Europam*, *perferunt servile jugum æquo animo*. *Et ob hoc tyrannica sunt hujusmodi regna*, *sed habent securitatem*, *quia more & legibus consistunt*. De Hebræorum regno, quod in Asia itidem fuit, & quidem illorum qui Græcis fuere Barbari quid judicaturus fuisset Philosophus, si illud perspectum habuisset, conjecturam tum facere haud est difficile.

LVIII. Cæterum Regnum Hebræorum fuisse vere μοναρχικὸν, confirmat etiam jus Regis, quod a Samuele proponitur, I. *Reg. c.* VIII. Nimirum exinde apparet, nullam potestatem relictam populo fuisse adversus Regum injurias, sive populum obligatum fuisse ad non resistendum illis, ubi jugo regio se semel subdidisset. Et sane ita etiam evenisse populo Hebræo, quemadmodum prædictum fuerat, ex multis sacræ Scripturæ locis apparet. De Manasse memoratur, multum sanguinis innocentium illum profudisse, IV. *Reg. c.* XXI. Tyrannica vox erat Jezabelis ad Achabum Regem: *Grandis autoritatis es & bene regis regnum Israel;* ubi nimirum de vinea Nabotho eripienda consilia capiebantur. Sed & Urias illud jus regis expertus est, cum marita ipsi eriperetur, & de submovendo ipso consultaretur. Facti vero pœnitens Rex ita profitetur: *Tibi soli* (Deo) *peccavi*. Ad quæ verba notat S. Ambrosius: *Rex erat*, *nullis ipse legibus tenebatur*, *quia liberi sunt Reges a vinculis delictorum: neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus*, *tuti imperii potestate*. *Homini ergo non peccavit*, *cui non tenebatur obnoxius*. Et Hieronymus epistola ad Rusticam: *Rex enim erat: alium non timebat: alium non habebat super se*. Roboamum populus ita alloquitur: *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis: Tu itaque nunc imminue*. Ex verbis Psalmi XVII. 2. *A facie tua judicium meum egrediatur*, probavit Rambam, teste Schickardo: *quod nulla creatura judicet regem*, *nisi Deus opt. max.* Eodem pertinet illud Eccles. IX. 4. *Quis dicet Regi quid facis?*

LIX. Cæterum jus Regis, quod populo exposuit Samuel I. *Reg.* VIII. est illud ipsum, quod in libro consignasse & coram Domino idem Samuel reposuisse memoratur I. *Reg.* X. 5. ut nimirum testis aliquando esset illa ipsa scriptio, mala illa, ut cum Comico loquar, suo jumento sibi attraxisse gentem Hebræam. Nec enim persuaserit nobis Cunæus in libro, qui ibi memoratur, consignata fuisse illa, quæ habentur *Deut.* XVII. 16. *& seqq. Cumque fuerit constitutus*, *non multiplicabit sibi equos*, *nec reducet populum in Ægyptum*, *equitatus numero sublevatus*, *præsertim cum Dominus præceperit vobis*, *ut nequaquam amplius per eam viam revertamini*. *Non habebit uxores plurimas*, *quæ alliciant animam ejus*, *neque argenti & auri immensa pondera &c.* Certe hæc jam antea coram Domino reposita fuerant; tum nimirum, cum ipsum δευτερονόμιον, cujus illa particulam constituunt, ad arcam fœderis reponeretur. Tantum igitur inde depromenda erant, quæ ad officium moresque Regis pertinebant. Quid? quod neque illa, quæ ad mores Regum formandos conscripta erant, jus Regis, cui ex adverso respondeat civium obligatio, commode dici poterant. Cæterum etiam I. *Reg.* VIII. & X. eadem juris regii est appellatio; ut cum priore loco illud ipsum recenseatur, posteriore vero descriptum & coram Domino repositum memoretur, haud diversum quid intelligi videatur. Sed & nihil omnino prohibet, quo minus ita statuamus. Neque enim existimandum est, si jus illud coram Domino repositum memoretur; idem per omnia recte se habere & Deo probari. Legimus illud hodieque in sacris literis, neque tamen ita existimare habeamus necesse. Placent nobis illa Josephi: *l.* VI. *Antiq. l.* 5. τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι καταγράψας αὐτοῖς ὁ προφήτης, ἀνέγνω τοῦ βασιλέως ἀκροωμένου καὶ τὸ βιβλίον τίθησιν ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ σκηνῇ τοῖς μετέπειτα γενεαῖς μαρτύριον ὧν προείρηκε.

LXX. Quod antea diximus de Regum Hebræorum potestate, id patebit etiam amplius, si jura Majestatis expenderimus, quomodo se illa Regum ævo habuerint. Jura autem Majestatis nobis hodie sunt ipsum τὸ κύριον. Cujus quasi partes sunt potestas ferendarum & abrogandarum legum, jus belli & pacis, potestas magistratuum & judiciorum instituendorum, facultas judicandi tam in publicis quam privatis reipublicæ negotiis. Hæc nimirum omnia penes Reges Hebræos fuerunt.

LXXI. Ut autem de potestate ferendarum & abrogandarum legum primo dicamus, dubium (fateor) cui videri possit, an ea penes Reges Hebræorum fuerit. Ex quinto sane Moysis *Cap.* XVII. intelligimus, qui Hebræorum Rex aliquando futurus esset, illum juberi divinas leges evolvere, & servare omnia, quæ ab ipso Deo sancita antea fuerant. Debuerunt igitur divina scita in Hebræorum Republica manere rata, etiam tum cum Reges imperarunt, neque regibus

illa

illa immutare aut abrogare fuit integrum. Scilicet omnia legis Mosaicæ præcepta vim quadamtenus habuerunt juris naturalis: itaque hactenus sane non fuit legislatoria potestas arbitrii regii. Cæterum multa non fuerunt liquidi juris, neque omnia legibus illis fuere definita: illa itaqueque constituere & abrogare in mera videtur fuisse regia facultate, adeoque in in his ἡ νομοθεσία regi fuit integra. Hoc perspicere est ex multis institutionibus Davidis & Salomonis, aliorumque etiam optimorum regum: ne quis causetur ab improbis regibus multa esse facta, secus quam licebat. Quod si porro & peccaret Rex adversus legem illam divinam, tamen iis qui ipsi parebant, facti sui rationem reddere non tenebatur, & si quando injuste jus diceret, ii qui parebant, sententiam latam juste detrectare non poterant: sed obligati erant, ut jam ante diximus, ad non resistendum.

LXXII. Porro quod ad belli gerendi potestatem attinet, penes reges Hæbræorum utique etiam illa fuit. De Saulo 1. Reg. cap. XIV. memoratur: *Saul confirmato regno pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus, contra Moab, & filios Ammon, & Edom & Reges Soba & Philistæos: & quocunque se verterat, superabat*. De Davide itidem memoratur, quod expeditionem susceperit cum armata manu, & prædas egerit de variis hostibus. Ita & de potestate deligendi conscribendique militem dubitari non potest, quin penes Reges ea fuerit. Saulus ubicunque fortem & robustum deprehendebat, eum suæ manui addicebat. Immo ubi adversus Ammonitas bellum gerendum erat, sub pœna occisionis & discerptionis jumentorum coegit militem. Par ratio fuit reliquorum regum. Neque vero legas Reges in bellum profecturos semper ante Deum consuluisse, liceat nec ne: nec quod id neglexerint, usquam a Prophetis reprehenduntur. Fieri autem alterutrum debuisset, si etiam tum ut ante, bellum indicere nisi jussu divino fuisset nefas.

LXXIII. Magistratus etiam & judicia pro arbitrio instituerunt reges Hebræorum. Sane magistratus singularum civitatum mansere etiam regum ævo. At qua ratione & ex quibus institui deberent, penes reges arbitrium fuit. De Josaphato memoratur II. Paralip. c. XIX. *constituisse ipsum judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca* ibidem etiam memoratur eundem Regem Josaphatum instituisse illo singularum civitatum magistratu aliquem augustiorem ac superiorem. Is erat concilium judicum in sancta urbe, ad quod referri debebant illa, quæ liquidi juris non essent, adeoque in singulis civitatibus decidi nequirent. *Num.* 37. Verba sacri scriptoris, quibus istuc memoratur, jam supra produximus, ubi de collegio LXX. virorum agebamus. De Davide quoque, qui integro seculo ante Josaphatum vixit, memorat primus Paralipomenων, *Cap.* 17. ipsum cum ex Levitis plurimos sacro muneri addixisset, ex iisdem etiam non paucos civilibus negotiis expediendis præfecisse, & judices constituisse. Ex verbis sacri libri pauca sunt illa: *Isaaritis præerat Chonenias & filius* (*filii*) *ejus ad opera forinsecus* (externum) *super Israel ad docendum & judicandum eos*. Opera externa bene notat Bertramus esse illa, *quæ sunt extra sacra illa munera, quæ in æde Domini seu Tabernaculo sacrificiis faciendis erant necessaria*. Cæterum latina verborum versio fortassis per omnia non satis recte habet, & ea melior est versio nostri interpretis. Sed neque de illa, neque de multis aliis quæ huc omnino pertinent, disquirere est animus. Tantum de eo brevi est dicendum, qua ratione regnum Hebræorum acquisiverint, qui illud obtinuerunt.

LXXIV. Quamvis vero vulgo existimetur totum illud in hac gente habuisse sese ad eum modum qui in aliis populis obtinuit, nempe ut Rex fuerit vel electione populari constitutus vel ad eam dignitatem hæreditario jure pervenerit: non videtur tamen id vero esse consentaneum, sed semper ad Regum constitutionem fuisse necessarium consensum ipsiusmet Dei apertum. Enim vero primum sane regem non licuisse populo sibi pro arbitrio sumere, manifestum est ex ipsa lege divina Deuteronomii XVII. 15. *Eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum*. Hinc etiam populus regem sibi a Samuele Propheta nimirum & Legato Dei, constitui petiit I. *Reg.* VIII. 5. non autem suo aliquem arbitrio constituit Samuelis Saulem in Regem inungentis verba fuerunt: 2. *Reg.* X. I. *Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem*. Sors quoque qua Saul electus fuit Rex, *coram Domino* scribitur missa: & Samuel deinde ita allocutus est populum: *Videtis quem elegit Dominus*. Similiter sigillatim Davidem Deus jussit in regem ungi, projecto Saulo ejusque familia: sed & ejus posteritati regiam dignitatem promisit. Salomon quoque ex omni fratrum numero non tam Davidis quam

Dei

Dei singulari nutu ad regnum videtur pervenisse. 1. *Paral.* XXVIII. 5. & XXIX. 3. Huc enim videntur spectare illa Davidis ad populum verba: *De filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel.* Item: *Salomonem filium meum unum elegit Dominus, adhuc puerum & tenellum.* Quemadmodum regnum Deo volente fuerit divisum & decem tribus Jeroboamo datæ liquet ex III. *Reg. c.* XI. Alias idem observatum vel certe debuisse observari, non est quod dubitemus. Nec vero alia videtur esse caussa, cur Reges passim audiant *Christi* vel *uncti* Domini.

LXXV. Non negamus populum interdum, Deo inconsulto, imo contra Dei institutum nonnullis regiam dignitatem contulisse: verum ex eo non efficitur idem fuisse popularis juris. Ita Abner Saulo defuncto filium ejus Isboseth constituit regem, & tamen eum non ignorasse aliud placuisse Deo manifestum est ex ejus verbis: 2. *Reg.* III. 9. *Hæc faciat Deus Abner & hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo, ut transferatur regnum de domo Saul: & elevetur thronus David super Israel & super Judam, usque Bersabet.* 2. *Reg.* IV. 1. & 2. Similiter seniores tribuum decem Israelis defuncto Isbosetho demum dixerunt Davidi: *Ecce nos os tuum & caro tua sumus: sed & heri & nudius tertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens Israel: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux super Israel.* Hisce autem verbis revera semetipsos accusant. Nec vero penes populum jus fuit constituendi quem vellent, etsi nonnunquam sibi hoc sumpserit. Sed & regum constitutio illa quæ populo in sacra historia adscribitur, plærumque non tam fuit electio, quam prestatio homagii, ut verbis nostri ævi utamur.

LXXVI. Quæcunque vero de Regum Hebræorum potestate dicta nobis sunt, ea valde elevabuntur, si vera sunt quæ de regibus illis prodiderunt sequioris ævi Hebræi, illos cum ipsi judicarint, judicari etiam solitos fuisse; imo vapulationi fuisse obnoxios. Asseruerat hoc ex Rabbinorum fide Cæsar Baronius in Annalibus Ecclesiasticis. Contra ipsum autem Casaubonus negavit Rabbinos id prodidisse. Porro Wilhelmo Schickardus Casaubonum παροράματος in eo convicit & Rabbinorum testimoniis probavit fuisse reges Hebræorum vapulationi obnoxios. Neque dissentit Grotius. *Video*, inquit, *consentire Hebræos, Regi in eas leges quæ de officio regis scriptæ exstabant, inflicta verbera; Sed ea apud illos infamia carebant & a rege in signum pœnitentiæ sponte suscipiebantur, ideoque non a lictore, sed ab eo quem legisset ipse, cædebantur & suo arbitrio verberibus statuebat modum.*

LXXVII. Nos facile credimus Schikardis, Grotiis, tradi a Rabbinis regem Hebræorum plagis fuisse obnoxium. An autem res ita omnino se habuerit, quomodo Rabbini prodiderunt, id non æque est certum. Verosimile est opinionem hanc natam fuisse ex illa de amplissima potestate Synedrii persuasione, atque potestatem illam extollendi studio. Ut enim Synedrii potestatem & jurisdictionem extollant, quædam cognitionum genera Synedrium sibi servasse volunt; ut de tribu, de pontifice, de propheta: imo qui alia quavis de causa apud synedrium reus fuisset factus, eum a rege judicio non potuisse eximi. Ut autem quod res est, dicamus, iterum, Rabbinis haud temere credendum in illis est, quæ ipsorum ævo non fuere proxima. Fingunt ipsi & conjectura assequi conantur talia, quæ multis ante ipsos seculis obtinuerint, figmentaque sua ventilare ipsis volupe est. Cum vero erroribus & falsis commemorationibus in ipsorum scriptis nihil sit frequentius, in iis etiam, quæ de Regum vapulatione prodiderunt, fidem ipsis derogare non dubitamus. Præiverunt vero hic exemplo suo ipsi Rabbinorum laudatores. Casaubonus exercit. 1. ad Apparat: *Rabbinis in historia etiam sacra (nam in omni alia talpis ut plurimum cæciores sunt) quam parum fidei sit tribuendum, ignorat eruditiorum nemo.* Idem Exerc. 16. n. 15. *Rabbinis ubi de lingua Hebraica agitur & vocis alicujus proprietate vel aliquo Thalmudis instituto, a Christianis tribuatur non parum: ubi vero a verbis venitur ad res, aut ad historiam, vel rerum antiquarum veteris populi explicationem, nisi falli & decipi volumus, nihil admodum est illis fidei habendum.* Jos. Scaliger l. 7. emendat. temp. de computo Judaico agens scribit: *eos consulto videri ignorationem bonarum rerum profiteri.* Cunæus l. 1. c. 14. narrato Rabbinorum commento de oleo quod inuncti sint reges Israelis, subjungit: *Sed ipsi addunt id modo sic traditum a sapientibus esse: ut jam non magnopere laboremus quam hoc verum sit.* Alibi scribit: *unum in sua gente Maimonidem recte intellexisse quid hoc sit non ineptire*: & tamen etiam ille Moyses omnia

omnia pene sua videtur ex Talmude transscripsisse. Verum hæc obiter.

LXXVIII. Illud tamen videri possit aliquibus ut pœnam fuisse irrogatum, quod extra Regum sepulchra ipsorum cadavera sepulta fuisse legimus. Secundo nimirum *Paralip. c.* XXIV. & XXVIII. narratur, Joasi atque Achasi defunctorum cadavera non fuisse illata Regum sepulcris. At necesse non est in pœnam id fuisse factum, sed quod divinitus impedimentum aliquod intervenerit, quo minus fieri id potuerit. Non semel in sacris literis legere est, quibusdam ut pœnam denunciari, fore, ut ipsorum corpora in sepulcra majorum non inferantur. Inter alios prophetæ, quem ad Jeroboamum Regem Deus miserat, id denunciatur III. *Reg. c.* XIII. Secundum fatum igitur evenire omnia necessum fuit, quod divinæ prædictioni sua constaret fides. Veruntamen Reges quorum cadavera in regum sepulcra non fuere illata, in loco regibus non indigno fuisse sepultos, haud negaverit quispiam. Et vero simile id fit ex eo, quod licet Iezabelis cadaver secundum vaticinium Prophetæ a canibus discerptum esset, ut tamen reliquiæ ejus sepelirentur, quod regio sanguine nata ipsa esset, Jehu Regem jussisse legimus. Quod igitur regum quorundam cadavera in sepulcra regum non fuerint illata, id ipsis ut pœnam ab ipso Deo potius, quam ab hominibus irrogatum fuisse credendum est.

LXXIX. Ceterum eorum quæ ad argumentum, quod hactenus tractavimus, pertinent, superare scimus non pauca. Et si singula persequi decretum nunc esset, fore prævidemus, ut ea nequaquam capiat harum pagellarum modus. De toto autem argumento, (quod sane luculentum est) plenius, pressius ac elegantius aget Vir Excellentissimus, qui levidensia ista patrocinio suo haud est dedignatus. Quod cum sciremus nos, etiam illo nomine multa prætermisimus consulto, quæ dici poterant prolixius. Quod igitur superest, petimus τοῖς παραλελαμμένοις συγγνώμην.

CHRIST. BENED. MICHAELIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA DE ANTIQUITATIBUS ŒCONOMIÆ PATRIARCHALIS.

I. VIvimus in sæculo *Œconomico*, quo non privati solum homines, sed Reges quoque ac Principes in hanc curam solicite incumbunt, ut rem domesticam meliorem ac fructuosiorem efficiant: adeo quidem, ut Potentissimus *Borussiæ Rex*, Dominus noster indulgentissimus, præterquam, quod in Regia sua pariter ac in Provinciis illustria instituit Collegia, quæ curam ærarii & œconomiæ principalis gerant, insuper hanc ipsam Academiam suam, in qua nos vivimus, nova prorsus & adhuc inusitata *Professione Œconomica* clementissime auctam superiori anno exornaverit. Qua de re exstant publice emissa Programmata, tum Illustris Cancellarii nostri, *Jo. Pet.* de *Ludvvig*, qui tunc Pro-Rector, nomine totius Senatus Academici, Professionem hanc novam ex jussione Regia publicavit & commendavit, tum Excellentissimi *Sim. Pet. Gasseri*, qui, quo modo spartam hanc sibi clementissime demandatam ornare constituerit, suis verbis ipse exposuit. Quid mirum igitur, si hoc sæculi nostri studium ansam suppeditavit nobis, cogitandi de prisca illa & antiquissima Patriarcharum, inde ab Adamo usque ad Jacobum & filios ejus, œconomia, quatenus illius memoriam divinissimus scriptor Moses in Genesi sua nobis conservavit? Utpote de quo argumento ita nunc agere constituimus, ut Patriarcharum primo *vivendi genus* & *studia œconomica*; deinde *intentionem* & *animum* in curanda re familiari; tum *opes*; porro *conjugia*; item *liberos*; dehinc servorum servarumque *familiam*, *habitacula*; *victum* denique & *amictum*, consideremus. Nec ta-

tamen id propositum nobis est, ut rei familiaris augendæ regulas hominibus nostris præscribamus; ac multo minus, ut Principibus ad amplificandos reditus suos auctores & consiliatores simus: utpote quod alienum foret ab iis studiis, quibus hucusque animum nostrum pavimus; ac adeo verendum esset nobis, ut videremur falcem in alienam misisse messem, & ea arrogavisse nobis, quorum nec scientiam habeamus, nec usum. Immo vero non immemores sumus, aliam fere rationem œconomiæ fuisse olim, aliam esse nunc; aliam item in Oriente, aliam vero in Occidente; aliam porro principalem, aliam esse privatam œconomiam: neque tuto semper hanc cum illa comparari putamus, nisi *παράβασιν εἰς ἄλλο γένος* committere velis. Igitur sicuti hanc curam illis relinquimus, ad quos illa proprie pertinet; ita potius ad illustrationem sacri textus Geneseos hoc, quidquid est commentationis, comparatum esse volumus. Gratum tamen omnino futurum nobis esset, si qui nostris quoque temporibus rem familiarem colunt, dignarentur hoc Patriarchalis œconomiæ speculum, quod ex antiquissima mundi ætate ipsis ostenditur, penitius intueri; & multo magis, si quibus in partibus ex eo profecisse, melioresque & prudentiores pro instituto suo facti esse viderentur: ut qui firmiter persuasum habemus, œconomos omnes, si eundem cum piis Patriarchis animum induerent, eodemque cum illis spiritu fidei & caritatis imbuerentur, parem quoque cum illis gratiæ mercedem, paremque in œconomia gerenda felicitatem a clementissimi Numinis bonitate esse reportaturos.

II. Quod igitur ad Patriarcharum *studia œconomica* attinet, pii quidem ea tantum sectati sunt, quæ & Deo placent, & generis humani utilitatem vero promovent. Nec enim usquam in Genesi leguntur aliqui ex iis fuisse sive comici, sive histriones, ac pantomimi, sive chartularum opifices, sive alii id genus homines, inutilia partim, partim noxia terræ pondera, quibus hic illic scatet ac premitur Christiana respublica. Nempe in animum haud dubie induxerunt hanc cogitationem, quam suo postmodum tempore sapientissimus Regum verbis expressam dedit. Prov. XIII. 11. הון מהבל ימעט וקבץ על יד ירבה׃ *Opes ex vanitate provenientes, minuentur*, vel (si distinctionum Hebraicarum ratio habeatur) *opes*, si quæ adquirantur, aut adquisitæ jam sint *ob vanitatem minuentur; qui vero colligit manu*, ac adeo utilem, honestum ac Deo probatum laborem peragit, *multiplicabit* opes; quia hoc modo, si cetera paria sint, favorem ac benedictionem Dei certissime sibi spondere potest. Sed nec opificia, aliasque sive manuarias sive liberales artes, admodum coluisse videntur pii Patriarchæ. Hanc potius gloriam Caini soboles vindicavit sibi: utpote cujus propago *Jubal fuit pater omnis tractantis citharam & organum*, adeoque musicæ inventor, Gen. IV. 21. *Tubalcainus* vero *cudens, fabricans omne ferrum & æs*, videlicet metallicarum rerum & ferrariæ artis auctor, ibid. v. 22. Abrahami item ex Hagara & Kethura posteri, hoc est, Ismaelitæ, Midianitæ ac Medanitæ mercaturam exercuere, camelis suis merces, quas Gileaditis regio ferebat in Ægyptum deferentes, *Gen.* XXXVII. 25. 28. 36. Attamen Noachus, exstructa ad mandatum Dei arca, qua animantium omnium genera, cum alimentis necessariis, exciperet, & excepta conservaret, cum architecturam doctus fuisse, tum nauticæ rei primus mortalium initia dedisse videtur, ipso magistro Deo, *Gen.* VI. 15. seqq. Quod vero Patriarcharum studia potissimum occupavit, agricolatio fuit, & res omnis rurestris. Huc pertinet tum *Agrorum*, *Hortorum* ac *Vinearum cultura*, tum *cura Pecoris*: quas partes vel singulas excoluerunt singuli, vel plures una & conjunctim tractaverunt.

III. Omnium antiquissimum vitæ genus fuit, *Paradisi* ab ipso Deo plantati *Custodia & Cultura*. *Plantavit enim Dominus Deus hortum in Edene ab Oriente, & posuit ibi hominem, quem formaverat*, Gen. II. 8. Quod quo fine fecerit Deus, disertius ibid. docetur a Mose v. 15. *Sumsit Dominus Deus hominem, & posuit eum in horto Edenis ad colendum eum, & custodiendum*. Hanc igitur paradisi culturam, quam Deus primis parentibus ante eorum lapsum commisit, fuisse oportet longe jucundissimam. Nam licet primæ arbores tota, qua patet, terra a Conditoris voluntate & jussu omnes exstiterint; prout Moses nos docuit Gen. I. 11. 12. *Dixit Deus, germinet terra gramen, herbam ferentem semen, arbores fructiferas, quæ ferant fructum secundum species suas, in quibus semen suum sit*; & licet universa, quæ initio super terram a Deo producta sunt, & in his arbores quoque omnes, ad usum hominis comparata fuerint. Gen. I. 29. *Dixit Deus: Ecce, dedi vobis omnem herbam ferentem semen, quæ est in superficie totius terræ, & omnem arborem, in qua sit fructus arboris, ferentem*

tem semen; vobis erit in escam: Tamen paradisus, singulariter & præcipue hunc in finem, ut Protoplastorum commoditatibus inserviret, a Deo ipso complantatus, omnem reliquam terram fertilitate & jucunditate procul dubio superavit; cum insuper in *Edeniensi* regione, quæ a *deliciis* & *jucunditate* nomen suum accepit, situs, & ab alluentibus fluviis rigatus fuerit Gen. II. 10. seqq. In hoc igitur paradiso Deus hominem recens creatum posuit, לעבדה ולשמרה *ad colendum eum & custodiendum* v. 15. hoc est, ut hortum eum non arboribus demum instrueret, (quod jam ab ipso conditore Deo factum erat) sed potius, ut plantatum a Deo arboribusque suis consitum diligenter tueretur, ejusque statum conservaret & custodiret, daß er ihn im Stande und baulichen Wesen erhaltem möchte: quod fieri poterat, si (ut *Clericus* ad l. c. observat) primi parentes, eorumque posteri, benignam soli naturam cultu aliquo leviore adjuvarent; &, ne fructus a feris bestiisque aliis vorarentur, ne ipsis victus deesset, impedirent. Videmus igitur, ex sapientissima Dei voluntate & consilio homini ne quidem ante lapsum otiandum, sed (licet non in sudore vultus, ut nunc post lapsum) tamen operandum fuisse. Unde liquet, eos qui nihil agunt, ordini Dei, quem non solum post, sed & jam ante lapsum instituit, repugnare: indeque majus simul robur accipit illud Apostoli 2. Thess. III. 10. 11. 12. 13. *Si quis non vult operari, nec manducet. Audimus enim, inter vos quosdam ambulare inordinate, nihil operantes, sed curiose agentes. Talibus autem præcipimus, & hortamur per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cum quiete operantes, suum ipsorum panem manducent.*

IV. Alia longe ac miserior colonorum sors est *post lapsum*, ubi *Agricolatio*, in pœnam transgressionis, & ut magis mitescant ac subigantur mortales, magnis cum tædiis, molestiis, laboribus, difficultatibus, conjuncta est. Dixit enim Deus Adamo Gen. III. 17. 18. 19. *Quoniam obtemperavisti voci uxoris tuæ, & comedisti de arbore illa, de qua præceperam tibi, dicens: Ne comedas de illa; maledicta sit terra propter te; cum dolore comedes de illa omnibus diebus vitæ tuæ: Spinamque & carduum germinabit tibi, & comedes herbam agri: In sudore vultus tui comedes panem, donec revertaris ad terram, quoniam de illa sumtus es: siquidem pulvis tu es, & ad pulverem reverteris.* Et ibid. v. 23. *Ejecit eum Dominus Deus ex horto Edenis, ut coleret terram, unde sumtus erat.* Ac adeo duo inprimis momenta cernere licet in lapsi Adami pœna: unum, quod nunc non amplius *paradisum*, sed *terram*; alterum, quod terram non propitiam amplius, sed *maledictam* experturus esset. Ceterum placet nobis ob concinnitatem suam paraphrasis, quam in superiora illa verba *B. Matth. Hillerus* Hierophytici P. I. p. 462. dedit: „ Non effundetur, ut antea, mea benedictio in terram, non fœcundabitur amplius, non augebitur proventus ejus, tua culpa, experieris terram ingratam, nec amplius te frugibus sponte natis pascentem: cum dolore & multis vitæ acerbitatibus proventu terræ vesceris, donec vitæ cursum confeceris: Spinæ & cardui in illa adsurgent tibi, quæ inculta suaque sponte (addimus nos: aut saltem non magno labore culta) fruges tibi fudisset, tu vero, ab arbore vitæ depulsus, deinceps ex herbis agrestibus cibum capies. “ Hinc igitur sudores, soles, & incommoda hominum in colendis agris: hinc soli sterilitas; hinc fruges sæpe tenuiores, quam ut colonorum exspectationi respondeant: hinc spinarum, carduorum loliorumque uber proventus, & quod, dolente Virgilio Georg. v. 153.

Inter nitentia culta
Infelix lolium & steriles dominantur avenæ:

&, quod, *Ovidio* lib. V. Trist. Eleg. 12. monente,

Fertilis adsiduo si non renovetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit, ager.

Ut adeo post lapsum in colenda terra multo majores sint sufferendi labores, quam ante; & qui molestia hanc defugit, quadret in eum illud Prov. XXIV. 30. 31. *Juxta agrum desidis transii, & juxta vineam hominis dementis: & ecce! succreverat* ager *totus carduis, & contecta erat superficies ejus urticis, & murus lapideus ejus* (vineæ) *erat dirutus.* Recteque heic iterum *Matth. Hillerus* Hierophyt. P. II. pag. 72. „ Licet terra, inquit, obtingat tenera & pinguis, atque in situ nihil desideretur, tamen, si assidue & in sudore vultus non colitur, carduis & sentibus horrebit, & se inutilibus herbis sponte exhauriet. Aranda igitur est, fodienda, sulcanda, occanda, novellanda, & conserenda. *Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus. Qui colit tellurem suam, satiatur pane,* Prov. XII. 11.

V. Quamvis autem hic fuerit peccati

ti primorum parentum effectus, ut terra, nisi adsiduo colatur labore, sit sterilis; Deus tamen, uti post lapsum, non obstante maledictione illa, qua terram ferierat, homines, ac pios inprimis, uberrimo sæpe proventu beat; sic e contrario primam illam soli maledictionem, aucta hominum malitia, iterat nonnunquam atque prægravat. Testis hujus rei est historia Caini, in quem ob cædem fratris commissam eadem sententia, quæ contra Adamum jam lata fuerat, denuo vibratur Gen. IV. 12. *Cum coles terram, non perget illa dare vim suam tibi*. Hæc enim verba procul dubio augmentum illius mali innuunt, quod terram inde a prima hominum transgressione jam premebat: quia, nisi hoc esset, pœna hæc Caino singularis & propria non fuisset. Eandem rem confirmat historia *diluvii*; ante quod, cum hominum crevisset malitia, agrorum quoque videtur crevisse sterilitas, & aucta esse terræ maledictio, subtractis subinde (ut probabile est) fœcundis pluviis, commodaque ad arandum, serendum, metendum, anni tempestate, ac turbata per anomaliam cæli temperatione. Hoc enim colligimus, cum ex augurio illo pii Lamechi de Noacho filio suo Gen. v. 29. *Hic consolabitur nos ab operibus nostris, & a dolore manuum nostrarum, a terra, cui maledixit Dominus*; tum ex clementissimo Dei post diluvium decreto Gen. VIII. 21. 22. *Non pergam maledicere amplius terræ propter hominem; quoniam figmentum cordis hominis malum est inde a pueritia ipsius: nec pergam amplius percutere omne vivum, quemadmodum feci. Adhuc omnibus diebus terræ sementis & messis, & frigus & æstus, & æstas & hiems, & dies & nox, non cessabunt*. Quæ verba manifestum involvunt respectum, uti ad antegressum diluvium, sic ad augurium quoque illud pii Lamechi; quia, nisi ita se res haberet, ut diximus, vanum id irritumque augurium fuisset. Nec enim generalis illa maledictio, quæ propter primorum hominum peccatum terræ inflicta, sed specialis, quæ propter antediluvianos homines, eorumque cumulata scelera, immissa fuit, hoc decreto sublata est. Observa igitur in antediluviana historia tres, easque velut gradibus assurgentes, maledictionis periodos: primam propter Adami & Evæ peccatum; alteram ob Habelem a Caino cæsum; tertiam ob malitiam antediluviani mundi. Et hac ultima periodo factum est probabiliter, sicut in Judæa tempore Haggæi Prophetæ, ut *sererent quidem multum, sed proventum reportarent exiguum*, Hagg. I. 6. *ut cælum cohiberetur a demittendo rore, & terra negaret proventum suum* v. 10. & ut Deus *vocaret siccitatem super terram, & montes, & frumentum, & mustum, & oleum, & quidquid profert terra* v. 11. ut *veniret* quis *ad acervum* excussi frumenti, qui debuerat esse *viginti* modiorum, *qui vero erat* tantumodo *decem*, cap. II. 15. ut Deus *percuteret ipsos uredine, rubigine & grandine, nempe opera manuum ipsorum* v. 17. Atque ita *experti sunt, malum atque amarum esse, quod reliquissent* Dominum *Deum suum, & quod timor ejus non fuisset apud ipsos* Jerem. II. 19. Et, ut phrasibus ex Jeremiano ævo & libro desumtis rem nostram porro exprimamus, *Non dixerant apud animum suum: Age, revereamur* Dominum *Deum nostrum, qui dat imbrem, primum atque serotinum, tempore suo, & qui hebdomadas*, seu *stata tempora messis servat nobis*. *Culpæ* igitur *eorum averterunt hæc ab illis, & peccata illorum prohibuerunt bonum ab ipsis*, Jerem. v. 23. 24. 25. Sed & post diluvium, quanquam maledictio non ita incubuerit terris, uti ante diluvium, tamen exempla haud desunt famis divinitus immissæ: quæ sicuti aliis forte plurimis exitio, ita piis Patriarchis exercitamentum fidei, & singularis providentiæ Dei erga ipsos documentum fuerunt. Sic tempore Abrahami fuit fames in Cananæa gravis, quæ eum cum Loto in Ægyptum, Nili aquis irriguam, indeque annonæ feracissimam, compulit *Gen.* XII. 10. permittente id Deo, ut, quemadmodum *Theodoretus* Quæst. *66.* observavit, Ægyptiis viri illius pietatem ostentaret, & ad imitationem proponeret. Pariter tempore Isaaci fames Cananææ incubuis c. XXVI. I. unde Isaacus Geratam, quæ ad austrum sita fuit, petens, in Ægyptum & ipse videtur iturus fuisse, a qua vero profectione eum tum prohibitio tum promissio Dei revocavit v. 2. sqq. utpote qui tempore famis amplissimam ei messem destinarat v. 12. Gravior tamen vix ulla exstitit, quam quæ occasionem præbuit Jacobo & universæ ejus familiæ veniendi in Ægyptum, utpote quæ per septem annos non Cananæam solum, sed Ægyptum quoque ipsam vehementer adflixit *Gen.* XLI. 54. seqq. Quæ vero ut ab Jacobo & ejus familia sustineretur, Deus singularissimo fato, vel potius providentia, Josephum præmissum in summo fastigio collocaverat *Gen.* XLV. 5. seqq. Sic igitur evenit, quod Psaltes divinus canit Ps. XXXVII. 18. 19. *Novit Dominus dies integrorum, & hæreditas illorum in*

in æternum erit: *Non pudefient tempore mali*, & in diebus famis faturabuntur.

VI. Interim licet *Agricolatio* poſt lapſum ſit valde laborioſum vivendi genus, tamen poſt Paradiſi culturam fuit omnium antiquiſſimum, & a Deo ipſo inſtitutum, uti ex loco illo Moſaico, quem §. IV. adduximus, clariſſime liquet. Eidem adhæſit natu major Adami filius Cain, ſicuti contra paſtoritium vitæ genus ſibi minor demum delegit Habel *Gen.* IV. 2. Unde hac in re minus accurate judicaſſe videretur *Columella* Præf. lib. VI. de re ruſtica, *in ruſticatione*, inquiens, *vel antiquiſſima eſt ratio paſcendi*: niſi adjecta particula *vel*, quæ idem aliquando ſignificat, ac *etiam*, orationem emolliviſſet. Quod autem ad commendationem agriculturæ porro facit, eſt illa ſimul utiliſſima, ſummeque neceſſaria; habet & ſuavitates alias, quibus tædia ejus vel abſterguntur, vel temperantur; fuit denique apud veteres in honore & gloria. Nam quod ad ejus *uſum* ſeu *utilitatem* adtinet, audiamus auctorem in hoc genere irrefragabilem, modo nominatum *Columellam*, qui Præfat. lib. I. de re ruſtica, *Sine ludicris artibus*, inquit, *atque etiam ſine cauſſidicis olim ſatis felices fuere futuræque ſunt urbes. At ſine agricultoribus nec conſiſtere mortales, nec ali poſſe, manifeſtum eſt*. Quid vero *ſuavius* contingere poteſt, quam vel verno tempore jucundo ſuccreſcentis ſegetis ſpectaculo oculos animumque paſcere, vel, cum maturuerint fruges, uberem laboris percipere fructum? Ad ſuavitatem agricolationis pertinet oblectatio illa, quam Iſaacus ipſis capiebat naribus ex odore veſtium Eſavi Gen. XXVII. 27. *Ecce!* inquiebat, *Odor filii mei eſt ſicut odor agri, cui benedixit Dominus*. A qua jucunditate ita adfectus eſt pius ſenex, ut Jacobo, qui Eſavi perſonam agebat, v. 28. in hunc modum benediceret: *Det tibi Deus de rore cæli, & pinguia loca terræ, & copiam frumenti ac muſti!* Ratus, filium fortunatiſſimum fore, ſi hæc ei dona a benignitate divina obtingerent: plane ut *Virgilius* II. Georg. v. 438. ait:

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas!

Quam *non inhonora* autem apud veteres fuerit agricolatio, tum ex eo patet, quod Saul, jam deſignatus Iſraelitarum Rex, tamen boves aratores ducere haud erubuit I. Reg. XI. 5. ſeqq. coll. c. X. 21. ſeqq. tum, quod Hiſtoricus ſacer in *Uzzia*, fortiſſimo Judæorum Rege, non bellicum ſolum adparatum, regno ſuo defendendo utilem futurum, v. g. munimenta Hieroſolymæ reparata, exercitum bis mille & ſexcentis ducibus, militibus vero ultra trecenties ac ſepties mille lectiſſimis inſtructum, armorum item copiam, & nova inventa militaria, ſed hoc æque collaudat, quod *turres* (puta, gregibus regalibus colligendis ac defendendis) *ædificaverit in deſertis*, *ac ciſternas multas* (colligendæ aquæ pluviæ, quæ potum præberet pecori) *excidi curaverit*, *utpote magnam vim pecoris alens*, *tam in declivi Judææ parte*, *quam in planitie*; *& quod* Agricolas *vinitoreſque habuerit in montibus & arvo*, כי אהב אדמה היה *eo quod* Amator terræ, hoc eſt, ex interpretatione Vulgata, *homo agriculturæ deditus*, ex LXX. virali γεωργός, vel, ut Alexandrinus codex legit, φιλογεωργός fuerit, 2. *Chron.* XXVI. 10. Quod regalis œconomiæ exemplum ſi non plane geminum, tamen admodum ſimile eſſe videtur prudentiſſimis inſtitutis, tum *Cyri* Perſarum monarchæ, quæ *Xenophon*; tum *Henrici* IV. Franciæ Regis, quæ *Sullius* ſingularibus libris celebraverunt. Porro apud Romanos antiquos quantæ gloriæ fuerit cura ruſticationis, probat pluribus *Columella* Præfat. lib. I. quem, quia ipſe legi meretur, heic non exſcribemus. Silentio autem prætereundum non eſt illud *Catonis* teſtimonium, quod lib. de re ruſt. c. I. veteribus exhibuit: *Virum bonum*, inquit, *cum laudabant*, *ita laudabant*, *bonum agricolam*, *bonumque colonum*; *ampliſimeque laudari exiſtimabatur*, *qui ita laudabatur*. Nec non hocce *Ciceronis* lib. I. Offic. cap. 41. *Omnium rerum*, *ex quibus aliquid adquiritur*, *nihil eſt agricultura melius*, *nihil uberius*, *nihil dulcius*, *nihil libero homine dignius*. Quæ cum ita ſint, haud immeritos, ut nobis quidem videtur, ſubſcribimus judicio doctiſſimi *Sam. Bocharti*, qui Hierozoic. P. I. p. 440. „ Sunt, inquit, qui in *Caini* odium, & *Abelis* gratiam, non „ contenti paſtoritiam aratoriæ longe „ præferre, agriculturam, per quam „ omnes vivimus, mire deprimunt, ut „ vilem & abjectam artem, cuique non „ niſi propter peccatum ſimus addicti. „ Tamen eorum omnium, quæ ad hanc „ vitam pertinent, ſolum panem diſerte petimus ut ſumme neceſſarium. „ Proinde (ſic idem porro inquit) etiam e piis Regibus Uzzias agricultuƦæ fuit addictiſſimus 2. Par. XXVI. 10. „ Et Romæ præcipui duces, ut *Camillus*, *Regulus*, *Fabius*, *Cato*, *Serranus*, „ *Cincinnatus*, ex aratro petiti ſunt. -- Et „ Deus ipſe ſuo modo eſt *agricola* Joan.

„ XV.

„ xv. 1. & fideles *Dei agricultura* 1. Cor.
„ iii. 9. -- Neque dicendum est, terræ
„ colendæ necessitatem ex peccato de-
„ venisse, cum etiam ante peccatum
„ hortum coluisse dicatur Adam *Gen.* ii.
„ 15. Tantum operi, jam ante pecca-
„ tum necessario, difficultas ex peccato
„ accessit; quia terra, propter peccatum
„ hominis maledicta, non respondet la-
„ bori nostro, & cultoris spem plerum-
„ que eludit.

VII. Igitur ut paulo propius ad institutum nostrum accedamus, qui œconomica Patriarcharum studia persequi occœpimus; post *Adamum*, qui agricultorum omnium primus, & *Cainum*, qui secundus exstitit, ex antediluvianis eidem arti addictus fuit *Lamechus*, Noachi pater, qui, cum propter sæculi scelera, durum agriculturæ laborem ex incumbente maledictione divina sensisset, prophetico spiritu ex nativitate filii benigniora fata huic laboris generi auguratatus est Gen. v. 29. *Hic consolabitur nos*, inquiens, *ab operibus nostris, & a dolore manuum nostrarum, a terra, cui maledixit Dominus*. Qua de re jam supra aliquid diximus §. v. Post diluvium vero idem studiorum genus continuavit *Noachus*, ut qui non solum vini culturam inchoasse, sed etiam איש האדמה *vir terræ* fuisse legitur *Gen.* ix. 20. quod vocabulum latioris ambitus est, ac *rusticationem* omnem, & in hac *agrorum* inprimis *culturam* exprimit. Postulavit id non modo status Noachi & familiæ ejus post diluvium; quia, cum nulli mortalium præter ipsos superessent, a quibus panem pro aliis forte mercibus permutare potuissent, igitur nisi agros ipsi coluissent, vix commode victitare potuissent: verum etiam nova benedictionis divinæ formula Gen. viii. 22. *Adhuc omnibus terræ sementis & messis -- non cessabunt*. Num *Abrahamus*, num *Lotus* item, agricolas egerint, definire vix audemus, cum Genesis Mosaica nusquam (quod nos meminerimus) aliquid ea de re memoriæ prodiderit. De *Isaaco* contra res certa est, & explorata. *Fecit* enim *Isaacus sementem in regione ista*, se Gerarensi Philistæorum, *& invenit anno isto*, (quo fames Cananæam premebat, מאה שערים) *centuplum proventum: atque* sic *benedixit ei Dominus*, Gen. xxvi. 12. Id quod summæ fertilitatis exemplum est, coll. Matth. xiii. 8. ubi Christus, bonam terram ratione proventuum in tres veluti classes dispescens, *Alia* semina, inquit, *ceciderunt super terram bonam, & dederunt fructum, aliud quidem Centies, aliud vero sexagesies, aliud denique tricesies auctum*. Hæc autem tam eximia proventuum ubertas quid fuit aliud, nisi fructus effectusque *divinæ* illius *benedictionis*, quæ Isaaco, si secundum mandatum Dei in Gerarensi regione mansurus esset, promissa erat, ibid. *Gen.* xxvi. 2. 3. Fidem igitur habere promissionibus Dei, est optimum multiplicandi frumenti medium. Quæ vero Philosophi de multiplicando frumento (Von Vermehrung des Getraides) scripserunt, ea quidem alio tendunt, & suo a nobis relinquuntur loco; sed hoc, ni fallimur, defectu laborant, quod ipsi πρᾶξει, seu usui & exercitationi non usque quaque adcommodata esse videantur. Ad agricolationem autem Isaaci probandam faceret forte locus, ibidem proxime subsequens v. 14. ubi, præter pecuarias & armentarias possessiones, ei fuisse dicitur עבדה רבה, id est, secundum interpretem Arabem, *agricultura multa*, & secundum LXX. Græcos, γεώργια πολλά, seu *agricolationes multæ*: sed Vulgatus interpres Latinus rectius ibi vertisse videtur, *familiæ plurimum*, id est, multitudo famulorum famularumque, seu servorum servarumque; ita ut sit metonymia abstracti pro concreto, sicut *nobilitas* pro *nobilibus*, *civitas* pro *civibus*. Nam primo certum est, loco citato sermonem esse, non de vivendi genere, sed de divitiis & opibus Isaaci: ad illud quidem pertinebat *agricolatio*, non vero ad has: nisi per *agricolationem* agros ipsos, qui coluntur, intelligere velis; quibus tamen Patriarchæ, in Cananæa peregrinantes, (sicuti mox docebimus) caruerunt. Deinde vero alibi, ubi Patriarcharum opes describuntur, עבדים ושפחות *servili & ancillæ* commemorantur, v. g. *Gen.* xii. 16. c. xx. 14. c. xxx. 43. igitur probabile est, eos neque heic, ubi par institutum Scriptoris sacri est, prætermissos, ac adeo per substantivum illud עבדה *servitium*, quod ab עבד *servire* efformatum est, indicatos esse. Porro *Jacobum* cum familia sua aliquam *agriculturæ* operam dedisse, forte ex illo Josephi somnio collegeris, quo visus est sibi cum fratribus *manipulos frumenti in agro colligavisse* Gen. xxxvii. 7. Ab his enim, quæ studia nostra occupant, & exercitationis diurnæ objectum sunt, somnia fere nasci solent. Quam vero tenue sit hujus argumentationis filum, ipsi facile intelligimus; inprimis cum idem Josephus, eodem sensu, mox somniaverit quoque, solem, lunam & undecim stellas, supplices sibi factas: quod sentimus ad rem nostram parum esse commodum. Igitur id in medio relinquentes, ad *Josephum* progre-

gredimur, magnum illum & sine exemplo Œconomum. Hic enim, cum ubertatem non minus, quam famem septennalem totius Ægypti, divino monitu tempestive prævidisset, auctorque Pharaoni exstitisset, ut constitueret Præfectos, qui per universos regni sui fines, durantibus septem ubertatis annis quintam ab incolis proventuum partem exigerent, & in futuros usus regalibus in horreis reponerent, *Gen.* XLI. 33. 36. quin, jubente rege, administrationem hujus negotii ipse sapientissime obiisset v. 37. seqq. jure quodam suo heic, ubi de rurali œconomia agimus, locum poscere videtur: utpote qui Pharaoni hoc annonario consilio primo quidem argentum totius tum Ægyptii tum Cananææ *Gen.* XLVII. 14. deinde equos Ægyptiorum, pecudes, armentum, asinos v. 15. 16. 17. tum vero incolas ipsos, cum fundis illorum, lucratus est, v. 18. 22. & ad quintam proventuum partem solvendam posthac quoque obstrinxit v. 23. 26. *Salvator* totius Ægypti non minus v. 25. quam jurium redituumque regalium eximius amplificator.

VIII. Prius autem, quam discendamus ab agricolatione patriarchali, juvabit aliquid adjicere, cum de fertilitate Palæstinæ, in qua triga illa Patriarcharum peregrinata est, Abrahamus, Isaacus atque Jacobus, tum de messe duplici. Omnino, licet terræ propter peccatum maledictum sit, tamen, quod David Psal. LXV. 10. 14. ex merito prædicat, Deus post lapsum quoque non desinit *invisere terram, ac facere eam ut abundet, multumque ditare. Rivus enim Dei plenus est aquis*, cetera. Inprimis Palæstinæ, quam Abrahamo & posteris ejus destinarat, pingue & feracissimum solum indulsit. Unde Isaacus non solum ipse odorem filii sui vestiumque ejus odoratus sicut odorem *agri cui benedixit Dominus* Gen. XXVIII. 27. & *centuplici proventu* ex sparsa sementi auctus c. XXVI. 12. sed etiam Jacobo filio suo משמני הארץ *pinguia loca terræ*, quæ eventus intra Palæstinæ terminos ostendit, auguratus est c. XXVII. 28. Testis vero omni exceptione major est Moses Deut. VIII. 7. *Dominus Deus tuus*, inquiens Israeli, *introducet te in terram bonam; terram tritici & hordei, vitis & ficus, & malogranati; terram oleæ oleiferæ & mellis; terram, in qua non parce comedes panem, & in qua non egebis re ulla*, item cap. XIV. 11. 12. 13. *Terra, quo vos transituri estis ad hæreditandum eam, est terra montium valliumque, quæ ex pluvia cæli bibit aquas; terra, quam* Dominus Deus tuus *curat, & in quam jugiter oculi* Domini Dei tui *intenti sunt, inde a principio anni usque ad finem ejus*. Quæ vero alii fertilitati, toties totiesque in sacris litteris celebratæ, ex hodierna ejus facie opposuerunt, ea doctissime diluit *Hadr. Relandus* in Palæst. lib. I. c. LVII. Porro *Messis* in Palæstina, sicuti specie frumenti, sic tempore diversa fuit. Hinc *Gen.* XXX. 14. mentio fit *messis triticeæ*, cui contradistinguitur *messis hordeacea* Ruth. I. 22. c. II. 23. Ac hujus quidem initium fuit decima sexta mensis Nisan seu Martii, dicti alias Abib; utpote quo tempore hordeum in climate illo jam maturuit *Exod.* IX. 31. adeo ut postridie Sabbati Paschalis ab Israelitis debuerit *manipulus primitiarum messis* ad sacerdotem adferri *Lev.* XXIII. 10. 11. Ast *triticea*, in Pentecosten incidens, septem hebdomadibus hordeacea messe posterior fuit, coll. Exod. XXXIV. 22. *Et festum hebdomadum*, seu Pentecostes, *facies tibi*, nempe *festum primitiarum messis triticeæ*. Ubi observa, Pentecosten dici quidem *festum primitiarum messis*, non omnis tamen, sed demum *triticeæ*. Egit ea de re *Conringius* Commentariolo *de tempore messis Hebræorum*, quem excerpsit *Matth. Hillerus* in Hierophyt. P. II. p. 146. seqq. Unde adparet, hordeum non minus, quam triticum, in Palæstina auctumnali tempestate satum fuisse, illud vero licet posterius seminatum, tamen temporius tritico maturuisse. Addimus ad illustrandum ea, quæ de auspiciis messis, ejusque triticeæ inprimis, hucusque attulimus, locum ex *Aristophane* in *Avibus* p. 540. Edit. Scaliger.

> Χ' ὡπόθ' ὁ Κόκκυξ εἴποι Κόκκυ, τοθ'
> οἱ φοίνικες ἅπαντες
> Τοὺς πυροὺς ἂν, ϗ τοὺς κριθοὺς ἐν τοῖς
> πεδίοις ἐθέριζον.
> *Et quando Cuculus dixisset Cucu,*
> *tunc Phœnices omnes*
> *Frumenta & hordea in campis metebant.*

IX. De *Paradisi custodia & cultura*, quæ Protoplastorum studia ante lapsum jam occuparat, diximus supra §. II. Post lapsum, utut difficilior multo fuerit, tamen arborum hortorumque cultura a Patriarchis non neglecta est. Nam, ut *Columella* lib. III. c. I. judicavit, *arborum cura pars rei rusticæ vel maxima est*. Et quod *Matth. Hillerus* Hierophyt. S. Part. I. pag. 95. recte monuit. „ Mille „ sunt arborum usus, sine queis vita „ degi non possit. Hinc homini & pe„ coribus alimentum, hinc ægris medi„ cina petitur. Arbore secamus maria, „ terasque admovemus, arbore ædificamus „ te-

„ tecta. Incensis earum lignis arcemus „ frigora, fovemus artus, coquimus cibos, & ex terræ visceribus eruta metalla. Umbra denique foliorum luxuria exuberans fessis corporibus blanditur, æstumque refrigerat. “ Igitur *Noachus* arcæ ex mandato divino fabricandæ adhibuit עצי גפר *ligna de arboribus Gopher* Gen. VI. 14. Quæ qualia fuerint, non una est omnium sententia. *Onkelosus* in Chaldaica sua paraphrasi expressit, *de lignis cedri*; Arabs, *de lignis buxi*; Syr. *de ligno viminis* LXX. ἐκ ξύλων τετραγώνων, *de lignis quadratis*; Vulgatus Latinus, *de lignis levigatis*. *Sam.* vero *Bochartus* Lib. I. Phaleg. c. 4. *Cupressos* cum *Fullero* exponere maluit, cum quod vox *Gopher* sono proxima sit vocibus *Coper*, *Cupar*, *Cuper*, unde Græc. Κυπάρισσος & Lat. *Cupressus*; tum quod lignum cupressi sit ἄσηπτον, contraque tineas & cariem firmissimum; etiam ad struendas naves, *Vegetio* teste, præcipue usurpatum; & quod nullibi commodius potuerit hæc arcæ structura præstari, quam in Assyria vel Babylonia, ubi præter cupressos nulla sit alia materies fabricandis navibus; unde & Alexander Babylone ingentem classem ex sola cupresso construxisse, apud *Arrianum* atque *Strabonem* legatur. Quæ *Matt. Hillerus* Hierophyt. P. I. p. 376. contra monuit, tanti non esse videntur, quin nobis etiamnum *Bocharti* sententia se præ aliis probet. Porro *Abrahamus* arborum culturæ vacavit, coll. Gen. XXI. 33. ubi de illo dicitur: *Et plantavit* (אשל) *Eschel apud Beersabe, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni*. Quid vero est illud *Eschel*? *R. Jona* conjectavit, idem forte significare ac Arab. אתל cum *Tau raphato*, nempe *arborem Tamarici similem*. Idem adprobavit *Golius* Lex. Arab. sub hac voce, addens, arborem illam, docente *Zamascheri*, *aculeatam esse*, & *in rectum adsurgere*, *ex ligno autem paropsides & pocula confici*. Ast *Davidi Kimchio* est nomen genericum, quod *omnem arborem*, & collective *arboretum* denotet. Ei suffragatur *Matth. Hillerus* l. c. p. 80. tum quod *Eschel* in loco parallelo dicatur אלה *quercus*, seu *quercetum*, coll. I. Sam. XXXI. 13. cum I. Chron. X. 12. unde consequatur, אשל generale nomen esse, quod & *quercum* notionis suæ ambitu comprehendat: tum quod non intelligatur, quid caussæ habuerit Abrahamus, quare *Tamaricem*, vilem arbusculam, & scopis tantum utilem, plantaret. Quæ rationes sicut non omnino nullius sunt ponderis; ita lectori ulterius perpendendum relinquimus, anne potius אשל *Eschel* sit deformatum ab אשר *Escher* mutato ob euphoniam *Lamed* finali in *Resch*, sicuti חרול *urtica* a חרור, פגול *cadaver* a פגור, cetera? Quomodo אשל idem valiturum esset, ac אשרה *sacrum nemus*, seu *lucus*. Sic certe facilius intelligeretur ratio, primo, quare Moses Abrahamum plantavisse dixerit, non עצים *arbores*, nec פרדס *viridarium*, sed אשל *lucum*; nempe quia *arbores* notari voluit non omnis generis, sed *sacras* & religionis exercitio distinatas: deinde, quare Moses narrationi de *plantato ab Abrahamo in Beersabe luco*, immediate hæc verba subjecerit: *Et invocavit ibi nomen Domini Dei æterni*; quæ nisi sacrum fuisset illud arboretum, ad institutam narrationem parum commode adjecta esse viderentur. Dices: Atqui lucos & sacra memora lex Mosis prohibuit, coll. Deut. XVI. 21. *Non plantabis tibi lucum, seu ullam arborem, juxta altare Domini Dei tui, quod facies tibi*. Verum distinguenda hic sunt tempora patriarchalia ab illis, quæ legem ceremonialem Mosaicam insecuta sunt. Per hanc non solum abusus aliqui, qui ex contagio gentium apud Israelitas gliscere cœperant, contrariis institutis abrogati, sed etiam ritus, qui Patriarchis olim liberi & indifferentes fuerant, ideo quod abusibus forte expositi fuissent, aut exponi potuissent, restricti atque prohibiti sunt. Ex horum igitur numero *plantatio luci* æque fuit, ac *erectio statuæ*, ab Jacobo quidem licite ac pie peracta Gen. XXVIII. 18. - 22. a Mosaica vero lege prohibita, coll. Deut. XVI. 22. Pertinet huc item locus Gen. XXIII. 17. ubi Abrahamus ad Ephrone Chettæo emisse legitur agrum, cum spelunca in eo sita, וכל העץ *& omnibus arboribus, quæ intra totum illius ambitum fuissent*. *Isaacum* quoque arboribus plantandis studuisse, evincere possemus ex Gen. XXIV. 63. *Exierat Isaacus circa vespera* לשוח כשרה, si quidem certa & explorata esset harum vocum explicatio, quam *Jac. Gussetius* in *Comment. Ling. Ebr.* pag. 839. dedit; ut nempe verbum illud לשוח esset denominatium, & sensus commatis hic: *ad faciendum* שיח השרה *fruticem*, seu *arborem agri*, id est, *ad colendum arbores fructiferas ac cicures tenerasque*. „ *Ad* „ *meditandum*, inquit ille, interpretari „ solent; sed si hoc voluisset Scriptor, „ usus esset voce recepta שיח per *Jod*: „ quod aliam vocem cum ו medio prætulit, aliud sibi in mente esse in„ nuit.

„ nuit. " Et paulo post: „ Certe san-
„ ctos, inquit, meditatos sæpe audi-
„ mus, nunquam tamen ille locus agri
„ ab iis ad hoc delectus memoratur.
„ At שיח videmus ad agrum ut ad lo-
„ cum proprium referri. Illa ars cir-
„ ca שיח versans in arboribus serendis,
„ transferendis, sarriendis, collocandis,
„ terra circa ipsas emollienda, inseren-
„ do, inoculando, plantando per ordi-
„ nem spatiaque idonea, alligandis ad
„ fulcra ramis, industriam ingenium-
„ que hominis exercet, Sic in ea mul-
„ tum *meditationis* est. " Verum re-
ctius, puto, inhæserimus receptæ inter-
pretationi, *ad meditandum*, sive, ut in-
terpretes Chaldæi & Arabes reddide-
runt, *ad orandum*; quam notionem li-
cet verbum שיח, quod hoc loco in
Kal expressum est, alibi in Hiphil ha-
beat, tamen constat, verba, imprimis
mediæ radicali ו, in Conjugationibus
Kal & Hiphil eadem sæpe significatio-
ne gaudere, ut כון & הבין *intelligere*,
לון & הלין *pernoctare*; & quidni crede-
remus, Patriarchas, si quando recrea-
tionis caussa in campos exirent, cum bo-
nitatem divinam, ex contemplatione se-
getum, pratorum, hortorum vinearum-
que, meditatos esse, tum soliloquia &
preces ad Deum instituisse? Juvat ex-
positionem hanc, quod idem verbum שיח
apud Arabes exponitur, *huc illuc obire
per terram*, peculiariter *devotionis ergo*.
Igitur ab Isaaco ad *Jacobum* transimus,
de quo, num arbores coluerit, pariter
ignoramus. Legitur quidem Gen. XLIII.
10. filiis mandavisse suis, ut iter factu-
ri in Ægyptum summo annonariæ rei
præfecto munus deferrent מזמרת הארץ
de fructibus terræ recens carptis, *paululum
resinæ*, *mellis*, *styracis*, *stactes*, *pistacio-
rum*, *amygdalorumque*: sed num arbo-
res, fructuum horum feraces, ipse co-
luerit, an vero fructus ab indigenis Ca-
nanææ pro pecore permutaverit, id
verbis illis definitum non est.

X. *Ad vini culturam* progredimur,
de cujus utilitate *Columella* lib. III. c.
3. ita habet: *Studiosi agricolationis hoc
primum docendi sunt*, *uberrimum esse re-
ditum vinearum*. E re igitur hominum
fuit *Noachi* institutum, de quo Moses
Gen. IX. 20. *Incepit Noachus*, inquit,
vir agri, *& plantavit vineam*, *bibitque
de vino*, cetera. Non dicit simpliciter,
eum *plantavisse*, sed *plantare cœpisse*:
estque hic singularis scopus libri Gene-
seos, variarum rerum nobis commonstrare
origines: igitur verba hæc eo
tendere putamus, ut Noachus intelli-
gatur mortalium omnium primus vites
collegisse unum in locum, & ex race-
mis illarum maturis vinum expressisse.
Id quod *Jo. Clericus* Comment. ad l.
c. putat contra Ægyptios a Mose ob-
servatum, qui ut *Diodorus* lib. I. do-
cet, asseruerint, Εὑρέτην γενέσθαι τὸν
Ὄσιριν τῆς ἀμπέλου, πρῶτόν τε οἴνῳ χρήσα-
σθαι, καὶ διδάξαι τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους τὴν
γεωργίαν, *invenisse Osiridem vitem*, *pri-
mumque vino usum esse*, *& docuisse
alios homines agriculturam*. Quæ cum
ita sint, non possumus quin cum *S. Jo.
Chrisostomo* singulare agnoscamus bene-
ficium, quod Deus post diluvium mun-
do per Noachum exhibuerit, vires ho-
minis, quæ multo quam prius imbecil-
liores erant, virtute vini instaurantem,
atque adeo aliquod naturæ solatium,
remediumque, posteris hoc modo relin-
quentem. Vide ea de re *Matt. Hille-
rum* Hierophyt. P. I. p. 280. Inde ve-
ro & excusatior fit Noachus, quod de
vino illo ita biberit, *ut inebriatus fue-
rit*, *& retexerit se in medio tentorii
sui*: quia sic probabile fit, eum vini re-
cens a se culti vim virtutemque nullo
adhuc experimento cognitam habuisse,
ac adeo per imprudentiam inebriatum
fuisse. Atque ut sic de illo existime-
mus, ipsa ejus pietas poscit, quam Mo-
ses tantopere prædicavit Gen. VI. 8. 9.
c. VII. I. Sed nec posteriores Patriar-
chas a vini cultura, siquidem occasio
ferret, alienos fuisse, id quidem colle-
gerimus ex eo, quod Melchisedech A-
brahamo, a cæde quatuor regum redu-
ci, panem obtulit & *vinum* Gen. XIV.
18. Lotusque post exitum e Sodomis
vinum in specu potavit c. XIX. 32. -
35. ex quo simul intelligitur, agrum
Sodomæ, qui post subversionem ita cor-
ruptus fuit, ut nonnisi malos insipidos-
que fœtus producat, (coll. Deut. XXXII.
32. ubi de degeneribus Israelitis per
tropum loquens, *De vite Sodomorum*,
inquit, *est vitis eorum*, *deque arvis Go-
morrhæ*, *uvæ illorum sunt uvæ felleæ*,
botri amari eis sunt;) sicuti ante exci-
dium generatim fuerat *instar horti Do-
mini*, sic speciatim laudatissimas ha-
buisse vites. Id ipsum, quod modo
dicebamus, magis confirmatur ex be-
nedictionum patriarchalium formulis,
ut cum Isaacus Jacobo, præter alia do-
na divinitus danda, etiam רב דגן ותירש
copiam frumenti & Musti Gen. XXVII.
28. 37. Jacobus vero filio suo Judæ fun-
dos vini feraces his verbis adprecatur c.
XLIX. II. *Alligaturus est viti asinum suum*,
& viti nobili pullum asinæ suæ: *lavabit
vino vestitum suum*, *& sanguine uvarum
tegumentum suum*. Ceterum ex historia
Jose-

Josephi Patriarchæ notabile est, quod Pharaonis pincerna vitem, & in ea tres palmites, cum botris maturantibus uvas, per somnium videns, *calicem Pharaonis* manu sua tenere, *uvas vero sumsisse*, sumtasque in Calicem Pharaonis expressisse, *atque ita calicem in Pharaonis manum tradidisse* sibi visus est *Gen.* XL. 9. 10. Quid enim? Num succum manu de uvis expressum Pharao bibit? Ita omnino videtur esse: & putamus, eo tempore in Ægypto rem eodem se habuisse modo, ac hodiernum in Habessinia, de qua *Jobus Ludolfus Hist. Æth.* lib. I. c. 9. n. 19. *Vites*, inquit, *& uvas præstantissimas habent*, vinum *tamen ex iis conficere non solent; sive inscitia, sive quia æstate maturescunt, ubi fermentatio nimio æstu præpropera mustum acore corrumpit*. Vide eum pluribus hoc prosequentem in *Comment. ad Hist. Æth.* lib. I. c. 9. n. LXXI. Hinc & in S. Cœna Æthiopes veri vini defectum acinis uvæ passæ, aqua maceratis, supplere conantur, quorum succum exprimentes, loram potius vel passum, quam genuinum vinum efficiunt, teste eodem in *Hist. Æth.* lib. III. cap. 6. n. 82. qui & *Julium Papam* de Consecrat. *dist.* 11. c. *Cum omne crimen.* 7. allegat, permittentem, in casu necessitatis botrum in calice comprimi, & aqua misceri.

XI. Venimus nunc ad id, in quo Patriarcharum, Abrahami, Isaaci & Jacobi, vita omnis maxime occupata fuit, videlicet ad *pecuariam rem* & *Pastoritium vivendi genus*. Primus omnium ei deditus fuisse legitur *Habel*, alter *Adami* & *Evæ* filius, Gen. IV. 2. *Erat Habel pastor pecoris, Cain vero agricola*. Unde simul antiquitas artis liquet, de qua jam supra §. VI. allegavimus *Columellæ* judicium: *In rusticatione vel antiquissima est ratio pascendi*. Quocum convenit, quod apud *Jo. Clericum* in Comment. ad l. c. *Dicæarcus* a *Porphyrio* lib. IV. περὶ ἀποχῆς laudatus, postquam aurei sæculi vitam (hæc vero erat Paradisiaca) descripsisset, *deinde pastoritiam ingressos vitam*, ac tandem homines *in tertium vivendi genus, agriculturam, incidisse* narrat; & quod *Donatus* ad *Virgilium* scripsit, *primo fuisse pastoralem in montibus vitam, post agriculturæ amorem*. Quid tamen circa istarum duarum antiquissimarum artium ordinem ex historia sacra statuendum sit, §. VI. pariter jam monuimus. Ceterum sicuti Cain, agriculturam exercens, priusquam fratrem occidisset, apud Parentes mansit, post parricidium vero demum pœnali sententia Dei ab eis sejunctus est *Gen.* IV. 11. 14. ita etiam Habel greges suos non nisi per vicinos paternis sedibus agros duxisse videtur. A cujus proinde instituto in diversum quodammodo ivit *Jabal*, Caini ex sexta generatione soboles: qui quamvis & ipse pecuariam rem coleret, tamen fuit novi generis pastoritiæ artis auctor, אבי ישב אהל ומקנה *Pater habitantium in tentoriis cum pecore*. Quæ verba *Jo. Clericus* in hunc modum recte παραφράσει: *Primus, quod Scenitæ Nomades hodie factitant, nulla certa sede, Hanocho urbe relicta, nusquam diutius morabatur, quam copiam illic pabuli pecudibus alendis inveniebat*. Et *R. Salomo* in Comment. ad hunc locum: *Is primus fuit, qui pecudes pavit in locis desertis: & sub tentoriis degens, loca mutabat pro ratione pascuorum gregis sui; ita ut pascuo in uno loco consumto, in alio loco figeret tentorium suum*. De *Scenitis* autem atque *Nomadibus*, & illorum vivendi genere, pluribus egit *Jac. Perizonius* in *Originibus Babylon.* p. 240. seqq. Sunt, & fuerunt tales, in diversis gentibus, non solum in Palæstina & finitimus regionibus, inprimis Arabia, sed etiam in Mesopotamia, Scythia, India, Libya, Numidiaque, dicti ἀπὸ τῶν σκηνῶν, *a tabernaculis*, quæ ubique, ubi pascua pro gregibus invenerint, secum portant. *Plinius* lib. VI. c. 28. Scenitæ *& ipsi vagi, sed a tabernaculis cognominati, quæ ciliciis metantur ubi libuit*. Hebræis etiam vocantur השכוני באהלים *habitante in tentoriis*, LXX. σκηνοῦντες ἐν σκηναῖς, Jud. VIII. 11. & per metonymiam continentis pro contento, אהלי מקנה *tentoria pecoris*, hoc est, pecuarii homines sub tentoriis degentes, 2. *Chron.* XIV. 14. *Tentoria* ipsa infra describemus, cum de Patriarcharum agemus habitaculis. Hic tantum addere libet ideam hominis Scenitæ, quam *Virgilius* lib. III. Georg. dedit

Quid tibi pastores Libyæ? quid pascua versu
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem noctemque, & totum ex ordine mensem
Pascitur, itque pecus longa in deserta, sine ullis
Hospitiis, tantum campi jacet. Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque laremque.

Hoc igitur vitæ genus præ aliis tenuerunt, non solum *Abrahamus*, *Isaacus* atque *Jacobus* cum filiis, sed & progenitores ac universa familia illorum. Clara sunt in rem Josephi verba, quibus Pharao-

raonem ipse edocturus erat, & a fratribus edoceri jubebat de Jacobææ familiæ studiis, Gen. XLVI. 31. 32. *Dicam*, inquit, *ad Pharaonem: Fratres mei, & familia patris mei, qui in Canaan* hucusque fuerunt, *venerunt ad me: Homines autem isti sunt pastores pecoris; quoniam pecuarii homines fuerunt*. Et v. 33. 34. *Cumque dixerit*, (sic fratres adloquitur) Pharao: *Quænam sunt negotia vestra? Respondebitis: Pecuarii fuerunt servi tui, inde a pueritia nostra & usque in præsens, tum nos, tu majores nostri*. Vide & Gen. XLVII. 3. Ipse *Terachus*, Abrahami pater, hanc pastoritiam artem exercuisse, & ad posteros suos transmisisse videtur. Hinc, licet idololatra esset, nec ita, ut Abrahamus filius ejus, ex patria sua in aliam regionem commigrare jussus, tamen non gravatus est fortunarum suarum sedem, cum universa familia, ex Ura Chaldæorum ad Charanensem urbem in Mesopotamiam transferre Gen. XI. 30. quod greges alenti saltem facilius fuit, quam proprios colenti fundos. Hinc non solum *Lotus*, Abrahami ex fratre nepos, qui cum patruo ulterius in Cananæam perrexit, *peculium*, hoc est, pecuariam rem jam Charane paraverat sibi Gen. XII. 5. multoque magis in Ægypto & Cananæa auxit cap. XIII. 5. sed etiam Charanenses Abrahami cognati, hoc est, posteri Terachi ex Nachoro, Abrahami fratre, idem vivendi genus in Mesopotamiæ campis continuarunt: id quod vel Labanis, ex Nachori stirpe coorti, historia docere nos potest Genes. XXIX. XXX. & XXXI. ut qui ex gregibus ovium caprarumque, quos aluit, cum familia sua victitavit.

XII. Hoc pastoritium vitæ genus Ægyptiis quidem odiosum fuit, adeo, ut *abominationi eis esset omnis pastor pecudum* Gen. XLVI. 34. forte quod aliqui illorum oves caprasque perinde ac vaccas colerent, quas vero a pastoribus Hebræis mactari & comedi noverant, coll. Genes. XLIII. 31. Habuit tamen ipse Ægypti rex suos pastores & greges c. XLVII. 6. & cæteroqui pecuaria professio tum honestissima tum lucrosissima, & Patriarcharum præterea statui adcommodatissima fuit. Dicimus igitur primo, *honestissima*: quia nec reges olim puduit, operam suam ei addicere. *David* non solum ex caulis pecudum a Deo assumtus, & lactantibus, quas sequebatur, ovibus adductus est, ad pascendum Jacobum populum ipsius, & Israelem hæreditatem ipsius Ps. LXXVIII. 71. sed etiam, postquam regiam dignitatem jam obtinuerat, armentorum in Sarona & vallibus, oviumque & caprarum greges aluit I. Chron. XXVII. 29. 31. *Uzzias*, solertissimus Judææ rex, quem ab agricultura supra laudabamus §. VI. *ædificavit turres in desertis, & excidit cisternas multas*, illas quidem ad custodiam, has vero ad potionem pecoris; *eo quod pecus multum ipsi esset tam in declivi regione, quam in planitie*, 2. Chron. XXVI. 10. Et *Mescham*, Moabitarum regem, non puduit esse נוקר *pastorem*, seu *pecuarium*. 2. Reg. III. 4. hoc est, nutrire pecora multa. Recteque *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. c. 44. „ Neque id, inquit, fuit ἀπύρατον, ut qui rex erat, etiam esset pastor. Tum enim non privatorum modo, sed & Regum opes pecore constabant. " Vide eum de hac re ibi agentem pluribus. Dicimus autem porro, curam pecoris fuisse *lucrosissimam*. Testis est Regum sapientissimus Prov. XXVII. 23. seqq. ubi graphice ejus utilitatem, cum necessitate & facilitate depingit. *Cognoscendo*, inquit, *cognoscas faciem pecoris tui; adverte animum tuum ad greges: quoniam non in perpetuum* durant *opes; & numquid principatus* manebit *in generationem & generationem? Cum migraverit fœnum, tamen* rursus *conspicitur gramen, & colliguntur herbæ montium. Oves erunt ad vestitum tuum; & pretium agri, capri. Et sufficientia lactis caprarum erit ad cibum tuum, & victus erit ancillis tuis*. Testis est quoque *Columella*, qui Præfat. ad libr. VI. ita scripsit: *Ratio pascendi est quæstuosissima: propter quod nomina quoque & pecuniæ & peculii tracta videntur a pecore: quoniam id solum veteres possederunt, & adhuc apud quasdam gentes unum hoc usurpatur divitiarum genus: & nunc apud nostros quidem colonos alia res uberior nulla est, ut etiam M. Cato credidit, qui consulenti, quam partem rei rusticæ exercendo celeriter locupletari posset, respondit, si bene pasceret*. Addimus, quod *Bochartus* l. c. monuit: *Cum fruges nonnisi ad solum victum, pecudes insuper ad vestitum prosunt, atque ex iis sacrificia & victimæ petebantur, quibus placaretur Deus in peccatores juste infensus*. Diximus denique, pecoris culturam statui Patriarcharum (intelligimus autem hic præcipue Abrahamum, Isaacum, Jacobum) apprime adcommodatam fuisse. Erant enim גרים ותושבים *peregrini* tantum & *inquilini* inter Cananæos Gen. XXIII. 4. Ps. CV. 12. ac proinde propriis & hæreditariis fundis, quos colere potuissent, destituebantur: similes hac in re Kenitis, &, qui propago horum erant, Rechabitis; qui & ipsi, in tentoriis habita-

tare, ac vitam agere paſtoritiam contenti, Jud. v. 24. ex præcepto Jonathanis, unius ex progenitoribus ſuis, per Iſraeliticam regionem ſparſi, domos nullas exſtruebant, nec vineas agroſve poſſidebant, nec faciebant ſementem, Jer. xxxv. 9. 10. ad quem locum vide, quæ in Bibliis Halenſibus Hebr. adnotavimus. Proinde non abs re *Sam. Bochartus* l. c. „ Fatendum eſt, inquit, Patriarchas plus „ adhuibuiſſe operæ in gregum curam, „ quæ laborioſa minus eſt, neque ani„ mum ita occupat, ut non ſuperſit „ multum temporis ad naturæ contem„ plationem, & rerum divinarum me„ ditationem. Neque paſtores, ut ara„ tores, ſaltem in illis locis, certæ gle„ bæ addicti erant: ſed, *Nomadum* mo„ re, libere divagabantur, & tentoria „ ſub quibus degebant, pro paſcuorum „ ratione, e loco in locum transfere„ bant, quod iis convenit magis, qui „ ſe profitentur peregrinos, quomodo *pa„ triarchæ* omnes uſque ad *Moſen*.

XIII. Hic vero quæri poteſt: Si patriarchæ in Cananæa peregrini tantum & inquilini fuerunt, & ſi propriorum fundorum nihil propemodum poſſederunt, quo pacto igitur fieri potuit, ut tam amplos & numeroſos aluerint greges? Sed nimirum Cananæa, per quam vagabantur Patriarchæ, abundavit *paſcualibus deſertis*, Hebraice מדברות dictis, a דבר *duxit*, (quod nempe illuc *ducantur* greges;) de quibus vide ſis *Hadr. Relandum* in *Palæſtina* lib. I. §. LVI. Ideoque libertatem paſcuorum ab indigenis Cananæis haud difficulter impetrarunt, ſive pacto & ſtipulatione quadam, ſive ex conſuetudine illorum temporum locorumque, quod nempe paſcua ibi locorum, & tunc temporis, licita omnibus ac libera fuerint. Quod ad prius, legimus ſane, *Abrahamum* בעלי ברית, ſeu *fœderatos* habuiſſe homines opulentos atque potentes, Mamre, Aner & Eſchcol, in quorum & agris tentoria ſua tetendit Gen. XIV. 13. & quos in cædendis quatuor regibus adjutores habuit v. 24. Quid mirum igitur, ſi ab is paſcuorum libertatem eſt conſecutus? Fuit item, conciliatore Deo, tanta apud indigenas auctoritate, ut Melchiſedech, Salemi rex, obviam procedens ei, & cibum vinumque offerret, & nomine Dei altiſſimi benediceret Gen. XIV. 18. ſeqq. Sodomorum Regulus eum ut ſalvatorem divinitus datum ſuſpiceret v. 21. ſeqq. Abimelechus Philiſtæorum rex, divino oraculo monitus, eum Prophetam eſſe, non munera ſolum ei daret, ſed etiam diceret: *Ecce terra mea coram te eſt*, ac patet tibi; *ubicunque tibi commodum fuerit, habita*, Gen. XX. 7. 14. 15. ut denique, Ephrone judice, Hebronenſes eum ceu *principem Dei* venerarentur, neque quidquam officiorum humanitatis ei ſe denegaturos eſſe profiterentur Gen. XXIII. 6. Hinc *ambulaverunt* Patriarchæ *a gente ad gentem, & a regno ad populum alium: nec ſivit quemquam injuriam facere eis; ſed corripuit propter eos* etiam *Reges*: *Ne attrectetis*, inquiens, *unctos meos, & prophetis meis ne male faciatis*, Pſalm. CV. 13. 14. 15. Nam & *Iſaacus*, licet Gerarenſes invidos aliquando atque iniquos expertus eſſet Gen. XXVI. 14. ſeqq. tamen mox illorum Regem Abimelechum, ſtipatum Achuzzato amico ſuo, & Pichole militiæ præfecto, ad ſe venientem, fœduſque ac amicitiam honorifice petentem vidit v. 26. *Videndo vidimus*, inquiebant, *Dominum adeſſe tibi*; *ideoque diximus*: *Sit, quæſo, jusjurandum inter nos*, nempe *inter nos & te, & percutiamus fœdus tecum*, cetera v. 28. 29. Quod vero ad poſterius, nempe ad paſcualia loco tunc temporis libera in Palæſtina, videtur id elici ex Abrahami verbis, quando ob ſocietatis incommoda fratrueli ſuo Loto dicebat: *Nonne tota terra coram te eſt? ſepara te* igitur *a me*: *ſi ſiniſtram* elegeris, ego *dextram petam*; *ſin tu dextram, ego quidem ad ſiniſtram me vertam*, Gen. XIII. 9. Unde Lotus Jordanicam planitiem, in qua Pentapolis ſita, ſibi delegit, v. 11. 12. Quod hiſtoriæ ſacræ epitomator *Sulpicius Severus* lib. I. c. 5. ita effert: *Lot, præ multitudine familiæ a patruo digreſſus, ut laxioribus* vacuæ tum regionis *ſpatiis uterentur, in Sodomis conſedit*. Et Geneſ. XXXIV. 21. Chamor atque Sichem, civibus ſuis ſuaſuri, ut Jacobum ejuſque familiam ſecum paterentur in unum coire populum. *Etenim terra*, inquiunt, *ecce ampla ſpatiis coram ipſis eſt*. Ad quem locum *Johan. Clericus* adnotavit: „ Plures agros poſſidebant, quam cole„ bant Cananæi; unde fiebat, ut facile „ Hebræorum patriarchas per fines ſuos „ cum numeroſiſſimis gregibus vagantes „ ferrent. " Sic poſtea quoque, quam Iſraelitæ in Cananæam ab Joſua introducti eſſent, & Hebræorum Reſp. conſtituta, attributa ſingulis tribubus portione terræ, tamen paſcualia loca in deſertis ſylviſque libera manſiſſe videntur. Adfirmant hoc Judæorum magiſtri in Gemara Babylonica *Bava Kama* fol. 80. b. ubi decem conſtitutionum, quas ab Joſua ſancitas eſſe tradunt, hanc ajunt primam fuiſſe: שיהו מרעין בחורשין *Ut liceat paſcere gregem in ſilvis*, nempe ubi-

ubivis, nulla tribuum habita ratione. Hinc, cum duplex ab aliis *Sarona* in Palæstina statuatur, alia cis, alias trans Jordanem, *Hadrianus* contra *Relandus* in *Palæstina* lib. 1. c. 55. pag. 370. unam tantummodo necessariam esse judicavit, cis Jordanem, circa Joppen Lyddamque. „ Qui locus cum pascendis gregibus in„ primis aptus fuerit, (Confer enim „ 1. Chron. xxvii. 29.) non est miran„ dum, inquit, etiam Gaditas, qui pa„ scendorum pecorum studio erant dedi„ ti, heic greges pavisse 1. Chron. v. 16. „ Et (sic pergit ille) notatu dignum „ est, l. c. scribi, Gaditas habitasse in „ Gilead & Baschan, וכל מגרשי שרון „ *& omnibus suburbiis Saronis*? Quid? „ habitabantne in suburbiis, non vero „ in urbibus, si illa regio ad ipsos per„ tinuit? Sed suburbia pascuis erant de„ stinata: vide Num. xxxv. 3. Jos. xiv. „ 4. Adeoque Saron illa quærenda est „ in tali regione, cujus non urbes sed „ suburbia ab ipsis incolebantur: & cum „ hæc regio Saron notissima sit, ac alen„ dis pecoribus apta, & alendorum pe„ corum cura Gaditis erat præ aliis tri„ bubus cis Jordanici, cur alteram Sa„ ronam fingeremus trans Jordanem? “ Quantum ad nos, non quidem diffitemur, hanc *Relandi* assertionem suis implicitam esse difficultatibus; ac adeo liberum cuique judicium relinquimus: attamen juvare Relandianam sententiam videtur, quod suburbia Saronæ contradistinguuntur Gileaditidi, quo nomine venit, quidquid est regionis trans Jordanem a Gaditis ac Manassitis possessum. Ceterum & *Rechabitæ*, Jethronis posteri, licet sortem nullam in dividenda Palæstina cum Israelitis accepissent, tamen cum gregibus suis, quos aluerunt, tum australes, tum boreales Israeliticæ terræ partes libere obierunt, & tum heic, tum illic tentoria sua fixerunt, Jud. 1. 16. c. iii. 11. 17. coll. quæ in Bibl. Hal. ad Jer. xxx. 7. notata sunt. In Mesopotamiæ campis similem pascualium locorum libertatem fuisse, ex eo fit verosimile, quod Laban inter greges, filiis suis & Jacobo commissos, tridui intervallum fecit Gen. xxx. 16. Id enim spatii plus est, quam ut hominis privati unius fundus proprietarius fuisse credi queat.

XIV. Quæ cum ita sint, igitur Patriarchæ Canananæam universam, a borea usque ad austrum, nemine impediente, cum gregibus suis pervagati sunt, Gen. xii. 6. 8. in Ægyptum usque delati v. 10. indeque per australe latus ad interiora Palæstinæ remeantes c. xiii. 1. seqq. Quin Abrahamo, *Surge*, inquit Deus, *perambula terram hanc secundum longitudinem ipsius, & latitudinem*. Lotus vero, cum ab Abrahamo digressus esset, in Jordanica planitie diversis stationibus ad Sodoma usque perrexit cap. xiv. 12. Et quamvis Isaacus in australi potissimum tractu apud Beersabe hæsisset c. xxiv. 62. c. xxv. 11. tamen aliquandiu in regia quoque Gerarensi cap. xxvi. 1. seqq. deinde vero in valle Gerarensi degit v. 17. seqq. tandem circa extrema vitæ apud Hebronem (forte ut morti vicinus, ab sepulcro familiæ suæ, quod Abrahamus illic emerat c. xxiii. 20. abesset propius) habitavit, c. xxxv. 27. Sed & Jacobus, ex Mesopotamia redux, per Gileaditidem & Machanaimum greges suos duxit c. xxxi. 47. c. xxxii. 3. indeque porro per Penuelem v. 31. usque ad Succothas progressus c. xxxiii. 17. hinc Sichemum versus movit v. 18. inde vero Luxam, quæ & Bethel dicta fuit, c. xxxv. 1. seqq. porro Bethlehemum v. 16. & Mignal-Eder v. 21. denique Hebronem, alias Mamre dictam itidem sepulturæ caussa, (ut probabile nobis est) concessit v. 27. Et tamen vel sic filii Jacobi greges ex Hebronensi valle Sichemum, indeque Dothanum egerunt cap. xxxvii. 12. 14. 17. Judas vero cum peculiari grege a fratribus digressus, Adullamum & Vhimnatham usque processit, c. xxxviii. 1. seqq.

XV. Diximus de *pascuis*. Sequitur, ut *de adaquatione pecoris* pariter aliquid adjiciamus. Fuit quidem Palæstina *terra fluminum, aquæ, fontium, laticumque, scaturientium tum in planitie tum in montanis* Deut. viii. 7. Generatim tamen calidum illud Orientale clima tantam aquarum copiam, quantam boreales tractus nostri, non habent: ac adeo pecoris aquatio non tam facilis illic, ac apud nos. Nam & rivi, crescente æstivo calore, fere siccantur, uti intelligi potest ex Job. vi. 17. *Tempore, quo solvuntur* rivi, glacie nivibus tecti, *escinduntur; cum incalescit, intereunt a loco suo*, cetera: & fontanæ aquæ, inprimis *vivæ*, id est, quæ sapidæ ac dulces, non vero amari salsique saporis sunt, in australi potissimum Palæstinæ parte, sicut & in finitimis regionibus, satis raræ, indeque & caræ sunt. Produnt hoc mappæ geographicæ MStæ Arabicæ, quarum exemplar aliquod, Palæstinam, Ægyptum & Arabiæ partem complectens, Bibliotheca Orphanotrophei Glauchensis ex donatione viri summi *B. Jobi Ludolfi* possidet. Videas enim ibi passim adnotari עין מא חלו *fontem aquæ dulcis*, haud aliter ac urbium, oppidorum castellorumque

que nomina. Quin & ipsi Scriptores sacri in topographiis Palæstinæ hic illic fontes; & quidem cum articulo definito, quasi locorum illorum gnaris satis notos commemorare solent, v. g. Gen. XVI. 7. על עין המים במדבר העין בדרך שור *justa fontem illum aquarum*, *juxta fontem illum*, inquam, *in via Schur*: quod proin minus accurate vertit *Luth.* bey einem (debuisset reddere definite, bey dem) Wasserbrunnen in der Wüsten/ bey dem Brunnen am Wege zu Sur/ pro am Wege nach Sur. Sic c. XXIV. 11. אל באר המים *ad fontem illum aquarum*: *Luth.* itidem indefinite, bey einem Basserbrunnen/ rectius, bey dem Wasserbrunnen. Num. XXXV. 11. *Descendet terminus a Saphama versus Riblam*, מקדם לעין *ab oriente illius fontis*; *Luth.* zu Ain von Morgenwärts/ quasi esset proprium Nomen; pro quo verti debuerat, von der Morgen-Seite des (daselbst wohl bkanten) Brunnens. Et I. Sam. XXIX. I. *Israelitæ castra metabantur*, בעין אשר בי זרעאל, *Luth.* zu Ain in Jesreel/ quomodo & *Schmid.* *in Ain*; rectius, *apud fontem illum*, qui est *apud Jezreel*. Quod ut magis intelligatur, recogitemus modo, in historia populi Israelitici in desertis commemorari quidem repertos aliquando fontes, sed aquam scaturientes amaram & insalubrem, quam bibere nequiverint Israelitæ præ amaritudine, Ex. XV. 23. Hinc igitur concertationes Gerarensium cum pastoribus Patriarcharum, cum fontes ab his fossos illi contra vel vindicarent reperentue injuste, vel, instimulante invidia, injectis pulvere ac arenis obstruerent; idque temporibus cum Abrahami Gen. XXI. 25. tum Isaaci c. XXVI. 14. 22. Hinc ingens εὕρημα reputabatur, & impensioris gaudii materia erat, si quando aquas fontanas reperissent, ibid. v. 22. & 32. & Abrahamus Abimelecho Philistæorum regi septem ovium munusculum obtulit, in solemnem testificationem juris sui in Beersabeensem fontem, ab servis suis effossum Gen. XXI. 30. Ceterum quod de fontibus, invidia Philistæorum obstructis, ex Gen. XXVI. 15. 18. deque aquarum raritate generatim, modo diximus, lucem forte acceperit ex his, quæ de Arabum cisternis refert *Diodorus Siculus Biblioth.* lib. XIX. *Quia terra argillosa est*, inquit, *aut mollem habet petram*, *magnas in illa cavernas faciunt*, *quarum orificia minima sunt*, *prout profundius fodiunt*, *cavernas ampliores facientes*: *tandem ad eam magnitudinem deveniunt*, *ut unumquodque latus jugerum* (πλέθρον) *pateat*. *Receptaculis autem illis aqua pluvia repletis*, *orificia obstruunt*, *iisque reliquo solo adæquatis*, *signa*, *quæ ab ipsis quidem noscantur*, *ab aliis vero non animadvertantur*, *ibi relinquunt*. Hinc Charanensibus fons extra oppidum situs aquas præbuit, quas vesperi haustas in urbem detulerunt feminæ, Gen. XXIV. 11. seqq. idemque fons pastoribus illius loci sub certa demum lege communis fuit, ut nempe tum demum, cum greges omnes congregati essent, devoluto ingenti illo lapide, quo fontis orificium superne munitum erat, aquæ pastoribus dividerentur, *canalibus potatoribus* (שקתות), qui illic dispositi erant, infundendæ c. XXIX. 2. 3. coll. c. XXIV. 20. Erat igicur fons ille quodammodo גל נעיל מעין חתום *scaturigo oppessulata*, *fons obsignatus* Cant. IV. 12. quæ locutio & ipsa a raritate aquarum fontalium sapidarum desumta est. Parcitatem denique aquæ, ceu matrem aliquando litium inter pastores in calidiore climate, ostendit historia Mosis Exod. II. 16. 18. 19. qui cum ex Ægypto in Midianitidem profugus, ad fontem sedisset, vidit septem sacerdotis Midianitici filias aquam ex fonte haustam potatoriis infundere canalibus, ad adaquandum patris sui gregem, mox vero supervenire alios pastores, qui pro more suo filias illas depellerent: quibus vero opem tulit Moses, & gregem ipsarum adaquavit, ut citius, quam fieri alias consueverat, ad patrem reverterentur.

XVI. *Pastores*, quorum in Patriarchali historia fit mentio, fuerunt vel *domini gregum*, vel dominorum *liberi*, vel denique *mercenarii* ac *servi*. Nam Gen. XLVIII. 3. ubi Josephus fratres ad Pharaonem dicere jubet, *Pastores pecoris sunt servi tui*, *tum nos*, *tum patres nostri*; haud dubie *domini gregum*, vel *liberi* dominorum intelliguntur. *Liberi* vero dominorum porro vel *filii* fuerunt; ut quando Josephus cum fratribus suis gregem *pavit* c. XXXVII. 2. 12. 13. vel *filiæ*; ut cum Rahela c. XXIX. 9. dicit *cum grege patris sui venisse*, subjuncta ratione, *quoniam* (רעה) *pastoritia mulier erat*. Hoc vero prisci sæculi simplicitatem potius, a delicatulis moderni temporis moribus valde diversam, quam paupertatem Labanis, cui id *Jo. Clericus* per conjecturam tribuit, redolere videtur: plane ut Rebeccam non dedecuit, sumto cado, vesperi cum aliis oppidanis virginibus extra Charanensem urbem aquatum ire; & viri hospitis camelis aquas ad potandum haurire c. XXIV. 11. seqq. nec Reguelis Midianitarum sacerdotis filias puduit, paternos ducere greges, & hausta ex puteo aqua in agro adaquare Exod.

Exod. II. 16. Ac de *servis* quidem dicemus posthac: *mercenarius* vero pastor Jacobus fuit, quamdiu in Mesopotamia apud Labanem commoratus est, Genes. XXIX. 15. cap. XXX. 31. seqq. Et tamen animum habuit nequaquam mercenarium; ita ut aptari in eum potuissent verba Christi Joann. X. 12. 13. *Mercenarius, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & relictis ovibus fugit; & lupus rapit eas, dissipatque oves: Mercenarius vero fugit, quoniam mercenarius est; nec curæ sunt ei oves*. Nam, quod fidelis est operarii, *omnibus viribus suis servivit* socero Genes. XXXI. 6. ideoque ad ipsius provocans conscientiam, ait v. 38. 39. 40. *His viginti annis apud te fui: oves & capræ tuæ non abortiverunt, & arietes gregis tui non voravi: discerptum a feris non attuli ad te*, ipse *ego lui illud*, item *quod sive interdiu sive noctu furto ablatum erat. Factum est interdiu, ut me consumserit æstus, & frigus noctu: & fugit somnus meus ab oculis meis*. Quibus verbis uti officia, sic molestias pastoralis vitæ satis luculenter descripsisse videtur. Ad *Officia* enim pertinet, 1. *Cavere pecoris abortum*; quod fit, cum pastor admissuram commodo tempore adhibet, ut sobolescant pecudes, aut cum gravidas ictu vel alia quacunque ratione non lædit; maxime vero, cum Deum, a cujus benedictione pendet gregum fœcunditas, propitium habere studet: unde propter Jacobum Labanis gregibus benedixerat Deus, ut agnoscit ipse Laban Gen. XXX. 27. 2. *Arietes gregis non vorare*: quod faciunt furaces & luxuriosi pastores, quales describuntur Ezec. XXXIV. 2. 3. *qui pascunt se ipsos; adipemque comedunt quidem, & lana vestiuntur, & pecudem pinguem mactant, pecus vero non pascunt*. 3. *Providere, ne quid vel a furibus surripiatur*. Qua tamen in re sufficit, a pastore culpam præstari. Unde ex lege Mosis Exod. XXII. 9. 10. *Si quis dederit alteri asinum, aut bovem, aut pecudem, aut jumentum ullum, ad custodiendum: mortuum autem id fuerit, aut vi abactum, nullo vidente: juramentum Domini esto inter utrosque, annon* custos pecoris *manum suam extenderit in rem proximi. Idque accipiet* Dominus, *&* custos *non restituet*. Et v. 12. *Si quid discerpendo discerptum fuerit, pro testimonio id adferat, nec discerptum restituet*. Avaritiam igitur & iniquitatem Labanis erga Jacobum olet, quod pecudes quomodocunque discerptas, aut furto surreptas, ab eo repetierit. Ut autem aliis quoque ex libro Geneseos locis pastorum officia suppleamus, pertinet huc porro. 4. *Gregem lente deducere, ne quid damni capiat*. Sic enim Jacobus Esavi comitatum in itinere deprecaturus. Gen. XXXIII. 13. 14. ait: *Pecudes atque vaccæ lactantes incumbunt mihi: quodsi eas impulerint* pastores *uno die, omnes morituræ essent pecudes. Transeat, quæso, Dominus meus ante servum suum*: ego vero *lente progrediar, pro gressu pecoris, quod ante me ago*. 5. *Pecori recubitum concedere meridianum, inde vero rursus ad aquas, & ab his ad pascua iterum, ad vesperam usque ducere*. Hinc Jacobus, in Charanenses agros delatus, vidit tres pecudum greges, juxta fontem *recubantes* Genes. XXIX. 2. quos ille ad nocturnum recubitum jam coactos, & aquarum istius fontis usum sine lege ac liberum esse, ratus. *Multum adhuc diei superest*, inquit pastoribus; *nondum est tempus colligendi pecoris: adaquate igitur pecus, atque ite, pascite*. Quod de meridiano recubitu diximus, confirmatur tum ex Cant. I. 7. ubi Sponsa Sponso, *Indica mihi*, inquit, *ubi pascas, & ubi* (תרביץ) *recubare facias* gregem tuum *circa meridiem*, coll. simul Ps. XXIII. 2. tum ex scriptoribus rei rusticæ, quos *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. p. 519. diligenter exccerpsit; ex quibus in præsenti nobis sufficiat illud *Virgilii* Georg. l. III. v. 327. seqq.

> *Inde ubi quarta sitim cœli collegerit hora,*
> *Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ;*
> *Ad puteos, aut alta greges ad stagna jubeto*
> *Currentem ilignis potare canalibus undam;*
> *Æstibus & mediis umbrosam exquirere vallem.*
> *Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus*
> *Ingentes tendet ramos; aut sicubi nigrum*
> *Ilicibus crebris sacra nemus accubet ubra.*
> *Tum tenues dare rursus aquas, & pascere rursus*
> *Solis ad occasum, cum frigidis æra versper*
> *Temperat, & saltus reficit jam roscida luna.*

Porro ad *Molestias* vitæ pastoralis pertinent ex loco supra adlato 1. *æstus diurnus*, qui Matth. XX. 12. ὁ καύσων adpellatur, & cum alibi, tum in Orientali climate, maximeque in Mesopotamia (ubi Jacobus mercenarium pastorem egit) gravius esse solet. Juvat hic ex *Curtii* lib. X. c. 10. commodum adscribere

bere locum: *Non aliis*, inquit, *quam Mesopotamiæ regione fervidior æstus exsistit, adeo ut pleraque animalia, quæ in nudo solo deprehendit, exstinguat; tantus est vapor solis & cœli, quo cuncta velut igne torrentur*. Huc referendi *venti urentes*; quomodo verba illa, *interdiu me consumsit æstus*, interpres Arabicus explicavit: *In die urebant me venti urentes*. In his eminet רוח הקדים *ventus ab Oriente spirans*, qui ficuti segetibus noxius, Gen. XLI. 6. sic hominibus gravis est, Jon. IV. 8. 2. *Frigus nocturnum*, quod his, qui in calidis regionibus sub dio pernoctant, tanto est sensibilius, inprimis ante auroram, quanto magis diurnus æstus poros laxavit, inprimis cum noctes illic in æstate longiores, quam apud nos, sint. 3. *Noctes insomnes*, quæ sub dio excubantibus (ἀγραυλοῦσιν) obtingunt: sicut de pastoribus Bethlehemiticis Luc. I. 8. dicitur: ἀγραυλοῦντες, καὶ φυλάσσοντες τὰς φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν. *In agris pernoctantes, & vigilias noctis servantes in gregem suum*. Huc accedunt 4. *pericula a feris, furibus latronibusque*; a quibus qui gregem defendere sustinent, ipsius vitæ discrimen subire necessum habent: ut vel sic comprobetur, quod Christus, quanquam tantum per simile, dixit Joann. X. 11. *Pastor bonus animam*, hoc est, vitam *suam ponit pro ovibus*. Confer exemplum Davidis, uti gregem paternum, sic vitam suam adversus leonem & ursum tuentis, I. Sam. XVII. 34. seqq.

XVII. Quemadmodum agricolis messis, vini vero cultoribus vindemia festiva ac læta fuit, coll. Es. IX. 2. *Gaudent coram facie tua velut gaudio tempore messis*, & Ps. IV. 8. *Indidisti gaudium cordi meo majus, quam tempore quo frumentum illorum ac mustum multiplicata sunt*: sic & pecoris altoribus *tonsuræ* tempus solemne & convivale fuit. De Labane dicitur Gen. XXXI. 19. *Abierat ad tondendum oves suas*. Hinc Jacobo quidem commoda cum suis clam evadendi, Rahelæ vero penates paternos suffurandi occasio nata est, ib. & v. 18. Et de Juda, Jacobi filio, Genes. XXXVIII. 12. *Mortua est filia Schuæ uxor Judæ: consolationem autem accepit*, id est, luctum tandem deposuit, *ideoque*, ut animum recrearet, *ascendit ad tonsores gregis sui, ipse & Chira Adullamensis amicus ejus, Thimnam*. Quo tempore, cum solutior curis, & genio suo, occasione festivitatis, indulgentior esset, factum est probabiliter, ut homo alioqui non malus, sed minus vigilans, non in scortationem solum, sed, quod horribilius in incestam scortationem prolaberetur. v. 13. seqq. Sic & posthac tonsuræ tempus in Republ. Israelitica festum atque solemne fuit. Hinc Davidis servi, ad Nabalem, cum hic oves suas in Carmelo tonderi curaret, missi I. Sam. XXV. 2. sqq. dicunt, se venisse על יום טוב *die bono*, id est, hilari ac festo v. 8. & Nabal dicitur domi suæ adparasse convivium ad instar convivii regalis, animoque fuisse læto, ad extremum usque inebriatus gradum v. 36.

XVIII. Vidimus hactenus studia Patriarcharum œconomica, seu quibus artibus Patriarchæ fuerint addicti. Inspiciamus porro animum illorum, ac finem, quem in gerenda œconomia sibi propositum habuerunt. Et heic quidem pulcherrimum œconomis exemplum præbent Patriarchæ, ut qui re ipsa ostenderunt, se, uti ab avaritia & opum cupiditate, sic a sectandis vitæ hujus commoditatibus & voluptatibus alienos fuisse. Loquuntur hoc & dicta illorum, & facta. Nam, verbi gratia, Abrahamus Sodomorum Regi, spolia a cæsis quatuor regibus reducta, quæ alius quisque cupide forte retinuisset, sibi concedere volenti, dummodo homines redderet, sublata versus cœlum manu negavit, se quidquam illorum servaturum sibi esse, ad filum usque, vel calcei corrigiam, Gen. XIV. 23. 24. Idemque, cum forte sua contentus adhuc fuisset, Deo mercedem multam pollicenti, quanquam demississimo animo, respondit: *Domine Deus, quid dabis mihi?* Gen. XV. 2. innuens, sibi opum jam satis esse, nec majores se requiri, cum sobolem nullam habeat. Inprimis vero Jacobus, in Mesopotamiam fugiens propter Esauum fratrem, animi sui αὐτάρκειαν egregie declaravit, concepto voto illo: *Si Deus fuerit mecum -- & dederit mihi Panem ad comedendum, & vestem ad induendum, -- tum lapsis, quem in statuam erexi, erit domus Dei*, cetera, Gen. XXVIII. 20. 21. 22. Plane ut Paulus præcepit I. Tim. VI. 8. *Habentes Alimenta, & Tegumenta, his contenti erimus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa inepta, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas argenti*. Et Hebr. XIII. 5. Ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος, *Sint mores sine avaritia, contenti simus præsentibus*. Item David Ps. LXII. 11. *Opes cum proveniunt, ne adponatis cor*; & pius Agur Prov. XXX. 8. 9. *Pauperta-*

tatem ac divitias ne dederis mihi : ciba me vero pane demensi mei, cetera. Quæ propositiones a piis Patriarchis vita (ut vidimus) omnes expressæ sunt.

XIX. E contrario *Finis* , quem Patriarchæ in re familiari curanda (siquidem ex praxi illorum judicandum est) sibi proposuerunt , is fuit ; I. *ut haberent*, *unde* pro œconomia temporum illorum , quibus vixerunt , *sacra Deo facerent* , ad testificationem venerationis & cultus sui in sanctissimum Numen . Huc enim pertinet, non solum quod *victimas* & crebras *munera* Deo obtulerunt : nempe Cainus (quanquam hic sine fide) de frugibus terræ , Abel vero de primogenitis pecudum suarum , earumque adipibus Gen. IV. 4. Noachus de omni jumento mundo, & de omni ave munda , c. VIII. 20. Jacobus salutaria sacrificia , quorum carnes ipse cum cognatis sacrificali epulo absumsit c. XXXI. 54. itemque c. XLVI. 1. & quod *altaria* hic illic struxerunt , Abrahamus c. XII. 7. c. XIII. 18. Isaacus c. XXVI. 25. Jac. XXXIII. 20. c. XXXV. 7. sed etiam , quod *decimas* Deo ac ministris ejus consecraverunt; Abrahamus quidem *de omnibus* , puta *spoliis* , quæ a cæsis quatuor regibus reportaverat , (ita enim Epistola ad Hebr. VII. 4. diserte explicat , ἐκ τῶν ἀκροθινίων) Jacobus vero *de omnibus* , *quæcunque Deus ipsi daturus esset* , Gen. XXVIII. 22. II. *Ut sibi suisque necessariis prospicerent* . Patet hoc , tum ex eo , quod Abrahamus , cum pro tempore liberos nullos haberet , & tamen facultatibus sufficienter instructus esset , plures non desideravit, dicens: *Domine Deus* , *quid dabis mihi* , *cum ego vadam sine liberis*? Gen. XV. 2. & quod idem adhuc vivens pellicum filiis dona , Isaaco vero omnia sua dedit c. XXV. 5. 6. tum inprimis ex Jacobi oratione, qua dimitti ab socero suo postulat , sub ratione , quod fideliter & fructuose serviverit ei, æquum vero sit, ut suæ quoque familiæ tandem prospiciat, propriam instituendo œconomiam. *Et nunc* , inquit , מתי אעשה גם אנכי לביתי, *quando parabo*, id est, opum aliquid adquiram , *etiam ego domui meæ* ? Rati sunt nempe , id quod res est , & quod etiam Paulus inculcat 1. Tim. v. 8. *Si quis suorum* , *& maxime domesticorum curam non habet*, *fidem abnegavit*, *& est infideli deterior* . Quamvis enim Paulinum hoc in contextu orationis proprie de liberorum cura erga parentes agat , tamen non videmus , quidni ad parentum curam erga liberos pariter adcommodari queat : inprimis cum hæc naturalior adhuc sit , q. a illa : ac adeo , qui liberis suis non prospicit (absit modo avaritia , absit quoque ἀπιστία) multo magis dici infideli pejor . III. *Ut haberent* , *unde aliis benefacerent* ; sive id fieret succurrendo pauperibus , ægrotis , viduis , orphanis ; quemadmodum contra *hæc fuit culpa Sodomitarum* , coævorum, quod *manum miseri & pauperis non confortassent* , Ezech. XVI. 49. sive hospitando peregrinos ; cujus rei laudabile inprimis exemplum reliquerunt Abrahamus c. XVIII. 2. seqq. & Lotus c. XIX. 1. seqq. Unde Hebr. XIII. 2. *Hospitalitatis* , inquit Apostolus , *nolite oblivisci : per hanc enim latuerunt quidem* , *Angelos hospitio excipientes* , seu ut Syrus reddidit, *per hanc enim meruerunt quidam* , *quamvis non sentientes* , *qui exciperent angelos* . Quibus verbis dubium non est quin ad patriarchalia illa Abrahami & Loti exempla modo adducta respectum fuerit . Denique IV. *ut submitterent se ordini divinitus constituto* , Gen. III. 19. *In sudore vultus tui comedes panem* . Hinc pius Lamechus, cum aliis sui similibus, licet gravitatem laboris ex immissa terræ maledictione senserit, & solatium aliquod sibi propter eam expetierit , tamen patienter eam tulit , *Hic* inquiens , *consolabitur nos ab opere nostro* , *& a dolore manuum nostrarum* , *propter terram* , *cui maledixit Dominus*, Gen. V. 29.

XX. Quemadmodum autem Patriarchæ illi , quorum pietas in Genesi laudatur , ab avaritia , sic & a *malis adquirendi modis & artibus* abhorruerunt , homines integri ac sine dolo : quo nomine inter Cananitas ipsos enituerunt . Nam v. g. Chamor ac Sichem filius ejus , civibus suis persuasuri , ut Jacobum cum familia ipsius in unam secum civitatem convenire paterentur , hoc maxime argumento usi sunt : *Viri hi* שלמים הם אתנו *integri sunt nobiscum* , id est , tales eos , dum apud nos fuerunt, hucusque cognovimus , & experti sumus , Gen. XXXIV. 21. Poterat quidem Jacobus videri per obliquas artes ad rem faciendam grassatus esse; primo, quod primogenituræ jura pro lentium pulmento ab Esavo fratre in se transtulit c. XXV. 31. seqq. deinde , quod astu benedictionem & vota paterna ei præripuit; quorum tum hoc , tum illud gravis querimoniæ ansam Esavo præbuit c. XXVII. 36. tum vero , quod modum invenit, quo & plures & vegetiores pecudes in mercedem acciperet , c. XXX. 37. seqq. ægre hoc ferente socero , qui proin pactam Jacobo mercedem vel de-

cies

cies mutavit c. XXXI. 7. Saltem, quasi injuriam ab Jacobo passi essent, tum filii Labanis quiritati sunt, c. XXXI. 1. tum Laban ipse facie immutata ac torva prodidit v. 2. Ac fatendum est, aliqua in his reperiri, quæ, si rigide examinentur, non nisi difficulter cum sinceritate conciliari posse videantur. Nam v. g. Jacobus modum istum fratri benedictionem paternam surripiendi, a matre sibi suggestum, ipse horruit c. XXVII. 11. 12. 13. nec diffitetur filii astum Isaacus pater, *Venit*, Esavo inquiens, *frater tuus astu*, seu *dolo*, *& abstulit benedictionem tuam*, v. 35. Et videri possit Jacobus, salva ejus pietate, in modo obtinendæ primogenituræ & benedictionis, humani quid passus esse, in quo imbecillitatis humanæ potius, quam virtutis exemplum sit. Absit tamen a nobis, ut ideo, quod singulares harum actionum circumstantias non capimus, (habent enim sæpe heroica exempla, quæ non tam imitanda, quam admiranda sunt) piissimum Patriarcham, a Spiritu S. ipso laude hac, quod fuerit איש תם *vir integer*, mactatum Gen. XXV. 27. accusationibus aut suspicioninibus gravemus: inprimis, cum eos in historia emtæ primogenituræ, & præreptæ benedictionis paternæ, nutus reperiamus, qui mitius judicium de Jacobo nobis imperent; v. g. quod jura hæc & privilegia Jacobo nondum nato divinitus jam destinata fuerint c. XXV. 23. quod mater, sicut ipsa nullam in caussa vindicandæ benedictionis extimuerit culpam, ita Jacobum parentali auctoritate instimulaverit, mandato suo adegerit, & securum a metu esse jusserit c. XXVII. 7. -- 13. Quod autem ad artificium illud Jacobi adtinet, agunt de illo *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. c. XL. col. 544. & *Matt. Hillerus* Hierophyt. P. I. p. 23. ubi & quærentes, an licitum fuerit, quæstionem adfirmant. Omnino reputari in hac caussa debet, quod Jacobus ceteroqui fideliter Labani serviit, sicuti ante adhibitum hoc artificium, coll. c. XXX. 26. ubi ad ipsius soceri conscientiam provocans, *Tu ipse novisti*, inquit, *servitium meum, quale serviverim tibi*, itemque v. 29. *novisti, quomodo servi verim tibi, & quale fuerit pecus tuum mecum: quoniam exiguum erat, quod habebas ante me, nunc vero erupit in multitudinem, benedixitque tibi Dominus sub ductu meo*; ita quoque postmodum, coll. c. XXXI. 6. ubi uxoribus suis, soceri iniqui filiabus, *Vos ipsæ*, inquit, *novistis, quod omnibus viribus patri vestro serviverim*: adeo ut dolus malus de eo præsumi non debeat. Deinde vero artificium illud angelum Dei increatum, id est, Filium Dei ipsum, si non auctorem, certe adprobatorem habuit, coll. v. 10. -- 13. unde actus, qui alias illicitus potuisset esse, eo magis culpa vacavit, cum quod contra hominem fraudulentum atque iniquum, tum quod monitu ipsius Dei exerceretur, qui, quemadmodum *Bochartus* l. c. observat, „ partem opum, quas Laban ex Jacobi labore comparaverat, in Jacobum juste transtulit, quomodo vasa Ægyptiorum voluit ab Israelitis auferri, in durissimæ servitutis mercedem, ingratis dominis absque ullo stipendio per multos annos exhibitæ. “ Denique fœtura illa ovium admirabilis non fuit solius artis opus, sed virtutis Dei, qui naturali medio extraordinarie benedixit, Jacobo ipso id agnoscente ac prædicante. Nam c. XXXI. 5. *Deus patris mei*, inquit, *adfuit mihi*; & v. 7. 8. *Deus non sivit Labanem* cum effectu *male mecum agere. Proinde cum sic dicebat, Punctatæ erunt merces tua, universæ pecudes pariebant punctatas; sin ita diceret, cruribus respersæ erunt merces tua, universæ pecudes pariebant cruribus respersas. Eripuitque Deus pecus patris vestri, & dedit mihi.*

XXI. Porro ex modo dictis liquet, Patriarchas, quantumcunque laboriosi fuerint, & in sudore vultus panem suum comederint, adeo ut Jacobus uxoribus suis in illa ipsa caussa, quæ ei cum patre ipsarum intercedebat, dixerit: *Servivi patri vestro omnibus viribus meis*, item, *interdiu consumsit me æstus, & frigus noctu, fugitque somnus ab oculis meis*, Gen. XXXI. 6. 40. tamen effectus successusque operarum non laboribus suis atque sudoribus, sed favori & benedictioni divinæ in solidum attribuisse. Nec enim ita egerunt, uti Babyloniorum rex, suis se successibus, quasi proprio labore, studio, & sapientia partis, efferens, de quo Hab. I. 16. proverbiali locutione dicitur: *Sacrificat sagenæ suæ, & suffitum facit reti suo: quoniam*, secundum ipsius quidem opinionem, *per illa pinguis est portio ejus, & cibus ejus est opimus*. Sed ut benedictionem Dei in omnibus negotiis suis ipsi experti sunt, piaque mente celebrarunt; sic suos, ut idem facerent, instituerunt. Quo pertinet, quod Abel de primogenitis pecudum suarum victimas Deo obtulit, Genes. IV. 3. 4. ut hoc modo non fidem solum suam in venturum Messiam testaretur, sed etiam, grati animi indicio, greges suos Deo ac-

acceptos ferret : & quod Abrahamus, Gen. XIV. 23. negavit, ſpoliorum, quæ a Regibus reduxerat, quæque Sodomorum rex ei ultro concedere voluerat, ſe quidquam retenturum eſſet; ut ne is dicere poſſet, *ego ditavi Abrahamum*; utpote quam gloriam Deo integram ſervaturus erat. Sic atrienſis Abrahami, heri ſui opes Charanenſibus laudaturus, eas ad verum fontem reducit c. XXIV. 35. *Dominus*, inquit, *hero meo benedixit majorem in modum, ita ut magnus factus ſit; deditque ei pecudes, armentum*, cetera. Iſaacus item, ut cumulatiſſimam Dei benedictionem in meſſe, centuplicem ferente proventum, expertus eſt c. XXVI. 12. ſic filio benedicturus c. XXVII. 27. 28. *Ecce*, inquit, *odor filii mei eſt ſicut odor agri, cui benedixit Dominus*. Ac merito quidem terræ fœcunditatem a Deo ceu cauſſa prima repetiit, quia ſecundæ cauſſæ fœcundationis, ut ſunt imbres, ros, nix, commodæ tempeſtates, a Deo omnes pendent ac diriguntur. Unde ibidem pius Patriarcha mox ſubdit v. 28. *Det tibi Deus de rore cœlorum, & pinguia loca terræ, copiamque frumenti & muſti*. Quocum effato conferri meretur vox promiſſionis divinæ Hoſ. II. 21. 22. *Exaudiam cælos, & illi exaudient terram: terra vero exaudiet frumentum, muſtum & oleum; & hæc denique Jezreelem exaudient*. Vide & *Hillerum* in Hierophyt. P. II. p. 103. ubi Hoſeana iſta verba ex *B. Glaſſio* egregie explicat. Denique Jacobus eandem pietatem erga ſanctiſſimum Numen oſtendit. Qui licet artificio prædicto uſus eſſet, tamen prædicat, ſe, niſi Deus patris ſui, Deus Abrahami, & Numen Iſaaci, adfuiſſet ſibi, uno ictu rem perditurum omnem, vacuumque dimittendum fuiſſe Geneſ. XXXI. 22. Idemque cap. XXXII. 11. demiſſiſſime agnoſcit divinæ erga ſe benignitatis magnitudinem, quod, cum olim Jordanem nonniſi baculo inſtructus ſuo trajecerit, tum ſibi relegere eum contigerit, duobus inſtructo hominum pecorumque agminibus.

XXII. Cum igitur Patriarchæ non ſolum labores ſedulo obierint, ſed, quod præſtabilius eſt, laborum ſuorum omnium fructum a divino favore exſpectaverint; quid mirum, ſi cumulatiſſimam Dei benedictionem in ſe derivarunt? Sic *Abrahamo benedixit Deus in omnibus*, teſte Moſe Gen. XXIV. 1. & prædicante id pio ejus ſervo Eliezere v. 35. Poſt mortem vero Abrahami, quæ luctuoſa Iſaaco haud dubie fuit, tamen ſupervixit veluti benedictio Dei, in Iſaacum cumulate effuſa c. XXV. 11. ita ut centuplici augeretur proventu c. XXVI. 12. videntibus & tantum non palpantibus ipſis Philiſtæis, qui c. XXVI. 28. dicebant ei. *Videndo vidimus, adfuiſſe Dominum tibi*, & v. 29. *Tu nunc es Benedictus Domini*. Idem propitius Deus adfuit Jacobo c. XXXI. 5. 42. adfuit item Joſepho, ut eſſet vir *proſpere agens* c. XXXIX. 2. & ipſe herus ejus Ægyptius videret, *omnia; quæ ageret, a Domino proſperari* v. 3. Sic igitur comprobatum in eis fuit, cum quod Salomo dixit Prov. X. 22. *Benedictio Domini, illa*, inquam, *ditat, nec addit dolorem* Dominus *cum illa*, tum argumentum totius Pſalmi CXXVIII. *O beatitudines omnis timentis Dominum, ambulantis in viis ejus!* cetera, adeo ut, ſi exemplis ex hiſtoria antiqua depromtis utrumque dictum illuſtrandum eſſet, aptiora quam patriarcharum vix ulla ſuppeterent. Id vero eo uſque valet, ut, cum diluvium orbi immittendum eſſet, Noachus ſolus cum familia evaſerit; cumque Sodomorum excidium a Deo decretum fuiſſet, Deus, Abrahami memor, nonniſi Lotum cum ſuis eduxerit; & cum dira fames ingrueret, divina providentia Abrahamo, Iſaaco atque Jacobo, cum familiis eorum, ſingulariter proſpexerit: ac adeo piis Patriarchis evenit, quod Pſ. XXXVII. 19. tanquam fidelium celebratur privilegium, *non pudeſient integri tempore mali, & in diebus famis ſaturabuntur*.

XXIII. Opes ipſas Patriarcharum ut explicemus, ſeries tractationis nunc exigit. Prius autem, quam ſingulatim eas deſcribamus, juvabit generalem illarum ex Geneſi dare deſignationem. Variæ utique fuerunt, prout nos docet Moſes Gen. XXIV. 1. ubi *Dominum benedixiſſe* ſcribit *Abrahamo* בכל *in omnibus*, hoc eſt, omnis, ſaltem multiplicis generis benedictionibus. Nominatim vero *Abrahamus* ac *Lotus*, Charane, ſeu Carris Meſopotamiæ, ubi cum patre & avo Theracho, poſt exitum ex Ura Chaldæorum, aliquamdiu commorati erant, *pecuarias opes & perſonas* ſervorum ſervarumque jam *comparaverunt* ſibi: quas inde in Cananæam pergentes ſecum poſtea tranſtulere, Gen. XII. 5. Creverunt vero utrique, & Abrahamo inprimis, opes hæ in Ægypto, ubi propter incumbentem Cananææ famen per aliquod tempus peregrinati ſunt, Pharaone indulgente, majorem in modum: adeo *ut eſſent* Abrahamo *pecus & armentum, & aſini, ſervi item ſervæque, aſinæ & cameli* magno numero, c. XII. 16. indeque

in

in Cananæam reverteretur *gravis*, id est, opulentus *valde pecore*, *argento & auro*, c. XIII. 2. quin & Lotus, quem itineris & peregrinationis habuerat socium, possideret *pecus*, *& armentum*, *& tentoria* pastoritia puta, v. 5. Unde factum, ut Bethelensis ager, in quo tetenderant, ambos non ferret ad habitandum una, v. 6. Porro ex Abimelechi Philistæorum regis donatione Abrahamus *pecore & armento*, *servis atque ancillis*, quin & pecuniis (dono enim ab illo accepit, in gratiam Saræ uxoris suæ, *mille siclos argenti*) auctus est, c. XX. 14. 15. 16. Et, quod multo majus, benedixit ei *Dominus* valde, deditque ei *pecus & armentum & aurum*, *servos & servas*, *camelos & asinos*, c. XXIV. 35. adeo ut Chettæi Hebronenses, juxta quos degebat, eum haud aliter quam ut *principem Dei* suspicerent c. XXIII. 6. Sed & *Isaacus* singulari benedictione divina magnus factus est, & ejus magnitudinis suæ nova in dies incrementa cepit, donec magnus factus esset valde, utpote cui fuit *pecus atque armentum*, *&* עבדה רבה *familia* servorum *copiosa* c. XXVI. 12. 13. 14. Denique *Jacobus* erupit divitiis majorem in modum, ut essent ei *pecudes multæ*, *itemque ancillæ*, & *servi*, *cameli & asini* c. XXX. 43. una cum *armento* c. XXXII. 6. Cumque *Esavus* non minus polleret facultatibus, hinc, ut locum Jacobo faceret, Cananæa cedens, cum uxoribus, liberis, *servis*, *ancillis*, *pecore*, *jumentis*, *ac universis opibus suis*, in Seiritidem, quæ postmodum Idumæa est dicta, se contulit: *quia ampliores erant facultates eorum, quam ut habitare possent una; nec sustinebat eos terra, in qua peregrinabantur, propter pecora ipsorum*, c. XXXVI. 6. 7. 8. Quodsi igitur ex locis modo adlegatis summa patriarchalium opum, ac illarum inprimis, quas Abrahamus, Isaacus & Jacobus tenuerunt, subducatur, in eis quidem nihil propemodum reperies bonorum, quæ solo continentur, quæque apud nos *immobilium* nomine venire solent, ut sunt ædes, agri, fundi. Cujus rei ratio est, quod Patriarchæ isti suo tempore in Cananæa fuerunt גרים ותושבים *peregrini* tantum *& inquilini*, Gen. XXIII. 3. Hinc ne *domos* quidem habuerunt, fixas puta, ac stabiles, sed *tentoria*, quæ peregrinantium ritu de loco ad locum movere possent; quemadmodum posthac ostendemus pluribus; *fundos* vero proprios vel nullos, vel admodum tenues possederunt. Nam Abrahamus *agrum*, in quo erat *spelunca Machpelæ*, non nisi post mortem conjugis suæ Saræ, nec eo fine, ut coleret, sed sepulturæ caussa, a Chettæis emit Gen. XXIII. 17. Hunc agrum vero vix tanti fuisse, ut in reliquis Abrahami divitiis in censum aliquem veniret, id venditor Ephron innuit, dicens: *Terra, quadringentos siclos valens, quid inter me & te est?* v. 15. Quam vero Jacobus *agri portionem* prope Sichemum a Chamori filiis emit, ea nec ipsa videtur alium in finem comparata fuisse, nisi ut tentorium ejus illic figeretur: constititque modico (ut verisimile est) pretio, hoc est, *centum* tantum *Kesitis* c. XXXIII. 19. quanquam fatendum sit, hujus nummi valorem nobis hodie non satis esse notum; quin, quod genus monetæ nobis est, ab aliis explicari de *agnis*, aut de *margaritis*. Quidquid autem patriarchalium opum commemoratur, sive allegatis in locis, sive alibi, ubi illarum mentio incidit, id vel *argento & auro* continetur, vel *frumento ac musto*, Gen. XXVII. 28. vel *arborariis proventibus*, v. g. צרי *resina* pretiosa ac medica, דבש *melle*, dactylorum puta, נכאת *styrace*, uti *Bochartus* explicavit, לט *stacte*, secundum alios *ladano*, בטנים *pistaciis*, atque שקדים *amygdalis*, Gen. XLIII. 10. vel *tentoriis*, vel *vestibus*, vel *servorum & servarum personis*, vel *volucribus*, vel denique *pecoribus*.

XXIV. Ac de *argento* quidem & *auro*, *frumento ac musto*, de *arborariis proventibus*, nihil est, quod moneamus insuper: de *tentoriis* vero, atque *vestibus*, itemque de *servis* & *servabus*, infra dicendi occasio erit. Quod igitur ad *volucres* attinet, mirum videri posset, *apum mellificarum* nullam omnino altilium vero, seu cohortalium *avium* tantum in transitu mentionem facere patriarchalem historiam; videlicet *columbæ*, ubi describitur diluvium Gen. VIII. 8. -- 12. *turturum* vero, ac *pullorum columbinorum* in sacrificio Abrahami, Gen. XV. 9. *De gallinis*, *anseribus anatibus*, altum est silentium: adeo ut avium hæc genera Hebræis ex toto Codice sacro ne nomine quidem nota sint. *Bochartus* certe *Hieroz.* P. II. lib. I. c. 16. „ Non satis scitur, inquit, quomodo Hebræi „ veteres *gallum* adpellaverint. Quanquam ad gallinarum genus interpretes multa Prophetarum loca referant, „ sed conjecturis non satis certis, ut ea „ percurrenti constabit. “ Et tamen columbarum quoque possessio non abhorret a cura boni rustici, & gallinæ pariter ac aliæ istiusmodi alites focum mensamque familiarum pretiosis dapibus

opu-

opulentant. Verum de *apibus*, quod filetur in descriptione œconomiæ Patriarcharum, hæc forte ratio subfuerit: quod, cum silvestrium apum copia in Palæstina ingens sit, quæ nidos in arboribus ponentes mellificant, adeo ut mel inde aliquando in terræ superficiem copiose defluat, 1. Sam. XIV. 25. 26. 27. Patriarchæ apum examina, ut apud nos fieri ab œconomis solet, colligere, & collecta alere opus non habuerint. *Columbas* vero domesticas sustentare, Patriarchis, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, eo quod per Cananæam huc illuc instabili sede oberrarent, forte vix licuit: & vero copiam columbarum nihilominus habere potuerunt: quia in Palæstina passim agrestes sunt, atque in fossis vallibusque, & in fissuris petrarum ac montibus nidulantur, Jer. XLVIII. 28. Ezech. VII. 16. & Cant. II. 14. Confer hac de re *Bochartum Hieroz.* P. II. lib. I. cap. 3. Et hic tamen ibidem c. I. dubitat, an ævo Abrahami *columbæ*, quibus antiquissimam a diluvio sedem adsignat Græciam, in Syria & Palæstina jam fuerint, cum גוזל *pullus*, cujus mentio Gen. XV. 9. fiat, etiam *turturis pullum*, ex ipsius sententia, denotare queat: nostro quidem judicio minus bene, inprimis, cum loco citato גוזל *pullus* (columbinus) a *turturibus* æque, ac *juvenca*, *capra*, & *aries*, quæ specie differunt, distinctus esse videatur, & in ceremoniali lege Lev. I. 14. c. V. 7. alibique passim, ubi sacrificales aves describuntur, hæ duæ species, תור *turtur*, & בן יונה *pullus columbinus* (cui in Abrahami sacrificio גוזל *pullus* respondet) coordinentur. Porro *gallinas*, & rusticas maxime, in Palæstina rariores fuisse, credibile est. Certe in Dominicæ passionis historia Matth. XXVI. 34. quidam mirati sunt inveniri gallum gallinaceum, cum ex placitis Talmudicorum doctorum (qui tamen falsam, ut videtur, caussam a sacris arcessiverunt) nullos Hierosolymitani gallos alere consueverint. Vide *Jo. Lightfooti Horas Hebr.* in locum allegatum. Ex quo, si ab Judæorum commentis & suppositiis caussis abstineamus, hoc saltem confici videtur, Hierosolymæ gallinaceum genus, non quidem nullum, rarum tamen fuisse. Sed nec *anserum anatumque* in Patriarcharum historia ulla mentio fit. Credo, quia *anser neque sine aqua, nec sine multa herba facile sustinetur*, uti ex vero judicat *Celsus*, probante id *Columella* lib. VIII. de *re rust.* c. 13. qui & c. 14. *Sine isto*, inquit, *præsidio* stagnorum, lacuum, piscinarumque, *non magis, quam sine terreno recte queunt vivere anseres*. Idem de *anatibus* sentiendum. Atqui aquæ, ut supra §. XV. ostendimus, in Palæstina, & in australi ejus parte maxime, parciores quam in nostris sunt regionibus. Quid mirum igitur, si aves istæ illic sint raræ, indeque illarum in toto Codice Hebræo mentio nulla prorsus?

XXV. At pecuariæ possessiones principem in Patriarcharum œconomia tenuere locum: unde & factum, ut Hebræis simpliciter nomine רכוש & קנין, מקנה *possessionis* seu *adquisitionis* sæpenumero veniant; plane ut *Columella* Præfat. lib. VII. conjicit, *Nomina Pecuniæ & Peculii tracta videri a Pecore, quod non solum veteres possederint, sed adhuc apud quasdam gentes unum usurpetur divitiarum genus*. Et pecora quidem alia fuerunt ad *vescendum*; alia ad *vestiendum* corpus; alia ad *trahendum vehendumque*; alia denique ad *agros colendos*. Primo igitur ad *Vescendum* utiles fuere *bos*, *ovis*, *capra*, ceu *animantia munda*, Gen. VII. 2. ex quo loco *Bochartus Hieroz.* P. I. lib. I. c. 2. non abs re colligit, distinctionis animantium in munda & immunda usum non fuisse modo ante Legem, sed & ante diluvium. Unde ratio dari simul potest, cur, cum Patriarchæ armenti, pecorisque ovilli & caprini amplos aluerint greges, tamen de *suibus* in illorum historia sit altum silentium? Videlicet, quoniam Patriarchæ ab illarum esu jam ante Legem probabiliter abstinuerunt. Id vero etiam inde colligi potest, quod ex Orientalibus populis alii quoque præter Hebræos porcorum usu sibi interdixerunt; nempe *Arabes*, *Phœnices*, *Ægyptii*, *Æthiopes*, *Indi*: de quibus omnibus id, quod diximus, veterum Historicorum testimoniis solide probatum dedit *Bochartus* Hieroz. P. I. lib. II. cap. 57. Quapropter, cum sues Patriarchis non fuerint ad esum, & vero alium usum nullum, quamdiu vivunt, præstent, sicut cetera animantia, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant; vel indumentum exuviis suis exhibent, vel copia lactis exuberant; igitur non erat, ut alerentur a Patriarchis. Nec vero vaccarum, ovium caprarumque carnes solum, sed etiam lac, & quæ parantur ex eo, butyrum & casei, cibum Patriarchis præbuerunt: ac adeo tria ista pecoris genera in præcipuo cultu pretioque ab illis habita. Secundo ad *Vestiendum* corpus deservierunt inprimis *oves* & *capræ*. De illis Salomo Prov. XXVII. 26.

Oves,

Oves, inquit, *erunt in vestitum tuum*. Sed nec capra eo in genere spernendas esse, quamvis earum lana apud Latinos in proverbium de re nauci fere abierit; id vel ex structura Tabernaculi Mosaici, cujus alterum tegumentum *cortinis* e pilo *caprarum* constitit, cognoscere licet, Exod. XXVII. 7. c. XXXV. 26. Eas ad ovium instar variis in regionibus tonderi, & ex earum villis cilicia, tentoria, nautiquaque velamina confieri, *Bochartus*, quem in argumento de animalibus sacris ut principem honoris caussa sæpius nominamus, pluribus ostendit *Hieroz.* P. I. lib. II. cap. 51. Tertio ad *Trahendum* currus, aut ad *Vehendum* comparati fuerunt *boves*, *asini*, *cameli*. *Et boves* quidem plaustris trahendis in Oriente adhibitos, docent loca Biblica Num. VII. 3. 7. 8. I. Sam. VI. 7. 2. Sam. VI. 3. 6. sed & onera gestasse, colligimus ex I. Par. XII. 40. *Panem adferebant in asinis, & camelis, & mulis, & bovibus*. Ad quem locum *Bochartus* Hieroz. P. I. lib. II. cap. 32. confert, quod *Ælianus Hist.* lib. VII. cap. 4. tauros ait feretro se submittere, & puerum aut puellam cervice, dorso mulierem gestare. Et *Phile* cap. 46.

> Πάγχρηστον ὁ βοῦς, καὶ κομίζει φορτία.
> *Perutilis res est bos, & onera etiam gerit.*

De *asinis* res in propatulo est. Nam primo ad ferendum onera eos Patriarchis inserviisse, patet ex Gen. XLII. 26. ubi frumentum, & c. XLV. 23. ubi Ægypti optima quæque, & cibos in viaticum portant. Deinde asinis, non plebejos solum, ut hodie, sed & nobilissimos quosque vectos esse, *Bochartus* loc. cit. cap. 13. cum ex aliis exemplis, sacris atque profanis, tum ex Abrahami historia Gen. XXII. 3. demonstravit. *Cameli* item, in itineribus faciendis commodissimi, tum homines vectant, tum sarcinas: ut in historia Rebeccæ, cum eam atriensis Abrahami sponsam Isaaco expetiturus esset, & adduceret, Gen. XXIV. 10. 16. in fuga Jacobi ex Mesopotamia c. XXXI. 17. & in mercatorio illo Ismaelitarum, merces e Gileaditide in Ægyptum deferentium, itinere, c. XXXVII. 25. Animal inediæ, sitis, ac diuturni cursu patientissimum, magnisque itineribus in calidiore climate conficiendis aptissimum: ac adeo ex præcipuis Orientalium divitiis. *Leo Africanus* lib. IX. *Ex iis* (de camelis loquitur) Arabes *suas divitias ac possessiones æstimant: & si quando de divitiis Principis aut Nobilis cujusquam sermo fiat, possidere eum ajunt tot camelorum, non aureorum millia*. Denique quarto *Agriculturæ* ministraverunt *bos & asinus*: qui iccirco Esa. XXX. 24. vocantur עברי האדמה *colentes terram*, seu, socii hominum in rustico opere: unde & hi, qui in exercenda Dei agricultura, hoc est, in colenda ecclesia, ipsius summi Coloni velut cooperarii sunt, ab eodem Propheta nominantur משלחי רגל השור והחמור *Impellentes pedem bovis & asini*, Esa. XXXII. 20. Utiles autem ambo fuerunt agricolis ad arandum, bos vero etiam ad triturandum, coll. Deut. XXV. 4. I. Reg. XIX. 19. Job. I. 14. & quod *Varro* de re rust. lib. II. c. 6. de asinis tradit: *Plerique deducuntur ad molas, aut ad agriculturam, ubi quid vehendum est, aut etiam ad arandum, ubi levis est terra, ut in Campania*. Vetuit tamen Mosaica lex Deut. XXII. 10. bovem & asinum in arando jungere, ob imparitatem, ut videtur, virium. Ceterum heic rursus mirari animum subierit, cur in patriarchalibus opibus, & in pecuariis possessionibus inprimis, *equi*, quorum tamen in regionibus nostris ad rustica opera eximius plane usus est, nusquam commemorentur? Sed nimirum, equorum melior fere in Oriente, quam in Occidente nostro, sors est. Nam vel militiæ, vel illustrium personarum equitationi & vecturæ illic dicati sunt: rusticis vero laboribus vix adstringuntur. De bellatore equo, & fortitudine ejus, agitur copiose Job. XXXIX. 19. Patriarchæ vero sicut a splendore & pompa, ita a bellis gerendis alieni fuerunt; aut, si quando militiam facere necessum habuerunt, non equestris illa, sed pedestris fuit, ut Abrahami contra quatuor reges Gen. XIV. 14. filiorumque Jacobi contra Sichemitas c. XXXIV. 25. seqq. quam tamen pater majorem in modum improbavit c. XLIX. 22. Quod vero Jacobus Gen. XLVIII. 22. Josepho dicit: *Dedi tibi partem unam præ fratribus tuis, quam* Cepi *ex manu Amoræorum gladio meo, & arcu meo*, id prophetico more intelligi debet pro Futuro *Capiam*; nempe in posteris meis. Et conferri hic meretur, quod *Job. Ludolfus Hist. Æth.* lib. I. c. 10. n. 7. & 10. refert. Equi in Habessinia, inquit, *non equitantur nisi in præliis, vel equestri decursu. -- Miserebatur* Gregorius *equorum nostrorum, cum illos videret ingentia plaustra trahere, illorum patientiam, nostram vero inclementiam miratus; quasi bellicoso & nobili hoc animali ad labores serviles abuteremur*.

XXVI. Cum autem Œconomia sine *matribus familias* vix commode geratur, & vero honestam *familiæ* sustentationem pro fine habeat; igitur de *Conjugiis* Patriar-

triarcharum, itemque *Liberis* eorum, nunc porro nobis agendum erit. Ac primo quidem, quod *Tacitus* c. XX. de moribus Germanorum refert, *Sera juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas*, id ipsum quoque in vitis Patriarcharum, ad Jacobum usque, usu venit; utpote quod tabulæ illorum genealogicæ, quo anno liberis dare operam quisque cœperit exponentes, satis produnt. Videatur Gen. V. & XI. Sic, ut de antiquioribus jam nihil dicamus, quorum seriora multo matrimonia quam subsequentium fuerunt; Isaacus quadragenarius, Jacobus vero septuagesimum ætatis annum jam supergressus, demum ad conjugium adplicuerunt animum, Genes. XXV. 20. c. XXVII. 1. coll. c. XXVIII. 5. & *Hist. Eccles. Goth.* p. 62. Quod sicuti indicium castitatis & continentiæ Patriarcharum fuit, ita quæri potuerit, num & prudentia œconomica forte caussa subfuerit; ita, ut uxori & liberis operam ante dare noluerint, quam rem familiarem paravissent, unde familiam alere possent? Certe ex Judæorum magistris aliqui hanc circumspectionem, & cautelam in conjugio ineundo, ex illo Salomonis eliciunt, Prov. XXIV. 27. *Dispone foris* (hoc est, in agro) *opus tuum*, (agriculturæ, puta, & rei pecuariæ) *& para illud in agro tibi: postea & ædificato domum tuam*, ducta scilicet uxore, & procreatis liberis. Sed quemadmodum sensus illius dicti potius hic est, quod de necessariis prius, quam de ornamentis, homini cogitandum sit; ita dubitamus, an tarditas patriarcharum in ducendis uxoribus, ex consideratione illa, quam modo innuebamus, profluxesit; idque eo magis, quod Jacobus matrimonium pluribus annis ante iniit, quam ad facultates sibi parandas animum adjecisset Gen. XXX. 30. Quod vero ad Jacobi filios attinet, oportet illos, ac liberos eorum, admodum adolescentes uxores duxisse; uti *Henr. Ainsvvorth* apud *Jo. Clericum* ad Gen. XXXVIII. 1. ex temporum rationibus ostendit: quem morem festinandi conjugii populus Judaicus hodienum servat. Ceterum cum felix & exoptatum matrimonium non a propria hominis circumspectione & sapientia, nec a patrum, aliorumque sive cognatorum, sive amicorum, licet optime erga nos adfectorum, cura, sed præcipue a Deo, & provida ejus benignitate, pendeat; igitur Patriarcharum fides ac pietas erga Deum tum quoque inprimis enituit, cum thori sociæ legendæ illis fuerunt. Exemplum, idque ædificationis plenissimum, & matrimonii candidatis omnibus, eorumque parentibus, intuendum ac imitandum, historia Abrahami & Isaaci præbet: quorum ille cum atriensem suum ad ducendam Isaaco uxorem in Mesopotamiam ablegaret, pia fiducia, *Dominus*, inquit ei, *Deus cælorum, qui me duxit ex domo patris mei, & ex terra cognatorum meorum, quique locutus est, & juravit mihi, dicens, Semini tuo dabo terram hanc*, is mittet Angelum suum ante te, *ut ducas uxorem filio meo inde*, Gen. XXIV. 7. Nec minor hac in re servi pietas, qui, ut missione sua rite, & ex heri sui voto defungeretur, precibus ante omnia ad Deum conversus, *Domine*, inquit, *Deus heri mei Abrahami, occurrere fac, quæso*, (puta *decentem conjugem*, uti *Jonathan*, unus ex paraphrastis Chaldæis, addidit), *& fac benignitatem cum hero meo Abrahamo*, cetera, v. 12. 13. 14. idemque, cum Rebeccam signis illis, quæ supplici prece a Deo exorarat, conspicuam vidisset, *obstupuit super ea, tacitum se gerens, ut cognosceret, prosperamne* Dominus *viam ipsius esse jussisset, nec ne?* v. 21. & denique, certus jam de voluntate Dei, *inclinavit se vir, adoravit* Dominum, *dicens: Benedictus sit* Dominus, *Deus heri mei Abrahami, qui non destituit benignitate ac veritate sua herum meum: quod ad me, via recta duxit me* Dominus *in domum cognatorum heri mei*. Sed nec Charanenses, nutum divinum hac in re agnoscentes, sua sunt laude privandi. Respondentes enim servo Abrahami, qui Rebeccam Isaaco uxorem ambiverat, dixerunt: *A Domino exiit res ista, non possumus loqui ad te* quidquam in contrarium, *sive bonum, sive malum*, cetera, v. 50. 51. Quam vocem servus Abrahami divinæ directioni acceptam ferens, *simul atque audivisset hæc verba, prostravit se in terram*, ad supplices in conspectu omnium gratias agendas *Domino*, v. 52. Tota ista historia in mentem nobis revocat Salomonis ad hanc caussam pertinentes sententias, Prout XVIII. 22. *Qui invenit Uxorem*, (puta *Bonam*, uti LXX. Ar. Syr. & Vulg. per modum interpretamenti addiderunt) *invenit bonum, & reportavit beneplacitum a* Domino, & c. XIX. 14. *Domus & opes sunt quidem hæreditas Patrum; sed a* Domino *est Uxor intelligens*.

XXVII. Conjugia autem Patriarcharum duplicis fuerunt generis: primo cum liberis, ac adeo æqualis conditionis fœminis, verbi gratia, Abrahami cum Sara, Isaaci cum Rebecca, & Jacobi cum Rahela & Lea; deinde vero cum servabus, sive ancillis: illæ igitur justæ eiant uxores,

res, ac dominæ, matresque familias; hæ vero tantum פילגשים *pellices*, id est, uxores quidem, eæque legitimæ, sed quæ non habebant omnem perfectionem uxoribus in conjugio debitam, quia remanebant in servitute, ac dominii in regenda familia consortes non erant. Hujusmodi *pellices* Abrahamo fuerunt, vivente quidem Sara, *Hagara* Ægyptiaca, post mortem vero Saræ, & (ut credibile est) ipsius quoque Hagaræ, *Ketura*, Genes. XVI. 3. c. XXV. 1. utpote quæ ambæ nominæ הפילגשים *pellicum* veniunt cap. XXV. 6. Tales item Jacobo fuerunt *Zilpa*, Leæ ancilla, & *Bilha*, Rahelæ serva, cap. XXIX. 24. 29. Et hujusmodi *pellices*, licet ductæ, & thori sociæ jam essent, tamen iccirco non desinebant esse ancillæ, quibus hera non minus, quam herus, suspicienda esset, coll. Gen. XVI. 4. seqq. c. XXI. 10. seqq. c. XXXI. 33. c. XXXIII. 1. 2. Porro filii *pellicum* Abrahami tantummodo מתנות *Dona* acceperunt; ut Isaacus, filius liberæ, *hæres* fuit omnium *bonorum paternorum*, c. XXI. 10. c. XXV. 5. 6. Id vero factum esse videtur ad postulationem & in gratiam Saræ, Deo specialiter adprobante ac jubente; cum forte discrimen illud filiorum respectu adeundæ hæreditatis, moris alias apud Patriarchas non fuisset, & Abrahamus prius, quam de voluntate Dei edoctus esset, Ismaelis filii sui caussa postulationem Saræ duram judicavisset c. XXI. 11. 12. Unde Jacobi contra filii, & qui ab his descenderunt, postmodum in dividenda Cananæa omnes, tum qui ex liberis, tum qui ex ancillis nati fuerant, invicem æquati sunt.

XXVIII. Ad œconomiam quidem Patriarcharum conducebant inprimis *justæ uxores*, ceu matres familias, eæque piæ, castæ, sedatæ, οἰκουρά, & quæ sunt reliquæ bonarum conjugum notæ, Tit. II. 4. 5. Has igitur pientiores quique Patriarchæ ex suis ipsorum familiis legebant potius, quam vel ex Cainitis ante, vel ex Cananitis post diluvium, utraque lasciviosa & impuris moribus deformata gente. Nempe quo religiosior quisque fuit, eo majori cura & solicitudine usus est, ut matrimonia tum a se ipso, tum a filiis suis sub hac inirentur cautela, quam Apostolus suo tempore fidelibus Corinthiis inculcavit 1. Cor. VII. 39. nempe μόνον ἐν Κυρίῳ, *Solum in Domino!* Hinc cum ante diluvium *filii Dei*, hoc est, Sethitæ, *filias hominum*, ex Cainitica stirpe oriundas, sola illarum forma ac pulchritudine illecti, promiscue ducere, & proin ex commercio cum carnalibus carnales & ipsi fieri cœpissent, id adeo displicuit Deo, ut, nisi intra terminum CXX. annorum emendaturi se essent, universos delere decreverit Gen. VI. 1.--7. Quod decretum suum cum *Dominus* exsecutioni postmodum dederit, hoc ipso declaravit, se conjugia piorum cum impiis saltem non minus detestari, quam Israelitarum cum Cananæis connubia, Deut. VII. 3. Indidem Abrahamus ab atriario suo servo juramentum exegit, ut ne Isaaco filio suo uxorem ex Cananæis, sed potius ex patria regione & ex familia sua duceret Gen. XXIV. 2. seqq. Cumque *Esavus*, ab hac filiorum Dei regula discedens, Juditham & Basematham, Hethiticas mulieres, duxisset, hæ ambæ nurus fuerunt מרת רוח ליצחק ולרבקה caussa *mœstitiæ spiritus Isaaco atque Rebeccæ*, cap. XXVI. 34. 35. adeo, ut Rebecca marito suo Isaaco diceret: *Tædet me vitæ meæ propter Hethithicas mulieres: si ducturus esset Jacobus uxorem de Hethithicis mulieribus, quales hæ sunt, ad quid mihi vita esset?* c. XXVII. 46. Quamobrem Isaacus Jacobum, post iteratam & confirmatam ei benedictionem, in Mesopotamiam ad avitam familiam cum hoc mandato ablegavit: *Ne ducas uxorem de filiabus Cananæorum; surgens abi in Mesopotamiam campestrem ad domum Bethuelis patris matris tuæ, & duc tibi inde uxorem de filiabus Labanis avunculi tui*, c. XXVIII. 1. 2. Et Esavus ipse, cum intellexisset, Jacobum fratrem ab Isaaco cum faustorum omnium adprecatione in Mesopotamiam hoc fine missum esse, ut conjugem ibi quæreret sibi; igitur animadvertens, Cananiticas mulieres patri displicere, quasi errorem emendaturus, & Isaaco gratum facturus esset, ad Ismaelis familiam se conferens, filiam ejus Mahalatham suis superinduxit uxoribus, ibid. v. 6. 9. Ceterum sicuti Esavus, ita dein etiam *Judas*, Jacobi filius, postquam a fratribus digressus, in liberiorem se familiaritatem dedisset cum Chira Adullamensi, Cananita, non optimi moris homine Gen. XXXVIII. 1. 20. non solum ipse filiam Cananæi Schuæ uxorem duxit v. 2. sed etiam primogenito suo *Erio*, & post hunc *Onano*, Thamaram, pariter Cananiticam, conjugem dedit v. 6. 8. malum improbæ ac Deo invisæ sobolis, quam *Dominus* præmatura morte occidit, eo prolapsus, ut cum hac ipsa nuru sua, habitu & gestu meretricem mentiente, incesta fornicatione concumberet v. 15. sqq. ut, quod Paulus 1. Cor. XV. 33. ex Menandro inculcat, φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, *Corrumpunt bonos mores consortia prava*, id vel hoc ipso exemplo ho-

hominis, cetera non mali, comprobaretur.

XXIX. Possemus hic in laudes Patriarchalium conjugum excurrere, nisi brevitatem nobis imperaret tractationis nostræ modulus. Loquatur vero pro nobis Apostolus, *sanctas* has *mulieres* pro dignitate & meritis illarum concelebrans, 1. Petr. III. 5. 6. *Sic enim* (videlicet *incorruptibibili* onatu *mansueti & quieti spiritus*, v. 4.) *aliquando & Sanctæ* Mulieres, *sperantes in Deum*, *ornabant se*, *subjectæ propriis maritis*. *Sicut Sara obediebat Abrahamo*, *Dominum eum vocans: cujus filiæ factæ estis*, *si benefeceriti*, cet. Ac de vestitu quidem illarum dicemus postea. Quod vero ad *subjectionem* earum, illam ex honorifica adpellatione *Domini* Apostolus modo eliciebat, coll. Gen. XVIII. 12. ubi Sara de marito suo loquens, *Dominus meus*, inquit, *consenuit*; haud aliter acsi *ancillam* potius, quam *conjugem*, dominiique consortem se esse reputaret. Et potest id a contrario illustrari ex *Plutarcho* in *Lycurgo* & *Catone*, ubi a Catone perstringuntur mariti, quibus non satis sit, uxorum socios fuisse, nisi etiam obsequentes se præbuerint, ut tandem servi in pœnam fiant: id vero in Lacedæmonios olim jactari consuevisse, qui *uxores Dominos* adpellaverint. *Οἰκουρίας* exemplum eadem Sara est, utpote de qua cum *Dominus* ipse, sub hominis convivæ forma adparens, sciscitaretur, maritus haud cunctanter respondere poterat: *Ecce! in tentorio* suo est, Gen. XVIII. 9. Quam sedulæ fuerint piæ feminæ in domesticis negotiis curandis, v. g. pinsendis panibus, coquendis carnibus, suppeditando potu, cetera; id historiæ loquuntur ejusdem Saræ Gen. XVIII. 6. itemque Rebeccæ cap. XXVII. 9. 14. seqq. Prudentiam œconomicam in regenda familia, satis prodidit Sara, quum Hagaram ancillam elatius se gerentem coercuit, Gen. XVI. 6. non sine adprobatione ipsius *Domini*, v. 9. Sicuti & vicissim Abrahamus fecit, quod boni mariti est, cohabitans *κατὰ γνῶσιν*, ac tribuens ei honorem, ceu infirmiori vasi 1. Petr. III. 7. cujus rei specimen dedit, cum uxori, ob Hagaræ insolentiam quiritanti, *Ecce*, inquit, *ancilla tua in tua est potestate*, *fac ei prout videbitur tibi*, Gen. XVI. 6. & cum in gratiam ejus Hagaram cum Ismaele filio ex ædibus suis dimisit c. XXI. 14.

XXX. In conjugis suis Patriarchæ, sicuti generatim mutuum adjutorium, Gen. II. 18. ita inprimis *Semen Dei*, hoc est, promissam a Deo, Deique timentem sobolem quæsiverunt; id quod Propheta de Abrahamo testatur Mal. II. 15. & Abrahamus ipse haud obscure innuit Gen. XV. 2. *Domine*, inquiens, *quid dabis mihi*, *cum ego vadam sine liberis*? & mox v. 3. *Ecce mihi non dedisti semen*! Et tamen temporariam sterilitatem uxorum suarum, quam piis precibus medicæ Dei manui commendaverunt, resignantes se in voluntatem ejus, non nisi patienter tulerunt, Abrahamus c. XVII. 8. 19. Isaacus c. XXV. 21. & Jacobus c. XXX. 1. 2. Ac liberos quidem, simul ac nati essent, patres, aut avi quoque, & progenitores, in genua suscepisse videntur, hoc ipso ritu suos esse, ac sibi caros, indeque a se nutriendos ac educandos, professi. Unde *Machirus* liberos genuisse dicitur *super genua Josephi*, hoc est, quos Josephus in gremium sublatos, pro familiæ suæ membris agnoverit, Gen. L. 23. Eique analogus ritus est in historia Rahelæ, quæ marito suo, *Ecce* inquit, *ancillam meam Bilham*, *ingredere ad eam*, *ut pariat super genua mea*; utpote quæ posteriora verba *Onkelosus* in Chaldaica sua paraphrasi reddidit, *ut pariat*, *& ego educem*, Gen. XXX. 3. Porro infantes *lactati* sunt, sive a *matribus* ipsis, dummodo possent, coll. c. XXI. 7. *Quis dixisset Abrahamo*: *Lactat filios Sara*? sive a *nutricibus*; uti Rebecca nutricem habuit *Deboram* quæ & nupturæ comes a parentibus data c. XXIV. 59. & ab Jacobo, Rebeccæ filio, tandem honorifica sepultura & luctu cohonestata est cap. XXXV. 8. *Lactationis* autem tempus tam arctis limitibus, ut apud nos plerumque fit, constrictum non fuit; sed ut hodienum apud Orientales, sic olim per biennium trienniumve duravit. Unde Isaacus tum demum dicitur *ablactatus*, ויגדל *cum adolescere cœpisset* Gen. XXI. 8. Idem de Mose legitur Exod. II. 10. quem tempore ablactationis suæ *τελετῇ γεγεννῆσθαι*, *triennem fuisse*, *Josephus* Antiq. l. II. c. 9. memoriæ prodidit. Vide & de Samuele 1. Sam. I. 22. & quod mater septem fratrum ab Antiocho occisorum filio dicit 2. Macc. VII. 27. *Miserere mei*, *quæ te per IX. menses in utero gessi*, *& per triennium lactavi*: item quæ Missionarii Danici Contin. XXIV. des Ost-Indischen Berichts p. 1042. narrant.

XXXI. Liberos hosce suos pii Patriarchæ procul dubio ad timorem & cultum veri Numinis domi suæ solicite instituerunt, cum publicæ scholæ nondum forte fuerint: qua de re neutiquam dubitare nos sinit illustris locus Gen. XVIII. 19. *Agnovi eum* inquit de Abrahamo Deus, *propterea ut precipiat filiis suis*, *& do-*

& domui suæ post se, ut observent viam Domini, ad faciendam justitiam & jus. Et quis credat, Patriarchas, ubi exstructis altaribus, & immolatis victimis, solemnia Deo sacra fecerunt, familiam suam neglexisse, & damnabili ignorantiæ reliquisse? Vide e. g. Gen. XXI. 33. c. XXVI. 25. c. XXXIII. 10. & inprimis c. XXX. 2. seqq. Unde haud dubie fallit *Philo* Judæus lib. de Abrahamo p. 275. dum Patriarchas tantum secundum legem, seu lumen naturæ vixisse adseruit, scholas nullas frequentantes nullisque præceptoribus usos, sed a *se ipsis institutos doctosque*: quem notavit *Camp. Vitringa* de Synagoga p. 276. Ad publicas scolas, quas tunc nondum forte fuisse diximus, traxerunt quidam, quanquam inuita Minerva, locum illum Genes. XXV. 27. *Jacobus erat vir integer*, ישב אהלים *habitans*, vel *sedens in tentoriis*. Nam *R. Salomo* subnotavit ad eum lucum, intelligi *tentorium Semi*, *& tentorium Eberi*; quasi vero Semus atque Eberus eo tempore fuissent ludimagistri: & *Pseudo-Jonatham* ibidem sic habet, *ministrans in schola Eberi, quærens doctrinam a facie Domini*. Vide ibi & *Sal. B. Melech* in *Michal-Jophi*. Sed quis non videt, quam coactum sit illud intrepretamentum? Laboribus vero tolerandis Patriarcharum liberos non minus adsuefactos esse, docent exempla, *Rebeccæ*, cum aliis oppidi sui puellis vesperi aquatum excuntis c. XXIV. 11. 15. *Rachelæ*, ducentis gregem c. XXIX. 9. & *Jacobi*, mercenarium agentis pastorem v. 15. seqq.

XXXII. Restaret nunc, ut, quemadmodum supra §. I. promisimus, de *servis* atque *servabus*, item de *habitaculis*, deque *victu* & *amictu* Patriarcharum pariter exponeremus: verum ita tractatio nostra, quæ præter intentionem nostram jam longius provecta est, terminos academicæ dissertationis nimis excessura esset. Igitur heic pedem figentes, ea, quæ supersunt, non tam prætermittimus jam, quam alii occasioni & tempori reservamus. Interim hanc nostram scriptionem finientes, gratias benignissimo Numini pro prestito nobis auxilio agimus, ac vota supplices fundimus, velit hoc, quidquid est meditationum nostrarum, aliquo apud Lectores nostros beare fructu, ut vel sic mereamur partem habere in felicitate illa, quam David Ps. 3. *cupienti legem Domini, & in lege ejus noctes diesque meditanti* pollicieretur: *Erit sicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum suum dat tempore suo, & cujus folium non marcescet; & quicquid agit, prospere perficiet*.

WILHELMI SCHICKARDI
JUS REGIUM HEBRÆORUM
CUM ANIMADVERSIONIBUS ET NOTIS JO. BENEDICTI CARPZOVII.

VIRO AMPISSIMO & CONSULTISSIMO

D. ADRIANO STEGERO

JCto, Patriæ Senatori & Reipublicæ Ædili

ſimulque

VIRO REVER. PL. & EXCELLENTISSIMO

D. SIMONI LOEFFLERO

SS. Theol. Lic. & Patriæ ad D. Thomæ Eccleſiaſtæ primario.

Illi Patrono, Huic Collegæ, Amico utrique certiſſimo

S. P. D.

JO. BENEDICTUS CARPZOVIUS.

QUO magis ubique clariſſimum Schickardi nomen, & præſens hæc ejus de jure Regio Hebræorum lucubratio, a doctiſſimis quibuſque viris, Germanis, Italis, Gallis, Anglis, Belgis, Danis, Svecis, & quaqua orbis eruditus patet, celebratur, eo majori res admiratione digna eſt, neminem intra hos quinquaginta annos, qui inde a prima ejus editione effluxerunt, tot paſſim literatorum votis expetitam ſelectiſſimi libri copiam cupidæ inprimis harum deliciarum juventuti feciſſe. Ne enim popularium, hoc eſt, Germanorum ſummæ autoritatis theologorum pariter & philologorum, Dorſchæi, Danhavveri, Gejeri, Calovii, Hackſpanii, Friſchmuthi, aliorumque graviſſimorum virorum, ipſius etiam Buxtorfii atque Hottingeri, domeſtica veluti teſtimonia, quibus ad inquirendum hoc Schickardi meletema ſatis inflammari poterat, commemorem, nulla prorſus exterorum hanc literaturam attingentium monumenta volvas, in quibus ad hoc variæ eruditionis penarium, quod merito, uti Amama quondam Scaligeri elenchum trihæreſii Serariani vocabat, Judaicæ theſaurum antiquitatis dixeris, non videas provocari; adeo familiare eſt Gaulmynio, Morino, Salmaſio, Grotio, Seldeno, Voſſio, Lempereurio, Dieujo, Riveto, Voetio, heu quantis nominibus! non ſine laudis & honoris præfamine, & cum promiſſo reconditæ doctrinæ, huc ablegare lectores ſuos, de conferendo tamen, cum raro hactenus, & pene nullibi proſtaret, fruſtra ſollicitos. Advertebam hæc libri encomia, cum olim ante complures annos Argentorati, in celeberrimo literarum emporio, his operam literis adoleſcens collocarem, & deſiderio potiundi accenſus mira-

rabar, nullo ibi pretio anquiri posse tam exiguæ molis libellum, ubi proxeneta Berneggero, singulari autoris necessario, primum in lucem prodierat. Eum ergo a sanctæ recordationis Theologo, Jo. Schmidio, meo tunc hospite, mutuo acceptum avide perlegebam, & quicquid in eo reconditum, in adversaria mea, uti eram adsuetus, diligentius referebam, nihil postea moratus, quæ fieri nequibat, libri ipsiusmet copiam, quod mihi de latente inibi thesauro abunde ita prospexissem. Posteaquam vero eadem mihi in academia patria docendi provincia cessit, quæ olim in Tubingensi erat Schickardo, & ego sæpius publice privatimque ad hanc illamve materiam, ut in hoc studiorum genere solet, delatus, Schickardum non minus, quam cæteros, quos mihi olim familiares reddideram, auditoribus laudarem, illi autem plus vice simplici eum abs me sibi commodari peterent, sane quam pro eo ac debui, graviter molesteque tuli, quod vel invidus, vel parum a plagiariis abesse viderer, qui librum toties legendum commendarem, quem nulli concederem rogatus. Dolebam insuper, lactari juventutem speciosis philologastrorum promissionibus, quas sæpe in compilationum suarum frontispicio facerent, atque interim privari variarum rerum haud perfunctorie e Rabbinorum tenebris erutarum apparatu, qualis hic edecumatus est, e quo mihi olim plurimum emolumenti accessisset. Quare, cum superiori anno aliud in bibliopolio agendum esset, & nescio quas chartas Volusianas tunc noviter expositas, nonnullis præsentibus amicis contemplarer, querebar illis tribui impensas, detrimento potius, quam usui futuris, deque recudendis celeberrimorum virorum utilissimis laboribus, quorum copia deesset, neminem cogitare. Testabar id operum Schickardianorum exemplo, quæ supra decennium ab Esenweinio promissa frustra hactenus expectassent istis sacris initiati; pollicitus simul, modo vel unicus de jure regio libellus, qui non humanitatis modo & theologiæ, sed & politices studiosis serviret, denuo excuderetur, eum cupide redemtum iri, meque excerpta & observationes quasdam, quibus liber quasi innovatus gratior redderetur, non denegaturum. Vix ita isthæc differueram, cum publicæ nundinarum tabulæ opera Schickardi philologica, quæ extant, Jus regium Hebræorum, Tarich Regum Persiæ, Bechinath happeruschim, & Syllogen dissertationum, omnia junctim cum animadversionibus & notis abs me proditura promittunt; quod ego ne somniaveram quidem. Neque tamen ea res, quæ suavem prius risum ciebat, tantopere mihi displicuit, ut propterea amico, cujus tum candor, tum in me amor perspectus erat, isto veluti strategemate hunc imponenti laborem subirascerer; quin consentirem potius ex parte, & quem præ cæteris æstimabam, præsentem ingenii atque eruditionis Schickardianæ fœtum sic recensendum statuerem. Non aliud igitur restabat, quam ut liber subjiceretur prælo, quo fervente quædam quæ pollicitus fueram, collectanea e schedis meis adscriberem. Veruntamen vix credas, in hac Musarum sede e tot instructissimis literatorum hominum bibliothecis librum, quem omnes laudabant, sed possidebat nemo, promi non potuisse, donec eum tuus, *Amplissime Stegere*, frater, *Thomas Stegerus*, tunc Collega meus, e suis cimeliis liberaliter proferret. Nec mora, typis traditur, & dum in excudendo desiderant operæ, ego notulas addo, quantum ordinarii labores ferunt, ultro in adversarii meis se offerentes; sed prout aliud ex alio nascitur, succurrunt subinde aliqua, quæ olim non observabantur tyroni, nunc absque censura non dimittenda. Ipsummet enim, si viveret, beatum autorem eam pro modestia sua haud inique laturum confido, cujus laudi & famæ nunquam intermorituræ nihil quicquam decedit, ut maxime aliqua minus accurate ab eo lustrata ab alio tanti nominis admiratore corrigantur ponderata diligentius, cum heroicis hujusmodi ingeniis id soleat interdum accidere, quod Imperatori in militia, quantumvis sagacissimo consuevit, ut non perspiciat coram omnia, quæ in singulis aciei partibus aguntur, & illorum nonnulla a levioris notæ tribunis & centurionibus multo accuratius animadvertantur. Quod dum feliciter pergentibus operis succedit, statim in animum induxi, cum inscriptionis, si quis inde est, honore, & consecratione harum animadversionum, quæ accedebant, indulgentissimo viro, quod indulserat, reddere, gratitudinis causa, & ne tantopere frustra alibi quæsitum librum absque fœnore elocasse videretur: simul ut constaret juventuti, cui hanc Schickardi editionem deberet. Enimvero, quæ sunt mortalitatis vicissitudines, quando parum a fine absumus, mortalitatem ille exuit, cumque Ecclesiæ, cui mysteria sibi credita dispensabat, non mediocri damno, humanis rebus eripitur. Inopinatus plane casus, eoque mihi luctuosior, quo arctior in-

inter me atque ipsum, dum viveret, familiaritas, & collegialis necessitudo intercessit. Alloquium vero illud publicum, quod animo volvebam, funesta hac morte interceptum, aut tibi, *Adriane*, cujus e Thoma fratre hæreditarium in me favorem sensi, aut tibi, *Loefflere*, ejus ut in officio, ita in sanctiori quoque amicitia nostra, successori debebatur; sed quoniam hæc optio inter eos, quorum paria in me extant benevolentiæ & amoris documenta, paulo videri poterat difficilior, placuit simul utrumque alloqui. Neque vereor, ne vobis displiceat vel ipsa compellatio, vel quod conjunctim illa fiat, etiamsi alter politicis, alter sacris operemini. Tanta enim unius in Rempublicam, quanta in Ecclesiam alterius sunt merita, & quantum unus inter gravissimas Reipublicæ curas, quas pro communi patriæ salute sustinet, tantum inter ecclesiasticas, quas pro salute gerit animarum alter, his otii oblectamentis tribuit, dexterrimus uterque sacratioris nostræ; quam profitemur, philologiæ arbiter. Denique si, quæ privata magis sunt, contemplor, tibi equidem, *Stegere*, plurimum Patrono debeo; qui in senatu sæpius de me meisque, quoties occasio tulit, præter meritum honorifice sensisti, ut omni jure tibi non exiguam partem beneficiorum in me publico nomine collatorum vindices; sed non minora tibi, *Loefflere*, debeo Præceptori, qui ne prorsum illis Patroni beneficiis indignus haberer, tua informatione effecisti. Nunquam animo excidet illius temporis recordatio, quo olim ad theologicas scolas cum didacticas, tum polemicas, quas nobis aperiebas, avide advolabamus, ne semel quidem sine scientiæ augmento inde recedentes: Et quanquam me eruditione longe imparem brevi post parem dignitate & in munere proximum tibi voluit divina dispensatio; credas tamen, quoties te Collegam compellari audis, toties meæ menti debitam præceptori venerationem obversari. Pari ergo uterque benevolentia suscipite, *Viri Excellentissimi*, hoc meæ in vos gratitudinis monumentum, & me, quod facitis, amare pergite. Qui vos homine majori cultu veneretur, habetis neminem. *Deus Vos Servet!* Scribebam in viridario meo ad Plissam, quo animi recreandi causa secesseram inter æstatis delicias anni supra millesimum sexcentesimum quarti & septuagesimi.

MATTHIÆ BERNEGGERO

S. P. Dico

Wilhelmus Schickart.

SI in privatis epistolis aliquando, cum me speculationes aliæ detinent, sum negligentior, Amice *benevolentissime, alloquar te nunc in vestibulo hujus dissertationis publice; simul un instituti rationem breviter reddam, ne me functionis oblitum in alienis castris oberrare putes. Non ultroneo ausu temere suscepi, sed excitavit me ad hanc scriptionem Nob. & Ampliss.* JCtus Dn. D. Besoldus *Patronus & Compater meus, quid meum dico? imo communis noster ille Fautor honorandus, vir nunquam sine laudis præfatione nominandus. Cum enim in nupera quadam deambulatione mentionem fecisset suorum de Jure Majestatis, librorum, qui nunc vobiscum excuduntur, & ego aliquid meæ lectionis de prisco Hebræorum Regum jure subjecissem, suasit ut illud in literas relatum pluribus communicarem, quod multorum cognitione dignum arbitraretur; & non difficulter mihi persuasit, quia jam pridem aliquo specimine comprobatum reddere gestii, quantum hæc lingua Politicis quoque hominibus servire valeat, postquam Theologiæ studio initatis, ut plurimum fastidiri sentio. Excussi ergo memoriam meam, & revolvi authores, apud quos talia observasse recordabar, Maymonidem, Kimchium, Ab. Ezram, Jarchæum, Gersonidem, Nachmanum, Bar-Nachmoni, Bechajum, Sebam, ipsum denique opus Talmudicum; qui quamvis plerique vulgo ne nomine tenus quidem noti sint, ut impostor aliquis facile testimoniis illorum apud imperitos abuti posset, credas tamen, ea fide & sollicitudine a me tum exscripta, tum versa esse, ut neminis nec Christianorum nec Judæorum censuram extimescam; ea propter paginarum quoque partes allegaverim, & formalia inseruerim verba. Sed & Alkuranum alicubi adduco, quia e nugarum sterquilinio subinde aliquod utile granum emicat, quod de uberiori priscorum messe testetur. Ubi tuam in me benignitatem reticere non sinit pietas, qui post magnum Gruterum, tui quoque exemplaris, mundissime sane exarati copiam mihi fecisti, ut cum meo conferrem, & in attritis locis, aut intricata manu, veram lectionem venarer: quo vel solo nomine præsens tibi studiorum meorum fructus debetur. Vale V. Cl. & Diatribas in Svetonium obsecro continua: video enim afferre te multa,*

ta, quæ vel oculatissimos antea fugerunt. Tum vero per occasionem Dn. Froreisenio, Schmidio, Blanckenburgio, illis in hoc studio quondam sociis, huic etiam Professionis partici, omnibus vero Amicis honoratissimis, meo nomine plurimam Salutem e Tubinga 16. Jan. ineuntis Anni 1625. quem omnibus faustissimum esse jubeo.

Pauca ex innumeris testimonia de Schickardo & hoc ejus libro.

Gilbertus Gaulmyn lib. II. Notar. ad libb. de vita & morte Mosis c. VI. p. 319.

Exemplum de Alexandro Janai Rege ac Pontifice in Talmud tit. Sanhedrin c. 2. quod ante nos Schickardus vir harum literarum doctissimus, in libro משפט המלך *adduxit.*

Idem lib. III. c. I. p. 347.

Sic in Talmude, in Maymonide & in aliis, quos exscripsit ante nos vir doctissimus Schickardus.

Idem lib. III. c. IV. p. 366.

Quod caute servatum docebit Schickardus de Jure Regio, vir doctissimus, & cui inter paucos multum hæ literæ debent.

Ludovicus de Dieu Animadvers. in in Genes. XXX. vers. II. p. 40.

Teste doctissimo, nec unquam sine laude nominando Wilhelmo Schickardo.

Andr. Rivetus in Jesuita vapulante sive Castigat. Not. in Epist. Molinæi ad Balsacum, c. XXIX. §. 4. p. 553.

Hæc si quis scire aveat, legat doctissimam lucubrationem clarissimi & eruditissimi viri, Wilhelmi Schickardi, amici mei, sacrarum literarum Professoris celeberrimi in Acad. Tubingensi, de jure Regio Hebræorum, ex qua multa arcana, & non alibi facile reperienda, cum fructu eruet.

Constantinus L'Empereur in Dissertatione Clavi Talmudicæ præmissa, circa finem.

Quo nomine nuperrime mihi rem gratissimam fecit Germaniæ decus ac lumen Wilhelmus Schickardus.

Idem in Jacchiadæ paraphrasin in Dan. VIII. vers. 5. p. 145.

Vir orientalium linguarum peritissimus & in aliis versatissimus, Wilhelmus Schickardus.

Dorschæus in mantissa Dissert. de nomine Jehova, ex vindic. Anti-Bellarm. pag. 51.

Wilhelmus Schickardus, vir Cl. & in universa literatura antiqua excellentissimus, Hebraicarum vero antiquitatum peritissimus.

משפט המלך

JUS (1) REGIUM HEBRÆORUM

CAPUT PRIMUM.

DE ELECTIONE.

THEOREMA I.

Dei (2) mandatum erat eligere Regem.

HOC nempe unum est ex illis, quæ mature quidem in deserto præcepta erant, sed sero demum post multos annos exequenda. De quibus Bar Nachmoni *in Desar. Rabba, parsch. Schophet. col. illius* 4. אמר ר׳ יהודה בר אלעאי על שלשה דברים נצטוו ישראל בכניסתן לארץ ואלו הן למחות זכרו של עמלק ולמנות להם מלך ולבנות להם בית המקדש: *Dixit Rabi Jehuda Fil. R. Elai, (3) tres res injunctæ sunt Israelitis ad ingressum eorum in terram* (Canaan) *scilicet extirparent memoriam Amaleck, & constituerent sibi Regem, atque domum sanctuarii ædificarent.* Quæ ipsa meliori ordine recenset diligentissimus Rabinorum (4) Mosche ben Maymon, *Tom.* 2. *Halacha Melachim, cap.* 1. *fol. mihi* 759. *b.* מנוי מלך קודם למלחמת עמלק שנ׳ אותי שלח ה׳ למשחך למלך עתה לך והכית את עמלק והכרתת זרע עמלק קודמת לבניין הבית שנ׳ ויהי כי ישב המלך בביתו וה׳ הניח לו מסבי׳ מכל אויביו ויאמר המלך אל נתן הנביא אנכי יושב בבית ארזים וגו׳: *Electio Regis antecedit bellum Amalek, sicut dicitur* (1. Sam. 15. v. 1. & 3.) *me misit Dominus, ut ungerem te in Regem, nunc igitur vade & percute Amalek. Excisio seminis Amalek præcedit ædificium Templi; sicut dicitur* (2. Sam. 7. v. 1.) *factum est cum sedisset Rex in domo sua, & dominus requiem fecisset ipsi circum circa ab hostibus suis, ait Rex ad Nathanum prophetam: ego habito in domo cedrina &c.* Gloriantur etiam Judæi (5) de triplici corona, quibus gentem suam cohonestarit *Deus*. Idem Maymonides *Tom.* 1. *Hal. Talm. Thor. cap.* 3. *p.* 20. *b.* בשלשה כתרים נכתרו ישראל כתר תורה וכתר כהונה וכתר מלכות כתר כהונה זכה בה אהרן שנ׳ והיתה לו ולזרעו אחריו ברית כהנת עולם. כתר מלכות זכה בו דוד שנ׳ זרעו לעולם יהיה וכסאו כשמש נגדי. כתר תורה הרי מונח ועומד ומוכן לכל ישראל שנ׳ תורה צוה לנו משה מורשה קהלת יעקב כל מי שירצה יבא ויטול. שמא תאמר שאותם הכתרים גדולים מכתר תורה הרי הוא אומר בי מלכים ימלוכו ורוזנים יחקקו צדק בי שרים ישורו: *Tribus coronis coronati sunt Israelitæ, corona Legis & Sacerdotii & Regni. Corona Sacerdotii dignus fuit Aaron, sicut dicitur* (Num. 25. 15.) *erit ipsi & semini ejus post ipsum, fœdus sacerdotii æterni. Corona Regni dignus fuit David, sicut dicitur* (Ps. 89. v. 36. *semel juravi per sanctitatem meam, si Davidi mentiar*) *semen ejus in seculum erit, & thronus ejus instar Solis coram me. Corona legis ecce relicta & parata est omnibus Israelitis, sicut dicitur* (Deut. 33. 4.) *legem præcepit nobis Moses. hæreditatem congregationi Jacob, quicunque vult, veniat & tollat. Ne autem forte dicas, quod priores coronæ majores sint hac corona legis, ecce dicit ipsa* (Prov. 8. 15.) *per me Reges regnabunt, & dynastæ decernent justitiam, per me Principes dominabuntur.*

Hæc quamvis ita se habeant, tamen non (6) desunt inter Judæos, qui contradicunt & putant, Regibus majores suos minime indiguisse. Rationes illorum diversæ sunt, quas distincte videbimus. R. Bechai existimat, Deum Opt. Max. sufficere ipsis; nec nisi ad pœnam Reges indulsisse, forte ut ranis Jupiter Ciconiam apud Æsopum, sic autem ille *ad Parsch. Scoph. col.* 6. אין רצונו של הקב״ה שיהיה מלך בישראל אלא הוא כי הוא יתעלה המלך ההולך בתוך מחניים משגיח על פרטיהם אין להם צורך במלך אחר כי העם הנבחר אשר ארון הכל מלכו מה יעשה במלך בשר ודם. וא״כ. וכתוב אתן לך מלך באפי זה שאול המלך הראשון. ואקח בעברתי צדקיהו המלך האחרון שלוקח ביד נבוכדנצר ואירע בו מה שאירע: *Non erat voluntas* Dei O. M. *ut esset Rex in Israel alius quam ipsemet. Ipse enim Altissimus*

est Rex ille, qui ambulat in medio castrorum & provide attendit ad particularissima quæque. Nec opus erat illis Rege alio. Nam populus electus, cujus Rex est Dominus universi, quid faceret cum Rege qui caro tantum est & sanguis? Et post pauca: *Scriptum est* (Hos. 13. 11.) *do tibi Regem in ira mea; is est Saul Rex primus: & aufero in furore meo; is Zidkias Rex ultimus, qui ablatus fuit per manum Nebucad-Nezaris & contigit ipsi malum quod contigit.* Rabba B. Nachmoni arbitratur hoc pugnare cum libertate populi Judaici, quorum conditio non sit regi ab alio, ut a pastore pecora, sed instar ferarum liberrime circumvagari, paulo ante *loc. supra citat.* אמ׳ הקב״ה לישראל בני כך חשבתי שתהיו חורין מן המלכיות מנין שנ׳ פרא למוד מדבר כשם שהפרוד גדל במדבר ואין אימת אדם עליו כך חשבתי שלא תהא אימת מלכות עליכם אבל אתם לא בקשתם כן אלא באות נפשה שאפה רוח ואין רוח אלא מלכיות מנין שנ׳ וארו ארבע רוחי שמיא מגיחן לימא רבא: *ait* Deus O. M. *Israeli, mi fili! sic cogitavi, ut essetis liberi ab imperiis unde hoc? quia dicitur* (Jer. 2. v. 24.) *Onager assuetus deserto. Sicut ergo asinus sylvestris adolescit in deserto, nec timet ullum hominem super se, sic reputavi, ne esset metus regni super vos. At vos non hoc quæsivistis; sed* (*ut in textu sequitur*) *in desiderio animæ suæ sorbuit ventum. Non est hic ventus aliud quam Regnum. Unde hoc? quia dicitur* (Dan. 7. 2.) *ecce quatuor venti cœli pugnabant ad mare magnum!* R. Levi Ben Gerschom arguit ab eventu, parum boni, mali vero plurimum ob reges huic populo contigisse; *in Com. ad* 1. *Sam.* 8. בסוף הענין היו מלכיהם סבה להתעות ישראל ולהסירם מעל יי׳ עד שהביאו לגלות מעל ארמתם: *tandem fuerunt Reges illi causa deceptionis Israeli, ut alienaretur a Domino Deo, usque dum abducerentur in exilium a terra sua.* Quod idem Argumentum prædictus R. Bechai *eod. l.* prolixius inculcat צא ולמד מה הגיע אלינו מתחת יד המלכים שכן דרשו רז״ל שאול נפל בהר הגלבוע. דוד נתן מגפה שנ׳ ויתן ה׳ דבר בישראל. אחאב העציר את הגשמים עליהם הכתיב אם יהיה השנים האלה וגו׳ קדקיהו החריב המקדש: *abi & disce quid contigerit nobis sub manu regum. Sic enim concionantur Doctores nostri p. m. Saul cecidit in monte Gilboah, David causatus est plagam, sicut dicitu* (2. Sam. 24. 25.) *deditque Dominus pestem in Israel. Achab cohibuit pluvias ab eis, ut scribitur* (1. Reg. 17. 1. vivit Dominus) *si erit hisce annis ros aut pluvia &c. Zidkiah desolari fecit sanctuarium.* Præcipue vero urgent auctoritatem propheticam Samuelis, qui *l.* 1. *c.* 8. *v.* 6. populi regem petentis factum detestatur: Si divinæ voluntati placuisset, ajunt, utique non improbasset, nec tantopere totque persuasionibus eos dehortatus fuisset. Iterum Gerschomides *d. l.* רצה הש״י להרחיקם מזה מפני התכלית הרע שהיה עתיד להמשך מזה וצוה את שמואל להגיד לישראל את משפט המלך כדי שיסורו מזה בסבת הקושי אשר יהיה לעם לסבול כל אלו הדברים שזכר שיהיה מושל המלך עליהם עד שיהיו לו לעבדים: *voluit* Deus *benedictus illos elongare inde propter clausulam malam, quam futurum erat ut traheret secum. Ideo mandavit Samueli, annunciaret Israelitis Jus Regis, ut recederent ab occasione difficultatum, quas oporteret populum ferre, in omnibus quorum mentionem fecit: quodve dominaturus esset eis Rex, asque dum evaserint ipsi in servos.*

Sed omnes has exceptiones valide prosternit solum (7) *Dei* mandatum *Deut.* 17. 15. quod utique non arbitrarium est, sed maxime serium, ideoque verbi reduplicatione inculcatum שום תשים עליך מלך *ponendo pones super te Regem.* Nec id derogat libertati gentis; quia non pro lubidine sua, sed ad normam Mosaicæ legis eos gubernare debuit. Si quando autem exorbitarunt, ea non officii sed personæ culpa erat, ob quem dominationis abusum, usus ejusdem legitimus minime tollendus. Mala quædam, fateor, causati sunt per Accidens; per Se vero etiam plurima bona. David vir juxta cor Domini hostes devicit, cultum Dei ordinavit, Sacerdotes, Levitas, Cantores instruit, psalmos composuit. Successor Salomo templum ædificavit, parabolas edidit, pacem in toto regno conservavit, ut quilibet sub vite & ficu securus dormire potuerit. Majus est hoc regni beneficium, quam quod satis prædicari queat, nec prius intelligitur quam amittatur. Zeror hammor *pars Schoph. col.* 3. אלמלא מוראה איש את רעהו חיים בלעו *nisi authoritas* (*publica*) *esset, vir proximum suum vivum deglutiret:* quod verissimum apophtegma *cap.* 3. *Pirk. Afot* Chananiæ Pontifici tribuitur, una cum hac admonitione præfixa הוי מתפלל בשלומה של מלכות *orans esto pro salute regni.* Quod vero Samuelem attinet, non is populum increpabat, quia Regem peterent, sed quia non legitime peterent, ut cordatus noster Maimonides prudenter explicat, *Hal. Mel. c.* 1. *v.* 3. מאחר שהקמת מלך מצוה למה לא רצה הקב״ה כששאלו מלך משמואל לפי ששאלו בתרעומת ולא שאלו לקיים המצוה אלא מפני שקצו בשמואל הנביא שנ׳ כי לא

אותך מאסו כי אותי מאסו: *Postquam constitutio Regis præcepta, cur noluit* Deus O. M. *cum rogarent regem a Samuele? quia rogarunt ex indigna murmuratione, neque ut satisfacerent mandato, sed quoniam fastidiebant Samuelem prophetam, sicut dicitur* (1. Sam. 8. v. 7.) *non te sed me reprobarunt*. Discrepant quidem in eo Rabini, quænam fuerit præcipua culpa populi: num quod Deo diffisi? an Judicum pertæsi Samuelem spreverint? vel quod desiderarint talem rationem status, qualis inter gentes? aut quod ad religionis mutationem petierint? sed in eo satis consentiunt, *aberrasse tantum in forma, non jure petendi*. (8) R. David Kimchi ad *h. l. Samuelis*: בדברי רבותינו ז״ל מחלוקת מהם אמרו למה נענשו על שהקדימו ככל הגוים ומהם אמרו לא בקשו להם מלך אלא להעבידם ע״ז ומהם אמרו זקנים שבהם כהוגן שאלו שנ׳ שימה עליוו מלך לשפטנו ועמי הארץ שבהם קלקלו שנ׳ והיינו גם אנחנו ככל הגוים: *est in verbis Magistrorum nostrorum p. m. dissensio: sunt qui dicunt, ideo mulctatos esse, quod præfici voluerint sicut omnes gentiles: alii, quod postulaverint regem ad colendum idola: nonnulli, quod seniores quidem rogarint ut decuerit, sicut dicitur* (vers. 5.) *impone nobis Regem, qui judicet nos; at vulgus e fece plebis spreverint* (*scil. consuetum modum gubernandi*) *ut dicitur* (vers. 20.) *simus etiam nos ut ceteræ gentes*. Et paulo anterius: כי אילו אמרו תנה לנו מלך שישפטנו ביושר ובאמונה לא היה הדבר רע בעיני שמואל שהרי הכתוב מעיד כי בניו לא היו שופטים ישרים או אילו אמרו נביא לפניך ותשפטנו אתה כל ימי חייך אחר שאין אתה יכול לתיר על המקומות היו אומרים טוב. או אם אמרו במנה בעצתך מלך עלינו אחר שאתה זקנת והמלך ישפטנו ויוכיחנו ויהיה מוראו עלינו לשמור דרך יי׳ זו השאלה היתה טובה. אבל כשאמרו שימה לנו מלך זה היה רע ומיעוט בטחות ביי׳ ועוד שאמרו ככל הגוים והם לא היו צריכים ככל הגוים אם היו שומרים דרך יי׳ כי הוא לוחם את מלחמותם וכו׳: *si dixissent, da nobis regem qui judicet nos recte & fideliter, non displicuisset Samueli, ecce enim scriptura testatur, filios ejus fuisse judices malos* (1. Sam. 8. v. 3.) *aut si dixissent, prophetare tu, & judica nos tu cunctis diebus vitæ tuæ, quamdiu vales circuire ad loca, bonum fuisset. Aut si rogassent, constituatur tuo consilio Rex super nos, posteaquam tu consenuisti, & is judicet atque arguat nos, coherceat nos timor ejus, ut servemus viam Domini? etiam talis petitio fuisset justa. Sed quia postulant, impone nobis Regem! malum fuit parvæque fiduciæ in* Deum: *præsertim quoniam addiderunt; sicut omnes gentiles, non enim indiguissent ut aliæ gentes, si custodiissent vias Dei, qui pro ipsis gerit bella sua &c.* (9) Ralbag *ibid.* הנה טעו בזה כי ישראל אינם באופן שישפוט להם המלך לפי מה שירצה כמו הענין כמלכי הגוים שמיסרים לעמים נמוסים כאשר יעלה על רוחם: *ecce in hoc errarunt, quod Israelitarum conditio non est, ut judicet eos Rex aliquis pro sua voluntate, ut imperatores gentilium, qui sanciunt populis suis leges; quascunque animis concipiunt.*

N O T Æ

In Theorema primum.

(1) משפט המלך *Jus regium*. Titulus libri ex 1. *Sam VIII.* 11. desumtus est, quo loco Samuel *Dei* jussu populo Israelitico Regem postulanti משפט המלך *Jus Regium* exponit. Quod quidem quamplurimi de *jure usurpativo, & more atque consuetudine Tyrannorum* interpretantur, licet non invita Scripturæ phrasi, cum nomen משפט sæpius *morem & consuetudinem* designet *Gen. XL.* 13. *Jud. XVIII.* 7. 1. *Sam. II.* 13. *XXVII.* 11. *Reg. XI.* 14. *&c.* reclamante tamen contextu, ne a proprio & famosiori vocis significatu, qui a שפט *judicavit*, infert *jus verum, legitimum & diximus concessum*, recedamus. Id quod ex instituto contra Monarchomachos multis argumentis probatum dedit D. Wandalinus *toto libro I. de Jure Regio* ἀνυπευθύνῳ *cap. II. & seqq.* qui & catalogum texuit auctorum, tum pro *Tyrannico Dominio cum injuriis conjuncto*, sive *illicito Regum more & consuetudine* vocem accipientium, *pag.* 9. 10. 11. tum & illorum, qui de *Jure Regio divinitus confirmato* explicant, *cap. VII. p.* 49. *seq.* Illis adde Gisb. Voetium *part. IV. Disp. select. p.* 214. *seqq.* plures adhuc Auctores recensentem *p.* 218. 219. His Dn. D. Calovium *in Bibl. Illustr. ad* 1. *Sam. VIII.* 10.

(2) *Dei mandatum*. Dubitant de hoc non pauci, conferendo cum *Deut. XVII.* 14. in quo mandatum divinum contineri putat Auctor, loca 1. *Sam. VIII.* 4. & c. *XII.* 17. ubi *Deus* offensus describitur, quod Israelitæ sibi Regem eligendum petiissent. De quo mox plura.

(3) *Tres res injunctæ*. Habetur hæc traditio in ipso Talmude Gemar. Babil. *Massech. Sanhedr. fol.* C. *col.* 2. & in Beth Israel *part. II. fol. CLVIII. col. I.* e quo posteriori cum versione eam paulo plenius recensuit Jo. Coccejus *excerpt. Gemar. Sanhedr. p.* 176. 177.

(4) *Mosche ben Maymon*. Idem Maimonides præceptum hoc de rege eligendo inter sexcenta illa & tredecim numerat, ibidemque eandem hanc traditionem repetit *in libro hammizvos, præcept. affirm. CLXXIII. fol. LXXII. col.* 1. editionis novissimæ, quæ cum gemino Commentario *R. Mosis bar Nachman*, & R. *Isaaci de Lion*, e Synagoga Amstelodamensi nitidissimis typis prodiit Anno 420. i. e. Christi 1660. Sequitur suo more R. Mosche Mikozi *in sepher Mizvos gadol*.

(5) *De triplici corona*. Nullibi non in Hebræorum scriptis, potissimum *in Medraschim*, triplicis

hujus

hujus coronæ mentio: unde & dictum R. Simeonis *in Pirkè Abbôs cap. IV. num.* 13. celebratum: שלשה כתרים הם כתר תורה וכתר כהונה וכתר מלכות וכתר שם טוב עולה על גביהם *Tres sunt coronæ, corona legis & corona sacerdotii, & corona regni; sed eas omnes superat corona boni nominis*. Imo titulos librorum hinc mutuati sunt R. David Vital, R. Joseph Askenasi, & R. Salomo ben Gabirol, quorum hic meditationes suas de *Dei* mirabilibus (quas cum versione Latina Romæ Anno 1618. edidit Franciscus Donatus,) כתר מלכות *coronam regni*; illi explicationes suas in 613. præcepta כתר תורה *Coronam legis* inscripserunt. Quæ Cabbalistæ alias de *unica Corona*, quæ inter decem Sephiros in arbore Cabbalistica prima & suprema est, ut & de *septuaginta coronis*, quas *Deus* capiti justi cum osculo imponat tradunt, alterius sunt loci. Harum meminit R. Israel ben Mosis *in dabar chadasch, cap. XXXV. f. XLVI. col.* 1. De illa vide Rittangelium *in versione & Notis ad libr. Jezirah, passim*.

(6) *Non desunt inter Judæos*. Tres hic recensentur Rabbini, Bechai, Rabba bar Nachmoni, & Levi ben Gersom, qui negent *Dei* mandatum fuisse unquam ut Israelitæ sibi regem eligerent. Rationes urgent 1. *a statu regiminis Theocratico*, quo gaudebant, ut Rege terreno minus indigerent. 2. *a libertate ipsorum*, cum qua terreni Regis imperium pugnabat. 3. *Ab eventu*, qui plurima mala Reges jam electos attulisse testatur. 4. *a reprehensione divina* 1. *Sam. VIII. 6.* quam non incurrissent Regem postulantes, si *Deus* electionem mandasset. His suo modo annumerandus R. Isaac Abarbanel, tum *Comm. in Legem*, *Parasch. Schophtim*, *fol. CCCLXVII. seqq.* tum *Comm. in* 1. *Sam. VIII. fol. XLVI. seq.* ad quem in priori illo provocat, utpote prius scriptum, ubi בהרחבה רבה *magna*, ut ipse loquitur, *prolixitate* hanc quæstionem expedivit, dignus qui diligenter conferatur, postquam utrumque hunc discursum illius latinitate donatum omnibus legendum obtulit Buxtorfius, & novæ Dissertationum suarum Philologico-Theologicarum editioni cum aliis ex Abarbanele excerptis addidit *Dissert. II. p.* 423. *usque ad p.* 450. Ejus sententiam amplexus est, & propugnavit V. CL. Jo. Frischmuth, Professor Jenensis *erudito libro de Rege eligendo & deponendo ante hos viginti annos edito*, quem immerito suggillavit Seldenus *lib. III. de Synedr. Vet. Hebr. c. XII. p.* 195. Longe æquius judicium de eo tulit Voetius *part. VI. Disp. Select. p.* 228. ubi *egregium hoc scriptum* (sunt verba ejus) *lectori istarum rerum avido commendat*.

(7) *Dei mandatum Deut. XVII. 15.*) Omnes interpretes, cum Christiani, tum Judæi, in conciliando hoc loco, in quo mandatum de rege eligendo contineri vulgo putant, cum illo altero 1. *Sam. VIII. 5. seqq.* in quo postulata Regis electio reprehenditur, desudant & varias conciliandi vias inierunt. R. Menasseh ben Israel *in Conciliator. Deut. q. VI. p.* 225. *seqq.* octo sententiis Veterum, quas late tradit, suam subjicit, quarum plerasque similiter præmiserat R. Abarbanel a Buxtorfio *l. cit.* recensitus, & a Frischmuthio *de Rege eligendo & deponendo* interpolatus, antequam suam ipsiusmet exponeret. Quosdam etiam refert Schotanus *Tom. II. Bibliothec. Hist. Sacr. V. T. fol.* 557. 558. Omnes & singulæ si accuratius pensitentur, ad duos conciliationum fontes reduci possunt. Vel enim 1. in loco *Deut. XVII.* 15. agnoscunt mandatum *Dei*, & hi in altero Samuelis loco Israelitas non ipsa regis petitione, aut in jure petendi, sed in procedendi modo aut aliis circumstantiis aberrasse contendunt. Vel 2. negant in priori loco contineri mandatum, & hi facilius omnem Israelitarum conatum, ipsamque adeo petitionem peccati arguunt. Qui præceptum fuisse dicunt, eligere Regem, & *priorem conciliandi rationem* probant, in partes iterum discedunt, & in determinatione peccati Israelitici discrepant. *Quidam* enim in Israelitarum animo & intentione peccatum quærunt, & quod malo fine Regem petiissent, non ut mandatum *Dei* exequerentur, sed ut ducem ad idololatriam haberent: ita Veteres in Siphre & R. Neorai in Jalkut adductus. *Alii* in forma regiminis & ratione status, quam desiderassent, & quod cupiissent Regem, a quo ad modum cæterarum gentium (id enim expresse addunt Samuelem adorti,) regerentur: Ita Veteres in Tosiphta Sanhedrin, quos R. David Kimchi & R. Levi ben Gersom sequuntur. *Nonnulli* peccasse dicunt, quod judicandi provinciam Judicibus demandatam futuro Regi, cui solam bellorum administrationem *Deus* decrevisset, imponendam voluissent: ita Rabbenu Nissim in draschos. *Alii*, quod verbis turbidis & cum querelis, tædio Samuelis adversus ipsum murmurantes, Regem poposcissent: ita uterque Moses, Maimonides Ægyptius, & Nachmanides Gerundensis: *Quidam*, quod Regem absolute petiissent, neque rem tanti momenti, *Dei* aut Samuelis arbitrio demandassent: ita R. Menasseh ben Israel. *Quidam* denique, quod regem intempestive postulassent, siquidem *Deus* Regis electioni certum destinasset tempus, ut primus omnium esse David, unde nec Saulis imperium constans esse potuerit: ita Cabbalistæ. Atque huic priori conciliationi Schickardus noster inhæret, parum de his discrepantiis sollicitus, sed sufficere ratus, *increpatum a Samuele populum, non quia Regem peterent, sed quia non legitime peterent*, quæcunque demum circumstantia, in qua aberratum, petitionem illam illegitimam reddidisset. Id quod ante ipsum & Petrus Cunæus *lib. I. de Republ. Hebr. c. XIV.* fecerat, Maimonidem cum primis secuto, & post Hugo Grotius *in annotat. ad h. l. Licebat*, inquit, *Regem expetere, sed non quo tempore inter-Regem habebant a* Deo *constitutum*. Urget noster expressa in lege *Dei* verba, inque iis reduplicationem שום תשים עליך מלך *ponendo pones super te Regem*. Contra ostendit Abarbanel, cui *posterior conciliandi modus* placet, non contineri in his verbis mandatum, sed הגדת העתיד *prædictionem rei futuræ* in Scriptura expressim nec vetitæ nec mandatæ, Deumque in his, quæ rationem mandati habeant, modum saltem definivisse illius, cujus aliquando cupiditatem Israelitas esse invasuram prævidit. Nec obstat illa verbi reduplicatio: שום תשים *ponendo pones*, quippe quæ *de certitudine futuræ constitutionis*, *sensu prophetico*, *non præceptivo* accipienda, ut monet ὁ πάνυ Calovius *in Bibl. V. T. illustrat. ad loc. cit. Deuter.* Et sane ipse Menasseh ben Israel *loc. cit.* fatetur, satis congruam verbis S. Scripturæ esse hanc Abarbanelis opinionem nec quicquam ei opponit quam *traditionem antiquorum de triplici mandato Israelitis post ingressum in terram sanctam observando*, cui tamen quantum tribuendum sit auctoritatis, nemini non constat. Probare ergo hoc Auctoris assertum non possumus, qui si vidisset Abarbanelem in textum legis ipsum accuratius inquirentem nihilque Magistrorum suorum traditiones, prout alibi quoque consuevit, moratum, quod procul dubio suam ipse sententiam fuisset mutaturus. Quamquam enim ipsam Regiæ gubernationis formam in se spectatam *Deus* in populo suo non aspernabatur, utpote qui & Abrahamo *Gen. XVII. 6.* & Jacobo *c. XXXV.* 11. Reges ex ipsorum lumbis prodituros promiserat, volueratque *Christum* e Regio sanguine nasciturum, & Regnum insuper ejus spirituale per Regiam Reipublicæ Judaicæ administrationem adumbrari; nullibi tamen, neque in citato Deuteronomii, neque in alio loco, mandatum Israelitis dederat, ut vel ipsi eligerent, vel eligendum peterent Regem, sed arbitrio & dispensationi suæ totum hoc mutandæ Reipublicæ formæ negotium reservaverat. Falsum ergo & hoc alterum assertum Auctoris, *aberrasse Israelitas tantum in forma*, *non jure petendi*. Peccarunt, inquam, Regem petendo utrobique & quoad rem ipsam, & quoad rei modum.

(8) *R. Dav. Kimchi*. Idem ad verbum his præmiserat traditionem Veterum ex Debarim rabba & Maimonide superius, *initio theorematis*, ab Auctore memoratam.

(9) *Ralbag* id est *R. Levi ben Gerson*, per rasche tebos ita dictus, idem ille quem paulo ante quasi sibi adversum adduxerat, cum tamen revera haud neget, in loco Deuteronomii esse præceptum, sed errasse Israelitas in eo, quod Regem petiissent, qualem Deus nollet, h. e. qui liberæ sit potestatis, & legibus omnibus solutus, subditisque ipse, quas vellet, leges posthabitis divinis, præscriberet, cujusmodi fuissent antiquissimi Gentium Reges. Hunc sequitur Paulus Burgensis *in additionibus*

THEOREMA II.

Jus eligendi competebat Prophetis & Synedrio magno: qui & oraculum consulebant.

STatus regni Judaici non absolute Monarchicus erat, sed (1) cum Aristocratico mixtus. Habebant enim Jerosolymis præter Regem Senatum quoque magnum, unius & septuaginta virorum, sine cujus assensu Rex in gravioribus causis nihil poterat decernere. Hujus Synedrii rationem alias, *Deo* volente, (2) peculiari libro plenius describam, quia scitu dignissima est: nunc vero quantum ad præsens institutum sufficit, pauca inde delibabo. Institutum (3) erat ab ipso Mose jussu *Dei*; & habebat duos præsides, quorum unus ratione potestatis, dignitatis & sapieatiæ, alter ætatis merito collegis præfuerat de quibus Moses noster Ægyptius *Hal. Sanhedr. cap.* I. *v.* 3. *& seqq. mihi Tom.* 2. *pag.* 733. *b.* בית דין הגדול במקדש והוא הנקרא סנהדרין גדולה ומניינן אחד ושבעים שנ׳ אספה לי ע״איש מזקני ישראל ומשה על גביהן שנ׳ והתיצבו שם עמך הרי ע״א הגדול בחכמה שבכולן מושיבין אותו ראש עליהן והוא ראש הישיבה והוא שקורין אותו החכמים נשיא בכל מקום והוא העומד תחת משה רבינו ומושיבין הגדול שבשבעים משנה לראש ויושב מימינו והוא הנקרא אב ב״ד ושאר השבעים יושבין לפני שניהם כפי מעלתם כל הגדול מחברו בחכמה יהיה קרוב לנשיא משמאלו יותר מחברו והם יושבין כמו חצי גורן בעיגול כדי שהיה הנשיא עם אב בית דין רואים כולם: *Senatus major in Sanctuario erat* in (4) *Liskat Haggazit* seu conclavi lapideo, quod in *Azara* seu Atrio profano populi; ut infra *cap.* explicat, *& vocabatur Sanhedrin magnum* (voce a Græco συνέδριω (5) deflexa, cujus etiam mentionem facit Christus Matt. 5. v. 22.) *Numerus illorum erat* LXXI. *sicut dicitur* (Num. II. v. 16.) *congrega mihi* 70. *viros de senibus Israel* (*vers. seq. separabo de spiritu tuo, & communicabo ipsis.*) *His Mose præfuerat, sicut dicitur:* (*eod. textu*) *& stabunt ibi tecum. Ecce in summa* 71.! *Qui grandior sapientia, cæteros omnes antecellebat, eum faciebant Præsidem seu caput consessus. Is ipsus est, quem eruditi ubique terrarum appellant* Nasi *h. e. Principem, isque præest loco Mosis Magistri nostri. At, qui inter septuaginta Senatores, annorum ratione natu maximus erat, eum collocabant a dextris illius, vocabantque* Abh Beth-Din *h. e. Patrem consistorii. Cæteri* 69. *sedebant ordine promotionis & dignitatis suæ; quo quisque major in sapientia quam collega suus, eo locabatur propius ad sinistram Principis. Circumsidebant autem dimidiam quasi aream semicirculariter, ut eos ambo Præsides, Princeps & pater, omnes simul in conspectu haberent.* Conveniebant (6) ibi quotidie, sed diebus Sabbathinis in Synagoga montis, & considebant a mane ad vesperam continue. Si quis autem necessario impedimento emanebat vel avocaretur, licebat abesse vel abire, sic tamen ne collegarum numerus plus justo minueretur, hoc est, minus tertia parte superesset. Initio *cap.* 3. אימתי יושבין הדיינים בדין סנהדרין קטנה ובית דין של שלשה יושבין מאחר תפלת השחר עד סוף שש שעות ביום. אבל בית דין הגדול היו יושבין מתמיד של שחר עד תמיד של בין הערבים. ובשבתות וימים טובים היו יושבין בבית המדרש שבהר הבית: אין בית דין של ע״א צריכין שהיו יושבין כולן כאחד במקומן שבמקדש אלא בעת שיהו צריכין להתקבץ מתקבצין כולן ובשאר העתות כל מי שהיה לו עסק יצא לעשות חפצו וחוזר והוא שלא יפחתו משלשה ועשרים יושבים תמיד כל זמן ישיבתן הוצרך אחד מהן לצאת הרי זה מסתכל בחביריו הנשארים אם ישארו שם כ״ג יצא ואם לאו לא יצא עד שיבא אחר: *quandiu sedent Judices in Synedrio parvo?* qualia insuper Jerosolymis (7) bina erant, unum in (8) porta Esdræ, alterum in (9) Montis porta) *& in collegio* (10) *trium virorum* (qualia passim in minoribus civitatibus) *a precibus matutinis ad finem* (11) *horæ sextæ* (quæ nostro meridiei respondet:) *At senatus magnus considebat a sacrificio jugi matutino, ad juge vespertinum,* (quibus horis quotidie duo agni mactabantur, *Exod.* 29. v. 39. scilicet prior ante Solis ortum, posterior circa horam nonam, nostram vero tertiam pomeridianam, quando jam umbræ prolongari occipiunt. *Hal. Temidin. cap.* 1. *pag.* 467. *b.*) *Diebus Sabbathinis item festivis conveniebant in* (12) *auditorio, quod erat in monte templi* (ubi tunc lex Mosaica prælegebatur. *Act.* 15. 21.) *Non necesse est ut* LXXI. *senatores in sanctuario semper omnes ad unum præsto sint, nisi quando rei gravitas omnium præsentiam requirit: alias cuicunque negotium est, exit & vacat suis rebus atque reverti-*

titur; ſic tamen ne pauciores viginti tribus continue aſſideant. Itaque ſi cui exire opus eſt, dinumerat ante ſuos collegas, ſi XXIII. *ſuperſunt, egreditur, ſin minus, expectat dum redeat alter*. Senatus ille magnus (13) cognoſcebat præcipue tantum de rebus magnis, religionem & rempubl. attinentibus, v. g. de controverſiis legalibus, anno intercalari, Pſeudoprophetis, Apoſtatis, excommunicandis; de rege, bello, fœderibus, legatis, vectigalibus publicis ædificiis, magiſtratibus inferioribus &c. quas e *cap.* 1. *Maſſichet Sanb. cap.* 1. *Maſſ. Schebuos cap.* 8. *&* 9. *M. Sotab* & pluribus locis Talmud. collegit Maymonid. *init. c.* 5. *p.* 735. *a.* אין מעמידין מלך אלא על פי בית דין של ע״א ואין עושין סנהדרי קטנה לכל שבט ושבט ולכל עיר ועיר אלא על פי בית דין של ע״א ואין דנין לא את השבט שהודח כולו ולא את נביא השקר ולא את כהן גדול בדיני נפשות אלא בבית דין הגדול. אבל דיני ממונות בשלשה וכן אין עושין זקן ממרה ולא עושין עיר הנדחת ולא משקין את הסוטה אלא בבית דין הגדול. ואין מוסיפין על העיר ועל העזרות ולא מוציאין למלחמת הרשות ולמדידת החלל אלא על פי בית דין הגדול שנ׳ כל הדבר הגדול יביאו אליך: אין דנין דיני נפשות בפחות מכ״ג שהן דיני סנהדרי קטנה בין דיני נפשות אדם בין דיני נפשות בהמה כגון שור הנסקל או בהמה נרבעת וכו׳: *Non conſtituunt regem, niſi de ſententia Synedrii M.* 71. *virorum; non ordinant judicia minora ſingularum tribuum vel urbium, niſi ex eorundem* 71. *ore: non damnant totam tribum expellendam, nec prophetam mendacem, nec pontificem capitali ſupplicio, niſi in eodem ſenatu magno. At pecuniariæ res a tribus judicantur. Non vero declarant ſenem rebellem, nec evertunt civitatem apoſtaticam*, (Deut. 13. v. 13.) *nec potant adulterii ſuſpectam* (aquis (14) amaris *Num.* 5. v. 19.) *nec ampliant urbem aut atria, nec egrediuntur in bellum poteſtatis* (de quo infra *Theor.* XXVIII.) *aut ut metiantur ſitum occiſi*, (in confinibus reperti, *Deut.* 21. 2.) *niſi de voluntate Conſiſtorii ſæpe memorati, ſicut dicitur* (Exod. 18. 22.) *quicquid magnum eſt adducant ad te. Capitalia non judicant inter pauciores quam viginti tres, quot nempe ſunt in Synedriis parvis, ſive animam hominis ſeu beſtiæ tantum attineat, v. g. ſi bos lapidandus* (Exod. 21. v. 28.) *aut jumentum ſubactum* (Lev. 20. 16.) *&c.* Propter votorum libertatem, non admittebatur (15) Rex in collegium ſenatus, (excepto Davide) at Pontifices & Prophetæ, cæteris paribus, recipiebantur. Idem *cap.* 2. §. 4. אין מושיבין מלך ישראל בסנהדרין שאסור לחלוק עליו ולמרות את דברו אבל מושיבין כהן גדול אם היה ראוי בחכמה: *non cooptant regem Iſrael in Synedrium*, (ſecus quam exiſtimat Zepperus *in LL. Moſaic.*) *quia nefas eſt ab ipſo diſſentire & contradicere verbis illius; at ſuſcipiunt Sacerdotem maximum, ſi modo dignus vel idoneus eſt qua ſapientiam*. Et in *prefat. totius operis ſtatim pag.* 2. nominatim recenſentur plurimi Prophetæ, qui Synedrio aut aſſederint, aut Moſes, Joſua, Samuel, Achias Silonites, (longævus ille, qui aliquot ſecula vixit, ſcil. ab Amram ad Eliam uſque, *Seder olam fin. c.* 1.) ipſe Elias, cum diſcipulo Eliſa, Amos, Hoſeas, Eſajas, Micha, Joel, Nahum, Habakuk, Zephanias, Jeremias, Baruch, omnes hoc ipſo ſucceſſionis ordine: item quinam Eſdræ ſacerdotis collegæ fuerint in illa celeberrima כנסת הגדולה *Synagoga* (16) *magna*, nempe Haggæus, Zacharias, Malachias, Daniel, Chanania, Miſael, Azaria, Nehemia, Mardochai, Zerubabel, pluresque alii ſuccenturiati ad CXX. uſque, quorum poſtremus Simeon ille juſtus, fatente Luthero *in Chron.* collector Talmudi, quem Syracid. laudat *cap.* 50. poſtea Antigonus Sochæus, Joſe ben Joæzer (17) Joſua f. Perachiæ, Abtalion proſelytus, Hillel vivax, cum æmulo Schammai, eruditus R. Jochanan f. Zachæi, & alii pures, quorum Apopthegmata & nomina paſſim in *Pirk. Afot.* e quibus etiam æquus ille Gamaliel, *Act.* 5. *v.* 34. penes hos igitur (18) facultas erat eligendi Reges, ut Maym. teſtatur *Hal. Mel. cap.* 1. 4. אין מעמידין מלך בתחילה אלא על פי ב״ד של ע׳ וקנים ועל פי נביא כיהושע שמינהו משה רבינו ובית דינו וכשאול ודוד שמינם שמואל הרמתי ובית דינו: *non conſtituebant Regem initio* (antequam res ad ſucceſſionem deveniret) *niſi de ſententia judicii majoris* 70. *ſenum; & ex ore Prophetæ, ſicut Joſua, quem præfecit Doctor noſter Moſes una cum collegis ſuis: & Saul atque David, quos ordinarunt Samuel & ſocii ſenatores.*

Non hic tacite prætereundus eſt admirabilis modus, quem adhibuerunt olim. Neque enim ſimpliciter in talibus per uſitatam votorum collectionem procedebant; multo minus incertæ ſorti vel auſpiciis res tantas committebant, quomodo conjurati quondam Perſæ Regem eligebant, per hinnitum equi, quem Darius de conſilio callidi cujuſdam ſervi facile & memorabili ſtrategemate procuravit, referente *Juſtino circa finem libri*. Ac in parilitate competitorum electiones etiamnum ſortitione decernendas cenſet *Schonbornius lib.* 2. *Polit. c.* 2. Sed habe-

bebant Hebræi multo tutiorem modum, quo res dubias gravesque deciderent; nempe (19) oraculum illud sacrum in pectorali Pontificis de quo Aben-Ezra præceptum electionis Regiæ *Deut.* 17. 15. interpretatur, *in gloss. marg.* sic notans: אשר יבחר על פי נביא או משפט האורים והטעם לא אשר תבחר אתה: *Quem elegerit* Dominus, *scilicet per os Prophetæ*, *vel indicio* Urim; *adeoque sensus est*, *non quem tutemet elegeris ipse*. Quale (20) autem hoc oraculum fuerit olim, non quidem prorsus constat hodie, quia dudum, & cum captivitate Babylonica expiravit; referam tamen, quid de eo prisci tradiderint, quia Latinis ignotiora esse video. *Urim* (21) & *Thummim* utique non erant aliquod opus humanæ industriæ; sed artificii divini, quod e textu *Exod.* 28. 30. non male probat Rab. Bechai *in suo Biur-al-batthora*. הזכירן בהא הידיעה ולא זכרן בשום מקום עד עתה כי לא מנאם עם יתר הכלים במלאכת האומנים שיאמר בהם ועשית את האורים וכו' והנה זה עדות שלא היו מעשה חרש כי אם מעשה שמים. ונזכרו בלשון וישכן מקדם לגן עדן את הכרובים: *nominat ea cum He demonstrativo*, *nec meminerat in ullo loco hactenus: non enim enumeravit cum reliquis vasibus in operibus artificum*, *ut dixerit de illis*, *facias Urim &c. en hoc est testimonium*, *non fuisse opus fabrile*, *sed cœleste*. *Est locutio qualis in illo* (Gen. 3. 24.) *collocavit ad orientem paradisi Cherubim*, (*quorum creationis antea non recordatur*.) Plerique opinantur fuisse characteres sacros, & mirificum *Dei* nomen, quod *Schem Hamphorasch* appellant, divino digito insculptum. R. Salomo ad h. loc. הוא כתב שם המפורש שהיה נותנו בתוך כפלי החשן: *scriptum erat arcanum* Dei *nomen* (quod 72. literis constasse creditur, prout versus 19. 20. 21. cap. 14. Exod.) *&* *insertum medietati duplicis pectoralis*. Huc quoque facit antiquissimum (21) Targum Jonathæ, Judæis magni habitum & Paulo etiam nostro lectum, quod supra dictum versum ita Chaldaice interpretatur: ותתן בחושן דינה ית אוריא דמנהרין מליהון ומפרסמין טמירן דבית ישראל וית תומיא דמשליתין בעובדי הון לכהנא רבא דתבע אולפן מן קדם יי' בהון דבהון חקיק ומפרש שמא רבא וקדישא דביה אתברין תלת מאה ועשרתי עלמיא וחקיק ומפרש באבן שמיה רבה חתם מארי עלמא פום תהומא רבא מן שירויא וכל מאן דמדכר ההוא שמא קדישא בשעת אניקי משתזיב וטמירן מגלין ויהון על לבא דאהרון בזמן מיעליה קדם יי' *ponas in pectorale judicii* Luces, *quibus illuminentur verba illorum*, *&* *revelentur arcana domui Israel*, *atque* Perfectiones, *quæ perficiant opera Sacerdotis magni*, *quando rogat doctrinam a conspectu Domini per ea*. *Nam in eis sculptum & explicatum erat nomen illud magnum & sanctum*, *quo creati sunt trecenti & decem mundi* (vel secula,) *sculptum*, *inquam*, *& expressum in lapide fundamentali*, *quo Dominus mundi obsignavit* (vel obturavit) *os abyssi magnæ* (*Gen.* 1. 2. h. e. mundum sine fulcro in magno innani firmavit) *ab initio*. *Quicunque pronunciat illud nomen sacrum in hora gemitus*, *liberatur*; *& abscondita patefiunt*. *Hæc sunto super cor Aaronis*, *tempore quando comparet coram Domino*. Absurda fortassis expositio nonnemini; sed quam ego, (23) si cum grano salis, nec Judaice accipiatur, minime contemnerem, ob reverentiam vetustatis. Videamus vero usum & qua ratione responsa dederit interrogantibus. Modus illle describitur in *Massichet Sota*; sed dilucidius eum recensuit Rambamus (24) *Hal. Kele-bammikdasch*, *circ. fin. cap. ult.* כיצד שואלין עומד הכהן ופניו לפני הארון והשואל מאחריו פניו לאחורי הכהן ואומר השואל אעלה או לא אעלה ואינו שואל בקול רם ולא מהרהר בלבו אלא בקול נמוך כמי שמתפלל בינו לבין עצמו. ומיד רוח הקדש לובש את הכהן ומביט בחושן ורואה בו בשראם הנבואה עלה או לא תעלה באותיות שבולטות מן החושן כנגד פניו והכהן משיבו ואומר לו עלה או לא תעלה. אין שואלין על שני דברים כאחד ואם שואל משיבין על הראשון בלבד ואין נשאלין בהן להדיוט אלא או למלך או לבית דין או למי שצורך הציבור בו שנ' ולפני אלעזר הכהן יעמוד וגו': *Quomodo consulunt? stat Pontifex facie sua versus arcam*, *& consulens retro illum*, *vultu ad tergum sacerdotis directo*, *rogatque*: *Ascendamne aut non ascendam?* (exemplo tribus Judæ, *Judic.* 1. *v.* 1.) *Non quærit voce clara*, *nec fluctuat cogitationibus in mente sua*, *sed utitur voce submissa*, *ac si quis oraret secum ipse solus*. *Confestim Spiritus sacer induit Pontificem*, (ex 2. *Paralip.* 24. 20.) *respicientem ad pectorale*, *in quo cernit per visionem propheticam*; *Ascende*, *aut non ascende*: *dum literæ promicant e pectorali adversius faciem suam*. *Tunc respondet Sacerdos*, *Abi vel non Abi*. *Nunquam sciscitantur de duabus rebus simul*, *aut si quis sciscitaretur*, *acciperet responsionem ad primam tantum*. (neque enim ambiguum est hoc oraculum, ut tripus Apollinis Delphici.) *Non consuluunt hic Idiotæ*, *sed aut Rex*, *aut senatus*, *aut is quo Resp. indiget*, *sicut dicitur*, (*Num.* 27. 21.) *coram Eleazaro sacerdote stabit*

bit (Josua, & interrogabit per judicium Urim. &c.) Nondum tamen hinc satis constat, quomodo responsa vel affirmativa vel negativa reddiderit hoc oraculum. Certum est, non (25) auditam esse vocem: nam is modus בת קול (26) peculiaris fuit. Nec per aures futura cognovit Pontifex, auscultando; sed cernendo, per oculorum sensus, *Dei* mentem accepit, & in hoc bene conveniunt antiqui, usas ei fuisse literas, quas in vocem significativam colligere debuerit. Ubi vero Alphabetum? in hoc variant: plerique id quærunt in gemmis pectoralis, quoniam ei nomina duodecim tribuum, arte sculptoria incisa fuisse memorantur, *Exod.* 28. *v.* 21. ad quem textum R. Bechai sic: היו שמות קדושים מכחם ידע הכהן העתיד ושמיע לכל שואל הבאות. והשמות האלא שני חלקים האחד מכחם יאירו אותיות השבטים הקבועים באבני החשן והם הנקראים אורים בהיותם מאירים לעיני הכהן והשני מכחם יבא בלב הכהן שירע להצמיד ולחבר האותיות ולהוציא התיבה מהם כוי שיהא מכוין בתשובת השאלה: *erant nomina sancta, de quorum virtute novit Sacerdos futura, & patefecit ventura roganti. Nomina illa fuerunt in duplici discrimine: uno, quod facultate sua illuminabant literas tribuum infixas lapidibus pectoralis, unde dicebantur* Urim, *h. e. luces, quod allucerent oculos Pontificis: altero, quod illorum arcana qualitate veniret in cor Sacerdotis, ut nosset combinare, & associare literas, dum conficeret dictionem ex illis, quæ apta esset pro responsione ad interrogata.* Mihi vero id non est verisimile, quia duodecim Patriarcharum nomina ראובן שמעון לוי יהודה יששכר זבולון נפתלי דן גד אשר יהוסף בנימין: (27) non totum Alphabethum exhauriunt; sed deficiunt literæ חטצק item tres finales ך ם ץ quarum tamen jactura tolerabilior (vicissim nomini Joseph HE ex nomine divino insertum, ut in universum sint quinquaginta literæ. May. *cap. præc. 9. bal. s. citat.*) Itaque non omnia significari, v. g. nomen יצחק *Isaac* ostendi non potuisset. Proinde malo (28) cum R. Abrah. Seba *in suo Zer. bam. s. h. l.* credere כי שאלת הכהן היתה נודעת באותיות שבולטות באבנים שהיו מאירות או היו השוכות ועל זה נקראו אורים שמאירים ותומים שמשלימים האותיות: *quod petitio Sacerdotis fuerit significata per literas promicantes e lapidibus, qui aut illuminabantur, aut obscurabantur; unde dictæ sint luces, quæ luxerint, & perfectiones, quæ perfecerint literas.* Hoc est, ipsa configuratio gemmarum illuminatarum inter opacas, speciem literarum exhibuerit: quomodo scilicet obsessi solent aliquando statum urbis, artificii conscio & eminus spectanti socio, per candelas varie sublatas noctu significare, de quo augustissimus (29) *Gustavus Selenus in Steganographia.* Hanc conjecturam confirmat etiam arcana quædam scriptura Cabalistarum, quam כתיבת השמים (30) *cœlestem* vocant, & proxime ad istam accedit. Nec temere jussus est Moses, *Exod.* 28. 17. illas duodecim gemmas in quatuor ternarios disponere, ut nempe varios lucidorum punctorum situ, literas omnes etiam finales repræsentare possint, in hunc vel similem modum:

ט	ח	ז	ו	ה	ד	ג	ב	א
o.o	ooo	.oo	.oo	ooo	ooo	.oo	oo.	o.o
o.o	o.o	.o.	..o	..o	..o	..o	..o	.o.
.o.	o.o	.o.	..o	o.o	..o	ooo	ooo	o.o
...	...	...	...	...	...	...	...	...

צ	פ	ע	ס	נ	מ	ל	כ	י
o.o	ooo	o.o	oo.	.oo	ooo	o..	oo.	.oo
.o.	ooo	.o.	o.o	..o	o.o	ooo	..o	..o
ooo	ooo	o..	.o.	.oo	.oo	..o	.oo	...
...	...	...	...	...	...	.o.	...	...

ץ	ף	ן	ם	ך	ת	ש	ר	ק
o.o	ooo	.oo	ooo	ooo	ooo	ooo	oo.	ooo
.o.	ooo	..o	o.o	..o	.oo	ooo	..o	.oo
.o.	..o	..o	ooo	..o	o.o	.o.	..o	.o.
.o.	..o	..o	...	..o	...	...	...	...

unde natas esse puto Geomanticas figuras, ex situ projectilium, nescio majori impietate dicam an vanitate, a curiosis hominibus elicitas.

Lucrum	*Damnum*	*Lætitia*	*Tristitia*	*Fortuna major*	*Fortuna minor*	*Albus*	*Rubeus*
. .	.	.	. .	. .	.	. .	. . &c.
.	. .	. .	. .	. .	.	. .	.
. .	.	. .	. .	.	. .	.	. .
.	. .	. .	.	.	. .	. .	. .

Solet enim infernalis (31) ille Simius, ut ſuperſtitionibus irretiat incautos, magnalia *Dei* æmulari, & quod proverbialiter dicunt, juxta templum Domini fana ſua paſſim extruere. Hoc oraculum diu quidem in *Dei* populo duravit, non tamen ſemper & omnibus pro lubitu ſuo reſpondit: unde Saul repulſam paſſus, tandem e Saga ſciſcitatus legitur 1. Sam. 28. v. 6. *Conſulit Saul Dominum, ſed non reſpondit ei nec per ſomnia; neque per* Urim, *neque per Prophetas, tunc dixit, quærite mihi mulierem peritam Pythoniæ artis, &c.* quæ a Rabinis (32) uxor cujuſdam Zephaniæ, & Abneris capitanei mater fuiſſe traditur; atque præter verum Samuelem Moſen quoque excitaſſe, Magiſtratuum habitu, quo ſepulti fuerint, comparentes, ac præter morem ejuſmodi ſpectrorum, non capitibus ſed pedibus inſiſtentes, verum trepidos, quod ſe jam ad judicium evocari metuerent, quos ipſa Phythoniſſa tantum viderit, Saul tantum audiverit, comites vero Abner & Amaſa prorſus non ſenſerint: quæ prolixus nunc afferre, alienum eſſet. In ſecundo (33) templo defecit hoc oraculum, & quamvis Pontifex etiam tunc ſplendidiſſime veſtiebatur, (quod ex Joſephi *lib. Antiq.* præſertim Alexandri hiſtoria conſtat) tamen (34) uſum pectoralis hujus minime habebat, quod veteres unanimiter fatentur. Raſchi *ad eſdr. cap.* 2. *v.* 63. מצינו בפרק ראשון של יומא שהיה בית שני חסר מאורים ותומים: *invenimus in capite primo libri Joma, quod domus ſecunda deſtituta fuerit oraculo Urim & Tummim.* Ab. Ezra *ibid.* האורים שעשה משה נגנזו ולא נעשו עוד אחרים תחתם: *Urim quæ inſtituerat Moſes, recondita ſunt, neque ſubſtituta hactenus alia pro illis.* Erat hæc jactura communis cum aliis quatuor rebus pretioſiſſimis, R. D. Kimchi *ad Hagg.* 1. *v.* 8. חמשה דברים חסרו מבית שני ארון ואורים ותומים ואש העליונה ושכינה ורוח הקדש: *quinque* (35) *res deſiderabantur in domo poſteriori, Arca,* (*fœderis*, cum incluſis tabulis Decalogi, urna mannæ & baculo Aaronis refloreſcente, *Hebr.* 9. *v.* 4.) *Urim Tummimque, Ignis ſuperior* (vel ſacer, ad differentiam alieni ſeu profani, *Lev.* 10. *v.* 1. qui primum cœlo delapſus, fovebatur continue, uſque ad captiv. Babylonicam, ſub dio nullis unquam imbribus extinctus, *Pirk. Aſ. c.* 5.) *habitatio divina* (præſentiam ſuam ſenſibiliter demonſtrans, ut olim nube vel ignis columna, *Spiritus ſacer*) qui Prophetas integris ſenſibus afflabat, non per obſcuras viſiones.) Quod interpretes Hebræi ad vocem illius textus אכבד *bonorabor* notant, non ut inde probent, (quod pius (36) quidam vir imperite ſuſpicatur & inde Rabinos præter meritum exagitat) ſed ut rei notiſſimæ & alibi probatæ, ſuo more סימן (37) *ſymbolum memoriale*, in recordationis facilioris ſubſidium pararent. Reſtitutionem hujus Urim, Judæi adhuc dum expectant, e *d. l. Eſdræ* & repetito *Nehem.* 7. *v.* 65. ubi promittitur *Sacerdos cum Urim & Tummim, qui familiarum diſcrimina ſit indicaturus, & omnino nondum ſurrexerit.* R. Salomo (38) de ימות המשיח *diebus Meſſiæ* accipit. Nobis forte non ineptum eſt diu (39) ſperatæ converſionis ipſorum argumentum. Ignoſcat benevolus lector, quod electionis occaſione longius huc (40) digreſſus ſum: nunc in regiam viam redibo.

N O T Æ.

In Theorema ſecundum.

(1) *Cum Ariſtocratico Mixtus.* Quid Politici de ſtatu Reipublicæ mixto diſputent, quem dari nonnulli negant, alii affirmant; paſſim traditur, & pleni ſunt de hac materia omnes libri, qui in hoc genere ſcripti prodierunt. An autem ſtatus regni Judaici ita, uti eum hic deſcribit Auctor, ex Monarchia & Ariſtocratia mixtus fuerit, ut ſine aſſenſu Magni Senatus unius & ſeptuaginta virorum Rex in gravioribus cauſis decernere potuerit nihil? negat contra noſtrum Friſchmuthus *citato libro* §. LXXII. cum late probatum dediſſet, ſummam undiquaque poteſtatem habuiſſe Hebræorum Regem, & in omnibus,

bus, ut R. Abarbanel *præf. in lib. Judic.* ait, כפי היכולת המוכלט *pro absoluta potestate* decrevisse & judicasse. Confer eundem *inde a* §. *XLV. & seqq.* expedientem ex instituto quæstionem illam: *cujusmodi regnum Israelitarum fuerit, & num ad speciem aliquam regnorum ab Aristotele* 3. Politic. c. X. *memoratorum quadret?* Alias non ejusdem modo cum Schickardo sententiæ est Bonav. Corn. Bertramus, sed insuper præter Aristocratiam Democraticæ quoque potestatis aliquid admixtum habuisse Regum politiam censet *de Republ. Judaic. c. XI. p.* 149. *edit. Const. L'Emper.* Quæ vero Carol. Sigonius *lib. I. de Rep. Hebræ. V. p.* 40. *seq.* & Jo. Steph. Menochius *lib. I. de Rep. Hebræ. c. I. qu. VI. f.* 5. de forma regiminis sub Regibus Israeliticis tradunt, vulgaria sunt, etsi ille ad simplicem Monarchicam magis deflectat, hic autem ad mixtam &, ut ipse loquitur, *mitem admodum, atque sic temperatam, ut graviora negotia inconsulto pontifice conficere non liceret, cujus ipsum responsis stare, & morem gerere oportuerit*: quod facile subolere licet, qua fini ab hoc Jesuita statuatur.

(2) *Peculiari Libro*. Sed eum mors Auctoris, lue pestifera cum magno rei literariæ damno extincti, ann. 1635. æque ut cæteros præclaros viri conatus, intercepit, hunc tamen defectum compensavit postea Jo. Seldenus, Anglorum, summus virtutis, & eruditionis Schickardianæ admirator, editis tribus libris omnigena doctrina refertis *de Synedriis Veterum Hebræorum*, quorum tertio & ultimo ipse prius etiam, quam absolvisset, pridie Kal. Decemb. anno 1655. immortuus est. Cujus meditationes jam Anno 1629. anteverterat doctissimus tunc adhuc juvenis Johannes Coccejus versione *tituli Thalmudici Sanhedrin*, & Excerptis ex Gemara *in Beth Israel* comprehensis, itidem translatis & annotationibus illustratis, quæ satiare abunde animum harum rerum cupidum poterunt.

(3) *Institutum ab ipso Mose*. Ita Rabbini ad unum omnes Synedrii magni constitutionem ad Mosen referunt; eaque est communis & pervulgata Christianorum quoque sententia. Videantur Seldenus *lib. II. de Synedr. c. IV.* §. *II. p.* 109. Cunæus *lib. I. de Rep. Hebr. c. XII. p.* 93. Paulus Fagius *Not. ad Num. XI.* 16. Jos. de Voisin *observ. ac proœm. Pugion. fid. f.* 14. *seq.* Galatinus *lib. IV. de Arcan. Cathol. ver. c. V. f.* 198. *edit. recentiss.* Leusdenius *Philol. Hebræo Mixt. Diss. XLVI. p.* 317. Sigonius *lib. VI. de Reb. Hebr. c. VII. p.* 310. Menochius *lib. I. de Rep. Hebr. c. VI. q. V. f.* 39. Baronius *Annal. ad ann. XXXI.* &c. Tria autem scripturæ loca sunt, in quibus hi Synedrii natales quæri solent: unus *Exod. XVIII.* 22. de quo R. Abarbanel: בית דין הגדול כפר צוה עליו יתרו בעצמו במה שאמר ושפטו את העם בכל עת והיה כל הדבר הגדול יביאו אליך וכל הדבר הקטון ישפטו הם הרי לך שיהיה שם בית דין ראשון שרי האלפים ושרי המאות השופטים כת העם ובים דין העליון עליהם והוא מר״עה *De Synedrio magno pridem monuerat Jethro sua sponte, cum diceret: Judicabunt populum omni tempore, eritque ut rem omnem majoris momenti deferant ad te, rem vero minorem omnem judicent ipsi. Ecce tibi Synedrium ibi primum, Chiliarchas, & centuriones judicantes promiscuam plebis catervam; & Synedrium supremum super iis, ipsum scilicet Mosen Magistrum nostrum*. Alter est *Num. XI.* 16. de quo R. Bechai: אם תשאל הדבור מה היה אפשר שהיה במשפט סנהדרין שיהיה הנשיא על ע׳ ואב בית דין יושב לימינו ושהיו כל שאר הסנהדרין יושבים לפני שניהם ושיהיו יושבים כחצי גרן עגולה *si quæras, quis sensus sermonis* Num. XI. 16. *sit fortasse sermo est de judicio Synedrii, ut ipse* (Moses) *sit Præses seu princeps super LXX. ad cujus dextram sedeat Pater Synedrii, & cæteri Synedrii assessores omnes sedeant coram hisce duobus dimidiam quasi aream semicirculariter*. Ultimus *Deut. XVII.* 8. *& seqq.* in quo sedem propriam instituti Synedrii reponit Abarbanel, cujus *ad h. l.* eadem pene verba, quæ ex Mose Ægyptio Auctor noster hic adduxit. Imo Bertramuus *de Republ. Judaic. c. V. p.* 50. *seq.* non contentus vetustissima hac Synedrii Origine ulterius inde ex Ægypto natales ejus derivat, jam dum Israelitæ זקנים *Seniores* suos habuerint, quos missus in Ægyptum Moses accedere jubebatur *Exod. III.* 16. Horum ergo numerum statuit septuagenarium, adeoque non demum a Deo in deserto institutum, sed continuatum, sicuti alia quamplurima apud Patres usitata *Deus* ad montem Sinain potius confirmarit, quam innovarit. Etsi vero trita hæc & omnium pene consensu asserta est de Synedrio jam Mosis tempore fundato aut constituto opinio; Frischmuthius tamen *in sæpius jam laudato libro*, postquam *inde a* §. *LIII.* in natales illius paulo accuratius inquisivisset, tandem §. *LX.* aliquot argumentis negat, Judicum, Samuelis & Regum temporibus Consessum illum Synedrialem extitisse, & ortum ejus demum ad tempora Esræ & ceterorum, ex Babylonica Captivitate redeuntium refert, quod ante ipsum jam asseruerat Herm. Conrigius *de Rep. Hebr.* §. *XXXVII.* quin & ante utrumque Dionysius Petavius *lib. II. de doctrina temporum c. XXVII. f.* 156. ne illam quidem originem agnoscebat, sed arcessebat a Gabinio demum, qui a Pompejo in Judæam missus, restituto Hyrcano, populoque in quinque partes distributo, totidem constituit Synedria, summum Jerosolymis, cætera Gedaris, Amathunte, Jerichunte & Samphoris quam ad rem testem laudat Josephum *lib. XIV. Antiq. Jud. c. X. & lib. I. de bello Jud. c. VI.* Cæterum Benedictus Pererius *de Benedict. Patriarchar. num. marg. LXXXIII. & seq.* prorsus dubitat an unquam fuerit in Hebræorum Republica tale Concilium? sed impugnatur a socienno suo Menochio *loco supra citato*, ubi plures auctores, Abulensem, Serarium, Pinedam, Martinum del Rio, Cornelium a Lapide aliosque de eo legendos laudat. Videatur ipse, qui vidit aliquid, sed non perspexit.

(4) *Liskat Haggazit*. לשכת הגזית dicebatur conclave ex quadratis, cæsis & politis lapidibus extructum, siquidem גזית *cæsum ferroque politum lapidem* designat 1. *Reg. V.* 17. ubi Targum habet אבנין פסילין *lapides dolati*: & *Amos V.* 11. mentio בתי גזית *domorum quadro lapide constructarum*. Erat conclave hoc certe Regium Palatium ad Synedrialem hunc Consessum in templo Jerosolymitano præparatum; de quo Gemara Messech Joma *Cap. II. fol. XXV. col.* 1. לשכת הגזית כמין בסיליקי גדולה היתה *Liskathaggazit, hoc est Conclave saxis politis insigne speciem magnæ basilicæ referebat*. Clarius R. Salomo ben Virga *in Schebet Juda f. XLIII. col.* 3. ושם בית נקרת לשכת הגזית ומי שלא ראה בנייניה אמרו שלא ראה מעולם בנין מפואר קדוש quorum verborum sensum luxuriante stylo expressit Georg. Gentius *in Histor. Judaic. p.* 362. *Hic famosissima, & toto terrarum orbe celebratissima fuit illa Senatorum curia quam Hebræi sua lingua* Liskat Haggazith *appellare consueverunt: cujus ædificii tantus splendor, tantaque magnificentia fuit, ut totus terrarum orbis nihil illi simile aut secundum habere videatur*. Quod vero addit, fuisse *in Azara seu atrio profano populi*, id ex eadem Gemara discimus, sic esse accipiendum, ut dimidia ejus pars sancta, dimidia vero profana æstimetur, licet בתוך העזרה *in Medio atrii* extructum. Sic enim ibi: לשכת הגזית חציה בקודש וחציה בחול וש״מ שני פתחים היו לה אחד פתוח בקודש ואחד פתוח בחול *Conclavis hujus ex cæsis lapidibus extructi pars una media erat in sancto, & altera media in profano, & hinc una disces, quod duas habuerit portas, unam in sancto apertam, alteram apertam in profano*. Ratio mox ibidem additur: אין ישיבה בעזרה אלה למלכי בית דוד בלבד *Non conceditur sessio in atrio templi, nisi Regibus de domo Davidis tantum*: id quod paulo plenius tradit R. Obadias de Bartenora *sub finem Comment. in Mass. Middoth fol. CCCXCV.* qui videatur. Quæ alias de hoc conclavi observari possent, jam late exposuerunt Constant. L'Empereur *ad Codd. Middoth p.* 181. *seqq.* Seldenus *lib. II. de Synedriis c. XV.* §. *IV. p.* 611. Ligtfooth *Centur. Chorogr. c. XXXI. p.* 63. ne alios fere innumeros memoremus. Saltem hoc memorabile profecto & ad illustrandum locum *Gen. XLIX.* 10. oppido proficuum adhuc observatur, in medio Conclavis hujus sceptrum pependisse, de quo post Galatinum *lib. IV. de Arcan. Cathol. verit. c. V.* videatur Petr. Cunæus *lib. I. de Rep. Hebr. c. IX. p.* 76. Sed & illud monendum, non videri, quod multis contendit laudatus modo Seldenus *l. c. p.* 615. *seq.* idem hoc conclave esse, quod Johannes *Cap. XIX.* 13. vocat λιθόστρωτον. Non enim

enim Pilatus Romanus Præſes in templi atrio, in quo erat hoc conclave lapidibus politis inſigne, judicia ſua exercebat, ſed ante domum ſuam, ubi, ſi Adrichomio *deſcript. Urbis num. CXV.* fides habenda, *editus & judicio accommodatus locus* erat. Neque eſt, quod nomen λιθόστρωτον quod Sebaſt. Caſtalio *lapidipavium* vertit, quemquam moveat, ſiquidem plura erant id genus loca Jeroſolymis lapidibus ſtrata, qualis & *Parhedrorum domus* לשכת בית האבן *conclave lapidum* vocata: quo nomine omnia loca lapideo pavimento conſpicua venire poterant. At illud λιθόστρωτον Pilati Jeroſolymitanis non proprio quaſi nomine לשכת הגזית *conclave exquiſiti & politi lapidis*, ſed גבתא *Gabbatha* a ſitu ſublimiori dicebatur.

(5) ΣΥΝΕΔΡΙ'ΟΙ. De vocibus *Sanhedrin*, *Sanedrin & Sanedrioth* è Græcorum Σύνεδρος, Συνέδρια, Συνέδριον late diſſerit Seldenus *l. II. de Synedr. c. IV. p.* 105. *ſeqq.* quo cum conferatur Buxtorf. *Lex Talm. f.* 1513.

(6) *Conveniebant ibi &c.* Hæc & ſequentia ex Maiemonide allata lucem majorem accipient ex annotatis Cocceji *ad Excerpt. Gemaræ Sanedr. c. X. p.* 298. 299.

(7) *Bina*. Quodlibet horum judiciorum XXIII. adſeſſoribus conſtabat, unde etiam בית דין של עשרים ושלשה *Synedrium vigintitriumvirale* vocabatur, ſicuti magnum illud בית דין של שבעים ואחד *Synedrium ſeptuaginta-unius virale*. Præter Magnum igitur & ſummum in conclavi ex cæſo lapide ſtructo conſidens, bina minora viginti-trium-viralia, qualia in ſingulis Iſraelitarum civitatibus erant conſtituta, ſuo quodque loco conveniebant Jeroſolymis, Miſchna *Maſſ. Sanhedrin c. X. §. II.* שלשה בתי דינין היו שם אחד שיושב על פתח הר הבית ואחד יושב על פתח העזרה ואחד יושב בלשכת הגזית. *Tria Synedria fuerunt illic, unum quod ſedebat ad portam montis templi, alterum ſedens ad portam atrii, & ultimum ſedens in conclavi cæſi lapidis*. Videatur Gemara ad hanc Miſchnam.

(8) *Porta Eſdræ*. Non, inquam, *Eſdræ*, ſed *Haſaræ*, ſeu uti ſuperius hanc vocem pronunciabat, *Azaræ*. Hebr. פתח העזרה *porta atrii*, qua intelligitur שער מזרחי של עזרת ישראל *porta orientales atrii Iſraelis*, exponente R. Joh. Tobh *in deſcriptione Templi ad lit.* א״י. Hæc verſus dextram adjunctum habebat לשכת פנחס *conclave Pinehas*, verſus ſiniſtram לשכת עושי חביתין *conclave fingentium in ſartaginibus*; illinc reſpiciebat in ulteriori parte atrii *conclave cæſi lapidis*: hinc *conclave ſælis*.

(9) *Montis Porta*. R. Obadias de Bartenora *ad Miſchnæ loc. cit.* פתח הר הבית הוא שער מזרחי שלפנים מן החיל לפני עזרת נשים *Porta Montis eſt porta Orientalis, quæ pone ſe habebat antemurale, ante ſe vero atrium mulierum*.

(10) *Collegia Triumvirorum*. Erant enim סנהדריות הקטנות *Synedria minora* duplicia, *Vigintitriumviralia*, qualia bina poſt ſummum illud, ut vidimus, Jeroſolymis, unum in ſingulis urbibus, quibus centum & viginti minimum familiæ erant, conſidebant; & *triumviralia*, in iis locis, cujus familiæ non aſſurgebant ad hunc numerum, quos per *minores civitates* noſter intelligit. R. Moſes Mikkozi *præcept. affirm. XCVII. f. CLXXXVI.* & R. Majemon. *Hilk. Sanhed. c. I. num. III.* עיר שאין בה מאה ועשרים מעמידים להם ג׳ דיינין. *In urbe, in qua non ſunt centum & viginti patres familias, conſtituunt tres judices*.

(11) *Horæ ſextæ*. Minora Synedria ſex horas ordinarie impendebant judiciis habendis, a prima nempe diei, qua preces matutinæ fundebantur, uſque ad meridiem. Summum vero ad nonam uſque diei horam, quæ tertiæ pomeridianæ apud nos reſpondebat, ulterius ſemper protrahebatur, nec ſolvebatur niſi inſtantibus jam precibus veſpertinis. Cæterum illæ horæ *inæquales* erant, majores æſtivo, minores hyberno tempore, unde Rabbini eas זמניות *temporales* appellant, adeoque cum incremento & decremento dierum nunc augebantur, nunc minuebantur ſua quantitate. Elegans de his locus eſt in Gloſſa *ad Majem. Hilk. Kidduſch Chodeſch. c. VI. §.* 2. quem Hebraicæ ſolum retulit Coccejus *ad Sanhedr. p.* 299. unde non dividiæ fuerit, latine hic eum interpretati: *Horæ ſunt duum generum, horæ æquales, & horæ obliquæ ſeu inæquales, quæ temporales dicuntur. Et horas quidem æquales quod attinet, mutatur numerus earum, ſed non mutatur menſura; at quod concernit horas temporales ſeu inæquales, vice verſa non mutatur numerus earum, ſiquidem interdiu æque ac noctu duodecim horæ ſunt, non pauciores, neque plures, verum menſura earum mutatur*.

(12) *Auditorio quod in monte templi*. In Gemara Sanhedrin *f. LXXXVIII. col.* 2. pro בית המדרש *auditorio* habetur בחיל *in antemuralis*, quod interprete Baal Aruch *locus* erat *muro circumdatus inter montem domus & atrium mulierum*. Conf. Ligtfoot *Cent. Chorogr. c. XXIX. p.* 60. & de הר הבית *monte templi*, qui idem fuit cum *atrio gentium*, præced. *c. XXVIII. p.* 58.

(13) *Cognoſcebat*. De cauſis, quæ coram Synedriis, cum magno, tum minoribus agebantur, egit Seldenus *toto lib. III. de Synedriis*.

(14) *Aquis amaris*. De hac lege integer Codex in Opere Talmudico extat, סוטה *Souta* inſcriptus, cujus latinam verſionem cum obſervationibus CL. Wagenſeilii pridem promiſſam adhuc expectamus. Interea rem omnem Hebræis authoribus expoſuit Seldenus *lib. III. Uxor. c. XIII. XIV. & XV. p.* 394. *ſeqq. edit. Londin.* qui cum Commentatoribus *in Num. V.* 14. *ſeq.* itemque Becano *de Analog. V. & N. T. c. XXII. p.* 493. conferri poteſt. Idem cum *lib. IV. Analect. Anglo-Britann. c. VIII. p.* 132. prolixe de illis Veterum Saxonum ceremoniis egiſſet, quas *Ordalium* vocabant, quod erat certum probationis & purgationis genus, quo criminis alicujus inſimulatus ferrum ardens manu tenebat, vel vomeres ignitos pedibus nudis premebat, tandem *p.* 139. hoc Zelotypiæ poculum cum eo confert. Alias de Ordalio & id genus probationibus vide Mart. Del Rio *lib. IV. Diſquiſit. Magic. q. IV. c. 4. p. 608. ſeq.*

(15) *Rex*. Conſtans eſt hæc de Rege in Synedrium non cooptato ſententia Hebræorum, quam poſt Maimonidem hic memoratum repetit R. Moſes Kozenſis *in Sepher Mizvos gadol, præc. aff. XCVII. fol. CLXXXVI. col.* 3. Habetur in utraque Gemara Sanhedrin, Babilonica *fol. XVIII. col.* 2. & Jeroſolymitana *fol. XIX. col.* 4. Conf. Selden. *lib. II. de Synedr. c. IX. §. VII. p.* 419. & Jac. Alting. *lib. II. Schilo c. VIII. p.* 118.

(16) *Synagoga magna*. Ita vocant Hebræi (כנסת הגדולה) concilium illud magnum ab Eſra ejus Præſide poſt exilium Babilonicum Jeroſolymis congregatum, cujus ope & auxilio Eccleſiam Jeroſolymitanam & Judaicam univerſam reſtauravit, & a multis corruptelis, erroribus & vitiis in Babilonia attractis repurgavit & reformavit; de quo omnia dixit Buxtorſius *Tiberiad. part. I. Comm. Maſor. c. X.* Atque hoc ſine dubio eſt decantatum illud Synedrium magnum, de quo hucuſque Author erudite quidem, at forte fruſtra diſſeruit, cum ultra Eſræ tempora vix arceſſendi videantur, ceu ſupra diximus, illius natales.

(17) *Joſua F. Perachiæ*. Hunc Hebræi fabulantur fuiſſe Præceptorem *Jeſu Chriſti*, qui cum ipſo Alexandriam in Ægyptum aufugerit: quam fabulam per aliquot paginas prolixe excuſſit Guil. Vorſtius *Obſerv. ad Chronolog. Dav. Ganz. p.* 261. *ſeqq.* Videatur & Seldenus *lib. II. de Synedriis c. XVI. §. IX. p.* 691. ubi hunc Joſuam circa annos ante *Chriſti* noſtri natales centum & quinquaginta floruiſſe monuit; unde Jo: Reuchlinus *lib. I. de arte Cabaliſt. f.* 626. cum ejuſdem Synagogæ magnæ aſſeſſores recenſeret, ad hunc delatus: *Joſua filius Perahiah*, inquit, *cujus fuit diſcipulus quidam Jeſus Nazarenus Machabæorum ætate, non ille Chriſtianorum*. Utrum vero Talmudiſtæ eundem cum noſtro *Jeſum*, an alium intelligant? alibi diſquirendum.

(18) *Facultas eligendi reges*. Jus Reges eligendi cum Hæbreis, ac nominatim Maimonide, non in citata modo *Halacha Melachim c. I. §. 4.* ſed & *Halach. Sanhedr. c. V. §.* 1. tranſcribit Synedrio Magno, de quo idcirco hactenus prolixius egerat. Idem aſſerit Breviarium Pſeudo-Philonis: *Habuit Azarias filius Nathan, ut præeſſet Sanedrim, id eſt Collegio Sacerdotum, & doctorum legis, penes quos erat publica poteſtas judiciorum, & ſceptrum, occidendi & vivificandi, eligendi Reges & deponendi, ut fecit Jojada Pontifex contra Athaliam*. Confidentius adhuc

Ca-

Carol. Sigonius *lib. VII. de Rep. Hebr. c.* 3. & Guilielm. Barclajus *lib. III. contra Monarchomach. c.* 2. suffragiis populi universi creatos primum Hebræorum Reges asserunt; quos sicuti tacite noster Author refellit, ita ipsiusmet assertio accuratius examen vix sustinet, si maxime daretur, antiquis Regum temporibus Synedrium hoc viguisse. Quod si enim omnes ac singulos Hebræorum Reges eorumque constitutionem pensitemus, constabit, aut 1. Per expressam electionem divinam creatos esse, v. g. Saulem *I. Sam. IX.* 17. *X.* 1. 24. Davidem *I. Sam. XIII.* 14. Jeroboamum 1. *Reg. XI.* 31. Baesam *cap. XVI.* 2. Jehu *c. XIX.* 16. 2. *Reg. IX.* 3. aut 2. Per successionem ad imperium pervenisse, exemplo Salomonis & Rehoboami, Nadabi item, Eliæ, Achabi, Ochoziæ, Jorami, Joachasi, Jeroboami secundi, Zachariæ, Phaceiæ &c. qui omnes in Regno parentibus successerunt; aut 3. Regnum per vim & tyrannidem occupasse, quod fecit Athalia, Simri, Sellum, Menahem &c. aut denique 4. A gentilium Regibus constitutos, prout Pharao Joakimum 2. *Reg. XXIII.* 34. & Nebucadnezar Zidekiam 2. *Reg. XXIV.* 17. Regno Judaico præfecerunt. Nullum reperias sive populi, sive magnatum aut seniorum suffragiis primitus electum. Confer post laudatum Dn. Frischmuth I. *de Rege eligendo & deponendo*, Jo: de Pineda *lib. II. de Reb. Salom. c. II. f.* 77. *seq.* & Mart. Becanum *de Analog. V. & N. T. c. XVI. q. V. p.* 393. *seq.*

(19) Oraculum illud Sacrum in pectorali. Exemplum Electionis Regiæ per Urim & Thummim factæ afferunt ex historia Saulis, qui 1. *Sam. X.* 17. 22. 24. electus dicitur a *Domino*, ad Israelitarum consultationem & interrogationem respondente. Quod quidem ex *sola sortitione* innotuisse observat R. Levi ben Gerson *adverf.* 20. הנה על פי הגורל נפלה המלוכה לגרל שאול *Ecce juxta sortem cecidit Regnum in sortem Saulis*. Similiter Raschi *adverf.* 21. annotat: אף על פי שלא היה שם נפל הגורל עליו שהיו כתובין שמם באיגרות ונותנין בקופסא והנביא מכניס ידו ונוטל איגרת אחת: *Quantumvis* Saul *non adesset ibi, sors tamen cecidit in ipsum, siquidem inscripta erant eorum nomina schedis, quas in capsula reponebant, atque tunc Propheta immittebat manum, & extrahebat schedam unicam*, (quam nomine Saulis signatam conspiciebant.) R. Verum Abarbanel *sortitioni* adjunctam fuisse asserit *responsionem per Urim & Thummim*, quam prius a sacerdote significatam, sors postea ita cadens in animis Israelitarum confirmasset. Imo R. David Kimchi *adverf.* 19. nulla *sortis* mentione facta solius responsionis per Urim & Thumim meminit, quam per לפני יי׳ putat indicari: אם היה אומר להם שמואל שאול ימלוך עליכם היו מקנאים שאר השבטים אם לא היה נלכו על ידי אורים ותומים וזהו לפני יי׳ שהיה שם כהן ואורים ותומים והיו שואלים בהם ואפשר שהביאו שם הארון: *Si dixisset illis Samuel*: Saul regnabit super vos: *fuissent forte æmulatæ cæteræ tribus, nisi deprehensus fuisset per* Urim & Thumim. *Atque hoc indicatur per formulam*, coram Domino; *siquidem ibi aderat Sacerdos, & Urim & Thummim, atque interrogabant per ea; quin etiam fieri potuit ut adduxerint ibidem Arcam.*

(20) Quale hoc oraculum fuerit. Idem fatentur omnes, quotquot hujus oraculi meminerunt, non posse certo definiri, quid vel in se fuerint Urim & Thummim? vel qualis hoc oraculum consulendi modus? Neque fuit ante Auctorem nostrum, qui veterum Hebræorum de eo placita revelasset, quantum nobis constat., præter Fagium & Munsterum, *notis ad Exod. XXVIII.* itemque Cunæum *lib. II. de Rep. Hebr. c. II.* qui tamen leviter saltem rem attigerunt. Cæteri, qui vel in Commentariis, vel alibi oblata occasione de eo egerunt, parum inquisivere Hebræorum volumina, si forte Serarium excipias, qui hanc materiam *Comm. in Jos. c. IX. inde a quest. XXIII. & seqq.* latius prosecutus ad sententias Rabbinorum sæpius quidem, sed minus fideliter provocat; ut primus suo merito sit noster, qui hæc Latinis ignotiora tradiderit, quem & vel solum de hac materia legendum commendabat ad eam delatus Seldenus *lib. II. de Success. in Pontif. Hebr. c. VIII. fol.* 255. *edit. Londin. & lib. III. de Synedr. Vett. Hebr. c. XII. p.* 195. Idem fecit Robertus Seringamius *ad Cod. Joma, c. IX. p.* 182* non tamen sine aculeo. Nam cum communem repetiisset querelam, *nullum hactenus Talmudicorum sententiam integre pleneque percensuisse*, ita de Nostro addit: *Schikardus quidem cap.* 1. *de jure regio Hebræorum, ex proposito de ac re dicere aggressus est; sed magistrorum sententiam, quamvis vir doctus, nec apposite explicavit, nec satis ad eorum mentem retulit.* Eam igitur ipse *loc. cit.* accuratius referendam ducebat, quem lauderemus consulendum, nisi plenius adhuc & longe perfectius omnia tradidisset Buxtorfius, *in Historia Urim & Thummim*, quæ inter Exercitationes sacras Anno 1659. editas *tertia* est, *a p.* 267. *seqq.* qui unus instar omnium sitim ista cupientium explere poterit, ne opus sit, conferre plures, quorum nomina Buxtorfianum venerantur, Anton. Cregutum *in Revelat. Arcanor. toto Cap. XXVII. p.* 938. *seqq.* Christoph. Cartvvrightum *in Electis Targumico-Rabbinicis in Exod. p.* 358. *seqq.* Joseph. de Voisin *Observ. in Proœm. Pug. fid. f.* 101. Jo. Prideauxium *Or. II. de vestib. Aaronis fol.* 15. *seqq.* Jac. Altingium *in Heptad. orat. ult. de Ephod & Pectorali Sacerdotis summi p.* 424. *seq.* Jo. Conr. Dietericum *in Antiq. Biblic. fol.* 653. 654. Dilherrum *lib. I. Elector. c. V. p.* 35. *seqq.* Reiner. Vogelsangium *Exerc. Theol. II. a p.* 33. *seqq.* & alios, quos tamen ad unum omnes cum ipsomet Buxtorfio, quem de hoc argumento non minus, quam Schikardum ejusque Censorem Sheringamium legit, magnas egisse nugas censebat nuperus Scriptor Anglus Jo. Spencerus, Theol. Doct. & Collegii Corporis Christi in Academia Cantabrigiensi Præfectus, *in præfatione libri*, quem *de Urim & Thummim* integrum sicque satis operosum edidit Cantabrigiæ Anno 1669. En ipsius verba, licet aliquammulta: *Mihi*, inquit, *sæpius mirari subiit, quod de argumento tam augusto, & quod animo tam gratam contemplandi voluptatem creare possit, pauci ex instituto*, (*NB.*) *nulli ex illius dignitate meritoque hactenus disseruerint. Nam Scriptores plerique omnes de eo verba facturi, de Lectore & argumento suo se egregie meruisse sentiunt, si suas aut aliorum conjecturas* (*blanda illa vigilantium somnia*) *vix ullo firmatas Scripturæ aut Antiquitatis suffragio in medium dederint: alii vero, oraculum hoc inter Scripturæ ἄπορα & ingenii humani cruces numerantes, illud vix summis tactum digitis prætereant; vel* (*prout Geographi circa terram incognitam versati*) *monstra solummodo chartis suis inserunt:* (NB.) *fabulas Judaicas dico, ficta Poetarum miracula & fidem omnem consultam superantes. Unde factum, quod* Urim, & Thummim *sono tantum barbaro & ocioso hominum aures diu impleverint, & crassa quorundam commenta sapientiam divinam in rebus & nominibus illis instituendis elucescentem penitus obscuraverint.* Ceterum, quæ sit Spenceri sententia, justo illo volumine comprehensa, de qua ipse gloriatur, *se non farinam, quod dicitur, molitam molere, nec conjecturas tantum & hypotheses ad placitum fictas afferre, sed argumenta*, nos paulo post ad finem theorematis hujus annotabimus.

(21) Urim & Thummim. Omnes Hebræorum sententiæ, ut maxime inter se varient, revocari possunt ad tres classes. 1. Urim & Thummim fuisse scripturam nominis יהוה mirabiliter expositi, quod *Schem hamphorasch* vocant, vel ab ipso *Deo*, vel a Mose per *Dei* revelationem edocto factam & duplicationi pectoralis inditam: atque hæc sententia sola ex R. Salomone, & Targum Jonathæ hic ab Auctore nostro recensetur, & plerorumque Rabbinorum est, Cabbalistas cum primis & Auctorem antiquissimi libri Zohar *fol. CV. col.* 4. *edit. Cremonens.* secutorum, observante R. Abrahamo Seba *in Zeror hammor* רוב החכמים המקובלים הסכימו שהם שמות קדושים *Maxima pars sapientum Cabbalisticorum consentiunt, fuisse nomina sancta*, per quæ nimirum τετραγράμματον illud ineffabile explicatur. 2. Urim & Thummim fuisse ipsa gemmas pectorali insertas atque nominibus duodecim Phylarcharum signatas, adeoque in mandato illo de indendis Urim & Thummim nihil novi præcipi, sed prius saltem illud de inserendis lapidibus repeti & explicari: quod fere unus inter Hebræos R. Asarias *in Meor Enajim c. L.* diserte tuetur, Christianorum ve-

vero interpretum plerique tenent, & certe minus difficultatis, plus verisimilitudinis habet, si ita explicetur: Jusserat *Deus* confici pectorale, eique duodecim gemmas inseri; has postea certo usui destinat, & ab hoc usu denominat *Urim & Thummim*. Usus ille erat, ut essent certa Symbola, quibus rite adhibitis *Deus* convenienter a Pontifice rogatus de rebus occultis & incertis eventibus, responsa minime ambigua daret, & populum suum consiliis salutaribus juvaret. Modus ergo interrogandi non erat alius, quam ut sibi Pontifex pectorale hoc applicaret, & desiderium consulentis coram *Deo*, qui responsum, si a Pontifice lapidibus istis pretiosis circa pectus veluti inflammatum coruscante decenter interrogaretur, promiserat, piis præmissis precibus exponeret. Modus respondendi, vel per vocem articulatam, vel per suggestionem, quam sic ornatus Pontifex ex-pacto quasi & promissione percipiebat. Videantur hic præ aliis Reinerus, Vogelsangius *Exerc. Theol. II. p.* 44. P. Molinæus, *lib. I. Vatis c. XXII. p.* 67. Rivetus *in Exod. Tom. I. Opp. fol.* 1146. 3. Rem adeo incertam esse, ut hodie simpliciter ignoretur, adeoque ne quidem inquirendam; quod statuit R. Dav. Kimchi *in Schoraschim*, & R. Abrah. Seba *in Zeror hammor*, a Buxtorfio *c. II. p.* 288. 289. citati, quibus nos merito tertium addimus R. Salomonem Aben Melech, qui eadem habet *in Michlal Jophi fol. XXIII. col.* 3. לא נתברר אצלנו מה הם האורים והתמים כי יומה לפי הפסוקים שהם דבר אחר זולתי אבני החשן ור״שי פירש שהוא כתב שם המפורש שהיה נותנו בתוך כפלי החשן שעל ידו היה מאיר את דבריו ומתמים את דבריו ולא נודע האמת *Non liquet nobis, quid* Urim *&* Thumim *fuerint; Nam litera Textus sane innuere videtur, fuisse aliud quid, quam lapides pectoralis. R. Salomo Jarchi quidem existimat, fuisse scripturam Schemhamphorasch, quæ in medio duplicati pectoralis fuerit indita, quippe per quam verba sua* Pontifex *cum* Illustrarit, (unde אורים *Urim*,) *tum* Perfecerit, (תמים *Thummim* diceretur;) *sed non constat, an ita se res habuerit*.

(22) Targum Jonathæ. De hoc vide nostrum *in Bechinath happeruschim p.* 29. *seqq.* ubi antiquitatem ejus ultra Pauli ætatem se porrigentem propugnat, perinde ut ante ipsum jam fecerat Helvicus *de Chald. Paraphras. c. IV. p.* 9. *seqq.* Sed negant, & recentius esse scriptum, cui sub splendido Jonathanis nomine auctoritatem conciliare Auctor ejus voluerit, ostendunt post Buxtorfium *de Abbreviat. in* ת״י *p.* 107 & *in* רש״בי *p.* 193. & *in recens. oper. Talm. p.* 232. & Drusium *in quæsitis per epistolas Epist. LXXVIII. p.* 147. Cartvvrightus *in præfat. Elector. Targumico-Rabbinic.* Barthol. Meyerus *part. II. Philol. S. c. II. p.* 45. *seqq.* Hottingerus *lib. I. thes. Philol. c.* 3. *p.* 260. *seqq.* Leusdenius *Philol. Mixt. Diss. VII. p.* 47. *seqq.* pluresque alii.

(23) Si cum grano salis. Sed quodnam illud salis granum sit, cum quod debeat accipi, ut absurda non sit expositio, operæ pretium fuisset ostendere; nunc quoniam non ostendit, neque vitium dandum ulli, si absurda videatur, & superstitiosa. Nec enim ulla vetustatis reverentia, quam urget, locum habet, ob denegatam Targumi auctoritatem pariter & antiquitatem, quæ frustra Jonathani in legem asseritur. Conf. Cartvvright. *in Exod. p.* 361.

(24) Rambamns. Habetur hæc Halacha kele hammimkdasch *Rambami*, Tomo III. Operis Jad, & est secunda libri VIII. qui עבודה *de cultu* inscribitur. Primam, quæ est בית הבחירה *de ipso sanctuario*, latine vertit Lud. Capellus, apparatui Bibliorum Polyglotton Londinensium, qui & seorsim prodiit tum in Belgio, tum hoc ipso anno Tiguri in Helvetia, insertam.

(25) Non auditam esse vocem. Imo vero, ex Talmudicorum, Veterumque Hebræorum sententia, quæ hic recensenda promittebatur, vocem auditam esse, ostendit Scheringhamius *ad Cod. Joma c. VII. p.* 185. 186. Hanc enim docuisse tradunt Pontificem, instituisseque ne erraret ex punctorum vocalium defectu; quin & ob ipsas quoque literas necessariam fuisse, cum illæ non exierint e pectorali, ut debito ordine coalescerent, sed suis quæque locis permanserint, adeoque varia ex iisdem confici potuerint verba, ut si ו & ע & ל emicuissent, ex illis עול & לעו & עלו componere licuisset: Rationem ergo literas non minus combinandi, quam substernendi vocales, auditam illam a Pontifice vocem monstrasse. Locus Gemaræ, in quo ista tradunt Magistri, paulo post inferius adducetur.

(26) בת קול Ad verbum sonat *Filia vocis*: quam Rabbini definiunt certam speciem oraculorum divinorum, aut gradum, uti loquuntur, ex מדרגות רוח הקדש *gradibus Spiritus Sancti*, succedentem in locum Prophetiæ atque Urim & Thummim, tempore templi secundi, quo Urim & Thummim cum aliis quatuor rebus defuisse dicunt. De ea prolixe agunt Buxtorfius *Lex. Talm. f.* 320. Hottinger. *lib. II. Thes. Philol. c. I. sect. IV. p.* 515. *seqq.* Fagius *in Targ. Onkehelos ad Exod. XXVIII. sub fin.* & *Scholiis ad Pirke Abboth Cap. VI. edit. Ismens.* 1541. Jos. de Voisin *ad Proœm. pugion. f.* 101. *seqq.* Drusius *lib. I. Præterit. p.* 6. 7. Auth. Cregutus *revelat. arcanor. c. XXIV. p.* 824. Gregorius *lib. V. Philol. S. tr.* 1. *c. X. p.* 1227. &c. Negant, extitisse unquam tale quid, & pro figmento ac somnio Judaico simpliciter habent P. Molinæus *lib. I. Vatis c. XXVI. p.* 77. & Reiner. Vogelsangius *Exerc. Theol. II. §. XIV. p.* 45. 46. At in Talmudica & Rabbinica lectione omnium versatissimus Lightfootus *Hor. Hebr. in Matth. III.* 17. *p.* 63. 64. ex parte quidem fabulis, ex parte vero præstigiis diabolicis annumerandum id omne censet, quod de *Bath kol* referunt Judæi: *Si eloqui liceat*, inquit, *quod sentio, historias istas innumeras de* Bath Kol, *quæ ubique occursant, ego sub his duobus capitibus reduxerim, nempe, quod plurimæ sint meræ fabulæ, ad hoc inventæ, ut hinc dignitas hujus vel illius Rabbini aut historiæ illustretur; reliquæ, meræ delusiones magicæ & diabolicæ*. Vide ipsummet pluribus. Nec aliter Jos. de Voisin *observ. ad Raimund. fol.* 272. exponit revelationem, quæ post tempora Christi, abrogata jam lege Mosis, *non amplius a* Deo, *sed a dæmonibus* communicaretur Israelitis.

(27) Non totum Alphabetum. Talmudicorum sententia est, totum alphabetum utique comparuisse, exceptis tantum tribus literis finalibus דמץ quibus opus non fuerit, cum literæ e suis locis non exierint, ut debito ordine coalescerent, sed ipsas Sacerdos Magnus, a Spiritu Sancto doctus, conjunxerit. Nempe non solum duodecim tribuum nomina, sed & trium Patriarcharum, אברהם *Abrahami*, יצחק *Isaaci*, & יעקב *Jacobi*, atque præterea has voce כל אלה שבטי ישראל *Omnes hæ sunt tribus Israeliticæ*, insculpta tradunt in Gemara Jerosolymitana *part. fol. XLIV. col.* 3. ubi simul de audita a Pontifice voce: אית תניי תני הקול היה שומע. אית תניי תני הכתב בולט. מאן דאמר הקול היה שומע ניחא דכתיב וישמע את הקול. מאן דאמר הכתב היה בולט והא לית חית בשבטים ולא צ״די ולא קו״ף בשבטים. אבראם יצחק יעקב כתוב עליהן. והא ליה טית בשבטים. כל אלה שבטי ישראל היה חקוק עליהן: *Quidam Doctor tradit, sacerdotem audivisse vocem: Alius Doctor tradit, scripturam prominuisse. Qui dicit, audivisse vocem, nullis difficultatibus urgetur, quia expresse scriptum est* Num. VII. 89. Et audiebat vocem. *Qui vero dicit scripturam prominuisse, & objicitur: ecce non Cetb in nominibus duodecim tribuum, neque Zade, neque Kuph? Resp. Nomina Abraham, Isaac, Jacob adscripta erant. Objicitur porro: Sed ecce sic nondum adest Teth? Resp. Hæ voces;* כל אלה שבטי ישראל *hæ sunt omnes tribus Israel, insculptæ erant*.

(28) Malo cum R. Abrah. Seba.) *Non placet Schikardus, qui gemmarum illuminatarum configurationem speciem literarum exhibuisse affirmat, eo scilicet modo, quo obsessi solent statum urbis artificii conscio & minus spectanti socio, per candelas varie sublatas noctu significare: qui & characteres (quorum nonnullos Chinensium potius, quam Hebræorum notas esse putares,) ex earundem situ ad rem illustrandam fabricavit, ex quibus putat sacerdotem magnum Dei responsum nosse potuisse. Quod quidem nullo fundamento innixum est; nam locum illum, quem ex Tseror hammor attulit, perperam omnino intellexit, cum literas emicuisse haud secus, quam Talmudici docent, & postea a gemmis illuminatas fuisse, asserat ibi R. Abraham Seba; ipsas vero gemmas literarum simula-*

cra

cra exhibuisse, *ut exposuit Schikardus*, *ne somniavit quidem*. Hæc Sheringham ad Cod. Joma *c.* VII. *pag.* 188.


(29) Gustavus Selenus. i. e. Augustus Luneburgicus. Dux Brunsvicensis & Luneburgensis literis fere sine exemplo non minus, quam illustrissimorum natalium stemmate, & inter sui ordinis Principes, dum viveret, auctoritate hoc & superiori jam sæculo serenissimus, nunc autem & apud omnem posteritatem immortali gloriosissimus *Gustavus* enim κατ' ἀνάγραμμα *Augustus* : & *Selenus* a σελήνη, i. e. *Luna*.

(30) Cœlestem. De hac Cabbalistarum כתיבת השמים *scriptura cœlesti*, quam inter sidera collocant figuratam, non secus, atque Astrologi signorum imagines e stellarum lineamentis educunt, vide H. Corn. Agrippam *lib.* III. *de occulta Philosoph. c.* XXX. Jac. Gaffarellum *in Curiositat. in audit. c.* XIII. *p.* 278. *seqq.* Athanas. Kircherum *Tom.* II. *Oed. Ægypt. part.* I. *c.* II. *Disq.* III. §. IV. *f.* 107. Thom. Bangium *Cœl. Orient. Exerc.* II. *p.* 135. *seqq.* Typus illius scripturæ hic est:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ



ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת



(31) Infernalis ille simus. Vetus verbum est: Dei *simia Diabolus*, quo titulo eruditam Fabricii Dissertationem de Cacozelia gentilium, ipsi Bochardo *part* I. *Hierozoic. lib.* II. *c.* XXXIII. *fol.* 324. tanquam doctissimam, ex qua ingenue agnoscat, se non pauca didicisse, commendatam, videas insignitam *Tom.* II *Dispp. Acadd. Dilherri p.* 162. Optime. Sed fuit tamen paucis abhinc annis, qui esse id falsissimum assereret, Jo. Spencerus *de Urim & Thummim c.* IV. *sect.* 13. *p.* 226. cujus verba, ut ut pluscula, siquidem rarissimus apud nos liber est, juvat transcribere : *Probe novi*, inquit, *illud e tonstrina dictum*, Diabolus est Dei Simia, *multo plurimos non aliter quam uti Oraculo missum accipere solere; at quam vanum & a vero alienum sit, facile percipiat, qui plurima illa legis constituta recolat, quorum ne rudiores lineas & umbellas in tota rituum ethnicorum farragine reperiamus, quæ tamen omnia eadem opera, qua ulla alia, templis suis donare potuit Diabolus; & voluit sane si cultum ex divino per omnia ornatum tanti habuisset. Præterea, si Diabolus* Dei *instituta tanquam cultus sui exemplar & speculum ante oculos semper habuisset, ipse procul dubio ritus suos veteres e vestigio permutasset, cum* Deus *leges aliquas iis e regione pugnantes tradidisset. Deinde, quas nuces, quod commodi captare poterat diabolus, (qui cuncta ex usu agit,) modo simia fuisset, & sese ad cultus divini imitationem tam sedulo composuisset? si quid ipse video, illius magis intererat, plane diversas cultus sui ceremonias instituere, ut per eas, tanquam proprios characteres, greges sui ab ovibus Pastoris Israelis distinguerentur. Neque credibile est, diabolum cultum divino similem, ut vanitati & fastui inutili litaret, ambire voluisse : procul dubio non adeo delirat vetus serpens*. Quot hic φορτιδῶ ἁνάσματα, si ad examen singula revocentur! Nec vero primus est Spencerus, qui se inveteratæ apud eruditos & omni destitutæ dubio sententiæ opponat: nam ante ipsum totus pridem in eo fuerat Sam. Parkerus *lib.* II. *Tentam. Phys. Theol. c.* I. *p* 181. *seqq.* ut ostenderet, vana omnia esse, quæ erudite e gentilium Theologia promant, quasi e veri Dei cultu ad ipsos translata essent : & toto *cap.* III. *inde a p.* 268. *& seqq.* prolixe isthoc unum probare nititur, plerumque Gentilium Theologiam Historicam perperam & temere sacræ historiæ accommodari.

(32) A Rabbinis. In Medrasch, e quo id referunt R. Dav. Kimchi *ad* 1. *Sam.* XXVIII. 7. R. Abendana *in Spicleg. ad Michlal Jophi fol.* LXVII. *col.* 2. R. Abrah. bar Jehuda *in Chibbure leket f.* XII. *col.* 3. R. Simeon *in Julkut part.* II. *fol.* XX. *col.* 2. Legitur & in Pirke R. Eliefer *cap.* XXXIII. *p.* 80. *editionis* Guil. Vorstii, quem adde *in animadvers. ad h. l. p.* 213. Pluribus insuper has fabulas memorat Raynoldus *in Censura Libb. Apocryph. Lect.* LXXVII. *p.* 919.

(33) In secundo Templo defecit. Quicquid de defectu Oraculi Urim & Thummim sub Templo secundo dici potest, abunde expedivit Buxtorfius *toto Cap.* V. *Hist. Urim & Thumm. p.* 321. *seqq.* Saltem illud monere visum fuit, haberi utique in Josepho Gorionide istam Pontificis responsionem Alexandro Magno de defectu Urim & Thummim datam, quam Drusius *in Observ. lib.* XV. *cap.* XIII. recensuerat, Buxtorfius autem reperire nequiverat, ceu *p.* 322. fatetur, nescius, an in Veneta fortassis editione sibi desiderata inveniatur. Legitur, inquam, non quidem in illo Munsteri Codice, qui plane diversus est, sed in editione Cracoviensi, quæ cum Veneta consentit, *lib.* I. *cap.* V. *fol.* XV. *col.* 4. his concepta verbis : מיום גלות הבית הזה וגלות בבל נעלמו ממנו האורים והתומים *A die exilii domus hujus, exilii inquam Babylonici, abscondita sunt a nobis Urim & Thummim*. Eadem sic ad verbum translata in Gorionide Hebræo-Germanico Rabbinicis literis impresso Pragæ *cap.* V. *quatern.* X. *fol.* II. *col.* 2. e quo locum integrum recensere, haud erit dividiæ : Und der König begehrt von dem HErrn Gott umb seinen Willen von dem Mund der Urim und Thummin / ob er solt gehn zu streitem mit dem König Darius / oder ob er solt abziehen. Da antwort ihm der Cohen zu sagen : Von dem Tag an / daß zustört ist worden das Haus das dasige in der Gefängnüs Babel / da seyn verborgen worden von uns die Urim und die Thummim / aber vorwahr ich will forschen von Gott in meiner Thephilla / und der wird senden sein Engel in der Nebuah seiner Heiligkeit / und derselbig wird lassen wissen mich was / das du solst thun / etc.

(34) Usum. Nempe ἀνάλογον quoddam confecerant quidem post reditum ex captivitate, ut summi sacerdotis ornatus integer esset; Sed usus respondendi consulentibus e novo hoc pectorali cessabat R. Moses ben Maimon. *Hilk. Kele hammikdasch c.* X. §. 10. עשו בבית שני אורים ותומים כדי להשלים שמנה בגדים ואע"פ שלא נשאלין בהן : *Fecerunt in templo secundo Urim & Thummim, ad complendas octo Pontificis vestes, etiamsi ea non consulerent*. Quod fortasse e Tosephos Mass. Joma *fol.* XXI. *col.* 2. hausit, ubi diserte : אורים ותומים הוו שאם לא כן היה כ"ג מחוסר בגדים אלא לא היו משיבין לנשאלין בהן : *Urim & Thummim fuerunt*, (scilicet in templo secundo, in quo defuisse ibidem dixerat Gemara,) *si enim hoc non esset, defectum passus fuisset sacerdos maximus vestibus suis; sed tamen non dabant responsa interrogantibus*. Atque ita sine dubio intellgi cupit R. Abarbanel *in Leg. fol.* CC. *Col.* 1. dum rationem redditurus, cur nulla data sint responsa per Urim & Thummim, ista præmisit: הנה לא היה הכהן בכל זמן בית שני משיב באורים ותומים . *Ecce non fuit sacerdos toto tempore templi secundi, qui responderet per Urim & Thummim*; utut simulachrum ad imitationem prioris pectoralis per captivitatem Babylonicam deperditi, effictum gesserit.

(35) Quinque res. Notissima omnibus traditio, inique libris tam Judæorum quam Christianorum, passim obvia, præsertim in horum disputatione Anti-Judaica de Messiæ adventu, cum a promissa majori Gloria Templi secundi ex *Hagg.* II. 10. argumentantur. Videantur Galatinus *lib.* IV. *de Arc. Cath. Ver. c.* IX. *f.* 211. Raymundus *part.* II. *Pug. Fid. c.* IX. §. XIII. *f.* 305. Hulsius *part.* I. *Theol. Judaic. p.* 49. 53. Hoornbeck *lib.* II. *de Convinc. Jud. c.* I. *p.* 156. 157. Jac. Martini *lib.* III. *de trib. Elohim. c.* XIV. *p.* 72. &c.

(36) Pius quidam vir. Is est Wolfg. Franzius *in Schola Sacrific. Patriarch. Disp.* XI. *th.* XXXVI. *seqq. p.* 299. cum quo paria fecit vir in Hebraicis & Rabbinicis versatissimus Sixtinus ab Amama *lib.* III. *Anti-Barbari Bibl. Comm. de Keri & Chetib. p.* 468.

(37) סימן Symbolum Memoriale. Negat hoc Theod. Hackspan. *lib.* II. *Miscell. Sacr. c.* III. (quod totum est de litera ה *Hagg.* I. 8. ואכבד omis-

omissa,) *p.* 197. & *part.* II. *Notar. Philol. Theol. p.* 1018. & contra Schikardum nostrum disputat, omissam illam literam non esse tandum Judæis Symbolum memoriale deficientium in secundo templo quinque ornamentorum, sed argumentum, quo defectum hunc probant, cum pro הלכה למשה מסיני *traditione Mosis e Monte Sinai* habeant, adeoque tradant, monuisse Haggæum Judæos suæ ætatis, ut ה legerent, licet omissum, idque Dei indicio & de industria, ob quinque hæc ornamenta, quæ in templo secundo sint defutura. Quanquam vero Hackspanius in Hypothesi nostro hoc non concedit, non tamen impugnabit in thesi: Aliud enim est traditionem dicere esse הלכה למשה מסיני *traditionem Mosis e Sinai*: aliud eam ut talem ex אסמכתא *superfunctoria probatione* & ejusmodi Symbolo deducere. Vid. Dn. Scherzerus *in specim. Theol. Mythic. Hebr.* §. III. *p.* 157.

(38) R. Salomo. Locus R. Salomonis integer hic est *in Comm. ad Esr.* II. 63. עד עמוד כהן וגו׳ כאדם האומר לחבירו עד יבות המשיח לא יעלה דבר זה ואיני יכול לפתור עד עמוד כהן לאורים ותומים בבית שני לפי שמצינו בפרק ראשון של יומא שהיה בית שני חסר מאורים ותומים: *Hæc verba*, Donec surgat Sacerdos *&c. perinde sonant, ac si quis diceret socio suo, non nisi diebus Messiæ fore, ut hæc res componatur. Neque ego exponere possum illa verba*; Donec surgat Sacerdos cum Urim *&* Thummim, *de templo secundo*, (quasi stante adhuc illo impleri debuissent,) *siquidem reperimus in primo Capite Codicis Joma, quod domus secunda*, (quamdiu illa stetit,) *prorsus caruerit Urim & Thummim*. Id quod ex Gemara Babilonica Massecches *Souta fol.* XLVIII. *col.* 2. desumsit, ubi cum dictum fuisset, desiisse Urim & Thummim inde a vastatione Templi primi, additur: ואם לחשך אדם לומר ויאמר התרשתא להם אשר לא יאכלו מקדש הקדשים עד עמוד כהן לאורים ותומים כאדם שאומר לחבירו עד שיחיו מתים ויבא משיח בן דוד: *Atqui, objiciat aliquis verba illa* Esr. II. 63. *Dixit Hattrischatha illis, ne comederent de Sancto Sanctorum*, Donec surgat Sacerdos cum Urim & Thummim? *Resp. Hæc verba Hattirschatæ perinde valent, ac si quis diceret socio suo*: Usque dum resurgant mortui, & veniat Messias Filius David. Similiter R. Joseph Aben Jechiia hoc forte ait לעתיד לבוא *futuro Messiæ tempore*, idque ideo, כי בבית שני חסרו אורים ותומים: *quia in templo secundo defecerint Urim & Thummim*.

(39) Diu speratæ conversionis. Statuit nimirum Auctor universalem Judæorum conversionem extremum judicium præcessuram, quam ex nostratibus Theologis multi etiam futuram crediderunt, etsi non omnes simpliciter universalem, interim secundum quid, hoc est, maximam Judæorum partem conversum iri, quæ respectu cæterorum, qui non convertuntur, quandam quasi universalitatem constituat, moti cum primis vaticinio Paulino *Rom.* XI. 25. 26. Ita Balduinus *Comm. h. l. quæst.* II. f. 214. Hafenrefferus *Templ. Ezechiel. f.* 313. Menzerus *Tom.* I. *Disp. Giess. p.* 838. aliique quin & nuperrime adhuc Christ. Ravius & Matthias Wasmuthus, Linguarum Orientalium, ille in Upsaliensi, hic Kiloniensi Academia Professores *in Literis Circularibus sect.* II. *p.* 19. Ex Patribus, Romano-Catholicis, Calvinianis integram Auctorum sylvam collegit Voetius *in Disp. de Generali Convers. Judæor. Tom.* II. *Disp. Select. p.* 126. *seqq.* qui conferatur; nec enim memoratos ibi hic recensebimus. Post ipsum idem egerunt Hottingerus *lib.* I. *Thes. Philol. sect.* II. *cap.* I. *q.* 2. *p.* 9. Hoornbeck. *Proleg. de Convertend. Judæis* §. XXIV. *p.* 35. Hulsius *part.* I. *Theol. Judaic. ad* אבקת רוכל *p.* 252. &c. Etsi vero Voetius *l. c. p.* 127. non dissentire plerosque ex Augustanæ Confessionis Theologis putabat, dissentiunt tamen haud pauci, & talem sperandam conversionem Judæorum negant, Lutherus ipse *Tom.* VIII. *Jenens. Germ. præf. lib. de Schemhamphorasch, f.* 119. B. Hoe *Comm. in Apocal. Tom.* II. *p.* 605. Gerhardus *Tom.* IX. LL. *Th. de Extr. Jud.* §. CXI. Cramerus *part.* II. *de Regno Christi c.* IV. *q.* 6. Brochmandus *Loc. Theol. de Extr. Jud. q.* XIII. Sed & eodem anno 1636. quo suam Voetius Dissertationem primum scripserat, binis mensibus ante prodierat Georgii Grossehain I. Theol. Doct. & Prof. Erfodiensis *Diatribe de Catholica Judæorum Conversione*, in qua Anonymi cujusdam scriptum eandem asserens ex instituto impugnatur. Nos acquiescimus in verbis Lutheri *loc. cit.* Vom gantzen Hauffen mag hoffen wer da will / ich habe da keine Hoffnung / weiß auch davon keine Schrifft. Denn daß etliche aus der Epistel zun Römern am XI. Capitel solchen Wahn schöpffen / als solten alle Jüden bekehret werdan am Ende der Welt / ist nichts. S. Paulus meynet gar viel ein anders.

(40) Digressus. Gratissima enimvero digressio, & gratias promerita potius, quam veniam Lectoris: cui forte nec ingratum fuerit, si quæ novissime Jo. Spencerus *integro libro de Urim & Thumim Catabrigiæ edito* meditatus est, hic in compendium redacta exhibeantur. Nobis illum anno superiori CL. Vir & Amicus integerrimus Dn. M. Michael von Oppenbusch / Amstelodamensis, Londini olim apud Regium Daniæ Legatum ad Regem Angliæ, hodie vero Hamburgensium Ecclesiastes, quem honoris causa nominamus, dono submisit, ut de sententia illius judicium redderemus, quam equidem, ut primum legimus, haud novam, nec prius inauditam, sed & in scenam ante complures annos productam a Christophoro Castro *lib.* III. *de vera futuror. cognit. c.* 3. atque ab Andrea Riveto *Tom.* II. *Opp. Theol. f.* 1145. jam pridem discussam, nunc vero demum ab hoc Auctore interpolatam, & latius solum traditam, novisque quod solet, accessionibus auctam agnovimus. Ante igitur, quam Spenceriana sententia afferatur, Cristophori a Castro opinionem ipsiusmet verbis præmisisse juvabit. Sic autem ille: *Erant*, inquit, Urim *&* Thummim *iidem qui* Teraphim, *per quæ interrogabatur de futuris*. Theraphim *autem imagunculæ erant seu idola, quæ interrogata responsa dabant voce manifesta. Quia ergo* Deus *voluit populum illum ablactare, & a ritibus gentium & dæmonum cultu suaviter avocare; sicut reliquit eis tam varia sacrificiorum genera, quæ dæmoni prius exhibebantur, posterius* Deo *præstabantur: ita modos illos admirandos, quibus dæmones se hominibus admirabiles ostendebant, prædicendi futura & occulta revelandi, conservavit Israelitis, sed per* Deum *ipsum & in illius honorem, hujuimodi oracula, sortes, omina ostenta & visa prophetica. In his numerantur* Teraphim, *pro quibus dedit illis* Urim *&* Thummim *sed medio Summo Sacerdote, ut occasio plebi ignoranti removeretur, uti idola, ea colendi. Erant igitur duo parvula simulacra affabre facta vel* Dei *manu, vel artificum ornamentorum, quæ ferebat Sacerdos inter plicas Rationalis, & quoties aliquid erat interrogandum, efferebat; & per illa Deus, vel Angelus nomine Dei, clare & perspicue, quid agendum, quidve non agendum respondebat: & propter sermonis perspicuitatem, quo manifestabantur responsa, & propter veritatem dicti, aut sermones complendi, unum dicebatur* Urim, *illuminationes, perspicuitates, alterum* Thummim, *consummationes, completiones & veritates; quo de responso complendo certiores irent interrogantes. Dum autem Sacerdos* Idolula *ostendebat, verisimile est ea emicare, aut coruscare solita, ad captandam populi attentionem, & ad ingenerandam admirarionem, quæ* Deo *vero eos conjungeret, quasi tantorum miraculorum auctori*. Hæc ille, quorum summam cum recensuisset Rivetus *loc. cit.* suam addit ἐπίκρισιν, hic consimiliter ad verbum subjiciendam, quia constat, non magis Riveti opera, quam Christophori illius, manibus discipulorum nostrorum, in quorum gratiam hæc excerpuntur, teri: In his, ait ille, non diu in eo insistam, quod contra suorum axiomata *Idoli & Idoluli* nomen rei sacræ a *Deo* ipso institutæ tribuit; cum illi pene omnes nomen hoc ab *imagine* distinguant, quasi significaret *rei non existentis formam* aliquam aut *figuram*; negentque *Imaginis & Idoli* nomen idem significare posse. Sed, quod *Idolula a Deo* fuisse institutа, & in rationali Sacerdotis servata, comminiscitur, quod per ea, vel Deus, vel Angelus, voce formata oracula fuderit, quod adstante populo & audiente Sacerdos hac veste indutus Deum interrogaverit; ea sane ferri non possunt, maximam partem im-

impia & profana, vana & falsa in totum. Nec est, quod moveant quemquam, quæ ex *Hos.* III. 4. afferuntur de *Theraphim*, quos cum *Ephod* junctos *de rationali & re aliqua ad Ephod pertinente* exponit,) nam nomen hoc non accipitur apud Prophetam in bonam partem, etsi jungatur cum Ephod, quia agebatur de decem tribubus, & earum futura captivitate, in qua ita cum eis actum fuit, ut ea etiam, quæ ad adulterinum cultum instituerant, ductore Jeroboamo, ipsis fuerint ablata. Quare apud eos non fuit verum pectorale, nec Ephod summi Sacerdotis, cum nullum tale jure potuerint habere, sed aliquid fortasse æmulum Judaici, gestatum ab eo, qui cultus illius idololatrici, aut potius mixti, summus esset antistes. Nec credibile est, Deum, qui imaginum sacrarum, quas vocant, usum tam severe prohibuerat, instituisse *Idolulâ*, quæ loquerentur. Nihil enim fuisset efficacius apud populum illum ad idolatriam propensissimum ad eam rursus incluandum & confirmandum. Ita Rivetus, & Spencero observatore *c.* IV. *sect.* VI. p. 105. Scriptorum pars longe maxima sententiam illius sannis & sibilis potius, quam refutatione operosa dignam hactenus duxere: alii etiam probra ei ingesserunt, quasi vix satis sano, dum hæc scripserit. Ipse tamen Spencerus vehementer sibi de ejus testimonio gratulatur, & aliqua saltem momenta judicat æquis ponderibus examinanda. Missis igitur illis, quæ locum *Deut.* XXXIII. 8. strictim tangunt, sensumque præterea mysticum spectant, ipsam historiam, prout ab eo traditur, in theses cogemus, sic tamen accipiendas, quasi ab Auctore ipso scriptæ essent. Nihil enim adferetur, quod non citatis ubique locis ipsius esse compareat.

COMPENDIUM DOCTRINÆ
JO. SPENCERI
De Urim & Thummim.

I. ACturus *de Urim & Thummim*, non tenetur Logicorum legibus ad *nominis* rationem prius reddendam, quam de *reipsa* agat, siquidem in hoc dubio & tenebris densioribus involuto argumento minus negotii facessat *natura rerum*, quam *origo nominum*, inquit *nominis* scientiam per *rei* naturam antea cognitam felicius dirigamur, *cap.* IV. *p.* XXXI. *&c.* V. *sect.* V. *p.* 257.

II. Hoc ergo ordine de *Urim & Thummim* differendum est. 1. De eorum *usu*, 2. de *loco*, quem occuparunt in pectorali, 3. de eorum *natura* & *origine*, denique, 4. de *titulis*, seu nominum *Urim & Thummim* ratione: quibus 5. tandem nonnihil de *persona*, *cujus erat Urim & Thummim gestare & consulere*, subjiciendum, c. I. *p.* 4.

III. Cæterum ante omnia præmonendum, res plane diversas, & non minus *numero*, & *usu atque officio*, quam *nomine* ab invicem divisas distinctasque fuisse *Urim & Thummim*; atque ita distincte agendum de usu, cui *Urim*, & de usu cui *Thummim* inserviit, c. II. *pag.* 4. & c. IV. *sect.* I. *pag.* 38. & *sect.* XII. *p.* 202.

IV. *Usus*, cui *Urim* inserviit, est vel *generalis* vel *specialis*, *c.* IV. *p.* 4.

V. *Generalis Usus* consistebat in edendis per *Urim* oraculis divinis in impeditis, Regni præsertim, negotiis, eumque ita certo consilio Deus determinarat, 1. ne ab illius sacris ad Gentilium ritus & cultum relaberentur Judæi, 2. ut præsentiæ suæ luculentum & ipsis oculis usurpandum perhiberet testimonium, 3. ut providentiæ suæ specialis signum & argumentum satis fidum ederet apud plebem de ea sæpius dubitabundam c. II. *sect.* I. *p.* 5. *seqq.*

VI. *Specialis Usus* proprius attingebat formam regiminis theocraticam, & sic accipiendus, est. 1. Sub prima populi Judaici tempora Deo ipsi visum est *Regis civilis personam & titulum* gerere; iisque adeo, ut Theodoretus Ἐρωτ. ιδʹ. *in prior. Samuel.* loquitur *καὶ Θεοῦ καὶ βασιλέως ἐπλήρου τὴν χρείαν*, *& Dei & Regis implebat munus*. Fuit igitur 2. Urim *Oraculum politicum*, de negotiis hominum conditionis privatæ minime consulendum, sed ad res populi totius, aut personæ alicujus loci publici moderandas & dirigendas, primario saltem, a *Deo* institutum; quæ doctorum omnium, cum Christianorum, tum Hebræorum est sententia. Ex quo porro 3. sequitur, fuisse datum a *Deo* in hujusce θεοκρατίας pignus, symbolum & testimonium c. II. *sect.* II. *p.* 12. *seqq.*

VII. Hinc intelligitur, cur Deus *geminum* apud Israelitas *Oraculum* reposuerit: unum in tabernaculo supra fœderis arcam, ut se *Deum Israelis*, alterum in pectorali pontificis intra gemmas, ut se *Regem* etiam & rerum suarum curam gerere, iisque perpetuo invigilare, populo suo clare testaretur c. II. *sect.* II. *pag.* 24.

VIII. *Usus*, cui *Thummim* inserviit, non erat, ut oracula per illud, sicuti per Urim, ederentur, sed ut dignitatem & virtutem Sacerdotis, per Urim responsa divina accipientis, & individuum

hunc τȣ̃ *Urim* comitem simul gestantis, quasi in symbolo exprimeret, tanquam Judicis æqui partibus & affectibus nullis mancipati c. IV. *sect.* XII. *p.* 217.

IX. Hæc de *Usu*: Jam de *Loco*, quem in pectorali occuparunt. Hic utrique *Urim* æque ac *Thummim*, fuit communis, in interioribus nempe pectoralis, quod חשן *Coschen* dicebatur, in quæ utrumque per apertum duplicati pectoralis latus immissum, concavum illius medium occupabat c. III. *p.* 28. *seqq.*

X. Erat enim *Coschen*, seu pectorale illud judicii, pannus duplicatus e cordis regione suspensus, palmi amplitudine quadrangulus, & gemmis duodecim tribuum nomina inscriptis distinctus, atque ita fabricatus, ut pene formam crumenæ exprimeret, sacra illa instrumenta, *Urim* inquam & *Thummim*, intra concavam illam duplicitatem, veluti in theca quadam reciperet. *Ibid.*

XI. Hæc etiam de *Loco*: succedit *Natura* & *Origo*, de qua hæc generalia prælibanda sunt. *Urim & Thummim* fuerint 1. res quædam *diu ante*, saltem quoad substantiam & usum, apprime *cognita*, quam in ornamentorum Sacerdotalium locum & sanctitatem vocasset Deus, e longo videlicet usu, a primis forsan a diluvio seculis, inter quamplurimos Noæ filios invalescente. Fuerunt 2. res, per quas, ceu *organa vera & proxima* subinde *oracula* divina *illinc* ederentur, *hinc* ut vera & infallibilia confirmarentur, suamque indipiscerentur autoritatem. Fuerunt 3. *diversum quid a lapidibus pectoralis*, utpote post dispositos ab artificibus in aureis loculis lapillos, tanquam sacratius quiddam, confecto ita & exornato pectorali inditum, non secus ac tabulæ fœderis in arca ex lignis Sethim fabricata & auro obducta reponebantur. Fuerunt 4. res *tantum duæ*, quarum una *Urim*, altera *Thummim*, numero quidem plurativo, sensu tamen singulari, ut plura sunt id genus nomina, appellabantur. Et hæ duæ res fuerunt 5. ut *nomine*, sic *numero* & *usu*, quod & jam superius §. 4. notatum, vere ab invicem distincta: atque adeo 6. hic quoque de natura & origine τȣ̃ *Urim* primo, deinde de *Thummim*, seorsim differendum c. IV. *sect.* I. *p.* 32. *seqq.*

XII. Quod *Urim* attinet, *Origo* ejus ex veteri a *Theraphim* oracula petendi ritu, cujus in historia Labani & Jacobi *Gen.* XXXI. 19. 30. 32. 34. 35. diu ante Mosis tempora usitati vestigia supersunt, advocanda est, quem Deus pene invariatum Israelitis ejusce ritus gnarissimis cupidissimisque reservare voluit, rem eandem, sub diverso tamen nomine, e gentium sacris ad cultum suo populo præscriptum trasferendo, certisque legibus consecrando. Hinc porro *Natura* τȣ̃ *Urim* eadem fuit cum natura *Theraphim*, & quod in sacris Pontificis summi ornamentis *Urim* dicebatur, nil erat aliud, quam quod *Theraphim* appellabatur antiquitus c. IV. *sect.* II. *p.* 53.

XIII. Erant autem *Theraphim* simulacra quædam parvula, ad humanam forte similitudinem formata, seculis antiquissimis frequenti in usu, in sacris plurimum ædiculis seposita, quæ spiritus cujusdam, sæpius immundi, præsentia animata, oracula fundere solebant c. IV. *sect.* II. *p.* 42. *seqq.*

XIV. Et tale instrumentum concavum decore ad pueruli formam & figuram eo modo, quo solent imagunculæ, quibus virgines in ætate infantili ludunt, fabricatum, erat etiam *Urim*, quod reconditum gestabat Sacerdos intra concavas rationalis plicaturas, quo mediante Deus aut angelus illius vice & nomine, ad Pontificis interrogata respondit, eumque quid ex usu esset agere, quid non agere, quid præsens, quid futurum, voce formata docuit c. IV. *sect.* II. *p.* 40.

XV. Quæ quidem descriptio obiter eam contuenti portentosa apparet; sed ita se rem habere, nec veteris ægroti somnia agitati patebit, modo hypothesim illam, *Urim ejusdem cum Theraphim muneris & figura, sub diverso tantum nomine, imagunculam fuisse*, probaverimus; id quod κατασκευαστικῶς primum, deinde ἀνασκευαστικῶς ostendetur c. IV. *sect.* II. *p.* 53.

XVI. Κατασκευαστικῶς sumuntur argumenta, ad confirmandam hypothesim dictam, 1. ab *autoritate Scripturæ*, quæ illam nunc *aperte*, nunc *probabiliter* asserit.

XVII. *Aperte* confirmatur tum *Hos.* III. 4. ubi *Ephod* & *Theraphim* sic conjunguntur, ut non possit per *Theraphim* aliud, quam *Urim* intelligi; tum *Jud.* XVII. 4. 5. ubi clare constat, per *Theraphim* notari *Urim*, si accuratius perpendantur historiæ illius circumstantiæ, observeturque, *quid* Micha hic fecerit? & *quo consilio*? c. IV. *sect.* III. IV. *p.* 54. *seqq.*

XVIII. *Probabiliter* idem colligitur (α) ex historia Gideonis, qui *Jud.* IX. 27. sibi *Ephod* confecisse dicitur, sensu complexo, ut *Theraphim* per *Urim* exponenda amplexu suo, perinde ut in Michæ historia, comprehendat. (β) ex locis, quæ de summo omnium, v. g. Rachelis

&

& Labani *Gen.* XXXI. 32. Michæ *Jud.* XVIII. 14. 15. & cæterorum *Hos.* III. 4. in *Theraphim* affectu testantur, persuadente utique, ut Deus usum *Theraphim*, licet emendatum, ipsis conservaret, quod & fecit in *Urim* pectoralis Sacerdotibus. (γ) ex iis locis, quæ sacerdotem *facie versus Arcam conversa* Urim consuluisse describunt, *Num.* 27. 21. *Jud.* XX. 18. 17. 28. *&c.* quod ideo Deus sic ordinarat, ne plebs insulsa Sacerdotem more veteri a dæmone, vel stellarum influxu, aut incerto Numine responsa petere & accipere crederet; sed ipso hoc Sacerdotis *Theraphim* sub novo *Urim* titulo sibi applicantis situ, a vero Deo illa rogare & impetrare doceretur. (δ) ex modo loquendi in scriptura semper servato, quoties de Urim agitur, *Exod.* XXVIII. 30. *& alibi*, quippe nullibi, ne quidem syllabam, ad rei conditionem enarrandum præmittit, sed simpliciter nominat, æque ut *Theraphim* *Gen.* XXXI. 19. quasi rem omnibus sine interpretis ope satis cognitam & perspectam. (ε) ab exemplis similis συγκαταβάσεως divinæ qua *Regem* postulantibus, Deus pene tamen invitus *Hos.* XIII. 10. concessit, *divortia* item & *polygamiam* non prorsus e medio tollere, sed lege saltem costringere voluit, ne nimium exorbitarent Israelitæ, illis inde a longo tempore adsueti: similiter antiquum hunc oracula e *Theraphim* petendi morem, sub certis tamen conditionibus, populi ruditati indulsisse, credibile est c. IV. *sect.* V. *p.* 86. *seqq.*

XIX. (2.) A *testimonio trium Interpretum*, quorum primus est Philo Judæus *lib.* III. *de vita Mosis fol.* 670. Τὸ δὲ λόγιον, inquit, τετράγωνον διπλοῦν κατεσκευάζετο, ὡσανεὶ βάσις, ἵνα δύο ἀρετὰς ἀγαλματοφορῇ, δήλωσίν τε καὶ ἀλήθειαν, id est, ex versione Rob. Heggi: *Rationale factum erat quadrangulum & duplum, tanquam basis destinatum, & imagines duarum virtutum ferens, Doctrinæ vel Manifestationis & veritatis*. Alter est R. Aben Esra, qui referente Majemonide apud Buxtorfium *in Hist. Urim & Th.* c. II. existimavit, *Urim* & *Thummim* fuisse מעשה אומן בכסף וזהב *opus argentifabri vel auri fabri*, & simile quid illis figuris, שיעשו בעלי הכוכבים לדעת מחשבת השואל: *quas faciunt Astrologi ad sciendum cogitationem ejus, qui interrogat*: Ubi per has Astrologorum figuras procul dubio *Theraphim* intelligit, qua voce alibi, teste Kirchero *Tom.* I. *Oedip. Ægypt. Synt.* IV. c. III. icunculas cœli astrorumque certa observatione confectas & ad augurandi divinandique usum sepositas significari scripsit. Ultimus est *Christophorus a Castro*, cujus verba jam superius exscripta sunt, c. IV. *sect.* VI. *p.* 100. *seqq.*

XX. (3) A *communi institutorum Mosaicorum origine*, quorum quidem non paucorum etsi nos rationes latent, non pauca tamen vicissim ex peculiari aliquo seculi illius, quo solemniter sancita sunt, usu dimanasse, ut sensim potius & suaviter Israelitas a gentium sacris, animis eorum nimis inhærentibus, Deus avocaret, quam statim & quasi violenter depelleret, ex plurimorum inductione constat, & observarunt id pridem viri doctissimi, Hebræi pariter & Christiani c. IV. *sect.* VII. *p.* 113. *seqq.*

XXI. Præcipuus ex *Hebræis* est R. Majemonides. Is cum *part.* III. *More Neboch. c.* XXXII. prolixe cultum Idololatricum descripsisset, cui inter gentes adsueti fuissent Israelitæ, tandem concludit, plerosque Ethnicorum ritus retentos ad veri Dei cultum translatos: ומפני זה השאיר השם מיני העבודות ההם והעתיקם מהיותם לנבראים ולעניינים דמיוניים שאין אמתות להם לשמו יתעלה וצונו לעשותן לו יתעלה וצונו לבנות היכל לו ושיהיה המזבח לשמו ושיהיה הקרבן לו ושישתחוו לו ושיקטרו לפניו והפריש כהנים לעבדת המקדש וכו׳: *Propter hanc causam*, inquit, *retinuit Deus adhuc cultus, eosque a rebus creatis & phantasmatis, quæ nullam veritatem habent, ad nomen suum venerandum transtulit, & præcepit nobis, ut illas exhibeamus Ipsi. Ita præcepit, ut ipsi ædificemus templum, ut altare nomini ejus consecretur, ut sacrificium ipsi offeratur, ut nos incurvemus & suffitum faciamus coram ipso. Sic sacerdotes ad cultum sanctuarii separavit, &c.* (conf. Jos. de Voisin *lib.* I. *Theol. Jud. c.* V. *p.* 95. 96.)

XXII. E *Christianis* eadem tradidit Chrysostomus *Homil.* VI. *in Matth. fol.* 55. cum ipsi de stella Magis in Oriente visa sermo est: Μὴ τοίνυν ἀνάξιον νομίσῃς θεοῦ, τὸ δι᾽ ἀστέρος αὐτοὺς καλέσαι. ἐπεὶ οὕτω καὶ τὰ Ἰουδαϊκὰ πάντα διαβαλεῖς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τοὺς καθαρμοὺς, καὶ τὰς νεομηνίας, καὶ τὴν κιβωτὸν, καὶ τὸν ναὸν δὲ αὐτόν. καὶ γὰρ ταῦτα ἐξ ἑλληνικῆς παχύτητος ἔλαβε τὴν ἀρχήν. Ἀλλ᾽ ὅμως ὁ θεὸς διὰ τὴν τῶν πλανηθέντων σωτηρίαν ἠνέσχετο διὰ τούτων θεραπευθῆναι, δι᾽ ὧν οἱ ἔξωθεν δαίμονας ἐθεράπευον, μικρὸν παραλλάξας αὐτὰ, ἵνα αὐτοὺς κατὰ μικρὸν τῆς συνηθείας ἀποσπάσας ἐπὶ τὴν ὑψηλὴν ἀγάγῃ φιλοσοφίαν. *Ne igitur opineris*, inquit, *Deo indignum, quod Magi per stellam vocantur: hoc enim modo omnes Judæorum ceremonias, omnesque ritus & sacrificia, atque purificationes, & neomenias, & arcam, templumque* *ipsum*

ipsum reprobabis; siquidem hæc omnia originem a gentium ruditate traxerunt. Sed Deus ob deceptorum salutem, per ea ipsa se coli passus est, per quæ illi dæmones ante coluerant, aliquandiu illæ in melius inflectens, ut eos paulatim & a consuetudine sua reduceret, & ad Philosophiam perduceret altiorem. Hæc Chrysostomus, quæ alibi sæpius inculcat.

XXIII. Paria scripsit Chrysostomi aliquando æmulus, sed post illius mortem ipsi, Nicephoro teste *lib.* IV. *Hist. Eccles. cap.* XXVIII. reconciliatus, Cyrillus Alexandrinus *lib.* XVI. *de Adorat. in Sp. & verit.* Ἑλλήνων μὲν οἱ ἀνέστατοι παῖδες τοῖς παρὰ σφίσι παρεπόμενοι συνηθείαις, καὶ κτηνῶν ἀλόγων διαβιοῦντες δίκην, ἀνίεσαν κόμην, δαιμονίοις αὐτὴν σκηπτόμενοι τρέφειν &c. *Gentilium dementissima natio, suas consuetudines secuti, & more mutarum pecudum viventes, promittebant comam, dæmoniis eam nutrire professi. Atque alius quidem Nymphis, quas Oreades appellabant, alius fluvio, cum visum esset, offerebat, atque religionis loco res ea habebatur. Sapientissimus itaque Moses, imo per Mosen Deus, cum intelligeret non facile Hebræos, quos in Ægypto errores imbibissent, deponere posse, similes ritus instituere decrevit, sensim eos a priscis erroribus disjungens: quibus ritibus non dæmones ultra, sed Deum omnipotentem, quasi sub umbra & figura colerent.*

XXIV. Cum ergo Deus tot rituum in Ethnicismi utero primitus conceptorum usum populi Hebræi pervicaciæ & ruditati dederit, quidni & *ritus consulendi Urim* e more antiquissimo responsa e *Teraphim*, vel imagunculis sacratis petendi, principia petierit, atque inde in Ecclesiam Judaicam, tanquam mulier ethnica in Israelitæ thorum, transierit? nam procul dubio non majorem impuritatem mos ille, quam alii iisdem orti natalibus, a gentilismo hauserat; nec Israelitæ minore desiderio & admiratione harum imaginum loquentium, imo forsan longe majore, quam consuetudinum aliarum fuerant ducti. *cap.* IV. *sect.* VII. *pag.* 124.

XXV. 4. Per *remotionem cæterarum sententiarum*, quarum tres sunt palmariæ, & doctiorum calculo hactenus receptæ: quas ideo solas ad examen vocasse suffecerit. Iis enim eliminatis merito succedet isthæc hypothesis cum seipsa & Scripturis magis consentiens, & argumentis assensu dignis munita. *cap.* IV. *sess.* VIII. *p.* 133. & 146.

XXVI. *Prima* statuit, duodecim tribuum, & trium Patriarcharum, *Abrahami*, *Isaaci*, *Jacobi*, nomina cum hac ἐπιγραφῇ, כל אלה שבטי ישראל *singulæ hæ sunt tribus Israelis*, pectorali insculpta fuisse, quæ voces junctim sumtæ, omnes alphabeti Hebraici literas ad exprimendum quodlibet verbum, exhibuerint. Sacerdotem igitur, facie ad arcam inter consulendum conversa, literas quasdam in pectorali plus solito splendescentes, inque verba compositas observasse, & ne vel ex punctorum vocalium defectu, vel incerta protuberantium literarum combinatione erraret, divina voce edoctum: & hunc splendorem vel eminentiam subitaneam, sive ipsas has literas, quatenus, ut galaxia e stellularum splendescentium congerie, sic ex literis in pectorali effulgentibus coaluerint, fuisse *Urim & Thummim*. Ita Talmudici.

XXVII. *Secunda* illorum est, qui arbitrantur, Deum a Sacerdote gemmas istas gestante certo ritu invocatum, ex pacto respondisse, non articulata aliqua voce, sed per *illuminationem intellectus* Sacerdotis, & certam persuasionem menti ipsius de veritate responsi inditam; nullam igitur vim fuisse in lapidibus, nisi tanquam in morali causa, a Deo fuisse effectum, qui ad illius præsentiam operabatur occulto aliquo modo. Ita ex Hebræis R. David Kimchi *in* 2. *Sam.* XXV. R. Bechai *in Deut.* XXXIII. 8. & R. Maimonides *Hulk. kele hammikd. cap.* X. ex Christianis Rivetus *Tom.* I. *Opp. fol.* 1146. Salianus *Tom.* II. *Annal. V. T. ad A. M.* MDXLIV. §. 550. Corn. a Lapide *in Exod.* XXVIII. *f.* 560. pluresque alii.

XXVIII. *Tertia* ad solas *pectoralis gemmas* unice respicit, perque has statuit Consilium divinum innotuisse: has nempe colorem & quasi vultum retinuisse quotidianum & communem, si Deus responsum triste vel negativum; novis autem & insolitis lucis stricturis feriisse sacerdotis oculos, si responsum lætum vel affirmativum formaturus fuisset. Ita Suidas *in voc.* ἐφώδ. Moncæus *lib.* I. *de aur. vitt. c.* XIX. Grotius *in* I. *Sam.* XXX. 7. aliique Josephum *lib.* III. *Antiq. Judaic. cap.* IX. ut putant, secuti.

XXIX. Hæc sententiarum triga in hoc conspirat, *Urim & Thummim fuisse ipsos Pectoralis lapides*; & saltem circa *rationem ac modum* dividitur, quo responsa per lapides illos mutos consulentibus tradita certo innotuerint; quem *illa* in voce a sacerdote audita splendori protuberantium literarum juncta, *ista* in divina illuminatione, & suggestione Spiritus Sancti, *hæc* in solo sive festiviori gemmarum jubare, sive vultu earum tristiori & luctuosæ rerum futurarum scenæ convenienti quærit: sicque tota uni-

ver-

versim uno concidet ictu, si nullam in responsis divinis Pontifici tradendis partem & sortem hisce lapidibus fuisse, exploratum habeamus. *cap.* IV. *sect.* VIII. *p.* 137. *&* 145.

XXX. Satis autem hoc evincit (α) Locus *Exod.* XXVIII. 30. ubi Pectorali jam perfecto & absoluto inseri jubentur *Urim* & *Thummim*; at vero lapides inserebantur, cum sub artificum manu pectorale adhuc versaretur: nam cum de pectoralis lapidibus instruendi fabrica pridem actum esset *v.* 15. subjungitur demum *v.* 30. *Pones autem in Pectorali* (lapidibus sic instructo) *Urim & Thummim*. (β) Titulus *Urim* & *Thummim*, quo lapides illi longe impares & minores videntur, cum plurimi eorum vel nihil omnino, vel non adeo multum *lucis & splendoris* projiciant, nec de *perfectione* eorum tam eximia sive naturali, sive artificiali quicquam constet. (γ) Circumstantia personarum hinc *gemmas*, illinc *Urim* & *Thummim* pectorali imponentium: *Gemmas* enim ubique legimus ab *Artificibus* in aureis loculis dispositas *Exod.* XXXIX. 10. at *Urim & Thummim* tanquam sacratius quiddam a *Mose* in pectorali, veluti tabulæ fœderis in Arca, collocari dicuntur *Exod.* XXVIII. 30. *Levit.* XVIII. 8. (δ) Discrepantia illorum inter se, qui *gemmas illas* atque *Urim & Thummim* res easdem, sed diversis tantum nominibus ob fines & Usus diversos appellatas contendunt: siquidem in reddenda ratione, qua consulentes de oraculo divino certi evaderent, magis quam horologia invicem dissideant. (ε) Textus ipse citati loci *Exod.* XXVIII. 30. accuratius inspectus, qui novum mandatum de disponendis in Rationali *Urim & Thummim* continet, aliud plane ab eo, quod de includendis in palis lapidibus præcesserat, nisi quis ταυτολογίαν asserat in Mosaica narratione haud admittendam. *Cap.* IV. *sect.* I. *p.* 34. *seqq.*

XXXI. Porro si ad speciale singularum examen descendatur, *Primum* Talmudicorum sententia vere *Talmudica* est, h. e. in Judæorum cerebro nata, perpetuis miraculis, vocibus divinis aliunde subvenientibus, & gloria quadam externa, de quibus omnibus nihil omnino sacræ literæ, tota intumescens. Dicant Talmudici, (α) unde sciant, tot voces præter duodecim tribuum nomina pectorali inscriptas? (β) quibus pectoralis partibus tot literæ fatidicæ exarari potuerint? an in gemmis? at hæ vix tribuum nomina capiebant; an in ipso duplicati pectoralis panno? at ejus angusta superficies duodecim illis gemmis jam obtegebatur. (γ) quomodo responsum, quod eadem alphabeti elementa sæpius repetita postularet, per literas non nisi semel in vocibus pectorali inscriptis occurrentes tradi potuerit? Ut aliæ id genus prætereantur difficultates, quas nunquam, nisi fingendo, removebunt. *c.* IV. *sect.* VIII. *p.* 138.

XXXII. *Secunda* itidem partim ἄγραφος, partim ἀντίγραφος. Nusquam enim Scriptura per *Spiritus afflatum*, sed per *Urim*, tanquam verum & proximum oraculi tradendi medium, Deus Sacerdoti pectorale sibi sciscitaturo applicanti respondisse asserit; Et, si per Spiritus afflatum, & sermonem intellectualem responsa Dei innotuissent Sacerdoti, rectius *cum Urim*, quam *per Urim* respondisse Deus diceretur. *Ibid. p.* 141.

XXXIII. *Ultimam* sana ratio dispellit. Finge responsum *Dei* paulo prolixius & expressius, quale illud 2. *Sam.* V. 23. Davidi Deum consulenti, *an ad Philisthæos adscenderet, nec ne?* per Urim datum: *Non adscendes recta, contra eos, sed circuitum facies pone eos, & venies ad eos ex adverso mororum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthæorum.* Certe responsio tot verbis, tot circumstantiis & cautelis distincta & variata, simplici splendoris unius signo nec dari nec accipi potuit. *Ibid. p.* 143.

XXXIV. 5. A *Synonymia* vocum *Urim* & *Theraphim*, quippe quæ vel ejusdem sunt significationis, vel certe affinitate minimum significationis conjunctissimæ, cum אורים *Urim* ignes accensos & flammantes: תרפים *Theraphim* vero Urentes & inflammantes denotet. *C.* IV. *sect.* IX. *p.* 147.

XXXV. De voce *Urim* res manifesta est, & vel ex solo textu *Jes. L.* 11. ad oculum monstranda. De *Theraphim* autem paulo quidem obscurior videri poterat, nisi levissima illa & frequentissima apud Orientales literarum ש & ת permutatio nomina תרפים *Theraphim* & שרפים *Seraphim* plane eadem, saltem hoc Hebraicum magis, illud magis Chaldaicum aut Syriacum argueret. *Seraphim* autem *urentes* vel *inflammantes* sonare, nemo negat. *Ibid. p.* 148.

XXXVI. Ut autem constet, *quod* & *cur* icunculis illis nomen *Seraphim* vel *Theraphim* sit impositum, probe animo recolendum est, (α) *Seraphim* fuisse *angelorum nomen*, a prima pene temporum memoria crebris Orientalium sermonibus usurpatum. Vid. *Jes.* VI. 6. (β) Homines ad angelorum memoriam celebrandam, vel eorum præsentiam significandam,

dam, *ſtatuas* vel *columellas*, tanquam ſymbola, in locis præſertim religioſis, more antiquiſſimo poſuiſſe. (γ) Circa has ſtatuas præbuiſſe angelos *præſentiæ ſuæ teſtimonia*, atque inde veri *Dei* cultores ſeculis antiquiſſimis quandoque fuiſſe *allocutos*, atque ſic tandem (δ) hæc ſimulacra in *angelorum*, quorum ſymbola, & quaſi tripodes erant, titulos ſucceſſiſſe, & a Syris aliiſque Chaldaiſmo tinctis *Theraphim*, loco *Seraphim*, vulgo appellata. *Cap.* IV. *ſect.* IX. *pag.* 158. *ſeqq.*

XXXVII. Approbat id ſuo calculo Ludovicus de Dieu *Animadv. in Gen.* XXXI. 19. *p.* 41. *Theraphim*, inquit, *fuerunt fortaſſe Angelorum imagines, aut Angelis dicatæ. Unde ſpiritus angelicus eas ſubibat, ac conſulentibus oracula per eas edebat. Ex hac conjectura* תרפים *mihi idem eſſet, quod* שרפים, *notiſſimum angelorum nomen, mutato ex Syrorum more* ש *in* ת. *Conſtat autem ex hoc loco, imagines* תרפים *e Syria ortum ducere. Videntur autem ex hoc loco, & ex* I. *Sam.* XIX. 13. *fuiſſe dii penates, qui ad tuendam amplificandamque rem domeſticam colerentur.* Conferatur quoque Corn. a Lapide *Comm. in Hoſ.* III. *fol.* 95.

XXXVIII. 6. *Certa rationum decade.* Nam hæc ſententia (α) nullam Scripturæ vim affert, ſed expeditam omnium locorum, in quibus Oraculi hujus occurrit mentio, interpretationem ſuggerit. (β) Luculento gentilium monumentorum teſtimonio juvatur. (γ) Rationi convenientiſſima eſt: cum enim *Deo* viſum eſſet, voce articulata e pectorali data reſpondere, (id quod e I. *Sam.* XIV. 36. *ſeq.* conſtat,) nullum inſtrumentum ad vocem illam formandam magis aptum & decorum excogitari poteſt, quam ſimulacrum parvulum paulo excavatum, & formam humanam referens. (δ) Anſam & initium reſponſorum *per Urim* datorum omnium optime oſtendit, quod fecerint ejuſdem ſeculi mores, de quo alias altum in Scripturis ſilentium. (ε) Omnia pene revelationum genera, exceptis inhoneſtis illis ſpeciebus, augurio, ῥαβδομαντεία, necromantia, & ſimilibus, Iſraelitis & gentilibus communia fuerunt: dandum igitur eſt illis gentium *Theraphim*, quæ ſui nominis celebritate omnia implebant, in divinationum Judaicarum catalogo ſimile quid & parallelum. 5. Oracula *Deus* ipſa Iſraelitis conceſſerat; quid ni igitur uſitatum ea ex imagunculis accipiendi modum, cujus ſumma admiratione defixi, & voluptate perfuſi hærebant, pari facilitate indulſerit? (ζ) Cum potiori legum Moſaicarum parti ortum dederint mores illius ſeculi vel *honeſti* e religioſis Patriarcharum ritibus deſcendentes, vel *pravi*, quibus illæ opponerentur, *vel medii* apud Ægyptios alioſque vicinos populos uſitati; quidni & inſignem illum per *Urim* ſciſcitandi ritum a more aliquo ſeculi Moſaici anſam accepiſſe crederemus? cur enim hunc ritum ſtatuamus cæteris omnibus diviſum, & nulla originis ſui ſimilitudine iis devinctum? (η) Quid ſibi vult mira legis de *Urim* latæ brevitas, & vix ulla cum contextu cohærentia? niſi quod de re agat, cujus uſum & formam Moſes & Iſraelitæ probe tenuere, ut ſupra locum, quem dari illi voluit *Deus*, nihil fuerit monendum. (θ) Pontificis ſummi ornamenta σύςοιχα fuere ornamentis templi: colores quatuor iidem; ſeptem veſtimenta, ſi laminam annumeres, pro ſeptem lychnis; duodecim gemmæ pro duodecim panibus; interula Ephodis pro velo & ſex cortinis: Reſtat ergo ut juxta hanc diſpenſationem imaginibus *Cherubim* dictis, e quibus de propitiatorio oracula edebantur, in ornatu Pontificis reſponderet imago, ſi non ejuſdem, ſaltem proximi inter angelica nominis *Seraphim*, vel quod idem eſt, *Theraphim*. Tandem (ι) nullis difficultatibus implicita eſt hæc ſententia, & ipſam reſponſa reddendi rationem infert explicatam, ſimplicem & compendii plenam. Quid enim planius iſta aſſertione: *Deum* e pectorali voce formata reſpondiſſe, mediante ſimulacro præſentia angelica animato, & in hominis forſan ſpeciem efficto, utpote organo ad vocem formandam, vel præſentiam illam indicandam, aptiſſimo & maxime decoro. C. IV. *ſect.* X. *p.* 175. *ſeqq.*

XXXIX. Hæc argumenta pro confirmanda hypotheſi ſufficiunt. Nunc ἀνασκευαςικῶς videndum, quantum roboris habeant argumenta, quæ in adverſum afferri poſſunt, & vel ſententiæ hujus fundamenta petunt, ac quaſi cuniculos agunt, vel ipſam immediate adoriuntur. *cap.* IV. *ſect.* XI. *p.* 186.

XL. Fundamenta petunt hæc tria: 1. Nullibi teſtantur gentilium monumenta, extitiſſe inter ipſos imagines iſtiuſmodi garrulas; Ergo *Teraphim* non fuerunt imagines, e quibus reſponſa oraculorum fidem & ſanctitatem præferentia veteres habuere. 2. *Theraphim* jam *Labani* ſeculo apud Iſraelitarum majores in cultu & æſtimio fuerunt; Ergo illorum uſum & amorem non imbiberunt in Ægypto, ut opus habuerit *Deus* eorum loco *Urim*, rem veterem ſub novi nominis larva populi ruditati indulgere. 3. Non conſtat,

Ægy-

Ægyptios illos, quibus cum Iſraelitis tot annorum uſus interceſſerat, Chaldæorum & Syrorum more, numinis alloquia e parvulis idolis expectaſſe aut accepiſſe; Ergo Iſraelitarum *Urim* frequenti imaginum propheticarum in Ægypto uſui principia non debent. *Cap.* IV. *ſect.* XI. *p.* 187. *ſeqq.*

XLI. Nihil autem hæc argumenta valent. Non 1. *primum*: quia teſtimonia adſunt utique, quæ dæmonem per idola, ut mundi juventutem ad eorum cultum pelliceret, λόγια ψεύδεις effudiſſe probent, & afferuntur a Tertulliano *in Apolog. c.* XXI. Euſebio *lib.* V. *Præpar. Evang. c.* II. Athanaſio *in Orat. contra idola*. Athenagora *in legat. pro Chriſtian. f.* XXX. Auguſtino *lib.* VIII. *de Civit. Dei c.* XXIII. Juſtino Martyre *in Quæſt. & Reſp. n.* XXIV. multiſque aliis. Adhæc memorabilis eſt locus *Zach.* X. 2. *Theraphim locuta ſunt vanitatem*; qui ne figurate de idolorum prophetis, Ariolis, aſtrologis aliiſque hujus farinæ nugivendulis accipiatur, probe attendendum, *imagines vanitatem loquentes* ab omnibus *vanitatum doctoribus* & *idolorum vatibus* expreſſim diſtingui, & tres præcipuos divinandi modos, quos locus 1. *Sam.* XXVIII. 6. enumerat, *Deus non reſpondit*, *vel per* Urim, *vel per* Prophetas *vel per* Somnia: ibi quaſi apud idololatras parallelos recenſeri: Theraphim *locuta ſunt vanitatem*, Divini *viderunt mendacium*, & Somniantes *rem vanam narraverunt*. Non 2. *ſecundum*: quia tantum abeſt, ut fundamenta infringat, ut potius confirmet. Si enim Iſraelitæ uſum *Theraphim* a Majoribus ſuis acceptum in Ægyptum intulere, probabile potius eſt, voluiſſe hunc concedere *Deum* craſſo illi & obfirmato populo, quem præter ſacram futura cognoſcendi famem tot annorum conſuetudo & majorum exemplum inſuper tenebant. Non 3. *tertium*, quia ſufficit, id certo conſtare ex Scripturis, obtinuiſſe *Theraphim* diu ante legis datæ tempora apud Syros, eaque Iſraelitas plurimi ſemper habuiſſe, licet nullo veterum teſtimonio confirmari poſſit, in eodem cenſu apud Ægyptios Moſis ſeculo fuiſſe; de quo tamen vix dubitandi locum concedit profuſa Ægyptiorum ſuperſtitio & idololatria. *Ibidem.*

XLII. Contra ipſammet hypotheſin objiciuntur potiſſimum quatuor: 1. *Silentium Hebræorum*, in quorum ſcriptis omnibus nec vola ejus, nec veſtigium compareт, quos tamen non eſt veriſimile rerum ſacrarum adeo ignaros fuiſſe, ut nemo ex iis, præter *Philonem* & *Aben Eſram*, veram hujus oraculi naturam noverit. 2. *Indecorum & inconvenientia*, cum tantum non injurioſum in Majeſtatem divinam & religionem ſit, Dei reſponſa per idola *Deo* & bonis omnibus exoſa, non tam data, quam polluta fingere. 3. *Præceptum de vitanda idololatria*, quod Deus dederat, quem non credibile eſt idola loquentia inſtituiſſe, medium ſcilicet efficaciſſimum, populum ad idololatriam alias propenſiſſimum, ad eam rurſus inclinandi. 4. *Sententiæ novitas atque inſolentia*: quis unquam fando audivit, *Deum* per imagunculam in panno parvulo reconditam reſpondiſſe? *C.* IV. *ſect.* XI. *p.* 193. *ſeqq.*

XLIII. Sed neque hæc quicquam ponderis habent. Non 1. *primum*: quia ab ignorantia Judæorum ad negationem rei ipſius ante illorum ſecula exiſtentis non valet conſequentia. *Manifeſta eſt Judæorum inſcitia*, inquit Scaliger lib. VI. de Emendat. Tempor. *qui cum uſu veterum rituum, etiam eorum cognitionem amiſerunt; ut multa, quæ ad eorum ſacra & hiſtoriam pertinent, longe melius nos teneamus, quam ipſi*. Non 2. *Secundum*: quia *Dei* reſponſa per imagunculam *Urim* non colendi illam animo ab homine, ſed ipſi *Dei* manu formatam & ſacro huic muneri dicatam edita fuiſſe contenditur. Non 3. *tertium*: quia ſi id valeret, negandæ quoque eſſent Cherubinorum imagines ſuper propitiatorio, e quarum tamen medio *Deum* oracula fudiſſe, cum ſcriptura hic manifeſta ſit, nemo negat. Non 4. *quartum* denique: quia licet nova & inſolens aliquibus videatur, non tamen e proprio hauſta eſt cerebro; & minus præterea inſolens & ſenſui adverſa, quam cæteræ opiniones omnes, ſi æqua rationis nullis obnoxiæ partibus lance ponderentur. *Ibidem.*

XLIV. Hucuſque de *Urim*, nunc ejus comitis *Thummim* natura origo inveſtiganda. Et *naturam* quidem facilius intelligemus, ſi cognoverimus *originem*, quam itidem a ſeculi ejuſdem conſuetune aliqua apud Ægyptios cumprimis trita derivamus, qua expoſita non minus de illa conſtabit, atque jam conſtat de natura & origine Urim. *C.* IV. *ſect.* XII. *p.* 204.

XLV. Inter ritus autem Ægyptiacos, cum ipſis, ut videtur, regni primordiis natos non poſtremus ille eſt, quem cum Ælianus *lib.* XIV. *Var. Hiſt. cap.* XXXIV. tum Diodorus Siculus *lib.* I. *rer. Ægypt.* deſcribunt, verbis ex utroque huc tranſcribendis. Δικαςαὶ δὲ, inquit Ælianus, τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν. ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας. ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώ-

θρώπων καὶ ἀφειδέστατον. εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα Ἀλήθεια. i. e. *Apud Ægyptios, a prima antiquitate, qui judicabant, Sacerdotes erant: Eorum autem princeps fuit, qui cæteros ætate anteibat: Ille in omnes jus dicebat. Eum autem esse oportebat omnium & justissimum & parcentem nemini. Gerebat autem de collo imaginem ex sapphiro, eaque imago* Veritas *dicebatur*. Sic Diodorus, cum ἀρχιδικαστὴν ἔχοντα τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην ἐκ τοῦ τραχήλου *Summum judicem, qui* Veritatem *de collo pendentem habebat*, sistit, ita de eo inter alia: Συντάξεις δὲ τῶν ἀναλωμάτων παρὰ τοῦ βασιλέως τοῖς μὲν δικασταῖς ἱκανοὶ πρὸς διατροφὴν ἐχορηγοῦντο. τῷ δὲ ἀρχιδικαστῇ παραπλήσιοι. ἐφόρει δ' οὗτος ἐπὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν. τῶν δ' ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὴν τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαστὴς προσθεῖτο. i. e. *Salaria præbebantur a Rege, Judicibus quidem, quanta ad victum sufficiebant; amplissima vero summo Judici. Gestabat ille in collo ex aurea catena pendens e lapillis pretiosis simulacrum, cui* Veritas *nomen: Hoc autem veritatis simulacrum judiciorum principi aptatum, causas cognoscendi auspicium fuerat*.

XLVI. Tale igitur ἄγαλμα ex aurea catena pendens Israelitarum quoque sacerdoti concedere voluit sapientissima Dei indulgentia, cum sacri cultus ceremonias institueret, ne quicquam ornatus & elegantiæ in Sacerdote suo Israelitæ desiderarent, cujus ingens admiratio teneros eorum animos in Ægypto fascinarat. Hinc illa inter *Ægyptum* & *Hebræorum Pontificem* similitudo. *Illius* dignitas ornatu splendido & eleganti asserebatur; asserebatur & *hujus* autoritas ornamentis vestium oppido pretiosis. *Ille* bullam splendore & titulo mystico ἀλήθεια *veritas* celebrem in muneris sui tesseram gerebat; habebat & *hic* ornamentis bullam mystico תומים *Thummim* titulo insignem. *Ille* circa pectus gemmis plurimis, radiabat; Lucebat & *hujus* vestis & pectus auro pariter & gemmis. *Ille* hanc sui muneris tesseram aurea catena de cervice pendentem gestabat & *hic* suam bullam e catena aurea solemniter suspensam: *Facies*, inquit Lex Ex. XXVIII. 22. *in rationali*, cui Thummim inerat, *catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo, & duos annulos aureos sibi invicem cohærentes, quos pones in utraque rationalis summitate, catenasque aureas junges annullis, qui sunt in marginibus ejus &c.* c. IV. *sect.* XII. *p.* 206. 207.

XLVII. Hæc morum concordia uti naturam Hebræorum *Thummim* eandem fuisse ostendit, quæ fuit Ægyptiorum ἀληθείας; ita hunc Hebræorum ritum Ægyptiaco debere ortum, nunc pariter κατασκευαστικῶς primo, deinde ἀνασκευαστικῶς demonstrandum.

XLVIII. Κατασκευαστικὰ argumenta sunt hæc sequentia: 1. Quæ ratio, cur LXX. nomen *Thummim* expressuri, ἀλήθειαν *veritatem* dixere, cum tamen vox Hebræi תומים non ἀλήθειαν *veritatem*, sed τελειότητα *perfectionem* proprie designet? nempe imaginis illius Ægyptiacæ, ceu primi sui exemplaris nomen & titulum, Ægyptiis præsertim scripturi, retinuerunt. 2. Aut Ægyptii ab Hebræis hunc morem mutuati sunt, aut in Hebræorum sacra ex Ægyptiorum moribus traductus est, sed illa antiquitatis, sapientiæ, & religionis opinio, qua Ægyptii intumuere, eorum item capitale & hæreditarium in Hebræos odium, porro Hebræorum in Ægyptiorum animis contemtus, & cæterorum denique rituum Hebraicorum apud eosdem neglectus, abunde probant, non esse hunc morem ab Hebræis mutuatos Ægyptios. 3. Deus Hebræis sacra pene omnia Ægyptiorum, quibus ibi delectabantur, indulsit, v. g. Templum, de quo Chrysostomus *tom* v. *Serm.* XXXI. *f.* 471. *edit. Paris.* Ephod quæ teste Tertulliano *lib. de Corona milit.* erat *propria Osiridis vestis*; campanulas in Pontificis tunica, de quorum apud Ægyptios frequenti usu Alex. ab Alex. *lib.* 11. *Genial. dier. c.* 11. Ergo & simulacrum, quod sub ἀληθείας titulo suæ dignitatis indicem gestabat Ægypti Pontifex, sine dubio Pontifici Hebræorum, ad majorem ejus venerationem sub hoc *Thummim* nomine concessit. 4. Nulla natio Sacerdotum suorum principem aliquo symbolo, quod consensum cum Hebræorum *Thummim* haberet, insignivit præter Ægyptios, suo sacrorum Antistiti reverentiam conciliare hoc muneris ipsius symbolo cupientes: Deus igitur Hebræorum Pontifici qui Judicis simul & sacerdotis personam apud suos sustinebat, tale ἄγαλμα in ornamentum ordinavit, quod Ægyptiacam illam imaginem, cujus aliquam similitudinem gerebat, fulgore & titulo non parum superaret. 5. Summus Hebræorum sacerdos ornamenta omnia, quæ divisa aliarum gentium sacerdotes venerabiles reddiderunt, collecta tenuit: Ergo a gentibus, & comprimis Ægyptiis, ea acceperunt Hebræi, non contra. Si enim Hebræi Pontificis ornartus gentilium Sacerdotibus ornandi norma extitisset, hic pro-

procul dubio non unum aliquod Pontificale ornamentum, ſed ad unum omnia apud Hebræos uſurpata, pari cum religione retinuiſſet. 5. In Ægyptiorum Pontificis ornatu, penes ſimulacrum *Thummim*, ipſis ἀλήθεια dictum, nulla τοῦ *Urim* ratio habita; ſicuti viciſſim apud *Urim* ſub *Theraphim* titulo a Micha & Gedeone confectum nullam τοῦ *Thummim* veſtigia comparent: cujus hæc videtur reddenda ratio, quod Ægyptii *Urim* primitus ortum crediderunt apud Hebræos, eoque nomine penitus repudiarint; ſicuti viciſſim Micha atque Gedeon *Thummim*, ceu rem patribus ignoratam, ex Ægypti moribus nuper oriundam minoris, vel plane inſuper habuerint. 7. Hebræi impetu bruto in omnes Ægyptiorum mores ſplendidores ferebantur: hinc illa Regis poſtulatio 1. *Sam.* VIII. 5. nimia Salomonis polygamia 1. *Reg.* XI. 3. veſtium peregrinarum amor *Zeph.* 1. 8. & frequentior in ipſam idololatriam prolapſus. Ergo ut meretricium ethniciſmi fucum negligerent, cultum ſuum *Deus* nitore ſimul exornare, ſimilemque dignitatis teſſeram, qualem Sacerdos Ægyptiacus a collo aurea catena ſuſpenſam geſtabat, Pontifici Iſraelitico indulgere voluit. 8. Ipſæ imaginis circumſtantiæ, v. g. *titulus*, qui ſymbolicus & hieroglyphicus eſt *materia*, quæ ſaphirus erat, inter gemmas ſummo dignitatis gradu apud Ægyptios collocata, *annexa catena*, qualium uſus inter antiquiſſimos Ægyptiis frequentiſſimus, denique *geſtandi modus* in cordis regione, quo animæ & ſapientiæ domicilium reponebat Ægypti Philoſophia, eam ingenii pure Ægyptiaci figmentum fuiſſe arguunt, cap. IV. *ſect.* XII. *p.* 207. *ſeqq.*

XLIX. Ἀνασκευαστικῶς occurrendum his objectionibus, quibus comprobata ſententia poſſe deſtrui putatur. 1. Fallax eſt *Diodori Siculi* & *Æliani* teſtimonium, quia recentiores ſunt, quam ut de priſcorum Ægyptiorum, quos ſub regni primordia moribus fuiſſe adeo cultis & elegantibus vix credibile eſt, antiquis & rebus geſtis teſtari poſſint. 2. Iidem male ſecum conſtant, dum alter plures gemmas, nempe, ut loquitur ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων *ſimulacrum ex lapidibus pretioſis*, alter tantum unicam, ἄγαλμα ἐκ σαπφίρου λίθου *ſimulacrum ex ſaphiro lapide*, Pontifici Ægyptiaco adſcribit. 3. Nulla convenientia inter utrumque nomen tam quod *ſenſum*, ſiquidem ἀλήθεια *veritatem*, Thummim *perfectiones* ſonat, quam quod *numerum*, cum illud ſingulare, hoc plurale ſit. 4. Nefas eſt, ſtatuere, *Deum* ſuperſtitioſos Ægypti mores ad cultum ſuum applicare, & quaſi porcos in templum ſuum admittere voluiſſe. 5. Diabolus *Dei* ſimia: Ergo per κακοζηλίαν gentes imitatæ ſacra *Dei*, non contra. 6. Hebræorum *Thummim* & Ægyptiorum ἄγαλμα formas diverſas præferebant: *illud* pluribus gemmis radiabat exornatum, *hoc* nullis gemmarum ſociarum radiis effulgebat. 7. *Nehem.* VII. 65. non minus ex *Thummim*, quam *Urim* oraculum mittendum expectatur: Ergo *Thummim* non fuit tale ἄγαλμα ad dignitatem ſolum declarandam, quale Ægyptiorum ἀλήθεια, c. IV. *ſect.* XIII. *p.* 219. *ſeqq.*

L. Sed ad ſingulas reſpondetur. Ad 1. Recentior ætas Hiſtoricorum, eorum fidem non elevat, ſi nihil referant, quod a conſtante apud Ægyptios traditione, vel antiquiſſimis monumentis non acceperint: adhæc Ægyptios moribus concinnis & limatis, jam ſeculo Joſephi fuiſſe teſtatur. Ad 2. Etſi non omnis illico fides detrahenda Hiſtoricis, ſi levicula alicujus facti circumſtantia ab invicem diſcrepent; hi tamen facile conciliandi, ſi *Ælianum* pectoris tantum ornamentum reſpexiſſe, *Diodorum* vero alias ſimul gemmas, Pontificalis Ægyptiorum ornatus, in ejuſdem cenſus & tituli communionem vocaſſet, dicamus. Ad 3. Aliqua nominum diverſitas conceditur, circa *numerum* præſertim; at nullam prorſus convenientiam eſſe quoad *ſenſum* utriuſque, negatur: cum *Joſ.* XXIV. 14. תמים *integritas* & אמת *veritas*, tanquam ejuſdem valoris nomina conjungantur; ſed concedatur utrobique diverſitas aliqua, quid tum poſtea? Fuit *Deo* certa ratio, cur ſicuti *Theraphim* in *Urim*, ita ἀλήθειαν in *Thummim* voluerit mutari. Ad 4. Nihil impietatis habet aſſertio divinæ συγκαταβάσεως, qua *Deus* populo ſuo ſpecioſa Ægyptiaci ornatus ſcena faſcinato, eaſdem ceremonias, ſed varie reformatas, in ſui cultus religioſi inſtitutione indulſit. Ad 5. Falſum eſt illud e tonſtrina dictum, *ſimiam Dei eſſe diabolum*; mavult potius antiquus ſerpens diverſas ſui cultus ceremonias, quibus greges ſuos ab ovibus paſtoris Iſraelis diſtinguat. Ad 6. Non *Thummim*, ſed *pectorale* Pontificis Hebræi, in quo cum ſocio ſuo *Urim* repoſitum erat, gemmis pluribus ornatum fulgebat: atqui & Ægyptiorum Pontifex præter ἄγαλμα ex ſapphiro factum gemmas alias inter ornamenta gerebat. Ad 7. Saltem id dicitur *citato loco*, populum ſub templo ſecundo ſacerdotem expectaſſe, qui *Urim & Thummim* in orna-

namentis haberet, & divino doctus oraculo dubium de quorundam natalibus ortum determinaret; depromendum autem illud oraculum ex utroque, non dicitur. *Ibidem*.

LI. His ita cognitis jam longe melius, quam vulgo solet, de *Nominum Ratione* judicabitur, quorum cætera interpretationem Grammaticam recte tradidit Buxtorfius *Hist. Urim c.* II. *Ad nomina, inquit, quod attinet,* אורים *Urim significat ignes vel luces, nec de eo vel dubitatio vel disceptatio:* תמים Thummim, *perfectiones, integritates, a singulari* תום *& radice* תמם *integrum, perfectum esse*. At rationes, cur *Deus* hæc pectoralis instrumenta his titulis designari voluerit, altius advocandæ, & duæ sunt, *primaria* & *secundaria*, atque ex rationibus ipsarummet rerum, quas *Urim* & *Thummim* cum cæteris legibus & ritibus Israeliticis communes habent, deducuntur, c. v. *p.* 230.

LII. *Primaria* ratio, cur *Deus* istas leges ritusque Israelitis instituerit, hæc erat, ut mores quosdam pessimos, ab hominum memoria jam longe positos, qui seculis antiquissimis invaluere, inhiberet; alios autem paululum castigatos toleraret, ne aliter Israelitæ animum a lege cultuque divino alienum gererent, qui summo per antiquorum vestigia eundi desiderio flagrabant, & ad vetera sua omnia tenendum gens erant præfracta & pertinaci indole. Et hinc de primaria ratione utriusque nominis *Urim* & *Thummim* facile constat, c. v. *sect.* IV. *pag.* 265.

LIII. De ratione nominis *Urim* dupliciter. 1. *Urim* nomen erat angelis convenientissimum, cumque *Deus* angeli opera in annunciandis e pectoralis instrumento consiliis uteretur, ipsum pectoralis oraculum angelico illo nomine *Urim* appellatum fuit. 2. *Urim* & *Theraphim* ejusdem sensus & significatus voces sunt: cum ergo *Theraphim* tot annorum usu invaluerit, nomine *Urim* idem designante, licet sub dissimuli sono, oraculum hoc *Deus* voluit vocari, cap. v. *sect.* II. *pag.* 238.

LIV. De ratione nominis *Thummim* similiter hoc modo constat: Gemma, qua Pontificis Ægyptiaci dignitas asserebatur quæque huic Pontificis Israelitici ornamento ortum dedit, dicebatur ἀλήθεια: Hinc igitur factum, ut nomen hoc in pene Synonymum Hebræorum *Thummim* transierit, siquidem utrumque integritatem sonat. Nec obstat *variatio numeri*, & quod ibi *singularis*, hic *pluralis* sit; *vel* enim Veteres Græci nomen plurale Ægyptiorum, (cujus memoria jam periit) in vocem singularem, ἀλήθεια, utpote linguæ suæ magis consonam, commutarunt; *vel Deus* nomen alterum plurale esse voluit, ut eo concinnius & elegantius cum comite suo plurali *Urim* conjungi posset; *vel* denique hæc numeri mutatio ideo facta, quod Hebræi rem singularem, presertim eximiam & summo excellentiæ gradu positam, voce plurali exprimere ament, c. v. *sect.* II. *p.* 255. & *sect.* III. *p.* 263.

LV. *Secundaria* ratio legum rituumque Israeliticorum erat, ut typorum & quasi visibilium parabolarum loco, rebus divinis referendis inservirent: Et hinc de secundaria quoque ratione nominum *Urim* & *Thummim* constare potest, c. v. *sect.* IV. *p.* 265.

LVI. Hæc gemina est: una *simbolica* & *hieroglyphica*, ut his nominibus necessitas mensuræ *Luminis* & *Perfectionis* plane singularis Pontifici summo assereretur; altera *typica*, ut iisdem futuri Messiæ, sacerdotis optimi maximi *Lumina* & *Perfectiones* omnigenæ significarentur, c. v. *sect.* IV. *pag.* 266. *seqq.*

LVII. Sed & ista de *nominum ratione* sufficiunt. Superest, ut de *Persona*, *cujus erat Urim & Thummim gestare & consulere*, tandem aliquid addatur, quam *ordinarie* solum Pontificem fuisse, extra dubium est, nam inter illius tantum ornamenta *Exod.* XXVIII. 30. *Lev.* VIII. 8. ea recensentur, c. VI. *sect.* II. *pag.* 296.

LVIII. Credibile tamen est, aliquando *extraordinarie* alios e communi sacerdotum ordine, quibus prima post Pontificem sacrorum cura demandata erat, sibi hoc oraculum applicuisse, *Deumque* consuluisse per *Urim*, quod ex *Num.* XXXI. 6. haud obscure colligitur, ubi Phineas, patre nondum mortuo, jussu Mosis cum כלי הקדש *instrumentis sanctis*, hoc est, parvulis illis organis ad petendum Dei consilium comparatis, in bellum procedebat, c. VI. *sect.* II. *pag.* 298.

LIX. Imo nec Regi quandoque facultatem, sine Pontificis ope, per *Urim* consulendi *Deum* denegatam, probabile est, & exemplo Davidis adstruit Cunæus *lib.* I. *de Republ. Hebr.* c. XIV. *Ipse David, inquit, quem pridem ante vates Regem fecerat, adeo veritus non est summi Pontificis decus usurpare, uti sacrum ejus amiculum, quod Ephod appellant, induerit sibi, ac mox quæsiverit ex Numine, an auspicato educturus copiam in hostem esset. Locus ille illustris extat in* com-

commentariis Samuelis, quem omnino perverterunt nuperi interpretes, viri hercle eruditissimi; sed qui hic dormitasse, aut aliud egisse videntur. Judices ego omnes fero, qui vel leviter has literas attigerunt. Ecce illa verba 1. *Sam.* xxx. 7. ויגש אביתר את האפוד אל דוד *quæ sic reddita ab illis sunt*: Applicavit sibi abjathar Amiculum Davidis Causa; *cum plane illud significetur, quod nos diximus, Davidem accepta Abjatharis sacra veste, Oraculum consuluisse*. Hæc ita bene Cuneus, c. VI. *sect.* 11. *pag.* 301.


LX. Rationes autem, cur *Deus* Urim & Thummim *soli Pontifici* ordinarie concesserit, variæ afferri possunt. Fecit hoc *Deut.* 1. *Sui ipsius gratia*, ne Israelitæ, si promiscuus esset oraculi usus, occasione hac a sacris ab ipso institutis ad Ethenicorum oracula redirent, sed Pontificis, tanquam supremi veræ religionis ministri, huic oraculo præfecti censuram & animadversionem metuerent. 2. *Christi gratia*, ut Pontifex legalis eo illustrior typus evaderet Pontificis Evangelici. 3. *Israelitarum gratia*, ut puerilia eorum studia ab alterius desiderio avocarentur, si supremum sacri cultus Ministrum, sanctiora Dei consilia ex ipso suo pectorali populo tradere viderent. 4. *Oraculi gratia*, ne frivolis & ineptis de asini umbra dubiis oraculi majestatem læderet profanum & curiosum vulgus. 5. *Pontificis gratia*, ut testimonio esset, ab eo Pontificatum divino jure occupari. 6. *Decori gratia*, cum vix idonea magis huic muneri fungendo persona judicari queat, quam Israelitarum Hierarcha. 7. *Regiminis gratia*, cujus supremum præsidem, & suum quasi vicarium, post Mosis obitum *Deus* Pontificem in ista Theocratia statuerat. 8. *Etnicorum gratia*, quorum mores Israelitæ suspicere solebant, ne ipsorum Pontificis splendor Sacerdotis Israelitici lumina extingueret. Denique 9. *Aaronis gratia*, quem primum *Deus* non indignum hoc munere habuit, ut ejus merito ipsius posteri fruerentur, cap. VI. *sect.* 1. *pag.* 279. *seqq.*

Hucusque compendium Dissertationis Spencerianæ.

QUod ita adornavimus, ut brevissimis, quantum licuit, exhiberetur, quicquid in toto illo libro prolixe traditum a Spencero est, de cujus sententia nemo gloriosius, quam ipse, sentit. *Huic me*, inquit sub finem Capitis V. p. 274. *tam sancte devotum & devinctum fateor, quia sapientiæ & bonitatis exempla egregia &* Deo *digna animis nostris objicit, & arcana & quasi adyta quædam in institutis illis divinis reserat, quibus hominum vulgo non pateret aditus. Cum tamen sententiæ aliæ humile & plebejum spirent, nullas artis aut mysterii notas ferant: sed quædam trita adeo atque obvia ingerant, ut in pueri oscitantis animum cadant; tam frigida, ut catarrhum provocent; & (ut paucis omnia colligam) quædam miraculosa adeo, ut hominis perspicacis fidem longe excedant; alia vero tam frivola, jejuna, & ab omni sapientiæ & mysterii specie remota, ut infra Oraculi divini & mentis vere virilis dignitatem plurimum subsidant*. Sed quicquid rhetoricetur, nos cæteras Autorum sententias qualescunque judicamus tolerabiliores, & in hac sola, quod pace ejus dictum sit, ὑδὲν ὑγιὲς offendimus, adeo quidem, ut minori nobis negotio examen istarum thesium constaret, si quod necessitas exigeret, quam fuit, cum ejus librum in hunc thesium ordinem cogeremus. Nam subruendum saltem foret idem hoc ejus principium, & πρῶτον ψεῦδος, quod modernorum Theologorum Princeps & malleus omnium Novatorum Calovius *ad Levit.* 1. 9. *Tom.* 1. *Bibl. Illustr. fol.* 471. in Hugone Grotio observavit, & *cum impietate atque absurditate conjunctum esse* docuit, quasi *Judæorum ritus in ceremoniali lege præscripti a Syris & Ægyptiis originem traxerint, correcti solum in Hebræorum cultu, cum ab aliis gentibus sine emendatione usurparentur*. Inde porro est, quod *primariam* legum rituumque Mosaicorum rationem dicit esse pertinaciam populi, moribus receptis nimium adhærentis, quem non salubrius ab idololatria *Deus* revocare potuisset, quam ista συγκατάβασει, qua ritus Ethnicos, sed paululum repurgatos, indulgeret. *Secundariam* vero demum in σκιαγραφία rerum spiritualium reponit, sed ut primas in ea nihilominus moralibus tribuat, & postremum omnium locum assignet typicæ Messiæ adumbrationi. Cum tamen e contrario futuri olim Messiæ, ejusque personæ, officiorum & beneficiorum præfiguratio, *principalis* ille *unicus legum ce-*

remonialium finis fuerit, ut nempe *Christum*, Prophetam, Sacerdotem & Regem tanquam in speculo exhiberent contemplandum, nequaquam præcipue, ut virtutum moralium quasdam imagines ederent, tantum abest, ut mutuo acceptis ex ethnicismo ritibus populum in illos pronum demulcerent. Voluit quippe *Deus* promissiones de Messia, Patriarchis a mundi exordio factas, in Republica Israelitica his ceremoniis conservare & amplius illustrare, ut haberent pii, quo fidem suam nutrirent, spem alerent, & ad quotidiana suspiria excitarentur. Quæ qui hodieque secum sedulo meditatur, aliorumque mentes iisdem imbuit, is demum cœlestia sacramenta & ipse consecutus esse, & aliis tradidisse credendus est, idque ad N. T. normam, in qua ceremoniæ illæ antiquæ *futurorum umbræ*, *cœlestium exemplaria*, *typi & imagines* dicuntur *Col.* II. 17. *Hebr.* VIII. 5. Etsi enim minime negandum, *Deum* simul, at *secundario*, perversam populi Israelitici consuetudinem, qua facile in superstitiones idololatricas & cultus ethnicos prolabi solebant *Ezech.* XX. 7. *seqq.* respexisse, atque ad coercendam aliquo modo hanc eorum libidinem has ceremonias & ritus circa cultum suum tanto numero auxisse, ut quotidiana ex lege haberent rerum sacrarum utilia exercitia, neque illegitima & sibi perniciosa amplecterentur; non tamen idcirco ipsos gentilium ritus consecratos in Ecclesiam Israeliticam introduxisse censendus est, quin potius tot ceremoniis adeo novis, ut primus ideam omnium in monte Mosi ostenderit, jusseritque secundum eam omnia fieri debere *Exod.* XXV. 9. quales nimirum nullæ unquam gentes antea viderunt, aut in usu habuerunt, suum hunc populum ab aliis omnibus distinguere voluit, cum *non fecerit taliter omni nationi*, juxta *Psalm.* CXLVII. 20. Hæc si probe animadvertantur, haud difficulter judicari poterit de sententia Spenceri. Ideo nimirum ille *Urim* & *Thummim*, ut nomine, sic numero & usu distincta dicit, ut eo felicius utrumque ex Ethnicorum ritibus, & illud quidem ex Chaldæorum Syrorumve *Theraphim*, hoc vero ex Ægyptiorum ἀγάλματι, ἀλήθεια dicto, derivet. Hinc, cum de usu utriusque agit, præfigurationem & adumbrationem futuri olim Messiæ prorsum præterit. Hinc operosa illa dissertatio de Theraphim, & angelorum in edendis inde oraculis ministerio. Hinc illa nominum *Theraphim* & *Urim*, itemque ἀληθείας & *Thummim* conciliatio. Hinc tot locorum scripturæ ad placitum confictæ interpretationes, tot conjecturæ, tot dialecticæ rhetoricationes, tot undecunque ex variis cujusque generis autoribus conquisita testimonia. Inter quæ, dum *R. Mosis Maimonidis* ex Hebræis, & e Patribus *Chrysostomi* atque *Cyrilli Alexandrini* assensum circa principium suum de translatis ex Ethnicismo ad Judaismum ritibus & ceremoniis Mosaicis numerat, non equidem diffitemur, splendida esse utrobique nomina, sed tamen humanitus quid pati & labi potuisse viros cætera oculatissimos, quis ambigat? quod sicuti in R. Mose Maimonide ostendunt R. Moses Gerundensis & R. Salomo Lebes hellevi, eosque secutus Menasse ben Israel *in Conciliatore, qu.* 1. *in Levit. p.* 182. ita non deesse e venerabili Patrum choro *Justinum Martyrem*, *Augustinum*, *Eusebium*, aliosque, quos Chrysostomo & Cyrillo opponamus, Celeberrimus noster Calovius *loco superius citato* docet. Et sane nec Spencero ignorata erant verba Justini Martyris *adversus Tryphon.* quibus demonstratu facile judicabat, πάντα τὰ ὑπὸ Μωσέως διαταχθέντα, τύπους καὶ σύμβολα καὶ καταγγελίας τῶν τῷ Χριστῷ γίνεσθαι μελλόντων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸν πιστεύειν προεγνωσμένων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίως γίνεσθαι μελλόντων. *Omnia prorsus a Mose ordinata, figuras, & notas, & denunciationes esse eorum, quæ* Christo *eventura erant, eorumque qui in ipsum ut crederent, præcogniti fuerant, atque item eorum, quæ* Christus *ipse erat facturus*: prout Justini mentem expressit Jo. Langi versio *Tom.* II. *Opp. edit. Basil.* 1565. *fol.* 25. Quibus e Latinis merito hæc Hieronymi *Epist.* CIII. *ad Paulinum* jungimus: *In hoc* (Levitico, de quo loquitur,) *singula*, inquit, *sacrificia*, *imo singulæ pene syllabæ*, *& vestes Aaron*, *& totus ordo Leviticus*, *spirant cœlestia sacramenta*. At, quænam illa in *Urim* & *Thummim*? figura erant *illuminationis* & *perfectionis*, quam utramque habemus perfectam in *Christo Joh.* 1. 16. 18. utpote in quo *veritas* & *claritas*, quæ legis complementum est, relucet. Quod generatim hic monuisse sufficiat. Nam singula strictim eo ordine, quo supra a nobis in compendium digesta sunt, expendere, quantumvis nec molestum, nec injucundum, nedum difficile; nimis tamen prolixum, & ab instituto nostro hic alienum esset. Si hæc daretur fingendi licentia, modo colorari utcunque aliqua ingenii luxuriantis opinio queat, nescio, quæ tandem sententiarum monstra proditura sint: quale hoc merito habendum, quod liberiori isti digressioni co-

coronidis quasi loco annectendum adhuc duximus, eorum nempe, qui ut frontali Pontificis hæ voces, קרש ליהוה *sanctitas Domini*, inscriptæ erant, sic in pectorali ipsa quoque hæc nomina *Urim* & *Thummim* putant exarata fuisse, quod sibi firmiter nonnulli inter Romano-Catholicos scriptores persuadent, sed postea denuo inter se divisi, fingentibus aliis, nomina isthæc literis aureis in medio pectoralis expressa, ita Bellarminus *lib.* III. *de Pontif. Rom. c.* II. Augustini, quem laudat, autoritate nixus: aliis, inter lapides ea opere Phrygionico, vel acu picta, ita Cornelius a Lapide *ad Exod.* XXVIII. *fol.* 576. & Jo. de la Haye *in Bibl. Max. Paris. ad eund. loc. Tom.* II. *fol.* 245. aliis denique, in latere ejus dextro & sinistro, vel in tenui lamina, utrinque extensa, vel sine lamina opere plumario filis aureis scripta, prout non dubitavit Salianus *ad A. M.* 2544. *num.* DXLII. talem illius figuram exprimere:



quam inde ridicule satis Didacus del Castello & Artiga *suis de Ornatu & Vestibus Aaronis Commentariis Antwerpiæ Anno* 1663. *editis*, *qu.* XXIV. *fol.* 352. sic inseruit, ut nomina Hebræa Romanis characteribus compareant.



atque hanc cæteris aliorum conjecturis anteponit. Idem alias Didacus *citato libro*, inde *a qu.* XXIII. *fol.* 348. *& seqq.* de *Urim* & *Thummim* pluribus egit, quocum conferat Francisc. Riberam *de Temlo lib.* III. *de Vestistib. Aaron. c.* XII. *p.* 219. *seq.* Hieron. Sopranem *Digress. l. de re Vestiaria Hebræor. C.* III. §. LX. *fol.* 440. Martinum del Rio *lib.* IV. *disq. Magic. c.* I. *q.* II. *sect.* I. *p.* 488. *seqq.* Benedictum Ariam Montanum *in Aarone fol.* 4. qui varia id genus commenta nunc impugnata, nunc propugnata videre gestit.

THEOREMA III.

Probibebatur eligere Fœminam, Extraneum, Cerdonem.

AD tria potissimum in elæctione Regis respicere debuerunt, Sexum, Patriam seu Natales & Genus vitæ: de quibus nunc distincte. Sexus privilegio tantum admittebantur mares ad imperium, non vero fœminæ. Maym. hal. Melach. c. I. v. 6. אין מעמירין אשה במלכות שנ' עליך מלך ולא מלכה וכן כל משימות שבישראל אין ממנים בהם אלא איש: *non collocant Mulierem in regno, quia dicitur* (*Deut.* 17. 15.) *super te Regem, neque* (scriptum est) *Reginam: sic & in omnibus præfecturis Israeliticis, non constituunt nisi viros*. Talis etiam, referente Cl. Dn. Berneggero *in notis ad cap.* 22. *Suet.* (1) Gallorum Salica, *vetans regnum a lancea transire ad columlum*. Ubi quoque repetit e (2) Tacito, de Sitonibus gente quondam Suevica, qui fœmineo imperio colla subimiserint, *degenerasse illos non modo a libertate, sed & ab ipsa servitute*: nam qui Regibus serviunt, serviunt viris; at qui fœminis, parent iis, quibus natura virtutes imperatorias negavit: paucæ enim sunt, quæ virilibus (3) curis vitia fœminarum exuant. Et Amazonum (4) res fortiter gestas non credit Strabo. Ablegat vero Salomon Prov. 31. *mulieres ad* (5) *telam non telum*, ut idem in Coroll. ejusd. cap. 22. scite notavit. Quod ipsum Nob. & Ampliss. Dn. D. *Lansius* fautor meus magnus, cum mihi hæc scribenti ex insperato superveniret, & occupatiunculas meas amice lustraret, tali epigrammate αὐτοσχεδίως expressit, arguto sane, & quod authorem ultro prodat, proinde inseri utique dignissimum censeo.

Apta quidem telæ, sed inepta est fœmina telo:
Indignumque viris, subdere colla colo.

Audiatur itaque illud Aristotelis, τοτε

ἄῤῥεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον, *Masculum natura præ Fœmineo esse Imperatorium*. Quod vero 2. *Reg.* 11. *v.* Atthalia (6) mater Achaziæ, filio successisse legitur, regno Judæ septem annis præfuisse, recordandum est, fecisse hoc non de jure sed facto, & invasisse imperitum tyrannica vi, semine regio usque ad unum Joasum crudeliter interempto; qui minorennis adhuc in templo interea delituit.

Alterum (7) erat de patria, ne alienigenam eligerent, sed domi natum, adeoque fratrem. Maym. *v. præc.* 5. אין מעמידין מלך מקהל גרים אפילו אחר כמה דורות עד שתהיה אמו מישראל שנ' לא תוכל לתת עליך איש נכרי לא אחיך הוא ולא למלכות בלבד אלא לכל שררות שבישראל לא שר צבא לא שר חמשים או שר עשרה אפילו ממונה על אמת המים שמחלק ממנה לשרות ואין צריך לומר דיין או נשיא שלא יהא אלא מישראל שנ' מקרב אחיך תשים עליך מלך כל' משימות שאתה משים לא יהיו אלא מקרב אחיך: *non constituunt Regem e cœtu proselytorum, etiam post plurimas generationes, usque dum mater sit ex Israele, sicut dicitur* (*Deut.* 17. 15.) *non poteris dare super te virum alienigenam, qui non sit frater tuus. Neque in regno tantum, sed & in omni potestate Israelitica; non Principem exercitus, non Capitaneum supra quingentos, nec Decurionem. Imo ne Præfectum quidem aquarum fideliter distribuendarum. Dicere nil attinet Judicem aut Præsidem; quoniam non nisi ex Israele sunto,* (eod. vers.) *e medio fratrum tuorum pones super te Regem. Sic etiam omnes præfecturæ, quas tu ordinas, non sunto nisi e meditullio fratrum.* De Edomitis posset hoc loco dubitari, an ex illis regem eligere liceat, quia in scriptura (8) Fratres Israelitarum nominantur, Deut. 2. v. 4. *transitis per terminum fratrum vestrorum filiorum Esau habitantium in Seir, ipsi timebunt a vobis ideo cavete valde, ne provocetis eos, quia vobis nihil quicquam dabo de terra illorum, ne quidem quantum vola pedis tegit: Esavo enim in hæreditatem dedi montem illum, &c.* Ac certe origenis ratione fratres sunt, nam descendunt ab Esau, uterino & congemello Jacobi, qui propter coctas lentes, quibus primogenituram suam vendidit, appellatus fuit ארום *Edom* h. e. refus, *Gen.* 25. 30. Sed fuerunt infidi fratres, & negarunt Israelitis commeatum. Num. 20. 18. *dicentes, noli per meas regiones transire, ne forte cum gladio tibi occurram.* Unde Judæi Christianos hodie, inter quos difficulter habitant, (9) *Edomæos*, ingrate tamen vocant. Ideo negat R. Abr. Aben-Ezra, ex illis Regem eligi potuisse, *Comm. ad Deut.* 17. מדרך האמת לא אחיך שאיננו ממשפחת ישראל ולא ארמי אף על פי שכתוב בו אחיך: *secundum veritatem non est frater tuus, qui non sit de familiis Israel. Ne* (10) *quidem Edomitæ, quamvis scriptura eos vocet fratres tuos.* De Herode (11) utrum Judæus fuerit an Proselytus Ascalonita, vide disputantem Casaub. *Exerc. ab Bar.* 1. *circ. fin. n.* 2. Existimant quidem Politicorum aliqui, prodesse interdum Reipubl. si extraneus Rex suarum virium conjunctione illam augeat, quin afferunt exempla, ubi res a peregrinis non male administrata fuerit; sed populo *Dei* exoticum imperium fuit omnino fatale, atque πανολεθρείας extremæ occasio. Præterea dudum promiserat oraculum, Genes. 49. 10. *non recessurum sceptrum a Juda, &c.*

Ultimum (12) quod in regibus suis spectabant Israelitæ, vitæ genus erat, ne quis e sutrina vel obscuro loco alio, ascenderet ad regalis throni fastigium. Quod observasse dupliciter intererat; ratione sui, ne in vili artificio ingenium servile contraxerit: & ratione aliorum, ut a populari contemtu vindicaretur. Moses noster Ægypt. *ibid. v.* 7. ואין מעמידין מלך ולא כהן גדול לא קצב ולא ספר ולא בלן ולא גרדי ולא בורסי לא מפני שהן פסולין אלא הואיל ואומנותן נקלה העם מזלזלים בהן לעולם ומשיעשה במלאכה מאלו יום אחד נפסל: *non eligunt Regem vel Pontificem, qui fuerit lanius, aut tonsor, aut balneator, aut cori arius: non quod tales profani sint,* ohnredlich / *sed quia eorum artificia vilia, populus contemnit semper. Si vel unica die labora verit in ejusmodi opificio, inidoneus est.* Sentiunt & alias Judæi parum (13) honorifice de cerdonibus credo quia per diuturna exilia ocio jam assueverunt, & pigris usuris saginantur. Talmud. *circ. fin. lib. Kiddusch*im, *p.* 82. ר' מאיר או' לעולם ילמד אדם את בנו אומנות נקייה וקלה ויתפלל למי שהעושר והנכסים שלו שאין אומנות שאין בה עניות הכל לפי זכותו (פי' לפי מזלו דבני וחיי ומזוני לאו בזכותא תליא מלתא אלא במזלא תליא מילתא) ר' שמעון בן אלעזר או' ראית מימיך חיה ועוף שיש להם אומנות והן מתפרנסין שלא בצער והלא לא נבראו אלא לשמשני. אבא גוריין איש צריין או' משום אבא גוריא לא ילמד אדם את בנו חמר גמל קדר ספן (פי' כל אילו אומנות ליסטיות כשלנין בדרכים הם נכנסים ולוקטים עצים מן הכרמים נפירות ועוד שנשכרים לאדם ומעבירין על תנאם) רועה (בהמות שלו שמעבירין לרעות בשדה

בשרה אחרים) וחנוני (מלומד בהונאה להטיל מים ביין וצרורות בחטין) ר׳ יהודה או׳ משמו החמרין רובן רשעים (מפני ליסטיות) והגמלים רובן כשרים (שפרדשין למדברות למקום גידודי חיות ויראים לנפשם) הספנים רובן חסידים (שפושין למקום הסכנה ותמיד הם ברעדה) טוב שברופאים לגיהנם (אינו ירא מן החולי ומאכלו מאכל בריאים ואינו משבר לבו למקום ופעמים שהורג נפשות ויש בירו לרפאות העני ואינו מרפא) והכשר שבטבחים שותפו של עמלק (ספיקי טריפות באות לידי וחס לע ממונו ומאכילן) ר׳ נהוראי אומר מניח אני כל אומנות שבעולם ואיני מלמד את בני אלא תורה שארם אוכל משכרה בעולם הזה וקרן קיימת לעולם הבא ושאר כל אומנות אינן כן כשארם בא לידי חולי או לידי זקנה או לידי יסורין ואינו יכול לעסוק במלאכתו הרי הוא מת ברעב אבל התורה נותנת לא אחרית תקוה בנערותו ובזקנותו וכו׳. תנו רבנן כל שעסקו עם הנשים סורו רע כגון הצורפים (עושין לנשים נזמים וטבעות) והסריקים (סורקי בגדים לנשים) והנקורות (מנקרי ריחים של יד שנשים טוחנות בהם) והרוכלין (מוכרין קשוטי בשמים) והגרדיים והספרין והכובסים והגרע (אומן המקיז דם) והבלן (מחמם מרחצאות) והבורסקי (מעבד להם עורות ללבוש ולנעול) אין מעמידין מהם לא מלך ולא כהן גדול מאי טעמא לא משום דפסילי אלא משום דזילי אומנותיהון. תנו רבנן עשרה דברים נאמרו בגרע מהלך על צידו ורוחו גסה ונתלה יושב ואינו יושב שלשתן סימני גהוה ועינו צרה ועינו רעה (בממונו להוציא כלום) אוכל הרבה (אצל המקיזין) ומוציא קימעה (מתוך שמאכלו יפה בלחם נקי ובשר שמן שמטעטין את הזבל שכל ארם מכין לסעורת הקזה מאכל בריאה) וחשוד על העריות מתוך שהנשים צריכות לו ועסקו עמהן) ועל הגזל ועל שפיכות דמים. תניא אשרי מי שרואה הורין באומנות מעולה אוי לו למי שרואה בפגומה אשרי מי שאומנותו בסם ואוי לו שבורסקי אשרי שבניו זכרים אוי למי נקבות. ר׳ שמעון בן אלעזר או׳ מימי לא ראיתי צבי קייץ (מייבש קציעות בשרה) וארי סבל ושועל חנוני. כל אומנות אין עומדות אלא בימי ילדות: *Rabi Meir ait, semper homo doceat filios opificium mundum & facile, atque exoret tales* (Magistros) *quibus opes & facultates sunt: nullum enim reperitur artificium, ubi non etiam pauperes sint; cuncta pro cujusvis merito.* (R. Sal. Jarchi in Gloss. marginali corrigit: *pro fortuna. Nam filios, longævitatem, & cibaria, non a dignitate vel meritis dependere, sed a felici sidere.*) *R. Simeon filius Eleazar inquit, vidistine ullis diebus tuis bestiam vel avem, quæ tenuerit artificium aliquod, & tamen aluntur, neque difficulter, cum labore, quamvis creatæ sint ut serviant nobis. Abba Gorin vir Zidonius ait, nomine patris Goriæ: non doceat homo filium suum, ut sit Agaso, Camelarius, Carbonarius, Nauta* (Gloss. *omnes enim illi sunt latrones, quamvis pernoctent in viis, tamen ditescunt, colligunt ligna sua e vineis atque fructiferis arboribus, etiam quando mercede serviunt cuipiam, transeunt per ejus ficus*) *Pastor (pecudum; quas abigit in campos alienos, (Caupo (deditus lucro, miscens aqua vinum, & concisis stramentis triticum.) R. Jehuda inquit, ejusdem nomine: plerique sunt maligni (propter latrocinia,) Camelarii ut plurimum probi (quia diffunduntur fere in desertis locis, ubi sunt agmina bestiarum, & timent sibi.) Nautæ sunt plerunque pii) quia versantur in perpetuo periculo tremulæ concussionis.) Optimus inter Medicastros* (14) *ad Gehennam.* (Gloss. *non enim metuit a morbis, vescitur laute, nec confringit cor suum* Deo, *aliquando etiam interficit homines, quando pauperes, quod posset, non sanat*) *Præstantissimus inter Lainos socius est Amalek (quos odisse & ad internicionem usque persequi jubentur.* Num. 25. ultim. *His assinismilantur lanii, quia morticinia de quibus dubitatur, an a feris discerpta sint, si nanciscantur vendunt, ut pecuniam lucrifiant,) Rabi Neborai dicit; ego intermitto cuncta opificia mundi, & doceo filios meos solam legem, de cujus mercede homo edit in hoc seculo, & cornu ejus crescit in futurum. Non sic ulla opificia cætera. quando quis ægrotat, vel captivus detinetur, nequit labori suo vacare, sicque contabescit fame: ac legis studium etiam in extremo bene sperare jubet, solatur in juventute & senecta. Docent Rabini nostri, quicumque opifices commercium habent cum mulieribus, recedunt a bono ad malum: verbi gratia Aurifices (qui conflant ipsis inaures & annulos,) pectinatores (qui plicant vestes fœmineas,) Rosores (qui effodiunt lapides trusatiles, quibus mulieres molunt,) Mercatores (qui vendunt fucum & aromata preciosa,) Textores Scarificatores, tonsores, Lavatores, & Chirurgus (qui venas secat sanguinem emittens,) Balneator (calefaciens lavacra,) Coriarius (parans ipsis pelles ad vestiendum & calceandum.)* Non eligunt ex illis Regem nec Sacerdotem magnum. *Qua de causa? non quod reprobati sint ipsi, sed quia vile est opificium eorum. Trandunt nostri Doctores decem dicteria de Chirurgo: incedit lateraliter (corpore non prono, sed ad coxas detorto, ut equi generosiores,) spiritus alit*

alit sublimes, *suspensus assidet* (*non plena mole dorsi* ; *quæ tria sunt superbiæ signa* ,) *oculos coarctat* , h. e. torvum tuetur , *invidus est* (*si quicquam nummorum erogare debet* , *vorat multum* (*apud phlebotomia usos* ,) *egerit parum* (*quia vescitur cibis bonæ nutritionis*, *pane similagineo & carne pinguiori* , *quæ minuunt fimum* ,) cum venia Lectoris verto , quidquid est in Hebræo ,) *solent enim convivia post venæ sectionem esse opipara* ,) *suspectus est obscœnitatis* (*dum mulieres curat*, *quæ ipso indigent* ,) *& furacitatis* , *& homicidii* . *Traditio*. *Beatus qui cernit liberos suos in opificio surgente*; *væ autem illi*, *qui videt in obsolescente*. *Felix* (15) *cujus artificium suaveolens* ; *miser cujus fœtet ut pellionum*. *Bene illi cujus filii masculi* ; *væ autem cui fœmellæ* ! *R. Simeon f. Eleazar ait* : *a diebus meis nunquam vidi Capream* , *apricantem* (*torrentem ficus in campo*) *aut Leonem bajulantem*, *aut vulpem cauponantem*. *Hæc talia tantum in juventute decent* . Non igitur his sordibns contaminari Rex debet , quas etiam liberæ animantes , natura duce dedignantur. Arcent nostra jura cerdones a dignitatibus : *ne quis e negociatoribus*, *vel monetariis*, *abjectisque officiis*, *vel deformibus ministeriis*, *aliqua frui dignitate pertentet* ; *imo si quis meruerit* , *repellatur*. l. 6. Cod. de Dignit. *Negociatores ne militent*, peculiari Titulo Codicis . *Trapezitas* , *gemmarum argentique vestiumve venditores* , *apothecarios etiam* , *cæterosque institores aliarum mercium* , *quibuscunque ergasteriis adherentes* , *jubemus a provincialibus officiis removeri* ; *ut omnis honor a contagione hujusmodi segregetur* . l. 12. Cod. de Cohortalibus. Quamvis non desint exempla eorum , quos ex obscuris locis fatum ad res maximas evocavit , Davidem e caula, 1. *Sam.* 16. 11. Agathoclem Siciliæ tyrannum e figlina, Justin. *init*. *l*. 22. Primislaum ab aratro ad Libussæ thalamum. Æn. Sylv. *H. Bohem. c.* 6. Tarquinium Priscum regem Romanorum e taberna mercatoria. Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 4. ubi hujus fortunæ plures recensentur ; & *seqq. cap.* 5. alii contra , qui a claris parentibus turpiter degenerarunt ; quæ nobilia vocat portenta.

Posset hic fortean aliquis exemplum Saulis (16) objicere, qui cum adhuc privatam vitam ageret , Agaso (17) fuerit 1. *Sam.* 9. 3. tam vilis, ut amissam asinam per totum triduum cum vitæ periculo quæsiverit *v.* 20. Opilionem , qualis David, videri tolerabiliorem Asinario, minusque sordidum : adde quod natalium suorum obscuritatem ipse fateatur *v.* 21. Resp. (18) ante Salomonis tempora, prius quam equi multiplicarentur in Israel, etiam ditiores asinis (19) vectos fuisse , ut fratres Josephi , *Gen.* 43. 18. Magnatum filios, *Judic.* 10. 4. & 12. 14. Abigail 1. *Sam.* 25. 20. nec agasones pro infamibus habitos, sed nostris Equisonibus comparandos. Præterea nobilitaverat Deus Saulem singulari privilegio corporis (20) pulchri & heroicæ staturæ, ut ad humeros usque supra totum populum emineret, 1. *Sam.* 9. 2. adeoque rem domi lacertorum amplitudine pensaret. Quæ corporis majestas adeo spectabilis erat, ut ejus fama in ipsum Alkuranum usque penetraverit, fabulis tamen a Muhammede conspurcata. Sic enim Impostor ille *Sureta Bakara vers.* 244. *& seq.* ad verbum :

الو تري الي املا من بني اسرايل من
بعد موس ان قالوا لنبي اهم ابعى لنا
ملكا نقا بل في سبيل الله قال هل
عسيتم ان كتب عليكم القتال الا
تقا تلوا قا لوا وما لنا الا نقا تل في
سبيل الله و قد اخر جنا من ديا رنا و
ابنا ينا فلم كتب عليهم القتال تو
لوا الا قليلا منهم و الله عليم با
الظلمين ، و قال لهم نبيهم ان الله
قد بعث لكم طا لوت ملكا قالوا
انى يكون له الملك علينا و نحن احق
بالملك منه و لم يوت سعة من المال قال
ان الله اصطفاه عليكم وزاده بسطة
في العلم و الجسم و الله يوتي ملكه
من يشاء و الله واسع عليم .

Annon respicitis ad multitudinem ex filiis Israel post Mosen ? quando dixerunt Prophetæ suo , *excita nobis Regem* , *pugnabimus in semita* Dei. *Respondit* , *forsitan facietis contingere*, *si decretum fuerit super vos prælium*, *ut non pugnetis* ! *dixerunt* , *nequaquam nobis* ; *sed pugnabimus in semita* Dei , *quandocunque nos exire jussi a nostris habitationibus & filiis nostris*. *At postquam scriptum erat super eos bellum*, *recusarunt*, *præter paucos ex illis*. *Sed Deus novit malignos*. *v*. 245. *Dixit eis Propheta eorum* , *utique* Deus *jam excitavit vobis* (21) *Taluth* (quod Saulem nec alium per hoc corruptum nomen indigitet , e toto contextu & circunstantiis appareret, præsertim e seq. v. 247.

247. ubi hoſtis Galiathi diſerte meminit) *regem: reſponderunt, quare ſit ei regnum ſuper nos? & nos digniores regno præ illo! neque accepit copiam de opibus. Reſpondit, utique* Deus *ſegregavit eum ſuper vos, & auxit illum amplitudine in ſcientia & corpore.* Deus *dat Imperium, cui vult, eſtque* Deus *ampliſſimus, ſcientiſſimus.* Hæc ille. Omitto, quæ deinceps nugatur de Angelis, arcam fœderis e cœlo, in electionis confirmationem afferentibus; una cum ſacris in ea reliquiis. Item quomodo novus Rex Saulus exercitum (22) luſtraverit, & quantum cava manu tenere poſſint, milites de rivo bibere juſſerit: quæ cum hiſtoria Gedeonis, *Jud.* 7. v. 5. ſuo more confudit. Subit autem animo, quod Plutarchus *Inſtit. puer. mox poſt init.* de rege Archidamo (23) refert, fuiſſe a ſubditis Laconibus ſuis, pecunia mulctatum, quia puſillam uxorem duxerit, unde οὐ βασιλέας, ἀλλὰ βασιλίσκους *non Reges ſed Regunculos* generatum iri timerent. Nam omnino gratior eſt pulchro veniens a corpore virtus; quamvis etiam illuſtres animas in diſtortis artubus hoſpitari aliquando ſciamus; & contra in aureo corpore pectus ſæpe plumbeum.

N O T Æ

In Theorema tertium.

(1) Lex Gallorum ſalica. Plures equidem ſunt *leges ſalicæ* a Faramundo Francorum Rege, qui circa annum *Chriſti* CCCXCV. vel CCCCXX. regno præfuit, latæ, quarum copiam Heroldo, Pithæo, Lindenbrogio & aliis quibuſdam viris doctis, qui eas aliquoties ediderunt, debemus; ſed cum pene omnes antiquatæ & penitus in deſuetudinem venerint, præter hunc paragraphum *Tituli* LXII. *de Alodis*, i. e. de iis rebus, quæ non feudi, ſed patrimonii jure a privatis poſſidentur: *De Terra ſalica nulla portio hereditatis in Mulierem tranſit; ſed hoc Virilis ſexus acquirit*: quem Philippus Valleſius Eduardo Angliæ Regi, ex Iſabella Philippi Pulchri filia Regis ſorore nato, hæreditatem aviti regni ad ſe pertinere contendenti objiciebat, inde factum, ut hæc ipſa verba κατ' ἐξοχὴν *Lex Salica* dicerentur. Quæ quia Anglorum Regi Eduardo Coronam Gallicam præripere videbatur, indigne lacerata ab Anglis & pro Philippi Valleſii commento habita fuit. Huc joculare illud cujuſdam Angli dicterium, quo Gallum aliquando legem illam, qua extra regnum nati a regno Angliæ excluduntur, inficiantem facete petebat: *Invenies illam ex altera parte legis Salicæ.* Perinde uti ex adverſo Gallus quidam ab Epiſcopo Anglo exagitatus: *ubinam ſcripta inveniretur Lex Salica?* reſpondit: *In tergo Donationis Conſtantini.* Unde autem his Legibus Salicarum nomen, ſic explicat Hotomannus *in Franco-Gallia cap.* X. quod totum eſt de Lege Salica, *p.* 76. *Illud*, inquit, *meminiſſe oportet, Francorum duas ſedes duoque regna fuiſſe. Unum in Gallia, quod ad hunc uſque diem permanſit: alterum ultra Rhenum, ad flumen Salam, unde Salii & Salici Franci conjuncte, plerumque autem Salici preciſe appellati, quorum & regnum & jam prope nomen obſoletum eſt. ---- Quemadmodum autem duo Francorum regna fuerunt; ita duæ Francorum leges: Salica, quæ ad Salios: Francica quæ ad Francogallos pertinebat.* Hæc ille; ſed fuit quidam Gottofredus Vvendelinus Taxander Salius, qui *in tractatu de legum Salicarum natali ortu, Antuuerpiæ edito*, CXI. *p.* 87. *ſeqq.* negabit, unquam fuiſſe populum Salicum, ſed in populo non uno fuiſſe homines, quibus vitæ ordine, conſuetudine & dignatione inter ſuos datum fuerit, ut *Salii* vel *Salidi* vocarentur. Alii rurſum aliter, quos tamen omnes hic adduxiſſe, nihil attinet, & extat erudita diſſertatio Eſaiæ Puſendorfi *de Legibus Salicis*, in qua hoc omne exponitur.

(2) Tacito *lib. de Morib. Germanor. circa finem.*

(3) Virilibus curis.) Etiam hæc ſunt verba Taciti *lib.* VI. *Annal. c.* XXV. ubi de Agrippina *Æqui*, inquit, *impatiens, dominandæ avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat.*

(4) Amazonum. De his librum ſingularem ſcripſit Jo. Goropius Becanus. Conf. Jo. a Chokier *lib.* I. *Fac. Hiſtor. c.* LXXXIV. *fol.* 146.

(5) Ad telam. Hunc illud R. Elieſeris in Gemara *Maſſ. Joma. fol.* LXVI. *col.* 2. אין חכמה לאשה אלא בפלך *Non eſt ſapientia mulieri, niſi in colo.* Quanquam Lipſius *lib.* II. *Politicor. c.* III. mulierum quoque cauſam agit, & ritum gentium plerarumque pro iis inter alia advocat in Chriſtiano præſertim orbe, qui excepto Galliæ regno, γυναικοκρατίαν non reſpuat. Sed & veteres Aſiaticos uſurpaſſe, ex his Arriani probat: Νενομισμένον ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἔτι ἀπὸ Σεμιράμεως, καὶ γυναῖκας ἄρχειν ἀνδρῶν, *receptum ſolitumque in Aſia, jam a Semirami, etiam fœminas imperium in viros exercere.* Addi poterat exemplum Eliſabethæ, laudatiſſimæ Angliæ Reginæ cujus conſiliis ſapientiſſimis Anglia annis pluſquam XLV. gubernata, ad ſummam felicitatem uſque floruit.

(6) Athalia. Erat hæc ſceleratiſſimorum parentum, Achabi & Jeſabelis nequiſſima filia, quam præceps adeo & barbara regnandi libido invaſerat, ut cum *Agrippina* Neronis matre, quam violentam & dominationis cupidam deſcribit Tacitus, conferre eam non dubitarit Grotius *ad* 2. *Reg.* XI. 1. Quod quidem regnandi ſtudium ad occidendum nepotes, quorum orbitatem ſuſcipere atque tueri debuerat, adegit hanc aviam, in rabiem & furiam penitus converſam, ut videretur, quaſi altera *Medea*, quam tamen ad facinus æſtuantem ancipiti adhuc animo, atque ſecum ipſam ita ſermocinantem Seneca depingit:

Quid anime titubas? ora quid lacrymæ rigant;
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Deducit; Anceps æſtus incertam rapit.
Ut ſæva rapide bella cum venti gerunt;
Utrinque fluctus maria diſcordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet: haud aliter meum
Cor fluctuatur, ira pietatem fugat,
Iramque pietas.

cum abſque ulla animi ſui lucta, bellua iſthæc, Athalia, in ſua viſcera ſævierit, nec tamen eorum ſanguine ſatiata. Eam quodammodo imitata fuit *Drabomira*, impia VVenceslai Bohemiæ Regis mater, quæ Boleslaum ejus fratrem in hujus filii ſui necem impulit. Refert Æneas Sylvius *in Hiſtoria Bohemica.* Non ergo Regina, ſed Tyrannica fuit Athalia, eoque magis mirari licet, populum non ſubiiſſe modo præter morem mulieris dominatum, ſed integro inſuper ſeptennio ingenuum & nobile col-

collum ſubjeciſſe. Similiter *Alexandra* Jannæi vidua poſt obitum mariti regnum Judæorum, cui novem annos præfuit, per inſidias occupabat, quas memorat Joſephus *lib.* XIII. *Antiq. Judaic. cap.* XXIV. quod lecta digniſſimum. Alias de Athaliæ regno confer Schotanum *Tom.* II. *Biblioth. Sacr. V. T. fol.* 927.

(7) Alterum. Vid. Jo. Steph. Menochius *lib.* I. *Hieropoliticor. c.* VI. §. 5. & *lib.* I. *de Rep. Hebr. c.* VIII. *q. V. f.* 53.

(8) Fratres. Ad citatum locum *Deut.* II. 4. addi poſſet alter *c.* XXIII. 7. לא תתעב אדמי כי אחיך הוא *Non abominaberis Edomæum, quia frater tuus eſt.*

(9) Edomæos. Refert Buxtorfius *in Lex. Talm. fol.* 32. & *in Synagoga Judaic.* V. *p.* 156. *edit. veteris*, ſed in recenti a Filio aucta *cap.* X. *p.* 205. reperiri in ſecretioribus quibuſdam Hebræorum libris rationem, quare Judæi Chriſtianos *Edomæos* ab Eſavo appellent; animam nempe Eſavi in *Chriſtum* migraſſe inquiunt, qui inde ſimilis Eſavo factus, merito *Eſau*, & Chriſtiani ab eo *Eſavitæ*, vel quod idem eſt, *Edomitæ* dicantur. Communiter vero alias atque alias excogitarunt appellationis hujus rationes, quarum pleraſque Buxtorfius *in citato loco Lexici Talm. fol.* 29. *ſeq.* præmiſerat, cum quo conferri poſſunt Helvicus *Tom.* IV. *Diſp. Gieſſenſ. p.* 246. Coccejus *not. ad Excerpta ex Gemara Sanhedr. p.* 373. & in *Δωδεκαπροφ. fol.* 238. Gerſon *part.* I. *Talm. Jud. c.* XVII. *p.* 104. & inprimis, qui hic omnia dixit, Dn. Pfeifferus *Proleg. in Examen R. Abarb. ad Obadiam p.* 1. *ſeqq.* Ex Hebræis de hoc nomine Chriſtianos decente latiſſime egit R. Abarbanel *Comm. in Jeſa.* XXXIV. *fol.* LIII. *col.* 4. *ſeqq.* cujus Rabbinicæ diſſertationis Latinam verſionem dederunt Sebald. Schnellius *editam Altorf.* I. *An.* 1647. & poſt hunc, ſed multo accuratius, Dn. Buxtorfius *in Mantiſſa lib. Coſri p.* 389.

(10) Ne quidem Edomitæ. Huc inſignis, at ſimul in Chriſtianos virulentus locus in Gemara *Maſſ. Peſachim fol.* CXVIII. *col.* 2. & in Beth Iſrael *part.* I. *fol.* CLI. *col.* 4. *edit. Veronenſ.* ubi Edomitæ (per quos tamen ibi juxta Gloſſam Talmudicam Romani, aut Chriſtiani intelliguntur,) ad hoc fraternitatis veluti jus provocant, in regnum Meſſiæ intromitti cupientes; ſed fruſtra. עתידה מצרים שתביא דורון למשיח כסבורה שאינו מקבל הימנה אומר לו הקדוש ברוך הוא למשיח קבל מהם אכסניא נעשו לבני במצרים מיד יאתיו חשמנים מני מצרים נשאה כוש קל וחומר בעצמה ומה הללו שנשתעבדו בהן כך אנו שלא נשתעבדנו בהן על אחת כמה וכמה אמר לו הקדוש ברוך הוא קבל מהם מיד כוש תריץ ידיו לאלהים נשאה מלכות אדום קו' וחומר בעצמה אמרה ומה הללו שאינן אחיהם כך אנו שאחיהם על אחת כמה וכמה אמר ליה הקדוש ברוך הוא לגבריאל גער חית קנה: *Futurum eſt, ut Ægyptii munera ad Meſſiam ferant, cui dubitabundo, an accipere debeat, dicet* Deus *Optimus Maximus: Accipe ab illis, hoſpitia ſiquidem præbuerunt filiis meis in Ægypto; ſtatim venient inclyti ex Ægypto*, juxta Pſalm. LXVIII. 32. *Accipient inde Æthiopes argumentum a minori ad majus pro ſe, & ſi hi*, inquient, *qui eos* (Iſraelitas) *tantopere ſervire fecerunt*, ita recipiuntur, *quanto magis nos, qui nunquam eos nobis ſervire paſſi ſumus*, recipiendi erimus? *dicet ei* Deus *Optimus Maximus: Accipe ab iis; ſtatim Æthiopia extendet manus ſuas ad* Deum, juxta eundem locum. *Aſſument inde* Edomæi *argumentum a minori ad majus pro ſe, & cum illi*, inquient, *qui* non ſunt Fratres *eorum* (Iſraelitarum,) *ita* recipiantur, *quanto magis nos, qui* Fratres eorum ſumus, recipiendi erimus? *Sed dicet* Deus *Optimus Maximus Gabrieli: Increpa feram cannæ*, ex Pſal. LXVIII. 31.

(11) Herode. Caſaubono, quem Auctor hic de *Herode* citat, junge Cœleſtinum a Monte Marſanno *lib.* I. *Clav. David. Obſ.* XCIV. *fol.* 148. & Chriſt. Noldium *in Hiſtoria Idumæa, ſeu de vita & geſtis Herodum, pag.* 23. *ſeqq.* Nec Proſelytum, nec Judæum fuiſſe oſtendit Ant. Cregutus *Revel. Arcanor. c.* X. *p.* 450. & *c.* XIII. *p.* 562. Proſelytum tamen factum, ait Raymundus Martini *part.* II. *Pug. fid. c.* VII. *fol.* 283. ad quem conferri meretur Joſephi de Voiſin obſervatio *fol.* 287. quæ noſtrum auctorem inſigniter illuſtrabit. Ibi enim poſt allata quædam ex Maymonide concludit, violatum eſſe per Herodem Regnum Iſraeliticum invadentem commune jus Hebræorum. Provocat inſuper ad traditionem Talmudicam in *Meſſeth. Bava Batra*, prolixiorem quidem illam, ſed integre tamen cum verſione recenſitam ab ipſo Raymundo *loc. cit. c.* IV. *fol.* 255. 256. ubi videas. Paucis omnia complexus P. Cunæus *lib. I. de Republ. Hebr. c. XVI. p.* 140. *ſeq.* Regnum, inquit, *Herodes tenuit, quod ante a Romanis acceperat, homo non hercle regia ſtirpe, neque ſacerdotali familia ortus, ſed de Idumæorum gente, inſititius Judæus. Non enim Idumæi vere Judæi erant, ſed habiti modo appellatique Judæi ſunt, ex qua tempeſtate eos Hyrcanus religiones ceremoniaſque ſuſcipere veri Numinis coegit, cum antea Deum, neſcio quem, Coſan colerent, cujus ſacra ſemper cuſtodierat illuſtris in illa natione Coſtobarorum domus. Celebrata eſt Sameæ Vaticinatio, qui Herodem Judæis regem datum iri, ſed in pœnam peſtemque, multo ante prædixerat. Neque profecto aliter cecidit. Statim enim Idumæus ille Ariſtobulum pontificem, admodum adoleſcentem; mox Hyrcanum ex Parthis allectum; poſtremo quicquid de Haſmoneorum ſanguine ſupererat, extinxit ſuſtulitque. Neque melius actum cum ſeptuaginta ſenibus eſt, qui aſſeſſores magni concilii erant, quod Sanhedrin appellitant. Ita ſubmotis omnibus, unde metus aut periculum erat, paulatim inſurgere, atque ex magno imperio uſurpare licentiam cœpit. Patria enim Judæorum inſtituta mutavit, nova invexit, multa contra leges fecit.*

(12) Ultimum. Allegat Gloſſa ad citatum ab auctore Moſis Ægyptii locum, Traditionem ex Toſiphta, quæ doceat, id inprimis in Regis electione attendendum fuiſſe ut eligendus eſſet e nobiliſſima Judæorum ſtirpe oriundus. תניא בתוספתא אין מעמידין מלך אלא מן המשיאין לכהונה והטעם שנ' מקרב אחיך תשים עליך מלך ממובחר שבאחיך: *Traditio eſt in Toſiphta: non conſtituunt Regem, niſi ex iis, qui cum Sacerdotibus contrahere poſſunt affinitatem, ex eo, quod dictum eſt* (Deut. XVII. 5.) *E Medio fratrum tuorum pones ſuper te Regem*, i. e. E ſelectiſſimo, *quod eſt in fratribus tuis*. Neque enim in Synedrium alios cooptatos, docet ipſe Moſes ille *Hilk. Sanhedr. c.* II. *n.* I. *f.* CCXXVIII. *col.* 2. אין מעמידין בסנהדרין אלא כהנים לוים וישראלים המיוחסים הראויים להשיא לכהונה שנאמר והתייצבו שם עמך בדומין לך בחכמה וביראה וביחס: *Non conſtituunt alios in Synedrio, quam Sacerdotes, Levitas & Iſraelitas ex præſtantiſſimis familiis ortos, dignos qui cum Sacerdotibus affinitatem contrahant, juxta illud* Num. XI. 16. Et ſtabunt ibi tecum, i. e. *ſimiles ſunto tibi ſapientia, & pietate, &* Proſapia.

(13) Parum honorifice. Lege hic Cunæum *lib.* I. *de Republ. Hebr. c.* IV. *p.* 27. *ſeq.* ubi Judæos olim nullis artificiis celebres fuiſſe, idque in laude poſitum oſtendit, ſimulque alia de opificibus admiſcet, quos omnes ait in arte ſordida verſari. Eleganter hinc illuſtrabitur Locus *Matth.* XIII. 55. *Nonne hic eſt fabri filius, &c.*

(14) Medicaſtros. Modeſte ita noſter vertit, quod in Hebræo ſonat: טוב שברופאים לגיהנם *Optimus inter Medicos ad Gehennam.* Ita nimirum Medicos Talmudici inter opifices numerant, & tam abjecte de iis ſentiunt, quos tamen honorandos eſſe, *Siracides, c.* XXXVIII. 1. eos, docere poterat. Vide R. Menaſſe ben Iſrael *lib.* II. *de termino Vitæ ſect.* VI. *p.* 99. Sixt. Amama *lib.* III. *Anti-Barb. Bibl. p.* 524. Jo. Muller. *in Judaiſm. p.* 1453. &c. Simile huic fere habetur in *Peſachim fol.* CXIII. *col.* 1. אל תדור בעיר דריש מתא אסיא *Ne habites in urbe, cujus caput eſt medicus.* Ubi tamen honeſtior ratio redditur.

(15) Felix. Eadem ſententia aliter effertur in Maſſ. *Baba Bathra fol.* XVI. *col.* 2. & in Maſſ. *Sanhedrin fol.* C. *col.* 2. איפשר לעולם בלא בסם ובלא בורסי אשרי מי שאומנותו בסם אוי למי שאומנותו בורסי: *Non poteſt mundus eſſe abſque Aromatariis & Coriariis. Bene illi, cujus opicium eſt aromatarium; Væ illi, cujus opificium eſt coriarium.*

(16) Saulis. Vide Cœleſtinum a Monte-Marſan-

no

no *lib.* I. *Clav. David. Obf.* LXIX. *fol.* 123. *feqq.* Jo. Biffelium *Decad.* III. *Illuftr. ruinar. Rom.* I. *p.* 27. *feqq.* Chrift. Schotanum *Tom.* II. *Biblioth. Sacr. V. T. f.* 561. *fqq.*

(17) Agafo. Hanc Saulis Hiftoriam illuftrabit alia de *Ventidio Baffo*, ignobili homine, qui cum initio curandis mulis victitaffet poftea Pontificatum, & deinde quoque Confulatum adeptus eft; quod tam intoleranter tulit populus Romanus, ut vulgo per vias urbis verficuli profcriberentur:

Concurrite omnes augures, harufpices:
Portentum inufitatum conflatum eft recens.
Nam mulos qui fricabat, conful factus eft.

Refert Gellius *lib.* XV. *Noct. Atticar. c.* IV. Quod expendenti in mentem veniunt aurea hæc Chryfoftomi *Homil.* LIX. *in Matth. fol.* 521. *edit. Commelin.* quibus reprimere voluit infolentiam tum eorum, qui natalium fplendore intumefcunt, tum, qui cum plebeji initio fuerint, ad dignitatem poftea evecti, adverfus majores fuos inftantur: Πῶς ἂν τις ἑκατέρων ταπεινώσει τὴν φλεγμονήν; *Quomodo igitur*, inquit, *qui utriufque poterit tumorem reprimere?* Nempe, addit: πρὸς μὲν ἐκείνους λέγων· ἀνάβηθι περαιτέρω τῶν πάππων, καὶ τῶν προπάππων, καὶ πολλοὺς ἴσως εὑρήσεις μαγείρους, καὶ ὀνηλάτας καὶ καπήλους· πρὸς δὲ τούτους, τοὺς ἀπὸ τῆς εὐτελείας τῶν προγόνων φυσωμένους, τὸ ἐναντίον πάλιν· ὅτι καὶ σὺ πάλιν ἀνωτέρω προελθὼν τῶν προγόνων, ὄψει πολλῷ σου λαμπροτέρους πολλάς· ὅτι γὰρ τοῦτον ἔχει τὸν δρόμον ἡ φύσις, φέρε καὶ ἀπὸ τῶν γραφῶν ὑμῖν ἀποδείξω· ὁ Σολομὼν υἱὸς βασιλέως καὶ βασιλέως λαμπροῦ· ἀλλ᾽ ὁ τούτου πατὴρ τῶν εὐτελῶν καὶ ἀσήμων, καὶ ὁ πρὸς μητέρος δὲ πάππος ὁμοίως. οὐδὲ γὰρ ἂν ψιλῷ στρατιώτῃ τὴν θυγατέρα ἐξέδωκεν· εἰ δὲ ἀναβαίνοις ἀνωτέρω, πάλιν ἀπὸ τῶν εὐτελῶν τούτων λαμπρότερον ὄψει τὸ γένος καὶ βασιλικώτερον· οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ Σαούλ· οὕτω καὶ ἐπὶ πολλῶν ἑτέρων εὕροι τις ἂν τοῦτο συμβαῖνον· μὴ μέγα φρονῶμεν ἐντεῦθεν. *Si ad alteros dixerit: tu qui magna de noblitate majorum jactas, ultra proavos atque atavos tuos fi progrediaris, invenies multos e genere tuo* Agafones *forfan, aut caupones fuiffe. Ad alteros e contrario: fi progrediaris tu aliquantulum ultra parentes, & invenies multo te clariores fuiffe. Hunc enim curfum habere genus humanum, etiam a fcripturis comprobari poteft. Salomon Regis erat filius, & Regis quidem illuftriffimi; hujus tamen pater abjectus atque ignobilis fuit: maternus etiam avus adeo vilis, ut nec gregario militi filiam collocare poffet: hæc ipfa fi altius repetes, invenies rurfus horum vilium genus illuftre ac regium. Hoc de Saul, hoc de multis aliis dici poteft. Non igitur multum extollamur.*

(18) Refpondeo. Cabbaliftæ fortaffis refponderent, Saulem ex Regum numero excludendum. Nomen enim שאול inquiunt *commodatum* fignificare, atque ad breve tempus permanentem; nec Regem fuiffe ex tribu Juda Vide R. Menaff. ben Ifrael *in Concil. q.* VI. *in Deuter. p.* 128.

(19) Afinis vectos. Vide noftrum Philologema de Afino Meffiæ in Urbem Jerofolymam vectore, §. XIX. *p.* 27. 28.

(20) Corporis Pulchri. R. D. Kimchi ad 1. *Sam.* X. 25. כי אין כמוהו בכל העם כי אדם בעל קומה וצורה נאה יאות למלוכה וייראו העם אותו יותר: *Merito Samuel ad Ifraelitas de Saule ait: Non eft, ficut hic, in omni populo. Erat enim eximia ftaturæ proceritate, & eleganti forma, qualis Regno conveniebat, ut eo magis eum timeret populus.* Cæterum profani Auctores plures fuggerunt, quos cum Saule circa heroicam ejus ftaturam conferre liceat. Plinius *Panegyr. c.* IV. de Trajano: *Jam firmitas*, inquit, *jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris, nonne longe lateque Principem oftentavere Trajanum?* Sic de Anchife Virgilius *lib.* VIII. *Æneid.*

Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipfum
Laomedontiadem; fed cunctis altior ibat
Anchifes. - -

Et *lib.* VII. de Turno

Ipfe inter primos præftanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice fupra
eft.

(21) Taluth. Ipfi Arabes ignorant rationem Etymologiæ. Notat autem טאלות *longurionem*, ut fic vocatus videatur a Mohammede ob ftaturæ proceritatem, a qua in fcriptura haud mediocriter commendatur.

(22) Exercitum luftraverit. Vide hæc ex Alkurano excerpentem Hottingerum *lib.* I. *Hiftor. Oriental. c.* III. *p.* 75. 76. fimulque ibi memorantem, quæ de Saule in eodem habentur, fuiffe *pauperem, paftorem, villicum aut coriarium, ex filiis Benjamin*, &c.

(23) Archidamo. Idem ad 1. *Sam.* IX. 2. obfervavit Hugo Grotius, quem vide.

THEOREMA IV.

Electum ungebant circa caput.

VArii funt apud alios populos inaugurationis ritus. In hoc autem fere conveniunt, quod novus Rex purpurea vefte vel paludamento, ubi aurum intertextum eft, ornatur, populo fiftitur & publice proclamatur: tum infignia regni, ut corona, (1) fceptrum, (2) gladius ei porriguntur; aut Diadema, h. e. fafcia candida capiti ejus circumligatur. Plebi denique applaudenti & congratulanti publicum epulum exhibetur. Quiritum Rex primus Romulus, authoritatis caufa duodecim lictores fibi afcivit, qui virgarum fafcces cum fecuri præferrent, poteftatis in vitam fymbola: quod etiam exactis regibus Confules imitati funt. Apud Chriftianos folenne eft, ut novi Principes in templa deducantur, *Deus* pro falute publica invocetur. Cum primis vero memorabile, quomodo Gallorum (3) Reges inaugurentur; quod prolixius defcripfit Sleidanus *circa med. l.* 19. *mihi pag.* 543. cujus hæc fumma eft: a tribus Cardinalibus in templum deduci, ibi divorum reliquias auro inclufas ofculari, facerdoti peccata confiteri, in lecto recumbentem fublevari, a Conneftablio ftrictum enfem præferri, ab Archiepifcopo aqua luftrali Regem afpergi, oleo peculiari circa caput, pectus, humeros & brachia ungi, Caroli M. coronam imponi, aurea & argentea numifmata in plebem fpargi, acclamationibus votivis & tubarum clangore omnia perfonare, &c. Inter omnes has cæremonias unctio (4) eft antiquiffima, & ab Hebrœis deducta: illi enim Reges fuos ungebant. Hal. Me-

Melach. cap. 1. v. 8. כשמעמידין המלך מושחין אותו בשמן המשחה׃ שנ׳ ויקח שמואל את פך השמן ויצק על ראשו וישקהו׃ *Cum Reges inaugurant, ungunt eos oleo unguenti, sicut dicitur,* (1. *Sam.* 10. *v.* 1.) *accepit Samuel vasculum olei, effuditque super caput ejus, & osculatus est illum.* Quem ritum ut rectius intelligamus, considerabimus distincte tum olei confectionem, tum illius illinendi modum vel actum.

Oleum (5) illud describitur *Exod.* 30. *v.* 23. quod conficiendum fuerit arte pigmentaria, ex his quatuor speciebus aromatum מר דרור (6) קנמן בשם׃ קנה בשם׃ וקדה׃ Sed quid proprie sint, nondum satis inter interpretes convenit. Rambam *hal. Kele hammickdasch cap.* 1. *v.* 5. opinatur, מר esse (7) Muscum, המור הוא הדם הצרור בחיה שבהודו הידוע לכל שמתבשמין בה בני אדם בכל מקום׃ *Mor, est sanguis ille concretus in bestia quadam Indiæ, notus omnibus; quia eo condiunt se homines ubique locorum.* Sed recte corrigitur a Baal-Magg. *in gloss. margin.* איא אין דעתי שיכנסו במעשה הקדש דם שום חיה בעולם כל שכן דם חיה טמאה. אבל המור הוא אמור בשיר השירי׳ באתי לגני אחותי כלה׃ אריתי מורי עם בשמי והוא ממין עשב או ממין אילן וריחו נודף׃ *Ajo ego: mihi non videri, quod compositionem sacram ingrediatur sanguis ullius feræ immundæ, nedum immundæ. Sed hujus vocis recordatur etiam Cant. Canticor.* (cap. 5. v. 1.) *veni in hortum meum, soror mea sponsa, decerpsit* Mor *meum, cum aromate meo. Itaque erit de specie fruticis alicujus vel arboris, cujus odor fragrans.* At de Myrrha refert Plinius (8) (*lib.* 12. *c.* 15.) quod sic fluat & colligatur ex arbore quadam Arabica. Impugnat eandem sententiam quoque Aben-Ezra *Com. ad Exod.* מלת מר קשה הגאון תרגמה מושק והנה איננו מעצים והפרידו הכתוב מבשמים אריתי מורי עם בשמי הנה הוא מלוקט. ואומרים המביאים אותו כי הוא נעשה בגרון הצבי׃ *vox* Mor *est difficilis. Gaon* (intelligit Raf Saadiam) *interpretatur Muscum: at is non est de arboribus. Separat eam scriptura aa aromatibus* d. l. *decerpsi Mor colligitur* (de plantis! at de musco) *dicunt, qui eum afferunt, quod gignatur in gutture cujusdam capreæ.* Commendat vero R. D. Kimchi *in Radd.* expositionem eorum, qui Thuris speciem existimant רבינו הייָ ז״ל פירש שהוא שרף עץ שיש לו ריח טוב הנקרא בערבי לובני ולזה יתכן לומר אריתי. במדרש. כהמור ראש לכל הבשמים כן אברהם אבינו ראש לכל צדיקים. מה המור מי שלוקט אותו ידיו מתמר מרות ואינו מפיח ריחו אלא באור כך אברה׳ ממרר עצמו והוריע מעשיו הטובים בכבשן האש׃ *Magister noster Hay p. m. explicavit esse gummi arboris odoratissimæ, quod appelletur Arabice* Lobni (9) *h.e. Styrax: & sic quadrat dicere* (Cant. 5. 1.) *decerpsi. In Medrasch taliter: Ut Myrrha præcipuum est aroma, sic Abrahamus pater noster præcipuus inter justos. Quid ulterius commune habent? qui colligit myrrham, ejus manus amarascunt; nec exhalat odorem suum nisi in igni: sic Abraham amare faciebat sibi, sed demonstravit pietatem in furno ignis,* (credunt enim a Chaldæis odio religionis in fornacem fuisse missum, &c.) Luth. vertit Myrrhen/ quod alliteratio ipsa comprobare videtur: cætera vero (10) Cynnamet/ (11) Calmes/ und (12) Carien; quæ singula curiosius investigare jam non fert institutum. Illud potius nunc attendamus, quomodo e quatuor speciebus illis paratum fuerit. Textus. *v.* 25. conficere jubet רקח מרקחת מעשה רקח *unguentum* (13) *arte pigmentaria* nach der Apotekher Kunst. Modum hunc nimis generaliter indicatum, prisci commentatores specialius exposuerunt. Idem Ramb. *ibid. v.* 2. 3. 4. לקח משלשתן חמש מאות שקל ומקנה חמשים ומאתים ושוחק כל אחד ואחד לבדו וערב הכל ושרה אותן במים זכין ומתוקין עד שיצא כל כחם במים ונתן על המים שמן זית הין והוא שנים עשר לוג ובשל הכל על האש עד שאבדו המים ונשאר השמן והניחו בכלי לדורות׃ *accipit de tribus* (verius de duabus tantum speciebus) *quingentos siclos, & de calamo* 250. *atque contundit singula seorsim, deinde miscet omnia & macerat in aquis puris dulcibusque, donec extrahatur universa virtus illarum. Post affundit* (14) *Hin olei olivarum, sive duodecim* (15) *Logos,* (hoc est quantum capiunt 72. ova) *& coquit simul ad ignem, usque dum exhalent aquæ, & remaneat unguentum. Id in vase asservat ad posteritatem.* Et in eundem sensum Talmud Mass. Cerith. *cap.* 1. *pag.* 5. *a fine.* אמר ליה (לר׳ יהודה) ר׳ יוסי כיצד עושה: הביאו העיקרין ושלקום במים והציף עליהן שמן וקלט את הריח וקיפחו׃ *Rabi Jose quæsivit e R. Jehuda, quomodo confecerit illud? respondit, assumpsisse radicalia* (seu ingredientia) *& elixasse in aquis, postea super instillasse oleum, quod receperit odorem, atque sustulisse.* Semel (16) tantum a Mose confectum fuit hoc unguentum, & ad seræ posteritatis usum, apud reliquam suppellectilem sacram, in vasculo puro asservatum: quod a (17) materia קרן *cornu* dicitur, 1. *Reg.* 1. 39. a forma vero פך *lenticula* 1. *Sam.* 10. 1. Mirantur hic Talmudici, quo-

quomodo potuerit tam diu novem fere ſeculis, ſcilicet a Moſe ad Joſiam uſque incorruptum durare? & paucum exiſtens tot unctionibus ſufficere? non enim homines tantum, ſed & vaſa ſanctuarii eo illiniebantur plurima, *Exod.* 30. 27. arca teſtimonii, menſa, candelabrum, utrumque altare, labrum ampliſſimum, ipſum denique tabernaculum. Aromatum quidem ſatis multum erat, nempe 1500. ſicli, ſive totidem ſemunciæ, quæ ad 47. libras noſtrates adeoque fere ſemiſſem centenarii excreſcunt: at olei parum, ſcilicet ſeſquimenſura Wurtembergica; unguenti ergo tantundem, quia fecibus relictis, odores tantum extrahebantur. Præterea exhalare ſolent odorata, quantumvis probiſſime obthurentur, & ſeneſcunt tandem, cum mors etiam ſaxis marmoribuſque veniat. Maſſ. & pag. *ead. fac. ſeq. b. init.* הלא ניסים הרבה נעשו בשמן המשחה מתחילתו ועד סופו. תחילתו לא היה אלא שנים עשר לוג ובו נמשח המשכן וכליו ואהרון ובניו כל שבעת ימי המילואים ובו נמשחו כהנים גרולים ומלכים וכולן קיים לעתיד לבא שנ׳ שמן משחת קדש יהיה זה לי לדורותכם. זה בגמטריא תרי עשר לוגין הוון. ר׳ יהודה אומר כמה יורה בולעת כמה עיקרין בולעין כמה האור שורף: *Annon miracula plurima contigerunt oleo unctionis, a principio ad finem ejus? initio non plus erat quam duodecim Logi* (vel Sextarii: eſt liquidorum menſura, continens ſex ova, ſo groß als ein Octal Weins) *eo tamen unctum fuit Tabernaculum atque vaſa ejus,* (*Levit.* 8. *v.* 10.) *Aharon cum filiis, totis ſeptem diebus impletionis ſuæ,* (*ibid. verſ.* 33.) *item Pontifices ſucceſſores & Reges. Nimirum durabile fuit in futurum, ſicut dicitur* (Exod. 30. *v.* 31.) *oleum unctionis ſacræ hoc mihi erit ad poſteritatem veſtram. Vocula* Hoc *per Gematriam valet* XII. *quot erant Logi,* (hoc ut intelligas, confer ſi placet, meum Bechin. Happer. p. 63.) *R. Jehuda dicit, quantum defluens abſumptum eſt? quantum radices* (aromatariæ) *abſorpſerunt? quantum calor diſſipavit* (per evaporationes?) Ajunt ſuperfuiſſe adhuc tempore regis Joſiæ; ſed poſt reditum e Babel, in templo ſecundo deſideratum. Talm. *ibid. circ. med.* תניא משנגנז ארון נגנז צנצנת המן וצלוחית שמן המשחה ומקלו של אהרון שקרים ופרחים וארגז ששגרו פלישתיים דורון לאלהי ישראל שנ׳ ואת כלי הזהב אשר השיבו לו אשם תשימו בארגז מצדו ומי גנזו יאשיהו מלך יהודה גנזו שנ׳ תנו את ארון וגו׳: *Traditio: cum recondita eſt Arca, recondita quoque urna mannæ* (*Exod.* 16. 33.) *Ungens vaſa, vel jumenta, vel gentiles, qui jumentis æquiparantur, vel mortuos, abſolvitur: quia dictum eſt* (*verſ.* 32.) *carni humanæ ne inungitor. Etiam dans ſuper Regem vel Pontificem, qui pridem uncti ſunt, indemnis eſt; quia* (*verſ.* 33.) *prohibetur tantum inde dari ſuper Extraneum, tales autem minime pro extraneis habendi. At ungens eo vel Regem, aut Sacerdotem, reus eſt, quoniam nefas illinere carni.* Videntur hoc ſubtiles Domini ſuo more, nimis magiſtraliter diſputaſſe. Sed conſideremus nunc ipſum Regiæ unctionis actum ſolennem.

Ducebatur electus Rex, boni ominis ergo, ad ſcaturiginem (19) alicujus fontis, & ibi coram omni populo ungebatur. Maym. *Hal. Kel. & Melach.* utrobique *v.* 16. *capp.* 1. iiſdem pene verbis אין מושחין את המלך אלא נבי המעיין וכו׳: *non ungunt Regem, niſi juxta fontem.* Quemadmodum & alias res minoris momenti ſolent in loco celebri peragere, v. g. libellum (20) repudii non niſi ad confluentem rivorum dare, quod talis locus a natura ſit ſignatus, adeoque poſt multa ſecula, quando ampliſſimarum quoque urbium vix rudera apparent, adhuc monſtrari poſſit. Subeſt inſuper hic peculiare (21) omen: ut enim fonticulus aliquis jugiter ebullit aquas ſuas, & longiſſime profluendo prata quævis obvia irrigat atque fœcundat: ita hoc regni perrennis auſpicium eſſe volunt, & ſignificationem bonæ adminiſtrationis. Talmud. (22) *Pirck.* Kam. *Ceritutb.* 5. *b. ult.* תנו רבנן אין מושחין את המלכים אלא על המעיין כדי שתימשך מלכותן שנ׳ והורדתם אותו על גיחון וגו׳: *Tradunt noſtri Doctores, non ungi Reges niſi apud fontem; ut prorogetur regnum illorum, ſicut dicitur* (1. Reg. 1. 33.) *deducatis eum ad Gihon. &c.* Itaque hoc habent ex hiſtoria Salomonis, qui non intra urbem Jeroſolymam, ſed foris ad caput vicini fluminis Gichon unctus eſt; illuc deduci juſſus a grandævo patre, & regia mula vehi, comitantibus præcipuis proceribus. Erat autem Gichon, (23) monente R. Salomone *ad marg. d. l.* מעין קטן סמוך לירושלם ולא זהו גיחון הגדול היוצא מעדן: *non illud grande flumen, quod* (*Gen.* 2. 13.) *e paradiſo egreſſum,* univerſam Æthiopiam perfluere legitur; alias Nilus appellatur, & e montibus lunæ rotus, exundatione ſua quotannis Ægyptum rigat, inque mediterraneum mare ſeptem oſtiis effunditur: ſed rivus quidam Palæſtinæ, *prope Jeroſolimas ſcaturiens,* qui in torrentem Kidron exonerabatur, in Targum vero recentiori nomine שילוחא *Siloah* dicitur, & ab Ezechia Rege memorabili opere obturatus eſſe

esse legitur 2. *Paral.* 32. *v.* 30. non ex toto (quod fortassis impossibile) sed parte scaturiginis superiori, quam infra terram ad occidentale latus urbis derivabat. Ibi ungebant eum bini (24) simul, Zadok pontifex, & Propheta Nathan (*vers.* 34.) quorum alterum affudisse oleum, alterum innunxisse verisimile est. Quamvis vero Maym. *Kel.* 1. 14. dicat לא ירבה בשמן *non multiplicasse* (h. est prodige vel affatim adhibuisse) *oleum*; existimo tamen nec etiam parcius affudisse; quia *Psal.* 133. 2. a capite Aaronis in ejus barbam usque imo ad oram vestimenti defluxisse legitur: quod Talmudici *d. l.* כמין שתי טיפין מרגליות תלויות בזקנו: *de duabus tantum guttis, speciem margaritarum de barba suspensarum referentibus* explicant: ubi etiam commentum (25) de fratribus annectitur, referri non dignum. Porro notabilis est character (26) unctionis; ajunt enim unguentum in formam O coronæ, circa caput fuisse illitum. Est hoc Regium emblema, & circulus etiam apud Mathematicos perfectissima figura. Maym. *ibid.* מלכי בית דוד מושחין אותם כמין נזר על ראשו: *Reges familiæ David ungebant forma coronæ super caput.* & R. Sal. Jarch. *in gloss. d. l. Talm.* dilucidius כמי נזר סביב על ראשו *instar corollæ circa caput suum.* Ad differentiam Pontificum, quorum frontibus X cruciculam inter supercilia inungebant. Rursus Maymonides: כיצד מושחין את הכהן צק את השמן על ראשו וסך ממנו על גבי עיניו כמין כי יוונית כזה: *quomodo ungebant Sacerdotem? affundebat oleum capiti ejus, & illiniebat inde super oculos, ad speciem Chi Græci, taliter:* (spacium (27) erat relictum in Hebræo, & forma X omissa, quod me, fateor, ob ambiguitatem vocis כי diu frustra detinuit.) Sic iterum in Talm. *d. l.* plenius אמ׳ ר׳ מנשיא כמין כי יוני תני חדא בתחילה מציק שמן על ראשו ואחר כך נותן לו שמן בין ריסי עיניו ותני אחריתי בתחילה נותן לו שמן ואח״כ מציק: *dicit Raf. Menasse; instar X Græci. Tradit unus, antea fudisse oleum super caput, postea modo effigiasse id inter palpebras oculorum: Tradit alter hoc prius & illud posterius contigisse.* Est igitur mendum in Comm. R. Davidis Kimchii *ad Psal.* 113. ubi editio (28) Isnensis Pauli Fagii ita legit: כמין כף יונית *instar* Caph *græci*, quamvis neutrum Caph, minusculum κ, nec majusculum K ab hac figura multum abludant. Eruditoribus hic considerandum relinquo, num forte signum (29) Tau, quo pii super iniquitatem mundi gementes notati sunt, *Ezech.* 9. 4. aut character in frontibus electorum *Apoc.* 7. 3. tale quid fuerint? vel annon Pontifex, qui in cæteris *Christi* typum gessit, hoc etiam signo crucem ejus præfigurarit? quoniam constat, totam hanc unctionem externam, alterius divinioris fuisse umbram, qualem præ consortibus habuit, *Psal.* 45. 8. Suspicor tamen ex *Lev.* 21. 12. etiam Pontificibus coronæ formam fuisse inunctam, prius quam Reges haberent. De osculandi (30) ritu, quo Samuel Saulem inauguravit, nil præterea reperio posthac adhibitum fuisse. Cæterum existimant Rabini, unicam (31) unctionem toti prosapiæ suffecisse, nec opus fuisse, ut repeteretur, nisi quando legitimus successor, ob machinationes æmulorum periclitaretur. Rambam *Hal. Mel. cap.* 1. *v.* 9. מאחר שמושחין המלך הרי זה זוכה לו ולבניו עד עולם שהמלכות ירושה שנ׳ למען יאריך ימים על ממלכתו הוא ובניו בקרב ישראל: *postquam unctus est Rex, dignus fit ipse & filii ejus in perpetuum. Regnum enim hæreditarium, sicut dicitur (Deut. 17. 20.) ut prolonget dies suos super regnum suum, ipse & filii ejus in medio Israel.* Idem *Hal. Kel. ham.* 1. 16. אין מושחין מלך בן מלך שהמלכות ירושה וכו׳ אלא אם היתה שם מחלוקת מושחין אותו כדי לסלק המחלוקת ולהוריע לכל שזהו מלך לבדו כמו שמשחו שלמה מפני מחלוק ארוניהו ויואש מפני עתליה ויהואחז מפני יהויקים אחיו: *non ungunt Regem, qui est filius Regis* (natus Rex) *in regno hæreditario. At si oriatur dissensio, ungunt etiam, ut removeant æmulationes, & notificent universis, quisnam sit verus Rex solus. Sic unxerunt Salomonem propter factionem Adoniæ* (1. *Reg.* 1. 5.) *Joasum propter Attalium* (2. *Par.* 23. 11.) *Jochasum propter fratrem Jehojakim* (2. *Reg.* 23. 30. & 2. *Par.* 36. 4.) Bechai *Parsch. Scoph. mihi fol. D.* 3. בזמן ששלום על ישראל אינו צריך משיחה: *tempore quo pax est, in Israel, non eget unctione.* In hoc iterum differunt a Pontificibus, quos etiam in naturali successione (stante adhuc priori templo) semper ungebant. Maym. *Kel.* 1. 11. e Mass. *Cerit. ead.* אפילו כהן בן כהן מושחין אותו: *etiam sacerdotem* (intellige maximum, non cæteros vulgares) *filium sacerdotis ungebant.* Et quoniam huic oleo virtutem sanctificandi (Levitice scilicet, suoque modo) tribuit scriptura, *v.* 32. ideo etiam extraordinarie illos ungebant, quos Respublic. in subitaneo periculo Duces belli requirebat, ut hoc signaculo ad fortitudinem animarentur; unde Maymonidi *Kel.* 1. 11. משוחי נילחמה *uncti* (32) *castrenses* appellantur. Imo arma

que

que bellica unxisse leguntur, ut fiduciam augerent. Ideo de clypeo (33) Saulis canit David 2. *Sam.* 1. 21. in epicedio *projectum esse, ac si non unctus fuisset*; quamvis mihi verisimilior sit ratio R. Davidis Kimchi *in Com. s. h. l.* מושחין המגן כדי להחליקו שלא יעברוהו כלי זיין לדעת קצת המפרשים *unxisse scuta, ut lævigarent, neque penetrarent spicula: secundum quosdam intepretes*. Hoc præstitisset etiam quodvis vulgare oleum. De Samaritanis (34) Regibus narrant, fuisse illos Balsamo tantum inunctos: quod regnum illorum non sit proprium, nec perpetuum. Hal. Mel. *cap.* 1. *v. penult.* מלכי בית דוד הם העומדים לעולם שנ' כסאך יהיה נכון עד עולם אבל אם יעמוד מלך משאר ישראל תפסק המלכות מביתו שהרי נאמר לירבעם אך לא כל הימים: לכן אין מושחין מלכי ישראל בשמן המשחה אלא בשמן אפרסמון: *Reges familiæ David permanebunt semper, sicut dicitur* (2. Sam. 7. 16.) *thronus tuus erit firmus usque in seculum. At si consurrexerit aliquis Rex de reliquo Israel, deficiet regnum a familia ejus. Ecce enim scriptum est de Jeroboamo* (1. Reg. 11. 37.) *veruntamen non omnibus diebus. Propterea non ungunt Reges Israel oleo sacro, sed unguento Balsami*. Habent id e Talmud. *d. l.* אמ' ר' פפא באפרסמא דכיא *ubi Raf Pafa dicit, balsamo purissimo unctos*. Et Ramb. affert exemplum e Kabala *Kel.* 1. 16. וזה שמשח אלישע ליהוא לא המשחה משחו אלא בשמן אפרסמון בשמן ודבר זה מסורת ביד החכמים: *iste discipulus Elisæ* (2. Reg. 9. 1. quem Rabbini Jonam fuisse putant) *qui unxit Jehu* (*vers.* 6.) *non adhibuit oleum sacrum, sed unguentum Balsami: quod accepimus per manuum traditionem a sapientibus*. Huic vero videtur alia scriptura contravenire, 1. *Reg.* 19. 15. quæ Magistro ejus Eliæ hanc expeditionem mandat & simul ipsum Elisam ungere jubet, quod unguento sacro faciendum fuisse præsumitur. *Dixit Dominus ad Eliam vade revertere ad viam tuam in disertum Damasci: cum illuc veneris, unge Hasaelem in regem Syriæ, & Jehu filium Nimschi unge in regem super Israel, & Elisam filium Schaphat de Abel-Mechola unge in Prophetam post te*. Sed respondet Ralbag *in comm. s. h. l.* ידמה שהודיע אליהו לאלישע זאת הנבואה וצוהו שימשח יהוא למלך ולזה היה כאילו ימשחם אליהו: *apparet quod Elias notam fecerit Elisæ hanc Prophetiam, & mandaverit ei, ut ungeret Jehu in regem: ita perinde fuit ac si eos unxisset Elias ipse*, (secundum illud: Quod quis per alium facit, ipse fecisse videtur. (Schindlerus *in Rad.* בפך existimat etiam Saulem balsamo tantum fuisse unctum, unde regnum ejus non fuerit diuturnum: sacrum vero unguentum solis Davidicis competiisse arbitror id hausisse a Kimchio, (35) qui ad *marg.* 2. *Reg.* 9. sic notat שאול ויהוא נמשחו בפך לא נמשכה מלכותן דוד ושלמה שנמשחו בקרן נמשכה מלכותן: *Saul & Jehu fuerunt uncti e lenticula, ideo non protraxerunt imperium suum: David & Salomon uncti sunt e cornu, itaque perpetuarunt regnum*. At ego e varia vasculi appellatione parum probari posse censeo. Unctionem secuta est congratulatio & plebis (36) applausus. 1. *Reg.* 1. 39. *acclamavit omnis populus* (solennem hanc formulam) יחי המלך *Vivat Rex Salomo*. Buccinis quoque concentum & fistulis, (vers. 40.] *ut tota late resonuerit*.

Placet hic, antequam ex isto capite discedam, coronidis loco annectere, quod Cl. Buxtorfius, *circ. fin. sui Thesauri Gram.* pro exercitio lectionis Hebræo Germanicæ affert e libro (27) שבט יהודה *tribus Juda* (quem ipse nondum vidi) quem de inauguratione Vice-regis in exilio Babylonico. Nam quæ hactenus diffuerit, verum Regem attinent, quando res Judæorum adhuc florebant. Sic autem habet (28) summa, si latine vertatur. Electuri או ראש הגולה נשיא *Ducem vel caput axulum*, conveniebant Babylonem & congregabantur omnes Rectores synagogarum, seniores, judicesque, qui per universam provinciam passim dispersi erant, in amplas ædes, aulæorum apparatu splendide ornatas, ubi plurimæ sellæ pro sapientum adventu dispositæ, in digniori autem loco thronus regalis, ad cujus dextrum latus sedebat Rector Academiæ Surensis, ad sinistrum Rector Pombeditanus. Postquam igitur per votorum pluralitatem, e sui medio elegerant Regulum, assurrexit Surensis, & electum ad humilitatem graviter hortatus est, ne se propterea insolentius supra cæteros efferret; admonens, Officium adire, non Potestatem, & hodie omnibus servire incipere. Postea itum fuit in Synagogam, ibi oratum pro salute novi Regis, eique manus impositæ, antiquo benedicendi ritu, & solenniter acclamatum: לעולם יחי הנשיא *vivat Princeps semper*. Deinceps domum deduxerunt, præeuntibus tubicinibus, plateas omnes leto taratantararum strepitu replentibus. Tandem discesserunt Scholarchæ, valedictionis loco præcipue quædam bonæ gubernationis præcepta inculcantes, ut juste, prudenter, moderate & æquabiliter admini-

stra-

ſtrare omnia velit. Eadem veſpera miſerunt ipſi varia dona, quilibet pro facultate, unde auri argentique vim magnam collegit, ut ad magnificentiam ipſi ne quicquam defuerit. Proximo Sabbatho viciſſim ipſe lautiſſimum epulum exhibuit, non ſuis tantum electoribus, ſed & magiſtratibus ethnicis illius loci officioſe convocatis. Pridie parabatur ipſi cathedra in Synagoga, & ſabbatho mane comitabantur eum illuc, præcedentem atque facie tota velatum. Appropinquans excipiebatur hymno, alternis a Præcentore & comitibus decantato. Ingreſſus ſtatuebatur in turricula, velatus adhuc, & porrecto volumine Pentateuchi legebat aliqua, poſt ipſum ſimiliter ambo Rectores. Deinde concionabatur ad populum breviter, ut obedientes & probi eſſent: quod ipſum poſtea Rector Surenſis faciebat amplius. Tandem poſt preces utrinque pro ſalute mutua fuſas, domum quiſque ſuam redibant. Hæc de regia electione hactenus: pergo ad officium.

N O T Æ

In Theorema quartum.

(1) Corona. Mirum eſt, cum inter regni inſignia omnibus prope gentibus uſitata hic recte *coronam* numeret Auctor, quod nihil de ea Hebræorum Regi impoſita habeat qua tamen non caruiſſe, ex *Pſal.* XXI. 4. LXXXIX. *Jer.* XIII. 18. conſtat, & confirmant exempla Saulis in ultima adhuc acie cum Philiſthæis coronam geſtantis 2. *Sam.* I. 10. & Joaſi, cui, cum ungeretur, ſimul corona vel diadema Regium a Jojada, ſummo Sacerdote imponebatur, 2. *Reg.* XI. 12. 2. *Paral.* XXIII. 11. Ita David coronam pretioſiſſimis inſtructam gemmis, inter alia ſpolia Ammonitis ereptam, cujus pondus non minus talento erat e Regis ipſorum capite ad ſuum tranſtulit, id non facturus, ſi contra morem Regum Iſraelitarum fuiſſet, geſtare coronam, 2. *Sam.* XII. 30. D. Herode, Octaviano Auguſto ſupplicante Joſippus *de bello Judaic. pag.* 132. ויסע למלך הורודוס אל אכתבינוס אגוסטוס אל רודוס וימצאהו סר הזעף על אשר עזר למרקוס אנטונינוס ועל ראש הורודוס היה כתר מלכות וכראותו את אכתבינוס אגוסטוס הסירו מעל ראשו וישתחו לאפיו ארצה לפני רגלי אכתבינוס אגוסטוס ויאמר אודה עלי פשעי המלך וכו׳ : *Profectus eſt Rex Herodes ad Octavianum Auguſtum, agentem Rhodi. Et invenit eum adverſum & indignantem, quod præſidio fuiſſet Marco Antonino. Fuit autem in capite Herodis* Corona Regia, *quam, ut vidit Octavianum Auguſtum, tulit de capite ſuo, proſtratuſque in faciem ſuam ſuper terram ante pedes Octaviani Auguſti, dixit: Confiteor adverſum me peccatum meum domino meo Regi, &c.* Et paulo poſt *p.* 134. 135. כשמוע אכתבינוס אגוסטוס את דברי הורודוס אמר להורודוס קום לך מלך ישראל שלום לך אל תירא --- ויאמר להשיב כתר המלכות על ראש הורודוס ויכרות לו ברית : *Cum audiret Octavianus Auguſtus verba Herodis, dixit Herodi: ſurge tu, Rex Iſrael, in pace, ne timeas. - - Et juſſit reſtitui* Coronam Regni *ſuper caput Herodis, pepigitque fœdus cum eo.* Idem iterum Joſippus, cum juſta Herodi perſoluta deſcribit, *pag.* 186. וישבוהו במטה מצופה בזהב וממולאה באבנים יקרות והמצע אשר תחתיו מצופה וממולא באבן יקרה ועל ראשו רדיד ממולא באבנים יקרות ועל הרדיד כתר המלכות והוא נמסך במטה על שמאלו ובימינו שרביט המלכות : *Poſuerunt eum in loculo operto auro, incluſis hinc inde lapidibus pretioſis. Stratum quoque, quod erat ſubter ipſum, erat deauratum, & impletum pretioſis lapidibus. Sic ſuper caput ejus erat ſindon plena lapidibus pretioſis, & ſuper ipſam ſindonem* Corona Regia, *affixa loculo in ſiniſtra parte, & in dextra ejus erat ſceptrum regium.* Illud ergo extra dubium eſt poſitum, coronatos Hebræorum Reges, notatque adeo Toſtatus Abulenſis *ad* IV. *Reg.* XI. *q.* XIII. *f.* 201. coronam hac Regibus, cum ungerentur, ſimul imponi ſolitam, aſſervatam forte fuiſſe in templo; indeque inter ceremonias inaugurationis Regum Hebræorum expreſſe *coronationem* ſeu *diadematis impoſitionem* referunt, & explicant Jo. de Pineda *lib. II. de Reb. Salom. c. VII. f.* 93. & Jo. Steph. Menochius *lib. I. de Rep. Hebr. c. IX. q. XI. f.* 63. Nec plane hic Rabbini tacent, quorum traditio de Corona Regia capitibus eorum, qui de domo Davidis Regno divinitus deſtinati ſint, apprime congruente habetur in Gemara *Maſſ. Avoda Sara fol. XLIV. col.* 1. Sermo ibi eſt de corona Regis Ammonitarum, Davidis capiti impoſita, & optime במקום תפילין *in loco, ubi Thphillin applicari ſolent*, quadrante; quod mox exemplo Joaſi illuſtratur, de quo cum dictum ſit 2. *Reg. XI.* 12. ויוציאו את בן המלך ויתנו עליו את הנזר ואת העדות *& eduxerunt filium Regis, & impoſuerunt ei coronam & teſtimonium*, illud עדות *teſtimonium*, una cum corona oblatum, de hac coronæ convenientia exponitur: אמר ר׳ יהודה אמר רב עדות הוא לבית דוד שכל הראוי למלכות הולמתו וכל שאינו ראוי למלכות אי׳ הולמתו : *Dixit R. Jehuda, dixiſſe Rabum, quod teſtimonium fuerit hoc domui Davidis, ut omni ad regnum apto corona pulchre congrueret, omni vero, qui regno indignus eſſet, non congrueret.* Unde non congruiſſe capiti Adoniæ, ſeſe efferentis dicentiſque 1. *Reg. I.* 5. אני אמלוך *ego regnabo*, h. e. ut idem R. Jehuda ait: ביקש להולמו ולא הולמתו *quæſivit, ut ſibi conveniret* corona, *ſed non convenit*. Quod ubi conſimiliter Gemara *Maſſ. Sanhedrin f. XXI. col.* 1. retuliſſet, addit Gloſſa: שם בראשו כתר מלכות ולא הולמתו לפי שהיה שרביט של זהב בתוך חללה מדופן לדופן ואינה מתיישבת בראשו אלא למי שיש לו חריץ בראשו והיא עדות לבית דוד שכל הראוי למלכות הולמתו ומי שאינו ראוי למלכות אינו הולמתו : *Impoſuit* Adonia *capiti ſuo coronam Regni, ſed non congruit ei, propterea quia virgula aurea intra coronæ concavitatem ab uno ejus latere ad alterum tranſiit, ut nullius capiti apte inſideret, niſi cui depreſſa eſſet in capite cavernula, & hæc ipſa erat teſtimonium domui Davidis, ut quiſquis dignus eſſet regno, ei conveniret corona; quicumque vero indignus, ei nullo modo quadraret.* Confer Beth Iſrael *part. II. fol. CLIX. col.* 1.

(2) Sceptrum. Ut nihil de corona, ſic neque de ſceptro Regis Hebræi noſter quicquam. Nec cæteri, quos vidimus, qui de inauguratione Regum Hebraicorum agunt, meminerunt ejus, niſi quod inter ornamenta & inſignia referat Menochius *lib. I. de Rep. Hebr. c. X. q. VI. f.* 72. 73. Non autem dubium eſt, quin traditum ſimul in coronatione ſic ſceptrum, non poſtremum Regiæ dignitatis inſigne. Expendantur loca *Gen. XLIX.* 10. *Num. XXIV.* 17. *Pſal. XLV.* 7. *Ezech. XIX.* 10. *ſeqq. &c.* & conferantur, quæ de ſceptro Regio, quod Herodis mortui dextræ inditum fuit, ex Joſippo paulo ante notavimus. De ſceptro Ahaſveri aureo vide *Eſth. IV.* 11. *V.* 2. *VIII.* 4.

(3) Gallorum Reges. Conf. Matth. Fabri Tom. III.

III. *Histor. Franc. lib. VI. p.* 412. *& seqq.* ubi prolixe coronationem Regis Ludovici XIII. describit. Istam vero inaugurationem tot ceremoniis peractam sibi adversus hostes suos, semper faustam & salutarem credunt Gallorum Reges, cum primis ob unctionis ritum, quem non mysticum modo, sed & cœlicum gloriantur. Tradunt enim, ad inungendum Clodoveum, a quo primum tincto & inuncto invaluerit unctio, genium cœli aligerum phiala chrisma detulisse, quod Rhemis summa cura & veneratione asservatur, quo electi recens Reges ab Archipræsule Rhemensi, ut olim Clodoveus ille a Remigio, inunguntur. Vid. Rodolph. Boterum *lib. I. Commentarior. de rebus toto pene orbe gestis ad* A. Chr. 1594. *p.* 11.

(4) Unctio. De ritu ungendi egerunt Cunæus *lib. I. de Rep. Hebr. c. XIV. p.* 121. *seqq.* Sigonius *lib. VII. de Rep. Hebr. c. III. p.* 346. *seqq.* Menochius *lib. I. de Rep. Hebr. c. IX. q. III. seqq. fol.* 59. *seq.* Drusius *ad loc. difficil. Samuel p.* 499. Hottingerus *Jur. Hebr. Leg. CVII. p.* 136. 137. Episcopius *lib. III. Institut. Theol. sect. II. c. II. præc. aff. XVI. Tom. I. Opp. f.* 69. Seldenus *lib. II. de successf. in Pontif. c. IX. fol.* 256. *seqq.* Pineda *lib. II. de reb. Salomon. c. VI. f.* 90. *seq.* Jos. de Voisin *Observ. a Pug. fides fol.* 247. *seqq.* Aloys. Novarinus *l. X. Schediasm. c. VI. n. XXIX. f.* 274. & plures alii; sed Auctor noster sic omne exposuit, ut ad hunc solum e christianis de Regum unctione legendum remiserint Buxtorfius *in Lex. Talm. fol.* 1268. & Seldenus *l. c. f.* 257. *Fuse*, inquit Seldenus, *& docte de Regum Unctione Guilielmus Scickardus de Jure Regio*. De fine saltem hujus ritus, quem ille præteriit, notentur hæc R. Isaaci Abarbanelis *Comm. in* 1. *Reg. I.* quibus duplicem Unctionis usum edisserit: היתה המשיחה לשתי הכליות האחד לחיותה אות הבחירה האלהית לפי שהדבר או האיש אשר יבחר השם בו כדי להבדילו משאר הדברים ומאחיו היה ראוי שיעשה בו פעל ויוכלל בו והוא היה מורה על חיותו נבחר ולכן נמשח אותה המשיחה היא אות וסימן על הבדלתו לגבוה והמלך גם כן להיותו בחירתו על פי השם היה ראוי שנדע היותו נבחר ולזה היה נמשח והתכלית השני הוא כדי להכין הנמשח לקבל השפע האלהי ועל ידו אותה משיחה הדבק בו ההשגחה העליונה הלא תראה שאמרו במשנה שהכהן הגדול הנשאל באורים ותומים היתה השכינה שורה עליו והיה מדבר ברוח הקדש וראינו זה גם כן במלכים כי שאול מיד שנמשח צלחה עליו רוח השם והתנבא ונהפך לאיש אחר והיה זה בסבת המשיחה ובדוד נאמר וימשח אותו בקרב אחיו ותצלח רוח השם אל דוד מהיום ההוא ומעלה: *Fuit unctio geminum ob finem. Unus erat, ut esset signum divinæ electionis. Propterea enim, ut res aliqua, aut persona, quam eligeret* Deus, *distingueretur a rebus aliis, & a fratribus suis, conveniens erat, ut fieret in ea quædam actio, qua distingueretur, & ea ipsa documento erat, electam esse. Atque idcirco ungebatur, ut illa unctio esset signum & indicium distinctionis ad exaltandum eam. Sic ergo & Regem, cujus electio juxta os* Dei *erat, decebat ungi, ut sciremus esse eum electum: ideo inquam ungebatur. Alter finis erat, ut disponeretur illud unctum ad accipiendum influxum divinum, & per hanc ipsam unctionem propius ei adesset providentiæ cœlestis. Annon enim vides, quod, ut in Mischna dicunt, super Pontifice maximo interrogante per Urim & Thummim, præsentia divina requieverit, locutusque ille sit per Spiritum Sanctum? Id quod similiter in regibus quoque videmus. Nam super Saulem, ut primum unctus esset, irruit Spiritus* Dei, *& prophetavit, & conversus est in virum alium, idque unctionis causa. Sic & de Davide dicitur,* (1. *Sam. XVI.* 13.) *Et unxit eum in medio fratrum ejus, & irruit Spiritus Domini in Davidem, & ab illo die & deinceps*. Hæc R. Abarbanel.

(5) Oleum. De שמן המשחה *Oleo Unctionis* integrum tractatum ex Hebræorum antiquitate cum biblica, tum Talmudico-Rabbinica edidit *D. Balthasar Scheidius, Professor Argentoratensis* Anno 1665. qui vicem Commentarii in hæc Auctoris nostri subire potest. Varia ex aliis Auctoribus ad illustranda hæc congessit Jo. Henr. Ursinus *lib. III. Hort. Aromatic. c. V. p.* 212. *seqq.*

(6) מר דרור. Prima species aromatum vocatur מר דרור *Myrrha libertatis*. Et de voce מר quidem, ac varia ejus expositione prolixe Noster, cum quo conferatur Dn. D. Geierus *ad Psal. XLV.* 9. *p.* 896. Talmudici in Gemara Massech. Schabbas *fol. LXXX. col.* 2. Mass. Moed katon *fol. IX. col.* 2. Mass. Megilla *fol. XLIII. col.* 1. Mass. Pesachim *fol. XLIII. col.* 1. & alibi שמן המור *oleum hammor* exponunt סטכת (quod in plerisque locis סטכת vitiose expressum est,) de qua voce Glossa Talmudica: לא איתפרש *non esse exposita*. Est autem ipsissimum Græcum στακτή, *Stacte*, interprete R. Davide Cohen de Lara *in Hir David p.* 58. hoc est, liquor oleaceus e myrrha cinamomoque inciso stillans, vel ut Hispanice transfert: *lagrima de la mira*. Non dubium, quin *Myrra* sit, cum præter vocum convenientiam, res ipsa optime quadret. Sed quid מר דרור *myrra libertatis*? Respondet R. Salomo Aben Melech *in Michlal Jophi f. XXIV. col.* 1. ex R. D. Kimchi radicibus: מר דרור הוא המור הטוב שהוא הפשי מן הזיוף והתערובת *Myrrha libertatis est myrrha optima, quæ libera est a falsatione & mixtura*. Sequitur P. Fagius, *mirrham non adulteratam* interpretatus *in notis ad Targum Onkelos*. At aliter Sixtinus ab Amama cui *myrrha libertatis*, seu *libera*, est libere fluens, siquidem duplex myrrha sit, optima, quæ sponte sudat de arbore, & minus bona, quæ ex incisione manat. Conf. & Christoph. Carthvvrigth *in Electis Targumico-Rabbin. ad Exod. p.* 393. 394. & Ursin. *loc. cit.*

(7) Muscum. Vel *Moschum*. Hebraice scribitur מושק, μόσχος. Legitur in Gemara Messech. Berachos *fol. XLIII. col.* 1. ubi Glossa: מושח מושנא בלעז שהוא מן חיה מן הרעי של חיה *Moschk est idem, lingua vernacula Musque dicitur, quod est ex bestia, ex excrementis nimirum bestiæ*. Moschum autem per מר etiam Arabs intelligit, qui hic transtulit خامس و اسا الاطياب مسك *caput optimi Moschi liberationis*.

(8) Plinius. Adde Dioscoridem *lib. I. c. LXXVI.* Σμύρνα, inquit, *δάκρυόν ἐστι δένδρου γεννωμένου, ἐν Ἀραβίᾳ, ὅμοιον τῇ αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ, ὃ ἐγκοπτομένου ἀποῤῥεῖ τὸ δάκρυον εἰς ὑπεστρωμένους ψιάθους. Myrrha lacryma est arboris crescentis in Arabia, quæ similis est Ægyptiacæ spinæ: qua incisa, defluit lacryma in substratas tegetes*. Similiter fere describit Guido Pancirollus *in deperditis p.* 49.

(9) Lobni. لبني est *arbor lac emittens mellis instar, quo & suffitus fit*, juxta Golium *Lexic. Arabic. fol.* 2100. inde عسل لبني *Styrax liquida*. Cognationem habet cum لبان *Loban*, unde Græcorum λίβανος, quod & *thus* notat, & ipsam *arborem thuriferam*, sicuti Theophrast. *lib. IX. Hist. plantar. c. IV.* σμύρναν, h. e. *Myrrham* habere dicit φύλλον τὸ τοῦ λιβάνου *folium arboris thuriferæ*. Confer sis Jo. H. Ursinum *Arboret. Bibl. c. X. p.* 158. *seqq.*

(10) Cynnamet. Est hæc secunda species aromatum, ad confectionem sacri olei adhibita, Hebraice dicta קנמן בשם *cinnamomum aromaticum*, de quo R. Salomo Aben Melech *in Michlal Jophi fol.* XXIV. *col.* 1. הוא הבשם הנקרא בלעז לינגאלו"אי *est aroma, in lingua vernacula Legnaloe dictum*. Vox קנמון *Cinnamomum* ter in sacris legitur; semel cum de confectione hujus olei agitur *Exod.* XXX. 23. deinde de suffumigatione lectuli adulteræ *Prov.* VII. 17 & denique *Cant.* IV. 14. Observat autem Raschi, *in Perusch ad l. c. Exod.* aliud esse vulgare Cinnamomum, שאינו אלא בעץ *quod non sit nisi instar ligni*, h. e. quod parum odoris habeat, & fere a vulgari ligno nihil differat, aliud vero קנמון בשם *Cinamomum aromaticum*, שהוא טוב ויש בו ריח טוב וטעם *quod sit bonum, & habeat odorem bonum & saporem*: atque idcirco illud בשם non insuper habendum cum Vulgato: לכך הוצרך לומר קנמון בשם מן הטוב *propterea, inquit, necesse fuit dicere cinnamomum* Aromaticum, *ut optimum illud intelligatur*.

(11)

(11) Calmes. Tertia species, קנה בשם *calamus aromaticus*; de quo R. Sal. Aben Melech *l. c.* ex Kimchio: הבשם שהוא בדמות קנה הנקרא בלעז קנ״אל נקרא כן: *Aroma, quod calamo, vernacule* (Gallice, aut Italice) *Canelle dicto, simile est, sic vocatur*: notatque iterum Raschi τὸ בשם ad differentiam alterius ejusdem nominis speciei, addendum fuisse, שיש קנים שאין של בשם *cum sint calami, qui non sint aromatici*.

(12) Casien. Quarta species, קדה *Kidda*. R. Salomon Aben Melech: קדה תרגם אנקלוס קציעתא וכן נזכרה בדברי רז״ל בפטום הקטרת מור וקציעה וכן נקראת בלשון ערבי ובלשון יון קציעא ורבי סעדיה ז״ל פירש כי הוא הקשט: *Nomen* Kidda *Onkelos interpretatur* Casiam. *Et sic in verbis Rabbinorum faustæ memoriæ, cum de præparatione suffitus agunt, Myrrha & Casia conjunctim memorantur. Similiter in Arabica & Græca lingua Casia dicitur. Sed R. Sahadias b. m. exponit esse* costum. (Est autem קושט *Kost*, vel *Costus*, adoratissima radix, Judæis olim cum thure usurpata in sacro suffitu, qui in Massech. Kerithuth *fol.* VI. *col.* 1. describitur.) Raschi: קדה שם שרש עשב ובלשון חכמים קציעה *Kidda est nomen radicis herbæ quam sapientes Casiam vocant*. R. Aben Esra: קדה מתקבלה ידענו שהיא קציעה *Per traditionem nobis constat, quod Kidda sit Casia*. De Casia alias videatur Plinius *lib.* XII. *Nat. Hist. c.* XXVIII. XIX. ubi fruticem esse ait, qui juxta cinnamomi campos nascatur. Pancirollus *lib.* I. *rer. memorab. p.* 48. inter deperdita numerat.

(13) Arte Pigmentaria. Raschi: כל דבר המערב בחבירו עד שזה קופח מזה או ריח או טעם קרוי מרקחת *Omnis res, quæ cum altera sibi conjuncta misectur, donec altera alterius sive odorem sive saporem attraxerit vocatur* מרקחת i. e. pigmentum ex diversis aromatibus confectum.

(14) Hin. R. Dav. Kimchi *in Scoraschim*: הין היא המדה שהיתה אצלם שנים עשר לג ולג ששה בצים *Hin est mensura apud Hebræos, continens duodecim logos; Log autem tantum capit, quantum sex Ova*, Conf. Casp. Waserum *lib.* III. *de antiq. Mensuris Hebræor. c.* III. *p.* 102. *seq.* & Leusdemium *Philol. Hebr. Mixt. Disse. XXXI. p.* 207.

(15) Logos. R. David Kimchi: לג מדה קטנה ידועה ביניהם והוא אחד מעשרים וארבעה סאה והוא ששה בצים *Log est mensura minima, inter Hebræos usitata, pars vigesima quarta sati, continet autem tantum, quantum sex ova*. Conf. VVaserum & Leusdenium *locis citatis*.

(16) Semel tantum a Mose confectum. R. Abarbanel *Comm. in Legem, Parasch. Tissa*: אבל הוסיף לומר ואתה קח לך וזה בלא ספק מעיד על אמיתת מה שזכרו חכמינו זכרונם לברכה שלא נעשה שמן המשחה כי אם פעם אחת שעשאו משה רבינו בידיו ולא יעשה עוד בעתיד: *Quod autem* Deus *expresse addit*: *Tu* Accipe Tibi, *hoc absque dubio testatur de veritate ejus, quod sapientes nostri benedictæ memoriæ dixerunt, non esse confectum oleum unctionis, nisi semel tantum, cum coficeret illud Moses Magister noster suis manibus, nec posthac amplius conficiendum*. Cæterum quod בידיו *suis manibus* confecisse oleum hoc Moses dicitur, falsum est. Non enim ipse manus operi admovit, illasque aromatum species arte pigmentaria miscuit; sed Bezaleeli id operis cum cæteris demandavit, unde nominatim שמן משחה קדש *Oleum Unctionis sacrum*, & quidem מעשה רקח *arte pigmentaria confectum*, inter Bezaleelis opera recensetur *Exod.* XXXVII. 29. Sed & illud in dubium vocat Cartvvrightus *in Elect. Targumico. Rabbin. ad Exod. pag.* 309. quod asseritur semel tantum hoc oleum confectum, nec unquam deinceps conficiendum fuisse; & ostendit, verbis *Exod.* XXX. 32. 33. non prohiberi omnimodam ejus confectionem si prius deficeret, sed eam modo, quæ in privatum & profanum usum fiat. Quam ad rem urget verba Textus *v.* 31. 32. קדש *Sanctitas* vel *Sanctum* erit, i. e. in sacrum duntaxat usum institutum. Ac certe ipse ex Hebræis R. Aben Esra *ad h. l.* istam majorum suorum sententiam haud obscure impugnat. Nam cum quorundam interpretationem attulisset, qui, quod *v.* 33. de extraneo non illinendo sacro oleo sancitur, de illo saltem oleo, quod Moses confecerit, intelligunt; sibi addit id non videri, sed de quolibet oleo, tum a Mose hic confecto; tum postea, illo deficiente, ab aliis in sacrum usum conficiendo, accipiendum esse: & ubi *v.* 31. & 33. inter se contulisse, addit: והנה אין הפרש בין שמן המשחה שעשה משה ובין הנעשה א״חכ שהוא כמוהו *Et ecce non est discrimen inter oleum unctionis, quod Moses præparavit, & inter id quod præparatum est postea, quod plane illi simile est*.

(17) A materia cornu, a forma lenticola. Tostatus Abulensis *in* 1. *Reg.* X. 2. *f.* 297. invertit, & *lenticulam* fuisse auream vel argenteam èxistimat, atque aliquando appellari cornu, quod aliquam cornu figuram & similitudinem referret, essetque velut guttus recurvus. Unde etiam Pineda *lib.* II. *de reb. Salom. c.* 6. *f.* 89. cum priscam asservandi in cornibus sancti olei rationem observasset ex pastoritio usu ideo desumtam, ut eo pastorem esse regem & sacerdoti cognatum significaretur simul monet, *cornu* non nativum, sed ex argento vel auro intelligi oportere. Cæterum illud vas fuerit, necesse est, e quo in ipso unctionis actu in Regis caput effusum est oleum; aliud, in quo tota olei massa in tabernaculo asservabatur, e quo illi, quantum ad unam Unctionem sufficiebat, fuit inditum. Pondus enim hujus, quod totam massam comprehendebat, dimidii minimum centenarii æquabat.

(18) Nec licebat oleum aliud. Non video, quomodo hoc cum Majemonidis limitatione, quæ subjicitur, conciliandum, quasi licuerit parare tale oleum, ut quis discat inde, vel doceat alios. Quorsum enim quis illud vel ipse disceret, vel alios doceret, si ita præparatum oleum nulli inserviret omnino, ne sacro quidem, usui?

(19) Ad scaturiginem fontis. Hunc morem, Reges Hebræorum sacro oleo ad fontes illinendi, post nostrum, ex utroque hic adducto Maimonidis loco observavit quoque, veluti memorandum quid, & silentio minime involvendum, Aloysius Novarinus *lib.* VI. *Elector. Sacror.* qui *Aquæ nuptiales* inscribitur, *Excurs.* LXXII. *num.* LXXXVII. *f.* 256. & ante ipsum Tostatus *in* 3. *Reg.* I. *q.* XXXVI. *f.* 15. & *in* IV. *Reg.* IX. *q.* XIV. f. 166. primo inter inaugurationis ceremonias loco enumerat. Sequuntur alii, & fuisse hunc antiquum Hebræotum morem, nisi illorum auctoritate, extra dubium ponunt. At si inquiras accuratius, non omni res dubio caret; neque solida satis conjectura est, prisci illius, quem putant, ritus, ex uno hoc exemplo Salomonis ad fontem Gihon deducti, ad quod Rabbini provocant; cum in aliorum unctione, puta Saulis 1. *Sam.* X. 1. Davidis, (quem ter unctum inferius annotabimus,) Isbosethi, 2. *Sam.* II. 8. 9. Joasi 2. *Reg.* XI. 12. & 2. *Paral.* XXIII. 11. de hac ad fontis scaturiginem deductione nihil quicquam legamus. Non ergo ex uno illo exemplo regula potest confici: & fuerunt forte Davidi suæ causæ, cur filium Salomonem isto tempore ad fontem hunc ungi voluerit.

(20) Libellum repudii. Vide Auctorem nostrum inferius numero marginali LXXIII.

(21) Omen. R. Levi ben Gerson *ad* 1. *Reg.* 33. הנה בחר במקום נהר להיות סימן שתמשך מלכותו ותתקיים ותתפשט: *Ecce voluit David Salomonem ungi in loco fluminis, ut esset signum protrahendi & stabiliendi, atque confirmandi regni ejus*. Idem R. Dav. Kimchi ac R. Salomo Jarchi *ad h. l.* Videas & apud Tostatum *loc. supra cit.* Sed Novarinus *l. c.* invertit ad sensum moralem inflectendo: *Clamat*, inquit, *hic ritus eis, qui unguntur in Reges, dignitatis suæ labilitatem, inconstantiam fluctusque cogitandos: decurrentes undas spectent, qui unguntur in Reges ne super alios elati nimium efferantur*.

(22) Talmud. Puta Babylonicum, in *Massech. Cerithuth, fol. LXXVII. col.* 2. *circa fin. edit. Amstelod.* Habetur & in Talmude Jerosolymitano, in *Massech. Souta fol. XXII. col.* 3. *circa medium*, editionis Venetæ, quæ mihi est, Bombergianæ.

(23) Gichon. Fons erat a patre Urbis Occidentali, non longe ab angulo Occidentem & Austrum respiciente situs, qui se per duplicem rivulum in duplex stagnum evacuabat, inferius, quod erat ab Occidente, & vocabatur ברכת השלח *Stagnum Siloa*,

loa, *Neh. III.* 15. κολυμβήθρα τοῦ σιλωάμ *Joh. IX.* 7. ſuperius, quod idem forte cum eo, quod Joſephus *lib. VI. de bello Judaic. c. XXXVIII.* τὴν Σολομῶνος κολυμβήθραν *Sagnum Salomonis* vocat. Fons igitur ille, inquit R. Dav. Kimchi *ad* 1. *Reg. I.* 33. נקרא בשני שמות *appellabatur duobus nominibus*, nempe *Gichon*, & *Siloah*. Rationem reddit R. Aben Melech *in Michlal Jophi fol. LXXIV. col.* 4. גיחון הוא הנקרא שילוח כן תרגם יונתן לשילוחא ואפשר שנקרא כן לפי שהוא יוצא אל הגנות להשקותם מעין כי אתה גחי מבטן: *Gichon*, inquit, *idem ille fons eſt, qui vocatur Siloah: ſit enim interpretatur Targum Jonathæ: Fortaſſis autem ita dictus eſt proptrerea, quod exeat ad fontes, ut eos irriget; ex ea ſignificatione quæ occurrit* Pſ. XXII. 10. *Tu es* גחי *eductor meus ab utero*. Cæterum in ſummo olim pretio & æſtimio hunc fontem habitum plura Talmudis loca teſtantur. Nam & aquam inde poculis lapideis (כוסות של אבן) hauſtam, quæ cum cineribus vaccæ rufæ, cum immundus aliquis aſpergendus, commiſceretur, docet Miſchna *Maſſ. Para c. III. Miſch. II. fol. XCV. col.* 1. & in Tabernaculorum feſto ſolemnem aquæ libationem hauſtis non minus ex eodem aquis factam, Miſcha *Maſſ. Succa, cap. IV. Miſch. VII. fol. XLVIII. col.* 1. deſcribit: כיצד ניסוך המים צלוחית של זהב מחזקת שלשה לוגים היה ממלא מן השילוח הגיעו לשער המים תקעו והריעו ותקעו וכו׳: *Quomodo facta fuit libatio aquæ? ſcutellam auream, tres logos comprehendentem, implebat aliquis ex Siloah*, (Gloſſa. השילוח מעין הוא סמוך לירושלם *Siloah fons erat prope Jeroſolymam:*) *Cumque* cum aqua inde hauſta *ad portam aquariam perveniſſent, fixo primum & æquali ſono, mox fracto & tandem iterum æquali ſono clangebant, &c.* Porro in Maſſecheth Avot R. Nathan *Cap. XXXV. fol. IX. col.* 2. aqua hujus fontis concoctioni inſerviiſſe dicitur, quam ideo Sacerdotes largius de ſanctis comedentes bibere ſoliti fuerint: כשהיו מרבים לאכול מבשר הקדשים היו שותים את מי השילוח מתעכל במיעיהן כדרך שהמזון מתעכל. *Cum paulo pluſculum ederent* Sacerdotes *de carne ſancta, bibebant aquam Siloah, ut cibus in eorum ventre eo facilius concoqueretur*.

(24) Bini ſimul. Alter *Sacerdos* erat, & ordinarius quaſi unctionis miniſter: alter *Propheta*, & teſtis divinæ revelationis & promiſſionis de Salomone in regnum ſucceſſuro. R. Abarbanel, *unctionem Regum ſolius ſemper Prophetæ manu peractam cenſet*; quod tamen vix e Scriptura confirmabit.

(25) Commentum de Fratribus. Referam illud in gratiam curioſorum, quibus ſaliva eo magis moveri ſolet, quo minus referri dignum judicatur, & datum tamen pleriſque non eſt Talmudicum opus ipſum evolvere. Sic autem ibidem Gemarici: על דבר זה הוה משה רבינו דואג שמא ח״ו מעלתי בשמן המשחה יצתה בת קול ואמרה כטל חרמון שיורד על הררי ציון מה טל אין בו מעילה אף שמן שיורד על זקן אהרון אין בו מעילה ועדיין אהרון היה דואג שמא משה לא מעל ואני מעלתי יצתה בת קול ואמרה לו הנה מה טוב ומה נעים שבת אחים גם יחד מה משה לא מעל אף אתה לא מעלת: *Hanc ob cauſam*, quod duas olei guttas de barba Aharonis ſuſpenſas vidit, *ſollicitus Moſes Magiſter noſter: Fortaſſe inquit, quod abſit, prave egi cum oleo unctionis. At exiit filia vocis, dixitque:* Sicut ros Hermonis, qui deſcendit, ſuper Montes Zion: *Quid ros? Non eſt in eo falſitas, vel prava actio: atqui nec in Oleo, quod in barbam Aharonis deſcendit, eſt prava actio aut falſitas. Tunc porro etiam Aharon ſollicitus: Fortaſſis inquit, Moſes non quidem prave egit; at ego ſum prævaricatus! Sed exiit denuo filia vocis, & dixit:* Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare Fratres una. *Quid Moſes? non eſt prævaricatus: ſic neque Tu prævaricatus es*. Eadem leguntur in Medraſch Schochad tobh *fol. LXV. col.* 1. Aliud ſubjungam ex R. Dav. Kimchio. Is poſtquam *in Comm. ad Pſal. CXXXIII.* 1. cum Patris ſui R. Joſephi Kimchi, tum R. Aben-Eſræ interpretationes præmiſiſſet, quorum alter de *Iſraelitis*, qui omnes ſint fratres, alter de *Sacerdotibus*, qui cum *Pontifice* fraternitatem colant, hæc Pſalmi verba acceperint; ſuam ipſiuſmet ſententiam de *Meſſia* & *ſummo ſacerdote* illi coætaneo exponit. הנראה בעיני כי על מלך המשיח ועל כהן גדול שיהיה בימיו מדבר כי שניהם גדולים אשר בישראל ואדונים עליהם. כי המלך יושב על כסא המשפט והמלוכה לצוות את ישראל לאשר יראה וירצה. והכהן יורה התורה והמצות. וקראם אחים שהם בגדולה ולא יקנאו זה לזה. וכן כשעלו מגלות בבל נבא זכריה על שניהם על זרובבל הנשיא ועל יהושע הכהן הגדול וראה אותם שני זתים. וקראם שני בני היצהר לפי ששניהם משוחים בשמן המשחה זה לכהונה וזה למלוכה. ואמר ועשית עטרת ושמרת בראש יהושע בן יהוצדק הכהן הגדל. כלומר האחת צוה לשים בראש יהושע והאחת על איש שיהיה צמח שמו. וזה יהיה זרובבל. כן אמר על העתיד על מלך ועל הכהן הגדול שבת אחים גם יחד. כי כל אחד מהם ישב על כסא גדולה. ומה טוב ומה נעים יהיה שבתם. ואמר גם יחד כי כמו שיהיו אחים בגדולה כן יהיו אחים בלבותם ויהיו יחד בהסכמה אחת לא יקנא אחד מהם על חבירו. וכן אמר על זרובבל ויהושע ועצת שלום תהיה בין שניהם: *Mihi*, inquit, *videtur, quod Pſalmus de Rege Meſſia, & de Sacerdote ſummo in diebus ejus futuro loquatur. Ambo enim illi magnates erunt in Iſraele, & Domimi ſuper illis. Siquidem Rex ſedeat in throno judicii & regni, ut mandet Iſraeli, quicquid voluerit & placuerit; Sacerdos autem doceat legem & præcepta. Hos ergo appellat* Fratres, *quia in dignitate verſantur, quam alter alteri non invidet. Similiter, cum e captivitate Badylonica aſcenderent Majores noſtri, vaticinabatur Zacharias de duobns illis, Serubbabele Duce & Joſua Sacerdote ſummo videbat nempe illos, quaſi duas olivas, vocabatque duos filios olei, propterea quod ambo eſſent uncti oleo unctionis, alter quidem ad Sacerdotium alter vero ad Regnum:* Et facies, *inquiebat* Zach. VI. 11. Coronas, & impones capiti Joſuæ Filii Jozedeck Sacerdotis ſummi: *quaſi dixiſſet: Unam juſſit imponi capiti Joſuæ, alteram vero illi viro, cujus nomen erit Zemach, is autem Serubabel erit. Eodem plane modo Pſalmus hic de eo loquitur, quod futurum adhuc eſt, atque de Rege & Sacerdote ſummo:* Habitare Fratres etiam una. *Uterque enim illorum ſedebit in Throno Majeſtratis: quam bona auem & quam jucunda erit hæc eorum ſeſſio. Notanter enim addit:* etiam una, *ſiquidem ut fratres erunt in dignitate, ſic erunt & fratres in cordibus ſuis, eruntque una per concordiam mutuumque animorum conſenſum, non invidebit eorum alter alteri quicquam, plane uti de Serubabele & Joſua dixerat Zacharias* c. VI. 13. Conſilium pacis erit inter duos Filios.

(26) Character Unctionis. De hoc late egit Seldenus *lib. II. de Succeſſ. in Pontif. Hebr. c. IX. fol.* 258. *ſeq.* ut nihil addi queat.

(27) Spacium relictum. Idem obſervavit Seldenus *l. c. f.* 260. omiſſam in impreſſis figuram, quæ olim in MSC. locum habuit, ſpaciolo, quod occupare ea debuerit, relicto. At in meo Codice, qui Venetiis Anno 1574. expreſſus eſt, ſpacium illud figura literæ כ majuſculæ eſt expletum, quod ſine dubio vel typographi, vel Correctoris linguæ græcæ ignari vitio accidit. Melius Gloſſa Talmudica ad illud Gemaræ *Maſſ. Cerithuth fol. LXXVII. col.* 2. ת״ר מושחים את המלכים כמין נזר ואת הכהנים כמין כי יונית: *Tradunt Rabbini noſtri, Reges ungi ad figuram coronæ, ſacerdotes autem ad figuram* Chi *Græci*; expreſſit figuram, ſed per defectum, credo, typorum græcorum ſignis παρενθέσεως ex adverſo poſitis. Ipſa gloſſæ verba hæc ſunt: כמו נזר סביב על ראשו. כמין כי אות יונית ועשויה כזת)(: *Cum inſtar coronæ Rex dicitur olim unctus, intelligendum eſt de unctione, quæ circumcirca fiebat ſupra caput. Per figuram* Chi, *qua ungebatur Sacerdos, intelligitur litera Græca, quæ ad hunc modum)(pingitur*.

(28) Editio Iſnenſis. In Veneta Danielis Bombergi editione, cui Felix Pratenſis præfuit, Anno 1517. qua ego utor, eadem omnino lectio: בתחילה הלבישו בגדי כהונה ואחר כך יצק השמן על ראשו ומשח אותו מן השמן בין ריסי עיניו כמין כף יונית: *Initio induit* Moſes Agaroni *veſtes Sacerdotales, & poſtea effudit oleum in caput ejus, atque unxit eum hoc oleo inter ſupercilia oculorum ejus, inſtar* Caph (aut Cappa) *Græci*. Item Maimonidis commentario *ad Miſchn. I. Cap. I. Cerithuth fol. CCCLXXXII. col.* 2. prout cum ipſo Miſchnæ textu & R. Bartenora, Anno 1559. Rivæ de Triento impreſſus eſt, non כי ſed כף legitur, מושחין גבות עיניו כמו כף

: יונית שהיא כן *Ungunt supercilia oculorum sacerdotis*, *instar* Caph *Græci*, *quod ita pingitur*; sed figura omissa erat. Quo minus autem hic mendum subesse suspicer, facit conspicuus e regione R. Bartenoræ Commentarius, qui diserte τὸ כי exhibet : מושחים בין גבות עיניו כמין כי יונית ומשיחת המלכים כמין נזר : *Ungunt inter supercilia oculorum sacerdotis quasi figura* Chi *græci*; *at unctio Regum fit juxta figuram Coronæ*. Alter igitur literam χ alter x intellexit, cum utraque icunculam crucis non obscure referat.

(29) Signum Tau. Explicat hoc Barth. Mayerus *part. I. Philol. Sacr. c. II. p. 39. seqq.* cum quo conf. Koenig. *Vindic. Sacr. Loc. CXI. p. 662. seqq.*

(30) De Osculandi ritu. Osculo quasi homagium præstabatur novo Regi de quo post 1. *Sam. X.* 1. (ad quem locum noster respicit,) videantur adhuc *Gen. XLI.* 40. *Psal. II.* 12. & ad ea Commentatores. Unde Judæi tria osculorum genera, interque ea נשיקה של גדולה *Osculum Magnificentiæ*, Regi olim datum, numerant. Vide, sis, notata nostra *ad Ruth I. 9. p.* 128.

(31) Unicam Unctionem. Erat Regnum Israeliticum in familia Davidis מלכות ירושה *Regnum hæreditarium*, hinc citra Unctionem filii in locum Parentum Regum succedebant, nisi cum de Regis demortui successore dissensio esset orta. Contra vero *David*, cui simul & posteris Regnum promissum erat, *ter unctus* legitur, semel a Samuele in domo paterna 1. *Sam. XVI.* 13. deinde post mortem Saulis in Hebron 2. *Sam. II.* 4. ac tandem interfecto Isbosetho 2. *Sam. V.* 3. Cujus trinæ unctionis causam R. Abarbanel hanc reddit : משיחת דוד היתה יותר עצמית להיותה יסוד ושרש ותחלה לכל זרעו : *Unctio Davidis toties repetita est*, *ut esset fundamentum*, *& radix*, *& principium omnium ejus posterorum*.

(32) Uncti Castrenses. De Sacerdote משוח מלחמה *Uncto Castrensi*, noster inferius *theor. XVIII. num. marginal.* 139. 140. ex instituto. Vide ibi.

(33) De Clypeo Saulis. Sunt, qui τὸ בלי משיח בשמן *ac si non unctus fuisset oleo*, non ad *clypeum*, sed *Saulem* ipsum referunt, & ea mens R. Dav. Kimchii esse videtur. Cum enim ea, quæ Auctor noster allegat, ex sententia quorundam interpretum attulisset, statim addit : או פירוש כן נגעל באילו לא היה שאול משוח בשמן למלך : *Aut sensus verborum hic est* clypeus, *perinde ac si Saul* ipsum gerens, *non fuisset sacro oleo in Regem unctus*. Priori tamen interpretationi favet locus *Jesa. XXI.* 5. *Surgite Principes*, ומשחו מגן *ungite clypeum*. Atque sic R. Salomo Jarchi quoque & R. Levi ben Gerschon hunc parallelum conferunt. Uncta vero vel hoc Saulis scutum, vel alia arma bellica sacro oleo, ad fiduciam conciliandam, nullibi reperio. Alia de *Davidis clypeo*, (מגן דוד) multa splendide nugantur Judæi, habuisse duplex triangulum, opposita ratione sibi mutuo implexum, cujus quatuor apicibus ad latera, nomen *Dei* τετραγράμματον יהוה fuerit insculptum, cæteris duobus, supero & infero, ejusdem abbreviatio יה, medio autem spacio hieroglyphicum nomen *Agla*, & circa totius clypei oram hæc verba : ויצעק העם אל משה ויתפלל משה אל יהוה ותשקע האש : *Et clamavit populus ad Mosen*, *& oravit Moses ad Dominum*, *& repressus est ignis*, ex *Num. XI.* 2. de quo Schikardus noster *in Proœm. Tarich p.* 54. plura, ubi ipsum quoque schema delineavit; at quicquid etiam cætera de eo fabulentur, non tamen video sacro oleo inunctum dici.

(34) De Samaritanis Regibus. Idem annotavit P. Cunæus *lib. I. de Rep. Hebr. c. XIV. sub fin.* Hujus autem duplicis olei occasione in mentem venit, quod Meursius *in Gloss. Græcosbarb. p.* 159. observavit, asservatam olim in Ecclesiis Græcis, præsertim Constantinopolitana, duplicem ampullam διβάμπυλον vocat Codinus, unam ad Chrisma, alteram ad oleum, ad catechumenos inungendos vel confirmandos.

(35) A Kimchio. Et Kimchi illud hauserat ex Gemara Talmudica *Mass. Ceritutb fol. LXXVIII. col.* 1. ubi per hanc ipsam traditionem Canticum Hannæ 1. *Sam. II.* 1. illustratur : ותתפלל חנה ותאמר עלץ לבי ביי׳ רמה קרני רמת קרני ולא רמה פכי דוד ושלמה שנמשחו בקרן ונמשכה מלכותם שאול ויהוא שנמשחו מן הפך לא נמשכה מלכותם : *Et oravit Hanna dicens : Exultavit cor meum in* Domino, *exaltatum est cornu meum*. Cornu meum, inquit. *& non* : Lenticula mea. *David & Salomo quia uncti sunt e cornu*, *diuturnum fuit regnum eorum*; *Saul vero & Jehu quia uncti sunt e lenticula*, *non fuit diuturnum regnum eorum*.

(36) Applausus. De hac congratulatione ejusque solemni formula : *Vivat Rex*! uti etiam de buccinarum aliorumve instrumentorum Musicorum concentu vide Jo. de Pineda *lib. II. de Reb. Salom. c. VI. fol.* 91. 92. & Jo. Steph. Menochium *lib. I. de Reb. Heb. c. IX. q. VIII. f.* 61. 62. quorum hic *q. XVII. f.* 67. illud quoque deducit : An Regibus nuper inauguratis legationes honoris & gratulationis causa a circumjectis Principibus mitterentur? quod affirmatum ibi confirmatumque videas. Cæterum Abulensis *in* 4. *Reg. IX. q. XIV. f.* 166. septem ceremonias in Regum Hebræorum inauguratione servari solitas hoc ordine enumerat. *Prima* fuit solennis deductio ad fontem vel arborem extra urbem : *secunda*, ipsa unctio : *tertia*, fausta populi acclamatio : *Vivat Rex*! clangori buccinarum juncta : *quarta*, collocatio in throno regio : *quinta*, traditio libri Legis : *sexta*, impositio diadematis, seu coronatio; *septima* : sanctio fœderis cum *Deo* pariter & populo.

(37) שבט יהודה. Liber Historicus est, Hebraice primum scriptus a R. Salomone VVirga, Medico, filio sapientis R. Jehuda VVirga, & postea in linguam Hebræo-Germanicam quin & Lusitanam translatus. Rarior videtur fuisse olim, quod nec Auctor noster eum viderit, nec diligenti librorum Rabbinicorum scrutatori Jo: Plantavicio aliud de illo innotuerit, quam quod Buxtorfius *in Biblioth. Rabb. p.* 412. annotarat, fatente ipsomet *in Biblioth. Rabb. num. DCLXXVI. f.* 629. Hodie tamen frequentior ejus usus est, postquam Amstelodami non modo a Judæis Anno 408. i. e. *Christi* 1648. literis Hebræo-Germanicis recusus, sed & in Linguam Latinam translatus est a Georgio Gentio, & ibidem sub titulo *Historiæ Judaicæ Res Judæorum ab eversa æde Hierosolymitana ad hæc fere tempora usque complexæ*, editus Anno 1651. Rationem tituli reddit Auctor *in præfatione* (quam in versione Gentiana frustra quæsieris,) *pag. II. col.* 1. Und das Sepher hab ich geheissen Schebhet Jehudah, derwegen / daß GOTT der allmächtige soll uns wieder auffrichten die Gewalt / und das Königreich von Jehudah durch Maschiach ben David, der da wird seyn von Jehudah. Amen. Sela.

(38) Summa. Vide hæc verborum ampullis translata a Gentio *in Hist. Judaic. pag.* 300. *& seqq.*

Dum hæc sub prælo calent, & ista jam erant impressa, dono mihi offertur nova laudati libri שבט יהודה editio Hebraica, nitidissime Amstelodami Anno 415. i. e. *Christi* 1655. studio fratrum Rabbinorum Raphaelis & Abrahami filiorum Danani, in officina Immanuelis Benbenisti excusa : qua sicuti summopere delector, ita reticere ejus mentionem haud volui, cum non possit non grata esse φιλαναγνώσταις, qui elegantissimi libri desiderio forte tenentur. Quæ Schikardus noster hic e Germanico Latine summatim recensuit, ea in his fontibus pluribus omnino circumstantiis describuntur *inde a pag. LVII. col.* 2. *& seqq.* Conf. quæ de eadem Echmalotarchæ inauguratione e Juchasin excerpsit Const. L'Empereur *not. ad R. Beniam. Itiner. pag.* 192. *seqq.*

CAPUT SECUNDUM

DE PIETATE.

THEOREMA V.

Rex bina legis exemplaria describere tenebatur.

DIserte (1) hoc præceptum est, Deut. 17. vers. 18. *& fiat, cum sederit super thronum regni sui, ut scribat sibi* משנה *duplum legis hujus e libro qui coram sacerdotibus Levitis: eum habeat secum, legatque cunctis diebus vitæ suæ, ut timere discat* Deum, *custodire legem & exequi statuta, &c.* Unde ultro intelligitur, ad regiam dignitatem ascendere non potuisse, legendi scribendique rudem; qualis erat Licinius (2) Cæsar, quem referunt ob stupiditatem & literarum imperitiam, vix nomen decretis subsignare valuisse. Hanc legem Rabbinorum coryphæus Maymonides, *Hal. Mel. init cap.* 3. hisce verbis explicat: בערת שישב המלך על כסא מלכותו כותב לו ספר תורה לעצמו יותר על הספר שהניחו לו אבותיו ומגיהו מספר העזרה על פי בית דין של ע״א אם לא הניחו לו אבותיו או שנאבד כותב שני ספרי תורה אחד מניחו בבית גנזיו שהוא מצווה בו ככל אחד מישראל והשני לא יזוז מלפניו אלא בעת שיכנס לבית הכסא או לבית המרחץ או למקום שאין ראוי לקריאה יוצא למלחמה והוא עמו נכנס והוא עמו יושב בדין והוא עמו מסיב והוא כנגדו וכו׳: *Tempore cum occupaverit Rex solium regni sui, describat sibi librum legis ipsemet, ultra codices, quos reliquerunt sibi antecessores patres, & corrigat e libro autentico, qui est in atrio sanctuarii, ex ore* (recognoscentis) *senatus magni* LXXI. *virorum. Quod si parentes ipsi nullum reliquerunt, aut* (casu quodam vel vetustate) *periit illud, describat duo exemplaria, unum quod asservet in thesauris suis, nempe illud ipsum, quod præceptum est singulis Israelitis: alterum nunquam removeatur ab ipso, nisi cum vadit ad latrinam, aut balneum, vel loca impura, quibus legere nefas est. Quando exit in prælium, habeat secum, quando revertitur, aut assidet judicio* (regio scilicet; non synedriali, a quo exclusus,) *imo cum convivatur, habeat in conspectu suo.* Qua in re leges ipsum arctius ad pietatem astringebant, quam ullum subditorum. Nam vulgaris Israelita, si literarum rudis erat, poterat ab alio descriptum, suo ære redimere; at Rex, ut eam menti altius imprimeret, propria (3) manu exarare utrumque debebat. Quod idem Maym. *Hal. Thil. init. c.* 7. tradit מצות עשה על כל איש ואיש מישראל לכתוב ספר תורה לעצמו שנ׳ ועתה כתבו לכם את השירה כלומר כתבו לכם תורה שיש בה שירה זו לפי שאין כותבין את התורה פרשיות ואע״פ שהניחו לו אבותיו ספר תורה מצוה לכתוב משלו ואם כתבו בידו הרי הוא כאילו קיבלה מהר סיני ואם אינו יודע לכתוב אחרים כותבין לו וכל המגיה ס״ת ואפילו אות אחת הרי הוא כאלו כתבו כולו והמלך מצוה עליו לכתוב ספר תורה אחר לעצמו לשם המלך יותר על ספר שהיה לו כשהוא הדיוט: לא היה לו ס״ת קודם שימלוך צריך לכתוב לו שני ס״ת אחד מניחו בבית גנזיו והשני יהיה עמו תמיד לא יסור מעמו אלא בלילה כשיכנס לישן על מטתו: *Præceptum affirmativum obligat universos Israelitas, ut describat quilibet librum legis sibi ipse; sicut dicitur:* (*Deut.* 31. 19.) *& nunc scribite vobis hoc canticum, quasi diceret, scribite vobis legem, in qua est hoc canticum: neque enim scribunt legis paraschas sive sectiones frustillatim. Quamvis vero reliquerint ipsi parentes exemplar, tenetur tamen aliud exarare per se, & si propria manu confecit, perinde est ac si de ipso monte Sinai accepisset. Sin autem literas nescit, ab aliis pro se scribi curet. Quicumque vero correxerit talem codicem, imo vel unicam ejus literulam, ecce reputatur ac si totum descripsisset! Regi tamen injunctum est scribere per se ipsum, & nomine regio, ultra quod habuit, cum adhuc privatus esset. Si antequam regnaret nondum fecit, cogitur duo exempla describere, unum quod recondat in Gazophylacio suo, alterum quod jugiter secum retineat, nec amoveat, nisi forte noctu, quando dormitum pergit ad lectum suum.* Placet hoc loco fusius explicare, qua ratione ac diligentia totum hoc præstandum fuerit, quia ipse superioribus annis, ejusmodi authentici voluminis magnum quoddam fragmentum nactus sum, quod milites in dispoliatione Judaicorum scriniorum alicunde abstulerant, & gladio inter se modis indignis diviserant: unde sufficienter de

hac diligentia testari possum. Simul ut e tota isthac narratione, contra credulos quosdam & suspicaces alteros appareat, an verisimile sit, vel vocales (4) olim adfuisse, vel Judæos quicquam depravasse. Tractarunt autem hanc (5) materiam, quos ego noverim, præcipue tres, primo Anonymus autor Massichtæ (6) Sopherim, quæ extat in *opere Talmudico*, *mihi Tom.* 3. deinde Raf (7) Alphes, *Hal. Sep. Thor. sub fin. sectionis primæ* operum suorum, quibus me Cl. & Excel. v. Dn. *Buxtorfius*, Hebræorum hujus seculi primicerius donavit: denique R. Moses F. (8) Maymon. *Hal. Tphillin*, quæ est *Tom.* 1. *p.* 50. præsertim *a cap.* 7. *&* *deinceps*, ut solet, cæteris multo accuratius. Quorum prolixas descriptiones ego brevitatis & methodi gratia reducam ad seqq. decem capita, partim libri materiam, partim ejus formam attinentia; ut sic quoque appareat, quænam olim literaria Regum Studia fuerint.

I. Materia voluminis esse debuit *Membrana*, (9) minime vero papyrus, novitium illud inventum. Maß. Soph. c. 1. §. 5. אין כותבין לא על דפתרא ולא על גבי נייר: *non scribunt super crudam pellem, nec super chartam*. Et pergamenum illud debuit e pelle animalis mundi paratum fuisse. Maym. *H. Tephill.* c. §. 10. אין כותבין ספרים תפילין ומזוזות על גבי עור חיה טמאה אבל על גבי עור בהמה ועוף טהורים ואפילו נבילות וטריפות שלהן: *non scribunt libros, nec corrigias precatorias, nec schedas sacras postium, super cutem bestiæ impuræ, sed super pelles jumentorum & avium mundarum; quamvis sint morticinia vel a feris discerpta*. Id Alphesius magistraliter probat e textu, *sub fin. Halach. pag.* 350. *a.* אין כותבין אלא על עור של בהמה טהורה שנ׳ למען תהיה תורת ה׳ בפיך מן המותר בפיך: *quod non exarant nisi super munda, est inde quia dicitur* (Exod. 13. 9.) *ut sit lex Domini in ore tuo: h. e super licita oris*. Existimant tamen discerptum præferendum esse sponte mortuo. Soph. c. 1. §. 2. שאל אחד את רבי יהושע חגרסי מפני מה כותבין על עורות נבלות וטרפות אמר לו אמשל לך משל למה הדבר דומה לשני בני אדם שנתחייבו הריגה למלכות אחד הרגו מלך ואחד הרגו אספקלטור איזה מהן חשוב זה שהרגו מלך אב׳ אין חוששין על עורות: *Rogavit aliquis Rabi Josuam Garsæum, cur etiam scribant super pelles morticiniorum & discerptorum? respondit, assimilabo tibi parabolam, cui res comparanda sit, nempe duobus facinorosis, ad mortem damnatis, quorum alterum interficit Rex, alterum carnifex, utrum putas digniorem? eum quem Rex occidit: itaque non suspectæ debent esse pelles*. Quod aves attinet, oportet illas esse maximas, ut huic negocio sufficiant; sed habent id incommodi, quod propter porositatem literulas exiles respuunt. Tphill. 1. 20. עור שהיה נקוב לא יכתוב על גבי הנקב וכל נקב שהדיו עוברת עליו אינו נקב ומותר לכתוב עליו לפיכך מותר לכתוב ע״ג עור העוף: *si pellis perforata est, non scribatur super foramina; verum si atramentum transit & opplet illa*, (ut in crassiori scriptura,) *non habentur pro foraminibus: ideoque licet tunc scribere, ut in membranis avium*. Piscium exuviæ prorsus hic ineptæ sunt. *Vers. præc.* 10. אין כותבין על גבי עור הדג הטהור מפני הזוהמא שאין הזוהמא פוסקת בעבודה: *non scribunt super squameam cutem piscis mundi, propter pingues sordes, quæ vix ullo artificio penitus abscedunt*. Requirebant vero superstitiosi homines etiam devotionem singularem in parandis membranis. Itaque a Christianis, alia scilicet intentione paratas non usurpant. *Vers. seq.* 11. גויל וקלף של תפילין או של ס״ת צריך לעבד אותן לשמן ואם עברן שלא לשמן פסולין לפיכך אם עברן הגוי פסולין אע״פ שאמר לו לעבוד לשם הספר שהגוי על דעת עצמו הוא עושה לא על דעת השוכר: *pergamenum & membranas tam corrigiarum quam libri legis oportet præparare hoc ipso nomine. Si enim alio fine parantur, profana sunt. Itaque si paravit ea gentilis, inidonea sunt, quamvis jusserit in hunc usum parare, ut fiat liber. Nam Ethnici parant intentione sua propria, non ad devotionem mercantis*, tantum abest, ut a nobis descriptum emant vel usurpent. *Vers. seq.* 13. ספר תורה שכתב מין ישרפו כתבו גוי או ישראל משומד או מסור או עבד או אשה או קטן הרי אלו פסולין ויגנזו: *librum legis, quem scripsit hæreticus*, (Samaritanus,) *comburunt, at, quos scripsit gentilis, aut Israeliticus Apostata, vel proditor, aut servus, aut mulier, aut minorennis, omnes profani sunt, & absconduntur* (per sepulturam.) Porro tres recensent membranarum (10) species, quos internosse oporteat, cum non omnes pariter sint ad scripturam sacram idoneæ. *Cap. eod. vers.* 6. שלש עורות הן. לוקחין עור בהמה ומעבירין השיער ממנו ואח״כ מולחין ומעברין בקמח ואח״כ בעפצא וכיוצא בו מדברים שמכווצין את העור ומחזקים אותו וזה הוא הנקרא גויל: ואם לקחו העור אחר שהעבירו שערו וחלקו אותו בעביו לשנים כמו שהעבדנים עושין עד שיהיה שני עורות אחד דק הוא שמכול השיער ואחר עבה והוא שמכול הבשר ועבדו אותן במלח וקמח ועפצא זה

החלק

החלק נקרא קלף וזה שממול הבשר נקרא דוכסוסטוס: *Triplex eſt differentia:* 1. *ſumunt pellem jumenti & removent pilos inde, poſtea ſaliunt & præparant farina, denique etiam galla vel conſimilibus rebus aſtringentibus & corroborantibus eam: hæc appellatur* גויל (nos in defectu vocabulorum, diſcriminis cauſa nominemus *Pergamenum.*) 2. *At ſi pellem, abraſis pilis diffindant per denſitatem bifariam, ut artifices ſolent, & duas inde faciant, unam tenuiorem ex parte pilorum, craſſiorem alteram ex parte carnis, & parent ſale, farina gallaque ut decet, tunc illa portio vocatur* קלף (*Membrana* proprie.) 3. *hæc vero, quæ carni contigua erat* דוכסוסטוס (nobis *Corium.*) Iſta poſtrema ſpecies ad legis deſcriptionem inutilis eſt. *Verſ. 9. ejuſd. cap.* אם כתב הספר על דוכסוסטוס פסול *ſi quis ſcripſerit librum ſuper corium, profanus erit.* Cæteræ priores ex æquo conceſſæ, ſic tamen ut altrinſecus tantum, & convenienti quidem latere perſcribantur; quod non perinde habent. Soph. 1. §. 4. כותבין על הקלף במקום בשר ועל הגויל במקום שער ואינו רשאי לשנות הלכה למשה מסיני שאם שינה בזה ובזה אין קורין בו: *ſcribunt ſuper membranam loco carnis, & ſuper pergamenum loco pilorum, nec fas eſt mutare, quia conſuetudo Moſis de Sinai; & ſi quis pervertit in uno vel altero, non legunt e tali.* Item ut totus liber ſit homogeneus, ex uniuſmodi cortinis conſucus. Tphill. 7. *verſ.* 4. ס״ת שכתבו מקצתו על הגויל ומקצתו על הקלף פסול אלא או כולו על הגויל או כולו על הקלף: *qui partim in pergameno, partim in membrana ſcriptus eſt, profanus habetur; quin potius uniformis ſit, aut totus ex hoc, aut totus ex illo.* Exceptionem admittit Talmud. *M. Soph.* 2. c. 10. אבל עושה חציו גויל וחציו צבאים קלפים מפני שאינו מן המובחר: *at facere poteſt ſemiſſem unam e pergameno, alteram e membranis caprearum, ſi illud (pergamenum) non eſt de ſelectiſſimo,* (ſic enim parum diverſitatis.) Complicari tandem prohibentur, inter ſcribendum, quantumvis ampliſſimæ ſint, ne rugas indecoras contrahant. Alphes *p.* 346. *b.* אלהתירו להו להפוך יריעה על פניה אלא פורס עליה סדין או את הבגד: *non permiſerunt eis reflectere cortinam verſus extremitatem ſuam, ſed juſſerunt expandere ſuper eas ſindonem vel veſtem,* (ne maculentur.)

II. Sequitur *Dimenſio* & diſtributio cortinarum. Ubi admonere nil opus eſt, ſcribere Judæos non in complicatis libris noſtro more, ſed antiquiſſimo inſtituto in uno continuo & grandi [11] volumine totum Pentateuchum. Itaque ſcripturam ſic attemperare decet, ut univerſæ membranæ ſimul convolutæ, juſtam craſſitiei ſuæ proportionem habebant, adeoque extrema cæteras ambiens, præciſe quadrata ſit. R. Alphes *p.* 347. *b.* תנו רבנן אין עושין ס״ת לא ארכו יתר על היקפו ולא היקפו יתר על ארכו *Tradunt noſtri Doctores, non faciendam eſſe libri legis altitudinem longiorem ambitu, nec ambitum ampliorem altitudine.* In qua proportione Geometricum aliquid latet, quod nempe, ſi totus cylinder 22. pollices altus eſt, idem Archimedeo ratiocinio 7. pollices craſſus evadit. Si membranæ omnium animalium ejuſdem eſſent denſitatis, tunc poſſet una certa menſura præſcribi, ſed quia plurimum variant, volunt hanc ſaltem ubique proportionem ſervari. H. Thill. *init. c.* 9. ארכו בגויל ששה טפחים ובקלף או פחות או יתר והוא שיהא ארכו כהיקיפו אם מיעט או הרחיב בכתב *Altitudo pergameni plerumque ſex palmorum, ſed membranæ plus vel minus, prout ſcripturam quis contrahit vel dilatat, modo ut ſtatura circumferentiæ ſemper reſpondeat.* Quantas intelligat menſuras, mox *eod. c.* 9. declarat: רוחב הגודל הוא אצבע הבינוני וכבר דקדקנו בשעירו ומצאנוהו רחב שבע שעורות בינוניות זו בצד זו ברוחק וכל טפח האמור בכל מקום הוא ארבע אצבעים מזו וכל אמה ששה טפחים: *latitudo pollicis æquat digitum mediocrem, & pridem ſubtiliter inquiſivimus has menſuras, atque deprehendimus correſpondere ſeptem granis hordeaceis mediocribus, contigue & arcte juxta ſe poſitis.* (paulo major uncia pedis Wurtembergici, quod ex hac lineola in totidem partes diviſa  liquet.) *Palmus* [12] *vero, cujus uſpiam in ſacris fit mentio, conſtat quatuor ejuſmodi pollicibus; & Ulna ſex palmis,* (h. e. 24. pollicibus.) Eoque capite toto docet operoſe, quomodo id aſſequendum ſit. Primo nudas aliquot & ſcriptura vacuas membranas experimenti cauſa convolvendas, donec juſtam craſſitiem nanciſcantur; deinde iterum revolutas, baculo in 50. pollices diviſo metiendas, & proportionem ad prototypum exemplar æſtimandam, quantum textus uni cortinæ competat; poſtea periculum ſcriptionis in rejectitia quadam membrana prius faciendum, unde computet quantum literas augere vel minuere debeat &c. quæ ob prolixitatis tædium allegare hic intermitto. Informat quoque lectorem *verſ.* 10. ſuo exemplo, quantus fuerit ille codex, quem ipſe Maymonides propria manu exaraverit: *omnes columnas 4. digitos latas fuiſſe* [*præter* am-

ambo carmina, quæ 6. pollices requiſiverint,] *ſingulas conſtitiſſe* 51. *lineis, & fuiſſe numero* 226. *paginas,* (*itaque* 115. 26. *lineas* ,) *longitudinem vero totius voluminis* 1366. *pollicum,* (*h. e.* 57. *fere ulnar. Jud.*) *cortinas autem arietinas, ſi cui hanc menſuram imitari placeat, non a proportione aberraturum,* (*quod tamen ſibi experiunti, ob membranæ denſitatem, non præciſe contigiſſe notat Commentator marginalis.*) Audiamus & cæteras dimenſionum leges. Quælibet membrana in aliquot columnares paginas diſtribuitur, has oportet juſto nec pauciores nec plures eſſe. Alpheſ. *p.* 348. *init.* תר' עושה אדם יריעה סכת שלש דפין ועד בת משנה פחות או יותר לא יעשה ולא ירבה ברפין מפני שנראין באגרת ואל ימעט ברפין מפני שעיניו משוטטות : *Jubent, ut homo cortinos dividat, a tribus ad octo paginas, plures vel pauciores haud faciat: non illud, ne videatur epiſtola vulgaris,* (debent enim literæ ſacræ a profanis primo ſtatim intuitu differe,) *non hoc, ne oculi* [ob latitudinem pauciorum columnarum, in legendo] *exorbitent*. Mei exemplaris cortinæ utplurimum in quinque paginas diſtributæ ſunt. Quid vero ſi cutis magni animalis fuerit amplior? Tephill. *9. verſ.* 12. נזדמנה לו יריעה בת תשע דפין חולק אותה חמשה לכאן וארבעה לכאן : *Si cui parata eſt cortina novem paginarum capax, dividat eam, huc referendo quinque & illuc quatuor:* (non vero tres huc & ſex illuc, ut *Alpheſius* addit.) ברא בתחלת הספר או באמצע אבל בסוף אפילו פסוק אחד ברק אחד עושים אותו דף לבדו ותופרין עם שאר יריעות : *& totum hoc intelligendum eſt de principio libri vel medio: at in fine verſiculus etiam unicus peculiarem paginam meretur, quæ cæteris aſſuitur*. Columnarum quoque latitudines mediocres eſſe decet. Soph. 2. §. 8. שיעור הדף כדי שיהא רואהו ובקטן לא יפחות מטפח רבי יוסי בר' יהודה אומר לא יפחות משלש אצבעות ולא יעשה רחבו יותר על חצי ארכו : *Quantitas paginæ, quæ lectoris viſui congruat, in parvo exemplari non anguſtior ſit palmo. R. Joſe nomine R. Jehudæ ait, non minor tribus digitis, contra tamen nemo faciat latitudinem ejus ampliorem ſemiſſe altitudinis*. Maymonides optimam menſuram, tribus longiſſimis vocibus terminat *cap. 7. verſ.* 4. אורך כל שיטה ושיטה שלשים אותיות כדי לכתוב למשפחותיכם תלתא זימני וזה הוא רוחב כל דף ודף : *Longitudo ſingularum linearum æquet triginta literas, ut vox polyſyllabica* למשפחותיכם (quæ *familias veſtras* ſignificat) *tribus vicibus ſcribi poſſit: hæc ipſa eſt latitudo paginarum*. Gloſſator tamen addit in margine הכל לפי הנוי שהרי ג' למשפחותיכם מכתיבה גסה היה יותר מטפח : *decorum ubique ſpectandum eſſe; quoniam hæc vox ter repetita in craſſiori ſcriptura, facile palmum excedat*. In meo ſane fragmento columnæ ſunt inæquales, pro capacitate membranarum, ne quid inutiliter periret. Habent & margines ſuam æſtimationem. R. Alph. *pag.* 348. *a.* שעור גליון מלמטה טפח ומלמעלה שלש אצבעות ובין דף לדף כמלא רוחב שתי אצבעות : *menſura oræ inferioris eſt palmus, ſuperioris vero tres pollices; ſed inter paginas ſpacium plene duorum digitorum*. Thill. 9. 2. צריך שיניח בתחלת כל יריעה ובסופה רוחב אצבע אחד כדי תפירה : *neceſſe inſupor ut relinquatur ad extremitates cortinæ, aliud ſpacium unius digiti pro ſutura*. En quam curioſe lineas quoque dinumerent! Eadem Halacha *cap.* 7. *v.* 10. יש דברים אחרים שלא נאמרו בתלמוד ונהגו בהם הסופרים וקבלה היא בידם איש מפי איש והן שיהיו שנין השיטין בכל דף לא פחות משמנה וארבעים ולא יתר על ששים : *ſunt aliæ res non quidem præceptæ in Talmud; ſed longa conſuetudine ſcribarum introductæ, qui jactant traditionem duturnam ex ore unius ad alterum. Inter quas & illud, quod lineas paginarum numerant, non pauciores* XLVIII. *nec plures* LX. *faciunt*. Et ne res omni ratione carere videatur, afferunt in Maſſichta Sopherim pulchras aliquot, ſua opinione cauſas, ubi & alios plures numeros reperio, *cap.* 2. §. 6. נותנין טעם במסעות ארבעים ושנים שנ' ויכתוב משה את מוצאיהם . וברבבות של ישראל ששים שנ' כתב לך ובזקנים בזקנים של ישר' שבעים ושנים וכו' . *dant rationem e profectionibus quadraginta duabus, quia dicitur* (Num. 33. 2.) *deſcripſit Moſes juxta exitus eorum, item myriadibus Iſraelitarum ſexaginta, quia dicitur* (Exod. 34. 27.) *ſcribe fœdus quod cum illis pepigi; nec non pro numero* LXXII. *ſenum* (*in memoriam illorum.*) Meæ omnes ſemper 48. tantum conſtant. Similem ſuperſtitionem in Arabicis quoque libris obſervo, ubi perpetuo impares lineas notavi, quo numero *Deus* gaudere creditur Poetis. Unum hic ſupereſt notabile, quod nil ſacrum exſcribunt, regula non prius lineatum; ut ſcilicet elegantius appareat & differat a ſchedis profanis. Tphill. *c.* 1. *v.* 12. הלכה למשה מסיני שאין כותבין ספר תורה אלא בשירטוט *habemus id a Moſe de Sinai, ne quis liber legis deſcribatur abſque amuſſi*. cap. 7. v. 4. שכתבו בלא שרטוט פסול *abſque lineato ſcriptus, eſt profanus*. verſ. 16. מותר לכתוב שלש תיבות בלא שרטוט

שרטוט יותר על זה אסור: *licet tres tantum voculas sine lineato exarare: plures est omninò nefas.* Hinc disputant de allegatis: an & phrases biblicas obiter usurpatas lineare oporteat? Commentator ejus *ibid. in marg.* כתב רבינו ברוך דודוקא כשמביא פוק לראיה אבל אדם כותב בלשונו אין צריך לשרטוט: *Tradit magister noster Baruch, id observandum esse maxime, quando quis versum citat ad probationem; verum cum socio suo familiariter scribit, & immiscet locutiones textuales, non opus est lineatione.* Meorum lineamentorum sulci omnes ducti sunt in tergo, & eminentiæ vergunt antrorsum, qua parte scripturam minus impediunt.

III. Transeamus ad *Atramentum*, quod similiter multa cautione indiguit, nefas erat ullo, ne pulcherrimo quidem colore, vel unam lituram ducere: secus quam factitabant veteres Monachi, qui omnium paragraphorum initia cinnabari & æris flore pingebant. Hal. Tphil. *c.* 1. §. 5. נאמר למשה מסיני שיהיו כתובים בדיו למעט שאר מיני צבעונין כגון האדום והירוק וביוצא בהן שאם כתב אפילו אות אחת בהן פסול *Injunctum est Mosi de Sinai, ut perscribantur atramento, id excludit cæteras species colorum omnes; velut rubrum, viridem & consimiles: quod si vel unica literula iis* (13) *scriberetur, totum profanaret.* Ne nobilissimam quidem auri tincturam, qua tamen Salomo templum decoravit, huc admittunt. Soph. 1. *paragr.* 9. אין כותבין בזהב. מעשה בתורתו אל אלכסנדרוס שהיו כל אזכרותיה כתובות בזהב ובא מעשה לפני חכמים ואמרו תגנז: *Neutiquam* (14) *scribunt auro* (comminuto.) *Accidit pentateucho Alexandri M. in quo omnis mentio* Dei *aureis literis perscripta erat, ut factum hoc deveniret ad sapientes, ii responderunt, e medio tollendum esse.* Sunt & alia (15) communiter nobis usurpata, quæ atramenti sacri confectionem ingredi prohibentur. Ibid. §. 5. אין כותבין בשחור ולא בשיחור ולא בקומוס ולא בקנקנתום ולא במי טריא: *Non adhibent carbonem, nec nigredinem* (pictoriam vel sutoriam,) *nec gummi, nec vitriolum, nec aquas putres.* Sed parant illud sua quadam singulari ratione, quam descripsit Maym. *H. Tph.* 1. 4. כצד מעשה הדיו מקבצים העשן של שמנים או של זפת ושל שעוה וכיוצא בהן ונובלין אותן בשרף האילן ובמעט דבש ולותתין אותו הרבה ודכין אותו עד שיעשה רקיקין ומיבשין אותו ומצניעים אותו ובשעה כתיבה שורהו במי עפצא וכיוצא בו וכותב בו שאם תמחקנו יהיה נמחק וזהו הדיו שמצוה מן המובחר: *Quomodo conficiunt hoc Atramentum? colligunt fumum olei vel sevi, vel talium, & pinsunt in exusto ligno cum exiguo mellis, atque depsunt valde, donec attenuetur: postea exsiccant & reponunt. Tempore scriptionis autem macerant vel dissolvunt in aquis gallarum aut similium, & scribunt eo. Quod si hoc deleveris, erit plene abstersum. Et illud ipsum est præstantissimum, quod præceptum.* Glossa tamen marginalis nonnullas addit animadversiones, quas lubens prætereo.

IV. Authenticum aliquod *Exemplar* assumebant, unde sua particularia describerent. Asservabatur autem sacratissimum & originale volumen a Levitis in sanctuario, e quo Rex suum transumere atque corrigere debuit: atque ut emendatius id faceret, conscio & auscultante Synedrio revidere. Tph. *c.* 7. *paragr.* 2. מגיהין אותו מספר העזרה על פי בית דין הגדול: *corrigendum est e libro Atrii, juxta os senatus magni.* Et si quis adeo felicis memoriæ, ut totam legem teneret (quales sane reperiuntur inter Judæos, qui diuturna lectione integras paraschas addidicerunt & expedite recitant; (non tamen liceret ipsi, vel unicum jota sine prototypo exarare: in quo agnoscimus miram *Dei* providentiam sic integritati (16) textus consultum voluit. Alphesius *pag.* 349. *a.* & *b.* גרסינן בפרק הקורא אמר רבה בר חנה אמר רבי יוחנן אסור לכתוב אפילו אות אחת שלא מן הכתב. רב חסדא אשכחיה לרב חננאל דהוה כותב ספרים שלא מן הכתב א' ליה ראויה כל התורה כולה שתכתב מפיך אלא הרי אמרו אסור לכתוב אפילו אות אחת שלא מן הכתב: *Legimus in capite Haquore* (quod est c. 2. Massech. Megilla in Talm.) *retulisse Rabbam filium Channæ, quod dixerit R. Jochannan: nefas esse vel unicam literulam scribere sine præscripto. Accidit ei, dignus quidem esses, e cujus ore tota lex scriberetur! sed ecce prohibitum vel unam literam ducere absque exemplo.* Nihil ergo fidit memoriæ suæ Maymonides, quantumvis divinam haberet, sed optimum exemplar secutus est religiosissime. H. Tph. *fin. cap.* 8. ספר שסמכנו עליו הוא הספר הידוע במצרים שהוא כולל כד והיה בירושלים מכמה שנים להגיה ממנו הספרים ועליו היו הכל סומכין לפי שהגיהו בן אשר ודקדק בו שנים הרבה והגיהו פעמים רבות ועליו סמכתי בספר התורה שכתבתי כהלכתו: *Liber cui innixi sumus, est notissimus ille codex* (17) *in Ægypto, qui complectitur omnes* XXIV. *libros biblicos, & fuit Jerosolymis olim per plurimos annos, ad corrigendum inde cæteros. Huic omnes secure fidunt, quia sciunt recognitum a Ben-Aser* (celebri quodam Masorita Tybe-

rien-

rienſe) *qui accuratiſſime perveſtigavit eum multis annis , & emendavit multoties , eum ſecutus ſum , quando legem , ut moris eſt , deſcribebam* . Hoc ipſo etiam R. Jona hammedakdek quondam uſus eſt, referente Elia Levita *in Schifre luchos mihi pag.* 244. *b.* ubi & alios quoſdam magnæ celebritatis libros recenſet , unum, (18) qui a Jericho venerit, alterum, (19) quem Hillel, e captivitate Babylonica redux , ſua manu deſcripſerit , omnes autem cum hodierna lectione in minutiſſimis conſentiant . Unde colligo , hiatus (20) qui hodie viſuntur in textu, verb. gr. defectum *verſ.* 46. & 37. *in* 21. *cap. Joſuæ* , minime novitium eſſe , ſed omnino ante poſterioris templi fabricam deſideratos: adeoque varias lectiones e captivitate prima natas , ut R. D. Kim. *ad* 1. *Reg.* 17. 14. notat בגלות נשתבשו הנסחאות *in exilio priori corrupta fuiſſe exemplaria* . Similem harmoniam editionum ſæpe miror in Alkurano, qui per univerſam fere Aſiam & Africam, qua latiſſime patent , magnam quoque partem ipſius Europæ, in tot millena exemplaria conformiter, abſque typis , ſola manu multiplicatur.

V. Venio ad *Literas*. Hic mihi non convenit cum quibuſdam ſciolis inter Judæos, qui hodiernos (21) characteres primævos eſſe negant; videorque in *Diſſert. de Nummis Hebr.* e figura literæ Vau & pluribus documentis probatum dediſſe, quod vetuſtiſſimi adeoque legiſlatori Moſi ſint coætanei: niſi forte ante ipſum alios in uſu fuiſſe velint, quod non diſputo . Soph. *c.* 1. §. *6.* אין כותבין לא עברית ולא ארמית ולא מדית ולא יוונית כתב בכל לשון בכל כתבים לא יקרא בו עד שהוא כותב אשורית: *Non ſcribant , nec Hebraice* (fortaſſis per metatheſin unius literæ legendum eſt ערבית (22) *Arabice* ,) *nec Syre* , *nec Mede* , *nec Græce* , *quacunque lingua* , *quibuſcunque literis ſcriptum fuerit* , *nefas eſt legere* , *niſi tantum Aſſyriace:* (quo cognomento quadratas ſive textuales literas appellant.) Etiam paucula illa, quæ peregrini ſunt idiomatis in lege, characteribus uſitatis ſcibere oportet. Ib. *v.* 10. כל התורה כולא עברית היא אלא שיש דברים תרגום כגון יגר שהדותא אל יכתוב תרגומית: *Tota quidem lex eſt Hebræa, præter pauca quædam Chaldaica*, *velut* (Gen. 31. 47.) *Jegar Sabaduta. h. e. cumulus teſtimonii. Nemo tamen ſcribat ea Chaldaice*. Itaque non probantur Judæis heterogeneæ tranſcriptiones textus; qualis olim una erat in Hexaplis (23) Origenis , ubi verba Hebræa literis Græcis expreſſa: item noſtra ætate in diſcentium gratim , a Cl. v. Elia Huttero p. m. in ſpecimine quodam , latinis literis, non inutili conſilio tentatum. H. Tphill. *c.* 1. §. 19. התירו בספרים לכותבן אף ביוני בלבד וכבר נשתקע יוני מעולם ונשתבש ואבד לפיכך אין כותבין היום אלא אשורית: *Permiſerunt in libris* (privatis ſcilicet) *deſcribere etiam literis Græcis ſeorſim . Sed pridem ſubmerſa eſt hæc Græcanica ratio, de mundo ſublata & depravata : proinde nemo ſcribat hodie aliter quam Aſſyriace*. Ideo R. Joel Levita libros noſtros *ibid. in marg.* contemtim vocat חומש פסול של גלחים *pentateuchum profanum Monachorum* . Et indigne tulerunt olim tale quid in Philadelpho Ægyptio. Soph. *cap.* 1. *paragr.* 7. מעשה בחמשה זקנים שכתבו לתלמי מלך את התורה יונית והיה היום קשה לישראל כיום שנעשה העגל שלא היתה התורה יכולה להתרגם כל צרכה: *Quinque* (24) *ſenes deſcripſerunt regi Ptolemeo legem literis Græcis* , *ea dies æque gravis* (25) *habita fuit Iſraelitis* , *ac illa qua vitulum conflarunt: neque enim poſſibile eſt* , *ut omnia plene ſic exprimatur* , (forte quia Græci aſpirationibus in media voce carent.) Porro literarum decus & neceſſaria proprietas eſt, ut ſint bene legibiles, invicem diſcriminatæ & undique a vicinis liberæ; quo poſtremo requiſito a cæteris orientalibus ſcripturis, Hebræa ſola differt. Tphill. *cap.* 1. *paragr.* 19. צריך להזהר בכתיבתן כדי שלא תדבק אות באות שכל אות שאין העור מקיף לה מד' רוחותיה פסולה וכל אות שאין התינוק שאינו לא חכם ולא סכל יכול לקרותה פסול: *Cautione opus eſt in ſcribendo*, *ne literæ cohæreant*, *etenim quamcunque literam membrana non ambit ex omnibus quetuor lateribus circumquaque*, *ea profana eſt*. *Nec idonea* , *quam diſcernere & legere nequit puerulus aliquis* , *modo non ſit omnino ſtupidus* . Præſertim inter (26) ſimiles accurate diſtinguendum , quales monente Alpheſio *pag.* 348. *b.* ſunt סם. טפ. וז. וי. חה. רד. צג. כב. עא. e quarum confuſione magni quidam errores , ab oſcitantibus tum librariis tum interpretibus, in Bibliorum verſiones aliquas ſunt introducti: quorum catalogum habes in *præf. lex. Schindl.* Quod ſi foramen occurrat in membrana , jubet Maym. *v. ſeq.* 20. attendere , ne literam vitiet vel reddat ambiguam; velut ſi particulam ח abſumeret , ut pro hiante ה haberetur; in gremio autem cavarum, v. g. סם minus habere periculi . Vetat etiam Commentator ejus *ad c.* 7. *v.* 6. ullas ornatus gratia, vel pro explendo ſpacio diducere: ut noſtrates factitant , & ipſi aliquando Judæi negligunt. למשוך האותיות

האותיות ולעשותן גדולות עד סוף השיטה: אסור שאין לשנות אות אחת מחברו ולא לגדלו ולא להקטינו זולתי המקובלים לבעלי מסורה: *Protrahere literas & prolongare uſque ad finem lineæ, nefas eſt*, (ſecus quam exiſtimant vulgo Grammatici.) *Nec decet literam aliquam ſolam differre a ſociis ſuis quantitate vel majori vel minori; præter paucas myſticas, quas obſervarunt Authores criticæ Maſoreth*. Reperiuntur enim aliquæ paſſim, quæ ſemper & ab antiquo cæteris vel grandiores (27) vel minutiores pictæ fuerunt, quadam religione, de quibus Maſſ. Sopher. *cap. 9.* & noviſſime Buxtorfius *in ſua Tyberiade*. Item aliquæ ſupra reliquas ſuſpenſæ, vel ſitu inverſæ: præſertim vero פ in Manuſcriptis ſæpiſſime reduplicatum, & quaſi prægnans. Quorum veram rationem quamvis ignoremus hodie, nec Judæorum ſuperſtitioſas explicationes ita ſimpliciter admittamus, cenſeo tamen cum Maymonide, omnino religioſe ſic retinendas, & ut accepimus, ſic ad poſteritatem fideliter tranſmittendas. Tphill. cap. 7. §. 8. הזהר באותיות גדולות ובנקודות והמשונות כגון הפאין הנלפפות והאותיות עקומות כמו שהעתיקו הסופרים איש מפי איש: *Attende literas majuſculas & minuſculas, punctatas, variatas, itemque Pe ingeminata, & literas obliquatas: ſicuti propagarunt Scribæ, unus ex ore alterius*. Puncta quorum hic meminit, non ſunt Vocales, nec Accentus; nam nihil (28) tale uſpiam apparet in authenticis libris Judæorum, (ut valde mirer ſupereſſe, qui vocalium (29) antiquitatem ſerio credant:) ſed extra ordinaria (30) quædam puncta intelligit, de quibus iterum M. Soph. *c. 6.* & diligentiſſimus *Buxtorf. in Theſ. Gram. l. 1. cap. 5.* Cæterum ut vocalibus carent, ita viciſſim quid aliud habent, quod noſtri Codices ignorant, nempe creberrimos apices, non arbitrarie, ſed certo numero debitiſque locis impoſitos; quos *Tagin* (31) ſive coronulas nominant, quia ut hæ in capitibus regum, ſic illi ſupra voces emineant. R. Alph. *p. 349. a.* א' רבה שבעה אותיות צריכות ג' זיניך ואלו הן שעטנז גץ: *Ait Rebba, ſeptem literæ indigent ternis apicibus, quæ* (memoriæ cauſa) *comprehenduntur ſymbolica voce Schaetnez, heterogeneam veſtem ſignificante*. Tphill. *c. 7. paragr.* 8. הזהר בתגין ובמנין יש אות שיש עליה תג אחד ויש אות שיש עליה שבעה וכל התגין כצורת זיינין הן דקין כחוט השערה: *Obſerva coronulas & numerum earum. Eſt litera quæ unam tantum, eſt alia quæ uſque ad ſeptem poſcit. Omnium vero figuræ ſunto inſtar telorum, graciles quaſi filum aut pilus*. Plura de illis habet R. Urian *in notis ad cap. 1. v. 19.* copioſiſſimis. In his omnibus adeo meticuloſi ſunt, ut ſi vel unicum jota nedum tota vox deſit, reliqua univerſa contaminari & labefactari una putent, non audent מלא cum חסר ſeu *plenum defectivo* permutare h.e. quieſcentem literam, quæ ſalvo ſenſu adeſſe vel abeſſe poſſet, pervertere: quanto minus textum ſponte adulterare? ut quidam imperite ſuſpicantur. Denique quia voces in fine linearum dirimere non ſolent, nec portionem ejus ad initium ſequentis rejicere, diſputant anxie, quæ huc locanda vel ſervanda ſit illuc. Alph. *pag. 348. a.* נזדמנה לו תיבה בת ב' אותיות לא יזרקנה בין הדפין אלא יחזור לתחלת השיטה: *Vocem duarum literarum non diſpergat inter paginas, ſed integram transferat ad frontiſpicium alterius lineæ*. Tphill. *cap. 7. paragr. 6.* נזדמנה לו תיבה בת חמש אותיות לא יכתוב שנים בתוך הדף ושלש חוץ לדף אלא כותב ג' בתוך וב' חוץ לא נשאר מן השיטה כדי לכתוב ג' מניח המקום פנוי ומתחיל מתחילה: *Si præſto eſt vox quinque literarum, non ſcribat duas intra columnam, tres extra: ſed tres intus, duas foris. Si non tantum reſtat de linea quod tres capiat, relinquat locum vacuum, & inchoet novam*. In margine: אבל בשם רבינו תם שאין לכתוב אפילו אות אחת ממנו חוץ לשיטה: *At juxta* (32) *Doctorem Tom* (qui plus de ornatu quam integritate ſcriptionis ſolicitus erat) *non licebat ullam literam forinſecus ad margines reponere*, (forte quod ibi non lineatum eſſet, quod ſupra ut neceſſarium requirebant.) Soph. *cap. 5. paragr.* 10. אלו שמות חנחלקין בית אל בית און באר שבע ידיד יה הללו יה ר' יוסי א' אין חולקין עמינרב צוריאל ישראל נבונרנצאר וכו': *Hæc ſunt nomina* (propria, compoſita) *quæ* (in extremitatibus linearum) *dividere licet, Beth-el, Beth-aven, Beer-ſeba, Jedid-ja, Hallelu-ja. R. Joſe ait non dividi Aminadab, Zuriel, Iſrael, Nebucadnezar, &c.* Sed mitto has ſubtilitates, & ſuis admiratoribus relinquo.

VI. *Nomina Dei* (33) reverentiæ cauſa, multam circumſpectionem requirunt, ut rite ſcribantur. Alph. *loc. cit.* הטובל את הקולמוס לכתוב את השם לא יתחיל מאותו השם אבל מאות שלפניו: *Intingens calamum ut ſcribat nomen* Dei, *non ordiatur ab ipſo nomine, ſed ab antecedente litera*. Jubent tunc attentiſſimos eſſe, & omni mentis devotione majeſtatem tanti numinis conſiderare, niſi totius libri ſanctitatem vagis cogitationibus conſpurcare velint. Tphill. *cap. 1. paragr.* 15.

אם בשעת כתיבה לא היתה לו כוונה וכתב אזכרות שלא לשמן פסולין: *Si quis hora scriptionis non devotissimus est, sed mentiones* Dei *absque illa intentione scribit, omnia profana sunt*. Et ut exorcistas nullius spectri larva turbare debet in incantationis tenore, sic religiosum Judæum non ullius personæ respectus tunc commovere. Soph. *cap.* 5. *paragr.* 6. הכותב את השם אפילו המלך שואל בשלומו לא ישיבנו היה כותב שנים ושלשה שמות כאחת מפסיק ביניהם ומשיב: *Si* Dei *nomina scribentem vel Rex aliquis salutet, non respondeat prius*, (34) *quam duo vel tria verba continue subjecerit; tunc demum interspirare licet atque gratias agere*.

VII. *Carmina* in lege bina tantum sunt: unum in Exodo post transitum maris, alterum sub finem Deuteronomii. Hæc ambo non ut reliquam prosam, sed sua quadam peculiari (35) ratione describere oportet, ut primo statim intuitu appareat, esse cantica: quemadmodum versus in omni lingua differunt ab oratione libera. Totum vero artificium consistit in principiis linearum recte locandis. Tphil. c. 7. §. 10. והיה בראש חמשה השיטין למעלה משירת הים הבאים ביבשה ה' מת במצרים. ולמטה מן השירה חמש שיטין תחלת כל שיטה מהן כך ותקח אחריה סוס ויצאו ויבאו: *In cantico Maris, initia quinque linearum superiorum hæc sunto:* (Exod. 14. 28.) *Venientes*. (v. 29.) *per siccum*. (v. 30.) *Dominus*, (Ibid.) *Mortuum*. (v. 31.) *In Ægypto. Sed quinque inferiorum hæc:* (Exod. 15. 20.) *Et accepit*. (ibid.) *Post eam*. (v. 21.) *Equum*. (v. 22.) *Et egressi sunt*. (v. 23.) *Et venerunt*. ויהיה בראשי השיטין למעלה משירת האזינו ואעידה אחרי הדרך באחרית להכעיסו קהל שש שטין. ולמטה ממנה חמש שיטין ויבא לדבר אשר הזאת אשר: *Verum in cantico Auscultate, sex priores lineas occupent hæc initia*. (Deut. 31. 28.) *Contestabor*. (v. 29.) *Post*. (ibid.) *Via*. (ibid.) *In novissimo*. (ibid.) *Ut irritetis eum*. (v. 30.) *Congregationis. Quinque postremas hæc:* (Deut. 34. 44.) *Et venit*. (v. 45.) *Loqui*. (v. 46.) *Quæ*. (ibid.) *Istius*. (v. 47.) *Quam*. Si quis hoc negligit, textus corruptor audit. Tphil. §. *seq.* 11. שכתב שירה כשאר הכתב הרי זה פסול: *Quicunque carmen instar prosæ scribit, ecce is profanator est!* Improbatur itaque illorum periergia & inanis diligentia, qui ut omnes lineas a vav inchoent, textum modo lacerant, modo in contrarium nimis arcte condensant: quos R. Urian *ib. in marg.* reprehendit נהגו סופרים בורים להתחיל כל עמוד בו״ו נראה איסור גמור כי ביש מקומות קצרים ופעמים אותיות ארוכות הרבה כדי שיגיע ו״ו לראש כל עמוד כאשר סדרו לו ובפ' הקומץ גרסינן לא ימעט הכתב מפני הריוח והנה כתבתי למורי ז״ל והסכים על ידי והשיבני כי לא נכון בעיניו אף סופר אחד היה ר' ליאונטין ממולהו״ן שהראה אמונתו עכ״ל. *Fatui quidam scribæ solent omnem columnam a vav incipere: id videtur mihi grande nefas, quia interdum decurtant scripturam, aliquando literas nimis prolongant, ut attingat vav caput columnæ, quod sibi præsumserunt. In capite Haqquomez* (quod est secundum Mass. Menachos in Talm.) *legimus: nemo minuat scripturam propter spacia. Ecce tamen consului meum præceptorem p. m. qui prorsus mecum consensit, & rescribens id minime sibi placere: authorem vero esse quendam R. Leontin Mulhusanum, qui sic artem suam inepte ostentarit. Hæc ille*. Taxat deinde alios, qui ut nomini suo memoriam quærant, illud columnarum frontibus intexunt scriptioni similiter vi facta. דחקו עצמם לעשות ראשי עמודים אלו וראשי שיטות אלו ולעשות שמו בראשי הדפין וס״ת העשוי כן פסול שהרי פרשה דיהודה אתה יודוך פתוחה אם כן אי אפשר להיות בראש הדף: *Urgent seipsos facere principia columnarum aut linearum talia vel talia, & locare nomen suum in paginarum capitibus. Ejusmodi libros habeo profanos. Nam ecce parscha, v. g.* Jehuda *te laudabunt* (Gen. 49. 8.) *aperta esse debet*, (hoc est, spacium ante se habere, ut mox dicetur,) *itaque non possibile, ut occupet initium paginæ*.

VIII. Spacia non pro arbitrio relinquebaut: ut Poligrammateorum pulli nobiscum, qui rusticis folia nec non paragraphos, pro ære suo adnumerant: sed omnia traditione (36) majorum metiebantur, a quorum formulis, religionis metu ne hilum quidem hodie discedunt. Tphil. *c.* 7. §. 4. יניח בין כל תיבה ותיבה כמלא אות קטנה: ובין אות לאות כמלא חוט השערה: ובין כל תיטה ושיטה כמלא שיטה: *Relinquat inter literas spacium fili vel pili; inter dictiones, quantum occuparet litera quædam parvula: inter lineas autem pro mensura lineæ*. vers. 10. יהיה ריוח שבין פרשה לפרשה כמו תשע אותיות אשר אשר אשר: *Spatium inter Parschas* (h. e. 54. sectiones legis.) *esto magnitudine novem literarum, ut vox* אשר *ter scribi posset*. vers. 7. מניח בין כל חומש וחומש ארבעה שיטין פנויות בלא כתיבה לא פחות ולא יותר ויתחיל החומש מתחלת שיטה חמישית: *Inter quinarios* (h. e. quinque libros Mosaicos nostræ diuisionis,) *relinquat quatuor lineas vacuas absque scriptura; non plures nec pau-*

cio-

ciores : & ordiatur ſequentem librum ab initio quintæ. verſ. 14. מותר לכתוב התורה כל חומש וחומש בפני עצמן ואין בהן קדושת ספר תורה: *Licet quidem etiam ſingulos quinarios* (noſtro more) *ſeorſim ſcribere : ſed tunc nulla* (37) *in iis eſt ſanctitas honorabilis*, (de qua infra.) Alph. *p.* 349. a. תניא הכותב ס״ת לא ייגמור באמצע הדף כמו שנומר בחומשין אלא מקצר ועולה עד סוף הדף א׳ ר׳ הושע כל ישראל באמצע הדף איתמר אף באמצע השיטה רב אשי שמה דוקא: *Vetus traditio extabat ; legem deſcripturus non finiat in medio paginæ, quo loco deſinere ſolent Quinarii, ſed contrahat* (columellas) *ut cum fine terminet. Sed R. Joſua dicit, clauſulam : omnis Iſraël*, (Deut. ult.) *pertinere ad medium paginæ : Ithamar addit, etiam ad medium lineæ : Raf Aſe conciliat ; illuc maxime* (ſi nimirum citra coactionem deformem poſſibile ſit.) Porro præter iſta, ſunt & alia paſſim in lege ſpacia, quæ inde a Moſe hucuſque obſervata ſunt religioſe, & a noſtris quoque Typographis notata (38) literis פ & ס; quarum illa פתוחה ſive *apertam*, hæc vero סתומה *clauſam* ſignificat. De his Maym. *toto cap.* 8. agit, ſingulas prolixo catalogo recenſens; antea tamen utriuſque menſuram proponens : quam pridem inde tranſtulit Cl. Buxtorfius *in Abbrev. Hebr. p.* 141. *& ſeq.* Ego proinde hic repetere nolo; cui nunc ea tantum afferre mens eſt, quæ meo ſcitu latinis prodita non ſunt hactenus. Verum paulo aliter, ne diſſimulem, tradit ea Baal-Maſſ. *ſub fin. cap.* 1. איזהו פתוחה כל שלא התחיל בראש השיטה ואיזהו סתומה כל שהניח באמצע השיטה וכמה יניח כדי לכתוב שם של שלש אותיות: *quænam eſt* Aperta? *omnis quæ non a principio lineæ incboatur. Quæ vero* Clauſa? *omnis quæ in medio relinquitur. Quantum boc ſpacium? ut vox trium literarum ſcribi poſſit* : intellige de minimo : nam meum exemplar & omnia, quæ vidi, hiant amplius.

IX. Hæc rite ſic confecta ſequebatur *Correctio*, (39) ut exemplaria eſſent quam emendatiſſima. Non autem licebat eam in otioſum aliquod tempus differre; ſed ut apud JCtos Appellationes ſuos habent fatales terminos, intra quos proſequendæ ſunt aut poſtea deſerendæ: ita hæc correctio intra menſem unum, ſive xxx. proximos dies a fine ſcriptionis neceſſario erat ſuſpicienda, niſi quis inſumtam omnem operam voluerit inanem. Alph. *pag.* 347. *b.* ס״ת שאינו מוגה א׳ ר׳ אמי עד שלשים יום מותר לשהותו מכאן ואילך אסור לשהותו משום שנ׳ אל תשכן באהליך עולה: *De libro legis nondum correcto ait R. Ammi, adtrigeſimum diem licet eum retinere, ſed ulterius & deinceps procraſtinare nefas eſt, ſecundum illud* (Job. 11. 14.) *ne babitare ſinas in tabernaculis tuis pravitatem.* Maym. addit *c.* 7. §. 12. אלא יתקן או יגנז *ſed corrigatur aut removeatur.* Potuit tamen aliquid tam negligenter exaratum fuiſſe, ut plus operæ correctio requiſiverit, quam iterata ſcriptio: in tali conſultius erat totum abjicere, quam tot lituris fœdare : ut Chirurgi ſolent immedicabile vulnus enſe nonnunquam recidere. Inde mendis certus numerus eſt conſtitutus ; ut quondam in Lege Fuſia Caninia ſervorum teſtamento manumittendorum. R. Alph. *p.* 349. *a med.* תניא ספר שיש בו שלש טעיות בכל דף ודף יתקן ארבע יגנז: *Traditio, ſi quis liber tria tantum errata continet ſingulis paginis, corrigibilis eſt : ſin* 4. *vel plura, rejiciatur.* Id vero limitat Maymonides, & de erroribus omiſſionis non commiſſionis vult intellectum. Tphil. *c.* 7. §. 13. ברא שכתב הלא חסר שנמצא תולה האותיות ששכח בֵּיני השיטות אבל אם כתב החסר מלא אפילו יש בכל דף ודף כמה טעיות הרי זה מתקן מפני שהוא גורר ואינו תולה: *Dictum puta de eo, qui ſcripſit pro pleno defectivum, & ſuſpendere cogitur literas, quarum oblitus eſt, inter lineas: at ſi contra, redundans aliquid poſuerit, quamvis in ſingulis paginis plura commiſerit errata, tamen ea corrigere licet ; ratio quia tantum eradit ſuperfluum, nibil inſerit.* Pro inſanabilibus autem habentur ſphalmata ſpaciorum & carminum. c. 8. §. 3. אבל אם טעה בריוח הפרשיות וכתב פתוחה סתומה או ששינה צורת השירות הרי אין לו תקנה אלא לסלק את כל הדף שטעה בו: *Verum ſi aberravit in ſpaciis Parſcbarum, aut ſcripſit Apertam pro Clauſa, vel contra, item ſi canticorum formas pervertit, ecce non babet aliam correctionem, niſi ut prorſus tollatur univerſa columna talis.* Hinc jam gravis oritur Diſputatio inter Apellas, de nominibus (40) & cognomentis *Dei*; an, quæ, vel quatenus ea corrigere fas ſit? ne quid horum in contumeliam Divinæ majeſtatis vergat. Miſereſcimus equidem ſuperſtitionis hujuſmodi ; ſed noſtrorum multis indignari debebamus, qui eo ſecurius illud aſſumunt in vanum, quo Judæi abſtinent delicatius ! ſcribunt reverentius ! corrigunt timidius! non delent prorſus! Alpheſ. *p.* 548. *b.* והמוחק אות אחת מן השם עובר בלא תעשה א׳ ר׳ ישמעאל לכך נאמר ואבדתם את שמם מן המקום ההוא ונאמר לא תעשון לה׳ אלהיכם: *Delens unicam literulam de nomine divino, peccat graviter*

viter contra probibitionem. Id probat R. Ismael (in Maſſ. Soph. c. 5. §. *6.* tribuitur hoc R. Simeoni) *ex illo dicto* (Deut. 12. 3.) *perdatis nomina Idolorum: ubi diſerte additur: non ſic faciatis Domino* Deo *veſtro*. Soph. *c.* 5. §. 12. הכתב את השם על בשרו לא ירחץ ולא יסוך ר׳ יוסי מתיר ובלבד שלא ישפשף: *Qui ſcripſit* Dei *nomen ſuper carnem* (41) *ſuam, non lavet nec ungatur. R. Joſe permittit, modo id non ſponte abſtergat*. Quid ergo ſi perperam ſcriptum, anne ſic relinquendum, nec emendandum? hic primo diſtinxerunt inter ipſum nomen & literas (42) ſerviles ipſi adhærentes. Soph. *c.* 4. §. 3. כל האותיות המשמשות לשם בין מלפניו בין מלאחריו הרי אלו נמחקין כגון ביהוה אלהינו ויש אומרים כם מאלהיכם לא נמחק: *Omnes literæ ſerviles tam anteriores quam poſteriores deleri poſſunt, velut præfixa & ſuffixa &c. ſunt tamen qui dubitant de* כם *veſter*. Deinde diſcrimen commenti ſunt inter cognomina *Dei*; non omnia ejuſdem eſſe authoritatis, quædam certa conſtructione fieri profana. Ib. *v.* 5. אדני הארנים הראשון קודש והשני חול אלהי אברהם קדש ואלהי נחור חול: *Dominus dominorum, prius ſanctum eſt, poſterius profanum*. Deus *Abraham ſanctus*, *at* Deus *Nahor profanus eſt*. Tum varios caſus confinxerunt, qui (neſcio an præ devotione) poſſint contingere. Tphil. *c.* 1. §. 16. שכח לכתוב את השם כולו תולה אותו בין השיטות אבל מקצת השם בשטה ומקצתו תלוי פסול: *Si quis oblitus eſt nominis totius, ſuſpendat illud integrum inter lineas; at partem in linea locare, reliqua parte ſuſpendere impium eſt*. (ſed non æque ac eſſentiæ unitatem dividere velle.) Ibid. *in marg.* א׳ ר׳ שמחא הכותב יהודה ולא נתן בו ד׳ יתלנו למעלה. היה לו לכתוב את השם וכתב יהודה עושה מד׳ ה״א ומוחק ה׳ אחרון: *Docet R. Simcha: ſi ſcripturus nomen Jehuda omiſit Daleth* (quo caſu cum Tetragrammato confunditur) *inſerat illud ſuperne. Contra, ſi* Dei *nomen ſcripturus impudenter ſcripſit Jehuda, faciat He ex Daleth, poſteriori He deleto*. De hiſce nunc ſatis.

X. Supereſt *Ligatura*, (43) quæ non minus ad Regias curas pertinebit ac præcedentia; hodie noſtris Bibliopegis relinquitur. Hic vero filo nihil opus eſt, non ſerico, nedum cannabino; fides quadrant membranis. Tphill. *cap.* 9. §. 13. אין תופרין היריעות אלא בגידין של בהמה טהורה זה הלכה למשה מסיני: *cortinas aliter non conſuunt quam nervis animalium mundorum. Eſtque hoc ab authore Moſe de Sinai*. Sed ne ſcripturam deforment nodi, nectuntur extrinſecus. Ibid. *Marg.* בספר פסק׳ רבינו תם היה כתוב שהתפירה תהיה מבחוץ ולא מבפנים: *In libro Piske doctoris noſtri Tom, monemur, ut ſutura fiat foris,* (44) *non vero intus*. Prudentiæ vero eſt, non totum conſuere, ne circumvolvendo rumpatur. Soph. *cap.* 2. §. 11. א׳ ר׳ שמעון בן אלעזר צריך שיהא משייר מלמעלן ומלמטן שלא יקרע: *monet R. Simeon f. Eleazari, neceſſario aliquid relinquendum eſſe ſuperne & inferne, ne dirumpatur*. Quid vero ſi caſu quodam rumpatur in futuris, vel vetuſtate laceretur alibi? Ibid. *c.* 5. §. 14. ספר שהתפירה התפר שלו אחת חוזר ויתפור גם שנירה חוזר ויתפור שלישית לא יתפור: *libri ſuturam quæ diſſoluta eſt, prima vice reſarciunt & ſecunda, ſed tertia non amplius*. (ne margines toties deciſi penitus amittantur.) Tphil. *cap.* 9. §. 15. ס״ת שנקרעה בו יריעה בתוך שתי שיטות יפתור בתוך שלש לא יתפור בד״א בישן שאין עפצו ניכר אבל אם ניכר עפוץ בין תיבה לתיבה יתפור ויזהר שלא תחסר אות אחת או תשתנה צורתה: *Si cortina quædam lacerata eſt intra lineas duas, reſarcitur: intra tres, non ſarcitur: dictum puta de veteribus, quorum galla* (ſeu nigredo) *evanuit. At ſi adhuc agnoſcitur ſcriptum, licet inter dictiones conſuere; ſic tamen ne qua litera pereat, vel figura ejus pervertatur*. Tandem binos (45) cylindros tornare oportet, cum manubriis congruentibus & decoris, ad quos totum volumen extremitatibus ſuis affigatur, ut apte convolvi & revolvi poſſit. verſ. præc. 14. עושה לו שני עמודים של עץ אחד בתחילתו ואחד בסופו ותופר העור ששייר העמודים בגידים כדו שוהא נגלל עליהן וירחיק: *paret ſibi duas columellas ligneas, unam pro initio, alteram pro fine, & aſſuat illis redundantem utrinque membranam, per nervos, ſic, ut convenienter circumvolvi poſſint; relicto quodam ſpacio*. Cætera (46) quæ ad ornatum exteriorem pertinent, libera ſunt, & relinquuntur cujuſvis arbitrio atque liberalitati. Requirit enim quoque המטפחות *linteamina*, quibus obvolvatur, תיק *thecam*, qua recondatur, המגדל *turriculam*, ut ſuper aſtantes emineat, & כסא *pulpitum*, quo recumbat. Vidi etiam argenteos clypeolos, gemmis diſtinctos, cum inſculptis feſtorum titulis, ad quorum ſollenitates diverſi præfigebantur. Item involucra holoſerica, quibus circumciſorum nomina erant acu intexta: nec non ſtylum vel indicem grandi adamante conſpicuum; & alios apparatus.

Cæterum quæ hactenus recenſui, non (47) omnia ſunt de ſubſtantia libri ſacri, quorum omiſſio eum vitiaret; ſed ali-

aliqua partim ornatus partim diligentiæ causa fieri solita, ut scribas acuant & lectores juvent. Tphil. *cap.* 7. §. 9. כל הדברים האלו לא נאמרו אלא למצוה מן המובחר ואם שינה שלא דקדק או שקרב את השיטין או הרחיקן או האריכן או קצרן הואיל ולא הדביק אות באות ולא חיסר ולא הותיר ולא הפסיד צורתן הרי זה כשר: *Hæ res dictæ sunt tantum de selectissimis: at si quis paulum variet, nec usque adeo subtilis sit, v. g. si lineas ducat angustiores vel ampliores, longiores aut breviores, modo literæ non cohæreant, deficiant, redundent vel pervertantur, scriptio tolerabilis erit.* Ut ergo sciatur, quænam sint necessaria libri requisita, colligit ea Maym. *ab init. cap. ult. Thillin* & per Anacephalæosin recenset viginti (48) vitia, quorum singula totum volumen profanent atque inutile reddant. 1. *pellis immundæ bestiæ* 2. *mundi quidem animalis, sed non rite parata.* 3. *non hac intentione parata.* 4. *incompetente loco perscripta, v. g. pergamenum carnis, membrana pilorum situ.* 5. *exaratum in heterogoneis.* 6. *in corio.* 7. *absque lineato.* 8. *atramento evanido.* 9. *aliena lingua.* 10. *ab hæretico vel inepto* 11. *sine devotione numinis.* 12. *ubi literula deficit.* 13. *vel redundat.* 14. *aut vicinam tangit.* 15. *character est ambiguus, perversus, perforatus obliteratus.* 16. *nimis anguste vel late distant voces.* 17. *spacia parschanum erronea.* 18. *carmen ut prosa.* 19. *vel hæc instar illius.* 20. *debitis nervis non ligatum.* Audi vero, quid fiat de reprobatis exemplaribus: aut docent inde pueros: Thil. *cap.* 7. §. 11. אם כתב פתוחה סתומה או שירה כשאר הכתב אין בו קדושת ס״ת בלל אלא בחומש שמלמדין בה התינוקות: *Si paragraphum apertum pro clauso scripsit, vel carmen instar prosæ, nulla prorsus in eo sanctitas est, sed habetur ut pentateuchus, e quo parvulos instituunt.* Aut sepeliunt (49) cum hominibus probis. c. 10. v. 3. ס״ת שבלה או שנפסל נותנין אותו בכלי חרש וקוברין אצל תלמידי חכמים וזו היא גניזתו מטפחות שבלו עושין תכריכין למת: *Libros inveteratos vel profanatos includunt vasi testaceo & sepeliunt juxta studiosum sapientiæ. Et hæc ipsa est illorum remotio vel occultatio,* (de qua passim supra.) *E linteaminibus autem senio attritis faciunt involucra mortuo.* Aut denique comburunt, si ab (50) Hæretico scriptum sciant. Alphesi *pag.* 349. *b.* גרסי׳ בפ׳ השולח א׳ ר׳ נחמן נקיטינן ספר תורה שכתבו מין ישרף נמצא ביד מין או כתבו גוי יגנז: *legimus in c. Hasscholeach* (4. l. Talm. Gittin) *dixisse R. Nachman: librum, quem scripsit hæreticus, comburat: sed repertum in ejus manu, vel ab Ethinico scriptum, abscondat tantum,* (ut prius.)

Coronidis loco quæstionem ipsis moveo, an si hodie post repertam Typographiam, in pristinum locum & dignitatem restituerentur, non hoc labore scribendi supersedere possint, præsertim Rex illorum ad operas generosiores natus? non opinor: quia *Deus* mandata duplici scriptione hoc maximum egisse videtur, ut sic omnia menti altius imprimeret: quod sane unicum erat & præcipuum Regis Studium, Grammatica, sua Philosophia, suum Corpus (51) Juris, suæ omnis sapientiæ Pandectæ; ne quis in hoc Theoresua mate prolixiorem fuisse miretur, aut quicquam a Regis (52) officio alienum attulisse.

N O T Æ

In Theorema quintum.

(1) Diserte. Imo vero non adeo diserte hoc theorema asseritur in citato loco *Deut. XVII.* 18. cum dubium sit, quidnam ibi משנה תורה significet. Auctor quidem extra dubium ponit, intelligi *duplum legis*, h. e. duo legis exemplaria, secutus Maimonidem suum, qui ipse illud ex Talmudicorum doctrina hauserat. Sic enim in Massechet Sanhedrin, quam ad hunc Maimonidis locum R. Joseph Karo *in Cesepb mischne fol. CCLXXXVIII. col.* 3. allegat, cum Mischna de Rege dixisset: שכותב לו ספר תורה לשמו *quod sibi ipse librum Legis describere* teneatur, addit Gemara *fol. XXI. col.* 2. אמר רבא אף על פי שהניחו לו אבותיו לאדם ספר תורה מצוה לכתוב משלו שנאמר ועתה כתבו לכם את השירה איתיביה אביי וכותב לו ספר תורה לשמו שלא יהנאה בשל אחרים מלך אין הדיוט לא צריכא לשתי תורות וכותניא וכתב לו את משנה וגו׳ כותב לשמו שתי תורות אחת שהיא יוצאת ונכנסת עמו ואחת שמונחה לו בבית גנזיו: *Dixit Rabba: etiamsi a parentibus relictus sit cuipiam liber legis, jubetur tamen ipse describere, in illo* Deut. XXXI. 19. Nunc autem scribite vobis hoc Carmen. *Subjecit Abai: Et num Rex sibi scribet ipse librum legis, ut non utatur eo, quem ab aliis forte accepit?* (Beth Israel: בשל אבותיו *patrio?*) *Numquid Rex scribere tenetur, non item plebejus?* Resp. *Plebejus non habet opus gemino exemplari; at, uti traditione accepimus, quod de Rege dicitur* Deut. XVII. 18. Et scribet sibi Mischneh *&c. id exigit, ut duo legis exemplaria in suum usum scribat, unum, quod cum ipso exeat & redeat; alterum, quod in archivis repositum maneat.* Eadem excerpsit R. Simeon in *Jalkut Torah fol. CCLXXXV. col.* 2. & R. Jacob Aben Chabib *part. II. Beth. Isr. fol. CLIX. col.* 2. & hinc

tan-

tandem Jo. Coccejus *in excerpt. Gemar. Sanhedr. p.* 185. qui simul glossam ad ea Talmudicam annotavit : אילו הדי׳ הדיוט סגי ליה בחדא ומלך בעי תרתי : *si privatus esset, unus Codex sufficeret ; at Rex duplici opus habet :* quam porro illustrabit hic R. Bartenoræ Commentarius *fol. CLXXXV. col.* 1. כותב לו ספר תורה לשמו חוץ מן ספר תורה שחייב כל אדם מישראל להיות לו ספר תורה והוא מונח בבית גנזיו וספר תורה שכותב לשמו כשהוא מלך נכנס ויוצא עמו תמיד מיושב על השלחן : *Scribet sibi Rex ipse Legis librum, illum, ad quem unusquisque Israelitarum obstrictus est, ut librum legis habeat, quem quidem ille inter sua κειμήλια asservat reconditum ; at illud exemplar, quod ipse sibi describit, quatenus Rex est, perpetuo cum ipso egreditur, repositum supra mensam.* Conf. R. Salomo Jarchi *ad Deut. XVII.* 18. R. Sal. Aben Melech *in Michlal Jophi fol. XXXIX. col.* 2. Plane in eundem sensum H. Grotius *ad Deut. XVII.* 18. *Rex*, inquit, *totum Pentateuchum tenebatur describere, primum ut Israelita quivis, deinde iterum, ut Rex : ut sciret & in privatis & in publicis negotiis legem sibi sequendam*, Sequitur e nostratibus Danvverus *part. III. Lect. Catech. p.* 165. ubi משנה ibi *duplum* significare argumento probat, 1. ex vocis usu *Gen. XLIII.* 15. *Jer. V.* 18. 2. ex differentia, quia alias nihil peculiare præciperetur Regi, cum & reliqui Israelitæ tenerentur describere legem, *Deut. XVII.* 8. *XXXI.* 19. 3. ex testimonio R. Maimonidis a Schikardo nostro, ad quem provocat, memorato. Sed alii istud improbant, ac malunt de *Deuteronomio* interpretari, quod solum, non Pentateuchum universim, Regi describendum *Deus* præceperit, quia, ut Menochius exponit, est *quoddam Mosaicæ legis compendium*. Atque hoc proprie sonare משנה תורה *duplicem*, vel *duplicatam*, aut *secundam legem* ait Jo. de la Haye *in Bibl. Max. Paris. fol.* 431. quasi *legem iterate latam*, aut *secundo a Mose promulgatam & repetitam*. Et ita maxima pars interpretum, præsertim cum videant, & LXX. per τὸ δευτερονόμιον, & Vulgatum per *Deuteronomium legis*, & Lutherum per dis andere Gesetz reddidisse ; quos inter e nostratibus duumviri seculi nostri celeberrimi, Gerardus & Calovius uterque *ad h. l.* Nec inter Hebræos deest suffragium acutissimi R. Abarbanelis, qui diserte *Comment. in Legem fol.* CCCLXIX. *col.* 1. שלא יחשוב המלך שיהיה פטור מן התורה אבל ישתדל מאד ליראה את השם ית׳ ולבלתי סור מן המצוה ולכן צוהו הש״י שיכתוב לו את משנה התורה וידמה שיהיה ספר אלה הדברים שרוב גופי התורה תלויים בו והוא ספר קטן הכמות שיוכל להביאו כמו קמיע : *Ne forte*, inquit, *Rex putet, se esse Lege solutum ; sed operam det potius diligenter pietati, neque recedat a præceptis divinis ; idcirco mandavit ei* Deus, *ut sibi describeret* Mischneh Hatthorah, *quo mihi liber Mosis quintus intelligi videtur, quia pleraque legis substantialia comprehendit, & liber præterea quantitate exiguus est ut facile eum portare secum Rex possit, veluti pittacium*. Refert deinde e Codice Sanhedrin memoratam Talmudicorum sententiam, de binis legis exemplis, paulo explicatius, sed non approbat. Sunt vero tandem, quibus neutrum placet, videturque משנה idem esse, quod *exemplum novum*, sive ἀντίγραφον ex αὐτογράφῳ descriptum, quomodo Munsterus vertit : *describet sibi exemplar legis*. Similiter Termellio-Juniana *describat sibi exemplum hujus legis*. Id quod CL. Frischmuthus *lib. de Rege eligendo & deponendo §. XXXIV. & seqq.* luculentissime probat 1. ex nominis משנה etymologia ejusque ratione, siquidem radix שנה, cui hoc nomen ortum debet, inter alias etiam *iterandi* significationem habeat : hinc quia id, quod ex aliquo describitur, iteratur & denuo scribitur, ideo τὸ משנה pro *exemplo* inquit poni, ut משנה תורה ad verbum sit *iteratio legis*. 2. ex consensu R. Aben Esræ, qui נוסחה שנית *exemplum alterum* interpretatur. 3. ex auctoritate Chaldæi, qui pro משנה תורה habet פתשגן אוריתא *exemplar legis*. 4. ex loco parallelo *Jos. VIII.* 32. ubi Josua lapidibus inscripsisse dicitur משנה תורת משה *exemplum legis Mosaicæ*, non certe *duplum legis*, neque *Deuteronomion*, sed, quod cum Andr. Masio *ad h. l. Josuæ* affirmat & benedictionis & maledictionis formulam *Deut. XXVII.* memoratam ; quod tamen non sit ita accipiendum, quasi ea saltem lex, quæ Regem speciatim spectat, & *Deut. XVI.* 14. *usque ad finem Capitis* recensetur, describenda mandetur, sed totus universim pentateuchus confirmat. Cæterum sic comparata est hæc expositio, ut vix infringi queat, sed & præcedens de deuteronomio cum literæ, tum rei optime congruit ; quicquid sit, utra harum arripiatur, longe tutior fuerit, quam illa Talmudicorum traditio, cui noster inhæret, ab ipso R. Abarbanele, non postremo Hebræorum Doctore, ut vidimus, deserta.

(2) Licinius Cæsar. Auctor est Eutropius *in Histor. Rom.* qui addit, ipsum literas quoque & literatos, *virus & pestem publicam* appellasse, cum ipse fuerit pestis & abominatio orbis. Simili in literatos odio fuisse *Ludovicum XI. Regem Galliæ, Onuphrius*.

(3) Propria manu. Secutus nostrum est Ger. Jo. Vossius *lib. VI. Instit. Orator. c. IX. p.* 521. cum de memoria agit, & suadet, ut oratio scribatur, nam simul inscribi animo, dum chartæ inscribitur. *Qua ipsa de causa*, inquit, *Rex Hebræorum manu sua librum legis describebat, ut præcipitur Deut. XVII.* 18. *ac fusius enarrat R. Moses Maimonides, indeque Schickardus de regio jure*. Verum e sacro textu id non evinci, ostendit iterum Frischmuthius *loc. cit.* §. *XXXIII.* Nihil enim obstare, ait, quo minus τὸ *scribat sibi*, intelligatur moraliter, & idem sit, ac *describendum curet*, quo sensu Lutherus reddiderit : er soll es auff ein Buch schreiben lassen. Addimus, jam ante Lutherum id pridem observasse Nicolaum de Lira, qui illud *describet sibi*, exposuerat *faciet describi* ; quin & Arabem hoc modo transtulisse : *Scribendum curet*. De qua constructione confer Glassium *lib. III. Philol. Sac. tr. III. can. XXII. p.* 291. (587.) Quod tamen non inficiandi animo annotamus, modo de scriptione hac, Regia manu facta, aliunde constet ; saltem non probari satis ex hac lege dicimus, utut in se haud improbabile sit. Quam ad rem digna lectu sunt verba Philonis Judæi *lib. de Creatione Principis, non procul ab initio, fol.* 559. Opp. edit. Aurelianens. Sigismundi Gelasii An. 1613. Ἀφ' ἧς δ' ἂν ἡμέρας, inquit, παρέλθῃ τις ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, κελεύει τὴν ἐπινομίδα γράψαι αὐτοχειρίᾳ, κεφαλαιώδη τύπον περιέχουσαν ἁπάντων τῶν νόμων, βουλόμενος ἐγκολλᾶ τῇ ψυχῇ τὰ διατεταγμένα γενέσθαι· τῶν μὲν γὰρ ἀναγινωσκόντων ὑπορρεῖ τὰ νοήματα τῇ φορᾷ παρασυρόμενα· τῶν δὲ γραφόντων σχολὴν, ἐνσφραγίζεται, καὶ ἐνιδρύεται ταῖς διανοίαις ἐνδιαχωρίσης ἑκάστῳ, καὶ ἐπερειδούσης ἑαυτὴν, καὶ μὴ μεταβάσης ἐφ' ἕτερον, πρὶν ἢ περιδράξασθαι τοῦ προτέρου βεβαίως. *Mox post acceptam potestatem jubetur Rex deuteronomium, id est legum compendium describere manu propria, quo magis ea præcepta inhæreant animo. Nam legentibus elabuntur sententiæ, quod lectio moras non patitur ; qui autem scribit per ocium, imprimit & infigit menti singula fideliter, non in transcursu animadversa, sed cunctanter, non prius cogitationem transeunte ad sequentia, quam bene pensitatis, quæ præcesserant*. Et paulo post paucis interpositis : τί δὲ συμβήσεται, ἐὰν μὴ ἑτέρου γράμμασι καὶ ὑπομνήμασιν ὁ ἄρχων, ἀλλ' οἷς αὐτὸς ἔγραψεν ἐντυγχάνῃ· Τὰ γὰρ ἴδιά πως ἑκάστοις γνωριμώτερα, καὶ πρὸς ἀναλήψεις ἑτοιμότερα, καὶ ἄλλως ἀναγινώσκων, ἀναλογισμὸν ἕξει τοιοῦτον, ἐγὼ ταῦτ' ἔγραψα ὁ τοσοῦτος ἄρχων, μὴ προσχρησάμενος ὑπηρέτῃ ἑτέρῳ μυρίων ὄντων, ἆρα ὅπως βίβλον ἀποπληρώσω καθάπερ οἱ μισθῷ γράφοντες, ἢ οἱ γυμνάζοντες ὀφθαλμούς τε καὶ χεῖρας, τοὺς μὲν εἰς ὀξυωπίαν, τὰς δ', ἵνα ὦσιν ὀξυγράφοι· πόθεν οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ὅπως αὐτὰ ἐν βίβλῳ γράφων, εὐθὺς εἰς τὴν ψυχὴν μεταγράφω, καὶ ἐναπομάττωμαι τῇ διανοίᾳ θειοτέρους καὶ ἀνεκπλύτους χαρακτῆρας. Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι βασιλεῖς, βακτηρίας ἔχοντες σκηπτροφοροῦσιν· ἐμοὶ δὲ τὸ σκῆπτρον, ἡ βίβλος ἐστὶ τῆς ἐπινομίδος, καύχημα καὶ κλέος ἀνανταγώνιστον ἐπίσημον ἡγεμονίας ἀνεπιλήπτου, πρὸς ἀρχέτυπον τὴν Θεοῦ βασιλείαν ἀπεικονισθείσης. *Id*, pergit, *ita fiet, si Princeps evolvet a se non ab aliis scriptos commentarios. Nam libentius quodammodo agnoscet propria, sic secum cogitans : Ego tantus Princeps scripsi hæc, nullius usus opera, cum tot subditos habeam. Fortasse ut librum explerem literis, velut scribæ mercenarii ? aut oculorum acumen exercerem & celeritatem manuum, sicut notarii ? Nequaquam ; sed ut inter transcribendum in animam imprimerem, & menti divinos characteres inscriberem nunquam eluibiles. Ergo cum alii Reges sceptro utantur*

tur pro gestamine, michi pro sceptro erit hoc legum Compendium: hoc insigni gloriabor, hoc me invictum reddet & inculpabilem, summique Regis imitatorem.

(4) Vide infra *num. marginal XLI.* ubi similiter vocalium antiquitatem in dubium vocat.

(5) Hanc materiam. Addi omnino poterant R. Jacob ben Ascher in Arba Turim, *part. II. Jore dea, inde a Cap. CCLXX. & seqq. fol. LXV. seqq.* ejusque epitomator R. Joseph Karro *in Schulchan Aruch, iisdem parte & Capitibus*: qui & prolixius & luculentius R. Alphesio hanc materiam persequuntur. E Christianis de ea vide Josephum de Voisin *Observ. ad Proœm. Pugion. fid. f. 85. seqq.* qui potissimum R. Maimonidem excerpsit, & Jo. Leusdemium *Philol. Hebr. Diss. XXXIV. de Pentateuchis MSCtis*, qui hæc Schikardi nostri in compendium redegit. Ipse etiam Schikardus conferatur *in Bechinath happeruschim p. 10. seqq. in Dissert. de festo Purim p. 61.*

(6) Massichtæ Sopherim. Extat quidem hic Tractatus in Opere Talmudico, verum Talmudicam auctoritatem apud Judæos non obtinet, sed a recentioribus demum cum aliis id genus libellis, utilissima quædam præcepta succincte comprehendentibus est insertus: unde nec Buxtorfius *in recensione Operis Talmudici* eum commemorat, sed post indicem demum Alphabeticum librorum Talmudicorum, instar appendicis quasi attexuit *pag.* 250. Reperitur in Amstelodamensi Talmudis Babilonici editione sub finem partis IV. post Massechet *Avoda Sara*, & ante se habet Massechet *Avoth R. Nathan*, post se cæteros libellos Buxtorfio ibidem memoratos, quos *Pirke Avoth* cum *R. Maiemonidis Commentario* terminant. Libellus alias elegans est & facilis, viginti unius capitum, totusque agit de scriptione & lectione libri legis.

(7) Raf Alphes. Celeberrimi nominis Rabbi, σύγχρονος R. Salomonis Jarchii, qui fama illius motus, ut primum ipsius opera prodierant, ad scribendos in ea commentarios animum appulit, ipse inter suos æstimatissimus. Integro nomine vocatur *Rabbenu Isaac Alphes*, & communiter Hebræis audit ארון הקודש הרב הגדול ראש הלוג אריאל *Arca Sancta, magnus ille Doctor, Æchimalotarcha, Ariel*: ejusque liber, hic laudatus ab Auctore, אלפסי *Alphesi in Biblith. Rabb. p.* 312. & Plantavitius *Bibl. Rabb. num. LVII. f.* 554. Mortuus est בעיר אלוסינא *in Urbe Alvesina* Anno a creatione 4863. h. e. *Christi* 1103. biennio ante, quam Raschi moreretur, ipso Sabbathi die, XI. Mensis Jiar, (qui Aprili nostro respondet,) cum pridie, putat die X. illius mensis, celebratum fuisset solemne jejunium in memoriam arcæ fœderis a Philisthæis captæ, & mortui Eli Pontificis. Mortuo erexerunt Monumentum, cum inscriptione metrica, quam R. David Ganz *part. I. Zemach David fol. LIV. col. 1.* recensuit, & merito nos huc transcribimus, quia non ubivis obvia est, & sua se elegantia commendat.

כתבו בעט ברזל עלי שמיר
שבר אשר היה לזכרון
יכלו ימות עולם ויתחדש
אבלו לכל יבא לדור אחרון
אמרו בקבר זה מקור חכמה
נקבר ועולם בא בעורון
באו בני ציון ובמרירות
עליו תיילילו בשברון
כי חק ספוד ובכות עלי מקום
בו נשברו לוחות והארון

Hanc lapidis sepulchralis inscriptionem Latine solum profert Guil Vorstius *in sua Chronolog. Ganziane editione p. 133. & 134.* sed translatam, ut nos ejus viri misereſcat. Vix sibi a risu temperabit, quisquis eam versionem cum textu Hebræo fideliter hic transcripto contulerit, & erroris adeo enormis quasi πρῶτον ψεῦδος, quod facillime subolere licet, observarit. Nos ita verbatim reddimus:

Scribite stylo ferreo super adamanteo silice
Fracturam hanc, quæ sit in memoriam.
Deficient dies seculi; sed innovabitur
Luctus ejus apud omnem venturum ad generationem ultimam.
Dicite: in sepulchro hoc fons sapientia
Sepultus est; & mundus venit in cæcitatem.
Venite, filii Zion, & cum amaritudine
Super eum ejulate in contritione.
Nam decretus est planctus & fletus huic loco,
In quo confractæ sunt Tabulæ & arca.

Cæterum illius opera denuo typis elegantissimis edita sunt, cum Commentariis Raschi ex ejusdem Glossa Talmudica interpolatis, & concordantiis, quas vocant, marginalibus (מראה מקום) in forma quarta *Amstelodami* Anno 403. i. e. *Christi* 1643. apud *Immanuelem Benbenisti*, e cujus typographeo ipsum quoque opus, quo nos utimur, Talmudicum Babilonicum prodiit. In hac Alphesii editione præsens tractatus *Hilkoth Sepher Torah* habetur *part. I. fol. CCII. seq.*

(8) R. Moses F. Maym. De hujus vita, morte, auctoritate, scriptis, lege Buxtorfium *præf. ad librum More Nebochim ab ipso versum*, & Eduard. Procokium *præf. ad portam Mosis*. Cumque pleraque ex ejus Opere, quod *Mischne Tora*, inscripsit, & vulgo *Jad chasakah* nuncupatur, Auctor noster desumserit, notari cum primis meretur, quod in ejus laudem Cunæus *lib. I. de Republ. Hebr. c. II. p.* 11. 12. scripsit: *Est*, inquit, *in admiratione hominum scriptor maximus, Rabbi Moses ben Maimon, is, qui Talmudicam doctrinam sepositis nugamentis feliciter complexus est divino illo opere, quod ipse* משנה תורה *appellat. Nunquam ita magnifice quicquam de illo autore dicemus, quin id virtus superet ejus. Fato enim quodam & sorte nascendi primus solusque in illa gente recte intellexit, quid hoc sit, non ineptire. Sæpe nos in his libris eum luculentissimum testem citabimus.*

(9) Membrana. Vide Gv. Pancirollum *lib. II. rerum memorab. Tit. XIII. p.* 605. & ad hunc Henr. Salmuth. *p.* 630. 631. Cæterum quæ de Membrana ad legis scriptionem apta hic dicuntur tradidit consimiliter pluribus R. Jacob ben Ascher *in Arba turim, part. II. Jore Deah. c. CCLXXI f. LXV. col. 4. seqq. part. I. Orach Chajim c. XXXII. f. XI. col. 3. seqq.*

(10) Tres membranarum species. Eadem ex Maimonide refert Buxtorfius *Lex. Talm. Rabb. f.* 573. Porro in Mischna *Mass. Schabbas c. VIII. Misch. III. fol. LXXVIII. col.* 2. trium quidem membranarum specierum fit mentio, sed loco גויל nominatur generalius עור *pellis*, dum reus judicatur, qui in Sabbatho promit עור כדי לעשות קמיע דוכסוסטוס כדי לכתוב מזוזה קלף כדי לכתוב עליו פרשה קטנה שבתפילין וכו׳: Pellem (עור) *ad faciendum amuletum*: Corium (דוכסוסטוס) *ad scribendum Mesusa*: Pergamenum (קלף) *ad scribendum super eo sectionem minimam, quæ est in Thphillin, &c.*

(11) Uno continuo volumine. Nempe ex antiqua Hebræorum consuetudine libri veterum non solebant, instar nostrorum hodiernorum, ex multis foliis compaginari; sed ut Sixtus Senensis *lib. II. Bibl. S. f.* 92. eorum formam describit, habebant illi unum duntaxat folium, sive membranam oblongam, quæ circa cylindrum, sive axem ligneum circumvertebatur, instar lineæ telæ radio textorio circumvolutæ. Conf. Buxtorf. *Synag. Jud. c. IX. p.* 216. & in editione a filio aucta *c. XIV. p.* 284. Hottinger. *lib. I. Thes. Philol. c. II. f. III. p.* 100. Sixt. Amama *lib. III. Anti-Barb. Bibl. pag.* 491.

(12) Palmus. Vide Casp. Waserum *lib. 1. de antiq. Hebr. mensuris c. IV. p. 10. sqq.*

(13) בהן Iis. In meo exemplari (Venetiis anno 1574. impresso) pro בהן *iis*, explicatus legitur: בשאר מיני צבעונין או בזהב *cæteris colorum speciebus, aut etiam auro.*

(14) Neutiquam scribunt auro. Sic in specie de nominibus divinis Arba Turim *part.* II. *c.*CCLXXVI. *f.* LXVII. *col.* 1.: כתב האזכרות בזהב פסול *Si nomina Divina auro scripta fuerint, profanatus liber est*. Sumta autem hæc sunt ex Talmudis Gemara *Massech. Schabbath fol.* CIII. *col.* 3. שכתב שלא בדיו או שכתב את האזכרות בזהב הרי אלו יגנזו: *Si quis alio colore, quam atramento scripserit, aut scripserit nomina divina auro, ecce illos codices occultabunt.* Quem tamen locum R. Joseph Karo *in Ceseph Mischne, ad Hal. Tphillin f.* LXXIX. *col.* 4. sibi & Mai-

Maimonidi ipſe objicit, quaſi non promiſcue omnem ſcripturam, quæ aureis fiat literis, ſed nominum ſaltem divinorum illicitam pronunciet; ſed reſpondet, & verba hic a Schikardo ex Maſſichta Sopherim citata in ſubſidium vocat. Audiamus ipſummet: קשה׃ ותניא בחבונה כתב האזכרות בזהב יגנזו משמע דוקא אזכרות אבל כתב אותיות אחרות בזהב כשר וי״ל דה״ה לאותיות אחרות שכתבן בזהב פסול שהרי לא כתבן בדיו ואזכרות דנקט משום דס״ד שלרוב מעלמן ראויות ליכתב בזהב קמ״ל והכי משמע מדתניא במסכת סופרים פרקא קמא אין כותבין בזהב׃ *Difficile illud eſt*, (& R. Majemonidi auream ſcripturam ſimplicıter improbanti adverſum,) *quod traditur in Maſſech. Schabbas cap.* XII. Scripturam nominum divinorum auro factam occultabunt. *Senſus eſt:* Nominum divinorum præciſe; *at aliæ literæ auro legitime ſcribuntur. Enimvero dicendum eſt, parem eſſe cæterarum quoque literarum rationem, & quod earum etiam ſcriptura auro facta, ſit vitiata & illegitima, quia non ſcripſit ea quis atramento. Loquuntur autem* verba Gemaræ *de eo, qui nomina divina, quæ tenet, exiſtimat ob majeſtatem & excellentiam ſuam digna eſſe: quæ auro ſcribantur. Atque hunc ſenſum cognoſcimus ex traditione, quæ habetur in Maſſecheth Sopherim Capite primo:* Neutiquam ſcribunt auro. At vero Joſephus *lib.* XII. *Antiq. Judaic. c.* II. *fol.* 353. *edit. Græc. Froben.* narrat, exemplar Legis, ab Eleaſare Pontifice ad Regem Ptolemæum Philadelphum miſſum cum LXX. Senioribus, qui transferre eam debebant, *aureis literis* fuiſſe ſcriptum. Nam cum Ptolemæi ad Eleaſarum legationem, & literas, atque munera, quæ una miſerat; hujuſque viciſſim ad illum reſponſionem, & ἀντίδωρα, atque Seniorum Legem ſecum afferentium adventum, prolixe deſcripſiſſet, hæc de allato codice deque gaudio, cum quo Rex Seniores exceperit, ſubjungit: Ὡς δὲ παρῆλθον μετὰ καὶ τῶν δώρων οἱ γέροντες, ἃ τῷ βασιλεῖ κομίσαι ὁ ἀρχιερεὺς αὐτοῖς ἔδωκε, καὶ τῶν διφθερῶν, αἷς ἐγγεγραμμένους εἶχον τοὺς νόμους χρυσοῖς γράμμασιν, ἐπηρώτησεν αὐτοὺς περὶ τῶν βιβλίων. ὡς δ᾽ ἀποκαλύψαντες τῶν ἐνειλημάτων ἐπέδειξαν αὐτῷ, θαυμάσας ὁ βασιλεὺς τῆς ἰσχνότητος τοὺς ὑμένας, καὶ τῆς συμβολῆς τὸ ἀνεπίγνωστον, οὕτω γὰρ ἥρμοστο, καὶ τοῦτο ποιήσας χρόνῳ πλείονι, χάριν εἶπεν ἔχειν αὐτοῖς τε ἐλθοῦσι, καὶ μείζονα τῷ πέμψαντι, πρὸ δὲ πάντων τῷ θεῷ, οὗ τοὺς νόμους εἶναι συμβέβηκεν. *Ut vero ſenes illi venerunt cum muneribus a Pontifice miſſis, & cum membranis, quæ* Legem aureis literis inſcriptam *continebant, primum de libris eos rogavit. Ut vero ex involucris depromptos obtulerunt, multum diuque miratus membranæ ſubtilitatem, & commiſſuras, quæ ita latebant, ut viſu diſcerni non poſſent, gratias ſe illi habere dixit, qui venerint, & majores etiam ei, qui miſerit, ſed longe maximas* Deo *cujus leges attulerint, &c.* Fuiſſe hoc autem publicum quoddam, & ſacratius in Templo aſſervatum examplar, ex iis verbis haud obſcure colligitur, quibus Pontifex ſuas ad Regem reſponſorias, quaſi obſignabat: *fol.* 350. Ἐπιλέξαμεν δὴ καὶ πρεσβυτέρους ἄνδρας ἓξ ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης, οὓς πεπόμφαμεν ἔχοντας τὸν νόμον. ἔσται δὲ τῆς σῆς εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης τὸ, μεταγραφέντα τὸν νόμον εἰς ἡμᾶς ἀποπέμψαι μετὰ ἀσφαλείας τῶν κομιζόντων. *Delegimus ſenes per tribus presbyteros, quos ad te cum* Lege *miſimus: Tuæ autem pietatis erit ac juſtitiæ, ut tranſſcripta Lege* Eam tuto ad nos remitas, *una cum ejus deportatoribus*.

(15) Alia. Sunt & Judæis alia, quæ ad ſcriptionem inſtar atramenti alias uſurpant, qualia memorantur in illo Miſchnæ *Maſſ. Schabb. c. XII. Miſch. IV. fol. CIV. col.* 2. כתב בדיו בסם סיקרא בקומום ובקנקנתום ובכל דבר שהוא רושם׃ *Si quis* die Sabbathi *ſcripſerit atramento, auri pigimento, rubrica, gummi chalcantho, aut quacunque re, quæ ſignat*, reus eſt.

(16) Integritati textus. Arrige aures, Morine, voſque omnes cum ipſo, quotquot a Judæis corruptos clamatis fontes Hebræos! Morinus certe, qui operoſe hoc in Exercitationibus Biblicis, tota Exercitatione prima contendit, dum *Cap. II. inde a pag.* 13. *ſeqq.* a maxima Doctorum, quos vocat, Catholicorum parte oſtendit aſſeri, Judæos in Odium Chriſtianorum ſuos Codices depravaſſe, ingentem ſibi conſentientium farraginem conglomerat. Cæterum vel unus noſter Calovius *in Critico Sacro p.* 380. *ſeqq.* Lectori circa hanc materiam ſuffecerit.

(17) Codex in Ægypto. Ejuſdem Codicis ex hoc R. Majemonidis loco meminit R. Aſarias *part. III. libri Meor Henajim c. IX.* cujus verba cum adduxiſſet Morinus *Exerc. Bibl. I. c. II. p.* 28. ſuo more impugnat Conf. Hotting. *lib. I. Theſ. Philol. c. II. ſect. IV. p.* 107. & Schickardum noſtrum *in Bechinath happeruſchim p.* 52. Item Brianum Waltonum *in appar. Bibl. proleg. IV. num. IX. f.* 263.

(18) Unum qui a Jericho venerit. Verba Eliæ Levitæ, quibus hujus Codicis meminit, ſunt hæc: חומש יריחו מסתמא הוא חומש אחד מגיה בא מיריחו מדבר מעניין חסר ומלא כגון כי כל התועבות האל בחומש יריחו חסר ויו השנייה וכן ילידי הענק ב׳ בעניין ובחומש יריחו הראשון מלא והשני חסר׃ *Pentateuchus Jerichuntinus eſt exemplar legis correctiſſimum Jerichunte allatum, agens de vocibus defectivis & plenis. Citatur ad Levit. XVIII. 27. his verbis: In Codice Pentateuchi Jerichuntino deficit Vau poſterius. Sic ad Num. XIII. 22. bis citatur hoc modo: Et in exemplari Jerichuntino prius plenum eſt, poſterius defectivum*. Vide Hottinger. *loc. cit. p.* 108. 109. Walton. *l. c. num. XI. f.* 263.

(19) Alterum quem Hillel deſcripſit. Decantatiſſimus eſt hic Codex Hillenianus & maximæ apud Judæos auctoritatis, qui ejus paſſim meminerunt. R. Abrah. Sachuthus *in libr. Juchaſin f.* CXXXII. *col.* 1. בשנת תת״קנו היה שמד גדול במלכות ליאון ואז הוציאו משם ספר הארבעה ועשרים אשר נקרא הביבליא שכתב אותם ר׳. הלל ומשם היו מגיהים כל הספרים ואני ראיתי חלק מהם שנמכרו באפריקא ובזמני היה ט׳ מאות שנה שנכתבו והקמחי אמר בחלק הדקדוק כפסוק למען תזכרו שהחומש היה בטוליטולא׃ *Anno* 956. (qui annum *Chriſti* 1169. incidit, *magna fuit Judæorum perſecutio in Regno Lion, & tunc produxerunt Codicem viginti quatuor librorum, qui vocatur Biblia, quos deſcripſit R. Hillel, atque exinde emendare ſolebant omnia exemplaria. Vidi ego partem eorum, qui vendebantur in Africa. A tempore autem meo effluxerant anni nongenti, ex quo ſcripti erant. Kimchi in Grammatica ſua teſtatur, Pentateuchum ex hoc Codice Toletæ aſſervari*. Laudat hunc eundem locum Noſter *in Bechinath Happeruſch. p.* 51. item Cunæus *lib. I. de Rep. Hebr. c. XVIII. pag.* 159. Buxtorfius *part. II. de Punctorum antiq. & orig. c. VII. p.* 351. Hottingerus *lib.* 1. *Theſ. Philol. c. II. ſ. IV. p.* 106. Waltonus *in appar. Bibl. proleg. IV. n. VIII. ſ.* 262. 263. qui de hoc Codice omnino conſulendi, Buxtorfius præſertim, qui vocalium & accentuum notis diſtinctum fuiſſe demonſtrat, & ſtrenue vindicat adverſus Lud. Cappelli arroſiones, qualibus eundem Jo. Morinus quoque *Exerc. Bibl. I. c. II. p.* 29. conatus eſt lacerare, dum antiquitatem illius in dubium vocavit. Equidem Schikardus noſter MSCtum hoc Hilleli Babylonio tribuit, qui ſexaginta annis ante *Chriſti* nativitatem, centumque adeo circiter ante templi ultimi deſtructionem floruit; quod ante ipſum P. Cunæus *loc. cit.* ſimiliter jam aſſeruerat; Verum Buxtorfius cenſet, Hillelem hunc, non eſſe illum *Senem*, cujus in Talmude frequens fit mentio, ſed alterum *Hannaſi*, ſive *Principem* dictum, qui in Judæa circa annum *Chriſti* 340. floruit, & nepos fuit R. Jehudæ ſancti. Sic nihilominus veneranda eſſet Codicis hujus antiquitas, utpote jam, ſi haberetur, ante mille trecentos & triginta annos deſcripti. Alias de Hillele iſtoc Principe legi poterit R. Abr. Sachuth *in Juchaſin f. XC. col.* 1. & R. Dav. Ganz *in Zemach David parte I. fol. XLVI. col.* 2. *ſeqq.* quorum hic שלשלת היחוס מהלל עד הלל *genealogiam ab Hillele* illo Sene, *uſque ad Hillelem* hunc Principem, ſimul texuit, quam ex Auctore ipſo vel ideo huc judicamus transferendam, quod in Vorſtiana verſione, quæ manibus Studioſorum vulgo teritur, ſed mendis & vitiis tantopere ubivis ſcatet, ut nullibi fidem adhibere poſſis, generationes admodum trajectas & confuſas videamus. Sic autem ibi

הלל הזקן הבבלי *Hillel Senex Babylonius* quem R. Abarbanel *præfat. ſui Nachalath Aboth fol. IX. col.* 1. fuiſſe ait מזרע המלוכה ממשפחת בית דוד *ex ſemine Regio, e familia Domus Davidicæ*.

בנו רבן שמעון *Rabban Simeon filius ejus*, quem ſuſpicantur eundem eſſe, qui Jeſum puerulum ulnis excepit *Luc. II. verſ.* 25.

רבן גמליאל הזקן *Rabban Gamaliel Senex*, idem fortaſſe, qui inter diſcipulos ſuos Paulum Apoſtolum habuit *Act. XXII.* 3. laudatis inſuper *Actor. V.* 34.

רש״בג הנהרג *Rabban Simeon ben Gamaliel*, *Interfectus*, ſive *Martyr*. Ita dictus, quod primus eſſet inter decem illos celebriores Rabbinos a Romanis interfectos. Interfectus autem eſt a Tito Veſpaſiano, cum Jeroſolymas deſolaret, teſte R. Abarbanele *loc. cit.*

ר׳ גמליאל דיבנה *Rabban Gamaliel*, *Jabnenſis*, ſecundus hujus nominis, Maritus Sororis R. Elieſeris filii Hirkani, juxta R. Abarbanelem.

ר׳ שמעון השלשי *Rabban Simeon*, hujus nominis *tertius*: is cujus in Miſchna Talmudica toties fit mentio, והלכה כמותו *& cujus ſemper deciſiones valent*, certis illis, de quibus conſtat, exceptis, obſervante R. Sachutho *in Juchaſin f. LXVII. col.* 1.

ר׳ יהודה הנשיא *Rabbi Jehuda Princeps*, dictus vulgo *Rabbenu hakadoſch* i. e. *Sanctus*, & abſolute *Rabbi*. Auctor Miſchnæ Talmudicæ.

רבן גמליאל בנו *Rabban Gamaliel filius ejus*, tertius hujus nominis, qui Patre adhuc ſuperſtite principatum obtinuit.

רבי יהודה נשיאה *Rabbi Jehuda Princeps*, Doctor Gemaricus, a longævitate & conſtantia laudatus *in Juchaſin fol. XCIV. col.* 1.

הלל הנשיא בנו *Hillel Princeps filius ejus*, idem ille, cujus MSCtum hic laudatur.

Atque hic Hillel princeps, הזקן שדור עשירי מהלל *qui genarationem decimam conſtituit ab Hillele Sene*, a computo, quem juxta doctrinam Aſtronomicam Rab Adæ conſtituit, & hodienum Judæi in annorum ſupputatione R. Sachutus *in Juchaſin fol. XC. col.* 1. הלל הנשיא בנו של רבי יהודה נשיאה תקן העיבול על דרך תקופת רב ארא עד שיבוא משיח בן דוד והיה בזמן אבי׳ ורבה וכן כתב רבי שמעון דוראן בפירוש האזהרות והיה בשנת ת״רע לשטרות ואחריו לא היה בית דין עוד: *Hillel Princeps*, *filius Rabb Jehudæ Principis compoſuit computum annalem juxta doctrinam Aſtronomicam R. Adæ*, *uſui futuram*, *uſque dum veniat Meſſias filius Davidis. Floruit autem tempore Abai & Rabba*, *ſicuti ſcripſit R. Simeon Doran in commentario commonefactionum: id quod fuit anno* DCLXX. *æræ contractuum. Poſt ipſum autem non fuit amplius Synedrium*. Hoc ergo nomine commendatur etiam a Chriſtianis ab iis, qui myſterii Emboliſmi ſeu computi Judaici meminere, Joſeph. Scaligero *lib. VII. de Emendat. Tempor. fol.* 634. Jo. Seldeno *de Anno civili & Calend. Judaic. c. XVII. p.* 79. Samuele Petito *lib. III. Obſervat. c. III. p.* 263. qui poſtremus præ cæteris conſulatur. Nam toto illo capite *inde a p.* 261. *uſque ad p.* 309. tabulam iſthanc genealogicam e Zemach David productam doctiſſime exponit, cui uberius adhuc illuſtrandæ faciet collatio eorum, quæ R. Abarbanel *in præf. Nachalath Abbot. fol.* IX. *& ſeqq.* de Doctoribus Miſchnaicis, qui legem oralem propagarunt, conſignata reliquit.

(20) Hiatus. Videri merentur, de hac difficultate circa locum *Joſ.* XXI. 36. 37. mota, Glaſſius *lib.* I. *Philol. Sacr. tr.* 1. *p.* 60. *ſeq.* Hottinger. *lib.* I. *Theſ. Philol. c.* II. *q.* IV. *pag.* 181. *ſeq.*

(21) Hodiernos characteres. Nota, ſatiſque noſtro ævo inter Philologos ventilata controverſia, de genuinis literarum Hebraicarum characteribus. Cum enim gemina & ab invicem longe diverſiſſima earum figura monſtretur, *una*, qua hodie communiter Hebræa Biblia deſcripta & impreſſa ſunt; *altera*, qua Samaritani utuntur: in partes diſceſſum eſt, *quibuſdam* communem illam omnibus hodie ſub literarum Hebraicarum nomina tritam pro veteri illa, quæ & in tabulis Moſi tradita conſpicua, & inde ab eo tempore inter Judæos uſitata fuerit, habentibus; *aliis* contra aſſerentibus, Samaritanam eſſe primigeniam illam *Deo* in tabulis & Moſi ac reliquis Scriptoribus ſacris uſurpatam, quam Eſdras poſt reditum ex captivitate Babilonica mutarit, inque ejus locum illam, qua hodie utimur, ab Aſſyriis mutuatam ſubſtituerit. Utriuſque alphabeti characteres, ut figurarum diverſitas ad oculum pateat, hic apponimus:



Priorem igitur illam literarum figuram, qua hodie communiter Hebraice ſcripturi utimur, Judæis כתב מרובע *ſcriptura quadrata* dictam, genuinam atque primævam eſſe, defendit noſter, non hic ſolum, & in citata hic Diſſertatione ſua *de Nummis Hebræorum*, ſed & in *Bechinath happeruſchim p.* 82. *ſeqq.* conſentientibus viris doctiſſimis, Fabricio *Partic. Cod. Hebr. c. II. p.* 5. 6. Crineſio *de Confuſ. Ling. c.* II. *memb.* I. *p.* 18. *ſeqq.* Calovio *Critic. Sacr. pag.* 325. Bangio *Cæl. Orient. Exerc.* III. *integra*, *p.* 209. *ſeqq.* Fullero *lib.* IV. *Miſcell. Sacr. c.* IV. *p.* 429. Leuſdenio *Philol. Hebr. Diſſert.* XI. *&* XII. Vogelſangio *Exerc. Theol.* VII. *p.* 112. *ſeqq.* Waſmutho *vindic. Hebraic. Hebraiſmo reſtituto annexis c.* I. *ſect.* I. *p.* 35. *ſeqq.* & qui ante omnes merito nominandus erat, quod multo luculentius, quam quiſquam alius, *κατασκευαστικῶς* & *ἀνασκευαστικῶς* hoc egit, Buxtorfio *integra Diſſertatione*, quæ inter recens editas & quarta, *de Literarum Hebraicarum genuina antiquitate*. Contra vero Samaritanam pro antiqua & genuina habet cum Morino & aliis non dignis, qui nominentur, Ludovicus Capellus tum *in Arcano punctationis revelato ſine Auctoris nomine ab Erpenio* Lugduni Batavorum *edito*, tum *in diſſertatione de literis Hebræorum*, *Buxtorfianæ ex inſtituto oppoſita*. E quibus illud ſaltem ſuperſtite adhuc Auctore noſtro prodierat, in cujus gratiam, cum errata typographica ſub finem ſui hujus libelli annotaret, ſequentia haud reticenda duxit: Negavi, inquit, Samaritanos Characteres eſſe primævos Hebræorum. Quia vero Anonymus quidam Auctor, (quem ego conjecturis quibuſdam minime obſcuris, *Capellum Profeſſorem Salmurienſem* eſſe auguror, virum ſane judicii & doctrinæ non vulgaris,) in eruditiſſimo tractatu ſuo de *Punctis vocalibus Leydæ nuper edito fol.* 37. poſt *Hieronymum* & *Scaligerum* id affirmat; oppono diſſentientibus novum argumentum, ex itinerario R. Benjamin Tudelenſis, qui *p.* 40. ab experientia teſtatur, Samaritanos habere quidem multa ſacra cum Judæis communia, Sacerdotes de familia Aaronis, & adhuc ſua ætate (ante annos fere quingentos) ſacrificaſſe in monte Garizim, ſuper aram e lapidibus Jordanis conſtructam: ſed carere tribus literis ה ח ע quaſi ex totidem nominibus Patriarcharum, *Abraham*, *Iſaac* & *Jaycob* eliſis; unde quidam eos illorum filios genuinos eſſe negent. Quod ſi ergo his aſpirationibus carent, judicet Lector, an Pentateuchus olim ante Eſdram, ea ſcriptura exarari potuerit? quod illi contendunt. Idem Rabinus *pag.* 47. teſtatur, ſe Patriarcharum quoque monumenta in peregrinatione ſua vidiſſe, cum inſcriptione tali: *Sepulchrum Abrahæ* (*Iſaaci* vel *Jacobi*) *Patris noſtri*, *ſuper quem ſit pax &c.* addens, *literas fuiſſe legibiles*: ſi legibiles Judæis, ergo Hebraicæ, non Samaritanæ. Obierunt autem pluſquam mille annis ante Eſdram, & diu etiam ante ipſum Moſen: inde Lector æſtimet illius ſæculi ſcripturam. Hæc Schikardus, quæ ex addendis in priori editione, hic ſuo loco merito inſerenda erant. Qui quidem ſi diutius vixiſſet, & quæ tractatui huic Cappellano accuratiſſime oppoſuit Buxtorfius, quæque porro adverſus veritatem Hebraicam Cappellus poſtea diſputavit, ab eodem viciſſim Buxtorfio vindicata, vidiſſet, non modo hanc veram literarum antiquitatem propugnaſſet acrius, ſed forte a ſententia quoque ſua de punctorum novitate, quam iterata vice mox prodit, receſſiſſet, & ſibi ab iſta laude cum arcani revelati, tum ejus auctoris revelatoris, quem bene hariolatus eſt, temperaſſet. Quanquam vero argumentum hoc ex R. Benjaminis itinerario extructum parum roboris habet; ſive enim omnem ejus fidem elevemus, quod in genere facit ipſe ejus celeberrimus interpres Conſtant. L'Empereur *præfat.* ad

ad illud, cavendo, ne fides ei in omnibus habeatur, & amicissimus nobis Spizelius in doctissimo sane libello *de Israelitis Americanis pag.* 2. inter mendacissima aliorum erronum itineraria hoc Tudelensis etiam referre non dubitat, atque idcirco *pag.* 27. *& seqq.* inter eum & Montezinum *σύγκρισιν* & collationem instituit manifestissimam; in specie vero circa trium horum elementorum ע ח ה defectum aperti mendacii & Sycophantiæ arguit Seldenus *in præfat. ad Marmora Arundelliana*, & ante eum Josephus Scaliger cum *lib. VI. de Emendat. Temp. fol.* 662. tum *in Elench. trihæresi Nic. Serarii c. XVI. p.* 116. (287.) *Nam ipsi*, inquit Scaliger, *sua manu & totum Alphabetum nobis descripserunt, & nomina Patriarcharum iisdem literis ad nos miserunt*: Sive concedamus ei suo modo hoc assertum, cum Hottingero *Exerc. Antimorin. num. XXXI. p.* 38. qui fundamento non carere putat: *Etsi enim*, inquit, *vel maxime larga demus manu, his literis ubique scatere Samaritanorum codices; vix tamen, quod periculum facienti clarum erit, major per universum contextum Mosaicum Samaritanorum confusio est, ea, quam literæ* ה, ח, *&* ע, *vicariam sibi præstantes operam, pariumt, ut vel inde evinci queat, Samaritanis, utut illi habuerint κτίσει τὸ ὄν, i. e. trium horum elementorum figuras, semper tamen defuisse legitima χρήσει τὸ ποῖον, i. e. eorundem legitimam pronunciationem & scriptionem*: quod exemplis manifestius reddit; nihil profecto hic contra Cappellum obtinebit noster. Sunt tamen interim alia, quæ genuinam quadratæ literaturæ antiquitatem sufficienter adstruunt. Et ne de testimoniis Veterum Hebræorum dicamus, quæ in dissertatione sua Buxtorfius justa serie produxit, consensum asserens *Mischnaicorum*, qui omnium sunt antiquissimi, & *Gemaricorum*, & Interpolatorum, quos *Baale Tosephos* appellant, & *Geonæorum*, & *Cabbalistarum*, quos *recentiores Judæi* omnes (præter unum R. Josephum Albo) sequuntur adeo ut R. Jacob in Beth Israel *in Megilla c. I.* scribat: כולי עלמא חורו שהלוחות וספר תורה שבארון נכתבו באותו כתב אשורי: *Totus mundus fatetur, tabulas & librum legis, qui in arca fuit, scriptura Assyriaca*, h. e. quadrata; rationes ut numero plurimæ, sic pondere gravissimæ sumuntur 1. a *quinque literis duplicibus* מ נ צ פ ך, quæ in fine dictionis aliter pinguntur, quam in medio & ab initio, quod adeo religiose & accurate in Codice Biblico observatum ut non nisi semel mem finale in medio *Jesa. IX.* 7. & mem initiale ac medianum in fine *Neh. II.* 14. scriptum sit, idque fatentibus tantum non omnibus cum Judæis, tum Christianis, mysterii causa: atqui duplicem harum literarum figuram Samaritani ignorant. 2. *a litera Jod*, quam *Christus*, minimam Alphabethi literam nominare cupiens, non perituram ex lege inquit *Matth. V.* 18. Illud ergo erit genuinum Sacræ Hebraicæ Scripturæ alphabetum, quod literam *Jod* omnium minimam agnoscit: atqui non Samaritanum, sed quadratum nostrum, *Jod* minimam inter literas exhibet. 3. a *nomine literæ Vau*, quod *uncinum* notat. Illud ergo *Vau* genuinum & vere Hebræum erit, quod uncinum repræsentat: atqui non Samaritanum, sed nostrum *Vau* figuram uncini imitatur. 4. a *qualitate & forma characterum*, cum quadratorum, tum Samaritanorum, quorum illi longe simpliciores & faciliores sunt, quam isti, siquidem *quadrata, literarum pictura*, (quæ verba nostri Schickardi sunt in ב"ח *p.* 82.) *sibi constans, æquabilis, & in decoram lineam coagmentabilis, vocis insuper formatricum organorum dispositionem quodammodo referens, adeoque ipso aspectu reconditam Majestatem quandam præ se ferens*; Samaritana contra *hiulca, deformis, aspera, operosa, & exaratu difficilis, adeoque, ut ex omnibus circumstantiis apparet, factitata sit*. 5. *a pertinaci Judæorum indole*, qui nunquam passi fuissent, veras sibi literas, quibus & a *Deo* decalogus & a prophetis libri sacri scripti essent, sibi eripi, cumque aliis permutari. 6. a *Zelo* Esdræ & Collegarum ejus Malachiæ, Haggæi, Zachariæ, cæterorumque piorum, quos non credibile est, literas ab ipso *Deo* acceptas abjecisse, & cum humanis, imo gentilibus literis commutasse.

(22) Arabice. Constans codicum est lectio עברית *Hebraice* non ערבית *Arabice*, neque ullum subest mendum. Vocatur enim tum hic, tum alibi in Rabbinorum Talmudicorum scriptis כתב עברי *Scriptura Hebræa*, ea, qua hadie Samaritani utuntur, quæque olim erat scriptura Hebræorum חול *profana*, contradistincta כתב הקדש *Scripturæ, sanctæ*, hoc est, qua in sacris utebantur, illi nimirum scripturæ, quæ alias ab iis vocatur אשורי *Assyriaca*, & est quadrata illa, qua hodie exscriptos & impressos sacros Codices videmus. Sensus ergo auctoritas anonymi tractatus Sopherim hic est: non scribendam esse legem עברית *Hebraice*, i. e. profanis illis Samaritanorum literis. neque ארמית *Syre*, neque מדית *Mede* neque יונית *Græce*; sed tantum אשורית *Assyriace*, h. e. ut recte ipse Auctor explicat, literis quadratis. Cur autem sancta literatura כתב אשורי *Scriptura Assyriaca*, & profana עברית *Hebraica* dicatur? hoc expositum videas a Buxtorfio *Diss.* IV. *de literar. Hebraic. Antiquitate*, §. 50. *p.* 219. 220. ubi de עברית, & §. 68. *p.* 235. *seqq.* ubi de אשורית.

(23) Hexaplis Origenis. Hexapla vocabantur Græca volumina, in quorum singulis paginis sex columnæ disponebantur. Harum *prima* habebat contextum Scripturæ Sacræ Hebraicum & Hebraicis literis descriptum, *Secunda* contextum Hebraicum Græcis literis e regione exaratum, propter illos, qui Hebraica legere nesciebant: atque hanc respicit hic noster Auctor. *Tertia* Aquilæ versionem continebat. *Quarta* Symmachi translationem. *Quinta* septuaginta duorum editionem. *Sexta* Theodotionis. Præter hæc erant & *Octapla*, in quibus octo columnæ sic digestæ, ut in sex primis haberentur sex illæ in hexaplis comprehensæ editiones, in *septima* quinta Græca editio ab Origene in Jerico inventa, & in *Octava* tandem sexta Græca ab eodem Origine in litore Actiatico reperta. Sicuti hæc commemorat Sixtus Senensis *lib.* III. *Biblioth. Sanct. p.* 181. ubi etiam de *Tetraplis* aliquid invenies. Deplorandum vero est, tanti laboris, nec minoris utilitatis opus, magno Ecclesiæ damno, injuria temporum, & Græcorum sive negligentia, sive miseria & persecutione, quam toties passi sunt, periisse. Nihil enim de iis hodie possidemus præter fragmenta a viris doctis hinc inde collecta, laudemque adeo meretur insignis labor & industria Jo. Drusii, qui *Veterum Græcorum Interpretum in totum Vet. Test. Fragmenta* collegit, vertit, notisque necessariis illustravit, post ejus demum obitum uno volumine edita *Arnhemii Anno* 1622. ab ejus discipulo & successore Sixtino Amama, cujus præfatio operi præmissa, (cui duæ Drusii Epistolæ, quæ de singulis versionibus in Hexaplis & Octaplis occurrentibus ex instituto agunt, insertæ sunt,) de ipso illo Origeniano thesauro plenius instruet. Conferatur etiam Jo. Wovverius *in Syntagm. de Græc. & Lat. Biblior. interpr. c.* X. *p.* 79. *seqq.* Dan. Heinsius *in Aristarcho cap.* X. *f.* 796. Brianus Waltonus *in Appar. Biblic. proleg.* IV. *de Biblior. edition. paragr.* 13. *fol.* 264. *proleg.* IX. §. 21. *fol.* 327. *edit. Tigurin.*

(24) Quinque senes. Videtur hæc descriptio non Hebraica græcis literis facta fuisse, quod hic tamen supponitur: quorsum enim illa Regi Hebraicæ linguæ ignaro, & ipsum verbum להתרגם translationem ex una lingua in aliam innuit. Locus ergo hic ex Sopherim plane *ἀπροσδιονύσως* adducitur. Quæ autem & qualis hæc translatio sit Ptolemæo a quinque senibus adornata, quæ Versioni LXXII. Seniorum, de qua *in sequenti halacha* VIII. *Capitis* I. *Sopherim* seorsim sive historia sive fabula de distinctis eorum cellulis sequitur, contradistincta sit, ipse noster *in Bechinath happeruschim p.* 43. fatetur, se non satis assequi, atque Historicis dispiciendum relinquit, an bis hæc acciderint, aliave ratione conciliari queant Conciliare nititur R. Asarias *in Meor Henajim c.* VIII. dum commemoratis Aquilæ, Symmachi, Theodotionis versionibus subjungit: אולי לשלשת הזקנים האלה רמז בעל מסכת הסופרים פרק א׳ באמרו מעשה בחמשה זקנים: *Fortasse ad tres Senes illos respicit Auctor Massecheth Sopherim Capite I. istis verbis: Historia de quinque Senioribus*. Hunc secutus Jo. Morinus *lib.* I. *Exerc.* VIII. *cap.* II. *p.* 365. 366. cum & is eadem ex tractatu Sopherim adduxisset, non putat saltem, sed certum esse statuit, quinque seniorum mentione ad quinque versio-

ſiones Græcas alludi, quas omnes in Octaplis cum LXXII. ſeniorum translatione collegerat Origenes, nempe Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, quintam & ſextam his ſolis nominibus, qui anonymi auctoris erant, diſtinctas. In eo autem addit craſtiſſimam committi *ἀνιςορησίαν*, (qualis Judæis in profana cum primis hiſtoria cœcutientibus ſolennis eſt,) quod quinque verſiones in unam confuderint, & temporum præterea ordinem ſuſque deque habuerint: referunt enim ad Ptolemæum, quæ quadringentis aut quingentis poſt ipſum annis facta ſunt. Sed vereor, ut conjectura hæc accuratum examen ſuſtineat. Habet aliqua in hanc rem Hottingerus *lib.* I. *Theſ. Philol. c.* III. *ſect.* 3. *p.* 290. 291. qui videatur.

(25) Gravis habita. Idem communiter in ſcriptis Rabbinorum de Verſione Græca in Ptolemæi gratiam adornata occurrit; imo vulgaribus Judæorum Calendariis, quale Seldenus *lib. de Anno Civili Veterum Judæorum c.* VII. *p.* 34. *ſeqq.* poſt Scaligerum *lib.* I. *Canon. Iſagog. fol.* 41. *ſeqq.* exhibet, ad diem VIII. menſis Tebeth, (qui noſtro Decembri reſpondet,) numeris miniatis denotandam ſolennitatem ſignatum obſervatur, eum ſolemni deſtinatum eſſe jejunio ob legem Græce ſcriptam diebus Ptolemæi. Et quamvis R. Maimonides *in Hilkoth Taanijoth*, cum ſuæ gentis jejunia recenſet, nullam omnino hujus jejunii mentionem ingerat, diſerte tamen tum in Megillath Taanith *circa finem fol. L. col.* 2. *edit. Baſil.* 1578. tum in Arba Turim *part.* 1. *Orach. Chajim cap. DLXXX. fol. C. col.* 3. verbis utrobique iiſdem edicitur: בשמונה בטבת נכתבה התורה יונית בימי תלמי המלך והחשך בא לעולם שלשה ימום: *Die VIII. menſis Tebeth ſcripta eſt Lex Græce diebus Ptolemæi Regis, & tenebræ venerunt in mundum tribus diebus.* Unde nec Joſeph. Scaliger *lib. VII. de Emend. Tempor. fol.* 651. in indice ימי תעניות *dierum* ubi vertit *angariarum* jejunium propter Legis translationem Græcam inſtitutum præteriit, ac fuſius de eodem egit *in Animadverſ. ad Chronolog. Euſebii, num. MDCCXXXIV. ſ.* 124. uti & *l. III. Canon. Iſagog. ſ.* 216. cum quibus conferatur ea, quæ Jo. Morinus *lib. I. Exerc. XIII. toto Capite III. p.* 368. annotavit. Res eſt, quæ diligentiori inquiſitione opus habet. De triduanis ſaltem tenebris monemus, eas non proprie & ad literam intellectas velle Judæos, quod vir quidam celeberrimus & de his literis alias, deque nobis ipſis optime meritus, cum eandem hanc materiam ex profeſſo perſequitur, *in Diſſert. de LXX. v.* §. 21. putabat; ſed de jejunio totum triduum continuato, שהושחרו יהודים ועשו תעניות ותפילות כמו שעשו בימי המן: *quo obnubilata eſt facies Judæorum, & fecerunt jejunia & preces, prout fecerunt tempore Hamani, Eſth. IV.* 16. exponente R. Gedalia ben Jechaja *in ſchalcheleth hakkabbala fol. XXIV. col.* 1. Conf. Dn. D. Geier *Conformit. Judeo-Papiſt. in Loco de Script. S.* §. *XXXVII. p.* 13.

(26) Inter ſimiles accurate diſtinguendum. Vide Hottinger. *in Exerc. Anti-Morinian. num. XL. pag.* 44.

(27) Grandiores, minutiores. Præter Buxtorfium hic citatum (cujus locus in Tiberiade habetur *lib. I.* qui eſt Commentarius Maſorethicus *cap. XIV. & XV. ſ.* 36. *ſeqq.*) de literis majuſculis & minuſculis aliiſque id genus in Scriptura occurrentibus atque hic memoratis egerunt quoque Hotting. *lib. I. Theſ. Philol. c.* 2. *ſect.* 4. *p.* 401. Leuſden. *Philol. Hebr. Diſſert.* XXII. *p.* 254. 255. *edit. noviſſ.* Terentius *triad. altera Meditat. Philol. Hebr. integra diſſert. II. p.* 75. *ſeqq.* Voiſin *Obſerv. ad proœm. Pugion. ſ.* 90.

(28) Nihil tale. Ita eſt profecto, carent Manuſcripta Legis, quibus in Synagogis utuntur tanquam ſanctioribuus, vocalium & accentuum punctis, quin imo ספר התורה המנוקד *librum legis punctatum* plane pronunciant פסול *profanum*. R. Jacob ben Aſcher *in ore deah cap. CCLXXIV. ſ. LXVI. col.* 3. ספר המנוקד פסול ואפילו הסירו ממנו הניקוד: *Liber punctatus profanus eſt, ſi maxime iterum eraſerint ex eo puncta.* Ratione autem, cur ſine punctis hoc ſacrum exemplar ſcribi velint, latiſſime expoſuit Buxtorfius *part. I. de punctor. antiquit. & Origine c.* IV. *pag.* 40. *ſeqq.* cui adde Joſ. de Voiſin *loc. cit. fol.* 91. *ſeqq.*

(29) Vocalium antiquitatem. Nullius roboris eſſe hoc Auctoris noſtri argumentum, quod contra antiquitatem punctorum vocalium & accentuum ex Manuſcriptis Legis in Judæorum Synagogis aſſervatis deſumit, ad oculum monſtravit Buxtorfius *loc. cit. p.* 49. *ſeq.* neque dubium quin, ſi beatus vir diutius vixiſſet, & ea, quæ toto illo aureo tractatu de punctorum Antiquitate & origine Buxtorfius accuratiſſime demonſtravit, legiſſet hanc ſuam de novitate punctorum opinionem, quam & ſupra *pag.* 87. jam prodidit, quæque illo tempore nondum ita ventilata erat, fuiſſet mutaturus. Cæterum non eſt hujus loci, vel hiſtoriam, vel momentum certaminis illius exponere. Fecimus id pridem alibi. Adſcribam tamen verba Jo. Ligtfooti e *Centuria Chorographica c. LXXXI. p.* 146. 147. quia digniſſima ſunt lectu: *Sunt*, inquit, *qui punctata Biblia Sacra credunt a Sapientibus Tiberienſibus. Ego impudentiam Judæorum qui fabulam invenerunt, non miror; Chriſtianorum credulitatem miror, qui applaudunt. Recognoſce, quæſo, nomina Tiberienſium, a ſita illic primum Academia: ad eam exſpirantem: & quidnam tandem invenis, niſi genus hominum, præ Phariſaiſmo inſaniens, traditionibus faſcinans & faſcinatum, cœcum, vafrum, delirum, ignoſcant, ſi dicam magicum & monſtroſum? ad opus tam divinum homines quam ineptos! quam impotes! quam ſtolidos! Perlege Talmud Jeroſolymitanum, & nota, qualiter illic ſe habeant R. Juda, R. Chaninah, R. Judan, R. Hoshaja, & Chajia Rabba, R. Chaibar Ba, & Jochanan, R. Jonathan, reliquique inter Tiberienſes grandiſſimi Doctores, quam ſerie nihil agant, quam pueriliter ſeria, quanta in ipſorum diſputationibus vafrities, ſpuma, venenum, fumus, nihil & ſi punctata fuiſſe Biblia in iſtiuſmodi ſchola potes credere; crede & omnia Talmudica. Opus Spiritus Sancti ſapit punctatio Bibliorum, non opus hominum perditorum, excæcatorum, amentium.*

(30) Extraordinaria quædam puncta. Pauca ſunt in univerſo Codice Biblico exempla, nempe decem voces in Lege, quatuor in Prophetis, & una in Hagiographis. In lege ſunt וביניך *Gen. XVI.* 5. אליו *Gen. XVIII.* 9. ובקומה *Gen. XIX.* 33. וישקהו *Gen. XXXIII.* 4. את־צאן *Gen. XXXVII.* 12. ואהרן *Num. III.* 39. רחקה *Num. IX.* 10. אשר *Num. XXI.* 30. ועשרון *Num. XXIX.* 15. לנו ולבנינו *Deut. XXIX.* 29. In Prophetis יצא 2. *Sam. XIX.* 19. ההיכל *Ezech. XLI.* 20. המה *Jeſ. XLIV.* 9. מהקצעות *Ezech. XLVI.* 22. In Hagiographis לולא *Pſal. XLVII.* 23. De his in genere R. Bechai *in Legem fol. XLVI. col.* 4. כל תיבה שהיא נקודה בכל הכתובים הצנוך להתעוררות לבד: *Omnis dictio, quæ punctata*, puncto ejuſmodi extraordinario, *in tota Scriptura, indicat aliquid peculiare.* Unde Joſeph de Voiſin *Obſerv. ad proœm. pag. ſ.* 90. אותיות הנקודות *literas punctatas* vertit, *non vocalium notis, ſed ſymbolicis.* At quid in ſpecie in ſingulis dictionibus valeant hæc puncta, cum *in Theſauro loco ab Auctore citato*, tum in primis Tiberiade *part. I. cap. XVII. ſ.* 42. *ſeqq.* expoſuit Buxtorfius Pater. Cujus & Filium confer *part. II. de Punct. antiq. c. XV. p.* 433. *& ſeqq.*

(31) Tagin. Nota fabula Judæorum de hiſce coronamentis, quibus *Deum* literas exornantem offenderit Moſes, cum ad eum in montem adſcenderet. Multa de iis Arba Turim quoque *part. II. Jore deah cap. CCLXXIV. fol. LXVI. col.* 3. 4. ubi inter alia hæc leguntur, quibus ab Auctore ex R. Alpheſio allata illuſtrantur: ז׳ אותיות שצריכות זיין ואלו הן שעטנז ג״ץ בכל מקום שיבא אחת מאלו צריך לעשות לה ג׳ זיונין אחת מימין ואחת משמאל ואחת למעלה: *Coronulis exornet* (legem deſcripturus) *literas, quæ coronatione opus habent, has nempe* ש׳ ע׳ ט׳ נ׳ ז׳ ג׳ צ׳ *Ubicunque earum aliqua occurrit, neceſſe eſt tribus exornetur apicibus, ſive coronulis, una ad dextram, altera ad ſiniſtram, & tertia ſuperne.* Similia habentur in Talmude Maſſecheth Menachoth *cap. II. fol. XXIX. col.* 2. Confer, quæ noſter obſervavit *libello Purim p.* 63.

(32) At juxta Doctorem Tom. Non videtur mentem marginalis hujus gloſſæ noſter aſſecutus eſſe, unde ſeſe tot coactis interpretationibus, verſioni huic ſuæ intermixtis, tantopere torquet. Non enim nova & ſingularis, uti putat, opinio priori modo

modo memoratæ oppoſita recenſetur, ſed exceptio a regula a Maimonide tradita. Itaque ſic Hebraica transferenda ſunt: *At* בשם *de nomine divino, obſervat Doctor noſter Tom, quod non liceat vel unicam literam de eo extra lineam ad marginem ſcribere*. Id ita eſſe, patet ex Arba Turim *Jore deah. c.* CCLXXXI. *fol. LVII. col.* 2. ubi, cum de nominis divini ſcriptura agitur, expreſſe inter alia: צריך שיהיו כל אותיות השם בתוך הדף ולא יצא כלל חוץ לדף: *Neceſſe eſt, ut omnes literæ nominis Divini intra columnam ponantur, neque ulla omnino earum extra columnam progrediatur.*

(33) Nomina Dei. Arba Turim *in Jore deah*, toto *Capite CCLXXVI. f. LXVII. col.* 1. *&* 2. agit de ſcriptura nominum Divinorum. Ibi, initio ſtatim capitis, quæ hic ex Alpheſio, Maimonide & tractatu Sopherim particulatim afferuntur, junctim recenſentur paulo plenius atque explicatius: אף על פי שאומר בתחילת הספר שכותב לשם קדושת ספר תורה בכל פעם שכותב שם צריך לחשוב שכותב לשם קדושת השם ואם לא עשה כן פסול ואפילו המלך שואל בשלומו כשכתב השם לא ישיבנו. היה לו לכתוב שנים זה אחר זה יפסיק ביניהם וישב. כשטובל הקולמוס לכתוב השם לא יתחיל מיד בשם לכתוב שמא יהיה עליו רבוי דיו ולא יצא הכתב מיושר אלא יכוין שוטבלנו בתבה שלפניו: *Etiamſi quis jam initio, cum ad ſcribendam legem animum applicaret, dixerit, ſe propter ſanctitatem libri legis ſcribere, tamen toties, quoties ſcribendum occurrit nomen* Dei, *neceſſe eſt, ut denuo cogitet, ſe nunc quoque propter ſanctitatem nominis divini ſcribere: quod ſi intermiſerit, profanatur liber. Et ſi vel maxime Rex ipſe ſcriptorem ſalutet, dum in ſcribendo nomine divino occupatur, non reſpondebit ei. Quod ſi duo nomina divina continuo ſe conſequantur ſcribenda, inter illa quieſcat, & reſpondeat. Ubi quis calamum intinxerit ad ſcribendum nomen* Dei, *ne incipiat ſtatim ſcribere hoc nomen, ne forte plus atramenti inſit calamo, atque ita ſcriptura non conveniens prodeat, ſed in litera, quæ proxime præceſſit,* (ut ut jam ſcripta ſit) *calamum intinctum prius probet*. Quæ hic initio de ſcriptoris intentione dicuntur reſpiciunt ea, quæ *cap.* CCLXXIV. *fol. LXVI. col.* 3. præceſſerant: צריך שיאמר הסופר כשיתחיל לכתוב ספר זה אני כותב לשם קדושת ספר תורה ומספיק לכל הספר ואם לא עשה כן פסול: *Neceſſe eſt, ut legem deſcripturus, quam primum ſcribere incipit, dicat: Hunc librum ego ſcribam propter ſanctitatem libri legis, & abſolvam totum hunc librum. Quod ſi non fecerit illud, profanatur liber.* De quo ſcriptoris animo ad ſcriptionem ſimul afferendo, & prius explicando, quam calamus applicetur, mirum nihil prorſus Auctorem noſtrum monuiſſe. Cæterum fundantur hæc in Gemara Babilonica Maſſech. Gittin. *Cap. V. fol. LIV. col.* 2.

(34) Prius quam Duo &c. Dormitaſſe hic videtur Homerus noſter. Locum integrum ſic verto: *Si* Dei *nomen ſcribentem vel Rex aliquis ſalutet, non reſpondeat ei*. Si rex ſalutet *ſcribentem duo vel tria nomina divina inſtar unius conjuncta*, (v. g. יהוה אלהי צבאות Dominus Deus Zebaoth,) *deſiſtat inter illa & reſpondeat*, i. e. abſoluta unius nominis ſcriptura gratias Regi agere licet, antequam ſecundum, vel ſi inter ſcribendum hoc ſecundum a Rege fuiſſet ſalutatus tertium nomen divinum inchoetur. Ubi ſimul obſervo Maimonidem, dum *loco ab Auctore citato, fol. m. LXXX. col.* 2. eadem iiſdem prope verbis tradit, pro eo, quod in Maſſ. Sopherim & in Arba Turim indefinite dicitur המלך *Rex*, ſubſtituiſſe מלך ישראל *Rex Iſrael*; utpote quem ſolum hic *Regis* nomine intelligendum ad R. Maimonidem *ibid.* monet Ceſeph Miſchne: מלך ישראל לומר שאם הוא מלך כותי ישיבנו כדי שלא יהרגנו: *Notanter ait*, Rex Iſrael, *vult enim innuere, quod, ſi Rex quidam Ethnicus aut Chriſtianus ſit, reſpondere ſtatim liceat* inter ſcribendum, *ne ſcriptorem* non reſpondentem *interficiat*; id quod a Rege Iſrael legis cum gnaro, tum obſervante non metuendum.

(35) Peculiari Ratione. Hanc clarius deſcripſit R. Jacob ben Aſcher in Arba Turim, *Jore deah* cap. CCLXXV. *fol.* LXVII. *col.* 1. צריך ליזהר בשירות שלא לעשותם בשאר הכתב שאם כתב כשאר הכתב או כתב שאר הכתב כמותם פסולה ומיהו נראה דוקא שכתב השירה כשאר הכתב בלא פיזור אבל שינה בפיזור ממה שנהגו לא פסל ובלבד שיהא אריח על גבי לבינם: *Neceſſario attendendum eſt circa cantica, ne ſcriptura eorum inſtar reliquæ ſcripturæ ordinetur. Nam ſi quis illa ſcribat inſtar reliquæ ſcripturæ, aut viciſſim ſi quis reliquam ſcripturam ad illorum ſcribendi modum attemperet, profanum reddit utrobique. Hoc tamen præciſe ita accipiendum videtur, ſi quis cantica ſcribat inſtar reliquæ ſcripturæ abſque diſperſione; at ſi in illa diſperſione vocum quantiſper variet ab eo, quod moris eſt, non illico codicem profanat, modo ſit later dimidius ſuper integro.* Quæ poſtrema verba, quorum fortaſſis expoſitionem in Lexicis fruſtra quæſieris, R. Abarbanel *in Legem Paraſch. Beſchallach fol. CLVII. col.* 1. ſic explicat: הנמשך באורך קראוהו לבנה והנמשך בקצור קראוהו אריח שהוא חצי לבנה בשיעור נופרת: *Æqualem longitudinem vocant:* לבנה *laterem, ſed breviorem longitudinem vocant* אריח, *quod dimidium laterem ſignificat, in menſura quantitatis ejus*. Senſus ergo verborum hic eſt, ſic ordinandas eſſe voces, ut integræ lineæ impoſita ſit dimidia, ad eum modum, quo lateres ſibi invicem imponi ſolent, v. g.

אז ישיר משה		ובני ישראל
	את השירה הזאת ליהוה	
ויאמרו לאמר		אשירה ליהוה
	כי גאה גאה סוס ורכבו	
רמה בים		עזי וזמרתיה
	ויהי לי לישועה זה אלי	
ואנוהו אלהי		אבי וארממנהו

Porro de ipſa vocum inter lineas diſperſione quoad utrumque canticum ex ſui patris, Rabbenu Aſcher ſententia addit: כתב ארוני אבי הר"אש זכרונו לברכה שירת הים כותבין שיטה ראשונה כרינה ושאר כל השיטות האחת מניחין באמצע ריוח מעט ושתחתיה כתוב באמצע וחלק בשני מקומות ונמצאה השיטה חלוקה לשלשה ונמצא ריוח כנגד הכתב וכתב כנגד הריוח. וראשי השיטות כתובים במסכת סופרים ואם שינה בהן לא פסל. ובצורת שירת האזינו מפורשת במסכת סופרים באמצע כל שטה ריוח כשיעור פרשה סתומה ונמצא כל שיטה חלוקה לשתים. והתחלת ראשי השיטות כתובים במסכת סופרים וגם הרמ"בם כתבם ושינה בהן קצת ע"כ: *Scriptum reliquit Dominus pater meus, magnus ille Rabbenu Aſcher cujus memoria ſit in benedictione* (nempe ut marginem notavit, in Halacoth kettannoth) *de Cantico, quod ad mare cecinerunt* (Exod. XV. 1. ſeq.) *ſcribendam eſſe primam lineam ordinarie, at reliquas omnes ſic alternative, ut in unius medio exiguum ſpacium relinquatur, altera autem, quæ ſubjicitur, ipſa ponatur in medio, adeoque in duobus locis diſpeſcatur inveniaturque quælibet linea tripartita, & apponatur ſpacium ſcripturæ, & ſcriptura viciſſim ſpacio. Initia autem ſingularum linearum conſignata ſunt in Maſſecheth Sopherim,* (cap. XII. Hal. XI. fol. XII. col. 4.) *in quibus ſi quis forte variet, non tamen propterea librum profanat. Porro de forma ſcripturæ in Cantico Moſis Deuter. XXXII. obſervandæ itidem in Maſſecheth Sopherim traditum eſt, quod omnes lineæ in medium ſpacium habere debeant, quale eſt ſectionis clauſæ* (quæ in linea media incipit,) *atque adeo quælibet litera bipartita erit. Initia vero harum etiam linearum in Maſſecheth Sopherim conſignata ſunt, eademque annotavit quoque R. Moſes ben Maimon, ſed variat in iis aliquantiſper. Hic uſque verba patris mei.* Quibus poſtea ex Maimonide ipſo ſubjungit eadem, quæ noſter Auctor inde huc excerpſit.

(36) Traditione Majorum. Agnoſcunt tamen Rabbini aliquam traditionem circa hæc differentiam. Quaſdam enim Moſi acceptas ferunt & vocant הלכה למשה מסני *Traditionem Moſis e Sinai*, quas ſtrictim atque accurate ſervari volunt. Alias vero ſolo uſu ajunt & conſuetudine introductas, quas ſi quis violet, non tamen omnem illico ſcriptionem vitiabit. Exemplum utriuſque ex *Arba Turim* jam vidimus. Moſaica & ſtrictim tenenda traditio erat, ne carmina inſtar proſæ, neque proſa inſtar carminum ſcriberentur; at conſuetudinis ſolius certa illa vocum ſingularum per literas

teras diſpartitio. Et hujus generis ſunt pleraque, quæ hic de ſpaciis relinquendis traduntur. Inde & Maimonides de iis, quæ ex ipſo producuntur, monet, *num. X.* יש דברים אחרים שלא נאמרו בגמרא ונתנו בהם הסופרים וקבלה היא בידם איש מפי איש: *Sunt & alia quædam, quæ non ſunt conſtituta in Gemara, ſed uſitata ſolum ſcribis, quorum alter ab altero ita traditum accepit.* Horum partem aliquam præmiſerat; reliqua ſubjungit.

(37) Nulla in iis ſanctitas. Hinc idem Majemonides, *c. X. §. 5.* tradit, librum legis integrum quidem imponi poſſe hujuſmodi quinario, aut quintæ ſeorſim ſcriptæ, v. g. Geneſi, aut Exodo &c. Sed quintam ſeorſim ſcriptam, h. e. vel Geneſin, vel Exodum, aut alium e quinque Moſis libris, non licere ſupra librum legis integrum ponere: de quo loco inferius *ad num. marg.* 52. lit. *i.* paullo plura dicentur.

(38) Literis פ & ס. De his ſectionibus apertis & clauſis præter Buxtorfium egerunt etiam Laur. Fabritius *in Partit. Cod. Hebr. c. VIII. & IX. p.* 35. *ſeqq.* Joſ. de Voiſin *obſerv. ad proœm. Pug. f.* 81. *ſeqq.* ubi pleraque omnia Maimonidis una cum verſione exhibet.) Hottinger. *lib. I. Theſ. Philol. c. II. ſect. 5. p.* 219. Leuſden. *Philol. Hebr. Diſſ. IV. p.* 32. *ſeqq.* &c. Earum explicationem, quid ſingulæ ſuis locis repoſitæ notent, promiſerat Schikardus noſter *Becchinath happeruſch. p.* 19. ſed mortis interventu præſtare nequivit.

(39) Correctio. Jore deah *toto cap.* CCLXXIX. *f. LXVII. col.* 2. 3.

(40) De nominibus Dei. Adſcribam, quæ univerſim de hac materia traduntur in Arba turim *parte II. Jore deah. cap.* CCLXXVI. *fol. LXVII. col.* 2. אסור למחוק את השם ואלו הם השמות שאין נמחקים. אל. אלוה. אלהים. אלהי. אלהיך. אלהינו. אלהיו. אלהיכם. אלהיהם. האלהים. אהיה אשר אהיה. אד". י"ה. שדי. צבאות. אבל הגדול. הגבור. והנורא. האדיר. החזק. האמיץ. חנון. ורחום. ארך אפים. ורב חסד נמחקים. כתב אל מאלהים. יה מיהוה. אינו נמחק. שד משדי. צב מצבאות נמחק: *Nefas eſt, delere nomen aliquod divinum. Hæc autem ſunt Dei nomina, quæ delere non licet:* El, Eloah, Elohim, Elohe, (*vel* Elohai) Eli, Elohecha, Elohenu, Elochau, Elohechem, Elohehem, Hælohim, Ehjeh Aſcher Ehjeh, Adonai, Jehova, (*vel* Jah,) Schaddai Zebaoth. *Sed alia nomina, quibus Deus appellatur,* (attributa verius, aut cognomina, quam nomina, v. g. Magnus, fortis, terribilis, magnificus, potens, validus, gratioſus, miſericors, longanimus, dives miſericordia, *delere licet: Si quis ſcripſerit* אל *partem nominis* אלהים *aut* יה *partem nominis* יהוה, *delere has literas non poteſt; at ſi* שד *ex nomine* שדי, *vel* צב *ex nomine* צבאות *ſcripſerit, poteſt delere.* Eadem habentur in Maſſecheth Sopherim *initio Capitis IV.* (ut mirum ſit, Auctorem id omiſiſſe,) & depromta ſunt ex Gemara Babilonica Maſſech. Schebuoth, *cap. IV. fol. XXVI. col.* 1. *circa fin.* & *col.* 2. *ab init.* Conſtituuntur quaſi quatuor claſſes nominum divinorum, deque iis diſtincte pronunciatur. Aut enim ſunt 1. propria integre & abſolute ſcripta, aut ſunt 2. integra quidem, ſed cum ſuffixis vel præfixis, aut 3. non ſunt propria, ſed appellativa, non nomina, ſed cognomina, aut denique 4. propria non plene ſcripta ſunt, ſed quædam ſaltem eorum literæ. De 1. nominibus propriis integris & abſolutis traditur, nullo modo delenda eſſe, idque ſub pœna flagellationis. R. Maimonides *Kilk. Jeſode battora c. VI. §.* 2. *fol. IX. col.* 1. שבעה שמות הם השם הנכתב יו"ד ה"א וי"ו ה"א והוא השם המפירש. או הנכתב אד"ני. ואל. אלוה. ואלהים. ואלהו. ושדי. וצבאות. כל המוחק אפילו אות אחת משבעה שמות אלו לוקה: *Septem nomina divina ſunt nempe* ΤΕΤΡΑΓΡΑΜΜΑΤΟΝ, *ſive ſcribatur* יהוה *quod eſt ſchem hamphoraſch, ſive* ארני *Adonai*, El, Eloah, Elohim, Elohe, Schaddai, Zebaoth. *Horum ſeptem nominum vel unicam literam quicunque delet, flagellationis reus eſt.* De 2. præfixis & ſuffixis ad nomina Dei accedentibus mox *lit.* 1. aliqua dicentur. De 3. cognominibus ſtatuunt, deleri poſſe. Idem Majem. *l. c. §. V.* שאר הכינויים משבחין בהן את הקדוש ברוך הוא כגון חנון ורחום הגדול הגבור והנורא הנאמן קנא וחזק וביוצא בהן הרי הן כשאר בתבי הקדש ומותר למוחקן: *Quod cætera Dei cognomina attinet, quibus ipſum celebrare ſolemus, qualia ſunt* Gratioſus, miſericors, magnus, fortis terribilis, fidelis, zelotes, potens, *& ſimilia, ea reliquis vocibus in ſcriptura ſacra occurrentibus æquiparantur, adeoque licite deleri poſſunt.* Tandem 4. quoad quaſdam nominum propriorum literas exaratas, ipſa prius diſtinguunt nomina quippe quorum alia ab aliis ſanctitate ſuperantur. Iterum Majem. *l. c. §.* 4. כתב א"לף ל"מד שאלהים יו"ד ה"א מיהוה אינו נמחק. ואין צריך לומר יה שהוא שם בפני עצמו מפני שזה השם מקצת שם המפורש הוא. אבל הכותב ש"ין ד"לת משדי צ"דיק ב"ית מצבאות הרי זה נמחק: *Si quis ſcripſerit* אל *priores literas nominis* אלהים, *aut* יה *literas priores nominis* יהוה, *illæ non poterunt deleri; nec demum opus eſt rationem inde arceſſere, quod* יה Jah, & ſimiliter אל El) *ſit jam per ſe nomen divinum, ſed ſimpliciter ideo, quia pars ſunt nominis* Dei *eſſentialis. Si quis vero ſcripſerit* שד *priores literas nominis* שדי, *aut* צב *priores literas nominis* צבאות, *deleri poterunt.* Quæ tamen a R. Abrahamo bar David *in Haſſagoth ad h. l.* reprehenduntur, א"א זה אינו כלום *dico ego*, inquit, *id plane nihil eſſe*, quod nempe rationis loco interſpergitur; ſed late Maimonides contra eum vindicatur a R. Joſeph Karro *in Ceſeph Miſ ſchne*, qua utriuſque ſubtilitates hic proferre nihil attinet.

(41) Super Carnem. Scriptura ſuper carnem prohibetur Iſraelitis *Lev. XIX.* 28. *Deut. XIV.*, de qua prolixe Magnif. Dn. Geierus *de Luctu Hebr. c. X. §. 2. 3. p.* 231. *ſeq.* Eam fieri docet Majemonides *Hilkoth Avodæ Sarah cap. XII. §.* 10. שישרט על בשרו וימלא מקום השריטה בחול או דיו או צבעונים הרושמים *Si quis ſuam carnem incidit, & locum inciſionis poſtea ſuco, vel atramento, vel alio quodam colore, quo pingitur, repleat.* Hoc qui fecerit, quacunque corporis parte, ſive vir ſive fœmina, eum flagellationis reum *ibidem* pronunciat. Conferatur Dion. Voſſius *ad Majem. de Idol. pag.* 169. Unde ergo ſcriptura nominis Divini ſuper carnem, quam non delere liceat? Aut igitur ſcripturam ſtigmaticam in luctu & ex idololatria, & inter eandem memoriæ cauſa factam, ut in aliis, diſtinguunt; aut locum habet, quod Maimonides *ibidem §. XI.* addit: כתב ולא לשם בצבע או שרשם בצבע ולא כתב בשריטה פטור עד שיכתוב ויקעקע שנאמר וכתובת קעקע: *Si quis inciderit & non ſignarit colore, vel contra, ſi quis colore ſignarit, non autem inciderit, liber eſt, donec ſimul & inciderit & colore ſignarit, quia Lev. XIX. 28. expreſſe ſcriptura ſtigmatis prohibetur.* Certe in Maſſech. Maccoth *c. III. Miſch. VI.* unde hæc petita ſunt, diſerte ex ſententia R. Simeonis diſtinctio additur: אינו חייב עד שיכתוב שם השם שנאמר וכתובת עקע לא תתנו בכם אני יהוה: *Non eſt reus, niſi inſcripſerit ibi nomen, quia dicitur Lev. XIX. 28. Scripturam ſtigmatis non facietis in vobis; ego Dominus:* ubi Jo. Coccejus *in notis ad hunc tit. pag.* 125. nomen illud ex Rabbini mente recte de *idoli alicujus* nomine, quod *Divino nomini* eſt oppoſitum, accipit. Sic enim ipſe Maimonides & R. Obad. de Bartenora *in Commentariis ad hanc Miſchnam junctum editis fol. CXCVI. col.* 1. locum interpretantur, reum flagellationis agi, qui שם עבודה זרה *Nomen idololatricum*, non autem qui Dei *nomen* ſic carne inciſa ſcripſerit; ſed addit tamen uterque, אין הלכה כרבי שמעון *non valere deciſionem R. Simeonis.* Quicquid hujus ſit; abunde ſatis apparet, moris fuiſſe olim inter Hebræos, ut nomen Divinum ſuæ carni inſcriptum circumferrent. Atque his, qui nomen *Dei* ſuper carnem ſuam ſcripſerint, lotio atque unctio hic citatis ab Auctore verbis tractatus Sopherim interdicitur, in quorum verſione, particula *Sponte*, quæ cum ſententia R. Joſe memoratur, inſerta eſt, & cujus in Hebræo nullum apparet veſtigium, ipſam Rabbini ſententiam paulo invertit, ceu ex Gemara Babilonica, tum Maſſech. Schabbas *fol. CXX. col.* 2. tum Maſſech Joma *fol. VIII. col.* 1. (quæ duo claſſica de hac traditione loca ſunt) diſpaleſcit. Ut ergo de ſenſu iſtorum verborum conſtet, locum Gemaræ integrum proferemus: התניא הרי שהיה שם כתוב על בשרו הרי זה לא ירחץ ולא יסוך ולא יעמוד במקום הטנופת נזדמנה לו טבילה של מצוה כורך עליו גמי וטובל

ושובל רבי יוסי אומר יורד ושובל כדרכו ובלבד שלא ישפשף : *Traditio est, ne is, cujus carni inscriptum est nomen divinum, se lavet, neve se ungat, neque consistat in loco immundo. Quod si autem ipsi per legem necessaria immineat lotio, circumvolvat prius circa illud juncum, & tum demum se lavet. R. Jose statuit, posse ipsum descendere in balneum & se lavare more suo*, h. e. etiamsi nullum circumvolat juncum,) *modo attendat, ne abstergat illud.*

(42) Literas serviles. Variant de his sententiæ Magistrorum, de quibus judicari possit, locum classicum, in quo genuina sedes est traditionis hujus, notabimus ex Talmudica Gemara Massech. Schebuoth *f. XXXV. c. 2.* תנו רבנן כל הטפל לשם בין מלפניו ובין מלאחריו הרי זה נמחק לפניו כיצד ליי' ל' נמחק ביי' ב' נמחק ויי' ו"ו נמחק מיי' מ' נמחק שיי' ש' נמחק היי' ה' נמחק כיי' כ' נמחק לאחריו כיצד אלהינו נו נמחק אלהיהם הם נמחק אלהיכם הם נמחק אחרים אומרים לאחריו אינו נמחק שכבר קדשו השם אמר רב הונא הלכה כאחרים : *Tradunt Rabbini nostri, omne id, quod Nomini Divino adhæret, sive a parte ante*, (i. e. præfixum,) *sive a parte post*, (i. e. suffixum,) *id omne, inquam, deleri posse. Quomodo hoc, quod ante ipsum adhæret? Resp. In voce* ליהוה *deleri potest* ל, *in voce* ביהוה *deleri potest* ב, *in voce* ויהוה *deleri potest* ו, *in voce* מיהוה *deleri potest* מ, *in voce* שיהוה *deleri potest* ש, *in voce* היהוה *deleri potest* ה, *in voce* כיהוה *deleri potest* כ. *Sed quomodo hoc, quod post ipsum illi adhæret? Resp. In voce* אלהינו *syll.* נו *potest deleri, in voce* אלהיהם *syll.* הם *potest deleri, in voce* אלהיכם *syll.* כם *potest deleri. Alii tamen negant, deleri posse id, quod post ipsum ei adhæret*, (suffixum,) *quia hoc pridem Nomen Divinum sanctificavit: atque observavit R. Huna, decisionem esse juxta hos alios.* Inde ergo est, quod R. Majemonides Hilk. *Jesode hattorah. cap. VI. §. III. fol. IX. col.* 1. simpliciter pronunciat: כל הנטפל לשם מלפניו מותר למוחקו כגון ל' מלה' וב' מבאלהים וכיוצא בהן אינן בקדושת השם · וכל הנטפל לשם מאחריו כגון ך' של אלהיך וכ"ם של אלהיכם וכיוצא בהם אינם נמחקים והרי הם כשאר אותיות של שם מפני שהשם מקדשם . ואף על פי שנתקדשו ואסור למוחקם : *Omne præfixum, quod ante nomen divinum cum ipso conjunctum est, licitum est delere, verbi gratia,* ל *ex voce* ליהוה, *aut* ב *ex voce* באלהים *& sic in aliis, quia non attingunt præfixa sanctitatem nominis divini. At omne suffixum, quod a tergo ei adhæret, verbi gratia* ך *in voce* אלהיך *aut* כם *in voce* אלהיכם, *& similia, delere non licet, quia hæc suffixa reliquis literis nominis divini æquiparantur, utpote ab ipso nomine sanctificata. Et quanquam* (ipsa in se non facta sunt, sed tantum) *de sanctitate nominis divini participant; ea tamen* (ob hanc ipsam sanctitatis participationem) *delere nefas est.* Additur ibidem transgressionis pœna: המוחק אלו האותיות הנטפלות אינו לוקה אבל מכין אותו מכת מרדות : *Quicunque delet literas nomini divino affixas non quidem vapulat* (instar ejus, qui ipsum nomen divinum delet,) *interim fustigationis* (in contemptorem statutorum a sapientibus latorum decretæ) *reus esto.* Quomodo hæc *vapulatio* sive flagellatio, & *fustigatio* differant, dicetur inferius ad *numer. marg.* 57.

(43) Ligatura. De hac legitime conficienda agit *totum caput* CCLXXII. *Jore deah, in Arba Turim fol. LXVII. col.* 2. In cujus initio statim eadem traduntur, quæ ab Auctore ex Maimonide & Sopherim allata sunt: אין תופרים ספר תורה אלא בגידי בהמה או חיה טהורה שראוי ליכתב בעורו ולא יתפור כל היריעה מראשה לסופה אלא יניח בראשה מעט ובסופה מעט שלא יהא תפור : *Non consuendus est liber legis, nisi nervis animalis aut bestiæ mundæ, cujus nimirum pellis idonea erat, ut super ea lex scriberetur. Porro singulæ membranæ non consuendæ sunt a superiori extremitate usque ad inferiorem, sed tam in superiori, quam inferiori extremitate aliquid spacii relinquendum est, quod non sit consutum.* Cæterum hanc ligaturam adeo necessariam putant, ut si vel unica membrana assuenda restet, nondum idoneus sit Codex ad publicam lectionem. Itidem *sub finem Capitis*: חסר ממנה אפילו יריעה אחת שאינה תפורה עמו אפילו היא בן עד שיהו כל יריעותיו מונחות אצלו אין קוריך מחוברים יחד : *Quod si vel unica solum membrana desit, quæ nondum reliquis sit ligata, si maxime sit apposita codici, non tamen legendum est in eo, usque dum omnes membranæ simul colligata fuerint.* Scripta hæc sunt ex Gemara Massech Gittin *fol. LX. col.* 1.

(44) Foris non intus. Quam scrupulosi hic quoque sint culicum excolatores, referam ex Arba Turim *loc. cit.* בתיקון התפירה שאל השואל מא'א הרא"ש ז"ל הודיעני ענין התפירה כי מתוך גמרא משמע שיש לתופרה מבחוץ והנה ראיתי בכל המקומות שאין תופרין מבחוץ אלא מניחין שתי יריעות זו על גב זו ותופרין בכפל עשוי כזה מבית ומחוץ והיה נראה לי יותר טוב כזה לכל דבר לגלול ולחזק ע"כ : *De Dispositione ligaturæ aut suturæ* (inquit R. Jacob,) *quæsivit aliquando nonnemo ex domino patre meo Rabbenu Ascher, benedictæ memoriæ: Indica quæso mihi, quomodo cum sutura hac comparatum sit. Nam ex Gemara constat, quod consui debeat ab extra; sed in plerisque locis vidi, quod ab extra non consuant, sed duas membranas sibi invicem componant, atque ita duplicatas consuant, quo ipso intus non minus, quam extra futura sit, quod tamen mihi multo melius videbatur, quam illud quoad omnia, tam ad convolvendum, quam fortiter constringendum. Hactenus quæstio.* Quid vero ad eam Rabbenu Ascher? והשיב גם אני ראיתי אבא מורי ז"ל שתפר ספר תורה כאשר כתבת אך בספרים החיצונים יש שיש לתופרה מבחוץ ותפירה מבחוץ היא יותר נאה שאין החוטין נראין בפנים ונראה כולן בקלף אחד והתופרין כאשר כתבת דעתם בזה שמה שאמרו לתופרה מבחוץ למעוטי שלא לתופרה מבפנים בעין תפירת חוץ כי זה מגונה ביותר אבל לתפור כאשר כתבת נראה בעיניהם קיים יותר ע"כ : *Respondit ille: Etiam ego vidi, Dominum Patrem meum, faustæ memoriæ consuere librum legis ad hunc modum, quem descripsisti. Tantum igitur in libris ex-* (*traneis*, i. e. extra-gemaricis) *habetur, quod ab extra consui debeat Liber legis, & quod futura illa, quæ ab extra fit, sit longe elegantior, quia fila tunc intus non conspiciantur, & tota illa membranarum congeries instar unius membranæ compareat. Illorum vero compaginatorum, de quibus scripsisti, sententia huc redit, id quod* in Gemara *dixerunt, librum legis ab extra esse consuendum, accipiendum de eo, quod ad minimum fieri debet, ne scilicet eodem modo interius consuatur, quo consui solet exterius; id enim nimium quantum deturparet. Sic autem consuere, uti scripsisti, videtur in eorum oculis longe rectius & convenientius. Atque hæc erat ejus responsio.*

(45) Bynos cylindros. Hos appellare solent עץ חיים *lignum vitæ*, ex *Prov. III.* 18. עץ חיים *lignum vitæ est apprehendentibus eam.* Quæ autem hic ex R. Majemonide afferuntur, fundantur in Gemara Massech. Baba Basra *fol. XVI. col.* 1. & inde fere eadem leguntur in Jore deah *loc. cit.* עושין לה שני עמודים אחד בראשה ואחד בסופה ומה ששייר ממנו בראשה וסופה יכרוך אותה על העמודים ויתפרנו בגידים על העמודים : *Conficiendi sunt duo cylindri, unius in principio alter in fine scripti consutique codicis, & quod utrobique reliquum est, circa illos cylindros convolvendum, & nervis alligandum.*

(46) Cætera. Qualia illa sint, exposuit Buxtorfius *in Synagoga Judaica c. IX. p.* 216. & in editione recens aucta *c. XIV. p.* 284. cui adde Leusdenium *in Philos. Hebr. Dissert. XXIV. p.* 404. *seqq. edit. noviss.* qui arcæ & laminarum inscriptiones exhibet, quales in Synagogis Amstelodamensibus Judæorum cum Germanorum, tum Hispanorum visuntur.

(47) Non omnia sunt de substantia. Vide, quæ *ad pag.* 116. *lit. n.* paulo supra annotavimus.

(48) Viginti vitia. Qui ipsa R. Maimonidis verba cupit, adeat Dn. Leusdenium *Philol. Hebr. p.* 407. 408. ea cum versione e regione apposita exhibentem. De requisitis autem Megillæ, seu libri Estheræ videatur Schikardus noster *lib. de Purim p.* 61. 62.

(49) Sepeliunt. Vide Vorstium *ad R. Maimon. de fundam. Legis p.* 85. & Arba Turim *part. II. cap. CCLXXXII. fol. LVII. col.* 4.

(50) ab Hæretico. Hæc magis distincte R. Jacob ben

ben Aſcher *in Jore deah cap.* CCLXXXI. *f. XVII. col.* 3. ספר תורה שכתבו מין ישרף. כתבו נכרי יגנז. נמצא ביד מין או ביד נכרי יגנז. ואין קורין בו ואף על פי שאין קורין בו חייבין הצבור לקונתו ממנו ולגנזו כדי שלא יזלזל בו ומיהו אם רוצה להעלותו הרבה אין קונין אותו ממנו אלא בכדי דמיו ומעט יותר ואם רצה להעלותו הרבה מניחין אותו בידו: *Liber Legis, quem Hæreticus ſcripſit, comburendus: quem extraneus* (aut gentilis) *ſcripſit abſcondendus: qui vel in hæretici vel extranei manu repertus fuit, itidem abſcondendus* (h. e. cum theologiæ ſtudioſo ſepeliendus) *eſt. Neque legendum eſt in eo, licet ita ſit, ut legere in eo non liceat, obligata tamen eſt Synagoga ad redimendum eum ab illo, & ſepeliendum, ne deſpicatui habeatur. Quanquam, ſi multo pluris æſtimare velit,* (nota phraſin Germanorum idiotiſmo conformem, להעלות הרבה zu hoch ſteigern) *non teneatur illum ab eo redimere, niſi vel juſto precio, vel paululum majori, quod ſi omnino nimium tranſcendat, relinquatur in ejus manus.*

(51) Corpus Juris. Danhavverus *part.* 3. *Lact. Catechet. p.* 165. Wozu / meynen wir wohl / hat der König in Iſrael eben mit ſeiner eignen Hand / das Geſetz Moſis abſcchreiben müſſen? Als darumb / daß er nicht nur durch ſolches wiederholte Schreiben das Geſetz ins Gedächtnüs brächte / ſondern daß er auch ob demſelben hielte / in allen ſeinen Handlungen / ſonderlich den Gottes dienſt betreffend / nach deſſelben inſtruction richtete / und alſo daſſelb für ſein Corpus Juris hielte.


(52) a Regis Officio alienum. Dubito tamen, an ita omnia, quæ citerior Judæorum ſuperſtitio pleraque invexit, ad ſcriptionem legis a Rege peragendæ pertinuerint, præſertim cum magnam partem traditiones iſtæ de illo legis exemplari loquantur, quod in Synagogis quaſi autenticum aſſervari adhiberique ſolet.

THEOREMA VI.

Et alterum ſemper ſecum ferre, ut indeſinenter legeret.

SUnt qui ſtudia Principes dedecere putant, forte quod Græculus aliquis literio iis ad impietatem abuſus eſt, aut quidam homo de ſchola in publico ſe ridiculum præbuit. Verum quia imperandi ars multo maxima eſt, quæ meris experimentis aut miſere aut nimis tarde diſcitur, ſapere merito creduntur Hebræi, qui eruditionem tum in Rege, tum in Magiſtratibus cæteris inferioribus requirunt. Quomodo enim religiones diſcernere, ac ſuum cuique tribuere poſſit is, qui ſcripturarum & juris imperitus eſt? Maym. *Hal. Sanhedr. init. cap.* 2. אין מעמידין בסנהדרין אלא אנשים חכמים ונבונים מופלגים בחכמת התורה בעלי דיעה מרובה ויודעים קצת משאר חכמות כגון רפואות וחשבון ותקופות ומזלות ואיצטגנניות ודרכי מעוננים והקוסמין והמכשפים והבלי עבודה זרה וכיוצא באלו כדי שיהיו יודעים לדון אותם: *Non conſtituunt magiſtratus niſi viros* (1) *ſapientes, prudentes, exercitatos in lege, doctos valde; ſcientes quoque aliquid de cæteris artibus, velut Medicina, Arithmetica, Calendario, Planetis, Aſtrologia, & modis divinationum, præſtigiarum, veneficiorumque: item ipſam Idololatriam & talia, ut illa dijudicare valeant.* Ibid. *verſ.* 7. וצריך להשתדל ולדבוק שיהיו כולן בעלי מראה נבוני לחש ושידעו ברוב לשונות כדי שלא תשמען מפי התורגמן: *attendere oportet & diligenter explorare, ut omnes ſint aſpectabiles, taciturni diſſimulandique periti, gnari plurium linguarum exoticarum, ne per interpretem audire cogantur.* Et cum Rex (2) ſit caput illorum omnium, utique membris ſuis non debet rudior eſſe, ſed precipue in pietatis ſtudio, quæ ſumma rei eſt, omnes antecellere. Nam *cæteræ minus placent literæ, quæ ad virtutem doctoribus ſuis nihil proſunt:* ait Marius apud *Saluſtium*, & ſufficit hanc noſſe ſi non alia datur aſſequi plura. ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, ὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός, (ut eſt in veteri dicterio) *non qui multa, ſed utilia ſcit, ſapit.* Ideoque unum legis librum, & ſolum, & ſemper, Judaicos principes legere juſſit *Deus*, Joſ. 1. v. 8. *non recedat liber legis hujus ab ore tuo, ſed mediteris in eo die ac nocte, ut obſerves facere omnia, quæ in eo ſcripta ſunt, ſic enim proſperabis vias tuas, & ſic ſapies.* Iſte nihil adulatur, nihil celat; recte conſulit, melius dirigit, optime deducit: non ex amore, non partium ſtudio quicquam ſuadet, ſemper idem & ſibi ſimilis, h. e. ſanctus; triſtem exhilarat, conſternatum erigit, ferocientem, compeſcit, exorbitantem ad viam reducit: informat doctrinis, allicit exemplis, cogit legibus. Itaque merito tantopere commendatur Regi, ut inde diſcat *Deo* fidere, ſubditos regere, hoſtes vincere, ſeipſum humiliare: quod late perſequitur R. Abrah. Seba *in Zer. ham. P. Schoph.* אחר שאין לו להרבות סוסים ונשים וכסף איך ילחם עם אויביו נתן לו תיקון לכל זה בתורה אם באים הם בנצחונו של בו׳ אתה בא בנצחונו של מקום כשיהיה ה׳ בראשך לא יחסר כל בך בתורה נאמר נחמדים מזהב ומפז רב שקר הסוס לתשועה וברוב חילו לא ימלט מן ס״ת ילמד ליראה את ה׳ ולא אם המלכים לבלתי יחטא להתנאות על עם שהש אחיו ובני מלכים וכו׳: *Poſtquam ipſi prohibitum eſt multiplicare equos, mulieres*

lieres argentum , quomodo pugnabit er-
go cum hostibus suis ? dedit ei reme-
dium adversus hæc omnia in lege : si ve-
niunt illi fiducia carnis & sanguinis ,
tu contra audentior ito fretus auxilio Dei
quando hunc in acie præsentem habes , ne-
mo deficiet e tuis . De lege dictum est ,
desiderabiliorem esse auro & obrizo ; de
cæteris vero , vana salus equi , nec quen-
dam abundantia facultatum eripit . E li-
bro legis discet timere Deum *solum , non*
ullos reges ; ne peccet vel efferatur supra
populum , qui appellantur fratres ejus &
quoque filii regum. &c. Quod autem le-
gis librum continue secum habere jussus
est, H. Mel. *c.* 3. §. 2. אם יוצא למלחמה
אם יושב בדין אם מסיב הוא תמיד כנגדו:
sive in castra exeat , seu domi rem admi-
nistret , vel etiam discumbat , limitant
Rabini , & de puris tantum locis acci-
piunt, nefasque putant in balneum , la-
trinam vel thalamum ferre , imo ne in
propinquo quidem legere , sed jubent
inde passus aliquot elongari . Tphil. *c.* 10.
§. 6. לא יאחז אדם ס״ת בזרועו ויכנס בו
לבית המרחץ או לבית הכסא או לבית
הקברות אע״פ שהוא כרוך במטפחות ונתון
בתוך התיק שלו ולא יקרא בו עד שירחיק
ארבע אמות: *Nemo qui legis librum in bra-*
chiis tenet , cum eo vadat in lavacrum , cola-
cam , vel cœmiterium sepultorum , quamvis
involutus sit linteaminibus suis & thæce
inclusus : nec legat illum , prius quam inde
(quin etiam a (3) mortuo) *minimum*
quatuor ulnas absit . Recordor hic quod
sanctulus quidam Judæus , de talibus li-
bris a me rogatus , cum ante quadrien-
nium in pago Hæmedorf una iremus ,
juxta fimetum de illis ne respondere
(4) quidem voluerit , veniam & dilatio-
nis licentiam hypocritice precatus . Cre-
di vix potest , quantum huic libro legi-
time scripto tribuant , quam (5) super-
stitiose honorent. Juvat afferre paucula .
Soph. *c.* 2. §. 11. 12. 13. לא ישמט אדם
ס״ת מחיקו שנוהג בו דרך בזיון ולא יתננו
על גבי ארכובותיו ויתן אצילו עליו ויהא
קורא כדברי ר׳ נחמיה: לא יתננו על גבי
כסא ויהא תלוי אלא אוחז בידו באימה
וקורא בו . אין זורקין ספרים ממקום
למקום : לא יתננו על גבי מטה לא
במרגלות המטה ולא תחת המטה ולא
ישב אדם על גבי המיטה והספרים עליו :
Nemo projiciat librum e sinu suo , quod
vergeret ad contumeliam ejus : non ponat
super genua , & innitatur cubitis , ut sic
legat , secundum R. Nehemiam , non sit
in pulpito suspensus , sed teneatur manu
cum timore , atque sic legatur . Nemo dis-
pergit de loco in locum , non reponat in
lecto , nec ad pedes , nec infra lectum : ne-
mo insideat lecto , super quo jacent libri .
§. præc. 10. לא יהריקנו מתוכו אבל מהדקו
מבחוץ הנותן ס״ת לחברו לא יתננו אלא
בימין והמקבלו לא יקבלנו אלא בימין :
Non apprehendat eum in medio vel intrin-
secus , sed circa oras exteriores . Porrigens
proximo , exhibeat dextra , & ille accipiat
eadem manu . Tphil. *cap.* 10. §. 8. ירחצו
ידיהם ואחר כך יגעו בו : *lavent manus ,*
postea demum attingant . Quod & Turcæ ,
ante contactum Alkurani requirunt : ob-
servavi enim in exemplari , quod mihi
videndum præbuit Nobiliss. & Stren. V.
Dn. Wolfg. ab Urmul , Consil. Wur-
temb. & Super Præf. Urbb. Cantst. ac
Waibling. &c. corio id extrinsecus a bi-
bliopega impressum fuisse arte sculpto-
ria , & prohibitum ne quis impurus at-
trectaret ; tali formula literarum (6)



Schulschi deaureata , qualem appinxi ;
quæ ad (7) verbum sonat . *Non attin-*
gat nisi mundus . Nam gloriantur , hunc
librum esse *Deo* proximum , præstare crea-
turis omnibus ipsis quoque angelis vita
igitur indignum , qui eum quacumque
ratione dehonestet . Proinde osculantur
crebro , non passi , ut eum (8) Chri-
stianus attingat. Quo in zelo ipsis etiam
Judæis fervidiores sunt , qui haud gra-
vatim indulgent , ut suum nos attrecte-
mus , modo non manibus illotis . Maym.
H. Tphill. c. 10. §. 8. כל הטמאין אפילו
נדות שאילו גוים מותר לאחז ס״ת ולקרות
שאין דברי תורה מקבלין טומאה והוא
שלא יהו ידיו מטונפות או מלוכלכות בטיט:
Polluris omnibus , etiam Gentilibus , con-
cessum est apprehendere volumen legis ,
& in eo legere : quoniam divina lex
non recipit ullas sordes , tantum caveant ,
ne manus sint uspiam conspurcatæ vel lu-
to commaculatæ . Totum hoc æstimant
ex intentione , nempe si quis cognoscen-
di animo faciat , non irridendi . Alias re-
verenter eum habent assurgunt ipsi , su-
pra cæteros collocant , nuquam aliis sup-
ponunt , ibid. §. 5. אין מניחין נביאים
וכתובים על גבי חומשים ולא חומשים ע״ג
ס״ת: *non relinquunt prophetas & hagio-*
grapha super (9) *pentateuchum , neque*
huc supra volumen legis . §. 9. כל הרואה
ס״ת כשהוא מהלך חייב לעמוד מפניו עד
שיתכסה מעיניו ואח״כ מותר לישב : *quicun-*
que videt librum legis , quando circum-
ambulat , tenetur ipsi assurgere , & in il-
lius conspectu stare , donec eripiatur oculis ;
tunc

tunc demum assidere licet. §. 10. לא ירוק אדם כנגד ס״ת ולא יגלה ערותו ולא יפשוט רגליו כנגדיו ולא יניחהו על ראשו כמשאוי ולא יחזיר אחריו: *nemo expuat coram libro legis nec revelet turpitudinem suam, nec expandat pedes adversus illum, nec gestet supra caput instar oneris, nec obvertat ipsi dorsum*. §. היה מהלך ממקום למקום לא יניח ס״ת בתוך השק ע״ג החמור וירכב עליו ואם מתפחד מן הגנבים מותר ואם אין שם פחד מניחו בחיקו כנגד לבו והוא רוכב: *si quis peregre proficiscitur, non relinquat librum legis in sacco super asinum cui inequitat, nisi forte sic metus a furibus; sed gerat in sinu e regione cordis sui, & sic equitet*. Ibid. כל מי שישב לפני ס״ת ישב בכובד ראש באימה ופחד שהוא העד הנאמן לכל באי עולם שנ׳ והיה שם בך לעד ויכבדו כפי כחו: *qui coram ipso sedet, assideat inclinato capite cum reverentia & timore: quia testis est fidelis contra omnes venientes in hunc mundum, sicut dicitur* (Deut. 31. 26.) *esto ibi contra te in testem. Honora igitur pro posse tuo*. Ibid. אמרו חכמים הראשונים כל המחלל את התורה גופו מחולל והמכבד גופו מכובד: *dicere solebant prisci sapientes: qui librum legis honestat, ejus quoque corpus honestabitur: & qui honorat, vicissim honorabitur*. Honoris hujus particeps est etiam omnis ornatus, §. 4. התיק והמטפחות והארון והמגדל והכסא שהוכן להניח עליו ס״ת וכן דמוני כסף וזהב שעושין לנוי הכל תשמישי קדושה הן ואסור לזרקן אלא כשיבלו או ישברו נגנזין: *Theca, involucra, capsula, suggestus, pulpitum, in quo recumbit; item apparatus argenti & auri, quem addunt pulchritudinis causa: cuncta sunt supellex sacrosancta, quam abjicere nefas est, sed decenter abscondere oportet, cum senescunt aut franguntur*. Ad honorem quoque pertinet, cavere, ne quis vendat, ne fame quidem urgente: ubi tamen bini casus excipiuntur. §. 2. אסור למכור ס״ת אפילו אין לו מה יאכל ואפילו היו לו ספרים רבים ואפי׳ ישן ליקח בו חדש לעולם אין מוכרים אלא לשני דברים שילמוד תורה או שישא אשה בדמיו: *probibitum est vendere librum legis, etiamsi quis non habeat, quod edat, vel possideat plures libros tales, vel iste sit inveteratus, ut pro eo novum emat; in perpetuum nunquam vendat: nisi duobus hisce casibus, ut ejus pretio aut discat legem, aut uxorem ducat*. In marg. או ביתו אינו רואה סימן ברכה לעולם: *secus nullum domi suæ benedictionis signum unquam visurum*. Addit tamen commentator, si esurientis vita periclitetur forsitan conniveri posse. At emere licet ab iis, qui pro mercede scribunt, modo jurent debitam se devotionem adhibuisse. Sed a Christianis non facile nec care redimunt, ob caussam, quam fures illi in ignominiam nostram confinxerunt. Tphil. *c.* 1. §. 13. אין לוקחין ספרים מן הגוים ביותר על דמיהן שלא להרגיל אותן לגנבן ולגזלן: *non recipiunt libros a Gentilibus magna pretio, ne assuescant eos nobis furari & per vim eripere*. Quo stratagemate olim Judæus Apostata (10) Pfefferkornius, magnam vim auri popularibus suis sub specie religionis extorqueri posse speravit, etiam Divo Imp. Maximiliano id persuadere ausus; quæ Capnioni prima contentionis occasio fuit cum Coloniensibus. *Sleidenus lib.* 2.

Revertor ad Regem. Is ut studio legis cum fructu vacare posset, jussus est cæteras curas minuere, ac sobriam temperantemque vitam traducere: nemo enim simul cauponariam, & literas exercere potest. Bechai *Pars. Schoph.* שאר מלכי האומות משתדלים ברבוי סוסים ועושין מאלו עקר ומלך ישראל יחסר בהן ויעשה מן התורה עקר ויקרא בה כל ימי חייו למען ילמד יראה: *Cæteri reges populorum occupantur multitudine Equorum, & illam habent principalem curam: at Rex Israel minuat ista, habeatque præcipuam curam suam in lege, quam legere oportet cunctis diebus vitæ suæ, ut inde timorem* Dei *discat*. Maym. Hal. Melachim *cap.* 3. *vers.* 7. המלך אסור לשתות דרך שכרות שנ׳ אל למלכים שתו יין אלא יהיה עוסק בתורת ובצרכי ישראל ביום ובלילה שנ׳ וקרא בו כל ימי חייו: *Regi probibitum est bibere tantum, ut inebrietur inde, sicut dicitur* (Prov. 31. 4.) *noli reges potare vino: quin potius occupetur in lege & necessitatibus Reip. Israeliticæ interdiu noctuque secundum illud* (Deut. 17. 19.) *meditetur in eo per omnem vitam suam*. Agnovit hoc ipse Muhammedes, voluptatibus alioquin deditissimus, vix posse strenuum Imperatorem esse, qui simul sit strenuus potator: ideo suis militibus vinum dissuasit. *Sureta Baccara* (11) h. e. carmine Vaccæ *v.* 220. يسئلونك عن الخمر والميسر قل فيهما اثم كبير ومنافع للناس واثمهما اكبر من نفعهما *Rogabunt te* (prophetam, cæteri homines) *de Vino & Lusu* aleæ vel latrunculorum,) *responde* (ipsis meo, id est, *Dei* nomine,) *in ambobus esse peccatum grande, recreatio* (quidem) *hominibus, sed reatus illorum major quam utilitas*. Apud Indos ebrietas etiam in rege punitur, & si qua fœmina turpitudinem hanc

hanc [12] vindicet, cooptatur a ſucceſſore in thalamum. Vigilet ergo cum (13) Epaminonda, dum ebrii cives crapulam edormiant, & animam ſibi ſervet ſiccam, quam (14) Socrates ſapientiorem arbitratus eſt.

N O T Æ

In Theorema ſextum.

(1) Viros Sapientes. De requiſitis hiſce cooptandorum in Synedrium vide Selden. *lib. 1. de Synedr. Vett. Hebr. c. XIV. p.* 544. *ſeqq.* & in primis *lib. II. c. IX. p.* 394. *ſeqq.* Jo. Coccej. *notis ad Maſſ. Sanhedr. p.* 18. P. Fagium *ad Deut. I.* 13. *XVI.* 18. Cunæum *lib.* 1. *de Rep. Hebr. c. XII. p.* 102. *ſeq.* & ex Hebræis R. Moſ. Mikozi *in Sepher Mitzvos gadol, Præcept. aff. XCVII.* & R. Jac. ben Aſcher *in Arba Turim, initio partis IV. Choſchen hammiſchpat.* Summa omnium huc redit, quantum ad ea, quæ hic ſpectantur, verbis R. Mikozi: והיו מנוקים מכל מומי הגוף ויהיו בעלי הכמת בעלי עושר בעלי כשפים שידעו לבטל כישוף ויודעים בשבעים לשון שלא תהא סנהדרין שומעת מפי המתורגמן: *Sunto immunes ab omni labe corporis; ſunto ſapientes, divites, præſtigiatores* (ſaltem theoretici,) *qui ſciant præſtigias & incantationes amoliri; ſunto periti ſeptuaginta linguarum, ne opus habeat ſynedrium audire ex ore interpretis.*

(2) Rex. Regi meretur *Philo lib.* περὶ κατασάσεως ἀρχόντων, *fol.* 558. *ſeq. edit. Græco-Latin. Operum.*

(3) A mortuo. In obitu tamen vulnerati Regis Achabi lecto ejus impoſitum legis librum dicunt, de quo vide infra *num. marg.* 154.

(4) Ne reſpondere quidem. Sic enim traditione Judaica cautum eſt, ne quis in loco ſordido verba legis etiam animo ſolum volvat: quo facit illud ex *Maſſech Berachoth* citari ſolitum: בכל מקום מותר להרהר בדברי תורה חוץ מבית הכסא ומבית המרחץ: *In omni loco licitum eſt cogitare de verbis legis, exceptis latrina & balneo.*

(5) Quam ſuperſtitioſe honorent. Confer hic ea, quæ noſter tradidit *in Bechinath Happeruſch p.* 12. *ſeqq.* Adde Guil Vorſtium *ad R. Maimon de fundam. legis p.* 81. ubi locum ex *R. Maim. Hal. Tphil. c. X.* §. 6. hic citatum paulo plenius refert, ſimulque verba ab Auctore noſtro omiſſa ſupplet: ולא יאחז ספר תורה בשהוא ערום: quæ bene tranſtulit: *neque arripiat librum legis* (tegmine, ſeu exteriori involucro) *nudatum.* Etſi enim videri poterat, illud בשהוא ערום non ad librum, ſed apprehendentem referri, adeoque ſic verti debere: *neque, cum quis nudus eſt, arripiat librum legis*; expreſſe tamen in *Jore deah c.* CCLXXXII. *fol.* LXVII. *col.* 4. additur, ad librum legis referendum eſſe: פירוש בלא מטפחת: *Senſus eſt: abſque involucro.* Sic in Gemara Maſſech. Schabbas *fol.* XIV. *col.* 1. & Maſſech. Megilla *fol.* XXXII. *col.* 1. האוחז ספר תורה ערום נקבר ערום: quod verterem: *Qui apprehendet librum legis nudus, nudus etiam ſepeliendus eſt*; niſi expreſſe Gloſſa Talmudica interior utrobique: ערום פי׳ ערום אלא מפחת סביב ספר תורה: i. e. idem eſt ac *abſque linteo voluminis legis circumvoluto.*

(6) Schulchi. شلس quod rectius pronunciabitur *Schulſi.* Sic autem vocatur certum genus ſcripturæ Arabicæ, quod in titulis librorum & diplomatum adhibetur, & ad vulgares literas, quibus Alkuranus vulgo ſcribi ſolet, (quas نسخي. *Niſchi* nuncupant,) ſe habet, ut apud nos majuſculi characteres Latini titulis librorum conſpicui characteres communes. Vide Erpenium *lib.* I. *Arab. a Golio editæ p.* 7.

(7) Ad verbum ſonat. Sic enim lege, quæ in tabella, ſcriptura Schulſi exprimuntur: لا يمسه الا المطهر. לא ימסה אלא אלמטהר. *Ne tangat eum, niſi mundus.* Cæterum eadem de Alkorani inſcriptioue ex Surata ejuſdem LVI. petita obſervarunt Thom. Erpenius *in Notis ad Hiſtor. Joſephi Arab. pag.* L. Jac. Golius *præſ. ad Suratas* XXXI. & LXI. *p.* 182. Hottingerus *lib.* II. *Hiſt. Orient. c.* V. *p.* 313. & in edit. recentiori *c.* VI. *p.* 504. Henningius Henningii *in Muhamm. præcante, notis ad prec. III. p.* 72. CL. Dn. Pfeifferus *in Faſcicul. Diſſ. Philol.* IV. *theſ.* XXXIII. *p.* 84. & quotquot fere reverentiæ & venerationis huic libro exhibendæ meminerunt, de qua videri inſuper poſt citatos poterunt Barth. Georgievviz *de Turcar. Morib. pag.* 24. 25. & Phil. Camerarius *cent.* III. *Hor. ſubciſ. c.* XII. *p.* 43.

(8) Chriſtianus. Lege, quid acciderit Hottingero, exemplar Alkorani, quod Ahmedis Ibn Ali Mauri fuerat, ſibi ſuo ære, cum bona veteris poſſeſſoris æris indigi venia, in Belgio vindicanti. Sumſerat hoc ſecum Tigurum, & punctis vocalibus notiſque marginalibus veſtiverat, cum Maurus itidem in Africam profectus triennio poſt Leidam repetit, inique ædibus Golii exemplar illud maxima animi nullis conditionibus leniendi commotione remitti ſibi cupit, eo ſaltem fini, ut, quod ſciret Chriſtiani manu notatum eſſe, igne abolere, atque ita ſuo more purificare poſſet. Refert ipſe Hotting. *in Hiſt. Orient. loc. cit.*

(9) Super Pentateuchum. Non videtur Auctor mentem Maimonidis aſſecutus eſſe, dum חומשים vertit *Pentateuchum.* Neque ſenſus aliquis eſt, ſi maxime primum dicti membrum ſe bene haberet, in altero illo: *non ponunt pentateuchum ſuper volumen legis.* Annon enim pentateuchus ipſum eſt legis volumen & volumen legis eſt pentateuchus? Atqui dixerat *in eod.* §. Maimonides: מותר להניח ספר תורה על גבי ספר תורה: *licitum ponere librum legis unum ſuper alium librum legis.* Per חומשים igitur non *integer pentateuchus* intelligitur, ſed *ſingulæ quintæ ſeorſim ſcriptæ*, v. g. liber Geneſeos ſeorſim, vel Exodus ſeorſim, vel Leviticus ſeorſim, &c. ſcriptus: per ספר תורה autem *integer pentateuchus*: atque ita ſenſus eſt, illicitnm eſſe, ponere tum Prophetas & Hagiographa ſuper aliquem pentateuchi libros ſeparatos ſuper integrum pentateuchi volumen. Sic ipſe R. Salomo *in gloſſa ad Maſſ. Megilla fol.* XXVII. *col.* 1. (unde iſta hauſit Maimonides,) interpretatur חומשים ספר תורה שאין בו אלא חומש אחר: *Chummaſchim eſt liber legis, in quo non eſt niſi Chummaſch* (quinta pars pentateuchi) *una.* Et hoc ſenſu bene mentem R. Maimonides noſter expreſſerat ſupra *pag.* 116. dum verba ejus ex *Hal. Tphil. c.* VII. §. 14. quæ præſentia illuſtrant: מותר לכתוב התורה כל חומש חומש בפני עצמן ואין בהן קדושת ספר תורה: ſic optime tranſtulit: *Licet quidem etiam ſingulos quinarios* (noſtro more) *ſeorſim ſcribere; ſed tunc ulla eſt in iis ſanctitas honorabilis.* Ut hæc clariora fiant, ut juvat integrum Maimonidis locum exhibere, præſertim, cum huc integer pertineat, & fortaſſis ideo ſaltem, quod obſcurus erat ab Auctore truncatus ſit: מותר להניח ספר תורה על גבי ספר תורה ואין צריך לומר על גבי חומשים ומניחין החומשים על גבי נביאים אבל אין מניחין נביאים וכתובים על גבי חומשים ולא חומשים על גבי מפר תורה: *Licitum eſt*, inquit, *imponere unum legis volumen alteri, adeoque vix opus fuerit monere, quod illud imponere liceat alicui ejus parti ſeorſim ſcriptæ. Hujuſmodi partem porro licet imponere Prophetarum volumini; at non contra volu-*

men

men Prophetarum & Hagiographorum imponere licet isti quintæ legis parti. Nec quintam hujusmodi partem legis separatam imponere licet integro legis voluminì &c. Quæ ipsa verba tantundem leguntur sub finem *Caput* CCLXXXII. *col.* 1. Quod caput satis prolixum omnia ea, quæ hic de reverentia erga Legis volumen ex Maimonide traduntur, multo explicatius repetit.

(10) Pfefferkornius. Vide post *Sleidanum* hic citatum auctorem nostrum *in Bechinath happer. p.* 106. 107. item Crusium *in Annal. p.* 536. Hottingerum *de Scriptor. Hebr. in N. T. usu th.* 1. *p.* 1. 2.

(11) Surata Baccara.) Est hæc *secunda* in Alkorano Surata. Ejusdem autem interdicti ratio, redditur *Surata* V. يا يها الذين امنوا انما الخمر والميسر رجس من عمل الشيطان فاجتنبوه لعلكم تفلحون *O qui crediderunt, quoniam vinum & lusus abominatio* sunt *de opere Satanæ, itaque abstinete ab eo, fortasse vos felices eritis.* Confer omnino Theod. Hackspan. *lib. de Fide & legib. Mohammed. Posit.* VI. *lege* I. ubi ipsammet hanc legem de vino & lusu interdictis e duplici Alkorani manuscripto prolatam pluribus exponit. Quomodo autem observent legem istam Mohammedani, testatur Busbequius *in itinere Constantinop. p.* 19. illectos nempe vini, si videant, dulcedine, eo esse ejus avidiores, quo minorem habeant copiam, & eo se largius ingurgitare, ubi semel habere contingat. *Non enim*, addit, *minores pœnas post hanc vitam sibi paratas arbitrantur, si vini minimum biberint, quam si plurimum. Itaque ubi semel vinum gustaverunt potare pergunt, quod veluti pœna jam commissa peccent impune, ebrietatemque in lucro ponant.* Subjungit exemplum sane ridiculum de quodam Constantinopolitano: *Vidi senem quendam*, inquit, *Constantinopoli qui cum calicem sumsisset in manum, ut biberet, magnos prius clamores edebat. Rogati a nobis amici, cur ita faceret, respondebant: eum his clamoribus commonitam velle animam, ut se reciperet in aliquem corporis angulum aut prorsus emigraret, ne rea fieret ejus delicti, quod ipse erat admissurus, neu vino, quod infusurus erat, pollueretur.*

(12) Vindicet. Occidendo nimirum Regem ebrium. Succedunt autem in regno filii. Auctor est Strabo *lib. XV.*

(13) Epaminonda. Hic enim solus vigil ac sobrius mœnia urbis obambulabat, & lustrabat arma, cum Thebani cives festis diebus solutius indulgerent compotationibus. Rogatus, cur id faceret, respondit, se *νήφειν καὶ ἀγρυπνεῖν, ὅπως ἐξῇ τοῖς ἄλλοις μεθύειν καὶ καθεύδειν, sobrium esse & vigilare, ut reliquis liceret esse temulentis & dormire.* Plutarch. *lib. adversus Ducem imperit.*

(14) Socrates. Proverbium illud: *ψυχὴ ξηρὴ σοφωτάτη, Anima sicca sapientissima*, Heraclito tribuit Synesius *lib. de insomniis*: *τὸ, τί ἂν ξηρὴ ψυχὴ σοφὴ, πρὸς οὐδὲν ἄλλο τοῦ Ἡρακλείτου τεῖνον εὑρίσκομεν, ἢ παχὺ καὶ ὑγρὸν γενόμενον τοῖς χηραμοῖς τῆς γῆς ἐνδύεται ῥοπῇ φυσικῇ, φωλεῦον καὶ ἀθύμενον εἰς τὴν καταγαιον χώραν. Illud vero*, inquit, *Anima sicca sapiens, quod Heracliti dictum est, non alio tendere invenio, quam quod anima opima & uvida si fiat, naturali pondere in terræ cavernas demergatur, in subterranea loca detrusa.* Eodem usus est Clemens Alexandrinus *lib.* II. *Pædagogi*, cum de vitanda temulentia agit. *αὐγὴ δὲ ψυχὴ ξηρὰ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη, ταύτῃ δὲ ἐποπτική, οὐδὲ ἔστι κάθυγρος ταῖς ἐκ τοῦ οἴνου ἀναθυμιάσεσι, νεφέλης δίκην σωματοποιουμένη. Jubar vero est anima sicca sapientissimum, & præstantissimum idemque & perspicax, neque madescit vini habitu, in modum nebulæ crassescens.* Confer Erasmum *in Chiliad fol.* 659. ubi latissime de hoc adagio, sed nulla Socratis mentione facta. Socratem alias temperantissimum fuisse quidem, & sitim pertinaciter tolerasse, constat, ut aliam abstinentiæ causam allegasse Laertius *lib. II.* memorat: *Ne consuescam*, inquiebat, *obsequi affectibus. Interdum enim, licet sitias, noxium est bibere: hic cum ratio suadet abstinentiam, affectus hortatur, ut bibas magis obtemperandum est rationi.* Huic aliud adagium debemus, nempe *ἀγαθοδαιμονίζειν*, a tertio cratere *ἀγαθοῦ δαίμονος* appellato, a quo *ἀγαθοδαιμονισταὶ* dicebantur, qui parce biberent: de quo Erasmus *fol.* 1914.

THEOREMA VII.

Neque enim legibus omnino (1) *solutus erat.*

PLerique qui de potestate principum aliquid commentantur, solent præter alias rationes etiam ad Jus Hebræum provocare, & illorum Regum exemplar, velut ab ipso *Deo* comprobatum, proponere: recte quidem; nonnulli tamen Aulæ propiores, ut pro suis offis blandiantur vicissim, ea sic allegare, ut magnatum conscientiæ laxentur, & asperiora quædam quasi divina lege concessa, secure usurpent. Scilicet ut peritus coquus, qui ad cujusvis Apitii palatum edulia parare novit, sic illi scripturis ad quidvis excusandum vel stabilendum abuti. Ego qui has artes (scholasticis alioquin utiliores) non didici, nec in eo cuiquam obnoxius sum, referam simpliciter & bona fide, quid de hoc in Hebræorum libris invenero, & Placentiam prætervectus, iter Veronam recta dirigam; in neminis præjudicium: capiat inde quilibet, quod volet. Præmonere autem vix opus est, non hic agi de Statutis humanis, qualia omnino quilibet legislator pro circumstantiis emendare, mutate vel prorsus abrogare potest, si Reip. usus ita postulet: modo ad supremam legem, quæ *Populi Salus* est, cuncta referantur. Ubi utique locum habet illud Ulpiani: *quodcunque Imperator per epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decrevit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit; legem esse.* l. 1. ff. de Const. Princip. Quis enim legibus subjiceret, qui eas condendi potestatem habent? si olim Dictatores in bellum ituri a Romano Senatu ad tempus legum vinculis solvebantur, ut omnia pro re nata commodius administrarent, eccur eum ligaremus ad temporaria & minutula, penes quem Summa rei erat in populo sacro? potuit igitur de

de plano procedere, pœnas civiles mitigare vel exasperare, ut infra *Theor.* XIV. plenius dicetur: nisi seipsum ultro & & boni exempli causa lubens submittere voluerit; quod sane in proba gubernatione plurimum momenti habet, quoniam *componitur orbis Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus humanos edicta valent, quam vita regentum.* Quemadmodum Plutarchus *in Apopht.* Antiochum commendat, ad Asiæ præfectos scripsisse: *Si quid contrarium legibus per epistolam jussero, nolite parere*; & Saulo (2) ipse, quando adhuc novus atque probus erat, sponte se filiumque sorti submisit, 1. *Sam.* 14. 40. in re leviuscula, ob pusilum mellis, non dignum quod Principi juventutis Jonathæ, periculum vitæ crearet. Quemadmodum frugi paterfamilias, licet ministris œconomiæ rationem reddere non teneatur, studet tamen illis parsimonia præire: sic bonus Rex ipsemet honestatis non necessitatis ductu observare leges, quas sanxit in alios.

Sed quæritur hic de Divinis sive Mosaicis legibus, an illis exemtus fuerit, quem *Deus* supra populi sortem evexit? Respondeo, æque ipsum obligasse ac quemvis vilissimum de promiscua plebe; imo arctius, quia non tantum per seipsum obedire jussus est, sed & alios ad obedientiam cogere, contumaces vero dignis modis punire. Hæc adeo causa est, cur non modo geminum exemplar sua manu describere, sed & continue illud legere debuerit, domi forisque. Aut putabimusne, cum Rubenus incestum committit, *Gen.* 35. 22. Cainus fratricidium, *Gen.* 4. 8. Achan furatur, *Jos.* 7. 21. Laban idola colit, *Gen.* 31. 30. hæc sola esse peccata? quando autem David adulteratur & homicidium procurat, 2. *Sam.* 11. *v.* 4. *&* 15. Salomo alienos Deos amplectitur, 1. *Reg.* 11. 4. Achabus vineam eripit Nabotho per vim & dolos occiso, 1. *Reg.* 21. 10. heroicas esse virtutes? Inter Ethnicos quidem erant, quibus acclamabatur illa Tyrannis (3) amica vox: *Si libet licet: an nescis te Imperatorem esse; leges dare solitum non accipere?* unde non mirum est, unum incendisse Romam suavis spectaculi gratia, alteri cives occisos oluisse optime, tertium universo populo cervicem unam optasse, ut eodem ictu amputari posset: verum in populo *Dei*, ubi omnes a minimo ad maximum censebantur fratres, Rex idem jugum legis subibat, quod cæteri ejusdem ortus, cum quibus omnia humana dicitur habere communia, *Sap.* 7. *vers.* 5. proinde cum Usias (4) lepra percuteretur, non toleratus est in regia, sed habitavit seorsim, 2. *Reg.* 15. 5. & 2. *Paral.* 26. 21. ore tecto, capite autem nudo, vestibusque laceris, sicut Moses præceperat *Lev.* 12. 46. Præsertim vero tria Regi specialiter injuncta, ne scilicet Uxores, Equos vel Opes multiplicaret, *Deut.* 17. 16. de quibus infra *Th.* IX. X. & XI. dicetur amplius. Hæc tamen & talia Majestatem ejus nihilo minuebant. Quid enim gloriosius quam inculpatum esse ac *Deo* conformem? quæ major laus quam ultro nolle quod propitio *Deo* non possis? Ut tamen ejus honori lex quoque parceret, immunis erat a ritu (5) fratriandi. Numerant Judæi sexcentas & tredecim leges, inter quas ista, Deut. 26. 5. *ut quis defuncti fratris superstitem viduam aut ducat: aut si nolit, in publico consessu calceum sibi extrahi, & cum infami exprobratione in os expui patiatur:* a quo solo Rex honoris ergo liber erat. Hal. Melach. *cap.* 2. *vers.* 2. המלך אינו חולץ שנ׳ וירקה בפניו והו״ה בזיון ואפילו רצה אין שומעין לו שהמלך שמחל על׳ כבודו אין כבודו מחול והואיל ואינו חולץ אינו מיבם: *Rex non discalceatur, quia dicitur* (Deut. 25. 9.) *spuat in faciem ejus, quod esset contemtus. Ac quamvis vellet, tamen non obedirent ipsi; licet enim Rex honori suo renunciaret, honor tamen ejus non renunciaretur. Sicut autem non discalceatur, ita consequenter nec fratriat.*

Jam (6) in eo sumus, inquiratur porro, an vero in jus vocari potuerit Rex a quoquam, aut affici pœna, si legem forte transgressus fuerit? Rabini affirmative respondent; nec intelligunt extraordinariam reprehensionem, quam jussu *Dei* a singularibus viris spiritu cœlesti repletis sunt: constat enim multoties a sanctis *Dei* Prophetis increpitos, ut Achabum ab Elia 1. *Reg.* 21. 19. Assam ab Hanani 2. *Par.* 16. 7. Amaziam ab alio 2. *Par.* 25. 16. Herodem a Johanne Baptista *Marc.* 6. 18. sed ajunt ordinario judicio Reges ob transgressionem legis potuisse conveniri, & ad verbera damnari: quod mihi primum legenti valde paradoxum videbatur, quia ex nostratium libellis præjudicio longe alio fascinatus eram; sed ulterius inquirenti, consensu totius antiquitatis (7) Hebrææ confirmatum fuit. Ut vero, benevole Lector, probe rem intelligas, observa id accipiendum 1. non de quovis delicto, sed tribus tantum illis specialiter prohibitis. 2. nec de

de quovis Actore, ne promiscuæ multitudini ad res novas & seditiones jam ante satis pronæ, fenestra rebellionis aperirent, vel iniqui adversus magistratum odii sui virulenter evomendi occasio præberetur: sed a Synedrio magno, regiæ potestatis compari. 3. neque quavis pœna, nedum capitali supplicio, sed Vapulatione; *Deut.* 25. 2. turpi quidem nobis credita, sed Judæis ob frequentem & universalem usum minime infami: quam Divus quoque Paulus quinquies sustinuit. 2. *Cor.* 11. 24. Non exauctorarunt eos (ut barbari quidam suos) multo minus ad furcas damnarunt, ut Senatus Romanus Neronem. *Sveton. l.* 6. *c.* 49. minime per insidias necarunt, quia Diabolus tunc Clementinas, Castellanas, Ravaillacinas (8) artes simpliciori seculo nondum calluerat, quando etiam simulatus tantum Regicida, vanam gloriationem capite luebat 2. *Sam.* 1. 16.

Cæterum vapulatio (9) legalis taliter comparata erat. Si quis deliquerat mediocriter, quod nec mortem mereretur, nec etiam prorsus impune ferendum, adjudicabant ipsum Synedriales verberibus, & decernebant quot ictus ferre vel deberet vel posset. Ob simplex delictum nemo plures quam Quadraginta (10) plagas accipiebat: corpore debilis etiam pauciores. Nam hoc totum juxta vires æstimabatur, quoniam infirmiori sola semissis ad mortem sufficere potuisset. Oportet ergo Paulum corpore robustum fuisse; qui toties tot sustinuerit: quamvis vocem haberet gracilem 2. *Cor.* 11. 24. vires autem considerabantur in præsenti, non futuro. At si quis dupliciter peccasset, accumulabantur ipsi plagæ, ut etiam quadragenas excederent. In quo sane errant, (11) qui Judæos ex misericordia ictus XXXIX. ordinasse credunt, ne scilicet ipsa lege crudeliores haberentur, & tamen non multum ab ea recederent; sed factum est hoc ob triplicitatem numeri, ut in tergo binos acciperet, dum in pectore singulos. Video sententiam hanc mihi contra diffidentes, authoritate veterum esse muniendam. Sic igitur Maimonides Hal. Sanhedr. *cap.* 17. *initio*. כמה מלקין את המחייב מלקות כפי כחו שנ' כדי רשעתו אין מוסיפין על הארבעים אפילו היה חזק ובריא כשמשון אבל פוחתין לחלש שאם יכה לחלש מכה רבה בודאי הוא מת: *quoties feriunt reum? tot plagis, quot ferre potest, sicut dicitur* (Deut. 25. 2.) *juxta impietatem suam &c. non addunt* (in simplici delicto) *supra quadragenas, quamvis robustus sit ut Samson: minuunt vero debili: quia si eum crebrius ferirent, manifeste moreretur*. Et mox: כשאומדין את החוטא כמה הוא יכול לקבל אין אומדין אלא במכות הראויות להשתלש אמדוהו שיכול לקבל עשרים אין אומדין ילקה אחד ועשרים כדי שיהיו יכולין להשתלש אלא ילקה יח: *quando peccatorem æstimant, quot ferre possit, attendunt simul ad numerum tripartitum*, (& sumunt meritis proxime minorem) *v. g. qui vicenos ictus sustinere valet, ei non decernuntur* XXI. *quamvis trifariam divisibiles, sed* XVIII. *tantum*. אמדוהו לקבל ארבעים ומשהתחיל ללקות חלש ואמרו אינו יכול לקבל יתר על אלו התשעה או השנים עשר שלקה הרי זה פטור: אמדוהו לקבל יב ואחר שלקה ראוהו חזק ויכול לקבל יותר הרי זה פטור ואינו לוקה יותר על האומד: *si æstimarunt ipsi* XL. *ictus, at inter vapulandum animadvertunt esse debilem, nec posse ultra* 9. *vel* 12. *acceptos sustinere, dimittunt: contra cui* XII. *tantum ictus adjudicati, quamvis in executione deprehendatur esse fortior & plures valere, absolvitur tamen, nec ipsi multiplicantur*. circ. med. capitis. מי שנתחייב מלקיות הרבה אם לא אמדוהו אומד אחד לוקה ומתרפא וחוזר ולוקה: כיצד נתחייב שתי מלקיות אמדו יכול הוא לקבל מה הכוהנ שלשים ומתרפא וחוזרין למלקות שנייה עד שילקה לכל: *qui verberationes multas promeritus est* (sive uno grandi peccato, seu pluribus coacervatis,) *si non ad unam continuam executionem damnarunt, vapulat aliquantum, deinde sanatur & postea vapulat reliquum verb. gr. si* XLV. *plagarum reus est, accipit nunc* XXX. *& postquam curatus fuerit a vulneribus, cæteras* XV. Reus alligabatur columnæ sic ut nec staret prorsus nec sederet, sed incurvus penderet quasi. Tum lictor a tergo positus, ipsum umbilicotenus nudatum percutiebat alternis ante & retro, proportione sesquialtera (ut vietores vel fabri nobiscum dolia & incudem) scutica singulariter ad id parata. Judicum vero unus ferire jubebat, alter ictus numerabat, tertius pœnæ (12) justitiam accinebat. Juvat hoc iterum ex Hebræis comprobare. Maym. *cap. præced.* 16. §. 8. כיצד מלקין אותו כופת שתי ידיו על העמוד אילך ואילך וחזן הכנסת אוחז בבגדיו אם נקרעו נקרעו ואם נפרמו נפרמו עד שהוא מגלה את לבו שאינו מכהו על כסותו והאבן נתונה מאחוריו שהחזן עומד עליה: *Quomodo verberant ipsum? vinciuntur ambæ manus rei ad columnam hinc & illinc, mox Inspector* (seu apparitor) *Synagogæ arripit eum vestimentis, sive rumpantur sive dissuantur parum refert, modo pectus ipsi aperiat; quia non feriunt super tegmentum*.

tum. *Lapis autem jacet retro columnam, cui apparitor insistit.* Sequitur: ורצועה של עגל בידו כפולה לשנים ושנים לארבעה ושתי רצועות של חמור עולות ויורדות בו ורוחב הרצועות טפח וארכה כדי שתהא מגעת עד פי כריסו והיד של רצועה שאוחז בה ארכה טפח: *Lorum vitulinum in manu sua bis duplicatum erat, hoc est in quatuor fissum, in quo bini nodi trusatiles sursum & deorsum agitabantur, ex asinino corio* (scilicet ut eum timere disceret, quem bos & asinus cognoscunt, Esai. 1. 3.) *lori latitudo palmaris, longitudo autem quæ ad Rei ventrem pertingerent. Manubrium quo tenebatur, etiam palmi quantitate.* האיש המכה צריך להיות יתר בדיעה וחסר בכח ומגביה את הרצועות בשתי ידיו ומכה בידו אחד בכל כחו ומלקהו שליש מלפניו על חזיהו בין דדיו ושני שלישית מאחריו שליש על כתף זה ושליש על כתף זה: *Percussorem oportet plus valere scientia, quam viribus. Nam attollit quidem flagrum utraque manu, sed ferit tantum altera, pro posse. Infligit tres ictus ab anteriori parte, super pectus, inter mammas; & bis ternos a tergo, tres scilicet in una scapula, totidem in altera.* המוכה אין עומד ולא יושב אלא מוטה שנ׳ והפילו השופט: *percussus interim nec stat neque sedet, sed inclinatus propendet; sicut dicitur* (Deut. 25. 2.) *prosternat eum Judex.* שופט לא יהיה מביט בדבר אחר לפיכך אין מכים שנים כאחד. הגדול שבדיינים קורא כל זמן שזה לוקה אם לא תשמור לעשות והפלה ה׳ מכותיך וגו׳ ומתכוין שיגמור הפסוקים עם המלקיות ואם לא גמר חוזר להחלת המקרא והשני שבדיינים מונה והשלישי אומר לחזן הכה כל זמן שמכה על פיו הוא מכה: *Judex non respiciat ad ullam rem alienam; ideo nunquam simul duos verberant. Primarius inter judices legit toto tempore, quo ille vapulat, hæc verba* (ex Deut. 28. vers. 59.) *si non obediveris omnibus &c. mirificabit Dominus percussiones tuas &c. studiose attendens, ut hunc textum una cum plagis finiat; sin minus, repetat: Alter judicum dinumerat ictus; Tertius semper percutere jubet.* Observemus etiam casus aliquot, qui contingere solebant: qui factum, si quis reus vel effugerit, vel in eodem delicto pluries recurrerit. Item si sub pœna corpore debilitatus, aut omnino mortuus fuerit. Cap. 17. §. 10. נפסקה הרצועה פוטרין אותו: כפתוהו על העמוד ללקות וברת את המיתרים וברח פטור ואין מחזירין אותו: *Si defecit lorum, dimittunt eum,* (perinde ut JCti statuunt, furem rupto laqueo decidentem, sustinuisse pœnam suam, per rationes, quas affert D. Mart. Schickardus Prof. Herborn. agnatus meus, *disp.* XVIII. *ad Jus Justin. Thes.* IV. *num.* 6.) *Si ad columnam ligatus ut vapularet, dirupit nervos & fugit, etiam absolutus habetur, nec reducunt eum.* Cap. seq. 18. §. 9. מי שלקה בבית דין על אסור כרת ולקה פעם שניה על אותו כרת עצמו כגון שאכל חלב אם אכל שלישית אין מלקין אותו אלא מכניסין לכיפה והוא מקום צר כפי קומתו ואינו יכל לשכוב בו ונותנין לו לחם צר ומים לחץ עד שיצרו מעיו ויחלה ואח״כ מאכילין אותו שעורים עד שכריסו נבקעת: *Qui vapulavit in Synedrio propter peccatum sub Excisione vetitum, & vapulavit altera vice ob idem, v. g. quod ederit adipem* (prohibitum Levit. 3. 17. & 7. 23.) *si comederit tertia vice, non amplius verberatur, sed includitur caveæ* (12) *ad id factæ* (quales etiam apud Monachos quondam in usu fuisse, ostendit locus quidam vicini cœnobii Bebenhusani) *quæ humilior est humana statura, nec tamen sedendi facultatem præbet, ibi sustentatur pane afflictionis & aqua pressuræ* (quod præter meritum expertus est verax propheta Micheas 1. Reg. 22. 27.) *usque dum affligantur intestina ejus & ægrescat. Deinceps cibant illum hordeis, donec venter ejus dirumpatur.* Iterum cap. 17. §. 9. מי שנתקלקל מכח ההכאה בין בריעי בין במימי רגלים אין מכים אותו יותר שנ׳ ונקלה אחיך לעיניך אבל אם נתקלקל מן הפחד מקודם ההכאה הרי זה לוקה: *Qui turpis fit ob vim percussionis, sive in fimo seu aquis pedum* (h. e. urina, alterutro indecore & præ debilitate reddito) *is non amplius cæditur, quia scriptum est* (Deut. 25. 3.) *ne vilescat frater tuus in oculis tuis. At si tale quid committat præ timore ante percussionem, nihilominus vapulat.* Cap. 16. §. 13. מת תחת ידו פטור ואם הוסיף רצועה אחת על האומר ומת הרי החזן גולה: *Si reus moritur sub manu lictoris, est is excusatus, at si addidisset unicum lorum ultra decretum, cogeretur exulare* (ad urbem refugii: quas ut involuntarii homicidæ, improviso casu consternati facilius reperirent, in omni bivio statuas Mercuriales erexerant prisci, cum exerta manu & inscriptione מקלט Talm. Makkos *cap.* 2. *p.* 10. *b.* Item Medrash Tillim *super vers.* 8. *Psal.* 25.) Ista prolixius recensui, non quod omnia directe huc pertinerent, sed quia ritus illi Christianis ignotiores sunt, scitu tamen dignissimi, imo ad explicationem Veteris T. omnino necessarii. Attigit ea quoque pridem diligentissimus P. Fagius *in notis ad Deut.* 25. & copiosius postea tractavit Cl. Buxtorfius *in præf. Abbrev. Hebr. ad illustr. Mornæum*: quos etiam (14) confer, si plura cupis.

Jam

Jam (15) vero videsis Mosaicæ legis rigorem! quæ ne regio quidem sceptro se submisit. Hal. Melach. *c.* 3. §. 4. לא ירבה לו נשים מפי השמועה למדו שהוא לוקה עד י״ח ואם הוסיף אחת ובעלה לוקה: ולא ירבה לו סוסים אלא כדי מרכבתו אפילו סוס אחד פנוי להיות רץ לפניו כדרך שאר המלכים לוקה: ולא ירבה לו כסף וזהב להניח בגנזיו אלא כדי שיתן לשמשיו ואם הרבה לוקה: *Non multiplicet sibi Mulieres: ex orali traditione hauserunt, licere usque ad* XVIII. *ducere* (de quo infra Th. IX.) *at si superadderet vel unicam, vapularet. Non multiplicet sibi Equos, nisi quantum ad curus sufficit: si vero duceret vel unicum ante se ad pompam, ut cæteri Reges solent, vapularet. Non multiplicet sibi Opes, argentum & aurum, ut relinquat in privatis thesauris, ultra id quod erogandum est ministris: si excedit, vapulat.* Halacha Sanhedr. *cap.* 19. in prolixo catalogo ducentarum atque septem culparum, quæ flagra merentur, sub finem ultimæ classis, ter nomen Regis occurrit. קסו מלך שהרבה נשים: קסז מלך שהרבה סוסים: קסח מלך שהרבה כסף וזהב: 166. *Rex qui multiplicat Mulieres.* 167. *Rex qui multiplicat Equos.* 168. *Rex qui multiplicat argentum & aurum:* subaudi ex præcedentibus; *ille vapulat.* Estque ista constans veterum traditio, & posset etiam e Talm. *cap. Kobengadol*; item e Siphri *pars. schoph.* & aliunde stabiliri, si unam rem toties cum nausea repetere deceret. Nihilo fuit in hoc melior conditio Summi (16) Sacerdotis, quamvis sanctissimi & ab ipso Rege reverenter habendi, quin potius aliquantum deterior in eo, quod non tantum ob varias pollutiones de facili contingentes dicto ritu cædi, sed & prorsus occidi potuit, si mortem ex lege mereretur. Hal. Kelehammikd. *circ. med. c.* 5. כהן גדול דן ודנין אותו ומעידין עליו ואין דנין אותו דיני נפשות אלא בבית דין הגדול בלבד: *Pontifex judicat & vicissim judicatur, atque testantur contra eum* (libere, modo vere; h. e. officii reverentia non obstante,) *sed capitaliter* (17) *eum nemo judicat, nisi Synedrium majus solum.* Quod multum abest a noto Canone Pseudapostolico Distinct. 40. *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis, & innumerabiles populo catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus; hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse judicaturus, a nemine est judicandus.* Et ab hoc responso Pauli II. Pontificis: *Ita nos ad Judices revocas, ac si nescires omnia jura in scrinio pectoris nostri reposita esse?* Postquam vero res Judæorum labascere cœperunt, & ipsi Romanos Dominos timere, nondum se tamen prorsus cohibere poterant Synedriales, quin a suis Regulis insolentiorum factorum rationes deposcerent; ideo Herodem (18) Galilææ præsidem in jus vocabant, ob factum minime violentum, scilicet ut causam diceret, cur Ezeckiam latronem cum sociis, inconsulto Hyrcano ad supplicium rapuerit? quibus se stitit quidem Herodes, at cum damnatum iri præsentisceret, clam elapsus, postea totos evertit. De quo sic breviter Josippus: (19) יבקשו ממנו שיבא הורודוס מן גליל להשפט עם דורשי דם חזקיהו ויבא הנער הורודוס ירושלימה ויעמוד לפני השופטים והוא לובש לבוש מלכות וחגור חרב מזהב ויגער בו שמאי הזקן על גובה לבו ולא האזין אליו ולא אל הסנהדרין וכאשר ראה המלך הורקנוס כי הסנהדרין כמעט היו גומרין את הדין להמית חמל עליו ואמר לא נגמור הדין היום עד למחר למען הציל אותו מידם ויברח הורודוס לילה וילך אל מלך ארם: *Postularunt ab ipso, ut veniret Herodes de Galilæa, quo judicaretur ob sanguinem latronis Exechiæ. Comparuit ergo juvenis Herodes, & Jerosalymis constitit ante judices, indutus veste regia, & gladio deaurato cinctus. Eapropter exarsit in eum R. Schammai senior, commotus hoc fastu; sed non auscultavit eos, nec curavit Synedrium. Cum vero Rex Hyrcanus animadverteret, quod Synedriales ipsum damnaturi forent & parum a sententia finali abesset, misertus illius suasit ut judicium differrent ad crastinum; quo sic eriperet eum. Itaque clam elapsus est, & fugit noctu ad Regem Syriæ &c.* Josephus *l.* 14. *Antiq. c.* 17. fusius ista describens, recitat (20) orationem, qua eum cordatus ille senior Schammai exceperit, quando reliqui collegæ, qui absentem accusaverant, præsenti & tot militibus stipato non contrahiscere audebant. Digna est quæ hic repetatur: *Equidem Judices tuque Rex, nec ipse unquam vidi quenquam, qui ad causam apud nos dicendam vocatus, ad hunc modum comparuerit; nec vos puto posse proferre hujusmodi quempiam: sed quisquis hactenus apud hunc consessum judicandum se præbuit, humilis venit & habitu timentis periculum, ac captantis misericordiam, atratus & promisso capillitio. At bonus iste Herodes cædis reus & tam gravi obnoxius crimini, adstat hic purpuratus & crine belle composito, cum armatis stipatoribus, ut si capitalem juxta leges santentiam in eum tulerimus, nobis mactatis ipse evadat illata vi legibus. Verum isti non succenseo,*

ſeo, quod majorem incolumitatis ſuæ quam legum rationem habeat; ſed vobis magis & regi, qui hanc ei conceſſiſtis licentiam. Scitote tamen potentem eſſe Deum, *quod iſte quem nunc in Hyrcani gratiam legibus eripitis, & vos aliquando & regem ipſum puniet &c.* Nec fefellit augurium. Herodes enim regno potitus, totum (21) Synedrium, unico Schammai excepto ſuſtulit; quem ſolum ob parrheſiam hanc honoravit.

Objiciat aliquis: ıalde infamem videri hanc pœnam, & Regiæ Majeſtati diametraliter oppoſitam, qua illa ſi non pereat funditus, enervetur tamen notabiliter. Reſpondeo (22) non habitam olim in hoc populo, ut hodie Fuſtigationem nobiſcum: ſed inſtar mulctarum quæ a nobiliſſimis quoque citra infamiam exiguntur. Aſſerunt enim Rabini, omnes poſt exantlatam ejuſmodi caſtigationem, reſtitutos fuiſſe in integrum præter ſolum Naſi, h. e. ipſius Synedrii præſidem, tamquam qui experimentis quotidianis cautior factus eſſe debuerit. H. Sanhedr. *ſub fin. cap.* 17. כל מי שחטא ולקה חוזר לכשרותו שנ׳ ונקלה לעיניך כיון שלקה הרי הוא אחיך: כהן גדול שחטא לוקה בשלשה כשאר כל העם וחוזר לגדולתו: אבל ראש הישיבה שחטא מלקין אותו ואינו חוזר לשרותו וגם אונו חוזר להיות כאחד משאר הסנהדרין משעלין בקודש ולא מורידין: *Quicunque ob peccatum vapulat, revertitur ad rectitudinem ſuam; quia dicitur* (Deut. 25. 3.) *ne vileſcat frater tuus in oculis tuis: ſicque poſt caſtigationem frater appellatur. Ipſe Pontifex vapulat coram tribus, ſicut reliqua plebs univerſa, & redit ad dignitatem priſtinam. At ſolus Director confeſſus, ſi ſemel cæſus eſt, nunquam reſtituitur poteſtati ſuæ, imo ne cæteris quidem inferioribus collegis poſtea æquiparatur; quoniam promotiones ſanctæ aſcendunt, non deſcendunt.* Præterea viros honoratiores non cum inſultatione ſarcaſtica vel exprobratione cædebant, ſed vultu ſubmiſſo; ut appararet non explere ſuam libidinem, ſed legis juſſum invitos exequi. Quemadmodum ille, qui Catonem, (23) ni fallor, Uticenſem offendit ebrium, reverentia tam gravis alioquin viri oculos avertit & vidiſſe prudenter diſſimulavit. H. Talm. Thor. *init. cap.* 7. חכם זקן מופלג בחכמה וכן נשיא או אב בית דין שסרח אין מנדין אותו בפרהסיא לעולם: אבל כשחטא אחר חטאות מלקין אותו בצנעא שנ׳ וכשלת היום וכשל גם נביא עמך לילה אע״פ שכשל כסהו לילה ואומר לו הכבד ושב בביתך: *Sapientem, excellenter eruditum, vel ſeniorem, item Principem aut patrem ſenatus, qui ſe quodam exceſſu fœtidum fecit, non ex-*

communicant palam & publice. At ſi quid aliud deliquerint, percutiunt eos quidem, ſed cum modeſtia, quia dicitur (Hoſ. 4. 5.) *tu corrues interdiu, & corruet etiam Propheta tecum noctu. Quamvis ergo talis corruit, tamen operiat eum nox, & dicatur illi: recipe honorem tuum atque abi domum.* Jam prævideo alios, qui exempla (24) deſideraturi ſunt. Hiſce fateor me idonea nondum reperiſſe, & nolle illud Uſiæ (25) nunc afferre, cui Sacerdotes in faciem exprobrarunt: *non competit tibi ut adoleas, ſed nobis; diſcede ocyus ex hoc loco ſacro, contra quem prævaricatus es*, 2. Paral. 26. 18. ſed illud tantum reſpondere loqui de *Jure* (26) non de *Facto*. Perinde eſt ac ſi quis argueret: ita non audivi quenquam, qui Sacr. Cæſ. Majeſtatem coram Electore conveniſſet; ergo falſum eſt quod Imperator aliquis coram Palatino de Juſtitia reſpondere teneatur. At hoc docet Aurea Bulla, Carolum IV. ſe & ſucceſſores ſpontanea libertate huic cognitioni ſubjeciſſe, *licet non facile contingat, ut quis Imperatorem vel publice vel privatim in jus vocet*: ut Cl. V. D. Rummelinus Amicus & Collega meus, *in ſuis ad A. B. diſſertationibus* ſcite notavit, *Part.* 1. *Diſſ.* 5. *Theſ.* 7. Etiam Atthalia fœmina regnum occupavit de facto, 2. *Reg.* 11. 3. & tamen verum manet, illud ſolis viris deberi de jure. Quid ſeverius prohibitum eſt Idololatria, ſub ipſa internecionis pœna; & tamen aliqui vitulos impune conflarunt! Molocho liberos immolarunt! nonne filii Sacerdotis Eli erant peſſimi? 2. *Sam.* 2. 12. flagris multiplicibus digni? & tamen parens qui ſciebat, atque ex officio duplici cohercere debebat, connixit? 1. *Sam.* 3. 13. quis propterea ſanus negabit heroum filios punire fas fuiſſe? quid ergo mirum in corrupto populi ſtatu Regibus indultum fuiſſe, quod etiam privati tulerunt impune? & non convulſum, quod ſine convellentium exitio vix potuit. Obſtat denique Caſauboni (27) authoritas, qui *ad Annal. Eccleſ. Exerc.* 13. *num.* 5. contrarium magno molimine urget, & adverſus Baronium ex ipſo Talmud eviciſſe videtur! equidem invitus dico, & molliſſime dico, quod veritas celare vetat, hallucinatur ille bonus vir, ſive ad gratiam hoc ſcripſerit, quod non credo; ſeu Adverſarii odio ſtudioque contradicendi humanitus evenerit, ut accidit quibuſdam magnis viris, cum ſemel aliquem oppugnandum ſibi propoſuerunt, quod probabilius; ſeu tandem ex ſuperficiaria lectione, id perperam arripuerit, quod veriſimillimum.

limum. Nam ut eſt infinitæ lectionis homo, cujus judicium & dexteritatem in allegationibus Græcis atque Latinis veneror, ita deprehendo, hunc Homerum, quando ad Hebræa ventum eſt, ſæpenumero dormitare: quod ipſi reliquarum virtutum intuitu meritiſſime condonandum. Quantum ad locum Talmudis, quo ſolo nititur; ſciendum ibi omnino contrarium tradi. Nec tamen falſi crimen commiſit; nam tale quid extat, ut ſolent problemata in utramque partem diſputari: ſed non accurate perluſtravit locum, quem legiſſe profitetur, alias non multilum arripuiſſet. Mox enim pagina ſequente (quæ eſt 19. *a. capitis* 2. *Sanh.*) hoc in Gemara expreſſe declaratur. אמר רב יוסף לא שנו אלא מלכי ישראל אבל מלכי בית דוד דן ודנין אותן דכתיב בית דוד כה אמר יי' דינו לבקר משפט: *ait Raf Joſeph, non intellexerunt niſi de regibus Iſrael: at Reges familiæ David utique judicant & judicantur, ſicut ſcriptum eſt* (Jerem. 21. v2.) *o domus David, judicate mane judicium.* (addit Reſch-Lakiſch juxta proverbium קשט עצמך ואחר כך קשט אחרים: *ornandos ſeu judicandos fuiſſe prius ipſoſmet Reges, antequam judicarint alios.*) Multo clarius autem hoc ipſum explicatur in ſubjecto *Peruſch hammiſchnajoth pag.* 115. *b.* זה במלכי ישראל בלבד לפי שהיו עברניין במלכותם לא היו משבחין השפלות ולא היו נכנעין לדברי תורה אבל מלכי בית דוד דנין ודנין אותם לפי שהם יודעים התורה ולא היה רע בעיניהם השפלות וההכנע לדברי תורה וכו': *Hoc accipiendum de regibus Iſrael duntaxat, qui tranſgreſſores erant in regno ſuo, nec laudabant humilitatem aut ſe legi ſubjiciebant: at Reges domus David omnino judicant & judicantur, quia noverunt legem, nec turpis eſt in oculis ipſorum hæc humiliatio atque ſubmiſſio legalis &c.* Item Hal. Melach. c. 3. §. 10. ככר בארנו שמלכי בית דוד דנין ודנין אותן ומעידים עליהם אבל מלכי ישראל גזרו חכמים שלא ידון ולא דנין אותו ולא מעיד ולא מעידין עליו מפני שלבן גס בהן ויבא מן הדבר תקלה והפסד על הדת: *Pridem expoſuimus, quod reges lineæ Davidicæ tam judicent quam judicentur, & teſtimonium liceat contra ipſos dicere. At de regibus Samaritanis decreverunt ſapientes, ne quis eos judicare vel contra teſtari præſumat; quoniam corda eorum ſuperba ſunt, unde proveniret* (nulla emendatio ſalutaris, ſed tantum) *contemptus & abolitio legis.* Nec non Hal. Edos *cap.* 11. §. *penult.* מלכי ישראל אין מעידין עליהם מפני שהם אלמים בעלי זרוע ואינן נכנעין תחת עול הדיינים אבל כהן גדול מעידין עליו ומעיד הוא למלך בבית דין הגדול כמו שבארנו: *Contra reges Iſrael non teſtantur, quia contumaces ſunt & magna potentia præditi, nec ſubmittunt ſe jugo Synedrialium,* (quippe in totum ſeparati a commercio religionis & politiæ Judaicæ:) *At de Pontifice teſtantur, & ipſe teſtatur de rege coram ſenatu magno; ſicut explicavimus.* Poſſem hujus generis plura proferre, ſed nil opus eſt. Ex allatis patet, quid Caſaubonum deceperit; & quod Baronium hic præter meritum exagitarit: cui tamen in aliis patrocinari non cupio.

Supereſt ut paucis attingam loca, quæ Tyrannis favere putantur, & impunitatem (28) delictorum ſtabilire. Palmarius (29) extat 1. *Sam.* 8. & a politicis varie diſputatur. Scinduntur etiam Judæi in ſententias contrarias: ſic tamen ut nemo talia Regi ſimpliciter conceſſa eſſe dicat. Quidam prorſus negant licita eſſe, ſed omnia pro argumentis tantum diſſuaſoriis adducta, ut exemplo talium regum populus deterreretur. R. Dav. Himch. *ſ. h. l.* נחלקו רבותינו ז"ל במשפט המלוכה ר' יהודה אומר לא נאמרה פרשה זו אלא ליראם ולביהלם: *Diſſentiunt noſtri doctores p. m. de jure regni. Rabi Jehuda inquit, non dictum eſſe hunc textum niſi ad terrendum eos.* Cui ſententiæ aſtipulatur R. Levi ben Gerſom *ibid.* אחשיב שאין המלך מותר באותם הענינים אבל רצה משואל ליראם ולבהלם והודיעם מה שיעשה המלך כשיתחזק על ממלכתו כשיקשה להם: *quod non conceſſa ſint regi talia, ſed voluerit Samuel ipſis terrorem incutere, monſtrando quid auſurus ſit Rex, poſtquam corroboratus fuerit in regno ſuo, & illos coacturus.* Qui ſic ſentiunt, voculam משפט (*v.* 11.) non judicium, ſed *conſuetudinem* interpretantur, quod ſane ſignificatu ſæpius etiam reperiri conſtat, ut 1. Sam. 2. 13. *pravus mos erat ſacerdotum* (filiorum Eli) *fuſcinis tridentibus ex aheno attrahere carnes ſacrificantium.* Item urgent, quod Rex ab irato *Deo* datus, non propitio: ad quod tamen ſupra *Th.* 1. reſponſum. Alii & numero plures & authoritate potiores fatentur quidem eſſe licita, ſed limitant: ſi moderate exigant; quantum Reipubl. uſus poſtulet; nec ad faſtum aut tyrannidem abutantur: Kimchius *ibid.* ר' יוסי אומר כל האמור בפרשה המלך מלך מותר: *R. Joſe ait, quicquid in hoc textu dicitur, licet Regi.* Sic ipſe Kimchius pro ſe vocem משפט per חוק ſive *ſtatutum* exponit: & Jonathan ben-Uziel paraphraſtes Chaldæus in ſuo Targum per נימוסא *legem.* Omnium vero diligentiſſime Maymonides Hal. Melach. *toto cap. quarto*, unde pauca tantum hic de-

delibabo, reliqua in suum locum servaturus. כל האמור בפרשת מלך מלך זוכה בו ושולח בכל גבול ישראל ולוקח מן העם הגבורים אנשי חיל ועושה מהן חיל למרכבתו ובפרשיו ומעמיד מהם עומדין לפניו ואנשים לרוץ לפניו ונותן שכרן: ולוקח כל הבהמות ונותן דמיהן ולוקח השדות והזתים והכרמים לעבדיו כשילכו למלחמה ויפשטו על מקומות אלו אין להם מה שיאכלו: *Quæcunque hoc textu dicta sunt, competunt regi. Is emittit in omnes terminos & assumit fortes virosque strenuos pro comitatu suo & equitibus. Constituit etiam qui ante se stent vel currant, numerata mercede. Tollit quoque jumenta pro precio eorum: item agros, oliveta & vineas pro servis suis, ut eas depascantur, quando in militiam profecti non aliud habent, quod edant &c.* Quam limitationem David exemplo suo comprobat, 2. *Sam. ult. vers.* 21. quando Araunæ aream non gratis petit, nedum invito extorquet, ut Achabus Nabotho vineam, 1. *Reg.* 21. 16. sed emere cupit. Alter (30) textus extat *Psal.* 17. *v.* 2. *A facie tua judicium meum egrediatur:* inde vult Bar-Nachmoni probare, *in Defar. Rabb. Pars. Schoph.* אין בריאה דן את המלך אלא הקב״ה: *quod nulla creatura judicet Regem, nisi* Deus *Opt. Max. solus;* id verum est de interiori judicio *Dei*, quando corda probat, ut mox *vers.* 5. sequitur: vel etiam de externo capitali; quod non negamus. Is enim corporali quoque vita privavit Saulem, Achabum & alios: quod nemini subditorum exequi licuisset. Tertius (31) itidem e Psalterio, notissimus ille *Tibi soli peccavi!* Psal. 51. 6. Ergo nemini mortalium rationem reddere debeo, nec contra subditos peccare potero! non hoc sequitur, sed aliæ sunt hujus exclusivæ voculæ rationes, quas Kimchi senior edisserit ארני אבי ז״ל פירש כי אילו היה אוריה חי היה חוטא לך ולו אבל עתה שהוא מת לך לבר לבדך חטאתי אני מודה לך כי כל חטאתי נשאר לך ואין לי לבקש מחילה אלא ממך לבדך: *Dominus parens meus p. m.* (R. Josephus Kimchi) *explicat: si Urias supervixisset, utique peccassem tibi & illi. At nunc quando ille mortuus est, tibi soli ego confiteor, quod omne meum peccatum tibi soli relinquatur; nec quæro ab alio remissionem quam a te solo.* Unus (32) textus est ex *Eccl.* 8. 4. depromptus: *Quis dicet Regi, quid facis?* quis nempe Aulicorum, de quibus ibi loquitur, & privatorum, quos non decet majoribus obloqui, sed eorum legitima jussa reverenter capessere. Cætera minoris sunt momenti. Si Prophetæ Samuelis (33) tractatus, quem *lib.* 1. *c.* 10. *v.* 25. de Jure Regio scripsit, adhuc dum superesset, facile omnis hæc liticula dirimeretur. At putant combustum esse; sufficiant igitur, quæ habemus ex residuis.

N O T Æ

In Theorema septimum.

(1) Neque legibus solutus. Hoc Theorema ex eorum numero est, circa quæ ab Auctore nostro discedit CL. Frischmuthus *in suo Rege eligendo & deponendo*. Sciendum vero geminam hic moveri quæstionem: Una est: *An Rex sit legibus*, (non *humanis* quidem, sed *Divinis*,) *adstrictus?* altera: *An, si legem fuerit transgressus, in jus vocari, & pœna affici a quoquam potuerit?* Utramque noster affirmat. Et concedit priorem etiam Frischmuthus. Nam cum petitionem populi Israelitici, quæ erat, ut ipsi fierent omnibus vicinis gentibus similes, a Rege postea judicandi, post alia his R. Abarbanelis verbis exposuisset: היו רוצים על כל פנים מלך בלתי נכנע לשום דת *Flagitabant Regem, qui omnibus legibus esset solutus*, subjungit §. *LXX. Horum*, inquiens, *petitio* Deus *eatenus annuit, quatenus natura Reipublicæ Hebræorum permittebat. Cum enim* Dei *populus essent electus, cujus salus e cultu* Dei *vero, & Mosaicæ legis observatione pendebat, prorsus fieri nequibat, ut vel e gentibus Rex crearetur, vel ex Judæis creatus* Ad Mosaicam Legem non adstringeretur *: utrumque enim idololatriam,* Dei *contemtum, & quæ hinc sequitur, certissimam indignationem divinam secum trahebat.* At posteriorem negat, & nullam ait fidem adhibendam Rabbinis, (quorum auctoritate Schikardus nititur,) sine scriptura, sine ratione Reges Synedrio subjicientibus. Adduxerat §. LXXIII. verba nostri Auctoris aliquam multa, quibus, in theorematis hujus expositione, Davidis, Salomonis Achabi aliorumque Regum peccata cum privatorum sceleribus confert, & quærit an quæ a privatis committantur, sola esse peccata, hæc vero Regum adulteria, homicida, idololatriam & cæteras a lege Dei aberrationes, heroicas virtutes censeamus? Hinc respondet *: Absit id, ut virtutum nomen veniant illa peccata, quæ hominem gratia* Dei *& vita æterna privant. Illud tamen asserere nulli dubitamus, Regem propterea nec in jus vocari, nec puniri potuisse. Quin si vel maxime sanguinem fudisset innocentem, ut Menasseh 2. Reg. XXI. 16. & Saul 1. Sam. XXII. 19. alterius thorum maculasset, ut David, 2. Sam. XI. 4. & vineam sive dolo, sive vi extorsisset, ut Achabus, neminem tamen in his terris fuisse, qui ipsum pœna afficere potuerit. Soli* Deo *id fuit relictum, non homini, utpote cui Rex in judicium protractus objicere potuisset illud Comici :* Si ego Hac contumelia sum dignus maxime, at tu indignus, qui faceres tamen? Rectissime omnino. Nam merito Auctori nostro, Rabbinicis nimium inescato illud Epicharmeum occini debat : *νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν, Sobrius esto, & memento diffidere : hi enim nervi sunt prudentiæ.* Quare, ut verbo omnia circa hoc theorema expediamus, ipsum in se bonum, prout conceptis ab Auctore verbis præmittitur, sed ἐξήγησις, quam subjicit, erronea, dum Re-

Regem legibus ſolutum negat tam in ordine ad homines, quam ad *Deum*. Erat enim certe ἀνυπεύθυνοι non in ordine quidem ad *Deum*, quod Schikardo concedimus, interim in ordine ad homines, quod in ſua ἐξηγήσει ille negat. Quibus fundamentis? ſuo ubique loco oſtendemus. Alias dum jus Regium ἀνυπεύθυνον, & poteſtatem ſolutiſſimam, nulli niſi *Deo* ſoli obnoxiam, Jo. Wandalinus *eruditis ſuis de Jure Regio libris*, *Hafniæ Anno* 1663. *editis*, Chriſtianis Regibus aſſeruit & demonſtravit, eadem ἀνυπευθυνίᾳ Hebræorum quoque Reges gaviſos ubique ſupponit: unde non pauca ex iis adverſus hoc Schikardi noſtri adſertum tum depromi poterunt. Videantur etiam, quæ Jo. Adamus Oſiander *ad Grotium de J. B. & P. lib. I. cap. III. th. XX. p.* 510. *ſeqq.* obſervavit.

(2) Saulus. Hoc exemplum Saulis, quatenus Jonathanem filium ſuum, mellis puſillum contra interdictum comedentem, ad mortem damnavit, illuſtrabis ex profana Hiſtoria illo Titi Manlii exemplo, de quo A. Gellius *lib. IX. Noct. Attic. c. XIII. Ab hoc T. Manlio*, (*cujus hanc pugnam Quadrigarius deſcripſit*,) *imperia & immitia Manliana dicta ſunt: quoniam poſtea, bello adverſum Latinos quum eſſet Conſul, filium ſuum ſecuri percuſſit; qui ſpeculatum ab eo miſſus, ne pugnaret interdicto, hoſtem, a quo provocatus fuerat, occiderat.*

(3) Tyrannis amica vox. Fuit iſta vox Juliæ Severi Imperatoris viduæ ad privignum ſuum Antoninuum Baſſianum Caracallam, coram quo ſe quaſi per negligentiam denudarat, cum ille nudam conſpicatus diceret: *vellem, ſi liceret*. Spartian. *in Anton. Carac. c. X.* Eadem Cambyſi Perſarum Regi Judices Regios reddidiſſe, narrat Herodotus *in Thalia*. Eos enim illicito germanæ ſororis amore captus percontatus fuerat, num quæ lex eſſet, quæ cum ſorore nuptias contrahere permitteret? ad quæ illi Tyranni metu. *nullam ſe*, inquiebant, *legem invenire, quæ fratri cum ſorore nuptias contrahere permitteret; ſed aliam ſe reperiſſe legem, qua liceat Regi Perſarum facere quicquid libeat*. Plane ita Jeſabel ad Achabum 1. *Reg. XXI*, 7. אתה עתה תעשה המלוכה על ישראל: *Tunc nunc geſſeris te tanquam Regem* (id enim eſt h. l. facere vel adminiſtrare regnum,) *ſuper Iſrael?* prout R. Levi ben Gerſon interpretatur: האם כמנהג הזה תעשה המלוכה על ישראל הנה בלתי ספק אין מחוק המלך להתפעל בזה האופן: *Nunquid hac ratione adminiſtraveris Regnum Iſraeliticum? Ecce, hoc ſine dubio non eſt regium, excruciare ſeſe ad hunc modum*. Et R. Abarbanel: התצלח למלוכה אחרי שאין לך לב ונבורה לעשות רצונך בדבר קטן כזה: *Numquid vero tibi res proſpere in regno ſuccedet, ſi neque cor habeas, neque potentiam faciendi, quicquid libet, in re tantilla, qualis hæc eſt?*

(4] Uſias. Lege hic Chriſt. Schotanum *Tom. II. Biblioth. Sacr. V. T. fol.* 945. *ſeq.*

(5) A Ritu Fratriandi. De hoc ritu extat integer tractatus ſub titulo: הלכות יבום וחליצה tum in Opere R. Maimonidis *Part. II. inde a fol. XC. & ſeqq.* tum in R. Jacobi ben Aſcher Arba turim *parte III. Abenhaæſer, inde a fol. LI. & ſeqq.* & nos de eo alibi pluribus ex inſtituto.

(6) Jam in eo ſumus. Hucuſque bene Schickardus noſter oſtendit, Regem Hebræorum, in ordine ad *Deum*, legibus non fuiſſe ſolutum. Dum vero jam in eo eſt, ut porro demonſtret, non fuiſſe ἀνυπεύθυνον in ordine ad homines, non poſſumus aſſentiri. Ab ejus tamen partibus ſtat Jo. Seldenus, qui uti ſententiis Rabbinorum eſt addictior: ita Regem non minus, quam alios, æque uti noſter, flagris obnoxios fuiſſe, aſſerit *lib. II. de Synedriis Vet. Hebr. IX. num. V. p.* 434. 435. quo loco ad hæc ipſa Schickardi obſervata provocat. Idem tamen poſtea, ſi non mutaſſe mentem, dubius certe factus videtur, *lib. III. de Synedr. c. IX.* Ibi namque, cum inde a *p.* 106. *ſeqq.* prolixe utramque ſententiam, tum eorum, qui Regem ſubfuiſſe judicio Magni Synedrii volunt, tum qui negant, expoſuiſſet, tandem *pag.* 121. concludit: *Suum eſt circa hoc, de Rege Hebræorum a Synedris magnis judicando cuilibet heic judicium. Nos, qua habent diverſarum ſententiarum hac in re auctores, fideliter oſtenſis, nihil omnino definimus.*

(7) Conſenſu Totius antiquitatis Hebrææ. Hoc ergo præcipuum, imo unicum Auctoris argumentum eſt, quod ſanæ rationi, & tot ſcripturæ teſtimoniis opponit. Equidem Hebræos id conſtanter aſſerere, haud diffitemur, utpote quod noſter ex ipſorum monumentis erudite monſtrat, & eſſe hanc Gemaricorum quoque ſententiam, adverſus Caſaubonum, optime vindicat, conſentientibus Jo. Coccejo *Excerpt. ad Gemar. Sanhedr. p.* 170. H. Grotio *lib. I. de Jure Belli & Pacis c. III. num. XXI.* aliiſque. Putamus tamen, tum demum introductam eſſe traditionem, cum appropinquante magis tempore Novi Teſtamenti poſt inſtitutum a redeuntibus Babilone Judæis famoſum illud Synedrium Magnum, hujus auctoritas ſubinde creſcens Regum Majeſtatem ſucceſſive imminueret. Sicuti proinde conſtans quidem Hebræorum eſt traditio. Moſen ipſum *Dei* juſſu Synedrium magnum conſtituiſſe; quod tamen poſt reditum ex Babilonica captivitate ſuos *Eſræ* natales debere, jam ſupra *pag.* 11. & 16. annotavimus: ita hic antiquitatis Hebrææ, ultra Talmudis tamen ætatem non aſcendentis, conſenſus, nihil omnino præjudicat veritati, & ipſam traditionem deſtruit recentior ille Synedrii ortus. Recolendum ergo hoc loco eſt, quod cum Schikardi noſtri meminiſſet ὁ πάνυ Calovius, ſalubriter illico monuit *in Bibliis Illuſtr. Tom. I. fol.* 747. *Nimis facile Hebræi noſtri Rabbinis fimbrias ſuas undique extendentibus fidem adhibent, hunc non mirum, eruditos cætera viros a genuino ſenſu Scripturæ abduci*. Atque inde bene Dn. Friſchmuthius §. LIII. Auctori noſtro plura Talmudicorum teſtimonia pro hac Synedrii poteſtate coacervanti Abarbanelis verba oppouit: הדברים אלה לחכמינו זכרונם לברכה דרכי הדרש ואין לי להשיב עליהם: *Doctorum noſtrorum verba redolent liberam & vagam concionem, atque adeo minime opus eſt, ut ad ea quicquam reſpondeam*. Et paulo poſt: הפסוק שהביאו לראיה רחוק מזה: *Dictum, quod probationis loco adducunt, nihil omnino ad rhombum facit.*

(8) Clementinas, Caſtellanas, Ravaillacinas Artes. *Illæ* a Jacobo Clemente, Pariſienſi ordinis Prædicatorum, parricida Regis Henrici III. quem XXI. Julii Anno 1589. ſcalpello veneno illito interemit: *Iſtæ* a Jo. Caſtello, Jeſuitarum diſcipulo, & Regem Henricum IV. occidere conato: *Hæ* a Franciſco Ravaillaco Angoleſmenſi, in eodem Rege parricidium d. XIV. Maii A. 1610. patrante, dictæ ſunt. Vide Matthæum *part. III. Hiſt. Franciæ p.* 224. *ſeqq.* Lud. Lucium *l. IV. Hiſt. Jeſuit. c. III. p.* 372. 398. Lanſium *contra Galliam p.* 356. & *contra Hiſpan. p.* 470.

(9) Vapulatio legalis. Hanc Rabbini vocant מלקות דאורייתא *flagellationem legalem*, item ארבעים *flagellationem quadraginta plagarum*, & abſolute מלקות *flagellationem*; eamque alterius generis vapulationi contradiſtinguunt, quæ ipſis מכת מרדות *fuſtigatio rebellionis*, ſeu *contumaciæ*, item מכת דרבנן *fuſtigatio Rabbinica*, h. e. non a lege quidem, ſed a Rabbinis tamen decreta, dicitur. De hac R. Majemon. *Hal. Sanhedr. c. XVI.* §. 3. כל מלקיות שמלקין דייני חוצה לארץ בכל מקום אינה אלא מכת מרדות: *Quamcumque vapulationem Judices extra terram ſanctam infligunt, ubicumque locorum ſit, ea tantum eſt fuſtigatio rebellionis ſeu contumaciæ*. Et iterum *Cap. VIII.* §. 5. כל אלו שלא קבלו עליהן התראה מכין אותן מכת מרדות הואיל וחטאו מכל מקום אפילו על איסור של דברי סופרים מכין אותו מכת מרדות: *Quicunque non recipiunt commonefactiones iſtas*, (quarum mentio præceſſerat,) *eis infligunt vapulationem ſeu fuſtigationem contumaciæ, poſtquam peccarunt, ubicunque locorum ſint; quin etiam eum, qui interdicta ſcribarum tranſgreditur, manet fuſtigatio contumaciæ*. Huic autem fuſtigationi, non erat (ut flagellationi legali) definitus plagarum numerus, ſed ab arbitrio judicium dependebat, & pro delicti ratione nunc augebatur, nunc imminuebatur, poteratque ad necem uſque fontis procedi; neque flagello, ſed baculo peragebatur; ſicuti id pluribus ex *Baal Aruch* deſcribunt Buxtorfius *Lex Talm. Rabb. fol.* 1252. Guil. Vorſtius *not. ad Maim. de fundam. Legis p.* 76. 77. Coccejus *Not. ad Miſch. Maccoth. c. III. p.* 123. Leuſdenius *Philol. Hebræo-Mixto Diſſ. XLIX. p.* 334. Cæterum, qui de מלקות *Malkus* h. e. legali vapulatio-

tione, ſeu flagellatione pluribus egerunt, paulo poſt recenſebuntur. Hoc loco notetur tertium adhuc flagellationis genus, quod Tyrannicum nuncupare liceat, quo ſe in ſubditos animadverſurum minabatur Rehabeamus 1. *Reg. XII.* 11. *quodque* בעקרבים *ſcorpionibs* fiebat, quos R. Levi ben Gerſon interpretatur : שבטים אשר בהם קוצים שנוקבים ומכאיבים : *baculos, in quibus ſpinæ aculeatæ erant, quæ pungebant, doloremque afferebant*. R. Salomo Jarchi : עקרבים אישגלנ״טיר בלעז שעוקצין בעקרב : *Akrabbin vernacule* (Gallice) *ſonat Eſglantier, quæ pungunt inſtar ſcorpionis*. R. Sal. ben Melech *in Michlal Jophi* : מין ממיני הקוצים אינילציר בלעז *ſunt ſpecies ſpinarum, quæ vernacule Egilizier vocantur*. R. David Kimchi : עקרבים קשים משוטים שהם עוקצים בקוצים מכחם וי״רת במרגניץ : *Scorpiones graviores ſunt flagellis quia pungunt ſpinis illis, quas habent additas, & Jonathan Chaldæus reddidit* מרגניץ, (quæ vox Chaldæa *ſpinas aculeatas* notat, quas Theophraſtus *lib. III. Hiſt. plant. c. ult.* κυνόσβατον *rubum caninum* vocat.) R. Abraham bar Jehuda *in Chibbure leket*, gloſſam R. Salomonis Jarchi repetit, niſi quod vocem ipſius Gallicam Germanice exprimat : עקרבים דערנ״יר בלעז שעוקצים כעקרב : *Scorpiones dicuntur Germanice* Dörner / *eo quod inſtar ſcorpionum pungant*. Audi vero & Danhavverum, Præceptorem olim noſtrum, *in Idea Boni Interpr. ſect. I. part. II. art. IV. pag.* 257. *Quid flagellum?* Inquit, *quid ſcorpio? Flagellum nihil habet præter ictum, quo caro pulſatur? fit enim plerumque ex materia lenta, quæ carnem non concerpit, ſed tundit tantum, & relinquit vibices ac livorem: in ſcorpione major atrocitas; habet enim ille aculeos curvos, quales hami ſunt aut unci, qui etiam lacerant & concerpunt corpora*. Conf. Schotanum *Tom. II. Biblioth. Sacr. Vet. Teſtam. fol.* 814.

(10) Quadraginta. De hoc numero quadraginta plagarum, & earum ad triginta novem reductione, præter Auctores poſtea citandos, qui de hac Judæorum flagellatione ſcripſerunt, confer Druſium *lib. VI. præteritor. p.* 260. *ſeqq.* & δεύτερας ejus φροντίδας *part. alter. Annot. in N. T. p.* 107. Quibus, una cum iis, quæ Auctor hic annotavit, obſervatis lux egregie affuditur loco Paulino 2. *Cor. XI.* 24. qui multis alioquin difficultatem pepererit, cur, cum lex *Deut. XXV.* 2. diſerte quadraginta plagas exprimat, Apoſtolus tamen τεσσαράκοντα παρὰ μίαν *quadragenas minus una* acceperit. Singularis plane hic eſt ſententia Eraſmi Schmidii, qui non vertit modo *accepi quadragenas plagas alternis diebus*; ſed & *in notis fol.* 1138. declarat, cum aliquos ibi πληγὴν *minus una plaga* ſubintelligere, ita ut Paulus a Judæis quinque vicibus, ſemper triginta novem plagas, acceperit, monuiſſet : *Ita vulgo exponi ſolet*, inquit. *Potius videtur ſubintelligendum* ἡμέραν, alternis diebus; *ita ut quinquies eum alternis diebus quadraginta plagis ceciderint, nulla plane remiſſa, ex affectu crudeliſſimo, imo plures haud dubie addituri, niſi lege prohibiti fuiſſent. Interim ut crudelitatem ſuam exatiarent, repetitis vicibus per alternos dies, ſemper quadraginta, & in ſumma quinque illis vicibus, ducentas plagas ei inflixerunt*. Enimvero non ἡμέραν ſed πληγὴν ſubaudiendum,) quam vocem etiam Camerarius *part. II. Notar. in N. T. p.* 8. ſupplevit,) hæ Rabbinorum traditiones omnino docent. Reduxerant nimirum Phariſæi numerum quadragenarium ad triginta novem; quo jure? non diſputamus: certe ſic rotundum illum legis numerum exponebant. Nec aliter Joſephus *lib. IV. Antiq. Judaic. c. VIII. f.* 109. cum de Moſaica lege agit : Ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιήσας, inquit, πληγὰς μιᾶς λειπούσας τεσσαράκοντα τῷ δημοσίῳ σκύτει λαβὼν, τιμωρίαν ὑπομενέτω. *Qui contra fecerit, plagas una minus quadraginta publica ſcutica accipiens, pœnam ſuſtineat &c.* Obiter notetur, numerum plagarum apud Ethnicos majorem fuiſſe, ſolitoſque Athenienſes quinquaginta infligere. ita Æſchines *contra Timarchum p.* 19. ὁ νομοθέτης εἶπεν, δοῦλον ἐλευθέρου παιδὸς μὴ ἐρᾶν, μήτ᾽ ἐπακολουθεῖν, ἢ τύπτεσθαι τῇ δημοσίᾳ μάστιγι πεντήκοντα πληγάς. *Legumlator dixit, ſervum nec amare ingenuum puerum, neque obſequi debere, ſecum ſi faciat, verberandum virga publica verberibus quinquaginta*.

(11) Errant. Reſpicit haud dubie Lyranum & Gloſſam ordinariam, imo etiam Eraſmum *in annotat.* qui id crediderant. *Probabile eſt*, inquit Eraſmus, *ob humanitatem, unam plagam remitti ſolitam, ut citra numerum præſcriptum conſiſterent*.

(12) Pœnæ Juſtitiam. Simile quid Romanos in more habuiſſe, ad *l. fuſtibus, & ſeq. ex quib. cau. infa. irrog.* obſervat G. Pancirolus *lib. II. Theſaur. Variar. Lect. cap. CXCIV. p.* 381. ſolitum nempe fuiſſe, cum rei puniebantur, præconem cauſam pœnæ palam edicere; quod Ulpianus *l. ſi duo. in fin. ff. de jurejurand.* appellat *Superdici : Si quis*, inquit, *pejeraverit, Imperator noſter reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimitti, & ita ei* Superdici, προπετῶς μὴ ὄμνυε, i. e. *petulanter ne jurato*. Lampridius *in Alexandro : Turinum*, inquit, *necari juſſit, præcone dicente, Fumo punitur, qui fumum vendidit*. Item Spartianus *in Severo : Fuſtibus*, ait, *Leptitanum ſub elogio præconis cecidit, legatum populi Romani homo plebejus temere amplecti noli*. Alia exempla ex Zonara & Xiphilino aſſert Cujacius *lib. VIII. Obſervat. cap. VII.*

(13) Caveæ. Hebr. כיפה quod in Targum legitur *Jer. XIX.* 26. loco Hebræi מהפכת, quam ipſam vocem Raſchi ibi per hoc כיפה exponit. R. Sal. Aben Melech *in Michlal Jophi f. CXX. c.* 1. המהפכת הוא בית הסהר וכן תרגם יונתן כיפתא ובדברי רבותינו זכרונם לברכה כונסין אותו לכיפה : *Mahpeceth ſignificat carcerem, ſic uti & Jonathan Chaldaice tranſtulit* כיפתא, *eo ſcilicet ſenſu, quo Rabbini b. m. hanc vocem uſurpant in illo Talmudico : Includunt eum* לכיפה Carceri. Provocat nimirum ad ipſam hanc formulam ex Maimonide hic occurrentem. Et ſine dubio a curvitate ſic dicitur receptaculum ſonti uni deſtinatum, atque uti alias notat fornicem in cavitatem diſpoſitam, ita hic carcerem inſtar fornicis extructum, nec niſi uni recipiendo aptatum. Cujuſmodi arcæ hodieque in uſu ſunt, quibus qui includuntur, neque erecti ſtare, neque ſedere, neque adeo cubare poſſunt. Jo. Coccejus *notis ad Sanhedr. c. IX. p.* 74. ſic e Rabbibis deſcribit : מושב מאסר שעושין בבית הסהר גבהו כשיעור קומת האדם שוה בשוה ואין לו שם מקום להתפשט ולא לישן : *Clauſtrum eſt in carcere, altitudine æquans hominis menſuram examuſſim, ita arctum, ut porrigendi ſe ad ſomnum capiendum facultas nulla ſit*.

(14) Confer. Præter has Fagii *notas*, & Buxtorfii *præfat. ad Mornæum*, conferri ulterius poterunt idem Buxtorfius *in Synag. Judaic. c. XX. p.* 364. 365. & in editione noviſſime aucta *cap. XXV. p.* 521. *ſeqq.* Leuſdenius *in Philolog. Hebræo-mixt. Diſſ. XLIX. p.* 334. *ſeqq.* Conſtant. L'Empereur *Annot. ad Cod. Middoth C. I. ſect.* 2. *p.* 7. *ſeqq.* Lud. de Dieu *in Animadverſ. ad Acta p.* 198. Anton. Hulſius *lib. I. Theol. Judaic. part.* 2. *p.* 277. 278. Jo. Steph. Menochius *lib. VIII. de Rep. Hebr. c. II. q. II. fol.* 721. 722. Jo. Mich. Dilherrus *lib. II. Elector. c. VIII. p.* 267. *ſeqq.* Et in primis Codex Talmudicus Maccoth cum notis doctiſſimis Coccejl, *c. III. p.* 116. *& ſeqq.* Cave autem, ex hoc Judaico flagellandi ritu judices de flagellatione Chriſti. Ea enim uti Pilati juſſu, ſic more Romanorum facta eſt, & ex Romana adeo hiſtoria illuſtrabitur. Paulus utramque ſuſtinuit, Judaicam unde quadraginta plagarum quinquies; ter vero Romanam, quam verbo ἐρραβδίσθην indicat 2. *Cor. XI.* 25.

(15) Jam vero. Avide hæc arripiuntur a Miltono *in Defenſ. Popul. Anglic. Reges*, inquit, *Hebræorum judicari poſſe, atque etiam ad verbera damnari, fuſe docet Schikardus ex libris Rabbinicis*. Sane apud Anglos ut inauditum non eſt, Reges capite plecti, ita nec, ad verbera damnari, ac refert ex Molinæo *lib. I. Hyperaſp. c. XX.* Adrian. Regenſvolſcius *lib. I. Hiſt. Eccleſ. Slavonic. c. II. p.* 11. Henricum II. Angliæ Regem, cum Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem, quod Remp. turbaret, occidi juſſiſſet, ab Epiſcopis regni & Monachis Cantuarienſis Eccleſiæ virgis cæſum, a ſingulis Epiſcopis quinos, a ſingulis monachis, qui erat 80. ternos ictus accepiſſe. Cæterum de verberibus Regi Hebræorum nullo modo inflictis vide Jo. Ad. Oſiandrum *Annot. ad Grot. de J. B. & P. p.* 511.

(16) Summi Sacerdotis. Idem ſic habet Miſchna Sanhedrin *c. I. §. V. & c. II. §.* 1. apud Coccejum

p. 2.

p. 2. & 19. Confer Cunæum *lib.* II. *de Rep. Hebr. c.* IX. *p.* 211. & in primis Seldenus *lib.* II. *de Synedriis Vet. Hebr. c.* IX. §. VI. *p.* 437. *seqq.* item *in lib. de Success. ad leges Hebr. c.* XXIV. *fol.* 83. & *lib.* II. *de Success. in Pontif. Hebr. c.* X. *f.* 263.

(17) Capitaliter. Tres ita jungunt Talmudistæ, de quibus nemo, nisi Synedrium magnum judicet: אין דנין לא את השפט ולא את נביא השקר ולא את כהן גדול אלא בבית דין של שבעים ואחד: *Non judicatur tribus integra, neque Pseudopropheta, neque sacerdos summus, nisi a Synedrio* LXXI. *virali*. Unde, quod capitalem in Prophetam animadversionem attinet, soli Synedrio magno convenientem, respexisse huc Salvatorem *Luc.* XIII. 33. cum negat quenquam Prophetam extra Jerosolymam perire posse, conjiciunt Cunæus *lib.* I. *de Rep. Hebr. c.* XII. *p.* 101. Drusius *lib.* III. *Præteritor. p.* 99. Grotius *lib.* I. *de Jure Bell. & Pac. c.* III. *annot. ad* §. XXI. *p.* 77.

(18) Herodem. Herodis hoc exemplum egregie excussis omnibus circumstantiis illustravit Seldenus *lib.* III. *de Synedriis vet. Hebr. c.* IX. §. I. *p.* 108. qui legi omnino meretur. Illud vero parum huc quadrare pro Synedrii magni in Reges potestate, monuit Salmasius *in Defensione Regia cap.* II. *Quod de Herode*, inquit, *afferunt Hildebrandinæ & Enthusiasticæ doctrinæ auctores, nihil eos juvat, quia rex non erat, sed præfectus Galilææ, cum ad Synedrium citatus est, vivente adhuc patre Rege ut ex Josepho clarum est. Et parum prudenter urget hanc historiam Sichardus* (intelligit Auctorem nostrum hoc loco) *ut probet, Synedrium etiam judicasse de Regibus. Quod falsissimum est, nec probari potest.* Quare etiam Schickardus ipse exemplo huic diffisus, quædam in priori editione, instar appendicis annotavit, hic suo loco inserenda. Sic autem habent: Si cui Herodis exemplum ibi allatum ideo non sufficit, quia tunc nondum totius Judææ Dominus erat, sed Galielææ tantum præses, habeat jam hoc alterum de Alexandro Janæo pontifice simul & rege, viro maxime strenuo, & insignibus victoriis nobilitato, qui huic populo universaliter & absolute dominabatur. Is enim leviori causa, ob culpam non suam sed alienam, in jus vocatus fuit, & quod mireris, astare jussus prohibitusque sedere. Talm. Mass. Sanhedr. *cap.* 2. *pagin.* 19. *a. circ. fin.* מעשה היה דעבדיה דינאי מלכא קטל נפשא אמור להו שמעון בן שטח לחכמים תנו עיניכם בו (פי' לא תחניפו לו ולא תשאו פניו) ונרינגו שלחו לחו ליה עבדך קטל נפשא שדריה לחון שלחו הא אנת נמי להכא והועד בבעליו אמרה תורה יבא בעלה שור ויעמד על שורו (פי' דעבדו כחמורו) אתא ויתיב אמר לו שמעון בן שטח ינאי המלך עמוד על רגליך ויעידו בך ולא לפנינו אתא עומד אלא לפני מי שאמר והיה העולם אתה עומד שנ' ועמדו שני האנשים אשר להם ריב וגו' אמר לו לא כשתאמר אתה אלא כמה שיאמרו חבריך נפנה לימינו (פי' לידע אם יאמרו כמותו) כבשו פניהם בקרקע (שהיו יראים ממנו) נפנה לשמאלו וכבשו פניהם בקרקע אמר להן שמעון בן שטח בעלי מחשבות אתם יבא בעל מחשבות ויפרע מכם: *Historia: Contingit ut aulicus quidam regis Jamnai homicidium committeret. Ibi* (præses Synedrii) *Simeon filius Sætac dixit collegis: cavete ne id impune dimittatis, aut personæ adulemini! adeo significarunt illi: servus tuus occidit quempiam! misit eum rex judicio, citarunt ipsum regem; veni tu quoque huc, nam lex dicit* (de bove cornupeta Exod. 21. v. 29.) *contestetur coram domino suo, id est, veniat possessor bovis & stet pro ipso in judicio. Jumentis autem æquiparantur servi. Comparuit ergo Rex & assedit. Dixit ipsi Simeon ben Sætah: o rex Jannai, surgens sta super pedes tuos, & sic testentur contra te. Non stas coram nobis, sed coram eo, qui dixit, fiat, & factus est mundus; sicut scriptum est* (Deut. 19. 17.) *stent ambo viri, qui litigant. Respondit: non faciam, quia tu jubes, sed quando collegæ tui consenserint. Respexit ergo Præses dextrorsum, an haberet suffragantes; at ipsi vultus in terram defigebant præ metu; conversus deinde sinistrorsum, ut vidit similiter facies non attollere ausos, dixit: o vos cogitabundi! veniet alius cogitabundus, & sumet de vobis vindictam.* Apparet autem simul exinde causa, quare hanc potestatem suam rarius exercuerint Synedriales, quia nempe timuerunt a regibus, in ordinem cogi nolentibus; nec omnes præsides ea præditi fuerunt fiducia, qua parhesiastes ille Simeon, aut ejusdem successor Schammai, & tandem animos omnino ipsis ademit Herodes, quando legis peritos occiderat, qui dictum illud Deut. 17. 15. *e meditullio fratrum tuorum eligas tibi Regem &c.* in ipsum velut alienigenam quadrare negabant, de quo R. Mosche Milcozi, *præc. aff.* 121. e primo capite Basæ posterioris. Unde postmodum Agrippæ palam adulati sunt, contra conscientiam ipsi acclamantes: אחינו אתה: *Tu es frater noster!* Hucusque Schickardi appendix. Additur autem in illis Gemaræ verbis, quod miror, Auctorem una non subjecisse: מיד בא גבריאל והבטן בקרקע ומתו: *Statim, ut hæc dixerat Simeon, aderat Gabriel, eosque omnes sic in terram prostravit, ut morerentur.* Vide jam Cocceji *excerpta Gemaræ Sanhedrin pag.* 168. 169. & Gilb. Gaulmin *lib.* II. *Notar. de vita & morte Mosis cap.* VI. *pagin.* 319.

(19) Josippus. Sic vocat Auctorem libri דברי מלכי בית שני: *Chronica Regum sub templo secundo* inscripti, quem Drusius *Cap.* XXIX. *Comm. ad Loc. diffic. Levit. pag.* 262. laudat. Impressus est cum aliis id genus opusculis, puta Seder olam rabba, Seder olam suta, Megillath taanith, Seppher Kabbala R. Abrahami bar Dior, junctim Venetiis & Mantuæ, quam utramque editionem olim e Bibliotheca Argentinensi mutuo habuimus, postea aliam adhuc nacti, qua etiamnum utimur, Basileæ prodeuntem anno שלח 338. i. e. *Christi* 1578. ubi ista, quæ Auctor noster inde citat, leguntur *fol.* XCIX. *col.* 2. Eundem libellum cum versione latina edidit olim Sebast. Munsterus *Wormatiæ Anno* 1529. & postea denuo Sebast. Lepusculus *Basileæ anno* 1559. sub titulo: קצר הדבר הזכרונות ליוסף *Compendii Historiarum Josephi*, atque hinc communiter *Josippus* citatur. Quod ideo monendum erat, quia videbamus, a plurimis scripta hæc pro distinctis haberi. Et ipsi nos haud diffitemur, olim nunc ad *Chronicon illud Templi secundi*, nunc ad *Josippum hunc Munsterianum*, veluti diversos libros provocasse, donec ex lectione & collatione utriusque unum eundemque esse didicimus.

(20) Orationem. Eadem habetur in Munsteriano Josepho ben Gorion *lib.* V. *cap.* IV. ubi ipsa quoque Historia de Herode in judicium vocato fusius recensetur. Orationem hinc transcribam, ut cum ista, quam ex Flavio Josepho Auctor produxit, conferri queant. אליכם בחירי האל האל גאוני קדושי יי' כי ראיתי היום דבר חדש ביניכם כי כל החוטא העומד למשפט יש לו לעמד בלבוש שחור ושערות ראשו מלאות עפר ואפר לבקש רחמים על חטא אשר חטא ועל העברה אשר עבר אבל זה הבחור ארודוס יעמוד לפניכם בלבוש ארגמן וראשו מוסרקו וסביביו גבורים והגור חרב אם יענש במשפט לשוב להרוג אתכם ואין אני תמה מאירודוס כי לא עשה כל זה כי אם למלט את נפשו ואתם חטאתם כי נשאתם פניו תחת אשר עזבתם לעשות כדברים האלה הנה ימים באים זה ארודוס אשר נשאתם פניו במשפט ועוד הורקנוס אשר חמל עליו הוא יהרגהו ויקבל מלכותו: *Verbum habeo ad vos, o electi Dei, & Magnifici Judices, quoniam video hodie rem novam inter vos; nempe cum alias omnis reus coram judicio consistens, stare debeat vestibus nigris & crinibus capitis pulvere atque cinere respersis, imploraturus misericordiam super peccato, quod patravit, & super prævaricatione, quam admisit; hic tamen Juvenis Herodes stat coram vobis purpura indutus, & caput ornatus, stipatus satellitibus, & accinctus gladio, ut si puniatur in judicio, vicissim vos occidat. Neque ego miror factum Herodis, quia non facit ista, nisi ut redimat suam animam. Vos autem delinquitis, respicientes personam ejus, & permittentes talia eum facere. Ecce dies venient, quibus Herodes iste, cujus vos personam reveriti estis in judicio, & cui Hyrcanus nimium clemens est, interfecturus est Hyrcanum, & occupaturus regnum ejus.*

(21) Totum Synedrium. Josephus *loc. cit.* & *lib.* XV. *Antiq. c.* IX. Conf. Christ. Noldium *in Hist. Idumæa p.* 421.

(22) Respondeo &c. Similiter Grotius *lib.* I. *de Jure Belli & Pac. c.* III. *Video*, inquit, *consentire Hebræos, Regi in eas leges, quæ de officio Regis scri-*

scriptæ extabant, *peccanti inflicta verbera*. *Sed ea apud illos infamia carebant*, *& a Rege in signum pœnitentiæ sponte suscipiebantur*, *ideoque non a lictore*, *sed ab eo*, *quem legisset*, *ipse cædebatur*, *& suo arbitratu verberibus modum statuebat*. At vero Josephus *lib.* IV. *Antiq. c.* VIII. *f.* 109. τιμωρίαν αἰσχίστην appellat hoc est *pœnam illiberalem*, *infamem*, *deformem*, *turpissimam*, & quæ ἐλευθέρῳ *ingenuo* minime conveniat. Verba ejus sunt: πληγὰς μιᾶς λειπούσας τεσσαράκοντα τῷ δημοσίῳ σκύτει λαβὼν τιμωρίαν ταύτην αἰσχίστην ἐλεύθερος ὑπομενέτω, ὅτι τῷ κέρδει δουλεύσας, ὕβρισε τὸ ἀξίωμα. *Plagas unde quadraginta accipiens publica scutica*, *pœnam hanc illiberalem ingenuus sustineat*, *eo quod lucro serviens ipse læserit suam dignitatem*.

(23) Catonem. Ille enim, etsi omni virtute alias cumulatissimus esset, dabat interdum cum amicis operam compotationibus tota nocte ad auroram usque. Quod ebrietatis vitium Cæsar ei præcipue objiciebat duobus libris, quos *Anti-Catones* vocavit. Quamquam alii excusabant, potasse eum, inquientes, non ut mergeret, sed ut reprimeret curas, quod nec Plato improbarit, cum largiori vino aliquanto refici animos putaret. Unde Cicero, eum vituperanti Memmio, quod *totas comessari noctes soleat*, facete regerebat: *Sed illud*, inquiens, *non addis*, *totos dies eum alea ludere*. Nempe civiliter Catonem excusabat, qui totum diem Reipubl. negotiis dabat, nocturnas aliquot horas sumebat laxando animo, Plutarch. *in ejus vita*.

(24) Exempla. Ea desiderabat Samuel Petitus *in Diatriba de Jure*, *Principum edictis*, *Ecclesiæ quæsito c. II. p.* 16. Ibi enim, cum idem Synedrii jus in Reges e Talmudicis enarrasset: *Atque hæc*, inquit, *jus dici solutum*, *Regi si quid deliquisset*, *a nobis dicta sunto e Judæorum sententia*, *non ex vero*. *Judæi enim istam* πολιτείαν *animo tantum conceperunt*, *nulli Principes eo jure regnarunt*. *Vide*, *quæ in sacris Bibliis habentur*, *quæ apud Josephum vernaculum rerum Judaicarum scriptorem leguntur*, *dabo pignus in omnes meas fortunas*, *si vel verbo jus istud asseratur*; *sed contrarium plane illis quæsitum est*, Deo *auctore*, *in Saulis inauguratione apud Samuelem*. *Et constat ex historia*, *legibus solutum fuisse Principem*, ἤγουν ἁμαρτήσαντα οὐ κολάζεσθαι, *quamvis deliquisset*, *pœnæ non fuisse obnoxium*: *ut illud Æschyli de Jove*, τραχὺς μόναρχος δ' ὑπεύθυνος κρατεῖ, *durus monarcha*, *& nemini subditus imperat*. *Non igitur in jus vocabatur*, *nec item armis oppugnabatur*, *utcunque a Judaicis institutis descivisset*, *& in pios persecutionem fecisset*, *&c.*

(25) Usiæ. Neque ejus exemplum quadrat. A foro *poli*, ad forum *soli*, non valet consequentia. *Non renuit exire*, inquit Sanctius ad IV. Reg. XV. fol. 1529. *cum Dei ultricem agnosceret manum*, *neque tutum putaret*, *aut decorum eo in loco*, *& tantorum hominum religioso conventu*, *tam justa sive admonitioni*, *sive imperio*, *seu potius divinæ voluntati resistere*.

(26) De Jure. Jus ergo ostendendum. Hactenus præter Traditionem Judaicam nihil allatum fuit, quæ tamen juxta ea, quæ *p.* 142. *lit. g.* diximus, hic nihil valet.

(27) Casauboni. Huic accedit Richard. Montacutius *in Analect. Exerc. VI. Sect.* 5. & *Antidiat. f.* 132. Videatur etiam Capellus *in vindiciis pro Casaubono lib. III. cap. II.* Cæterum thesis Casauboni vera est & bona; sed probatio theseos ex Talmude non omnis plane erroris expers; sicuti vicissim, quæ Auctor noster adversus Casaubonum hic disputat, bene se habent; sed quod Talmudicorum thesim, quam docte eruit, approbat postea & defendit, id errore non caret. Facit tamen pro Casaubono excusando Gemara Jerosolymitana ad illam ipsam Mischnam Massech. Sanhedrin: לא דן ולא דנין אותו: *Rex nec judicat nec judicatur*, quam pro sententia sua allegarat Casaubonus, quippe quam eodem plane modo, quo ille, interpretatur *fol. XX. col.* 1. לא דנין אותו על שם מלפניך משפטי יצא רבי יצחק בשם רבי המלך וציבור נידונין לפניו בכל יום שנאמר לעשות משפט עבדו ומשפט עמו ישראל דבר יום ביומו: *Non judicari Regem*, *probatur ex his Davidis verbis* Psal. XVII. 2. A facie tua judicium meum egrediatur. *Monuit interim R. Isaac*, *quod a Ribbi dixerit*, *Regem & universum populum judicari coram* Deo *quotidie*, *sicut dicitur* 1. Reg. VIII. 59. Ad faciendum judicium servo suo, & judicium populo suo Israel, rem diei in die suo. En! ad Davidem ipsum applicari regulam de non judicando Rege, ut distinctio, inter *Reges Israelis*, & *Reges familiæ Davidis*, quorum *hi* judicent & judicentur, *illis* vero neutrum conveniat, quæ ex Gemara Babilonica & R. Maimonide ab Auctore affertur, vel nulla sit, vel non ab omnibus, certe non a Gemaricis Jerosolymitanis recepta, vel denique aliter accipienda. Et ita sane Claudius Salmasius *in Defensione Regia c.* II. eam interpretatus est, ut nihil omino patrocinetur Auctori nostro, nihil obsit Casaubono. *Reges*, inquit, *e Posteris Davidis Judicium in se accipiebant*, *& in alios exercebant*, (hoc ipsum est, quod Gemara Babilonica & Maimonides dicunt: מלכי בית דוד דנין ודנין אותם: *Reges domus Davidis judicant & judicantur*.) *Quinam illi fuere?* pergit. *Nempe duces captivitatis*, *qui Babylone agebant*, Αἰχμαλωτάρχαι *Græce dicti*. *Hi ad Davidem genus suum per mares referebant*. *De his habetur in Gemara Talmudica cap. I. de Synedrio*, *traditio*, *qua fertur non recessurum sceptrum a Juda ad eos pertinere*; *nam eos esse Æchmalotarchas Babylonicos*, *qui sceptrum Israelis tenebant*. *Sed cur hi judicabantur*, *cum id proprium esset Regii Juris*, *non judicari*? *Non erant veri Reges*, *sed vice tantum regia regnabant*. *Suberant enim Regibus Persidis*, *a quibus potestatem suam accipiebant*. *Ex his liquet*, *qui Reges essent re & nomine* (quales erant Reges Israelis, item David ipse, ejusque de ipsius domo, Porente adhuc Hebræorum Republica, Successores,) *non potuisse judicari*, *impune ergo ipsis fuisse*, *quicquid fecissent*. Unde tandem post alia: *Certum est*, inquit, *Regem non vocari in jus solitum ad Tribunal septuaginta Seniorum*, *non coram his accusatum*, *nec ab his judicatum*.

(28) Impunitatem delictorum.) Repetenda hic distinctio inter impunitatem in ordine *ad Deum*, & in ordine *ad homines*. Hanc concedimus Regi, illam negamus.

(29) Palmarius. I. Sam. VIII. Vide notata ad libri titulum *pag.* I. Wandalinus certe ibi citatus, integro illo *libro I. de Jure Regio*, sic expedivit hoc argumentum, ut omnes instantiæ, & quicquid ad infirmandum illud afferri, quovis modo possit, in fumum abeant. Et bene ex hoc loco Salmasius *in Defensione Regia c. V.* etsi alias jus ibi descriptum, non de legitimo divinitus concesso, sed usurpativo & tyrannico dominio accipiat: *Cum Hebræi*, inquit, *Regem sibi dari a Propheta Samuele petierunt*, *totus oriens sub regibus erat*. *Nam postularunt regem sic haberi licere*, *ut cæteræ gentes haberent*. *Regum porro omnium*, *qui tunc nationibus imperabant*, *idem jus*, *eadem potestas fuit*, *in eo præcipue posita*, ut judicarent, & non judicarentur. *Quod & disertis verbis ibi testatus est propheta*, *dum jus Regum describit*. *Aperte quippe declarat*, *Regem electum a populo*, *si in tyrannum degeneraret*, *vindictam de eo ac judicium aliunde non posse sperari*, *nisi a* Deo. Adde nunc Dn. D. Hulsemann. *Brev. Extens. XX. de Magistr. Polit.* §. *XII. p.* 411. *seqq.* & Osiandrum *Annotat. ad Grot. de J. B. & P. lib. I. c. IV. Obs. II. p.* 534. *seqq.*

(30) Alter, *Psalm. XVII.* 2. Hunc etiam locum vindicat Wandalin. *lib. II. de Jure Reg. c. VIII. p.* 207. 208. Addimus nos post Gemaram Jerosolymitanam paulo ante *lit. d.* allatam, adhuc Glossam, quæ legitur in Medrasch Schochad tobh *fol. XIV. col.* 2. ad hæc ipsa verba: מלפניך משפטי יצא *a facie tua judicium meum egrediatur*. שנו רבותינו המלך לא דן ולא דנין אותו. אמר רבי יוחנן אמר דוד לפניו אני מלך ואתה מלך נאה למלך לדון למלך: הה״ד מלפניך משפטי יצא *Nota hic*, inquit, *quod Rabbini nostri docent*, *Regem nec judicare*, *nec judicari*. *Dixit R. Johanan*, *dixisse Davidem coram* Deo: *ego quidem Rex sum*, *sed & Tu*, o Deus, *Rex es*. *O quam Pulchrum est Regi*, *judicare Regem*. *Hoc sibi vult istis verbis*: A facie tua judicium meum exeat. In qua glossa illa limitatio Schickardi locum non habet, quam non innatam, sed illatam nemo non videt, quamque nec Rabba bar Nachmoni suo illi προσώπῳ, *Nulla creatura judicat Regem*, *sed solus* Deus, addi concederet.

(31) Ter-

(31) Tertius, *Psal.* LI. *6.* Nubem testium producit Wandalinus *lib. II. de Jure Regio c. VIII. p.* 201. *seqq.* tum e Patribus, tum recentioribus interpretibus, qui omnes Davidis pœnitentis verba accipiant sic ideo informata, quia, ut Hieronymus loquitur, *Rex erat, alium non timebat*: plane uti Ovvenus *lib. III. Epigr. LI.*

Subditus in legem peccat, Regemque, Deumque.
Rex peccat soli, Rex quia nempe, Deo.

Hos ille longa serie, dignos qui apud eundem conferantur, cum recensuisset, ad hunc Auctoris quoque nostri locum delatus, concludit *pag.* 207. *Tot vero*, inquit, *tantorumque virorum auctoritati temere repugnant pauci alii, ut* Schikardus *in Mischp. hamm. theor. VII.* Nic. Caussinus *Jesuita lib. de Regno* Dei *Diss. LXIX. aliique: Ego profecto majorem fidem habeo uni Ambrosio, uni Hieronymo, uni Chrysostomo aut Isidoro, quam centum Jesuitis Caussino similibus, vel mille Millonis, aliisque ejus furfuris Regicidis, vel ipsi Schikardo, viro cetera de literis Hebraicis præclare merito. Et in eadem mecum sententia omnes bonos*, Dei *& instituti divini amantes ac reverentes, fore confido*. Hæc Wandalinus. In quibus tamen nihil ad Schickardi objectionem respondet, forte, quod videret, sua sponte ipsam ruere. Quæ enim illa (ridicule sane) exclusivæ ratio, quam R. Joseph Kimchi excogitarat, & cum ipse ejus filius R. David Kimchi, (qui simpliciter recenset, suam expositionem, mox afferendam, longe aliam, præmittens,) non amplexus sit, noster tamen approbat, & veluti suam facit? *Non*, inquit, *supererat amplius Urias, cui vel satisfacere, vel deprecari poterat David, ergo soli* Deo *se peccasse ait*. Atqui non Uriam modo a se interfectum nec amplius superstitem offenderat, sed & alios, qui adhuc supererant. Supererat Bathseba, quam seduxerat: supererat Joabus, quem implicaverat: supererat populus, quem scandalizaverat: supererant hostes, quos blasphemare fecerat, supererat ei suum ipsinsmet corpus, in quod (teste Apostolo 1. *Cor.* 17. 18.) peccaverat. Paulo itaque prudentius hoc argumentum pro Regis ab omni arbitrio humano immunitate aliter eludit Hackspanius *part. II. Notar. Philolog. Theol. p.* 218. cui aliud est, *soli* Deo *peccare*, aliud *a solo* Deo *pœna affici*. Posterius quidem ait verum esse, *Regem a solo* Deo *plecti*, verum id hic non dici a Davide prius autem, *Regem soli* Deo *peccare*, dici quidem, sed cum non *Deo* soli, verum etiam in suum corpus & in Bathsebam peccarit, esse putat cum Maldonato Hebraismum, idemque sonare ac *secreto & nemine conscio*. Equidem nec Maldonatus, quem laudat, primus interpretationis hujus auctor est, cum pridem R. Davidis Kimchii fuerit, cujus ad hunc locum sic habet perusch: לך לבדך . כי חטאתי בסתר היו . דבר בהשבע בסתר היה. ואין יודע זולתך. ואע״פי שקראתי אותה על יד עבדי לא היו יודעים למה קראו אותה . וגם בדבר אוריה אין אדם יודע לבבי למה סבבתי מיתתו אלא אתה. כי אע״פי שכתב ספר ליואב על דבר אוריה בהודע הדבר חשבו בני אדם לפי שעבר מצותו צוה לסבב מיתתו . ואתה ידעת את לבבי בשני הדברים. כי לבבי להרע: *Tibi*, inquit, *soli inquam tibi peccavi, ait David. Peccata mea enim in occulto commissa sunt. Rem cum Bathseba in occulto habui, neque quisquam de ea novit, præter Te solum. Et quanquam per ministros eam ad me accersivi, illi tamen ignorabant, quare eam advocarent. Atque sic etiam circa cædem Uriæ, nemo hominum perspexit cor meum, quare procuraverim mortem illius, nisi tu solus. Nam licet scripserit literas ad Joabum super hoc Uriæ negotio, eo tamen ad hominum notitiam perveniente, putabant, propterea quod Regis mandata transgressus fuerit, ipsum jussisse sic procurari ejus mortem. Tu autem, o Deus, inquit solus perspectum habes cor meum in utroque hoc negotio, quod cor meum ad male agendum propenderit*. Enimvero, etsi negari nequit, hæc omnia quoque vera esse; non tamen exhauriunt emphasin verborum Davidis divina lege perterrefacti & consternati, quippe qui *Deum* in præsenti, non modo ut legislatorem, sed & severum legis vindicem, imo ut proprium reatus objectum intuetur, in quem ultimate, quicquid ipsius legi contrarium admisisset, redundaderet. Etsi igitur non esset, cur ullum hominem metueret, licet a se injuria affectum, sentire se tamen conscientiæ morsus, & accusatorem, & tortorem ad *Dei*, unius sui Judicis tribunal trahentem. Nihil ergo Hackspaniana illa distinctio obtinet, cum utraque propositio in textu sit, altera *formaliter*, altera *consequenter*, in exegesi optime omnino conjungenda. Hinc accurate consideratis textus cum circumstantiis, tum verbis singulis, sic mentem Davidis exprimit Magnif. Dn. Geierus *Prælect. Academic. in h. l. p.* 1033. *Hoc me solum excruciat, quod* Te, *tanquam Benefactorem meum largissimum, imo legislatorem supremum, judicemque omniscium, justum ac potentem præcipue offendi, ita ut offensa proximo facta, jam non consideretur vel attendatur a me Rege, superiorem in terris agnoscente neminem, sed tanquam crimen, ultimo in ipsum solum* Deum *unice vergens*.

(32) Ultimus, Eccl. VIII. 4. Hunc etiam locum pro Regum ἀνυπευθυνίᾳ tuetur, & contra Miltonianas exceptiones vindicat Wandalinus *lib. II. de Jure Reg. c. III. p.* 133. *seqq.* Utut vero Regem hic totius Mundi, h. e. *Deum* Regem Regum intelligi velit Raschi, quod & Textui convenientius, quam si cum Aben-Esra de Regibus terrenis accipiatur, Venerandus Præceptor, Dn. Seb. Schmidius, cum nobis olim Argentorati in Collegio privato librum Coheleth interpretaretur, judicabat; Præceptum enim, cum affirmativum ut mandata summi in cœlo Regis serventur, *v.* 2. tum negativum, ne quis ab eo desciscat, & peccato indulgeat, *v.* 3. pluribus docebat rationibus inculcari, 1. ab auctoritate Salomonis admonentis: אני *Ego*, subintellige: *vos admoneo*, *v.* 2. 2. a Majestate *Dei* præcipientis, quia מלך *Rex* est, *ibid.* 3. ab obligatione hominis jurantis: על דברת שבועת אלהים *propter juramentum* Dei, h. e. quod *Deo* factum est, siquidem omnis pius fœdus cum *Deo* pepigit, & ad servandum fœderis juramentum adstringitur *v.* 2. 4. a liberrima voluntate *Dei*, כי כל אשר יחפץ יעשה: *nam quicquid vult facit*, *v.* 3. 5. a summo jure, *Dei*, באשר דבר מלך שלטון *quia verbum Regis* (cœlestis) *imperium*, *v.* 4. 6. denique a summa & illimitata potentia ejus: מי יאמר לו מה תעשה: *quis dicet ei: quid facis?* unde hujus quarti versiculi hanc dabat paraphrasin: *Siquidem verbum hujus Regis altissimi est merum ac summum Imperium; quis itaque repugnabit potentiæ ejus, & dicere audebit: quid, aut quare facis?* Quoniam tamen Schikardus concedit, loqui de terreno Rege, facilius hoc argumentum suum pondus obtinebit. Sed & de *Deo* si exponas, nondum exspirat ratio, ut argumentum forte deserendum sit. Sicuti enim a Regis terreni Majestate & imperio, ad describendam Majestatem & imperium *Dei* verba mutuatur Salomo, *Deum Regem*, ejusque imperium שלטון *dominationem* appellando: ita potentiam ejus illimitatam nullisque legibus adstrictam iisdem verbis eloquitur, quibus ἀνυπευθυνία Regis terreni utpote satis perspecta, describi solet; ac sensus est: Rex omnium potentissimus atque summus in Cœlo *Deus* est, quod si ergo terreno Regi nulla coram hominibus factorum suorum reddenda ratio, quid dicet *Deo*, cœlesti Regum omnium Regi: quid aut quare facis? Idem vicissim hoc etiam modo ex hoc textu probatur: Ut *Deo* supremo omnium Regi nemo dicit: quid facis? Sic neque terreno Regi quisquam hoc audeat dicere. Hæc est enim imago illa *Dei*, secundum quam *filii altissimi & Dii* appellantur *Psalm. LXXXII. 6.* id quod perquam eleganter R. Abarbanel his verbis declaravit: כי המלך בארץ הוא במקום הקדוש ברוך הוא בעולם ולכן היה מסור אליו היכולת המוחלט להעניש גם שלא כדין כפי צורך השעה ולבטל הנמוס הכללי כמו שהשם יתברך לצורך השעה מבטל הטבע ועושה נפלאות גדולות לבדו ולכן היה יחיד במלכות כיחיד הקדוש ברוך הוא בעולמו: *Cum Rex in terra sit loco ipsius* Dei *optimi maximi, Regis totius mundi, propterea data ei est potestas absoluta ad puniendum etiam non juxta præscriptam legem, si quando necessitas adsit, & ad abrogandum legem universalem, perinde uti* Deus *optimus maximus, si necessitas postulat, impedit naturam, & facit mirabilia magna solus. Similiter enim Rex unus & solus est in Regno, sicuti unius & solus est* Deus *optimus maximus in mundo*.

(33) Samuelis Tractatus de Jure regio. ספר שופטים

משפט המלוכה : *Liber Judicii Regni*. Hunc negat Auctor adhuc dum supereſſe, quod diverſum ſit hoc משפט ſcriptum ab eo, quod ſuperius ore Samuel pronunciarat. Conſentiunt alii, interque eos Chriſt. Schotanus *Tom. II. Biblioth. Sacr. fol.* 569. *Hic*, inquit, *eſt* משפט המלוכה *jus regni*, *illic* משפט המלך *jus regis : quæ diſcriminata ſunt*. Verum nihil omnino diſcriminis inter utrumque intercedere agnoſcet, qui penſitabit, *Regem* & *Regnum*, veluti relata ſe mutuo ponere & tollere. Sive enim *jus Regis*, ſive *jus Regni* dicas, ſemper dixeris *jus Regium*. Quare cum Dn. D. Calovio *Tom. I. Bibl. Illuſtr. ſ.* 749. nullam videmus cauſam, cur non admittamus jus regium, eodem nomine משפט *ſupra c. VIII.* 11. indigitatum, hic deſignari literis conſignatum. Conſentiunt Hebræi, R. Levi ben Gerſon : משפט המלוכה ר״ל הכח שיש למלך על עמו והעונש הראוי למי שימרה את פיו וכתב זה בספר והניחו לפני י״ ר״ל אצל ארון י״ כדי שימצא שם תמיד : *Jus Regni h. l. notat cum poteſtatem, quam Rex habet in populum ſuum, tum pœnam cuilibet, qui rebellaverit adverſus eum, convenientem. Et hanc ipſam literis conſignavit in libro, quem coram Domino, hoc eſt, apud Arcam Domini, repoſuit, ut ſemper ibi inveniretur*. R. Dav. Kimchi : משפא המלוכה חק המלוכה על העם כמו שכתוב למעלה. וינח לפני י״ בארון הניחו : *Jus Regni eſt, illud ipſum ſtatutum & decretum regni ſuper populum, de quo ſupra* c. VIII. 11. *ſcriptum eſt. De eo dicitur, quod repoſuerit coram Domino, h. e. in arcam*. R. Salomo Aben Melech : משפט המלוכה חק המלוכה כמו שכתוב למעלה : *Jus regni notat ſtatutum regni, ſicuti jam ſupra obſervatum*. Joſephus *lib. VI. Antiq. Jud. c. V.* Τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι κακὰ γράψας αὐτοῖς ὁ προφήτης, ἀνέγνω τοῦ βασιλέως ἀκροωμένου· καὶ τὸ βιβλίον τίθησιν ἐν τοῦ τοῦ θεοῦ σκηνῇ, ταῖς μετέπειτα γενεαῖς μαρτύριον ὧν προείρηκε. *Propheta* Samuel *conſcriptis in libro omnibus, quæ illis ſub regia dominatione erant eventura, recitavit ea populo Rege præſente, & librum in tabernaculum* Dei *repoſuit, ut eſſet apud poſteros prædictionis ſuæ monumentum*. Conf. Sixt. Seneuſ. *lib. II. Biblioth. Sac. p.* 131. 132. Hottinger. *lib. II. Theſ. Philol. c. II. ſect. II. p.* 537. Leuſden. *Philol. Hebr. Diſſ. IX. p.* 100. Wandalin. *lib. I. de Jure Regio c. III. p.* 17. *ſeqq.*

CAPUT TERTIUM

DE AULA.

THEOREMA VIII.

Miniſtros aſſumebat ſibi, quos volebat.

MUltis utique hominibus indiget Rex, qui alienis oculis videt, alienis pedibus currit: eorumque officia ſunt varia, & deſcribuntur 1. *Sam.* 8. Poſſunt autem mea opinione ad ſex præcipue claſſes referri. I. eget Satellitibus (1) ſive corporis ſui cuſtodibus, qui domi ad præſidium præſto ſint, & foris in publico eum ſplendide comitentur. Qualis inter alios erat Davides in comitatus Saulis, נשא כלים *ferens ipſius arma*, 1. *Sam.* 16. 21. Nec enim ubique gentium ita tutum eſt, ut cuncti magnates cum Heroe (2) quondam Wurtembergico gloriari queant, *ſecuros ſe in cujuſvis ſubditorum ſinu pernoctare poſſe*. Ideo Rex Hebræus etiam fortiſſimum quemque ſeligebat, ad tutelam corporis, a cujus incolumitate totius regni ſalus pendebat. Maym. Hal. Melach. *cap.* 4. §. 2. שולח בכל גבול ישראל ולוקח מן העם הגבורים אנשי חיל ועושה מהן חיל למרכבתו ובפרשיו ומעמיד מהם עומדין לפניו ומעמיד מהן אנשים לרוץ לפניו שנ׳ ושם לו בפרשיו ורצו לפני מרכבתו : *Emittit in omnes provincias Iſrael, & conquirit e populo fortiores viros atque militares, & adjungit curribus atque equitatui ſuo, conſtituit aliquos, qui coram ſe ſtent, alios ordinant, qui ante ſe currant*. (3) *Sicut dicitur* (1. Sam. 8. 11.) *ponet ſibi viros equeſtres & præcurſores quadrigarum &c.* Quot talibus opus ſit, ſcriptura numero non definivit; videtur tamen & hic, ut in omnibus aliis, mediocritas optima, quæ nec paucitate regem nudet, nec pluralitate faſtum indicet. Neuter enim horum laudatur, qui vel deficit vel abundat: non Cæſar, qui ſui fidentiſſimus omne præſidium neglexit: nec Darius Perſa, quem ſemper haſtata myrias inſecuta. II. Indiget Miniſtris (4) aulicis, qui partim in cubiculo, partim ad menſam ſerviant: quos omnino probos eſſe multum refert, quia Domino immediate converſantur, & ſi maligni ſint, contagione ipſum inficere poſſent, imo totum populum corrumpere, ad quem aulici mores emanant plerunque. Unde aliqui non ſine judicio Reipubl. periculoſius fore metuunt, ſi miniſtri ſint pravi, quam ipſemet Herus. Nec deſunt exempla, ubi bonus, cautus, optimus Rex a cubiculariis perfide fuit venditus: *Eſth.* 2. 21. aut tota gens ab inflato quodam Hamano in pernitiem & vitæ diſcrimen adducta. *Ibid. cap.* 3. *v.* 10. Multa igitur cautione in delectu opus eſt, qualem adhibuit prudentiſſimus David *Pſal.* 101. 4. *Obtrectatorem, qui ſocio ſuo clam detrahit, & elatum vultu atque corde turgidum*

fer-

ferre non possum: oculi mei fidelissimos in terra quærunt, ut sedeant mecum, & perspectæ probitatis, ut serviant mihi, non habitabit domi meæ, quicunque fraudulentus est aut mendax &c. Itaque non sola corporis pulchritudo spectanda est, de qua Maym. *Ibid.* לוקח מן היפים שבהם להיות שמשים ועומדים לפניו שנ' את בחורכם הטובים יקח ועשה למלאכתו: *Sumit formosiores illorum, ut sint ministri stantes coram se: sicut dicitur* (1. Sam. 8. 16.) *juvenes vestros optimos accipiet, ut faciat opus suum.* Sed mentis præcipue decus attendendum. Quamvis rari sint Danieles, quorum animæ pulchræ hospitentur simul in corporibus decoris, *Dan.* 1. *vers.* 15. tamen hæc formæ gratia minime negligenda est, si haberi possit, quia vel maxime regios decet elegantia, non abnuente Christo, qui *molliter vestitos* esse ait *Matth.* 11. 8. Putantque Judæi, de honore Regum esse, ut tales ministri, qui Aulæ semel initiati sunt, aliis vilioribus officiis extraneis postea nunquam contaminentur. H. Melach. *c.* 2. *mox ab init.* לא ישתמש בעבדיו ושפחותיו ושמשיו אלא מלך אחר לפיכך אבישג היתה מותרת לשלמה ואסורה לאדניה: *Nemo utitur servis, ancillis aut ministris ejus, nisi alius Rex* (successor,) *proinde* (5) *Abisag* (1. Reg. 1. v. 3.) *licita quidem erat Salomoni, sed non Adoniæ.* (1. Reg. 2. vers. 21.) De Morionibus (6) aulicis, qui regum graviores curas aut etiam convivia, salibus & facetiis temperare soliti fuerint, nihil apud antiquos reperio; & mera est fabula de Marcolpho (7) Salomonis fatuo: videtur esse recentior mos, nec omni (8) periculo carere, quoniam naturalibus stultis plerunque malignitas quædam agnata, quam tunc edunt sæpe, cum minime timetur: imo & aliquid impietatis habere, si quis ad severiora natus, ineptiis gaudeat & stultitiam provocando foveat (9) multiplicetque, aut ex aliena miseria voluptatem quærat, quam utique honestiorem habere posset. Qui sapit, ille procul ab aulico splendore mavult facessere, quam aureis hisce compedibus alligari. Prov. 23. 1. *Quando comederis cum Dominatore, considera quid coram te sit: & pone cultrum ad fauces tuas, si tui compos es, ne concupiscas pulmenta ejus cibosve delicatos.* III. Eget Rex panificis & coquis; quæ officia olim erant curæ masculinæ, quando Pharaonis (10) pistor suspensus esse legitur, *Gen.* 40. 22. postea cum viri virilius agere, h. e. studiis militaribus se dedere cœpissent, ad fœminas devoluta sunt: inter quas & in aula hæ operæ dividebantur. Ead. Hal. *c.* 4. §. 5. ויש לו רשות לעשות הפלגשים שלוקח לארמונו טבחות ואופות ורקחות שנ' ואת בנותיכם יקח לרקחות ולטבחות ולאופות: *Potestatem habet constituere pellices suas, quas in palatium recepit, mactatrices, pistrices & aromatarias, sicut dicitur* (1. Sam. 8. 13.) *filias vestras accipiet in unguentarias & coquas & panificas.* De Gynæceo dicetur amplius *Theor. sequenti.* IV. Indiget etiam Fabris & Artificibus, si quid ædificare cupit; quod non postremum est pacis opus. Ibid. §. 3 וכן לוקח מן בעלי האומניות כל מי שהוא צריך ועושין לו מלאכתו ולוקח כל הבהמות שנ' לחרוש חרישו ולעשות כלי מלחמתו: *Sumit etiam de opificibus quibuscunque indiget, ut efficiant operas suas; tollit quoque jumenta* (quæ onera portent) *sicut dicitur* (1. Sam. 8. 12.) *ad fabricandum fabricas suas, & conficiendum arma bellica.* Videntur autem Judæi pastoritiæ rei plus dediti, mechanicas artes parum exercuisse: cujus negligentiæ rei plus dediti, mechanicas artes parum exercuisse: cujus negligentiæ damnum belli tempore senserunt. 1. Sam. 13. 19. *faber nullus reperiebatur in universo Israel; itaque ad Philistæos ire cogebatur, si quis vomerem, securim vel ligonem acuere vellet; erant vero omnia hæc obtusa, nec ullus gladius vel hasta, nisi apud Regem inventa.* Factum hoc putat R. Salom. Jarchi, *in com. s. h. l.* inopia fodinarum אחשוב כי למיעוט המצא הברזל *quod ibi parum ferri inveniretur*: Rectius vero Kimchi; procuratum id esse dolo (11) Palæstinorum tunc illius terræ Dominorum, ne Judæi rebellarent. כי שפלשתים משלו בישראל שנים רבות כי אף בימי שמשון מושיע ישראל אמרו הלא ידעת כי מושלים בני פלשתים ואעפ שבימי שמואל נכנעו ושבו הערים מעת אשר זקן שמואל תחרת ממשלתם היו ונציבים בארץ והיתה ידם תקיפה עליהם והורידו כל חרשי ברזל לארצם ולא השאירו אף לתקן כלי אומנות פן יעשו חרב וימרדו: *Quia Philistæi dominabantur Israelitis annos multos. Nam diebus Simsonis Salvatoris Israel dixerunt* (Jud. 15. 11.) *an nescis quod nobis dominentur? quamvis autem tempore Samuelis humiliati fuerint & reddiderint urbes quasdam* (1. Sam. 7. 14.) *tamen postquam ille senuit, habebant præfectos seu præsidiarios in terra* (1. Sam. 10. 5. & 13. 3.) *eratque manus eorum valida; proinde abduxerunt omnes fabros in terram suam, nec reliquerunt qui vel instrumenta tantum fabrilia reficeret: ne forte fabricarentur sibi gladios & rebellarent* (quod textui conforme, 1. Sam. 13. 19.) Simul vero ut providentia & auxilium

(12) *Dei* mirabile pateret evidentius. Ibid. להודיע כי לא בחרב ובחנית יושיע יהוה כי היו מעטים והפלשתים כחול הים: *Ad indicandum, quod non gladio & hasta salvet Dominus. Ipsi enim pauci erant* 1600. *inermesque, Palæstini vero instar arenæ maris; habentes* 30000. *currus &* 6000. *equites, & tamen fugati atque cæsi* (1. Sam. 14. 23.) Ita nec Architectonicæ artis studiosi fuerunt, 1. *Sam.* 5. 6. adeo ut Salomo templum extructurus, artifices ex alieno regno & ab ethnicis petere coactus fuerit. V. Requirit etiam Agricolas, Vinitores, Pastores: Homines *qui arent agros regios, & metant segetes ejus* (1. *Sam.* 8. 12.) & consequenter annonæ præfectos, qualis erat Josephus in Ægypto. VI. tandem Capitaneos & Centuriones, qui exercitui præsint tempore belli, & pro patria vitam profundere parati sint. Maym. *ibid.* §. 6. בופה את ראויין להיות שרים וממנה אותם שרי אלפים וחמשים שנ' ולשם וכו': *Cogit idoneos ut sint Principes militiæ, & constituit quosdam super millenos, alios super quinquagenos, sicut legitur* 1. *Sam.* 8. 12. Quod Saul fecit studiose 1. *Sam.* 14. 52. His omnibus vero ut & præcedentibus Rex debebat salaria (13) sua nec quoquam subditorum abuti ad gratuita servitia decebat. Ideo Maymonides *in alleg. locis* plerumque addit: ונוחן שכרן או דמיהן: *dat eis mercedem suam & precia debita.* Hoc autem e Fisco (14) decimarum, quæ ipsi eapropter cedebant. Ibid. §. 8. יש לו מעשר מן הזרעים ומן האילנות ומן הבהמות שנ' וברמכם ואת צאנכם יעשר: *Debetur ei decima de semente, arboribus & jumentis, sicut dicitur* (1. Sam. 8. 15. & 17.) *vineas & pecudes vestras addecimabit.* Si quid prædæ partum esset extra ordinem, ab hoste, dividebat id cum Ducibus suis, de quo infra *Theor.* XVIII.

NOTÆ

In Theorema octavum.

(1) Satellitibus. In historia Davidis & Salomonis vocantur *Crethi & Plethi*, de quibus integra Dissertatione quondam egimus, *Anno* 1661. *Lipsiæ edita.*

(2) Heroe Wurtembergico. Eberhardo. Vide Christ. Matthiæ *Theatr. Historic. p.* 88.

(3) Qui ante se curant. Exemplum habes 1. *Reg. I.* 5. ubi de Adonia regnum affectante, quod sibi currus, & equites, וחמשים איש רצים לפניו & *quinquaginta viros, qui ante se currerent*, comparaverit; ad quem locum R. David Kimchi: שהיו הולכין לפניו בכלי זיין כמנהג המלכים שהולכים לפניהם רגלים בכלי זיין וכן אמר באבשלום וחמשים איש רצים לפניו ובדברי רז"ל מאי מעליותא אלא שהיו נטולי תחול וחקוקי כפות הרגלים: *Cursores hi præcedebant eum armis, more Regibus usitato, ante quos præcedere solent pedites arma gestantes, quemadmodum de Absolomo quoque dicitur* 2. Sam. XV. 1. *quod quinquaginta cursores ante se habuerit. Cæterum in scriptis Rabbinorum nostrorum quæritur: quænam hæc fuerit Majestas? & respondetur, fuisse his cursoribus splenem exemtum, & plantas pedum excavatas.* h. e. carne destitutas. Quæ postrema habentur in Gemara Sanhedrin *cap. II. num IX. pag.* 183. *excerpt. Coccej.* אמר רב יהודה אמר רב כולן נטולי טחול וחקוקי כפות רגלים היו: *dixit R. Jehuda, docuisse Rabum, quod omnibus illis splen exemtus, & plantæ pedum excavatæ fuerint;* illud ideo, ut leviores eoque aptiores ad currendum essent; hoc vero propterea, ut sine damno per carduos & spinas possent currere. Eadem ad istum locum notarunt Raschi *fol. CCCLXIV. col.* 2. & Jalkut *part. II. fol. XXVII. col.* 1.

(4) Ministris Aulicis. De his videantur Jo. Steph. Menochius *lib. I. de Rep. Hebr. toto cap. XII. fol.* 83. *seqq.* Jo. Pineda *lib. V. de Reb. Salom. toto c. XIII. fol.* 511. *seqq.* ubi singula aulæ Regum Hebræorum munera & officia suo ordine ex instituto exposita invenies.

(5) Abisag. Vide Excerpta Gemaræ Sanhedrin *c. II. num. XIV. p.* 189. quæque ibi annotavit Coccejus.

(6) De Morionibus Aulicis. His delectatum fuisse *Aurelianum Imperatorem*, auctor est Flavius Vopiscus, *in vita ejus sub finem*, additque, ante omnes dilexisse Phagonem portentosæ voracitatis, qui usque eo comederit, ut uno die ante mensam ejus aprum integrum, vervecem, & porcellum, cumque his centum panes voraret, & per infundibulum vini orcam biberet. Ita Trebellius Pollio de Gallieno *in vita illius haud procul a fine* inquit: *Mensam secundam, scurrarum & mimorum semper prope habuit.* Quin imo non in Regum modo Principumque, sed & in Pontificum aula Motiones videas, qualem *Pium II.* adhibuisse, patria Florentium, cui Græco nomen erat, hominem cujusvis mores, naturam, linguam cum maximo omnium, qui audiebant, risu facile exprimentem, testatur *Platina.* Sed & de Hadriano VI. Pontifice Jovius *in ejus vita* memorat, solitum in mensa sæpissime delectari Toccino, sannione salsissimo, quem ab Hispania secum adduxerit, quo etiam pro speculatore urbanarum rerum usus sit.

(7) Marcolpho. Rabbinicam equidem fabulam nimis redolet, quod pro commendanda Salomonis sapientia vulgo de Marcolpho fertur, vocatum a Rege suo Salomone in conspectum venientis ex Arabia Reginæ, ut ad proposita ab ea ænigmata responderet, quæ cum ille omnia promtissime solveret, admiratam judicasse, si tanta in morione esset sapientia, quanta sit in Rege. Sed nullum tamen hujus vel in Talmudicis, vel aliis Rabbinorum libris vestigium reperire licuit.

(8) Nec omni periculo carere. Huc illud Rabbi Jedajæ *in Mibchar happeninim Sect. XX. elect. XXII. p.* 140. חברת השוטה סכנה ושנאתו שמחה: *Consociato cum stulto affert periculum, sed odium ejus affert gaudium.* Expertus illud est Boleslaus II. Monsterbergensis Princeps Silesius, quem a Morione suo quem ad iram provocaverat, in arce Bolkenhano jactu lateris occisum, describit Cureus *in Annalib. Silesiæ.* Similiter Ludovicus I. Bojorum Dux, Palatinus Rheni XVI. Kalend. Octobris Anno MCCXXXI. Kelhaimii, dum post cænam in ponte deambulat, a Stichio morione, quem per ludum incessebat, cultello lethali vulnere sauciatur, moxque in conspectu

ctu omnium aulicorum exanimatus corruit, teste Hier. Zieglerio *in Hist. Illustrium Germaniæ Viror.*

(9) Foveat. Contra urbs Sichemiensis nullos omnino moriones tolerasse, nedum fovisse fertur. Hanc enim laudem tulit, ut præ cæteris tria jactaret, 1. *Securitatem*, quod nunquam portas clauderet, cum nullæ sint. 2. *Divitias*, quod ne ternucium debitorum haberet. 3. *Sapientiam*, quia dum ludi exhibendi, Morio e vicino oppido petendus fuit, quod nullus illic Stultus reperiretur. Quod cum Henr. Engelgravius *part. I. Luc. Evangel. Emblem. XXXVIII. p.* 490. enarrasset, facete quærit: *Quid ergo Tullius omnia stultorum plena asseruit?*

(10) Pharaonis Pistor. Hebraice dictus אופה *Coquus*. Aquila ὁ πέσσων Nobilius quod *panificum* ververat, reprehenditur a Cartvvrigtho *Elect. Rabb. in Genes. pag.* 336. qui generaliori voce *coquum* significari putat. Raschi tamen diserte: האופה את פת המלך ואין לשון אפיה אלא בפת בלע"ז פישט"ור: Coquens, *puta destinatum Regi panem. Nullibi enim radix* אפה *usurpatur, nisi de pane, ut* אופה *idem sit cum eo, qui vernacule* Pistor *dicitur*. Cæterum dubito, an satis commode exemplum illud huc afferatur. Non enim opifex ibi intelligitur, qui panem pinsebat, sed cui commissa erat cura, ut panis cum reliquis cibis suo tempore in mensa regia ministraretur; Speise-Mar-schal. Ambo certe, hic ἀρχισιτοποιός, (ut LXX. vertunt,) & (qui cum illo in carcerem una conjiciebatur) משקה מלך ἀρχιοινοχόος, *v.* 2. dicuntur סריסים *Eunuchi*, non imperfectionis, sed officii ratione, quod honorificum erat, unde Chaldæus ibi :: רברבנין *Principes, Gubernatores, Præfecti*. At, talis esse poterat hic Pharaonis minister, ut maxime a fœminis cum panis, tum cæteri cibi pararentur.

(11) Dolo Palæstinorum. Id inde a longo tempore sub Judicum imperio obtinuisse, ut Palæstini Israelitis nullum armorum usum, neque fabros ferrarios concederent, hæc quoque arguunt, quæ inter alia Debora *Jud. V.* 8. cecinit: *Clypeus & hasta, si (i. e. non) apparuerunt in quadraginta millibus Israel*. Lutherus: Es war kein Schild noch Spieß unter vierßig tausenden in Israel zu sehen. Quod mirum videri posset, cur R. Dav. Kimchi, qui dolo Palæstinorum hoc procuratum, ad locum illum Samuelis bene observat, aliter ibi interpretetur, geminam quidem expositionem afferens, sed quartum neutra cum hac congruit. Nam in utraque non κτῆσιν, sed χρῆσιν saltem armorum, Israelitis denegat. Una est ipsiusmet Kimchii, quam & suam fecit R. Salomon Aben Melech *in Michlal Joph fol. LIV. col.* 4. כשבחר ישראל אלהים חרשים אז היתה לחם המלחמה בשערים ולא היו יכולים להראות מגן ורומח להלחם באויביהם ואף על פי שהיו ישראל רבים ארבעים אלף ויותר והוא סך חשבון אף על פי כן היו נסים מפני אויביהם ונסגרים בעריהם ואויביהם רודפים אותם עד השערים: *Cum Israelitæ novos sibi Deos eligerent tunc bellum ipsis in portis fuit, neque potentes fuerunt, ut arriperent clypeum & hastam ad pugnandum contra hostes suos. Et licet Israelitarum essent plurimi, quadragies mille amplius, quæ summa est satis numerosæ eorum supputationis; licet, inquam, tot essent eorum, fugiebant tamen coram hostibus suis, & in urbibus suis concludebantur, ad portas usque ab hostibus fugati*. Alteram ex sententia aliorum commemorat, quam & in spicilegio ad R. Aben Melechum repetit R. Jacob Abendana: ויש מפרשים מגן אם יראה לשבח כלומר כשהיו ישראל עושין רצון הבורא יתעלה ולא היו הולכים אחרי אלהים אחרים וזה היה בימי יהושע לא היה צריך להם מגן או רומח בארבעים אלף בני גד ובני ראובן ואף על פי שהיו חלוצי צבא לא הצטרכו להראות מגן או רומח כי יי' היה נלחם להם ובאו עם אחיהם ושבו להם בשלום אין שטן ואין פגע רע מפני שהיו עושין רצון הבורא: *Sunt autem*, inquit, *qui, quod de clypeo & hasta non conspectis dicitur, in bonam partem exponunt, quasi sensus esset: Cum Israelitæ voluntatem supremi Creatoris exequerentur, neque ambularent post deos alienos, id quod erat temporibus Josuæ; non opus erat illis clypeo vel hasta in quadraginta millibus Gaditarum & Rubenitarum. Et licet jam ad militiam expediti essent, non tamen opus habebant, ut clypeum aut hastam secum sumerent, siquidem* Deus *ipse pro iis pugnabat ut libere & cum pace exirent redirentque cum fratribus suis, neque infestarentur ab adversario aut ulla re mala, quæ obvenire solet, idque omne propterea quod voluntati Creatoris obedirent*.

(12) Auxilium Dei mirabile. Idem quoque in Deboræ Cantico mentione defectus clypei & hastæ celebrari observat R. Abraham bar Jehuda *in Chibbure Leket fol. V. col.* 4. לא הצרכנו להלחם במגן ורומח על ארבעים אלף שהביא השונא עלינו וכולם הכבבים ממסילותם נלחמו עליהם: *Non opus habuimus pugnare clypeo & hasta adversus quadraginta illa millia, quæ hostis contra nos eduxit, utpote quos omnes stellæ ipsæ ex itineribus suis impugnarunt*. Latius R. Levi ben Gerson *fol. CCLXVII. col.* 2. hoc persequitur: איפשר לפרש כי השם יתברך בחר דברים חדשים להשלים זה הנס והוא שכבר משך לב סיסרא וחילו להלחם עם ברק בשערי ישראל במקום שהיה ראוי ליפול שם לפי מה שסבב השם יתברך אשר עמקו מחשבותיו והנה באמת לא נצחו ישראל זאת המלחמה בכחם ועוצם ידם כי לא היו להם כלי זין כי אם לאנשים מועטים עד שבכלל ישראל לא היה מגן ורומח בארבעים אלף ולזה הוא מבואר כי בעשרת אלפים איש שעלו מבני נפתלי ומבני זבולון לא היו בכלי זין כי אם לאנשים מועטים: *Fortassis non incommode sic exponi hic locus potest, quasi* Deus *benedictus selegerit res novas perficiendo hoc miraculum, quod in hoc constitit, quod pridem cor Sisaræ ejusque exercitus pertraxerit ad pugnam cum Barako ineundam in portis Israeliticis, eo loco, quo ipsum cadere conveniebat, prout* Deus *benedictus, cujus cogitationes profundæ sunt, direxerat. Et profecto, revera Israelitæ in hoc bello non propria virtute, nec robore manus suæ victoriam reportarunt, siquidem non nisi paucissimis inter ipsos arma erant, adeo ut inter omnes Israelitas, licet quadragies mille fuerint, non tamen fuisse dicatur clypeus & hasta. Quo ipso simul manifestum est, inter decem illa virorum millia, qui de filiis Naphtali & Sebulon ascenderant, non nisi paucissimos armis instructos fuisse*.

(13) Salaria. De Stipendiis militum Hebræorum prolixe egit Menochius *lib. VI. de Rep. Hebr. toto cap. XIV. f.* 591. *seqq.* ubi de centenis millibus robustorum certo stipendio Amazia ex Israele conductis 2. *Paral. XXV.* 6. cujus quantitas, *centum talentorum argenti*, ad summam centies & quinquagies mille thalerorum supputari ab aliis solet, ut quisque militum vulgarium aut vallensem unum accipere, atque in Chiliarchas & alios officiales dimidia auri tonna distribui potuerit.

(14) Fisco decimarum. Vide infra *Theor. XV.* ubi hæc ex instituto expeduantur.

THEOREMA IX.

Sed non tot (1) *uxores quot placebant*.

IN fundamentalibus, quæ extant Deut. 17. vers. 17. expresse hoc prohibitum est, addita ratione: *non multiplicet sibi uxores, ne declinent cor ejus*: quod R. Bechai *Pars. Schoph.* sic explicat: לפי שהאשה תפתה את האיש לסור מיראת השי׳ כי כן עשתה אם חי אף כי אם היו הנשים רבות: *quia fœmina facile seducit marem, ut recedat a timore* Dei *Opt. Max. sic enim fecit mater omnium viventium* (Eva, *Gen.* 3. 12. quam Adamus unam habuit,) *quid non possent si plures essent?* & contigit hoc sapientissimo mortalium (2) Salomoni, ut in gratiam exoticarum, quas deperibat, mulierum, 1. *Reg.* 11. 1. Idolis Astaroth, Camos & Milcom columnas & altaria ædificaret, quæ Josias destruxit, 2. *Reg.* 23. 13. Qualis vero Rex, talis etiam Grex, ut est in veteri rhythmo. H. Melach. *cap.* 3. §. 9. על הסרת לבו הקפידה תורה שלבו הוא לב כל קהל ישראל לפיכך דבקו הכתוב בתורה יתר משאר העם: *de abscessu cordis ejus valde sollicita fuit lex, quia illud est cor totius populi: proinde arctius illud alligavit legi, quam reliquæ plebis*. Ne tamen vagas libidines sectaretur, aut subditorum filias pollueret, indulsit ipsi scriptura mediocre Gynæceum. Numerus quidem in libris canonicis nuspiam expresse determinatus est, sed tamen deducunt inde Rabini per consequentias sive ratiocinationes, licuisse Regi octodecim (3) assumere conjuges, & astipulatur ipsis antiquissima translatio legis Chaldaica. R. Salom. Jarch. *ad text. Deut.* 17. לא ירבה לו נשים אלא שמנה עשרה שמצינו שהיו לו לדוד שש נשים ונאמר לו ואם מעט ואוסיפה לך כהנה כהנה: *Non multiplicet sibi uxores ultra Octodecim: invenimus enim quod David habuerit sex* (aut plures 2. Sam. 5. 13.) *& tamen illi dicitur* (2. *Sam.* 12. 8.) *si parum est, addam tibi sicut illæ sicut illæ* (h. e. bis totidem alias.) R. Mosche Mikkozi, *in libr. præceptorum magno, Part.* I. *num.* 222. רבותינו אמרו על פי הקבלה בפ׳ כהן גדול שמותר לישא עד שמנה עשר נשים בין נשים בין פלגשים: *Magistri nostri habent id ex orali Cabala, in capite Pontifex* (quod est secundum Mass. Sanh.) *licere regi usque ad* XVIII. *ducere sive conjuges sive concubinas*. R. Bechai *Pars. Schoph.* י״ח במספר הנשים שהיו לו לדוד יש מהן ששה מפורשות בכתוב וכתיב כהנה כהנה פי׳ גם ששה וששה הרי י״ח: *Octodecim pro numero mulierum Davidis, quarum sex expressæ sunt, duodecim vero sub repetita voce: quot illæ: quot illæ: concessæ intelliguntur; ecce* XVIII.! Maymonides (4) *H. Melach. c.* 3. 4. מפי השמועה למדו שהוא לוקח י״ח נשים ואם הוסיף אחרת ובעלה לוקה: *Ex orali auditione didicerunt, accipere* XVIII. *uxores: at si vel unicam superadderet atque maritaret, vapulare*. Targum Jonathan Ben-Uziel: לא יסגון ליה נשין על חמנסרי דלא יטעין לביה: *non multiplicet sibi uxores ultra octodecim, ne depravent cor ejus*. Quos (5) testes lubens majori numero produxi, ut in re paradoxa consensus (6) antiquitatis appareret. Connumerantur autem hic uxoribus concubinæ; (7) inter quas hoc discrimen fuit, quod illæ superiori gradu habitæ sunt, hæ inferiori: illorum filii hæredes, & multis prærogativis aucti, harum legatarii tantum, & aliquando a vivo parente muneribus, pro toto patrimonio donati, *Genes.* 25. 6. Statuuntque Theologi etiam cum pellicibus vera fuisse conjugia. Dicunt tamen Judæi solas uxores solenniter, concubinas autem absque ceremoniis fuisse ductas. R. Mos. Mikoz. *loc. cit.* אמר רבה נשים בכתובה וקידושין פלגשין בלא כתובה וקדושין: גרסינן בירוש׳ ד״פ אע״פ ר׳ מאיר א׳ פלגש אין לה כתובה ר׳ יהודה או׳ יש לה כתובה אבל לא תנאי: *Ait Raba; duxisse conjuges per literas dotales & sponsalia, pellices vero absque illis*. (sed est ipsis de hoc posteriori controversia.) *Legimus in Talm. Jerosolymitano capite Aph-al pi: R. Meir dixisse, duci absque literis illis; R. Jehudam vero, literas scribi quidem, sed non tradi*: (nec dotem numerari.) Addit alter Moses Ægyptius *H. Mel. cap.* 4. §. 4. בייחוד בלבד קונה אותה ומותרת לו אבל ההדיוט אסור בפלגש אלא בשפחה העבריה בלבד אחר ייעוד: *per solam adunationem illas acquiri, sicque sibi permissas esse: at privato probibitas pellices, præter unam ancillam Hebræam post desponsationem*. Concubinas illas potuit Rex in aula, ministeriis muliebribus adhibere, apothecæ, culinæve præficere. Ibid. §. 5. ויש לו רשות לעשות הפילגשים שלוקח לארמונו טבחות ואופות ורקחות: *potestatem habet ex pellicibus in palatium receptis facere coquas, pistrices, aromatarias*. Et debuit utriusque generis conjuges, e populo *Dei*, non vero extraneis gentilibus eligere, Deut. 7.

3. *no-*

3. *noli te affinitate illis jungere; nec filias eorum capere, ne seducant a me.* Exod. 34. 16. *ne fornicentur post Deos alienos*, quod utrumque a Salomone neglectum culpatur 1. *Reg.* 11. 2. & *Nehem. ult. vers.* 26. Polygamiam (8) primus introduxit Lamechus e posteris Caini, *Gen.* 4. 19. imitati sunt deinde Patres, ut Abraham, consensu Saræ suæ, *Genes.* 16. 3. Jacobus jussu Rahelis, *Ibid. c.* 30. 3. & Reges, ut David, 1. *Sam.* 25. 43. Rechabeam 2. *Par.* 11. 18. Abia quatuordecim simul ducens, *Ibid.* 13. 21. Joas, *Ib.* 24. 3. Toleravit autem *Deus* hunc excessum, in illis quidem ut prolem multiplicarent, in hisce vero, ne scortationibus & adulteriis occasionem quærerent. Cl. Hafenrefferus p. m. *in Comp. Theol. loc. de Conj.* ait, *tales nævos in publicum morem abiisse, scandaloque caruisse, crimine igitur vacasse, quod jam consuetudine receptum fuerit*. Hodie durat etiamnum apud Orientales populos, quotquot Evangelii loco Alkuranum receperunt, in quo id expresse concessum est. Sureta Nisai, (9) h. e. Carmine mulierum. *vers.* 4. فانكحوا ما طاب لكم من النسا مثنى وثلاث ورباع فان خفتم الا تعدلوا فواحدة او ما ملكت ايمانكم. *Et ducatis quod lubet vobis de Mulieribus; binas vel ternas vel quaternas: nisi metuitis ut satisfaciatis singulis: aut quotcunque dominatur dextera vestra.* Miror, si divinam prohibitionem ignorant, cur non lumine naturali absurditatem rei agnoscant, nec tot incommodis inde sequentibus absterreantur. Quam enim difficile putabimus marito præsertim fortunæ tenuioris, tam sumtuosum alere gregem mulierum, ancillarum, liberorum! quanam arte vel prudentia tot Imperatrices gubernabit, si non facile vel callidissimus, regit unum tale animal, varium & mutabile semper? an litibus & querelis immunem fore credamus ipsum Socratem patientissimum? quid aliud hinc lucrentur nisi perpetuam inquietudinem & repudia quotidiana. Pœnæ non beneficii loco haberem, siquem nostrum ulla lex ad Polygamiam cogeret. Et testantur, qui regiones illas peragrarunt, Postellus (10) atque Clenardus, omne tribunal divortiis tantum & restitutione dotis fatigari; proinde nil discere Jureconsultos ipsorum nisi matrimoniales causas, contingere autem non raro, ut orphani fame pereant miserabiliter, quorum patrimonium in tot frustilla dissectum fuit: aut fratrum fortior sepeliat minores, ut solus hæreditate saturetur. Gratias ergo Salvatori nostro, qui ad primævam institutionem revocavit, & uni viro uxorem (11) unam agglutinari jussit, *Matth.* 19. 6. Vetant ipsi Rabini, ne Rex sit mulierosus aut cum Sardanapalo (12) semper in Gynæceo tantum deliteat, quamvis aliquo conjugii privilegio donatus sit. Hal. Melach. *cap.* 3. §. 8. לא יהיה שטוף בנשים אפילו לא היתה לו אלא אחת לא יהיה מצוי אצלה תמיד כשאר הטפשים שנ' אל תתן לנשים חילך: *Non sit immersus uxoriæ rei, (13) aut quamvis habeat unicam tantum, non tamen indesinenter cum ea reperiatur, velut cæteri quidam stulti; sicut dicitur* (Prov. 31. 3.) *ne dederis mulieribus robur tuum*, (h. e. vires corporis & animi, laudabilius in Reipubl. usu consumendas.) Tum vero id caveat studiosissime, ne regni consilia cum ipsis communicet, quibus natura & civilem prudentiam & taciturnitatem negavit: vehementius etiam, ne ipsarum imperiis obnoxius sit, quod de Themistocle (14) referunt, voluisse quicquid uxor, & Athenas quicquid ille, consequenter quicquid illa. Potuit vero Rex Hebræus, si qua minus placeret, eam repudiare, & ducere aliam; sic tamen ne numerum ante definitum excederet, Ibid. §. 4. יש לו לגרש ולישא אחרת תחת זו שגירש *licet ipsi repudiare & aliam ducere pro repudiata*. Ipsa vero potestatem (15) non habebat, post regium maritum, alteri cuiquam nubere, c. 2. §. 1. אשתו של מלך אינה יבעלת לאחר לעולם אפילו המלך אינו נושא אלמנתו או גרושתו של מלך אחר: *conjux regis alteri non nubit in æternum: etiam Rex non ducit viduam vel repudiatam alterius regis*. Formula (16) literarum Repudii est antiquissima, & ante Christum (dubito tamen, an etiam ante captivitatem Babel) iisdem verbis semichaldaicis quibus hodie concepta. Eam habet Maymonides *Hal. Geruschin. cap.* 4. *pag. mihi* 273. *b.* & Alphesius *l. Gittin. cap.* 9. *Hammegaresch. p.* 190. *b.* punctatam vero & versione illustratam Dn. Buxtorfius *Gram. Chald. p.* 399. sed quia generales sunt & circumstantiarum mentione carent, placet etiam meum (17) exemplar plenius, quod a Judæis aliquando nactus sum, huc referre. Illud ita sonat. בשלישי בשבת בארבע ועשרים יום לילח אלול שנת חמשת אלפים ושלש מאות ועשרים ושתים לבריאת עולם שאנו מנין כאן בעיר לייפציק מתא דיתבא על נהר עלסטר ועל נהר פלייס ועל נהר ברדע ועל מי מעינות אנא אבינדר

אביגדר בן יהודה הכהן העומד היום בעיר לייפציק מתא דיתבא על נהר עלסטר ועל נהר פלייס ועל נהר בררע ועל מי מעינות צביתי ברעות נפשי בדלא אניסנא ושבקית ופטרית ותרוכית יתיכי ליכי אנת אנתתי מערלן בת יוסף דהוית אנתתי מן קדמת דנא וכרו פטרית ומבקית ותרוכית יתיכי ליכי די תיהוויין רשאה ושלטאה בנפשיכי למהך להתנסבא לכל גבר די תיצביין ואנש לא ימחא בידיכי מן יומא דנן ולעולם והרי את מותרת לכל אדם ודן די יהוי ליכי מנאי ספר תרוכין ואגרת שבוקין וגט פטורין כדת משה וישראל: *Tertio die hebdomadis* (quem nos Martis vocamus) *die vigesimo quarto mensis Elul* (respondentis nostro fere Augusto) *Anno quinquies millesimo trecentesimo vicesimo secundo a creatione mundi, ut nos computare solemus*, (h. e. Anno Christiano 1562.) *hic in urbe Leipzik, loco collocato juxta flumen Elster & flumen Pleis & flumen Barde, & apud aquas scaturientes* (sive fontanas) *ego Afigeder* (quos vulgo Fridericos appellant, ut Mardochæos notiori nomine Marcos &c.) *filius Jehudæ, Sacerdos, stans* (seu degens) *hodie in urbe Leipzik loco collocato juxta flumen Elster, & flumen Pleis, & flumen Barde, & apud aquas fontanas* (quod sic repetunt ut essentiale requisitum: nesas enim est alibi quam ad confluentem (18) hosce libellos scribere) *volui voluntate animi mei absque coactione, & dimisi & dissolvi & repuli te tibi, o tu mulier mea Marlan filia Josephi! quæ fueras uxor mea pridem. Nunc autem & deinceps libero, repudio & expello te tibi, ut fias tuæ potestatis, facultatem habens ipsamet abeundi & nubendi cuicunque viro libuerit: mortalium nemo prohibeat manus tuas, ab hoc die in æternum. Ecce tu concessa es omni homini! & hic ipse sit tibi a me libellus divortii, & epistola desertionis & scheda repudii: de Jure Mosis & Israel.* Apud veteres Romanos (19) formula brevior erat, referente Gajo *l.* 2. *ff. d. divort.* in hæc verba solenniter concepta: *Tuas Res tibi Habeto*: aut *Tuas Res tibi Agito*. Quod a fratriandi lege ob sputi turpitudinem immunis fuerit, dictum est supra *Th.* VII. Unum adhuc moneo, non exemtum fuisse sexto præcepto, *Non Mœchaberis*: nec potuisse Regum adulteria coram *Deo* excusari tam frivole, ut quondam Cæsaris Augusti apud Sveton. cap. 69. *quasi ratione commissa nec libidine: quo facilius adversariorum consilia per cujusque mulieres exquireret*. Euge festivum sceleris patrocinium!

N O T Æ

In Theorema nonum.

(1) Non tot uxores. Videantur Frischmuth. *Discurs. de Rege eligendo & deponendo* §. 27. *seqq.* Becanus *Analog. V. & N. T. c. XVI. q. X. p.* 415. Pineda *lib. VII. de Rab. Salom. c. V. f.* 650. Menochius *lib. I. de Rep. Heb. c. VIII. f.* 55. 56. &, qui ad hoc Auctoris nostri Theorema provocant, Coccejus *excerp. ex Gemara Sanhedr. p.* 181. Hackspan. *part. I. Notar. Philol. in Deut. XVII. pag.* 550. Jo. Ad. Osiander *ad Grot. de J. B. & P. p.* 754. Seldenus *lib. I. Uxor. Hebr. c. VIII. p.* 60. *edit. Londin.* Dn. D. Geierus *Comm. ad Prov. XXXI.* 3. *p.* 1678.

(2) Salomoni. Eum respicit R. Jejada *in Mibhchar hapeninim sect. XLIII. elect. XIV.* cum de Concupiscentia ait: החשק מתעה השכל וכבר התעה מי שהיה חכם ממך: *Concupiscentia seducit intellectum, & jam seduxit eum, qui multo sapientior fuit, quam tu*. Nempe Salomonem mortalium sapientissimum, sic fascinatum a voluptatibus, ut sui erga *Deum* officii, quin sui etiam ipsius oblitus, se idolorum cultui addicere non vereretur. Alias de Salomonis gynæceo, post Pinedam *loc. cit.* vide Franzium *de interpr. Script. Orac. LI. p.* 463. & Hackspanium *lib. I. Miscell. c. VI. p.* 105. *seqq.* & *part. I. Notar. Philol. p.* 696. *seqq.* & *in interprete errabundo* §. *XCVI. p.* 215. *seqq.* Inprimis autem Buxtorfium *in Differt. de Sponsal. & divort.* §. *XLI. p.* 48. cui obiter jungas Seldenum *lib. V. de Jure Nat. & Gent. c. XV. f.* 625. Quid Cabbalistæ hinc conficiant ad producendas *mille & quingentas claves* pro referenda cognitione boni & mali, quarum *quingentæ* sint ad cognitionem boni per mysterium Jubilæi respondentis quinquaginta portis intelligentiæ, seu decem Sephiroth ה literam τετραγραμμάτῳ, quinque in numeris valentem, multiplicatis, & istis multiplicatis porro per י literam τετραγραμμάτου primam, decem in numeris valentem, ut quingenta prodeant; *Mille* vero sint ad cognitionem mali juxta numerum mille uxorum extranearum, quas habebat Salomo, mille gradibus mali respondentium, de quibus R. Moses bar Schem Tof: סכום המדרגות של אותו האילן אלף נשים נכריות הם בסבת אל אחר: *Numerantur gradus illius arboris* (scientiæ boni & mali) *mille fœminæ extraneæ propter deum alienum*; id exposuit Jos. de Voisin *Notis ad R. Israel ben Mosis Disp. Cabbalist. de anima Cap. I. p.* 219.

(3) Octodecim. Sic enim Rabbini numerum uxorum definierunt, homini privato quatuor, Regi octodecim, Sacerdoti autem unam sufficere decernentes. Videatur post auctores ad initium theorematis memoratos, Jo. Hornbeck *lib. VII. de convert. Jud. c. VI. p.* 517. Ita Grotius *lib. II. de J. B. & P. c. V. sect.* 9. de hoc octodenario uxorum Regi concessarum numero: *Regi*, inquit, *præscribitur, ut nec uxorum nec equorum nimiam sibi adsciscat copiam; ubi Hebræi interpretes notant, octodecim sive Uxores, sive concubinas Regi fuisse concessas, &c.* Quanquam nec Christianis quibusdam illud displicet, ceu ex Pinedæ & Menochii *citatis locis* comparet. Fundamentum, quo hæc sententia nititur, ex 2. *Sam. XII.* 7. cum 2. *Sam. III.* 2. collato quærunt. Ibi enim Davidi promittuntur *bis totidem* uxores, quot jam habebat, (id quod in repetitis illis כהנה וכהנה *sicut hæc & sicut hæc* latere volunt.) Hic autem

sex

sex habuisse uxores dicitur. Ergo, inquiunt, his sex porro bis sex superadditis, octodecim licebant Regi. Quam stramineum vero hoc fundamentum sit, docte discussit Dn. Frischmunthius §. *XXX.* quem κατὰ πόδα sequitur Osiander *ad Grotium p.* 755.

(4) Maymonides. In meo Codice, qui prodiit Venetiis Anno 1576. verba Majemonidis paulo explicatius ita leguntur: לא ירבה לו נשים כפי השמועה למדו שהוא לוקח עד שמנה עשר נשים בין הנשים ופילגשים הכל ששנה עשר ואם הוסים אחת ובעלה לוקה ויש לו לגרש ולישא אחרת תחת זו שגירש: *Rex sibi mulieres ne multiplicet, id quod juxta oralem traditionem sic exponunt, quod ducere uxores possit usque ad octodecim, tam legitimas, quam concubinas, omnium inquam numerus octodenarium ne excedat. Quod si vel unicam illis adderet sibi matrimonio jungendam, flagellationis reus est. Licet autem ei libello repudii aliquam earum expellere, inque locum repudiatæ ducere aliam.*

(5) Quos testes. Præcipuus tamen locus, e quo producti hi testes ista hauserunt, omissus est. Est is in ipso Talmude, *Massech. Sanhedrin* tum in Mischna *c. II. num. IV.* tum in Gemara *fol. XXI. col.* 1. & in Beth Israel *part. II. fol. CLVIII. col.* 3. & in Cocceji *Excerptis p.* 179. Verba Mischnæ sunt: לא ירבה לו נשים אלא שמונה עשרה רבי יהודה אומר מרבה הוא לו ובלבד שלא יהו מסירות את לבו רבי שמעון אומר אפילו אחת ומסירה את לבו הרי זה לא ישאנה אם כן למה נאמר לא ירבה לו ואפילו כאביגיל: *Ne multiplices sibi uxores, ultra octodecim, Rabbi Jehuda ait, multiplicari posse, dummodo ne ejus cor seducant. R. Simeon contra objicit: si vel unica sit ita comparata, ut cor ejus seducat, ecce eam ducere non licet; quod cum ita sit, quare diceretur. Ne multiplicet sibi* (seductrices? Sensus igitur est simpliciter: ne multiplicet,) *si vel maxime sint Abigaeli similes.* Gemara Babilonica ad hanc Mischnam: לא ירבה לו נשים על י"ח מ"ל שנ׳ ויולדו לדוד בנים בחברון ויהי בכורו אמנון לאחינועם היזרעאלית ומשנהו כלאב לאביגיל וגו׳ והג׳ אבשלום בן מעכה וגו׳ והד׳ ארניה בן חגית וה׳ שפטיה בן אביטל והו׳ יתרעם לעגלה אשת דוד וכתיב ואם מעט ואוסיפה לך כהנה וכהנה כהנה הית וכהנה שית שוו להו תמניסרי והא הות מיכל אמר רב עגלה זו מיכל ולמה נקרא שהה עגלה שהביבה עליו בעגלה וכן הוא אומר לולי חרשתם בעגלתי וגו׳: *Quod dicitur* Deut. XVII. 17. *ne sibi multiplicet uxores, id intelligendum est, non esse multiplicandas ultra octodecim. Unde hoc constat? Inde, quod* 2. Sam. III. 2. seqq. *dicitur, natos Davidi filios Hebroni; primum Amnonem ex Achinoham Jesreelitide, secundum Chileabum ex Abigaele, tertium Absalomum ex Mahacha, quartum Adoniam ex Chaggith, quintum Scephatjah ex Abbital, sextum Jethreham ex Hegla uxore Davidis* (en sex uxores!) Atqui *scriptum est iterum* 2. Sam. XII. 8. *si parum id est, addam tibi totidem & totidem. Bis totidem sunt duodecim, quæ summam faciunt octodecim. Atqui, inquias, Michalem quoque duxerat? Resp. Hegla eadem est quæ Michal; sed unde ipsi nomen* עגלה Hegla? *quia eam instar* עגלה *vitulæ in delitiis habebat, ut Simson de uxore sua* Judic. XIV. 19. *Nisi arassetis* בעגלתי *vitula mea.* Paulo post cum quædam de Michale, ejusque partu ipso mortis die inspersa essent, nova sequitur, cui satisfit, instantia: והכתיב ויקח דוד פילגשים ונשים בירושלים למלויי שמנה עשר: *Atqui porro extat.* 2. Sam. V. 13. *Davidem insuper duxisse uxores & concubinas Jerosolymis?* Resp. *Hoc ipsum fecit ad explendum numerum octodenarium.*

(6) Consensus antiquitatis. Eundem cum Auctore nostro urget similiter Seldenus *l. Uxor. Hebr. c. VIII. p.* 58. *seqq.* Sed consensus tamen ille non universalis est, cum sit, qui contraddixerint, cui vel ex sola Mischna superius citata constare potest. R. Obadias de Bartenora (quem miror diligentissimum cætera Seldenum præteriisse,) *ad hanc Mischn. fol. CLXXXV. col.* 1. ג׳ מחלקות יש בדבר ת"ק סבר נושא. י"ח ואפילו פרוצות ויותר אי"ח לא ישא ואפילו כשרות שכך היא גזרת הכתוב רבי יהודה סבר נושא י"ח ואפילו פרוצות ויותר מי"ח פרוצות לא ישא וכשרות והגונות ישא כמו שירצה ופליג את"ק בחדא ר"ש סבר אפילו אחת פרוצה לא ישא והגונות לא ישא יותר מי"ח ופליג את"ק בחד ואדרבי יהודה בתרתי והלכה כת"ק: *Tres hic memorantur diversissimæ opiniones. Primus Doctor Mischnaicus opinatur, licere Regi octodecim uxores, ut maxime petulantes, ducere; sed plures, quam octodecim illas non concedi, etiamsi summe probæ sint, quod sic scriptura statuat. R. Jehuda existimat, licere ei ducere octodecim, utut petulantes, & plures, quam octodecim petulantes, non concedi; at probas, pias & modestas posse ducere, quotquot placuerint: atque ita inter hunc & primum Doctorem dissensio est in uno. R. Simeon putat, ne unicam quidem petulantem ab eo ducendam esse, sed meras probas & verecundas, quarum tamen numerus octodenarium excedere non debeat: atque ita inter hunc & primum Doctorem dissensio est in uno, at R. Jehudæ contrarius est in duobus. Cæterum sententia primi Doctoris obtinuit.* Verum nec eam obtinere apud omnes, etsi a R. Majemonide *loco hic citato* simpliciter assertam, docent ea, quæ R. Abraham ben David *in hassagoth ad hunc Majem. locum f. CCLXXXVIII. col.* 2. animadvertit. א"א זה אי אפשר שהרי היו לדוד שם נשים ופלגשים כשאמר לו נתן הנביא ואוסיפה לך כהנה וכהנה נמצא י"ח חוץ מן הפלגשים הן: *Ego dico, id quod de numero octodenario hic dicitur, impossibile esse, cum David jam dum uxores, & concubinas* (illas, quæ 2. Sam. V. 13. memorantur,) *habuerit, cum Nathan Propheta ei diceret* Dei *nomine; addam tibi sicut has & sicut illas: adeoque numerus octodenarius emergit exceptis etiam concubinis illis.*

(7) Concubinæ. De פילגשים *Concubinis* seu *pellicibus*, earumque & legitimarum uxorum discrimine vide Drusium *cap. LXV. Comm. ad loc. diffic. Genes. p.* 81. 82. Carthvvrightum *Elect. Targumico-Rabbinic. in Genes. p.* 130. *&* 194. Seldenum *de successionib. ad Leges Hebr. c. III. f. 9. seq. edit. Londin.* & *l. V. de Jure Nat. & Gent. c. VII. fol.* 571. *seqq. edit. Londin.* Buxtorfium *III. Gram. Chald. & Syr. p.* 344. sed in primis *in Dissert. de sponsalib. & divortiis §. XVII. p. 11. seqq.* ubi singularem R. Abarbanelis sententiam a nemine antea allatam prolixe exhibet, qui locus junctus iis, quæ a Seldeno observata sunt, totam hanc materiam sufficienter ex Hebræis ita tradit, ut frustra in ea evolvenda aliquis desudet.

(8) Polygamiam. Duas nempe Lamechus contra divinam conjugii institutionem uxores duxit, unam *Ada*, alteram *Zilla*, idque, ut Rabbini fabulantur, ea fini, ex illa susciperet liberos, ex hac vero voluptatem continue perciperet, cui propterea poculum sterilitatis propinarit. Quanquam vero utramque peperisse scriptura asserit *Gen. IV.* 22. atque inde fabulam in dubium vocat R. Abarbanel *in Leg. fol. XXXVII. col.* 2. cum ait: בב"ר אמרו שהיתה אחת מהן לתשמיש אחת לפריה ורביה אבל הכתוב יגיד הנה ששתיהן הולידו בנים: *In Breschis Rabba referunt Rabbini, Lamechum unam illarum conjugum tantum ad concubitum voluptatis solius ergo habuisse, altera vero ad procreandos liberos; verum scriptura aperte indicat, utramque liberos peperisse.* Nihil tamen hoc veritati illius derogare scribit R. Bechai *in Legem fol. XVI. col.* 3. cum factum hoc sit על כרתו *invito Lamecho* & præter ejus spem atque opinionem rem istam sic moderante *Deo*, ut quas pro sterilitate inducenda adbibuerit, artes nihil prodessent, quam ad rem urget verba Textus *vers.* 22. quæ cum admiratione quadam partum Zillæ describant וצלה גם היא *Et Zilla* etiam ipsa *peperit*, illa ipsa nempe, inquit Bechai, שלא היתה בת לידה מיוחדת לו לתשמיש ויושב בצלה תמיד ילדה גם היא על כרחו כי רצה הש"י להוציא ממנה זרע ולא הועיל למך במעשיו: *quæ partui non erat destinata, sed saltem ideo Lamecho juncta, ut ad concubitum prostaret, & ut* (בצלה) *in ejus umbra perpetuo se delectabundus sederet, illa inquam ipsa etiam peperit, invito illo. Voluit enim* Deus *Benedictus producere ex ea semen, ut nihil proficeret Lamechus, omnibus suis artibus.* Idem affirmat R. Isaac ben Aramah *in Akedas Jizchak fol. XXX. col.* 2. צריך לומר ששתתה ולא הועיל: *Necessario dicendum est bibisse Zillam poculum illud sterilitatis, sed nihil profuisse.* Ipsam igitur Fabulam afferemus ex Breschis Rabba, unde eam Raschi, *fol. VI. col.* 2. Jalkut *fol. XI. col.* 2. Keli Jakar *fol. VII. col.* 4. Schalschelet hakkabala *pag.* 7. Zennorenna *fol. VII. col.* 2. aliique

que

que passim repetunt : Sic autem ibi *Parasch. XXIII. fol. XXVII. colon.* 1, אמר רבי עזריה בשם רבי יהודה בר סימון כך היו אנשי דור המבול עושין היה אחד מהן לוקח לו שתים אחת לפריה ורביה ואחת לתשמיש זו שהיתה לפריה ורביה היתה יושבת כאלו אלמנה בחייה וזו שהיתה לתשמיש היה משקה כוס של עקרים שלא תלד והיתה יושבת אצלו מקושטת כזונה הה"ר רועה עקרה לא תלד ואלמנה לא ייטיב תדע לך שכן שהרי הברור שבהן היה למך ולקח ב' נשים הה"ר ויקח לו למך שתי נשים שם האחת עדה דעדה מינה ושם השנית צלה שהיתה יושבת בצלו: *Dixit R. Asarias, prout a R. Jehuda bar Simon dicerat, sic fuisse solitos homines antediluvianos, ut unus eorum duas uxores duceret, alteram ad* τεκνοποιίαν, *alteram vero ad solum concubitum voluptatis gratia. Illa, quam prolis procreandæ causa habebat, instar viduæ per omnem vitam suam tristis sedebat; huic vero, quæ ad concubitum & voluptatem aderat, ebibendum dabat poculum sterilitatis, ne pareret, eaque sedebat apud ipsum pacate instar meretricis ornata. Huc illud* Job. XXIV. 21. *Pavit sterilem, quæ non peperit, sed viduæ bene non fecit. Hoc scias, ita esse, ecce enim perspicuum est, ex eorundem numero fuisse Lamechum, bigamum, de quo dicitur* Gen. IV. 19. *Et duxit sibi Lamechus duas uxores, nomen unius erat* עדה *Ada, quia* עדה *recessit ab ea Lamechus; sed nomen alterius* צלה *Zilla, quia hæc sedere solebat* בצלו *in umbre Lamechi*. Cæterum hanc Lamechi bigamiam prudentiores inter Hebræos Rabbini, utut polygamiæ assertores, execrantur ipsimet, & digna sunt verba R. Abarbanelis *fol. XXXVII. col.* 2. quæ legantur : זכר הכתוב שלמך לקח לו שתי נשים להודיע שלהוט היה אחר בולמוס של עריות כי כלם אכלו מעץ הדעת טוב ורע אכול ושבוע והותר ולכן לא נסתפק למך באשה אחת כמו שנסתפק אדם והבל וקין אבל לקח לו שתי נשים והיה משפט אלהי שנלקה של ידיהם כמו שיזכור: *Meminit scriptura duarum uxorum, quas duxerit Lamechus, ad indicandum, quam insatiabili libidinum rerumque venerearum concupiscentia flagrarit; siquidem omnes* (de quibus hactenus dictum,) *de arbore scientiæ boni & mali comederant, ad satietatem & nauseam usque. Propterea non contentus fuit Lamechus una uxore, sicuti contenti erant Adam & Habel atque Cain; verum duxit duas uxores, fuitque hoc judicium divinum, ut puniretur per easdem, quemadmodum mox sequitur*. Plura de Lamechi Polygamia suggerer Jo. Henr. Heideggerus *in* ראשי אבות *sive Histor. Sacr. Patriarchar. tota Exerc. VII. p. 236. seqq.* cui adde Seldenum *l. V. de J. N. & G. c. VI. f. 561. seqq. edit. Londin.* Buxtorfium *de sponsalib. & divort. §. XXXIX. p. 46.* Hottingerum *lib. I. Smegm. oriental. p. 245.* Schotanum *Tom. I. Biblioth. Histor. Sacr. Vet. Testam. de prima mundi ætate fol. 29.* Anthon Cregutum *in Revelat. arcanor. c. III. pag. 158.*

(9) Sureta Nisai. Hæc in Arabico Alkorani codice, est *quarta*; sed in Latina editione Theodori Bibliandri *octava*, ubi citata hic ab Auctore nostro verba Robertus Retinensis & Hermannus Dalmata sic transtulere *fol. 30. Quotcunque placuerit, duas scilicet, aut tres, vel quatuor uxores ducite, nisi timueritis eas nullatenus pacificare posse. Tunc enim vel unam, vel quod* (legendum forte *quot*) *sua manus castigare quiverit, ducat* : Eundem locum versione quisque sua producunt Hackspanius *in Fide & Legib. Mohammed. Posit. VI. Leg. IV.* & Seldenus *lib. I. Uxor. Hebr. c. IX. p. 64. edit. Londin.* quorum hic etiam de ejus sensu paulo latius agit, ostenditque, neque Auctores vulgatæ illius Alcorani versionis, neque Schikardum (quem margine *pag.* 65. laudat) aliosque viros doctos verba illa فان

خفتم الا تعدلوا فواحدة اوما ملكت

أيمانكم intellexisse, dum ille omnes sensum exprimunt, quem Schikardi nostri versio non minus hic offert, quam Hackspanii interlinearis : *Nisi timeris, ut satisfaciatis cuique aut quas acquisivit dextera vestra*; Cum sic deberent potius reddi : *Quod si timueritis, nec possitis æquo jure agere* (cum illis scilicet, in iis, quæ singulis sunt distribuenda, exponente Mohammed ben Achmed,) *etiam & unicam, aut ex iis, in quas vestrarum dextrarum potestas est*, vel, quo idem est, *in quas dominatur dextera vestra*, h. e. *Ex Ancillis*. Has enim isthac phrasi in lingua Alcoranica denotari Seldenus ibidem docet. Nempe non promiscue tot conceduntur, quot quisque velit, sed quaternarum uxorum simul habendarum numerus præfinitur, quem excedere non liceat, & si quis timeat, ne vel tot vel paucioribus etiam per rei familiaris, & ad alendum tot conjuges necessariæ defectum sufficiat, is aut unicam ducere, aut vice conjugia concumbere cum ancillis poterit, quibuscum alias ex jure Mohammedico civili justæ nuptiæ iniri nequeunt.

(10) Postellus. *lib. II. de Orbis concordia c. XIII. fol. 178. seqq.* ubi ipsam illam legem de polygamia ex Alcorano allatam ventilat, quam tamen similiter vitiose ita vertit : *Accipite, quot uxores vobis placuerit, binas, ternas, quaternas, & nisi timueritis, ne pacifice una regere poteritis, quot poterit edomare potentia vestra*.

(11) Uxorem unam. Commendamus nostris de hac materia, post Gerhardum *Tom. VII. LL. Th. p. 328. seq.* Meisnerum *part. I. Philos. Sobr. sect. II. c. V. q. I. p. 630. seq.* Tarnovium *lib. de Conjugio c. XXV. p. 654. seq.* Brochmandum *LL. Th. Loc. de Conjugio q. V. p. 5086.* aliosque, inprimis Dn. D. Michaelis Siricii *uxorem unam*, *Gissæ Hassorum nuper editam*, utpote quam ex jure naturæ & divino, moribus antiquis & constitutionibus Imperatorum & Regum diligenter erutam, contra insultus quorumvis impugnantium accurate defendit.

(12) Sardanapalo. Fuit hic deliciis usque adeo effœminatus, ut inter puellas ipse puellari cultu desideret, veste muliebri indutus, fuco faciem pingebat, colum tractabat, fila ducebat, supra luxum muliebrem lasciviebat. Hinc nomen ejus in proverbium abiit. Videatur Erasmus *in Chiliadibus*. Huic non absimilis *Heliogabalus*, cujus vitam Ælius Lampridius descripsit. Is nudas puellas sibi prandenti cænantique ministrantes constituit, tantamque aluit pellicum multitudinem, ut, sicuti Nero teste Suetonio *in ejus vita*, bis unam vestem non induit, ita ille nullam suarum concubinarum reiterarit.

(13) Non sit immersus uxoriæ rei. In eundem sensum R. Levi ben Gersom *ad cit. e Proverbiis locum f. DCCCVIII. col.* 1. אל תתן לנשים כחך אשר לך בדרישת החכמה והשבתה זהו כי רוב העסק עם הנשים יסיר האדם מהשקידה על החכמה ויהיה לבו שונה בהן תמיד : *Ne des Mulieribus vires tuas, quas in studio sapientiæ & apprehensionis ejus habes. Nimia enim conversatio cum mulieribus avocat hominem ab assiduo sapientiæ studio, dum cor ejus perpetuo circa illas oberrat*. Plura id genus congessit Arnold. Bootius *lib. IV. Animadvers. Sacr. c. II. §. VIII. p.* 136. 137. interque alia ad R. Majemonidis quendam locum, venereis & libidinosis in primis commendandum provocat, quem videas integrum in Georg. Gentii *Canon. Ethicis cap. IV. §. XIX. pag.* 30. 31.

(14) De Themistocle. Plutarchus *in libello* περὶ παίδων ἀγωγῆς *mox post init.* Διόφαντον τὸν Θεμιστοκλέους πολλάκις λέγουσι φάναι, καὶ πρὸς πολλοὺς, ὡς ὅτι ἂν αὐτὸς βούληται, τοῦτο καὶ τῷ δήμῳ συνδοκεῖ τῷ τῶν Ἀθηναίων· ἃ μὲν γὰρ αὐτὸς ἐθέλει, καὶ ἡ μήτηρ· ἃ δ᾽ ἂν ἡ μήτηρ, καὶ Θεμιστοκλῆς· ἃ δ᾽ ἂν Θεμιστοκλῆς, καὶ πάντες Ἀθηναῖοι. *Diophantum Themistoclis filium sæpe ferunt dixisse & apud multos: quod quicquid ipse vellet, hoc ipsum & populo placeret Atheniensium. Quæ enim ipse velit, ea velle & matrem; quia vero mater, ea & Themistoclem; quæ vero Themistoclem, ea & omnes Athenienses*.

(15) Potestatem non habebat. Vide, quæ inferius *ad finem Theorematis XIX.* de vidua Regis, ne successori quidem concessa, notabuntur. Variant enim Hebræorum sententiæ.

(16) Formula Literarum repudii. Confer Buxtorf. *in dissert. de sponsalib. & divort. §. LXXI. p. 78. seqq.* & *in Synagoga Judaica editionis recens auctæ c. XL. pag. 642. seqq.* Drusium *lib. XIV. Observat. c. X.* Petitum *lib. II. Variar. Lect. c. IX. p. 138. seqq.* Dilherum *lib. I. Elector. c. VII. p. 41. seqq.* Geierum *Tom. I. Conc. funebr. conc. VI. p.*

145. *seqq.* Menochium *lib. III. de Rep. Hebr. c. XXII. f.* 372. *seqq.* Fagium *ad Targum. Onkel. Deut. XXIV.* 1. Cœlestinum *lib. I. Clav. David. Obs. LIII. f.* 113. *& lib. III. art. X. f.* 354. Sixt. Senensem *lib. II. Biblioth. Sanct. p.* 128. Seldenum *lib. III. Uxor. Hebr. c. XXIV.* 501. *seqq.* Ludov. de Dieu *Anun. advers. in Matth. V.* 31. *p.* 16. 17. Hug. Grotium *Annot. in Matth. V. fol.* 93. Ligthfootum *Hor. Hebr. in Matth. p.* 98. 99. Hornbeckium *lib. VII. de convincend. Judæis c. VI. p.* 521. *seqq.* Cregutum *in Revelat. arcanor. c. III. pag.* 134. *seqq.* Gersonem *lib. I. Talm. Jud. c. XXI. p.* 139. *seqq.* Becanum *in Analog. V. & N. T. c. XXIII. p.* 196. *seqq.* Novarinum *lib. VI. Elect. sacror. sive Aqu. Nuptial c. XLVIII.* Thomam Godvvin *lib. VI. Antiq. Hebraic. c. IV.* &, si consensum circa hoc, aliarum quoque gentium velis Theoph. Spizelium *de Israelitis Americanis p.* 107. 108.

(17) Meum exemplar. Nihil vero in hoc exemplari reperio, quod non totidem circumstantiis alibi quoque a Judæis observatum occurrat. Nam cum hac formula plane convenit ea, quæ recensetur R. Jacobi Levitæ *Minhage fol. XC. col. 2. edit. Sabionetens. de anno* 316. *i. e.* Christi 1556. quam huc transcribam, ut utraque invicem conferri queat. Sic autem habet : בשלישי בשבת כשני ימים לירח איר שנת חמשת אלפים ומאה ושמנים לבריאת עולם למניך שאנו מניך כאן במדינת מגנצא דיתבא על נהר רינוס ועל נהר מויך ועל מי מעינות אנא משה בן צדוק המכונה ויבלמן העומד היום כאן במדינת מגנצא דיתבא על נהר רינוס ועל נהר מניך ועל מי מעינות וכל שום וחניכה דאירת לי ולאבהתי ולמקומי ולמקום אבהתי צביתי ברעות נפשי ברלא אניסנא ושבקית ופטרית ותרוכית יתיכי ליכי אנת אנתתי ריכלי' בת יעקב הכהן העומדת היום כאן במדינת מגנצא דיתבא על נהר רינוס ועל נהר מיין ועל מי מעינות וכל שום וחניכה דאית ליכי ולאבהתיכי ולמקומיכי ולמקום אבהתיכי ההוית אותתי מן קדמות דנא וכוו פטרית ושבקית ותרוכית יתיכי ליכי די תיהוויין רשאה ושלטאה בנפשי כי למהך להתנסבא לכל גבר די תיצביין ואנש לא ימחא בידיכי מן יומא דנן ולעלם והרי את מותרת לכל אדם ודן די יהוי ליכי מנאי ספר תרכין ואגרת שבקין וגט פטורין כדת משה וישראל :

אלעזר בן יעקב עד :

זלמן בן משוטינורא עד .

גם אם היה העד בן רב לא היה חותם רק פלוני בן פלוני :

Die tertio septimanæ, secundo mensis Jiar (noster Aprili respondentis) *anno quinques millesimo centesimo octogesimo a creatione mundi, juxta computationem, qua nos computare solemus* (i. e. anno Christi 1420.) *hic in civitate Moguntia sita juxta fluvium Rhenum, & juxta fluvium Mœnum, & juxta ceteras fontanas; ego Moses filius Zadok cognomento Vibelman, degens hodie hic in civitate Moguntia sita juxta fluvium Rhenum, & juxta fluvium Mœnum, & juxta fontanas ceteras, & quocunque modo nomine aut cognomine vel ego ipse vocor, vel parentes mei, vel patria mea, vel patria parentum meorum* : (ego inquam) *ultro & ex libera animi mei voluntate absque coactione, dimitto, & dissolvo & repello te tibi, o uxor mea Regelis filia Jacobi Sacerdotis, quæ degis hodie hic in civitate Moguntia, sita juxta Rhenum fluvium, & juxta Mœnum fluvium, & juxta ceteras fontanas ibi scaturientes, & quocunque nomine aut cognomine sive ipsa vocaris, sive parentes tui, vel patria tua, vel patria parentum tuorum,* (Tu inquam,) *quæ fuisti uxor mea hactenus. Nunc vero & deinceps libero, repudio, & expello te tibi, ut fias tuæ potestatis, facultatem habens ipsamet abeundi & nubendi, cuicunque viro velis : neque mortalium ullus prohibeat manus tuas, inde ab hoc die usque in æternum. Et ecce tu concessa sic esto cuilibet homini! & hic ipse sit tibi a me libellus repudii, & epistola desertionis, & instrumentum dimissionis juxta statutum Mosis & Israelis.*

Eleasar filius Jacobi, testis.

Salman filius Meschotigwvera, testis.

Quod si etiam testis fuerit filius alicujus Rabbini non tamen annulo obsignat, sed simpliciter suum & patris sui, cujus filius est, subscribit.

(18) Ad confluentem. Vide supra *pag.* 71.

(19) Romanos. Vide Rosinum *lib. V. Antiq. c. XXXVIII.* & ad eum Dempsteri *Paralipomena p.* 984. *seqq.* Sigonium *lib. I. de Jure antiq. Rom. c. IX.* Franc. Hotomannum *lib. XIII. Observat. c. X.* Brissonium *lib. VIII. Formular. &c.*

THEOREMA X.

Ita nec Equos (1) *superfluos ad pompam.*

MAgnatum hæc cura est non postrema, ut equos alant plurimos, quibus arduæ cervices, capita minuscula & in sublimi gesta, cum patulis naribus, auribus vero curtis, ampla pectora, terga obesa, & si quæ alia sunt generosorum Caballorum indicia, Equisonibus merito rectius quam nobis nota: docentque illos magno sumptu gressus tolutim carpere ac superbe quadrupedantes passus agglomerare: ut non in hastiludiis tantum aut publico ingressu sessores suos venuste gerant, sed quod palmarium est, cum equestri pugna decernitur, in hostes intrepidi procurrant & inter medios bombardarum fragores alacritatem suam claro hinnitu testentur. De quo exercitio nuper audivimus *Illustrem Dn. Baronem ab Herberstein &c. in Ducali Callegio nostrati*, generose simul & perite disserentem. Qui inter plura memoratu dignissima, Romanorum quoque tyronum exercitia recensuit, quomodo in lignea equorum simulachra, hos in usus parata, æstate sub divo, hyeme sub tecto, insilire didicerint, primo inermes, mox cum assuetudine proficerent, etiam armati, strictoque tandem ense. Quis amplius mirabitur semper evasisse victores, denique mundi Dominos, qui hac agilitate a teneris edocta, reliquos mortales exsuperarunt? Illud potius miror, induisse quosdam hujus artis insano amore tam equinos animos, ut hæc animalia honore plus quam humano (2) prosequerentur: quod de podagrico quodam, sibi coætaneo notoque ingentis fortunæ viro refert *Fr. Petrarcha d. remed. fort. l.* 1. *dial.* 31. ægrotanti equo aureum pulvinar ac sericum cubile substrasse, cumque per pedes æger ipse non posset, servorum humeris ve-

ctum quotidie sæpius hunc quadrupedem amicum in stabulo visitasse, de illius valetudine anxium suspirasse, poppysmo blande consolatum esse, mortuum denique ut filium luxisse. Nescio an magnus Alexander multo plus sapuerit, quando in honorificam Bucephali sui memoriam, oppidum ejusdem nominis condidit? annotante *Gellio N. Att. l. 5. c. 2.* Procul ab ineptiis (3) hisce Regem hebræum arcere voluit divinus legislator, quando ipsi severe prohibuit, *ne multiplicaret Equos: Deut. 17. 16.* Cujus inhibitionis sensum ajunt non esse, ut prorsus ab equestri re abstineat, sed ut moderate usurpet. Qualis enim foret Rex, qui pedes incederet? annon pueri accurrerent velut ad dolium Diogenis? vehatur itaque generoso animali sublimis, & corpore toto supra circumfusam plebem emineat, ut Majestatem ipsius decet. De sedendi peritia non dubitabimus; quoniam Carneadis effato hanc solam artem optime discunt. Nam aulici quidem adulantur eis; hæc vero bestia, Dominum ferat an servum ignara, imperitos sessores absque respectu excutit. Tantum caveat, ne quid ad inanem (4) pompam vel ostentationem: quia fastum ne in Regibus quidem fert supremus ille moderator rerum humanarum. R. Sal. Jarch. *ad. text. Deut.* 17. & Maym. *H. Mel.* 3. §. 5. לא ירבה סוסים אלא כדי מרכבתו: *equos non plures alat quam sufficiunt ad currus*. Bechai *Pars. Schoph.* addit כלומר מרכבת פרשיו וחייליו *scilicet ad currus equitum suorum & exercituum*. Quicquid hos usus excedit, peccat. Ibid. אבל לא שיהיו לו שנים או שלשה למרכבתו פעמים על זה ופעמים על זה: *At non habeat duplices vel triplices, ut aliquando ad hos, aliquando ad alios currus aptare per vices possit*, (quod esset inanis gloriæ.) Præsertim qui tantum ad voluptatem (5) & spectacula ociosi juxta necessarium equitatum deducuntur. Mos. Mikozi *l.* 1. *n.* 223. שנינו בפ' כהן גדול סוסים בטלין הוא דאינו מרבה לו אבל מרבה לו כדי רכבו ופרשיו ומניין שאפילו סוס אחד והוא בטל שעובר בלא ירבה: *discimus ex capite* (6) *Kohengadol: equos vacuos esse, quos multiplicare vetitum; at cæteros licere ut habeat pro numero equitatus sui; verum si vel unicum adjungit ociosum, transgreditur hoc præceptum*. Rursus H. Melach. *d. l.* אפילו סוס אחד פנוי להיות רץ לפניו כדרך שעושין שאר המלכים אסור ואם הוסיק לוקה: *etiam unicus equus phaleratus, qui ad pompam antegreditur ipsum, ut cæteri reges facere solent, prohibitus est: adeo ut si addat, vapulet*. Targum Uzielidis videtur ipsi binos tales concedere, non vero plures; forte quod duo nondum multi sint, sicut & in hac lingua dualis numerus a plurali distinguitur: addita ratione parum verisimili לחור לא יסגון ליה על תרין סוסון דלמא ירכבון רברבנוי עליהון ויתגאון ויתבטלון מפתגמי אורייתא ויחובון חובת גלותא למצרים: *tantum non multiplicet sibi ultra duos equos, ne forte magnates ejus equitent supra illos, & superbiant, & irritum reddant verbum legis, sicque rei fiant reatu exilii Ægyptiaci*. Veram rationem (7) ipse textus expressit, *Deut.* 17. 16. *ne reducat populum in Ægyptum, ut multos inde comparet equos*, Deus *enim vobis interdixit, ne posthac unquam illuc redeatis eadem via*. Nam Ægyptus abundabat equis, & inde adducebantur Regibus Hebræis magno sumtu; quod ex historia Salomonis (8) apparet. 1. Reg. 10. 27. *Egressus equorum Salomonis erat ex Ægypto v. 28. adducebatur equus unus sesquicentenis argenteis* (h. e. 75. Imperialibus) *& tota quadriga* (sive copula quatuor equorum: non vero currus ligneus quantumvis pretiosus, ut plerique interpretes putant) *sexcentis* (h. e. quadruplo prioris: unde monitu Rabinorum constat שהמרכבה ארבעה וסוסים *quod quadriga sint ipsi quatuor equi*.) Postquam vero *Deus* Opt. Max. populum suum stipendis (9) miraculis inde liberavit, non ut unquam posthac in eam servitutem ultro se dedant, aut illuc remigrent, imo ne quidem multum commercii cum illis habeant ulla ratione, quoad usque abstineri possit. Quoties prædicat hanc redemtionem scriptura, ut summum *Dei* beneficium, (10) sempiterna memoria recolendum! *Exod.* 20. 2. in frontispicio Decalogi. *Levit.* 22. 33. in institutione sacrificiorum. Ib. *cap.* 26. 13. in promissione benedictionis. *Deut.* 4. 37. in enumeratione magnalium. Ibid. *c.* 7. 8. in commendatione amoris sui, *c.* 8. 14. in dehortatione ab ingratitudine. *cap.* 16. 6. in institutione paschatis, *Jud.* 2. 1. in sermone angeli populum increpantis. Ibid. *cap.* 6. 9. in spe facta victoriæ contra Midianitas. 1. *Reg.* 10. 18. in importuna petitione regis, & pluries passim. Tamen adeo immemores erant miseræ quondam conditionis suæ, ut subinde illuc relabi cuperent. Exod. 14. 11. *nunquid sepulchra erant ibi, cur hic moriamur? sine ut redeamus præstaret servire*. cap. 16. v. 3. *ibi assidebamus ollis & affatim vescebamur pane*. c. 17. 3. *hic siti enecamur!* Num. 11. 5. *quis nobis carnes suppeditabit? recordamur piscium Ægyptiacorum*, por-

porri, ceparum. cap. 14. 4. *eligamus ducem & revertamur!* cap. 20. 3. *utinam ibi occubuissemus cum fratribus nostris! cui bono eduxistis nos?* Itaque tam severe jubet *Deus* omnes reditus illecebras, & occasiones desiderii vitare. Aben-Ezra *ad Deut.* 17. בעבור כי הסוסים בימים ההם היו מוציאים ממצרים והעד דברי שלמה והנה יצטרך למען הרבות סוסיו שיחטיא העם לשוב אל מצרים וזה דבר ברור כי השם גאלם משם ובשובם יחללו השם: *Propterea quod equi tunc ex Ægypto afferebantur, ut e Salomonis facto constat, præcipere opus erat, ne studio equorum peccandi occasionem præberet populo, & in Ægyptum redeundi. Notorium est, quomodo eos inde* Deus *redemerit; hunc omnino afficerent contumelia, si reverterentur illuc*. Non quidem eos execrari jubet sicut Amalekitas, *Deut.* 23. 7. *non abomineris Ægyptium, quia peregrinus fuisti in illius terra;* sed tamen eo redire vetat. Bechai. *Pars. Schoph.* טעם הדבר נכתב בצדו כדי שלא ישיב את העם מצרימה שמשם היו מביאין הסוסים באותו זמן וכן מצינו בעניין שלמה ואמר לא הוספו לשוב בדרך הזה: *Ratio mandati ascripta est lateri ejus, scilicet ne populum reduceret in Ægyptum, unde tum temporis equos educebant, quod e facto Salomonis agnoscimus. Ideo addit: nunquam repetatis viam istam*. R. Mos. Nachman hoc latius (11) extendit, ne aliunde quidem equos multiplicare licuisse; ne scilicet ipsorum robore confisus, *Dei*, unde omnis est victoria, oblivisceretur, in suo *Perusch. super h. l.* יתכן שדרך הכתוב כן הזכיר לא ירבה לו סוסים אצילו מארצנו ומארץ שנער אפילו בדרך הסחורה המותרת שלא יבטח על רכבו כי רב ועל פרשיו כי עצמו מאד אבל יהיה מבטחו בשם אלהיו ואח׳ הזכיר על המלך שלא ישיב את העם מצרימה שיהיו לו שם מעבדיו ומעמו שרי מקנה יושבים בערי הרכב למען הרבות סוס כעניין שלמה שלא היה אדם רשאו להוציא ממצרים סוסים בלא רשות מלך מצרים והיו נותנים לו מכס מהם: *Hæc est congrua textus expositio: vetat equos multiplicare sibi, etiam e terra nostra, etiam e terra Sinear* (h. e. Babylonica) *etiam per modum mercaturæ alioquin licitæ: ne scilicet confidat in equitatu suo, si multus est, aut in equitibus, si fortes sunt, sed fiduciam suam habeat in solo* Deo. *Postea demum prohibet, ne populum in Ægyptum reducat, ut sint ibi de servis aut subditis ejus præfecti emtionis, habitantes in urbibus equestribus, quorum opera sibi equos multiplicet, ut Salomo fecit. Non enim permittunt Reges Ægypti cuiquam homini, ut equos e provincia sua vendant nisi se conscio, cui de illis vectigal debetur*.

Enascitur hinc gravis quæstio Judæis, an igitur in Ægyptum migrare aut ibi habitare prorsus non liceat? amplissima (12) regione & Nili exundatione fertilissima? quæ Maimonidis æstimatione quaquaversum ultra quadringenas leucas protenditur. H. Mel. cap. 5. §. 5. ארץ מצרים מן הים הגדול ועד המעשב ארבע מאות פרסה על ד׳ מאות פרסה כנגד ארץ כוש וכנגד המדבר: *Terra Ægypti a mari magno* (seu mediterraneo) *versus occasum lata est* 400. *leucas: & supra* 400. *leucas longa est ab Æthiopia usque ad desertum* (Arabiæ, in quo Israelitæ tam diu vagati.) Hac tota videtur Judæis (13) interdictum esse. ibid. mox: בג׳ מקומות הזהירה תורה שלא לשוב למצרים שנ׳ לא תוסיפון לשוב בדרך הזה עוד: לא תוסיף עוד לראותה: לא תוסיפו לראותם עוד עד עולם: ואלכסנדריא בכלל האיסור: *Tribus locis vetavit lex in Ægyptum redire* (Deut. 17. 16.) *nolite amplius illa via reverti*. (Deut. 28. 68.) *non pergas iterum eam videre*. (Exod. 14. 13.) *nunquam cernatis illos in æternum. Et Alexandria comprehenditur sub hoc interdicto*. Quæ tamen diutissime a Judæis hactenus (14) inhabitata fuit. Imo ipse Author hujus Halachæ R. Mosche Ben-Maymon, plures annos ibi contrivit, ut ad differentiam Nachmanidis, Ægyptius (15) vulgo cognominetur, quod Commentator ejus in margine innuit: יש תימה על קהילות השוכנים שם: וגם רבינו המחבר עצמו הלך לגור שם: *mirari subit de totis Ecclesiis ibi commorantibus: item ipso scriptore Rabino nostro, qui diu ibi peregrinatus*. Retulit mihi Arabicus quidam Mercator Alkariensis ante biennium inter alia, etiamnum hodie tot fere Judæos Alexandriæ, (16) Damiati & Rosettæ reperiri, quot Turcas. Et quod majus est, etiam sancti prophetæ olim illuc migrarunt. Ab. Ezra. *ad Deut.* 17. ואוריה הנביא בסכנת הנפש ברח לשם גם ירמיהו בעל כרחו הלך שמה: *Urias Propheta* (Jerem. 26. 21.) *in periculo vitæ illuc fugit. Ipse Jeremias* (cap. 43. 8.) *invitus illuc abiit*. Quomodo ista conciliabimus? num perperam fieri dicemus? id ne fateantur Judæi, varias præcepti limitationes quæsiverunt. I. Bechai distinguit secula, dicens, fuisse temporariam prohibitionem, recenter post exodum non licuisse olim, deinceps vero indultum. Pars. Scop. זו מצות שעה כדי שלא ילמדו ישראל ממעשיהם ולפי שהיו המצריים נוהעים ומפורסמים בכל תועבה ואינה מצות דורות שיאעור הכתוב הדירה במצרים לעולם והרי אנו רואין כמה קהלות דרות שם מאז ועד היום ואלו היתה אסור לא היו ישראל קדשים מקהילים

שם והחכמים בכל דור מוחים בידם: *Hoc erat præceptum horarium, ne discerent opera eorum; erant enim tunc Ægyptii notoriæ & publicatæ impietatis. Itaque non prohibet habitationem ibi in æternum. Ecce quot Synagogæ* (17) *ibi huc usque! si nefas esset, sancti Israelitæ neutiquam ibi congregarentur, nec Sapientes omnium ætatum id absque ulla reprehensione sic tolerassent.* (quæ probatio nobis quidem est admodum infirma.) II. Idem postea textum propius tangens, distinguit vias; e patria terra Israel non licere illuc descendere: at e cæteris exilii locis æque concessum esse illuc migrare, ac in reliquum orbem universum, in quem vi singularis illius maledictionis, *Psal.* 59. 12. dispersi sunt. לא אסר הכתוב הדירה במצרים אלא לאותן שבאים שם מארץ ישראל וכן יורה לשון בדרך הזה שאתם הולכים שמגמת פניכם לארץ לא תשובון ממנו למצרים: *Non probibuit scriptura nisi eos qui descendunt illuc e terra Israel: & hoc docent verba textus* (Deut. 17. 16.) Eadem via, *scilicet quæ vobis exeuntibus ante faciem erat, non redeatis*. Cui astipulatur Com. May. Urian, ex mente R. Abr. Seb. in marg. addens לא אסרה אלא בדרך הזה מאי׳ אבל משאר ארצות מותר: *non vetuisse nisi eam ipsam viam e Palæstina: e cæteris regionibus omnino licere*. III. Maymonides distinguit etiam causas, (18) negotiari fas esse ibi, non vero fixam sedem habere. H. Mel. cap. 5. §. 7. מותר לחזור לא״מ לסחורה ולפרקמטיא ולכבוש ואסור להשתקע שם: ויראה לי שאם כבש א״מ מלך ישראל על פי ב״ד שהיא מותרת ולא הזהירה אלא לשוב לה יחידים או לשכון בה והיא ביד גוים מפני שמעשיהם מקולקלין יותר מכל הארצות שנ׳ כמעשה א״מ וגו׳: *Licet in Ægyptum reverti propter mercimonia, vel ut subigatur* (bello,) *at immersum ibi diutius hærere, id nefas est. Videtur tamen mihi, si quis Rex Israel eam sub potestatem redigeret, de consensu Synedrii magni, fore tunc quoque permissam. Ratio, non probibentur illuc venire nisi singulares, aut qui cupiunt inhabitare, dum adhuc est sub manu Ethnicorum, quorum opera sunt pejus maledicta, quam ullius provinciæ, sicut dicitur* (Levit. 18. 3.) *juxta opus Ægyptiorum vos non faciatis*. Habet etiam Talmud Jerosolymitanum (19) sibi consentiens, Mass. Jad. לישיבה אי אתה חוזר אבל אתה חוזר לסחורה ולפרנמטיא ולכבוש הארץ: *ad considendum ne redeas; redeas autem vel ad negotiandum vel ad bellandum*. Sub finem hujus materiæ libet illud quoque breviter attingere, quam patriæ suæ amantes fuerint Judæi, ut (20) peregrinationes (cum adhuc rerum potirentur) non facile concesserint cuivis: quod & Politici quidam disputant, non expedire, ut omnibus promiscue indulgeantur, quia plerunque parum prudentiæ, fastus vero nimium reportant vagabundi; &, si frequentes sunt, Remp. exoticis moribus paulatim replent, ut tandem una cum disciplina collapsa subvertatur. Maym. *Ibid.* §. 8. אסור לצאת מארץ ישראל לח״ל לעולם אלא ללמוד תורה או לישא אשה או להציל מן הגוים ויחזור לארץ וכן יוצא הוא לסחורה אבל לשכון בחוצה אסור: *probibitum erat exire terram Israel, aut foras egredi unquam, nisi ad discendum legem, aut ducendum uxorem, aut secedendum ab ethnicis: sed mox revertendum fuit: sic etiam qui mercium causa egressus esset. At extra eam habitare omnino nefas erat*. Excipiebatur etiam casus necessitatis, in publica calamitate. §. seq. אלא אם כן חזק שם הרעב עד שנעשה שוה דינר חיטין בשני דינרין: בד״א כשהיו המעות מצויות והפירות ביוקר אבל אם היו הפירות בזול ולא ימצא מעות ולא במה ישתכר ואבדה פרוטה מן הכיס יצא לכל מקום שימצא בו ריוח ואע״פ שמותר לצאת אינה מדת חסידות שהרי מחלון וכליון מפני צרה יצאו: *Quando fames sic invalescit, ut quantum tritici uno denario venibat, vix duobus ematur. Intellige, si pecuniæ quidem præsentes sunt, sed fruges caræ: at quando hæ viles* (& affatim suppetunt,) *nummi vero deficiunt, aut non præsto est, quo inebrietur is, qui crumenam exhausit, licet quidem abire ubi recreetur, sed tamen non virtutis est. Ecce enim optimi duo Viri Mahlon & Kilion* (Ruth. 1. 2.) *non prius emigrabant quam angustia vehementer premente*. Postquam vero (21) patria sua pulsi & extorres facti sunt hodie, amant tamen ejus cineres tam impotenter, ut miræ felicitatis loco habeant, si cui contigit, vel mortuo ibidem sepeliri, vel pugillo illius pulveris post fata conspergi. Paragraph. seq. גדולי החכמים היו מנשקין על תחומי א״י ומנשקין אבניה ומתגלגלין על עפרה וכן הוא אומר כי רצו עבדיך את אבניה ואת עפרה יחוננו: אמרו חכמים כל השוכן בא״י עונותיו מחולין שנ׳ ובל יאמר שכן חליתי העם היושב בה נשוא עון אפילו הלך בה ארבעה אמות זוכה לחיי עולם הבא וכן הקבור בה נתכפר לו כאלו המקום שהוא בו מזבח שנ׳ וכפר אדמתו עמו ובפורענות הוא אומר על אדמה טמאה תמות ואינו דומה קולטתו מחיים לקולטתו אחר מותו ואע״פ כן גדולי חכמים היו מוליכין מתיהם לשם צא ולמוד מיעקב אבינו ויוסף הצדיק: לעולם ידור אדם בא״י אפילו בעיר שרובה גוים ואל ידור בח״ל ואפילו בעיר שרובה ישראל שכל היוצא לח״ל

לח״ל כאילו עוכר ע״ז שנ׳ כי נרשוני היום מהסתפח בנחלת ה׳ לאמר לך עבור אלהים אחרים: *Magni ſapientes oſculari ſolent limites terræ ſanctæ, & baſiare rudera ejus, & in illius pulvere ſe volutare. Sic enim ille dicit* (Pſaltes pſ. 102. v. 15.) *beneplacitum habuerunt ſervi tui in lapidibus ejus, & pulveris illius miſerti ſunt. Ajunt ſapientes: peccata remitti omnibus, qui in terra Iſrael habitent, ſecundum illud* (Eſa. 33. 24.) *ne dicat inquilinus, ægrotavi; populus habitans in ea ſublevatus eſt ab iniquitate. Etiam qui quatuor ſaltem ulnas in ea deambulat, dignus eſt æterna vita. Qui ſepelitur ibi, placatur* Deo, *ac ſi ſub ipſo altari humatus eſſet, quia ſcribitur* (Deut. 32. v. 43.) *propitius erit terræ ſuæ populo ſuo. At de vindicta ſcribitur* (Amos 7. 17.) *ſuper terram impuram morieris. Quamvis vero non parum interſit, utrum quis vivus an poſt mortem inibi recipiatur, tamen ſapientiſſimi quique etiam mortuos ſuos illuc convexerunt. Abi & diſce hoc a Jacobo* (22) *patre noſtro* (Gen. 47. 31.) *& Joſepho juſto* (ibid. c. 50. 25.) *Semper mavelit aliquis in Palæſtina etiam inter medios gentiles habitare, quam extra eam* (23) *in urbe, ubi plerique ſunt Iſraelitæ. Quiſquis enim terram ſanctam egreditur, reputatur ut Idololatra; ſecundum illud* (1. Sam. 26. 19.) *expulerunt me hodie ne adjungar hæreditati Domini, dicentes: exi, ſervi Diis alienis.* In Talmud Jeroſolymitano. *cap. Hannoſe* quidam huic ineptiæ contradicens, mox a ſocio repreſſus eſt. ר׳ בר קריא ור׳ אלעזר הוו מטיילין באיסארין ראו ארונות שהן באין מחל א׳ ררק׳ לבא׳ מה הועילו אלו אף אני קורא עליהם ונחלתי שמתם לתועבה בחייכון ותבאו ותטמאו את ארצי במיתתכם א״ל כיון שמגיעין לארץ היו נוטלין גוש עפר ומניחין על ארונו דכת׳ וכפר אדמתו: *Rabi Bar-Kria cum R. Elazaro deambulabat in ſtratis, viderunt capulos e peregrinis locis advectos: Dixit ille huic quod prodeſt ipſis? quin ego contra eos uſurpo* (illud Jeremiæ 2. 7.) *hæreditatem meam poſuiſtis in abominationem, dum vivebatis: nun venitis & contaminatis terram meam, poſtquam mortui eſtis. Reſpondit ei; quamprimum has terras attingunt, ſumunt glebam friabilem & reponunt in feretro, quia ſcribitur* (Deut. 32. 42.) *propitius erit terræ ſuæ.* En quam dulcis patria ſit exulibus! quanto luculentior illius fumus igni alieno! Ite nunc Poetæ & Ulyſſis veſtri deſiderium narrate, quod etiam in vili caſula ſuavius ſit habitare domi, quam foris vel in ſplendidiſſimo palatio. ΟΔΥΣΣ. Ιῶτα.

Ὡς ὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος ὐδὲ τοκήων
Γίνεται ἄτερ καὶ τις ἀπὸ προθι πίονα οἶκον
Γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοκήων.

N O T Æ

In Theorema decimum.

(1) Nec equos ſuperfluos. Vide generatim de hoc Theoremate Serarium *Comm. in Joſ.* XI. *qu.* VII. *f.* 289. 290. Pinedam *lib.* VII. *de Reb. Salom. c. XIV. f.* 690. *ſeqq.* Menochinm *lib.* I. *de Rep. Hebr. c.* VIII. *q.* VI. *f.* 54. 55. Friſchmuthium *de Rege elig. & depon.* §. XXV.

(2) Honore plus quam humano. Simile prorſus de *Caligula* ſcribit Dion *in ejus vita* §. 3. Is unum ex equis ſuis, quem *Incitatum* nominabat, invitabat ad cœnam, ita ut ei hordeum ex auro apponeret, funderetque vinum in poculis aureis, ac per ſalutem ejus & fortunam juraret, ſeque eum conſulem facturum polliceretur: id quod feciſſet omnino, ſi vixiſſet diutius. Eidem quoque propter equile marmoreum & præſepe eburneum, propterque purpurea tegumenta, ac monile e gemmis, domum etiam & familiam, & ſupellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati acciperentur. Ita *Neronem* Xiphilinus *in hujus vita*, adeo equorum curſu & certaminibus delectatum teſtatur, ut ob eam cauſam inſignes equos victores, & jam ſenio confectos ſtola forenſi, non ſecus ac homines ornaret, eoſdemque honeſtaret pecunia ſtipendii loco.

(3) Procul ab ineptiis. Huc illa Baſilii Magni *in Pſal.* XXXII. *fol.* LXXXVIII. *edit. Græc. Baſilienſ.* Cornarii *An.* 1551. & in *edit. Latin. Muſcul. An.* 1565. *Tom. I. fol.* 253. Ἐκβέβληται τῆς χρήσεως τῶν ἁγίων ὁ ἵππος, καὶ ὅτε ἐν πολέμοις εὐημερῶν ὁ ἰσραὴλ ἱππικῇ δυνάμει ποτὲ φαίνεται κεχρημένος, ὅτε ἰδίᾳ τις τῶν ἁγίων τὴν χρῆσιν τῶν ἵππων ὡς ἁρμόζουσαν παρεδέξατο· φαραὼ δὲ ἱππικῇ χρῆται, καὶ σενναχηρεὶμ ὁ ὑπερήφανος, τῇ πλημμυρίᾳ τῶν ἵππων μεγαλοφρονεῖ· διόπερ τοῦ μὲν φαραὼ ἵππον καὶ ἀναβάτην, ἔρριψεν εἰς θάλασσαν. τοῦ δὲ σενναχηρεὶμ, ἐσφάξαν πάντες οἱ ἐπιβεβηκότες τοῖς ἵπποις. ὅθεν καὶ ὁ διὰ μωυσέως νόμος, τὰ περὶ τῶν βασιλέων νομοθετῶν, οὐ πληθυνεῖ φησὶ ἑαυτῷ ἵππον. *Excluſus eſt ab uſu ſanctorum* Equus, *neque Iſrael in obeundis bellis, quantumvis proſpere ſe geſſerit, videtur uſus aliquando* Equeſtri *exercitu. Nec ſanctorum aliquis privatim* Equo *uti pulchrum exiſtimavit. Pharao equeſtri uſus exercitu, & Sennacherib ſuperbus equorum multitudine narrantur: Quamobrem Pharaonis equum & aſcenſorem* Deus *dejecit in mare, & Sennacheribi omnes equorum aſcenſores ſunt interfecti. Unde & lex per Moſen promulgata hæc de Regibus ſancit:* Non multiplicabit, *inquit*, Sibi equum.

(4) Ad inanem pompam vel oſtentationem. Iterum hic in mentem venit verborum, quibus idem Baſilius *Homil.* πρὸς τοὺς πλουτοῦντας *fol.* CLVI. *edit. Græc.* & in edit. Latin. *Tom.* I. *Opp. Serm.* II. *in divites avaros fol.* 309. divites de divitiarum ſuarum

uſu

usu quasi secum deliberabundos pulcherrime introducit: Ἔστω φασὶν ὁ μὲν ἐν χρήσει πλοῦτος, ὁ δὲ ἀπόθετος. καὶ ὁ τοῖς χρείαις ὑπηρετούμενος, ὑπερβαινέτω τὸν ἀναγκαίων τὸν ὅρον. οὗτος πρὸς τὰς κατ' οἶκον πολυτελείας παρέστω. ἐκεῖνος πρὸς τὰς ἔξωθεν φαντασίας ὑπηρετείτω. ὁ μὲν ὁδοιποροῦντι χορηγείτω τὴν πολυτέλειαν. ὁ δὲ ἐφ' ἑστίας μένοντι, λαμπρὸν καὶ περίβλεπτον κατασκευαζέτω τὸν βίον. ὥστέ μοι θαυμάζειν ἔπεισι τῶν περιττῶν τὴν ἐπίνοιαν. ὀχήματά ἐστι μυρία. τὰ μὲν σκευαγωγοῦντα. τὰ δὲ αὐτοὺς περιφέροντα, χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ κεκαλυμμένα. ἵπποι παμπληθεῖς, καὶ οὗτοι γενεαλογούμενοι ἀπὸ εὐγενείας πατέρων ὥσπερ οἱ ἄνθρωποι. οἱ μὲν τρυφῶντας κατὰ τὴν πόλιν περιφέρουσιν. ἄλλοι κυνηθηρεύουσιν. ἄλλοι πρὸς ὁδοιπορίαν ἐξησκημένοι. χαλινοὶ καὶ ζῶναι καὶ περιδέρραια, πάντα ἀργυρᾶ, πάντα χρυσόπαστα. τάπητες ἁλουργοὶ, κοσμοῦντες τοὺς ἵππους ὥσπερ νυμφίους. hoc est: *Sint, inquiunt, divitiæ partim in usu, partim conditæ sepositaque. Et quæ in usu sunt, necessitatis terminos transcendant. Pars serviat sumtibus domesticis, pars præsto sit ad externas phantasias, ut iter facienti ornatus, equitatus, viaticum pro conditione fiant: pars domi permanenti vitam reddat splendidam & illustrem, ita ut mihi miraculum sit, quomodo tot inanes sumtus excogitentur. Innumeri instituuntur currus, quibus vel sarcinæ, vel ipsi mortales vehantur, illique vel auro vel argento obtecti.* Equi *comparantur permulti, atque illi e majoribus suis qualiter homines solent, generosi & nobiles æstimati, quorum alii delicatos per urbem ad ostentationem circumvehunt, alii ad venationem, alii ad iter faciendum præparantur: fræna, zonæ, frontalia, argentea omnia aureaque. Insuper tapeta purpurea, equos ornantia ipsa veluti sponsos.* En! sæculi quarti Doctorem Græcum, nostratium mores ad vivum ita delineantem, ut nemo nostrum, qui illos hodie, vel hic Lipsiæ solum, quotidie introspicimus, non possit accuratius; unde locum ipsum utut paulo prolixiorem proferre visum fuit. Quem apparatum olim *Deus* in Israelitarum Regibus ferre nolebat, is apud nos (o sæcula! o mores!) privatorum est: quos merito Lacedæmones, gens ethnica cœcitate involuta, dare in ruborem debebant. Hi enim, si cui quid mali imprecari cupiebant, eum inter alia optabant equos alere, teste Suida *voce* Λακρόμενον: *Lacedæmoniorum execratio est: Utinam ædifices, ac terram & egeras, &* Equos Alas, *& uxor tua mœchum habeat! quod hæc omnia sumtuosa & noxia sint.*

(5) Ad voluptatem & spectacula ociosi. Respicit morem Regum & principum, in quorum comitatu ad pompam vacuos sessore equos manuduci conspicimus, uti diserte R. Maimonides *loco ab Auctore citato*, ait, prohiberi Israelitarum Regi hunc manuductorum equorum comitatum, כדרך שעושין שאר המלכים *qualem cæteri Reges adhibere soleant*. Id pulchre illustrabunt ea, quæ de equis Imperatori paratis memorat Georg. Codinus *de Offic. aulæ Constantinopol. cap. V. num.* 7. *Observandum est*, inquit, *moris esse, ut quotidie parati sint septem* Equi, *quos* Stratos *vocant, excepturi Imperatorem, utquemcumque ex illis voluerit, equitet. Reliqui* Equi *sequuntur, quos* Manuductos *appellant*. Eidem tamen Codino si credimus, mos ille equos otiosos in Imperatoris comitatu ducendi recentior est, & originem ex ipsa Imperatoris intentione satis laudabilem agnoscit. Sic enim ille *l. c. Cæterum comitatus equorum, qui manu ducuntur, quando Imperator equitat, tali ex occasione extitisse fertur. Fama est, Imperatorem Theophilum fuisse justitiæ amantem. Quum igitur quodam tempore equo insideret, occurrisse ajunt quandam mulierculam, & clamasse, equum illum, quo vehebatur Imperator, suum esse. Inquisitione facta cognitum esse, mulierem vera dicere: equum enim ipsius esse; Exparchum autem corruptum munere hunc, ut suum, Imperatori obtulisse, Imperatorem, cum hæc comperisset, statim in vestigio descendisse de equo, eumque dedisse ei, cujus erat. Cum autem tunc usus equorum, qui manu ducerentur, nondum introductus esset; & Imperator equo indigens obvium equitasset equum, decretum fuisse, ut eum comitarentur equi sessoribus vacui, ut si quis casus existeret, parati suppeterent equi Imperatorii, qui Imperatorem equos mutantem exciperent.* Fides sit penes auctorem.

(6) Cohen Gadol. Est Cap. II. Massech. Sanhedr. ubi hæc videas *fol. XXI. col.* 2.

(7) Rationem. Eandem rationem observavit R. Isaac in Gemara Babil. *Mass. Sanhedr. fol. XXI. col.* 2. genuinam esse. Quærit ibi: מפני מה לא נתגלו טעמי תורה: *quare non revelatæ sunt rationes legis?* & respondet: שהרי שתי מקראות נתגלו טעמן נכשל בהן גדול העולם כתיב לא ירבה לו נשים אמר שלמה אני ארבה ולא אסור וכתיב ויהי לעת זקנת שלמה נשיו הטו את לבבו לא ירבה לו סוסים ואמר שלמה אני ארבה ולא אשוב וכתיב ותצא מרכבה ממצרים בשש וגו': *quia, cum rationes duorum præceptorum aliquando revelatæ essent, lapsus est in iis vir in hoc mundo summus* (גדול העולם) ein grosser Welt-Mann. *Addita erat ratio legi de non multiplicandis mulieribus; Dixit Salomo: ego multiplicabo, nec tamen recedam; ac recessit utique juxta illud* 1. Reg. XI. 4. *Accidit senescente Salomone, ut mulieres seducerent cor ejus. Similiter legi alteri de non multiplicandis equis ratio addita erat; dixit Salomo: ego multiplicabo, neque tamen revertar; at reversus proh dolor! juxta illud* 1. Reg. X. 29. *Et venit currus ex Ægypto cum sex &c.* Eadem e Gemara adducit R. Abarbanel *in Leg. fol. CCCCLXIX. col.* 1.

(8) Salomonis. De magnificentissimo amplissimoque Salomonis equitatu vide Jo. de Pineda *lib. V. de Reb. Salom. toto Cap. X. f.* 501. *seqq.* adde Jo. Cocceji *excerpta Gemaræ Sanhedr. c. II. p.* 184. ubi conciliatio locorum 1. *Reg. IV.* 26. & 2. *Chron. IX.* 25. Utcunque vero se ista habeant, Salomo, enormiter aberravit. R. David Kimchi *ad* 1. *Reg. IV.* 26. *f. CCCLXX. col.* 2. אמרו חכמינו זכרונם לברכה כי עבר על לא ירבה לו סוסים ופירושו לא ירבה לו סוסים בטלים וכיון שלא היו לו אלא שנים עשר אלף פרשים והיו לו ארבעים אלף ארות סוסים הרבה סוסים בטלים היו לו ומה שהרבה שלמה סוסים ופרשים והוא לא היתה לו שום מלחמה לא עשה אלא לכבוד וגדולה כדי שילכו עמו כשילך ממקום למקום: *Dixerunt Sapientes nostri faustæ memoriæ, quod transgressus fuerit legem de non multiplicandis equis, cujus sensus est, ne sibi multiplicet equos otiosos & non necessario. Postquam ergo ei non nisi duodecim millia equitum, & vero quadraginta millia stabulorum equis repletorum erant plurimos equos otiosos nec necessarios habebat. Et quid hoc sibi vult tandem, quod Salomo equos & equites tantopere multiplicavit, cum tamen nullum omnino bellum fuerit? Nempe non nisi ad gloriam & magnificentiam id fecit, ut eum comitarentur, si quando e loco ad locum procederet.* Vide hic pluribus denuo Pinedam *lib. VII. c. XIV. f.* 692. 693.

(9) Stupendis Miraculis. Legi de hac materia meretur R. Eliefer Ascenasi *toto libro IV. Operis Mease haschem*, qui מעשי מצרים *facta Ægyptiaca* inscribitur, ubi *a fol. CIII. & seqq. viginti quatuor Capitibus*, satis prolixis, id omne exponitur, quicquid contigit מתחלת ספור יציאת מצרים עד סוף השירה *inde ab initio historiæ exitus Ægyptiaci, usque ad finem Cantici, quod Moses & Miriam cecinerunt*, ceu habet titulus. Editum est hoc opus Venetiis Anno 343. i. e. *Christi* 1583. in folio, ut mendum subesse suspicer in *Bibliotheca Buxtorfii pag.* 377. quæ ejusdem anni editionem Venetam in quarto prodiisse ait.

(10) Summum Dei Beneficium. *Hoc fundamentum velut erat & initium Reip. ex gente Israelitica formandæ, imo quod plurima complectebatur miracula, omnem naturæ vim longissime excedentia.* Sunt verba Magnif. Dn. Geieri *Comm. in Dan. IX.* 15. *p.* 696. Addit paulo post: *Utut Mosi, tanquam antesignano id operis tribuerint forte Ægyptii ac nationes vicinæ, hic tamen* (a Daniele l. c.) *id omne uni atque soli tribuitur* Deo. *Ejus erat* Educere, *nimirum tempestive, secure, una vice, mirabiliter, hilariter &c.*

(11) Latius extendit. Similiter R. Abarbanel *Comm. in Legem fol. CCCLXIX. col.* 1. hunc verborum Legis de non multiplicandis equis sensum scribit: אף על פי שהיתה שאלתכם מלך ככל הגוים לא ישים גבורתו בסוסים עכו"ם כי תשועתו ותקותו תהיה באל חי ולא בגבורת הסוס יחפץ: *Etiamsi Regem vobis petieritis, qualem omnes gentes supra se habent, non tamen is potentiam suam reponet in equis, idolatrarum more; sed spem suam atque fiduciam collocabit in* Deo *vivo, neque in fortitudine equi com-*

pla-

placebit. Sic ergo tres legis rationes fuerunt hactenus, *una* iſta ne equorum multiplicatio occaſionem præberet populum in Ægyptum reducendi, quam R. Aben Eſra & R. Bechai urgent: *altera*, ne Rex animum ſumeret, & iſta Magnificentia nimium ſuperbiret, quam ex R. Davide Kimchio adduximus: *tertia*, ne fiduciam in ſolo *Deo* habendam in tanto, quem alat, equitatu reponeret, quam R. Moſes bar Nachman & R. Abarbanel proponunt. His *quarta* poteſt addi, ne ſubditi tot equis Regiis alendis nimium emulgerentur: ita R. Levi ben Gerſon *Comm. ad* 1. *Reg. XII. verſ.* 4. *fol.* CCC-*LXXXVIII. colon.* 2. illud jugum Iſraelitis per Salomonem aggravatum interpretatur: ידוע כי המס שהעמים שלמה עליהם לכלכל את ביתו ולא יעדרו דבר למצטרך לו עד מאכל סוסיו שהיו רבים מאד עד שהיו לו ארבעים אלף אוריות סוסים היה קשה וכבד מאד על ישראל: *Notum eſt*, inquit, *quod tributum ipſis a Salomone impoſitum fuerit ad ſuſtentandam domum Regiam, & nec deeſſet quicquam, quod ad alendos ejus equos neceſſarium erat, quos tanto numero quamplurimos habebat, ut eſſent ipſi quadragies mille ſtabula equorum: id quod durum admodum & grave erat Iſraelitis*.

(12) Ampliſſima regione. Nemo latius de Ægypto egit, quam Athanaſ. Kircherus *Tom. I. Oedip. Ægypt. Syntag. I.* quod *Delta Niloticum* inſcripſit, in quo de Ægypti nomine, origine, diviſione, natura, de Regum ſucceſſione, rerumque geſtarum gloria & chronologia fuſe diſceptatur, *fol.* 2. *ſeqq.* Videri etiam poteſt Bochardi *Phaleg.* Cœleſtini *Clavis David fol.* 249. Nicol. Abrahami *Pharus fol.* 198. *ſeqq.* qui *fol.* 83. ex Herodoto oſtendit, Ægyptum ſub Amaſi, qui Apriæ regnum invaſit, non ſolum Nili beneficiis terræque frugibus exuberaſſe, ſed incolarum quoque multitudine ſic affluxiſſe, uturbes habitatas ad viginti millia numeraret.

(13) Judæis interdictum. Scripſit R. Moſes ben Majemon *Sepher hammitzvos*, h. e. librum ſexcentorum & tredecim præceptorum, nobis jam laudatum ſupra, *p.* 2. ſed nec Buxtorfio, nec Plantavico memoratum, in quo מניין המצוות *catalogum illum præceptorum*, (quem Plantavitius *in Biblioth. numer.* CCCLXXII. *f.* 594. inſtar peculiaris libri recenſet, cum tamen pars ſaltem ſit præfationis libro Jad Chaſaka præmiſſæ, e qua eum quoque cum latina verſione Leuſdenius primæ Philologi Hebræi editioni ſubjecit,) paulo plenius & cum ſuccincto commentario perſequitur. Hunc librum quando cum R. Moſis bar Nachman *Haſſagoth*, & excerptis ex R. Iſaaci de Lion *Megillath Eſther*, textum Majemonidis inſtar commentariorum utrinque cingentibus Amſtelodami Anno 420. i. e. *Chriſti* 1660. R. Jacob Jeſchurun edidit, non video, quem in hoc genere potius commendem. Inde ergo præceptum de non revertendo in Ægyptum, quod inter negativa quadrageſimum ſextum eſt, *fol. LXXXV. colon.* 2. huc integrum transferre lubet, ut de ſententia Rabbinorum principis, quam Auctor noſter ſparſim ex Halacha Melachim attulit, ita clarius conſtet. Sic autem illud habet: מצוה מ״ו שהזהירנו משכון בארץ מצרים לעולם כדי שלא נלמוד ממעשיהם ולא נלך בדרכיהם המגונים והוא אמרו לא תוסיפון לשוב בדרך הזה עוד וכבר נכפל אזהרה בזה ג׳ פעמים אמרו בגמרא בג׳ מקומות הזהיר הק״בה את ישראל שלא לשוב למצרים ובג׳ פעמים הזרו ובהם נענשו אמנם הג׳ מקומות א׳ מהם אשר זכרונהו והשני בדרך אשר אמרתי לך לא תוסיף לראותה והג׳ אשר ראיתם את מצרים היום לא תוסיפו לראותם עוד אע״פ שהנראה מהדברים שהוא ספור ובאה הקבלה שהוא אזהרה וכבר התבאר בגמרא סוכה כי אלכסנדריא הוא מן העירות האסורות לשכון ותחום אלכסנדריא מותה ארך ד׳ מאות פרסה על ד׳ מאות פרסה והיא מכלל ארץ מצרים האסורה לשבת בה אבל מותר ללכת בה בסחורה או לעבור לארץ אחרת ובבאור אמרו בירושלמי לישיבה אי אתה חוזר אבל אתה חוזר לפרקמטיא ולכבוש הארץ: *Præceptum XLVI. monet nos, ut caveamus nobis perpetuo ab habitando in terra Ægypti, ne diſcamus opera eorum, neque in viis ipſorum inhoneſtis ambulemus. Et hoc eſt illud*, quod Deut. XVII. 16. *dicitur: non addetis, ut revertamini per viam hanc amplius. Pridem vero hæc dehortatio iterata eſt tribus vicibus, obſervantibus id Gemariſtis: Tribus, inquiunt, locis commoneſecit* Deus *Iſraelitas, ne reverterentur in Ægyptum, & totidem vicibus reverſi ſunt, & pœnas propterea dederunt. Cæterum tria illa loca ſunt hæc: primus, cujus modo meminimus* ex Deut. XVII. 16. *Alter eſt* Deuteron. XXVIII. 68. *per viam, de qua dixi tibi, non adjicies videre eam. Tertius* Exod. XIV. 13. *quos vidiſtis Ægyptios hodie, eos non adjicietis videre amplius; quæ verba etſi videri poterant eſſe hiſtorica & rei geſtæ commemorativa, tamen Cabbala nos docet comprehendere in ſe prohibitionem. Porro in Gemara Maſſecheth Succa* (fol. LI. col. 2. *declaratur, quod Alexandria quoque ſit ex urbibus ad habitandum interdictis, cujus quidem limites territoriales in longitudine & latitudine quadringenta utrinque milliaria continet, adeoque univerſa terra Ægypti prohibita eſt ad habitandum in ea. At licet tamen eo proficiſci mercaturæ exercendæ cauſa, aut per eam tranſeatur in aliam regionem. Sic in Talmude Jeroſolymitano* (Maſſech. Sanhedr. fol. XIX. col. 4.) *exponunt: ad habitandum, inquiunt, redire tibi in Ægyptum non licet, ſed licet ob mercaturam, & ad ſubigendam terram*.

(14) a Judæis hactenus inhabitata. Occaſionem, qua Alexandria, & tota Ægyptus Judæis repleretur, paulo poſt (*lit. ſ.*) oſtendemus. Hic ſaltem notetur. quanta Judæorum multitudo jam ante *Chriſti* nativitatem Alexandriæ habitarit: nam iſta tempora reſpiciunt hæc, quæ Gemara utriuſque Talmudis *in Maſſech. Succah* obſervavit. Jeroſolymitani *ſol. LV. col.* 2. *init.* פעמים היו באלכסנדריאה כפלים ביוצאי מצרים: *Fuerunt aliquando Alexandriæ*, (poſt extructum ibidem Templum, de quo poſtea) *qui numerum exeuntium ex Ægypto* (olim ſub Moſe,) *duplo excederent*. Babilonici *ſol. LI. col.* 2. פעמים שהיו בה ששים רבוא על ששים רבוא כפלים כיוצאי מצרים: *Fuit aliquando tempus* (extructo Alexandriæ Templo) *cum ſexaginta myriades ibi eſſent, ſuper ſexaginta myriadibus, duplo plures, quam olim ſub Moſe ex Ægypto exierunt*. Similiter poſtea Philo *in Flaccum ſol.* 752. Flaccum hunc, cum eſſet Alexandriæ totiuſque Ægypti præſes, ſciviſſe ſcribit, ὅτι οὐκ ἀποδέουσι μυριάδων ἑκατὸν τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες ἀπὸ τοῦ πρὸς Λιβύην καταβαθμοῦ μέχρι τῶν ὁρίων Αἰθιοπίας, *quod non minus quam decies centena millia Judæorum habitarent Alexandriam totamque regionem, quanta patet a Catabathmo Libyæ uſque ad terminos Æthiopiæ*. Hinc illuſtrabis hiſtoriam de fuga *Chriſti* in Ægyptum *Matth. II.* 13.

(15) Ægyptus. Fuit enim Archiater Regis Ægypti in ſummo pretio ab illo habitus, unde maximam vitæ partem ibi tranſegit, cum alias patria Hiſpanus fuerit, natus Cordubæ, celebri Hiſpanus urbe. Videatur erudita Diſſertatio Buxtorfii, libro ejus More Nebochim præmiſſa.

(16) Alexandriæ, Damiati. R. Benjamin Tudelenſis, cum multis de Alexandria egiſſet, addit tandem *in Itinerario p.* 125. ושם באלכסנדריאה כמו שלשת אלפים מישראל ומשם שני ימים לדמיאט היא כפתור ושם כמו מאתים מישראל: *Cæterum Alexandriæ tria ferme Iſraelitarum millia degebant. Inde biduo Damiatam veni, quæ olim* Caphtor *dicebatur, & jam ducentos Iſraelitas habet*.

(17) Quot Synagogæ. R. Benjamin *in Itinerario p.* 114. מחלואן דרך י״ג ימים לקוץ המדינה היא ראש תחלת מצרים ובה כמו שלשים אלף יהודים: ומשם עד פיום המשה ימים והיא פיתום ובה כמו עשרים יהודי׳ ועד היום הזה נראה שם מן הבנין שבנו אבותינו: ומשם למצרים ד׳ ימים והיא עיר גדולה היושבת אל שפת נילוס והוא אל ניל ובה כמו אלפים יהודים ושם ב׳ בתי כניסיות אחת לאנשי ארץ ישראל כניסיה אל שאמ״יין ואחת כנסת אנשי בבל כניסיה אל עירק״יין ואינם נוהגים מנהג אחד בפרשיות ובסדרים של תורה וכו׳: *Ex Halavan tredecim diebus in civitatem Kouts devenitur, quæ regni Ægyptiaci initium eſt: ubi triginta circiter Judæorum millia. Hinc Pium uſque quinque dierum iter eſt, quæ olim Pithom dicebatur, ubi viginti ferme Judæi. Et ad hæc uſque tempora ſtructuræ patrum noſtrorum conſpiciuntur rudera. Hinc ad Mitſraim quatridui iter eſt, quæ urbs magna in Nili (ſive al Nil) ripa, duo ferme Judæorum habet millia. Hic duæ Synagogæ: una eorum, qui in Iſraelitica regio-*

ne

ne nati sunt, quæ est Syrorum Synagoga; altera Babiloniorum, sive Synagoga Irhakiim : quæ in sectionibus & tractatibus legis eundem morem non servant : &c. Cæterum hanc urbem *Mitsraim* toti regno cognominem, (quæ & *Kairo* dicitur, observante R. Sachutho *in Juchasin fol. CXLVII. col. 2. circa finem.*) paulo post *p.* 116. ut magnam laudat, foris & tabernis instructam, ויהודים עשירים *& in* הרבה בה: *qua multi, iique divites Judæi habitent.* Vide ibi, & adde Constantini L'Emper. *notas p.* 220.

(18) Causas. Duplicem causam hic allegat Maimonides, ob quam in Ægyptum reverti liceat, primo *ob mercimonia*, deinde ut *bello Israelitis subigatur*, quod posterius ubi feliciter cesserit, inque Israelitarum potestatem redacta fuerit Ægyptus, fixam quoque sedem ibi ait permissam. Sed neutrum videtur. Non *illud*, quia negotiatio expresse nominatur, dum reditus prohibetur in Ægyptum, equorum comparandorum gratia, qui ibi generosiores erant, & præcipua negotiationis Ægyptiacæ materia : qua una, utpote primaria specie memorata, cæteræ omnes connotantur, cum eadem ratio sit, si aliorum commerciorum gratia eo redeat. At neque *hoc* alterum concedi potest, quia Palæstinam *Deus* Judæis dederat, nolueratque ut Ægyptum generosam illam equorum matrem bello offensivo adorirentur, eamque occupare studerent. Procul dubio voluit *Deus*, ut, sicuti alia miraculosæ ex Ægypto eductionis memorialia statuit, ita & a promiscua in Ægyptum profectione sibi caverent, pristinæ liberationis perpetuo memores. Quod tanto numero Judæi cum ante, tum post *Christi* adventum incoluerint Ægyptum, suas ibi Synagogas splendide erexerint, nil aliud probat, quam transgressores fuisse præcepti hujus, prout in aliis a pristina patrum pietate, tum etiam vero legis divinæ sensu recesserunt, suas traditiones venerati. Ac primum quidem jam imminente Jeremiæ temporibus captivitate Babilonica eo migrarunt, contra disertas *Dei* comminationes, & Jeremiæ fideles dissuasiones, Duce Johanano filio Kareæ, atque inde ab eo tempore latius se in hoc regno diffuderunt, de quo omnino legenda sunt *Jeremiæ Cap. XLII. XLIII. & XLIV.* Huc postea undecunque magna denuo Judæorum multitudo confluxit, cum circa annum centesimum circiter & quinquagesimum ante *Christi* nativitatem, vastata a Macedonibus Judæa, Onias filius Alexandriam profugus, æternam sibi parare cupiens, licentiam, quam a Rege Ptolemæo Philometore & Regina Cleopatra petierat, impetrasset ædificandi in Ægypto templi instar Jerosolymitani, inque eo Levitas & Sacerdotes ex suo genere constituendi. Quam ad rem abutebatur vaticinio Jesaiæ, quem ante DC. amplius annos prænunciasse jactabat, fore aliquando, ut templum Domino ædificetur in Ægypto hominis Judæi opera. Quod vaticinium habetur *Jes. XIX.* 19. de Novi equidem Testamenti temporibus accipiendum; sed illi interim ad votum successit institutum. Historiam descripsit Josephus *lib. XIII. Antiq. Judaicar. c. VI.* quem lege. Ejus in utroque Talmude passim mentio occurrit, in primis memorabilis locus est in Gemara Jerosolymitana Massech. Joma *fol. XLIII. col.* 4. נחוניון ברח להר המלך משם ברח לאלכסנדריאה ועמד ובנה שם מזבח וקרא עליו את הפסוק הזה ביום ההוא יהיה מזבח לי׳ בתוך ארץ מצרים: *Onias* (cum persecutionem pateretur a fratre suo Simeone) *fugit in montem Regium, inde fugit Alexandriam, ibique substitit & ædificavit altare, atque hic accomodavit textum hunc biblicum* Jesa XIX. 19. *In die illo erit altare Domino in medio terræ Ægypti.* Templum illud Alexandrinum miris modis evehunt, adeo ut scribere non vereantur in Babylonica Gemara Massech. Succa, *fol. LI. c.* 2. מי שלא ראה דיופלוסטין של אלכסנדריא של מצרים לא ראה בכבודן של ישראל אמרו כמין בסילקי גדולה היתה סטיו לפנים מסטיו: — — והיו בה שבעים ואחת קתדראות של זהב כנגד שבעים ואחד של סנהדרי גדולה כל אחת ואחת אינה פחותה מעשרים ואחד רבוא כברי זהב ובימה של עץ באמצעיתה וחזן הכנסת עומד עליה והסודרין בידו וכיון שהגיע לענות אמן היה מניף בסודר וכל העם עונין אמן וכו׳: *Qui non vidit palatium Alexandriæ Ægypti, non vidit gloriam Israelitarum. Ad formam, inquam, Basilicæ magnæ erat, porticibus utrimque splendidum.* — — *In eodem erant una & septuaginta Cathedræ aureæ, pro uno & septuaginta Synedrialibus magnis; quarum singulæ non æstimatæ erant infra unam & viginti myriades talentorum auri : in medio erat suggestus ligneus, in quo Diaconus Synagogæ stabat sudarium manu sua tenens, quo, cum eo jam perventum esset, ut responderi deberet Amen, signum dabat agitando illud, ad quod universus populus respondebat, Amen &c.* Plura ibidem de eo, uti & in Gemara Jerosolym. *eadem Massechta fol. LV. col.* 1. 2. Ut maxime vero splendorem ejus & magnificentiam commendent, qua tot myriadas Judæorum in Ægyptum allexit; agnoscunt tamen utrobique, in Ægyptum profectione turmatim facta graviter peccatum, *Deumque* ad justam vindictam provocatum fuisse. Nam cum hos omnes occisos dixissent, in Babilonico quidem Talmude, ab אלכסנדרוס מקדון *Alexandro Macedone*, in Jerosolymitano vero, a תרוגינוס הרשע *Trajano impio;* addunt id promeritos transgressione legis de non migrando in Ægyptum. Locus in Talmude Jerosolymitano illustrior est, ad quem & superius Maimonidem *in Sepher hammitz vos f. LXXXV. col.* 2. provocare vidimus : cum ergo utut paulo prolixiorem ad verbum recensere operæ pretium fuerit, præsertim cum hic Talmudis Jerosolymitani Codex Babilonico longe rarior sit. Sic autem ibi : תני רבי שמעון בן יוחי בשלשה מקימות הוזהרו ישראל שלא לשוב ארץ מצרים שנאמר כי אשר ראיתם את מצרים היום לא תוסיפו לראותם עוד עד עולם. וי׳ אמר לכם לא תוסיפון לשוב בדרך הזה עוד. והשיבך י׳ מצרים באניות. ובשלשתן חזרו ובשלשתן נפלו. אחת בימי סנחריב מלך אשור שנאמר הוי היורדים מצרים לעזרה. מה כתיב בתרי ומצרים אדם ולא אל סוסיהם בשר וגומ׳. ואחת בימי יוחנן בן קרח. והיתה החרב אשר אתם יראים ממנה שם תשיג אתכם וגו׳. בימי טרוגיינוס הרשע נולד לו בן בתשעה באב והיו מתענין. מתה בתו בחנוכה והדליקו נירות. שלחה אשתו ואמרה לו עד שאת מכבש את הברבריים בא וכביש ארת היהודים שמרדו בך. חשב מיתי לעשרה יומין ואתא לחמשה. אתא ואשכחון עסיקין באורייתא בפסוקא עליך גוי מרחוק מקצה הארץ וגומ׳ אמר לון מה הויתון עסיקין. אמרון ליה הכין וכן. אמר לון ההוא גברא הוא דחשב מיתי לעשרה יומין ואתא לחמשה והקיפן ליגיונות והרגן. אמר לנשיהן נשמעות אתם לליגיונותי ואין אני הורג אתם. אמרון ליה מה דעבדת בארעייא עביד בעילייא ועירב דמן בדמן והלך הדם בים עד קיפרוס. באותה השעה. נגדעה קרן ישראל ועוד אינה עתיד לחזור למקומה עד שיבא בן דוד: *Docuit Rabbi Simeon filius Jochai, tribus in locis admonitos esse Israelitas, ne in Ægyptum reverterentur, I. in illo* Exod. XIV. 13. *Quos vidistis Ægyptios hodie, hos post hac nunquam videatis in seculum. II. in illo* Deut. XVII. 16. *Et Dominus dixit vobis, ne posthac iterum vertamini per hanc viam. III. in illo* Deut. XVIII. 68. *Et reducet te* Dominus *in Ægyptum navibus per* viam, de qua dixi tibi, *ne iterum eam videas. Sicuti autem* hoc interdum tribus vicibus repetitum transgressi *tribus vicibus redierunt, ita & tribus vicibus ceciderunt : I. tempore Senacheribi Regis Assyriæ, de quo dicitur* Jes. XXXI. 1. *Væ descendentibus in Ægyptum pro auxilio. Quid postea sequitur? At Ægyptii,* (inquit v. 3.) *sunt homo & non Deus, & equi eorum sunt caro &c. II. tempore Johanani filii Kareah,* juxta illud Jer. XLII. 16. *Et erit, ut gladius a quo vobis timetis ibi, vos apprehendat in terra Ægypti &c. III. tempore Trajani Impii. Huic filius nascebatur solennissimo illo Jejunii die, quo omnes sese jejunio macerabant : vicissim moriebatur filia ejus ipso encæniorum festo, quo lætitiæ lucernas accendebant : Misit ergo illius* Conjux *nunciatum marito : Quousque tu bello subigis barbaros & extraneos? Veni & subige Judæos, qui adversum te rebellarunt. Trajanus venire decreverat post decem dies, at venit quinto. Venit, inquam, & occupatos offendit in lege, in versu illo* Deut. XVIII. *Afferet* Dominus *super te Goi* (gentilem) *a longinquo ab extremo terræ &c. Quærit eos : quid hoc est, in quo jam occupati estis? Responderunt ei sic & sic. Tum ille : Hic, inquit,* (sese innuens) *est vir ille, qui venire decreverat post dies decem, at venit quinto : & circumdedit eos militum legionibus & interfecit. Hinc ad relictas eorum uxores ait : si obtemperaveritis militibus meis, ego vos non interficiam.*

ciam. Cui ille: *Quod fecisti, inquiunt, in fundis, fac & in stipulis*, Proverbialis locutio, cujus sensus est: Quod viris fecisti, hoc fac & uxotibus.) *Tunc miscuit illarum sanguinem* (eas occidendo) *cum sanguine illorum* (maritorum jam interfectorum,) *ut sanguis flueret in mare usque ad Cyprum. Hoc tempore abyssum est Cornu Israelis Israelitis, neque futurum est, ut in locum suum restituatur, donec veniat filius Davidis.*

(19) Talmud Jerosolymitanum. Sub finem Capitis *Col Israel* in Massech. Sanhedrin *fol. XXIV. col.* 4.

(20) Peregrinatioues. Eadem observavit Cunæus *lib. I. de Rep. Hebr. c. IV.* atque ex hoc ipso, quod Judæi neque exteros viserent, neque ab his viserentur, illud contigisse addit, ut multa de illis falsa prodiderint Græci aliique, siquidem ita res eorum perpaucis notæ fuerint.

(21) Postquam vero. Lege hic omnino Auctorem libri Cosri *part. II. §. XXII. p. 96. 97. edit. Buxtorf.* ubi de hoc amore & affectu Judæorum erga terram sanctam quam plurima ex utroque Talmude collegit. Paria reperies in Abboth R. Nathan *Cap. XXVI. fol. VII. col.* 3. Adde Buxtorf. *Synagog. Judaic. c. III. p. 35. & seqq. edit. noviss. a filio auctæ* & Gilbert. Gaulmyn. *lib. III. Notar. ad lib. de vita & morte Mosis c. VI. p. 386.* Exemplum recentissimum commemorat Hilar. Prachius *præfat. ad Lectorem Bakkaschæ R. Jedaj. Happenini præmissa*, de R. Juda Selket, Archi-Synagogo Viennensi, qui ad evitandam angustiam volutationis subterraneæ גלגול המתים dictam jam grandævus iter in palæstinam suscepit, sed ubi iter vix ingressus Budam Pannoniæ Mahommedicæ metropolin devenerat, ad plures se penetravit, adeoque nunc longo adhuc anfractu subterraneas cavernas permeare tenetur, ad vitam æternam, scilicet, resurrecturus.

(22) A Jacobo. R. Salomo Jarchi *Comm. ad Gen. XLVII. 29. f. LII. col.* 1. verba Jacobi ad Josephum sic παραφράζει: אל נא תקברני במצרים סופה להיות עפרה כנים ושאין מתי חוצה לארץ חיין אלא כנים ושאין מתי חוצה לארץ חיין אלא בצער גלגול מחלות ושלא יעשוני מצרים ע״ז: *Ne quæso sepelias me in Ægypto: futurum enim est, ut pulvis ejus fiant pediculi. Præterea illi, qui extra terram sanctam moriuntur, non resurgunt in vitam, nisi per angustiam subterraneæ revolutionis. Tandem vereor, ne faciant ex me Ægyptii idolum.*

(23) Extraneam. Frequentissima in Rabbinorum Talmudicorumque scriptis locutio, qua ארץ *terram* absolute, & κατ' ἐξοχὴν, vel cum addito ארץ ישראל *terram Israelis* opponunt לחוצה לארץ *regioni extra terram Israeliticam sitæ*, de qua totius orbis divisione vide, quæ notavimus *ad Ruth. I. 1. p. 56.* Huc illud R. Dav. Kimchi *ad Jon. I. 3. Fugit Jonas a* Domino, כי חשב שאם יצא מארץ ישראל מלני ״י לחוצה לארץ לא תשוה עליו רוח נבואת: *nam cogitabat, si exiret e terra Israelis, extra terram, non commoraturum esse supra se spiritum prophetiæ.* Vid. Leusdenii *Jonam illustratum p. 34. 35.*

THEOREMA XI.

Imo ne opes (1) quidem privatas augmentare licebat.

UT *Deus* ubique mirabilis est, ita hic quoque Regem suum voluit esse Paradoxum. (2) Cæteri student opes accumulare maximas, & eo veluti nervo potentiam suam corroborare: iste vero jubetur auricupio abstinere ac mediocribus fortunis contentus esse. Deut. 17. 17. *Argentum & aurum non multiplicet sibi valde!* Non probat Legislator sordes in Rege, multo minus vult ejus mendicitatem, sed requirit moderamen, vetatque *Valde* sollicitum esse de corradendo. Præterea non simpliciter damnat auri congregationem, sed prohibet *Sibi* privatim id multiplicare, ad fastum, cumque subditorum dispendio. Quod Talmudici bene attenderunt. (3) R. M. Mikoz. *pr. neg.* 225. שנינו בפ׳ כ״ג לו הוא ראינו מרבה בה כלומר להניח בבירת גנזיו אבל מרבה הוא כרי ליתן לאכסניו ופרשיו ועבדיו: *Discimus e cap. Koengadol: vox sibi innuit, non colligendum ut relinquat in thesauris suis privatis: at colligendum ut expendat pro suis hospitibus, & equitibus, & servis.* Quod si pecuniæ aucupia in plebejis hominibus inhonesta censentur, minime Reges avaritia decebit. Qui nuper in confusione monetaria technis suis aliquid lucrati sunt, infames jam incipiunt haberi: & Judæos ideo aversamur quia fœnorum artifices audiunt; parum igitur honorificum esset, si auri sacra fame laboraret is, quem Hebræi ab exercenda liberalitate, singulari cognomento נדיב (4) *Beneficum* appellant. Neque hic excusat faceta magis quam Imperatoria vox Vespasiani, (5) qui cum ex urinæ vectigali collectam pecuniam, improbantis filii naribus admovisset, *ecquid illa puteret?* rogavit. Sic nempe sordidis, exponente Juvenali -- *lucri bonus est odor ex re Qualibet.* Mirum vero hic de solo auro & argento, nihil de Gemmis vetitum. Forte ista insania, lapillos tanti emendi tunc nondum invaluit, quando rerum pretia non opinione, sed usu æstimabantur. Astute risit hanc fatuitatem in conjunge sua Galienus, (6) quando eum, qui vitreas ipsi pro veris care vendiderat, quasi leonibus objecturus in caveam deductum, Gallinaceo tantum exposuit, & de vita desperatum non gravius ultus est, quam ut interprete Præcone *Imposturam patetur qui fecerit.* Invenio autem duas præcipue rationes, cur pecuniarum studio interdixerit Regi, quarum prior, ne insolesceret, (7) atque animus cum crumena turgeret. Sumus enim (8) natura sic fere comparati, ut cum vacuo loculo spiritum una evacuemus, cum pleno iterum impleamus. Bechai. *P. Sch.*

הטעם כדי אלא ירום לבבו כי בעשותו אוצר לכסף ולזהב יבטח באוצרו ויסיר בטחונו מהשם ית׳ וראוי למלך שיהוה ה׳ מבטחו ואוצרו ומבצרו שנ׳ והיה שדי בצריך וכסף תעפות לך: והעשר נמשל לאש כל מה מתרבה עצים תרבה השלהבת : *Cauſa eſt ne exaltet cor ſuum. Si enim colligeret theſaurum auri & argenti, confideret in illo & perderet fiduciam in* Deum *Opt. Max. Congruit autem, ut maxime Rex in Deo quærat fiduciam ſuam, & theſaurum ſuum & propugnaculum ſuum: ſicut dicitur* (Job. 22. 25.) *erit Omnipotens munitio tua, & argentum fortitudinis tibi. Opes vero recte aſſimilantur igni. Si quis multiplicat ligna, multiplicat etiam flammas.* (h. e. ubi reditus ampliores, ibi & grandiores expenſæ, tantum abſumitur, quantum ſubminiſtratur.) Creſcit amor nummi, (9) quantum ipſa pecunia creſcit. Ideo privatos etiam homines monet ſapiens, ne hanc unam quærant ſemper, ut plerique ſolent, ſed mediocri fortuna ſaturi (10) omnia naturalibus deſideriis metiantur, quibus juxta Senecam, aut gratis ſatisfit, aut parvo. Hal. Teoth. (11) *cap. 3. circ. med.* צריך האדם שיכוין לבו וכל מעשיו כולם כדי לידע את ה׳ ברוך הוא בלבד ויהיה שבתו וקומו ודבורו הכל לעומת זה כיצד כשישא ויתן או יעשה מלאכה ליטול שכר לא יהיה בלבו לקבוץ ממון בלבד אלא יעשה אלו שימצא אשר הגוף צריך להם מאכילה ושתייה וישיבת בית ונשיאת אשה לא כדי ליהנות בלבד : *Debet homo cor ſuum & cunctas actiones ſemper tantum ad* Deum *Opt. Max. dirigere, ſive ſedeat, ſeu ſtet, ſeu loquatur: v. gr. in accipiendo & erogando, aut cum operam ſuam aliis locat pro mercede, non habeat diteſcendi tantummodo intentionem, ſed faciat iſta, ut honeſte acquirat, quæ corpori ſunt neceſſaria, veluti cibus, potus, habitatio, uxor: non ut ſolum inde voluptatem percipiat.* Nunquid hoc a Judæo ſatis Ethice imo Chriſtiane ſcriptum? Altera cauſa (12) quæ Regem ſpecialius attinet, eſt commodum & ſalus ſubditorum, ne ipſos exactionibus mulctet. Cui enim paſtori detonſa lana non ſufficit, is contra Tiberii monitum, pecudes deglubere quærit. Abrah. A. Ezr. *ad Deut.* 17. שלא יעניש את ישראל: והנה שלמה שנתן הכסף כאבנים בירושלם מרוב אהבתו לממון התרעמו עליו ישראל ואמרו אביך הכביד את עולנו ויש אומרים בצבור הבניינים התרעמו ואין זה אמת כי הגרים בנו הבית כי כן כתוב והנה ארוניהם שהיה על השס רגמוהו במותו: *Nec mulctet Iſrael; ſicut Salomo fecit, qui argentum collegit inſtar lapidum in Jeruſalem,* (1. Reg. 10. 27.) *ut populus præ inſatiabili ejus amore opum murmuraret*, tacite dum viveret, ſed aperte poſt obitum,) *diceretque* (filio ſucceſſori. 1. Reg. 12. 4.) *pater tuus aggravavit jugum noſtrum. Sunt quidem, qui putant propter ædificia murmuraſſe, at non eſt verum, quia proſelyti laborarunt in ſtructura domus.*) & quod ob nimias exactiones rebellarint, conſtat etiam inde, quia 1. Reg. 12. 18. *Adoniam præfectum tributi lapidarunt*, poſt mortem regis.) Tanta fame convehendi auri laboravit Salomon, ut ipſi vicinus orbis non amplius ſufficeret, ſed hoc fine navigia (13) in tranſmarinas regiones Ophir mitteret 2. *Par.* 8. 18. adeo remotas, ut nunquam ante triennium redirent *c. 9. v.* 21. unde etiam hebenum, ebur, ſimias & pavones afferebant, ne quid avaræ magnificentiæ deeſſet, præcipue autem obrizi totas moles; quod ideo pallere, Diogenes (14) per jocum dixit, quoniam tot paſſim habet inſidiatores. Deliquit vero Rex Salomo, (15) non in hoc ſolo, ſed in omnibus tribus, quæ regibus ſpecialiter prohibita erant. Bechai *l. d.* מצינו שלמה שהיה גדול העולם שנכשל בשלשה אלו הרבה סוסים שנ׳ ויהי לו ארבעים אלף ארוות סוסים: הרבה נשים שנ׳ ויהי לו שבע מאות שרות ושלש מאות פלגשים: וכן הכסף שנ׳ אין כסף נחשב בימיו וסמך על חכמתו לבו כנגד התורה ונכשל בהם: *Invenimus de Salomone primate totius mundi, quod lapſus fuerit in cunctis tribus. Multiplicavit enim Equos,* 1. Reg. 4. 26.) *habens quadraginta millia præſepiorum. Multiplicavit etiam Mulieres* (1. Reg. 11. 3.) *habens ſeptingentas uxores & trecentas pellices. Sic quoque argentum, quod ita multiplicavit* (1. Reg. 10. 21.) *ut in diebus ſuis pro nihilo reputaretur. Nempe fretus ſapientia ſua, cor obfirmavit contra legem, & impegit in hiſce.* Non autem exemplis ſed legibus judicandum eſt; ideo loquimur hic de jure Regum, non de factis, quæ ſæpenumero prorſus contraria erant. Videtur etiam ipſe pius Davides in hoc aliquid humani paſſus fuiſſe, dum prætextu collectarum pro futuro Templo, tantam vim opum congeſſit, ut præter ea, quæ palam ad hæredem tranſmiſit, etiam ingentes gazæ in privato ejus ſepulchro (16) repertæ fuerint; niſi forte hoc ipſum quoque Salomoni tribuendum, qui eum injuſſu morientis adeo magnifice ſepeliverit. Fl. Joſephus ſub fin. l. 8. antiq. c. ult. *Poſt anno* MCCC. *Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho, aperta cella monumenti Davidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Anti-*

tiq-

tiocho numerata, *oppugnationis periculo ſe exemit*. *Ac rurſum poſt multos annos elapſos*, *Herodes rex alia cella aperta*, *magnam pecuniam ſuſtulit: ad loculos tamen*, *qui regum cineres continent*, *neuter eorum pervenit*. *Singulari enim arte ita erant ſub terram conditi*, *ut ab ingredientibus monumentum*, *inveniri nequirent*.

Objiciat hic aliquis; num igitur Regem Utopicum ſibi finxit Moſes? pecunia eſt nervus regni & omnium rerum gerendarum, ea qui regem ſpoliant, anima quaſi ſpoliant. Unde ſalaria ſolvet aulicis, qui eget ipſe? quomodo liberalis erit, qui ſimul pauper? quadrabit in eum illud Arabum: *natura non tenax ſum*, *ſed fortuna prohibeor*. Unde monetam cudet? an ex ære cyprio, (17) ut in nupera confuſione noſtri ſeculi? vel e corio, (18) ut temporibus Frid. II. Imp.? Si bello laceſſitur, inciſis nervis quomodo reſiſtet? R. Abr. Seb. *in faſcit. myr.* איך ילחם עם אויביו בלא סוסים וכסף וזהב: *quibus adminiculis pugnabit cum hoſtibus ſuis abſque auro*, *argento*, *equitatu*? Reſpond. quicquid hactenus prohibitum, id privatas tantum opes attinet: publicas (19) vero non modo locupletare licet, ſed imo Rex omni honeſta ratione debet; ut ſeu quid ædificandum ſit in pace, ſeu quid expugnandum bello, Reſpubl. ſuis inſtrumentis nunquam deſtituatur. Maym. *H. Mel. c.* 3. §. 6. לא ירבה כסף וזהב להניח בגנזיו ולהתנאות בו או להתנאות בו אלא כדי שיתן לחיילותיו ולעבדיו ולשמשיו וכל כסף וזהב שירבה לאוצר בית ה׳ ולהיות שם מוכן לצרכי הציבור ולמלחמותם הרי זה מצוה להרבותו ואין אסור אלא להרבות לעצמו בבית גנזיו שנ׳ לא ירבה לו ואם הרבה לוקה: *Non coacervet aurum & argentum*, *ut aſſervet in theſauris ſuis*, *quibu ſuperbiat aut delectetur*. *Sed colligat quantum debet exercitui ſuo*, *ſervis & miniſtris*. *Totumque illud reponat in Gazophylacio domus* Dei, *ut ibi præſto ſit ad neceſſitates Reipub. atque bellorum*. *Ecce hoc omnino præceptum eſt! nec prohibitum niſi privatim ſibi ipſi congregare pro theſauro*, *quia dicitur* (Deut. 17.) *non multiplicet Sibi: etenim ſi Sibi multiplicaret*, *vapularet* (de Jure.) Verum quidem eſt illud Politicorum: opes ſubditorum eſſe regis theſaurum; nec pauperem cenſeri magiſtratum, qui pecunioſos habeat ſub ſe cives: tutius etiam in illorum loculis quam fiſco aſſervari. Quia tamen experientia docet, ſecurius paulatim colligi, invidiaque minori, quam ſi extraordinarie ac ſimul exigatur: prudenter factum exiſtimamus, quod pecunias annuatim contributas, in Templo ſub fideli manu cuſtodierunt, ad futuros uſus. Semag. *pr. neg.* 224. ויביא את הכסף לאוצר בית השם תחת ידי נאמני ישראל להיות מוכן לצרכי ישראל: *Inferat argentum ad theſauros domus Domini*, *& concredat manibus fidelium Iſrael*, *ut ſit in promptu pro neceſſariis ſumptibus regni*. Notum eſt (20) e *cap.* 30. *v.* 13. *Exodi*, fuiſſe olim ad fabricam Tabernaculi, ab omnibus Ephebis ſemiſiclum ſive Didrachma exactum. Id poſtea in Jus verſum eſt, & quotannis menſe Februario repetitum, etiam in ipſo exilio Babel, uſque ad urbis & templi excidium. Quod inſuper ex Evangelio (21) conſtat, ſolviſſe Chriſtum pro ſe & Petro ſtaterem in ore piſcis repertum, *Matth.* 17. 27. Nemo enim exemtus erat, exigebatur viritim a ſacerdotibus, Levitis, peregrinis, etiam mercenariis atque pauperibus, & qui de Eleemoſyna vivebant, tantundem emendicare cogebantur, aut veſtem ab humeris vendere ut ſolverent. Qui in Babylone poſt reditum lubentes habitabant, deponebant in urbe Nehardea, & inde cum armato comitatu Jeroſolymas deferebant. Tandem vero everſa Republ. cenſus iſte a victore Tito in Capitolium Romanum translatus fuit. Quæ omnia Maymonides peculiari tract. שקלים expoſuit, & inde pridem Ego, *in Diſſert. de Numm. Hebr. Theor.* 14. & 27. prolixius narravi. Quantam ergo vim pecuniarum putas inde collectam tot ſeculis? e multis, unde hoc æſtimari poſſit, afferam unicum & memorabile, quod recenſet Fl. Joſeph. *l.* 14. *antiq. c.* 12. Erat in templo trabs aurea (22) pendens minas trecentas, h. e. 750. libras auri puri puti; incluſa tamen alteri cavæ trabi ligneæ: quod myſterium omnibus etiam ſacerdotibus occultatum, ſolus ſcivit ſacri theſauri cuſtos Eleazarus. Cum autem M. Craſſus ille auri ſitientiſſimus Dux Romanus, expeditione contra Parthos ſuſcepta, Jeroſolymas veniſſet, abſtulir e templo præſentis pecuniæ duo talentorum millia, quæ antea victor Pompejus, religione loci attingere non auſus fuerat; item inſuper alia octo talentorum millia, quæ paſſim in ornatu ædis ſacræ viſebantur. *Eleazarus igitur vir alioquin bonus & juſtus*, *cum concreditam haberet aulæorum templi cuſtodiam*, *ex hac trabe pendentium*, *quorum admiranda pulchritudo erat*, *& apparatus pretioſiſſimus*; *videretque Craſſum totum eſſe in colligendo auro*, *timens omnibus templi ornamentis*, *trabem hanc redemtionem pro omnibus ei dedit*: *cum prius eum jurejurando obſtrinxiſſet*, *nihil aliud loco mo-*

turum, contentum eo quod ipse traderet, æstimatum pluribus aureorum millibus. Crassus quidem accepit, sed mox violato jurejurando, totum quantum intus erat egessit. Nec est mirandum (addit Josephus) *tantas divitias in nostro templo fuisse, cujus* Deum *cum omnes ubique terrarum Judæi venerentur ac colant, tam ex Europa quam ex Asia longo tempore huc eas contulerant &c.* Probat etiam Strabonis testimonio, hanc summam non ad vanam gloriationem esse confictam, nec testibus carere. Sed transeamus ad cætera.

NOTÆ

In Theorema undecimum.

(1) Opes. De hoc Theoremate, post Abulensem aliosque *in Deut. cap. XVII.* Commentatores, vide Menochium *lib. I. de Rep. Hebr. c. VIII. q. IX. f.* 56. Becanum *in Analog. V. & N. T. c. XVI. q. XII. p.* 422. Pinedam *lib. VII. de Reb. Salom. c. XIII. f.* 684. *sqq.* Frischmuthium *de Rege elig. & deponend.* §. *XXXI.*

(2) Paradoxum. Nihil circa divitias Hebræorum Regi mandatur, quod non observari *Deus* velit ab aliis quoque Regibus. Abusus in colligendis opibus prohibetur, non usus, ceu bene noster in sequentibus exponit. Si Reges cæteri accumulant opes, ut iis confisi potentiam suam tanto splendidius & magnificentius, ad sui honorem, non vero Reipublicæ salutem exerant, de facto hoc agunt, neque culpa carent, præsertim si rigidiores exactiones accedant, quibus subditi emulgentur. Nihil ergo lege hac sancitur, quod Regem Hebræorum paradoxum efficiat.

(3) R. M. Mixoz. Tantumdem R. Bechai *in Parasch. Schopht. fol. CCXXIII. colonn.* 2. *init.* וכסף וזהב לא ירבה לו מאד פירשו ר״זל אלא כדי ליתן אכסניא כלומר כדי ליתן שכר חיילותיו מדי שנה בשנה הנכנסין והיוצאים עמו כל שנה ושנה אבל אינו רשאי לעשות ממנו אוצר או סגלה : *Legem de non multiplicando auro & argento sic exposuerunt Rabbini nostri, ut exciperetur id, quod dandum est hospitibus, puta, quod annuatim in exercitus erogandum, qui cum Rege in totto anno ingrediuntur & egrediuntur. Saltem illud illicitum est, ne inde privatum conficiat thesaurum, sibique approprietur.*

(4) נדיב Beneficum. Sic legitur *Jesa. XXXI.* 8. נדיב נדיבות יעץ : Luther. Die Fürsten werden Fürstliche Gedancken haben. Conf 1. *Sam. II.* 8. *Psal. LXXXIII.* 12. *CXIII.* 8. *CXVIII.* 9. *CXLVI.* 3. *&c.* Proprie notat *liberalem* aut *munificum*, quo sensu omnes illi qui spontaneum munus ad sacra offerebant נדיבי לב *spontanei Corde* dicuntur *Exod. XXXV.* 5. 22. Cum vero munificentia hæc & benignitas in primis Reges & Principes deceat, tum ob status eminentiam, tum facultates, quibus præ aliis eam exercere possunt; datum iis hoc nomen, & quod initio virtutis erat, postea dignitatis factum est: ac plane convenit cum græco *ἐυεργέτης*, quo Ptolemæus Ægypti Rex appellabatur. Quin & Dynastas Regum, & proceres in aula potentes, eo tanquam aulicæ dignitatis cognomento vocatos docet Bernegger *not. ad Sveton. Titum c. VIII. num.* 4. *lit. f.* Fuitque hoc olim in aula Persica more receptum, ut qui Regem regnumve insigni aliquo beneficio demeruissent, *Orosangæ* dicerentur (*ἐυεργέται* Græci vertunt,) & ne cujusquam meriti memoria intercideret, solebant Orosangarum seu beneficorum nomina in regios Commetarios referri. Clarum hoc cum Herodoti *lib. III. c.* 140. & *lib. VIII. cap.* 85. Xenophontis *lib. VIII. Pæd.* Æliani *lib. XII. Variar. histor. c.* 40. tum ex historia sacra *Esther. VI.* 2. 3. cui Josephus *lib. XI. Antiq. Judaic. c. VI.* consentit. Lucem hinc capiunt verba *Christi Luc. XXII.* 25. *οἱ ἐξουσιάζοντες ἐυεργέται καλοῦνται*, die Gewaltigen heisset man gnädige Herren. Hebraice diceres : רוזניהם נקראים נדיבים *Dominatores vocantur benigni*, seu *munifici*.

(5) Vox Vespasiani. Refert Dion Nicæus *in vita Vespasiani num.* 5.

(6) Galienus. Apud Trebell. Pollionem *in ejus vitia*. Ipse tamen, Caligulam imitatus, gemmatas caligas habebat.

(7) Prior ne insolesceret. Expressum est in ipsa lege *Deut. XVII.* 20. : לבלתי רום לבבו מאחיו *ut Rex ne elevet cor suum præ fratribus suis*. De quo distincte noster *theor. seq. XII.* Efferri autem cor non minus ob divitias solet, quam honores, de quibus pulchre Augustinus *lib. V. de Civitate* Dei *c. XXIV.* Reges monuit : *Felices*, inquit, *eos dicimus, si juste imperant : si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt : si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt : si Deum timent, diligunt, colunt : si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes, &c.*

(8) sumus enim. Hinc illud proverbium Hebræorum : אין ענות במקום עשירות *Non est humilitas, ubi sunt divitiæ*. Gut macht Muth.

(9) Crescit amor nummi. Vulgare dictum, neque Hebræis, neque Patribus ignotum. Hebræorum proverbium est : המדות המגונות ישנות בעולם זולתי הכילות אשר בכל יום מחודש ובא : *Vitia alia quæcunque veterascere solent in mundo, præter avaritiam, quæ singulis diebus innovatur & crescit*. E Patribus Augustinus *de interpellat. Jobi* : *Modum*, inquit, *non habet avaritia, nec capiendo expletur; sed incitatur, hoc egentior, quo plura quæsivit.*

(10) Mediocri fortuna Saturi. Ita sapientem quendam Regi respondisse refert R. Jejada *in Michchar happeninum sect. X. elect.* 11. *f.* 86. 87. מלך אחד אמר לחכם אילו היית שואל ממני הייתי מספיק לך כל ימיך אמר לו ולמה אשאל לך ואני עשיר ממך אמר לו המלך ואיך אתה עשיר ממני ואמר מפני שאני מסתפק במעט שבידי יותר ממה שאתה מסתפק ברוב שלך : *Dicebat aliquando Rex quidam Sapienti : si petiisses a me, satis tibi dedissem omnibus diebus tuis. Cui ille respondebat : & quare peterem abs te, cum ipse sim te longe ditior. Regerebat Rex : ecquomodo vero tu me ditior fueris? Respondebat ille : propterea quia ego paucis illis, quæ possideo, contentus sum magis, quam tu contentus es iis opibus, quas habes.*

(11) Hal. Deoth. Quicquid hic docet Majemonides, mutuatus est ex Massecheth Aboth R. Nathan, qui addit, observante R. Jos. Karo *in Keseph Mischne f. XIII. col.* 1. שכל העושה כן נקרא קדוש : *quod omnis, qui hic* (& in toto hoc cap. III.) *dicta observat, vocetur sanctus*.

(12) Altera Causa. Eandem observavit R. Abarbanel : הטעם בזה לא זכרו הכתוב להיותו מבואר שאם ירדף אחר העשר עניני לקנותו שלא כדין בעשק ובחמס : *Causam ejus rei scriptura ipsa non allegat, cum manifestum hoc sit, quod Rex, si divitiis inhiaret, eas non juste, sed per fas & nefas conquisiturus esset*. Solet enim inordinatus pecuniæ amor & effrenatus habendi appetitus exuere hominem omni philanthropiæ affectu, quod acute Hebræi, ut solent, ita efferunt : אחר שגדלה אהבת המעות נתמעט החבור באנשים : *Quo magis crescit amor nummorum,* eo

eo magis decrescit amor hominum. Ac vere in eandem sententiam Ambrosius *lib. de Officiis*: *Cum augere*, inquit, *opes, aggregare pecuniam, occupare terras possessionibus, cupimus præstare divitiis, justitiæ formam exuimus, & beneficentiam omnem amittimus*.

(13) Navigia in Ophir. Nota sunt Philologorum certamina de Salomonis navigatione & classe, & quid in ejus descriptione *Ezeongeber, Ailath, Tharsis*, & cum primis *Ophir* designent. Nostrum in his scholiis non est, tantam componere litem; Nec opus laudare multa, de hac materia sollicitorum nomina, qualia post Samuelis Bocharti & Casparis Varrerii in promtu sunt Pinedæ *lib. III. de reb. Salom. c. III. multisque sequentib.* Schotani *Tom. II. Biblioth. Sacr. V. T. f. 798. seqq.* aliaque innumera, qostquam ea pleraque Martinus Lipenius discussit erudito libello, quem *de Navigatione Salomonis Ophiritica* jam ante hos tredecim annos edidit. Saltem illud observasse suffecerit, sententiam illam, in qua sibi Arias Montanus & plures alii tantopere complacuerunt, Ophiram esse Americam, & אופיר *Ophir* per literarum metathesin valere פירוא *Peru*, (cujus vanitatem ostendit Lansius *Orat. pro Hispania p. 562. seqq.* ac multo loculentius Dn. Spizelius *de Israelitis Americanis contra Menass. ben Isr. spem Israelis p. 35. seqq.*) plerisque hodie Judæis arridere. Sic enim R. David Ganz. *part. I. Zemach. David. fol. XIII. col. 2.* כתב רבי אברהם פריצול בספר ארחת עולם שארץ אופיר הוא העולם החדש שקורין נובא מונרא וכן כתב בעל מאור עינים בפרק י״א והפליג שם בראיות ע״ש: *Scripsit R. Abraham Perizol in libro suo Orchas olam, terram Ophir esse mundum novum, quem barbare hodie Nuovo mundo appellant. Quod ipsum asseruit quoque Auctor libri Meor Enajim cap. XI. ubi variis rationibus propugnat, quas ibidem ipse videas*.

(14) Diogenes. Plantavitius *in Select. Apophthegm. num. CLXXXIV. f. 438.* דיאוגן בעת ששאלו ממנו למה הזהב צבעו ירוק והשיב להיותו נארב מרבים: *Diogenes, cum interrogaretur, quam ob causam aurum palleret? Respondit, ideo, quia habet insidiantes sibi quamplurimos*. Solent enim pallere, qui persecutionem passi metuunt.

(15) Rex Salomo. Eadem tot fere verbis, quot R. Bechai hic citatus, de Salomone triplex istud interdictum transgresso habet R. Abarbanel *Comm. in Leg. fol. CCCLXIX. col. 1.* additque ea tradita jam olim esse a Doctoribus *in Sanhedrin Cap. II.*

(16) In privato ejus Sepulchro. Præter thesauros in sepulchro hoc Davidis repositos R. Benjamin Tudelens. *in Itinerario p. 46.* ipsum in spelunca instar palatii erectum narrat, marmoreis fulcitum columnis, & argento auroque obductum, in quo reposita fuerit mensa, & sceptrum aureum & aurea corona. Quod tamen Judaicam spirare fabellam, monet Magnif. Dn. Geierus *de Luctu c. VI. §. 9. p. 120.* Conf. Const. L'Empereur *notis ad R. Benjam. p. 175. 176.* Villalpandum *lib. I. in Ezech. f. 555.* & *Tom. III. f. 195.* Pinedam *lib. VIII. de Reb. Salom. c. III. fol. 771.* Hottingerum *de cippis Hebraicis p. 24. 25.* Illustrari hinc poterit locus *Act. II. 29.* ubi Petrus de sepulchro Davidis veluti celebri, atque omnibus noto ait: *τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης*, *sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem*.

(17) Ex Ære Cyprio. Vide Zeiller. *Tom. II. Epistolar. p. 344.*

(18) E Corio. Factum hoc est Anno *Christi* MCCLVII. cum laudatus Imperator Parmam, quam Papa ipsi eripuerat, obsidione cinxisset, & in obsidione pecunia destitueretur; monetam tamen illam, quam ex corio finxit, ducatis singulis postea redemit, teste Parisio Historico, Friderico huic coævo, ad quem provocat Cluverus *Epit. Hist. Universal. p. 569. 571.* Vide etiam Matthiæ *Theatr. Hist. part. IV. Imper. Germ. XXVI. p. 624.* & Calvisium *in opere Chronolog. fol. 810.* Simile quid de Dominico Michaele, Venetorum Duce narrat Sabellicus *Ennead. IX. lib. IV. fol. 364. 365.* Is, cum circa A. C. MCXXII. in Asiatica expeditione pecuniæ defectu, quod procul domo esset classis, reddi stipendium nequiret, ex loro pecuniam publica nota signavit, eamque pro aurea & argentea certis distinctam characteribus in stipem diu Navalibus numeravit turmis, donec cum aureis argenteisque domi permutare liceret: quod & post reditum factum est. Quanquam vero illi tesseras tunc verius, & quasi syngraphas coriaceas pro solvenda olim pecunia inter suos distribuerunt, quam necessitatem hic respicit noster; fuit tamen aliquando tempus, quo numi ordinarie fiebant ex Corio, quos Græci *σκύτινα νομίσματα* vocabant, de quibus vide Guid. Pancirollum *de Magistrat. municipalib. & corporib. artific. fol. 25. 26.* Jo. a Cokier *de re nummar. prisci ævi c. III. p. 16. 17.* Lipsium *de re nummaria c. II. p. 6.* Lotichium *in Petronii lib. II. c. XVI. p. 300.*

(19) Publicas. De ærario Regio Republicæ Israeliticæ, mirum quam sileant auctores cum Hebræi, tum qui e Christianis de Hebræorum Republ. scripserunt, cum tamen certum sit, præter thesauros sacros, quorum duo fuisse genera, docte ostendit Bonav. Corn. Bertramus *de Rep. Judaic. c. XV. p. 271. seqq. edit. L'Emper.* hic omnino consulendus, etiam regios fuisse, e quibus depromenda erant, quæ pace belloque in conservationem & salutem Reipublicæ necessario impendebantur. Clarissimus locus est 2. *Reg. XVIII. 15.* ubi בכסף הנמצא באוצרות בית המלך *pecunia reperta in thesauris domus Regiæ* differte, כסף הנמצא בית י״י *pecuniæ in domo* Domini *inventæ* opponitur. Nec alter locus 2. *Reg. XX. 13. 17.* de privatis solum, sed simul publicis thesauris accipiendus videtur.

(20) Notum est. Confundit auctor sacros templi thesauros cum Regiis Reipublicæ. Quicquid enim de sicli pensitatione hic profert, nihil prorsus facit ad pecuniam in Reipublicæ bonum cogi solitam. Neque dum Majemonides *loc. cit.* collectam a Rege pecuniam reponendam ait לאוצר בית ה׳ ולהיות שם מוכן לצרבי הציבור ומלחמותם: *in gazophylacio domus* Dei, *ut ibi præsto sit ad Reipubl. bellorumque necessitates*: illud velle videtur, quod Schikardus putat, quasi sacro illi fisco applicanda, & in unam massam cogenda esset; sed locum pecuniis publicis, qua sacris, qua profanis destinatum designat, nempe non in domo Regia, sed templo asservandam fuisse, in quo varia fuerunt gazophylacia, de quibus Const. L'Empereur *ad Cod. Middoth. p. 47.* Ita R. Jac. Ari *lib. II. Tabbnis hechal c. XXIV. fol. XXVIII. col. 1.* השלשים ושמנה תאים אשר בם ישימו משמור את הזהב ואת הכסף ואת כל כלי יקר לבית ה׳ כאשר גם כן ישימו בתוך גנזי האולם הנזכרים: *Triginta octo cubicula circa templum erant, in quibus custodiendum reponebant aurum & argentum, & omnis generis vasa pretiosa Templi, qualia similiter reponebant in Gazophylacio propylei jam dum memorato*. Descripserat vero illud paulo ante *cap. XXI. f. XXV. col. 1.* cum de אולם הבירה *propylæo templi* ageret: בתוך המקום הזה היו אוצרות בית ה׳ מיוסדים הנקראים גנזי האולם על דבר אשר שמה היו נותנים במשמר את הכסף ואת הזהב ואת כל כלי יקר לבית ה׳: *Intra hunc locum reconditi erant thesauri templi, qui thesauri propylei vocabantur, propterea quod eo reponerent custodiendum aurum & argentum, & quælibet vasa pretiosa templi*. Asservabatur ergo Regius quoque fiscus in aliquo istorum conclavium, aut cubiculorum, ad hoc paratorum, ut thesauri aliaque pretiosa ibi custodirentur. Alias de annua Sicli solutione, qua sacrum ærarium conservabatur, vide Sigonium *lib. III. de Rep. Hebr. c. XVI. p. 181. seq.* Seldenum *lib. IV. de J. N. & G. c. V. f. 492. seq.* & *lib. III. de Synedr. c. X. pag. 127. seq.* Cartvvrightum *elect. Targ. Rabbin. in Exod. p. 388. seq.*

(21) Ex Evangelio. De didrachmi pensitatione *Matth. XVII. 24. seq.* ex instituto egit Seldenus *lib. VI. de J. N. & G. toto Cap. XVIII. f. 766. seqq.* cujus tamen sententia huc redit, non pertinere ad capitationem illam sacram, juxta quam semisiclus quotannis ex lege Mosaica Templo pendendus erat, quam Schikardus noster hic cum aliis viris doctis a Seldeno memoratis intellexit; sed fuisse tributum Cæsarianum, de quo Josephus loquitur *lib. VI. halofeos c. XVI.* *Ῥωμαῖοι τὸν συνήθη δασμὸν αἰτοῦσιν, ὃν οἱ πατέρες ἡμῶν τοῖς ἐκείνων πατράσι παρέσχον, καὶ τοῦτο τυχόντες οὔτε πορθοῦσι τὴν πόλιν οὔτε ψαύουσι τῶν ἁγίων*. *Poscunt Romani solenne tributum, quod patribus eorum patres nostri præstiterunt, quod si re-*

ce-

ceperint, *nec civitatem populantur*, *nec ſacra omnino tangunt*. Et hæc ſententia noſtratium fere Theologorum eſt communis, Hunnii *Com. in h. l. Tom.* III. *Opp. Lat. f.* 405. Lyſeri *Harm. Evang. cap. XCI. p.* 473. Gerhardi *Tom.* VI. LL. CC. §. 443. aliorum, & plus veriſimilitudinis habet, quam prior illa de ſemiſicli in templi ſacrorumque uſum ſolutione, ut ſive de portorio vel trajectus vectigali, quod lacum trajicientes Capernaumi perſolvere ſolebant, ſive de pecunia pro redimendis primogenitis *Num.* XVIII. 16. deputata, ne quidem ſit cogitandum. Quæ quidem interpretatio ſi conſiſteret, gratis hæc omnia dicta eſſent ab Auctore. Sed placet utriuſque combinatio, ut veniſſe ad Petrum exactores dicamus non tantum ſicli templo ſolvendi, ſed & cenſus Imperatori Tiberio dandi, & de utroque ſiclo, ſeu didrachmo quæſiviſſe, annon Jeſus ſolveret? qui Petrum mox juſſerit, ut ejecto hamo captum piſcem traheret, & inventum ſtaterem, quatuor *δίδραχμα* continentem vulgaria, vel duo ſacra, pro utroque, (*Chriſto* & Petro) ſolveret. Id quod me primus & ſolus docuit Dn. D. Sebaſt. Schmidius, cujus Diſſertationem *de didrachmis a* Chriſto *ſolutis*, *Anno* 1663. *ſcriptam* conſulat, qui argumentis hæc aſſerta, & ab omni difficultate liberata, & præterea non ubivis obvia de hac materia deſiderat.

(22) Trabs Aurea. R. Jacobi Ari *lib.* II. *Tabhnis hechal c.* XXIV. *f.* XXVIII. *col.* 2. cum memorata ſuperius conclavia theſauris aſſervandis dicata deſcripſiſſet, hoc ipſum e Joſephi *l.* XIV. *Antiq. c.* XII. refert: ויהי שם באחד מן התאים האלה קורת זהב גדולה אשר עליה יתלו כלי הקודש ע״י עונקליות שהיו שמה והיא היתה שמונה בתוך קורה של ארז ומשקלה שבע מאות וחמשים ליטרא: *Fuit ibi*, inquit, *in uno e conclavibus illis trabs aurea magna*, *ſuper qua uncinis ad hoc præparatis vaſa ſacra* (h. e. ut ibidem Gloſſa addit: החשן והאפוד והציץ עם שאר בגדי כהן גדול: *pectorale*, *&* *ephod*, *&* *frontale cum cæteris ſummi Pontificis veſtimentis*,) *ſuſpenderent*: *quæ ipſa porro intra trabem cedrinam recondita erat*, *pondere ſeptingentarum & quinquaginta librarum*.

CAPUT QUARTUM
DE SUBDITIS.
THEOREMA XII.
Subditos humaniter ut Fratres regere juſſus.

EST & hoc inter fundamentales regni leges (1) *Deut.* 17. 20. comprehenſum, *ne cor ſuum elevet ſupra* Fratres, ſed iis non tam præeſſe quam ipſummet accenſeri ſe cogitet: illud ſimul conſiderans, multo ſibi apud exteros fore honorificentius, ſi ut liberos homines liberaliter tractaverit, quam ſerviliter ut ſervos. Vix enim aliud eſt, quod totam aliquam gentem, apud alias viliorem reddat & ubique contemtam, quam ſi mancipia regum ſuorum audiant. Itaque vetat ſcriptura ſubditis ad dominatum abuti. Maym. *H. Mel. c.* 2. §. 8. כדרך שחלק לו הכתוב הכבוד וחייב הגדול הכל בכבודו כך צוהו להיות לבו בקרבו שפל וחלל שנ׳ ולבי חלל בקרבי ולא ינהג גסות לב בישראל יתר מדי שנ׳ לבלתי רום לבבו מאחיו: *quemadmodum ſcriptura ei gloriam ingentem tribuit*, *dum univerſos obligat ut illum honorent*; *ita viciſſim ipſi præcipit*, *ut corde ſuo intra ſe humilis ſit atque quaſi ſaucius*, *ſicut dicitur* (a Davide, Pſal. 109. 22.) *cor meum intra me dolet*. *Neque inſolentius ſe efferat quam par eſt*, *quia vetatur elevare cor ſupra fratres*. Talis faſtus in Alexandro M. (2) fuit, qui ſe Jovis filium appellare juſſit; & in Sapore (3) Perſarum rege, qui titulos ſuos in literis ad Conſtantinum ſic exorſus eſſe fertur: *Rex Regum* Sapor, *princeps ſiderum*, *frater ſolis & lunæ*, *Conſtantino ſalutem*. Obliti (4) ſunt iſti humanæ ſortis; & quam facile frangatur vitrea fortuna, etiam cum maxime ſplendet. Nonne altiſſimæ quercus, poſtquam diu creverunt, interdum una hora eradicantur, ſi ventus irruat? credo Bajazetem (5) ſi quis vates caveæ incluſum iri prædixiſſet, velut impoſſibili fidem non habiturum fuiſſe: forte nec Joachin aut Sedeckias unquam capi ſe poſſe metuerunt! & tamen ille in carcerem compactus 2. *Reg.* 24. 15. *&c.* 25. 27. iſte vero etiam exoculatus fuit, atque catenis ligatus, *ibid. v.* 7. Itaque diadema ſitulis comparo, quibus ancillæ aquas in capite geſtant; ut enim ſub illis ſubſilire non licet, niſi ab aquarum mole opprimi velint & totæ conſpergi: ſic regis coronam cenſeo tale onus eſſe, quod niſi moderate feratur, ipſum geſtantem & quotquot in propinquo ſunt, ruina ſua graviter ferire queat. Diſcamus (6) vero ſimul nos humilioris fortunæ homunciones, ſi *Deus* faſtum in magnatibus oderit, quanto indignius ferat in cæteris? R. Moſ. Bar. Nachm. *Parſ. Schoph.* כי הכתוב ימנע המלך מן הגאות ורממות הלב וכל שכן האחרים שאין ראוין לכך כי בראוי להתרומם ולהתגדל יזהירנו להיות לבבו שפל ככל אחיו הקטנים ממנו כי הגאות מדה מגונה ונמאסת אצל האלהים אפילו במלך כי לה׳ הגדולה לבדו וכתיב בזאת יתהלל וגו׳: *Si ſcriptura Regem arcet*

cet a superbia & elatione cordis, quanto longius cæteros, qui eo inferiores? Ille videbatur dignior (vel justiores causas habere) *ut se efferat atque magnificet, tamen monetur esse humili corde, instar fratrum minimorum. Fastus enim vitium est exosum & abominabile coram Domino, etiam in rege: quia ipsi* Deo *soli debetur magnificentia. Sic dicit ille* (Jerem. 9. 23.) *non glorietur potens in potentia sua, sed quod sapiat & me cognoscat.* Veteres Hebræi tradiderunt, humilitatem esse signum genuini Judæi, (7) fastum vero nothi notam certissimam. Pirk. Afot. *sub. fin. cap.* 5. כל מי שיש בו שלשה דברים הללו עין טובה ורוח נמוכה ונפש שפלה מתלמידין של אברהם אבינו: ושלשה דברים אחרים עין רעה ורוח גבהה ונפש קצרה מתלמידין של בלעם הרשע: *In quocunque tres hæ proprietates inveniuntur, oculus bonus* (h. e. αὐτάρκεια (8) quavis sorte contenta,) *spirtius mansuetus* (quidvis pati paratus,) *& anima humilis* (cuivis cedere gnara,) *is est e Discipulis Abrahami* (9) *patris nostri: contra, in quo tria opposita, malus oculus* (h. e. invidia,) *spiritus sublimis & anima curta* (impatiensque,) *ille est e discipulis Bileam maligni.* Celebratur *ibid. cap.* 4. Chria Ribbi Meir prisci, monentis הוי שפל רוח בפני כל אדם: *studendum humilitati spiritus erga quosvis homines:* Et paulo anterius altera coævi Ben-Azai, dicentis אל תהי בז לכל אדם שאין לך אדם שאין לו שעה: *Noli quenquam contemnere: nemo enim est, cui non sit sua quoque hora:* præsertim quia, ut mox R. Levites Jabnæus addit, תקוה אנוש רמה *vermes nostra sunt expectatio.* Revertor ad Regem, cui hæc virtus præ cæteris necessaria; ut a subditis ametur: (10) quod ipsi propugnaculum est quavis arce fortius. *Non sic excubiæ, nec circumstantia tela, Quam tutatur* Amor: ut Poeta canit in hoc minime poetans. Benevolentia populi est illa turris, in qua securissime residet; illa mœnia, quibus optime munitur: illi satellites, qui fidelissime custodiunt. Quid enim interest, an quis non habeat præsidium, vel eo non indigeat? Maym. *loc. cit.* יהיה חונן ושרחם לקטנם וגרולה ויצא בפציהם ובטובתם ויחוס על כבור קטון שבקטניהם וכשמרבר אל כל הקהל בלשון רבים ידבר רכות שנ' שמעוני אחי ועמי: *sit gratiosus & clemens minimis ut maximis: sic exibit & redibit cum benevolentia ipsorum & desiderio. Non negligat honorem parvorum, & quando alloquitur totam multitudinem, utatur verbis blandioribus, sicut legitur* (a Davide factum, 1. Paral. 28. 2.) *audite me o fratres mei & popule mi!* Præsertim vero mire demulcet eos Audientiæ facilitas, si miserorum querimonias patienti aure dignantur. Quod de Rudolfo (11) Habspurgio refert Cl. Berneg. *ad* 43. *cap. Suet.* cum submoveri a satellitio suo tenuiores quosdam videret, ad se viam affectantes, non sine stomacho edixisse: *Per Deum, sinite homines ad me venire; non enim ideo ad imperium vocatus sum, ut in arcula includar;* sed fruendæ justitiæ causa, (12) ut olim Δικασπόλοι. (13) Ob hanc clementiam & alias virtutes regias adeo amabatur David a populo, ut de officiositate certaret tribus Juda cum reliquis, & quælibet potiores apud ipsum partes obtinere vellet. 2. *Sam.* 19. 43. Sic etiam favorabilis Romano populo fuit Germanicus, *ut quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequentiumve nonnunquam vitæ discrimen adierit.* Sveton. *in Caligula*, c. 4. Tantum potest humanitas & moderatio. R. Lev. B. Gerson. *ad* 20. *cap. Misl.* בחסר אשר יעשה המלך לעמו ימשך לבבם אליו והוא כמו מסער לכסאו כי בזה ירוממוהו עליהם וינשאוהו ויכנעו לעבורתו ובאמת נשלם תקון המלכות: אין מכוון למי שיבקש השלימות לה שחירת גופו ולעכור שארו כמו שיחשבו הכסילים אבל צריך שיעשה חסר להשגיח בבריאות גופו ואיבריו ובזה יהיה נשמר ויבא לו מהם העזר הראוי כי בחלותם יחלה הוא ג״כ בזה האופן יהיה מתחזק כסאו ירוממוהו עליהם כי יעברוהו מאהבה יאם יעמים עליהם עולו ולא יוכלו שאתו יהיה זה סבה אל הבעיטה לו: *Gratia, quam impertit Rex populo suo, trabit illorum animos ad se, quod est quasi fulcrum throno suo. Propter illud exaltabunt eum, & submittent se ad servitia ejus. Fidelitas autem perficit stabilitatem regni. Qui sanitatem quærit, ei non convenit, ut destruat ipse corpus suum & sæviat in propriam carnem, ut solent mente capti; sed opus est ut faciat sibi misericordiam & prospiciat valetudini membrorum, per hoc custoditur, & inde venit ipsi reciprocum auxilium; sicut e contrario illis ægrotantibus ægrotat ipse. Consimilibus mediis firmatur thronus & majestas regis, ut serviant ipsi ex amore; at qui eos onerat intolerabili jugo, quod ferre nequeunt, is causatur ut recalcitrent sibi.* Amorem igitur apud subditos, metum vero apud hostes quærat bonus Rex: & domi Pater, foris autem Dominus audiat. Nam qui Rex authoritatem suam sola severitate tueri studet, is facile omnium animos a se alienat, ut levi occasione rebellent. Mitto exotica exempla plurima, sufficiat pro comprobatione di-

cti unum illud Rechabeami, qui jugum alleviare rogatus, de consilio juniorum duriter nimis respondit 1. *Reg.* 12. 14. non tantum *nil se remissurum*, sed etiam *gravaturum amplius*: quo effecit ut una die decem tribus a se deficerent, solæ duæ fideles permanerent. Facessat igitur improba vox: *Oderint dum metuant*, quam Caligula toties jectabat. Svet. *c.* 30. Audiantur vero salutaria illa, quæ ad Neronem Seneca (14) præclare scripsit, totis libris de Clementia, utinam hodieque totis! unde pauca delibabimus. lib. 1. cap. 1. *Summa parsimonia sit etiam vilissimi sanguinis. Quilibet solo hominis nomine gratiosus sit. Alius dignitati donetur, alius humilitati: & quoties nulla invenitur misericordiæ causa, sibi ipsi parcatur.* cap. 2. *Adhibenda tamen est moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciat: quia tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli. Sed quia difficile temperamentum, quicquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præponderet.* cap. 3. *Pestifera vis est, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo stabilis est, quem omnes non tam supra se esse, quam pro se sciunt: quo procedente, non tanquam noxium animal e cubiculo prosiliret, diffugiunt, sed quasi ad beneficum sidus certatim advolant; objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam, iter ad salutem struendum sit.* cap. 5. *Animus Reip. tu es, illa corpus tuum: tibi ergo parcis, cum videris alteri parcere. Occidere contra legem quivis potest; servare nemo præter te. Magnam igitur fortunam magnus quoque animus decet, cujus proprium est offensiones despicere: muliebre vero in ira furere, ac ferarum etiam mordere. Non multum supra eum quis eminet, cui se irascendo exæquat &c.* Sequuntur ibi plura hujus argumenti prorsus aurea & memoriter edisci omnino digna, sed quæ huc referre prolixitas vetat, ipsusque lector si vult inveniet. Redeo ad Hebræos, qui etiam multa dissimulari, nec omnia tam minutim vindicari (15) volunt: amittit enim severitas aculeum & vim suam assiduitate. Atque ut cibi ob usum quotidianum medicamenta esse nequeunt, ita continuus rigor desinit illos emendare, qui jam assueverunt. Transeat igitur interdum aliquod minutulum, ut majora deinde fructuosius puniantur. Hal. Melach. cap. 2. §. 9. לעולם יתנהג בענוה יתירה אין לנו גדול ממשה רבינו והוא אומר ונחנו מה לא עלינו תלונותיכם ויסבול טרחם ומשאם ותלנתם וקצפם כאשר ישא האומן את היונק: *Semper lenitas præponderet. Non habemus majorem Mose nostro doctore, is tamen ait:* (Exod. 16. 8.) *quantilli nos sumus! non contra nos murmurastis. Et tulit onus, iram atque ingratitudinem eorum, sicut gestat nutrix sugentem*, (Num. 11. 12.) Ut multa funera medicum, sic regem crebra supplicia non commendant. Illustre specimen hujus clementiæ (post Mosen) edidit Rex David, ab impurissimo cane Simei contumeliose lacessitus 2. *Sam.* 16. 7. cum enim Abisæus quidam aulicus indignitatem rei vindicaturus, caput maledico jam jam avellere pararet, increpuit eum fortiter, & sic meritam ultionem inhibuit. Ipse quoque Saulus noviter electus, cum a qui gregem absque jactu pedi, solo fistulæ accentu aut oris blando murmure ducit qua vult; ita gubernator optimus, qui uno clementi verbulo id efficit, quod aculeis vix assequeretur tyrannus. Maym. *H. Mel. cap.* 2. §. *ult.* רועה קראו הכתב שנ' לרעית ביעקב עבדו ודרכו של רועה מפורש בקבלה כרועה עדרו ירעה בזרועו יקבץ טלאים ובחיקו ישא וגו': *Pastorem vocat scriptura, sicut dicitur* (Psal. 78. 71.) *elegit servum David, ut pascat populum Jacob. Officium vero pastoris expresse traditum est* (Esa. 40. 11. 11.) *pascere gregem, agnellos brachio collectos in sinu portare, fœtas deducere &c.* Conferamus jam cum dictis & scripturæ sacræ conformibus regnandi regulis, aliquot emblemata Politica, & si Diis placet, egregia tuendæ potestatis arcana, quæ bipedum vaferrimus ille Machiavellus, (18) *cap.* 27. & 18. *de princ.* docet. *Parvi ducat Princeps sævitiæ nomen, quo concordes suos in fide retineat; paucissimis enim exemplis clementior eris. Tutius est, si alterutro carendum, metui quam diligi. Homines minori respectu offendunt, qui student ut diligantur, quam qui metuantur. Pulchre satis cohærere possunt timeri & in odio non esse. Citius parentum cædem oblivioni dant homines, quam fortuarum suarum direptionem; eripiendi tamen aliena nunquam non aderunt causæ. Perpetuo causas exquiret, quibus alienas opes occupet. Contra sanguinis effundendi rariores sunt causæ, citiusque prætereunt atque deficiunt. At Prinsipi jam in exercitu versanti atque multitudinis procurationem habenti, statuendum omnino est, ut inhumanitatis nomen pro nihilo ducat. Cum homines ad arbitrium suum ament, metuant autem ad Peincipis voluntatem, Princeps qui sapientia valet, eo quod suæ est non alienæ facultatis niti studeat. Duo sunt genera decertandi,*

unum

unum jure legum, alterum per vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum ad posterius, si non satis est uti superiore. Ideo Achilles Chironi centauro educandus & in disciplinam fuit concreditus. Cum itaque Principem magni referat belluinum ingenium scire inducere, ei tu vulpis, tum leonis mores assumendi erunt. Nunquam defuturæ sunt causæ, quibus inviolatam fidem colorem inducat. Plurimum refert ut quis recte norit colore vestire, cum simulando tum dissimulando: homines enim adeo simplices sunt, ut qui fallax & simulationis artificio eruditus est, statim sit habiturus qui se illi decipiendum tradat. Nolim Alexandri VI. Pontif. Max. recens exemplum silentio præteritum. Is nibil quam mortalium impostorem egit: qui speciosius juraverit jusjurandum, vicissimque qui minus præstiterit, nemo unquam fuit. Quocirca ad omnem ventorum & fortunæ conversionem versatile ingenium Princeps habeat necesse est. Curam adhibeat ne quid ex ejus ore excidat, quod quinque illis jam enumeratis partibus non sit refertum, ut pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, religionem sancte colere videatur. Nemo non videt quid præ te feras, at pauci sunt, qui quod sis sensu percipiant; qui pauci non audent multorum opinioni adversari. Quibus aliquid fiat rationibus nil interest, modo honesti speciem præ se ferat &c. o scelus! non simplici suspendio digne! Itane majestatem conservari putas? feriam te unico velut ictu, illius etiam a Rege & quidem sapientissimo mortalium prolati, qui rationem status intellexit maxime si quis alius; imo ab ipsomet sacro spiritu dictati: *Misericordia & veritas custodiunt regem, Pietas fulcit solium. Prov. Sal. c. 20. v. 28.* ad quod Kabvenaki sic notat: החסד שיעשה המלך הוא הפלגת הטובה אפילו למי שאינו ראוי בה וכן האמת שיהיה אמתי בדבריו ויאהב האמת וידבק בו שני אלה הדברים ישמרו המלך מכל היזק ובחסד לבדו שיעשה המלך יסמך ויתמוך כסא מלכותו: *Per Misericordiam, quam regi commendat, intelligit hyperbolen vel excessum bonitatis, etiam erga eos, qui non digni sunt. Per Veritatem, ut sit fidelis in sermonibus suis, & hanc virtutem amet colatque: hæc enim ambo custodient eum ab omni nocumento. Sola vero pietas stabilit & suffulcit thronum regni sui.*

Superest, ut & hoc breviter attingam, sapientes (19) in specie, humanius & honorificentius a rege tractari debuisse: Sic enim Rambamus *circ. med. cap. citati* מצוה על המלך לכבד לומדי התורה וכשיכנסו לפניו סנהדרין וחכמי ישראל יעמוד לפניהם ויושיבם בצדו וכן היה אסא מלך יהודה עושה אפילו לתלמיד חכם היה עומד מכסאו ומנשקו וקורא לו רבי ומרי: *Præceptum erat regi, honorare doctores legis. Cum igitur intrabant coram ipso Synedriales aut sapientes Israel, assurgebat ipsis collocans eos juxta latus suum. Sic fecit Asa Rex Judæ, etiam discipulis adhuc, assurgendo de throno suo & illos osculando, appellandoque Mi Magister! Mi Domine!* De Synedrialibus quidem minus mirum est, quia in statu regni non mere Monarchico, magnam ipsi quoque potestatem exercebant, civilium quippe causarum cognitionem pene soli possidentes: quod vero cæteris quoque privatis hic honor fuit habitus, imputandum est eruditionis merito & dignitati literarum, quæ sui cultores sic remunerantur, ut *quamvis obscuro sint loco nati, sedeant tamen juxta principes, juxta principes inquam populi sui*: quod Psaltes inter mira providentiæ *Dei* specimina recenset *Psal.* 113. *v.* 8. Literati sane omnium fere seculorum a regibus hanc reportarunt gratiam, ut cæteris non tantum haberentur honestius, sed & ab oneribus publicis essent immunes. (20) De quo studiorum privilegio testatur priscus ille R. Nechonias ben Hakkana, qui Uzielidis tempore paulo ante *Christum* vix, *in Pirk. as. c.* 3. כל המקבל עליו עול תורה מעבירין ממנו עול מלכות ועול דרך ארץ: *qui recipit in se jugum doctrinæ, ab illo aufertur jugum regni, quo gravari solent plebeji.* Quisquis es ergo adolescens, qui e tenebris ad lucem emergere cupis, post *Deum* ama literas, & ipsæ te redamabunt, nutrient, honorabuntque. Pene oblitus essem Davidis, qui hoc solo nomine Achitophelem (cæteroquim improbum) amicitia sua dignatus esse fertur. *Ibid. c.* 6. דוד המלך ישראל שלא למד מאחיתופל אלא שני דברים בלבד קראו רבו שנ׳ ואתה אנוש כערכי אלופי ומיודעי קל וחומר הלומד מחברו פרק או הלכה אחת או פסוק אחד או דבר אחד או אפילו אות אחת על אחת כמה וכמה שצריך לנהוג בו כבוד ואין כבוד אלא תורה שנ׳ כבוד חכמים ינחלו: *David Rex Israelis quamvis ab Achitophele non nisi duas res didicerit,* (unam scilicet, ne privatim & solitarie disceret; alteram ne auditorium superbo incessu adiret: ut quidem Judæi narrant,) *vocavit tamen illum Rabbi sive Magistrum suum: sicut legitur* (Psal. 55. 14.) *tu collega, doctorque mi notissime! A minori ad majus: quisquis a socio discit integrum caput vel tractatum, imo versum unicum aut literulam,* se-

tenetur ipsi honorem deferre; qui præcipuus est e doctrina: sicut dicitur (Prov. 3. 35.) *gloriam sapientes hæreditabunt &c.* Intellige tamen hoc totum de congressu privato: nam in publico actu Reges omnino majestatem suam, severitate gestuum & convenientibus pompis tueri decet, ut mox sequenti theoremate dicetur.

N O T Æ

In Theorema duodecimum.

(1) Regni Leges. R. Abarbanel *h. l. fol.* CCCLXIX. *col.* 3. ראוי שיחשוב המלך שכמו שיעמו שיעשה הוא לעבדיו כן יעשה המלך אשר עליו אשר הוא לו עבד עולם: *Regem decet considerare, quod sicuti sese gesserit erga subditos suos, similiter secum acturus sit Rex, quem supra se habet, cujus ipse subditus & servus est æternum.*

(2) Alexandro Magno. Pulchre de eo Valer. Maximus *lib.* IX. *c.* V. *Alexandri regis virtus & felicitas tribus insolentiæ gradibus exultavit evidentissimis. Fastidio enim Philippi, Jovem Hammonem patrem ascivit: tædio morum, & cultus Macedoniti, vestem & instituta Persica assumpsit: spreto mortali habitu, divinum æmulatus est. Nec fuit ei pudori, filium, civem, hominem dissimulare.* Hunc ejus fastum festive reprimebat mater. Nam cum ad eam aliquando scripsisset: *Rex Alixander Jovis Ammonis filius Olympiadi matri salutem dicit*; ea ita rescripsit: *Amabo, quiescas, ne deferas me neque criminare adversus Junnonem: magnum prorsus illa malum mihi dabit, cum tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris.* Vide Lil. Greg. Gyrald. *lib.* XV. *Histor. Deorum.*

(3) Sapore. Sic vulgo vocatur is, cujus verum nomen est شابور *Schabur*, de quo Noster in *Tarich Regum Persiæ p.* 110. *seqq.* & Hottinger. *lib.* 1. *Hist. Orient. c.* III. *p.* 108. *seq.* Unde & Judæis, qui ejus frequentissime meminerunt, שבור *Schabur* dicitur. Vide Buxtorf. *Lex. Talm. f.* 2321. Gaudebant vero antiquiores adhuc Persarum Reges fastosis hisce titulis insigniri, seque appellari *fratres solis natos ante Luciferum*, nec verebatur Darius Arsami filius se *consanguineum deorum* gloriari. Nec in Romana historia defuit, qui pari arrogantia, cnm procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet*; unde institutum, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter. Fuit is Domitianus, de quo hæc prodidit Svetonius *in ejus c.* XIII.

(4) Obliti sunt. Exemplum Biblicum habes Herodis Agrippæ *Dei* compellatione superbientis *Act.* XII. 22. & apud Joseph. *lib.* XIX. *Antiq. Judaic. c.* VII. Conf. de Nebucadnezare *Judith.* VI. 2.

(5) Bajazetem. Quartus Turcorum Imperator fuit, cujus vitam his versibus compendiose descriptam accipe ex Philipp. Loniceri *Chronico Turcico*, *Tom.* I. *p.* 21.

Fulminis in morem celeri rapit agmina motu
Baizethes, fidei, pacis & impatiens.
Regni Hadrianopolim sedes sibi legit ut esset,
Posset ut Europæ jungere regna suis.
Constantinopolim gemina obsidione fatigat.
Jam Græcas vana spe sibi spondet opes.
Cum Tamburlano præbet sua terga, catenis
Vinctus, & in cavea probra pudenda subit.

(6) Discamus. Conferenda huc omnino, quæ R. Jehuda *in libro Masar toto Cap.* III. *a fol.* XXII. *seqq.* de vitanda superbia & colenda humilitate scripsit. Inter alia *fol.* XXIV. *col.* 2. exclamat: כמה מלכים מצינו שנאו במלכותן ודברו גדולה ונשברו: וכמה שרים ונכבדים גבה לבם ונשפלו: *Quot Reges invenimus, qui sese extulerunt grandia locuti, & confracti sunt? Quot magnates & principes in summo dignitatis culmine positos, quorum cor elatum fuit, & humiliati sunt?* Exempla postmodum recenset Pharaonis, Senacheribi, Nebucadnezaris, Belsazaris &c. ac tandem ad privatos denuo transiit, pulcherrima immiscens monita. En tibi pauca e quamplurimis: יתן אדם לבו לזכור תמיד תחלתו ואחריתו ואז ישפיל תאותו ויכניע יצרו ולא יחטא: *Det homo cor suum, ut perpetuo recordetur principii sui & finis sui; atque nunc humiliabit fastum suum* (videtur enim in vocibus תאוה *concupiscentia* & גאוה *fastus* ludere) *& deprimet concupiscentiam suam, neque peccabit.* Mox e Massech. Erubhin Cap. I. ipsissimam *Christi* sententiam *Matth.* XXIII. 12. *Luc.* XIV. 11. XVIII. 14. producit: כל המשפיל עצמו הק"בה מגביהו וכל המגביה עצמו הק"בה משפילו: *Quicunque semetipsum humiliat, eum Deus exaltat; & quisquis se exaltat, eum Deus humiliat.* Addit: כל המחזיר על הגדולה גדולה בורחת ממנו וכל הבורח מן הגדולה גדולה מחזרת עליו: *Quisquis magnificentiam ambit, ab eo fugit magnificentia: & quisquis magnificentiam fugit, eum ambit magnificentia.* Item: כל הדוחק את השעה שעה דוחקתו וכל הנדחה מפני השעה שעה עומדת לו: *Quicunque urget horam,* (qua honoretur) *eum hora vicissim urget* (& premit cunctando;) *& quicumque impellitur propter horam, ei sua hora jam præsto adest.* Iteerum: בוא וראה שלא כמדת הק"בה מדת בשר ודם מדת בשר ודם גבוה רואה את הגבוה ואין הגבוה רואה את השפל. מדת הק"בה אינו כן. הוא גבוה ורואה את השפל שנ' כי רם יי' ושפל יראה: *Veni & vide, quam dispar ratio sit consuetudinis divinæ & humanæ. Apud homines carnales id moris est, ut superior superiorem respiciat, non autem inferiorem. At moris ita non est apud* Deum: *is supremus est, & respicit infimum, prout dicitur* Psalm. CXXXVIII. 6. *quoniam altus est Dominus, & depressum respicit.* Sed sufficiat! Caput integrum exscribendum esset, si quæ placerent ibi, excerpere deberemus.

(7) Humilitatem Signum Genuini Judæi, fastum nothi.) Inde est, quod in Catechismo suo *superbum* a Prophetis *incircumcisum* dici, pueros docent, dum שבע תועבות אשר בנפש *septem abominationes, quæ sunt in anima*, recensent & explicant, inter quas secundo statim loco גאוה *superbiam* & *fastum* numerant. R. Abraham Jagel *in Lekach tobh. fol.* X. *col.* 1. הגאוה היא מלכותא בלא תגא שאדם מתגאה וערלה אזנו ועיניו ולבו מלשמוע ומלראות ומלהבין כי איך יתגאה אדם שסופו רמה והולעה כציץ נובל וכעשן כלה וע"כ נקרא ערל כמו שכתוב ומלתם את ערלת לבבכם וגו' וממנה ימשך השנאה שכל הבריות שונאים אותו כי לכל הדברים יש חבור חוץ מן הגאוה וידוע כי מן השנאה ימשך הפירוד ומן הפירוד השממון והאיבוד נמצא הבעל גאוה מחריב הישוב והעולם והוא שנואי למטה ולמעלה שכל שאין רוח הבריות נוחה הימנו אין רוח המקום נוחה הימנו: *Superbia est regnum absque corona, cum homo se extollit & obturata est ejus auris, & oculus, & cor, ad audiendum, videndum & intelligendum. Nam quomodo superbiat homo, cujus finis est vermis? qui instar floris cadit, & veluti fumus consumitur? Et ob hanc causam* superbus vocatur Incircumcisus, *sicuti scriptum est* Deut. X. 16. *& circumcideritis præputium cordis vestri. Porro ex hac consequitur odium, quo talem omnes creaturæ prosequuntur, siquidem res omnes sociabiles sint præter superbiam. Præterea constat, quod ex odio sequatur disjun-*

junctio, *&* *ex disjunctione desolatio. Adeoque superbus destruit domicilium & mundum*, *& exosus est tam inferis*, *quam superis*, *neque eum creaturæ placet*, *neque* Deo.

(8) Αὐτάρκεια. Sic ipse Majemonides *in Comm. ad h. l.* exponit : עין טוב היא ענין הסתפקות *Oculus bonus denotat sufficientiam*. Glossa tamen apud Leusdenium *not. in Pirke Avoth. p.* 86. latius extendit, eum nempe ait habere bonum oculum, שאין לו קנאה על חברו והביב עליו כבוד חברו ככבוד *cui non est invidia erga socium suum*, *sed cui æque gratus est honor proximi ipsius*. Confer etiam, quæ de his Hebræorum formulis, טוב עין *bonus oculo*, i. e. beneficus & liberalis, & רע עין *malum oculo*, i. e. invidus & illiberalis notavimus *in Colleg. Rabb. Bibl. ad Ruth. II.* 10. *p.* 286.

(9) E Discipulis Abrahami. Dum hæc exponit R. Abarbanel *in Nachalath Avoth f.* CLXXXIII. *col.* 1. verbis propemodum Paulinis utitur *Rom.* IX. 6. 7. hinc pulchre illustrandis : *Ὀυ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ, ὅυτοι Ἰσραήλ. οὐδ' ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραάμ, πάντες τέκνα. Non omnes qui sunt ex Israel*, *sunt Israel ; neque quia sunt semen Abrahæ*, *omnes filii*. Sic enim ibi : התלמיד החשוב במרותיו ההולך דרכי יי' הוא מתלמידיו של אברהם אבינו כיון שהוא מתנהג במדותיו ולמד ממעשיו והתלמיד המושחת במרותיו אף על פי שיהיה מבני ישראל הנה אינו מתלמידיו של אברהם כיון שאינו נוהג על פי מרותיו : *Quilibet e suis moribus æstimatur*, *cujus discipulus sit. Is*, *qui in viis* Domini *ambulat*, *est e numero discipulorum Abrahami patris nostri*, *quandoquidem illius moribus adsuetus*, *ejusdem opera didicit. At qui corruptis moribus est*, *etiamsi fuerit ex* Filiis Israel, *ecce is non est e numero* Discipulorum Abrahæ, *postquam mores Abrahamiticos non æmulatur*.

(10) A subditis ametur. Hoc argumento Aristotelem Clementiam Alexandro Magno commendasse notat R. Jedaja *in Mibchar happenin. sect.* XIX. *elect.* II. *p.* 131. ארסטלוס כתב אל אלכסנדרוס מוקדון משול בעם ורדה עליהם בהטבתך להם ותגיע אל אהבתם כי משלך בעם בהטבתך להם טוב משתמשול בהם בהכרחתך כי מה מועיל קנין הגופים אך קנין הוא קנין הלבבות כי כשתקנה הלבבות בהטבתך נוטים הגופים עמהם ודע כי העם כשיוכלו לומר יעשו השתדל שלא יאמרו תנצל מאשר יעשו : *Aristoteles scripsit ad Alexandrum Macedonem : Impera populo*, *& dominare super eos cum clementia*, *& sic amorem eorum tibi conciliabis. Longe enim melius est*, *si cum clementia imperes*, *quam si tyrannice cum violentia agas. Nam quid prodest possessio corporum? Siquidem ubi corda subditorum per clementiam possederis*, *ea simul corpora trahent. Scias autem*, *populum*, *quicquid loqui possit*, *id & conari*, *tu ergo id dato operam*, *ne habeant*, *quod sinisterius loquantur*, *& sic cavebis ne quid adversi suscipiant*.

(11) De Rodulfo. Eundem Æneas Sylvius refert reprehensum aliquando, quod cum initio imperii severior fuisset, postea tantam ubivis clementiam exerceret, respondisse : *Severum & immitem fuisse me aliquando pœnituit*, *lenem & placabilem nunquam*.

(12) Fruendæ justitiæ causa. Verba sunt Ciceronis *lib.* II. *Offic. c.* XII. *Fruendæ justitiæ causa olim bene morati Reges constituti sunt*.

(13) Δικασπόλοι. i. e. *Juridici*, qui circa jura dicenda versantur. Epitheton Regis Homero familiare.

(14) Seneca. Ipse R. Abarbanel in veterum Philosophorum scriptis minime hospes, eum circa hanc materiam laudat *Comm. in Legem fol.* CCCLXIX. *col.* 3. כבר אמר שי"ניק הפלוסוף שכל מלכות הוא תחת מלכות אחר גדול ממנו : *Pridem dixit Seneca Philosophus*, *quod omne regnum sit sub regno alio*, *quod illo majus sit*. Eodem Seneca Auctore discimus, quam clemens initio sui imperii fuerit, sanguinis postea sitientissimus, & in hunc Præceptorem suum non minus quam ipsam matrem Agrippinam sæviens Nero, quem *initio libri* II. *de Clementia* sic affatur : *Ut de Clementia scriberem*, *Nero Cæsar*, *una me vox maxime compulit*, *quam ego non sine admiratione*, *& cum diceretur*, *audisse memini*, *& deinde narrasse. Vocem generosam*, *magni animi*, *magnæ lenitatis* : ---- ---- *Animadversurus in latrones duos*, *Burrhus Præfectus tuus vir egregius*, *& tibi Principi notus*, *exigebat a te ut scriberes*, *in quos*, *& ex qua causa animadverti velles. Hoc sæpe dilatum*, *ut aliquando fieret*, *instabat. Invitus invito cum chartam protulisset*, *traderetque*, *exclamasti* : Vellem nescire literas. *O dignam vocem*, *quam audirent gentes*, *&c.*

(15) Nec omnia tam minutim vindicari. Huc apopthegma illud in Mibhchar happeninim *section.* VI. *elect.* VII. *p.* 61. מלך אחד צוה להרוג עדת אסירים אמר אחד מהם ארני המלך אם אנחנו הרענו לחטא הלא אתה תטיב כשתאמר הרפו לאלה הנבלים ולא היה אדם בהם שהטיב לדבר כזה ונמנע המלך ולא הרגם : *Rex quidam jusserat aliquando occidere cœtum captivorum*, *cui unus ex illis acclamabat : Domine Rex*, *si nos malefecimus peccando*, *annon tu benefaceres*, *si diceres : dimittite hos nebulones? nec potuisset quisquam illo aptius loqui*, *nam destitit Rex neque occidit eos*. Simile quid Musladivus Sadus *c.* I. *Rosarii Polit. p.* 23. *versionis & editionis Gentianæ*, de Rege quodam refert, cui, cum captivum occidere mandasset, multis conviciis in Regem post latam hanc sententiam injurium, interroganti, quid dixisset morti damnatus? quidam aulicorum responderit, hæc prolocutum esse : *O Rex*, *paradisus est illorum*, *quæ iræ moderantur*, *& mortalibus ignoscunt*. Regem ergo misericordia notum imperatam illi necem remisisse. Mox alium huic infensum adfuisse ; qui alterum illum reprehendisset, quod rege præsente mentiri fuisset ausus, cum non gratiam petiisset reus, sed Regem fœdissimo proscidisset convicio. Cui Rex : *Mihi mendacium illius longe gratius fuit vero*, *quod tu dixisti : ipsius enim studium fuit*, *ut beneficium faceret ; at tuum*, *ut exitium festinaret*. Cæterum totum illud *Caput I. Rosarii* de *Regum Moribus*, agit, & poterunt ex eo plura in hanc rem peti, si quis argute dictis & factis delectatur.

(16) Clementes. נדיבים. Vide paulo supra *pag.* 205. *lit. d.*

(17) Tres Coronæ. Hoc ipsum R. Simeonis dictum jam supra *p.* 2. *lit. d.* produximus, cum Schikardus prolixiora Majemonidis verba, quibus de triplici hac corona gloriabatur, attulisset. Quæ eadem quoniam in Commentario ad Pirke Abhoth *fol.* XXIX. *col.* 1. repetit, visum est hoc loco fontem interpretationis ostendere. Est is in Pirke R. Nathan *initio cap. ult. fol.* X. *col.* 3. Ibi de *Corona Sacerdotii* dicitur : אפילו נותן לו כל כסף וזהב שבעולם אין נותנין לו כתר כהונה שנ' והיתה לו ולזרעו אחריו ברית כהונת עולם : *Etiamsi quis omne argentum aurumque solveret*, *quod in mundo reperitur*, *non tamen concederent ei coronam sacerdotii*, *utpote soli Aharoni & semini ejus in æternum collatam Num.* XXV. 13. *De Corona Regni* idem repetitur iisdem verbis, nullo auro argentoque acquiri posse, quod soli Davidi לעולם *in æternum* imposita sit, juxta *Ezech.* XXXVII. 25. At de *Corona Legis* additur : אינו כן *res ita se non habet*. עמלה של תורה כל הרוצה ליטול יבא ויטול שנאמר הוי כל צמא לכו למים : *Suave legis onus quisquis portare cupiat*, *accedat & portet*, *juxta illud* Jesa LV. 1. *Heus*, *quicunque sitit*, *venite ad aquam*. Has tres coronas R. Abarbanel *in Nachalath Avoth f.* CXXIX. *col.* 1. præeunte in Talmudis Massecheth Joma cap. VII. *fol.* LXXII. *col.* 2. R. Jochanano, cum tribus זרים i. e. *limbis* seu *coronamentis* in tabernaculo conspicuis comparat. שלשה זרים הם. זרו של מזבח וזרו של ארון וזרו של שולחן. של מזבח זכה בו אהרון ונטלו. נגד זה נאמר במשנתנו כתר כהונה. של שולחן זכה בו דוד ונטלו. והוא כתר מלכות שנזכר במשנתינו. — . וזרו של ארון הוא כתר התורה הנזכר כאן ולא זתנו הק"בה למשפחה מפיוחדת. אבל כל הרוצה ליקח יבא ויקח. ולכן בשני הזרים נאמר ועשית לו ובארון נאמר ועשית עליו להורות כי הוא הכתר העולה למעלה מכלם : *Tria coronamenta sunt*, inquit, *coronamentum Altaris*, Exod. XXX. 4. *coronamentum Arcæ*, Exod. XXV. 11. *& coronamentum Mensæ*. ibid. v. 24. *Coronamento altaris dignus fuit habitus Aharon*, *illudque accepit*, *atque ejus loco in hoc R. Simeonis dicto nominatur corona Sacerdotii. Coronamento Mensæ dignatus fuit David*, *idemque reportavit*, *& illud est corona illa*, *quæ hic Corona Regni appellatur*. (Interserunt hic aliqua, quibus rationem reddidit, cur corona Regni cum illo mensæ limbo comparetur.) *Tandem coronamentum arcæ*, (in qua tabulæ le-

legis repoſitæ erant,) *eſt corona illa legis, cujus hic mentio fit, quam nulli familiæ* Deus *propriam repoſuit, ſed cuique accipere illam cupienti accedendi & accipiendi poteſtatem dedit. Et propterea de duobus illis coronamentis* (altaris & menſæ) *dictum eſt;* Facies לו ei; *at vero de Arca dicitur:* Facies עליו Supra eam: *ut doceretur, hanc arcæ coronam ſupra cæteras omnes traſcendere.* At quid de כתר שם טוב *Corona boni nominis ac famæ* fiet, ejus gratia in primis Schikardus noſter dictum hoc Simeonis produxit? De hac idem Abarbanel *l. c. f.* CXVIII. *col.* 2 ſollicitus eſt, & quærit, cur *tres coronas* dixerit, cum tamen *quatuor* enumeret, Legis, Sacerdotii, Regni, boni nominis? Quærit item, an שם טוב מבלי התורה *bona fama abſque lege*, שימצא באומות העולם בהנהגתם השלכית: *qualis inveniretur in gentilibus laudabiliter & prudenter res ſuas agentibus*, tranſcendere coronam Legis divinæ, & ſacerdotii, & regni Iſraelitici dicenda ſit, quandoquidem dixerit R. Simeon כתר שם טוב עולה על גביהן *Corona bonæ famæ aſcendit ſupra eas?* Reſpondet vero una fidelia ad utrumque *f.* CXXIX. *c.* 2. כתר שם טוב אינו כתר רביעי אבל הוא תנאי הכרחי ודבק עם שאר הכתרים שצריך שעם כלאחד מהם ימצא שם טוב ואז הם נקראים כתרים כאשר שם טוב עולה על גביהם: *Corona bonæ famæ non eſt quarta corona, ſed eſt neceſſaria conditio indivulſe cum coronis cæteris connexa. Neceſſe enim eſt, ut cum unaquaque earum conjuncta ſit bona fama, & tunc demum dici merentur coronæ, poſtquam nimirum bona fama* (על גביהם) *eminentiæ illarum ſupervenerit.* Quod poſtea in ſpecie de ſingulis coronis oſtendit, nec legis ſtudium, nec ſacerdotum, nec regnum coronari, niſi ſtudium bonæ famæ ad ſingula acceſſerit. Cumque de corona Regni egiſſet, eam non eſſe abſque corona legis, quæ Regem avocet tum מהגאיה והכבוד *ab arrogantia & vana gloriatione*, ne ſibi multiplicet equos, tum מהתאוה *a concupiſcentia & voluptate*, ne ſibi multiplicet mulieres, tum denique מהקנאה וחמדת הממונות: *ab acquirendi ſtudio & appetitu divitiarum*, ne ſibi multiplicet aurum & argentum: quæ omnia pietatem erga *Deum* arguant; nondum tamen ait perfectam eſſe Regni coronam, niſi bona fama acceſſerit, de qua ſimiliter בענין המלך *in negotio & jure regio*: definitum ſit: ועל שם הטוב העולה על כתרו אמר לבלתי רום לבבו מאחיו ולבלתי סור מן המצוה ימין ושמאל למען יאריך ימים וגו׳: *Et de bona fama, quæ ſupra Regis coronam aſcendat, ait Moſes: ne elevet cor ſuum ſuper fratres, neque recedat a præceptis dextrorſum aut ſiniſtrorſum, ut prolongentur dies &c.* Vides ergo, appoſite Schikardus noſter ex Hebræorum doctrina ad hoc Simeonis dictum provocarit! Quod porro de tribus Coronis Imperatoriis R. Abarbanel ſubjungit *fol.* CXXX. *col.* 1. quas invenerit בין האומות מבני אדום *inter gentes e filiis Edom*, i. e. apud Chriſtianos uſitatas, quaſi per κακοζηλίαν eas ab Iſraelitis mutuati ſint, lege ſis apud ipſummet. Claudit ventoſus oſtentator ſuam iſthanc obſervationem his verbis: רואה שכל מעשיהם למדו מתורתינו למוד חלוש *Ecce vides, ut omnia ſua opera Chriſtiani didicerint ex lege noſtra, ſed miſera & imperfecta doctrina.* Mirum, non derivaſſe hinc quoque tres illas ſanctorum coronas, ſi ipſi quidem de iis conſtitit, quas in cœlo repoſitas tradit Bonaventura *Serm. II. de S. Barthol.* Auream quæ *virginibus*, Stelleam, quæ *Prædicantibus*, Lapideam vel Gemmeam quæ *Martyribus*, & nominatim *S. Stephano* detur.

(18) Machiavellus. Ita fere omnes in Machiavellum detonant, nonnulli etiam ut *Fr. Ribadeneira*, *Th. Bozius*, *Fr. Gentiletus*, *Chriſtoph. Pellerius*, & alii, libris integris ſibi ſtatuerunt impugnandum. Sunt tamen, qui excuſant, & omnes Machiavellomaſtygas putant ejus ſenſum non ſatis aſſecutos, cum non alia pridem tradiderint Ariſtoteles *in libris Politic.* & Thom. Aquinas *in Comm. ſup. Ariſt. Politic.* Quæ Noſter hic emblemata ſatis impia excerpſit, non bono Principi ab eo præſcripta dicunt, ſed quod methodi ratio exigebat, tyranno, quem ad tyrannidis conſervationem his mediis uti oporteat, multo tamen feliciorem futurum, ſi injuſto illo imperio ſeſe prorſum abdicet. Quam ad rem, ponderari illa, volunt, quæ de Tyranni infelicitate *in diſcurſ. ad lib. I. Liv. c. X. & XXVI.* ſcripſerit. Confer poſt nuperos ſcriptorum Machiavellicorum editores, Jo. Garmerſium *not. ad lib. I. Lud. Septalii de ratione ſtatus p.* 457. Levin. Nicol. a Molthen *in Annotat. ad Relig. Medici p.* 127. Dan. Claſen *de Relig. Politica c. IX. p.* 161. *ſeq.* Quod ſi tamen vera ſunt, quæ de ejus Florentiæ jam in extremis conſtituti ultima quaſi fidei profeſſione, ex Jac. Marchantio memorant Dn. Spizelius *in Scrutinio Atheiſmi p.* 132. & Dn. Siricius *in præſ. Diſq. de Simone Mago ad Frider. III. Daniæ Regem*, vix dubitari poterit de impia ejus mente, cum iſta ſcriberet. Nam cum ob metum imminentis jam damnationis ſcrupulis agitaretur conſcientiæ, & vero in mentem ſibi revocaret, quod viri illi magni orbiſque ſapientes, Ariſtoteles, Plato, Alexander & ſimiles damnati forent, viri autem ſancti miſeri ut plurimum fuerint, & in mundo deſpecti, ac variis anguſtiis & afflictionibus preſſi, inſana voce dixiſſe fertur: *Malo in infernum & damnationem deſcendere cum magnis illis & illuſtribus viris, quam cum infimis iſtis & vilis conditionis hominibus in cœlo degere.*

(19) *Sapientes.* Pudet referre narrationes, de honore ſapientibus cum ab Iſraelitico, tum aliis exteris Regibus paſſim exhibito, quibus Rabbinorum libri turgent. Neque mirum, a Regibus tantopere honoratos honorandoſque pronunciare eos, quos Regibus potiores affirmant. Sic enim R. Bechai *in Chad. hakkemach. tit. Eſel. fol. VI. col.* 3. cum præ reliquis plangendum dixiſſet תלמיד חכם שיש בו תורה ויראת שמים: *Studioſum ſapientem, in quo ſit lex & timor* Dei, hanc rationem addit: שהרי אמרו ז״ל בסדר המעלות חכם קודם למלך וכן אמרו במסכת הוריות פרק כהן משיח חכם שמת אין לנו כיוצא בו מלך שמת כל ישראל ראויין למלך וש״ה והחכמה מאין תמצא: *Certe enim Doctores fauſtæ memoriæ de ordine dignitatum dixerunt, ſapientem potiorem eſſe Rege. Atque ita ſimiliter in Talmudis Maſſecheth Horajos, Capite Cohen Meſchiach,* (quod eſt c. III. fol. XIII. col. 1.) *ſtatuerunt, ſapientem, cum moritur, non relinquere nobis ſui ſimilem; at ſi Rex moriatur, nullum eſſe Iſraelitarum, qui non aptus ſit Regi ſuccedere. Hoc eſt, quod ſcriptura ait:* Job. XXVIII. 12. *Et ſapientia unde invenietur?* Confer omnino Rabbos, *initio Parſch.* נשא את ראש *fol. CCXXI. col.* 2. 3. ubi illum סדר המעלות ſeu *ordinem graduum & dignitatum*, vel uti hodie vocare conſuevimus jus προεδρίας, quod iſtis verbis R. Bechai reſpicit, late expoſitum videbis. Supremum locum ibi tribuunt *ſapienti*, quem ſuperiorem dicunt *Rege*, & Regem ſuperiorem *ſacerdote ſummo*, & ſacerdotem ſummum *Propheta*, & Propheta *Uncto Caſtrenſi*, & Unctum caſtrenſem *ſuffraganeo*, & ſuffraganeum *Principe ſtationario*, & Principem ſtationarium *Principe hebdomadario*, & Principem hebdomadarium *theſaurario*, & theſaurarium *Quæſtore*, & quæſtorem *Sacerdote gregario*, & ſacerdotem gregarium *Levita*, & Levitam *Iſraelita*, & Iſraelitam *ſpurio*, & ſpurium *Nethinæo*, & Nethinæum *Proſelyto*, & Proſelytum *ſervo manumiſſo*, &c.

(20) Immunes. Aurea in hanc rem conſtitutio eſt Divi Imperatoris Friderici. *Authentic. habita C. ne filius pro patre*, quam integris libris expoſuerunt Horatius Lucius, Petrus Rebuffus Julius Pacius, Chriſtophorus Cuppenerius, aliique, qui de privilegiis ſtudioſorum conferri poſſunt.

T H E O R E M A XIII.

Sic tamen ne quid Honoris deperdat.

HOnorandos (1) eſſe magiſtratus omnes, præcipue vero Reges, unanimi populorum conſenſu notum eſt, nec eget probatione. Illud vero præceptum æqualiter univerſos obligat, nulla ætatis, ſtatus, dignitatis vel ſexus exceptione. Ideo dicunt Hebræi, etiam Pontificem & Prophetas hoc cultus debito teneri. Quamvis enim ipſe Rex (2) oraculum conſulturus ſtare debeat coram Pontifice, ob reverentiam divini pectoralis Urim & Tummim, & futurorum interpreti honorem deferre; tamen extra hunc caſum Pontifex vice verſa Regem venerari, pronuſque ſalutare jubetur æque ut alii. Imo quos *Deus* extra ordinem miſerit Prophetas, perſonarum alias non reſpectores, id minime neglexiſſe ajunt. Maym. *H. Mel. init. c.* 2. בכוד גדול נוהגין במלך ומשימין לו אימה ויראה בלב כל אדם שנ׳ שום חשים עליך מלך שתהא אימתו עליך: *Honorem maximum regi exhibent, tribuentes ipſi venerationem & reverentiam e cordibus cunctorum: ſicut dicitur* (Deut. 17.) *ponendo pones ſuper te regem: ſcilicet ut ejus terror ſit ſuper te* (de quo Prov. 20. 2.) Et mox §. 5. כל העם באין אליו בערת שירצה ועומדין לפניו ומשתחוין ארצה אפילו נביא עומד לפני המלך משתחוה ארצה שנ׳ הנה נתן הנביא ויבא לפני המלך וישתחו למלך: אבל כהן גדול אינו בא לפני המלך אלא אם רצה ואינו עומד לפניו אלא המלך עומד לפני כהן גדול שנ׳ ולפני אלעזר הכהן יעמד אעפ׳ כן מצוה על כהן גדול לכבד את המלך ולהושיבו ולעמד מפניו כשיבא לו ולא יעמד המלך לפניו אלא כשישאל לו במשפט האורים: *Omnes populi veniunt tempore quo ipſi placuerit, ſtantes coram illo & adorantes verſus terram. Etiam Propheta regem accedens ſic incurvatur, prout de Nathano parrheſiaſte legimus* (1. Reg. 1. 23.) *procidiſſe in faciem ſuam. At ſummus ſacerdos nunquam accedit regem, niſi voluerit, nec ſtat coram eo: ſed potius Rex ſtat coram pontifice, ſicut dicitur* (Num. 27. 21.) *coram Eleazare ſacerdote ſtabit; quamvis alias præceptum ſit pontifici honorare regem & aſſurgere advenienti: non enim ſtabit rex coram illo, niſi quando contulit judicium Lucis.* Secus quam olim factitavit Alexander tertius, (3) qui Imp. Fr. Barbaroſſam Venetiis in veſtibulo S. Marci pedibus conculcavit, quaſi ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulaturus; ut illius ætatis hiſtoriæ narrant. Eſt vero cumprimis notabile, quod regem honori ſuo renunciare potuiſſe negant, quamvis ex humilitate voluerit. Talm. M. Sanh. (4) *p. 19. a. in marg. ſiniſt.* הרב שמחל על כבודו כבודו מחול מלך שמחל על׳ כבודו אין כבודו מחול: *ſi magiſter remittit honorem ſuum, remittitur ille: at non ſi Rex remittat ſuum*: quia nempe publicam ſuſtinet perſonam, & ſi quid contumeliæ pateretur, id non modo ſibi privatim, ſed magis publice toti regno inhoneſtum foret. Quemadmodum qui in comœdia principis agit partes, non ſimul morionis vultum induere poteſt: ita quos *Deus* in hoc mundi theatro altius poſuit, ſtationem ſuam attendere decet, & meminiſſe, quicquid inceptent, omne in propatulo eſſe, nec a præſentibus tantum ſpectari taciteque cenſeri, ſed in hiſtorias referendum, aliquando a poſteritate lectum, & liberrime dijudicatum iri. Quamvis Nero (5) facinorum ſuorum commentarios infamiæ metu cremaverit, tamen omni potentia impedire non potuit, quod minus hodie cognoſcantur publice. Itaque omnino Famæ ratio haberi debet, & quicquid in multorum oculos incurrit, honorificum eſſe. Levicula videntur quæ ad corporis cultum pertinent, atque virilibus curis vix digna: & tamen referunt Hebræi regem ſuum quotidie prius domi tonſum lotumque fuiſſe, quam in publicum prodierit, ut ſcilicet ſplendidior appareret. Maym. H. Mel. *med. c.* 2. המלך מסתפר בכל יום ומתקן עצמו ומתנאה במלבושים נאים ומפוארים שנ׳ מלך ביופיו תחזינה עיניך: *Rex tondetur* (6) *omni die & ornat ſeipſum, induiturque veſtibus pulchris & honorabilibus, ſicut legimus* (Eſai. 33. 17.) *regem in decore ſuo ſpectabunt oculi tui.* Forma quidem viros neglecta decet; fuit tamen etiam Cæſar, relatu Svet. c. 45. *circa corporis curam moroſior, ut non ſolum tonderetur diligenter, ac raderetur, ſed velleretur etiam; ut quidam exprobraverunt: calvitii vero deformitatam* (ſupervacaneo pudore) *iniquiſſime ferret, ſæpe obtrectatorum jocis obnoxiam expertus. Ideoque & deficientem capillum revocare vertice aſſueverat, & ex omnibus decretis ſibi a S. P. Q. honoribus, non aliud aut recepit aut uſurpavit libentius, quam Jus Laureæ perpetuo geſtandæ. Etiam cultu notabilem*

ſe-

ferunt ; uſum lato clavo ad manus fimbriato &c. Totum vero id geſtum in conclavi privato, & grande nefas habitum, ſpectare nudum, lavantem, (7) vel tonſori ſuppoſitum regem. Ibid. *paulo anterius*: אסור לראותו כשהוא עירום ולא כשהוא מסתפר ולא כשהוא בבית המרחץ ולא כשהוא מסתפג׳: *Piaculum eſt ipſum cernere nudatum, aut quando tondetur, aut quando verſatur in balneo, aut quando abſtergitur ſpongia.* Quod minime curavit amor ille ac delitiæ generis humani Titus, (8) dum teſte Svet. *cap.* 8. *in thermis ſuis admiſſa plebe lavit, ne quid popularitatis prætermitteret.* Quia vero nimia familiaritas (9) certum parit contemptum, rectius videntur Judaici reges iſta, procul a ſpectatoribus in occulto ſuſtinuiſſe; ubi & omnis recreatio tutior eſt, ſive quis cum eodem Tito pſallere velit, ſive cum Alexandro Magno ſphæram impellere, ſive cum Adriano & M. Antonino pingere. Veſtimenta (10) quod attinet atque reliquum apparatum, conſtat regibus non reputari pro faſtu, ſi ſplendide ornentur, ſed omnino decere, ut in his quoque ſupra omnes emineant: eſſe vero peculiaria quædam ipſorum ornamenta, & majeſtatis velut ſymbola, ut coronam & ſceptrum, (11) quæ in ſolenni actu oſtentent. Maym. *ibid.* יושב על כסא מלכות בפלטרין שלו ומשים כתר בראשו: *Reſidet ſuper thronum regalem in palatio ſuo, gerens coronam in capite.* Authoritatis etiam eſſe ut ſedeant, (12) ubi cæteri aſſiſtunt; imo in ipſo quoque ſacri cultus loco: quem tamen honorem ſolis Davidicis attribuit idem Rabinus §. *præc.* אם נכנס לעזרה והיה מזרע דוד ישב שאין ישיבה בעזרה אלא למלכי בירת דוד בלבד שנ׳ ויבא המלך דוד וישב לפני ה׳: *Cum intraverit atrium* (ſanctuarii,) *ſi eſt de ſemine David, aſſidet. Neque enim ſedendi locus eſt in atrio, niſi regibus famililiæ Davidis tantum: ſicut dicitur* (2. Sam. 7. 18.) *ingreſſus eſt rex David, & ſedit coram Domino.* Unde obiter illud quodque apparet, olim non ſediſſe (13) alium quenquam in templo Jeroſolymitano, ut nos in noſtris ſolemus, ſed aut erectos ſtetiſſe, aut procubuiſſe in genua; ſecundum illud, quod in *Pirk. aſ. c.* 5. inter primæ domus mirabilia refertur: עומדים צפופים ומשתחוים רווחים: *Qui coarctati ſtabant, adorabant dilatati.* h.e. quibus ob multitudinem in feſtivis conventibus vix ſtandi locus erat, ſuppetebar tamen ſufficiens ſpacium ingeniculandi. Porro ſi quis ſermo ad plebem habendus eſſet, fieri debebat breviter & graviter, ſine titulis, ſine ambage. Ut enim multiloquium etiam in privato, ſapientiæ penuriam, & (quæ certus illi comes eſt,) ingenii ventoſitatem arguit; ita inanis battologia omnium minime Reges decet: quorum eſt jubere, non declamare: coaxare vero ranarum. Qui canes multum latrant, mordent parum. Auguſtius ergo habetur plurima exequi pauca locutum: nam *Rex* & *Lex* veteri proverbio ſunt monoſyllaba. Maym. *loc. ſæpe citat.* בד״א בזמן שיהיה המלך בביתו לבדו הוא ועבדיו יעשה זה בצנעה אבל בפרהסיא בפני העם לא יעשה ולא יעמוד מפני אדם ולא ידבר רכות ולא יקרא לאדם אלא בשמו כדי שתהא יראתו בלב הכל׳: *Hæc* (quæ de honorandis ſapientibus præmiſerat) *accipienda ſunt de tempore, quando rex domi ſuæ una cum aulicis ſolus deſidet, tunc eruditos comiter affari debet: at quando in publicum* (14) *prodiit, coram toto populo id minime decet. Tunc igitur nemini aſſurgat, neminem alloquatur teneriuſcule, neminem appellet aliter quam nomine ſuo; ut venerationem retineat in cordibus univerſorum.* Nimia humanitas contemnitur, contemtus autem odio pejor eſt. Qua in re turpiter honorem ſuum proſtituit Imp. Vitellius, *tota via Caligatorum quoſque militum obvios exoſculans, perque ſtabula & diverſoria mulionibus ac viatoribus præter modum comis: ut mane ſingulos jamne jentaſſent ſciſcitaretur, ſeq. hoc feciſſe ructu quoque oſtenderet.* Svet. *c.* 7.

Sunt & alia, quæ ad regis honorem pertinuiſſe ajunt; Profectiones illius, & Luctum, & Suppellectilem concernentia. Si qua proficiſcebatur, potuiſſe viam ſibi etiam per invia ſternere, ac maceriem, quæ forte obſiſteret, nemine prohibente pro commodiori tranſitu diruere. R. Moſ. Kikoz. *pr. aff.* 114. פורץ גדר לעשית לו דרך ואין ממחין מידי דרך המלך אין לו שיעור: *Perrumpit ſepem ut paret ſibi viam, nec quiſquam impedit manum ejus: via enim regia non admittit æſtimationem.* Si quis ei moriebatur, diſputant Rabini, an funus comitari (15) egreſſo licuerit? Ben Maymon negat *c.* 2. *v.* 4. מת לו מת אינו יוצא מפתח פלטירין שלו וכשמברין אותו כל העם מסובין על הארץ והוא מיסב על הדרגש: *Aliquo ſuorum defuncto, non exit portam palatii: quando illum efferunt, omnis populus recumbit in terram, ipſe vero reclinatur ad culcitram.* Mikozi vero arbitrarium eſſe putat, exemplo rem confirmans *d. l.* ר׳ יהודה אומר אם רצה לצאת אחר המטה יוצא שכן מצינו בדוד מלך ישראל שיצא אחר מטתו של אבנר שנ׳ והמלך דוד הולך אחר המטה אמרו לו לא היה הדבר אלא לפייס.

לפייס העם ונתפייסו שהרי דוד היה יוצא מבין האנשים לנשים ומבין נשים לאנשים עד שירעו כל העם כי לא היתה מארת המלך להמית את אבנר: *R. Jebuda inquit, ſi vult exire poſt feretrum, licet. Sic enim invenimus factum a Davide, quod egreſſus ſit poſt capulum Abneri* (2. Sam. 3. 31.) *ſunt tamen, qui hoc feciſſe dicunt, ut ſe populo purgaret atque vehementius perſuaderet, Abnero ſe mortis cauſam non fuiſſe: ideo inter viros & mulieres palam diſcurſitaſſe.* (verſ. 37.) Alias de Pontifice (16) conſtat, eum ne quidem ob conſanguinei obitum pollui debuiſſe. *Lev.* 21. 2. Ipſa tandem regia ſuppellex, (17) ob majeſtatem utentis, privilegio ſingulari donata & univerſis interdicta fuit. Cujus mentione non tantum generis omnis vaſa & inanimata vitæ inſtrumenta intelligunt, ſed & animalia, imo ſervos ac ancillas aulæ, adeoque res omnes, quarum uſus Auguſto ſerviebat immediate: ut corona, ſceptrum, thronus, equi, mulæ, miniſtri, &c. hiſce nemo privatus utebatur; illa vero partim cremabantur, ne cujuſquam abuſui poſt fata regis cederent. H. Melach. *init.* c. 2. item R. Bechai *parſ. ſchopb.* אין רוכבין על סוסו ואין יושבין על כסאו ואין משתמשין בשרביטו ולא בכתרו ולא באחד מכל כלי תשמישו וכשהוא מת כולן נשרפין לפניו וכן ולא ישתמש בעבדיו ושפחותיו ושמשיו אלא מלך אחר: *Non inequitant* (18) *ejus caballo: non inſident ſolio: non utuntur ſceptro: non attingunt coronam. Summa, nemo uſurpat quicquam utenſilium illius: ideo cum moritur, comburuntur iſta omnia coram ipſo.* (ut infra latius dicetur Theor. XIX.) *Abſtinent ſervis ejus & ancillis, & miniſtris, omnes præter aliam regem ſucceſſorem.* Invenio tamen in Talmud exceptionem neceſſitatis; quæ ut alias, ita hic quoque lege caret. Per. Chelek. (19) *p.* 95. *a. med.* Cum Rex David in magno vitæ periculo verſaretur, captus ab immani gigante Jiſchbi Nobenſi fratre Goliath, cujus ſcriptura meminit 2. *Sam.* 21. 16. & capitaneus Abiſai filius Zerujæ hoc ex oſtentis (20) quibuſdam (ut Rabini quidem narrant) reſciſceret, ſubitam ipſi opem laturus acceleravit curſum ſuum equo regio; impetrata tamen ante a ſapientibus facti hujus licentia: תנן אין רוכבין על סוסו בשעת סכנה מאי אתא שאיל ביה מדרשא אמרו ליה בשעת ליה שפיר רמי רכביה לפרדיה וקם ואזל קטצה ליה ארעא: *Nefas quidem eſt vehi equoregio; at quidnam juris in caſu neceſſitatis? abiens ille rogavit Doctores, qui reſponderunt, licere tunc uti. Equitavit ergo mula ejus, ut terra ſibi obviaret,* (21) h. e. optica deceptione propter celeritatem occurrere videretur, ſicut & Virgilius loquitur: *provehimur portu, montes urbeſque recedunt*; non vero miraculoſe aut locali motu obviaret, ut recentiores Judæi mortalium ſtupidiſſimi accipiunt: qui de eodem gigante ſuo more fabulantur (22) ibidem, projeciſſe haſtam, ut in eam recidens configeretur. Quid eſt Hyperbola, ſi hec non eſt?

N O T Æ

In Theorema decimumtertium.

(1) Honorandos. Scitum eſt illud R. Jejadæ: אל הדור בעיר שאין בה מלך נורא: *Ne habites in urbe, in qua nulla reverenia, aut timor Regi exhibetur.*

(2) Rex. Eadem tot verbis tradit R. Bechai *in Biur alhattorah fol. CCXXII. col. 4. fin.* אפילו הנביא עומד לפני המלך משתחוה לו ארצה שנאמר הנה נתן הנביא ויבא לפני המלך וישתחו למלך על אפיו ארצה. והמלך עומד לפני כהן גדול בשעה שצריך לשאול במשפט האורים שנ' לפני אלעזר הכהן יעמוד ושאל לו במשפט האורים ועל דרך הקבלה שום השים עליך מלך ידוע כחו של מלך וכו': *Ipſe etiam Propheta ſtat coram Rege adorans eum in terram pronus, exemplo Nathanis Prophetæ, qui coram Rege comparens facie ad terram prona eum adorabat* 1. Reg. I. 20. *Rex vero ſtat coram ſacerdote ſummo ſaltem ea hora, qua opus habet conſulere judicium Urim, juxta legis præſcriptum* Num. XXVII. 21. *Cæterum ex lege de rege conſtituendo per traditionem ſatis de ejus poteſtate conſtat &c.* Nimirum, quando Rex coram ſummo Pontifice ſtabat, pertinebat hoc ad ritum conſulendi urim & thummim, non ad honorem Pontifici exhibendum. Stabat coram *Deo*, quem per interpretem quaſi, Pontificem interrogabat. Vide ſupra *theor. II. p.* 22. & adde hic Gilb. Gaulmyn. *lib. III. Notar. de vita & morte Moſis c. IV. p.* 364. 365.

(3) Alexander tertius. De hoc facto Alexandri Papæ pedibus Imperatorem conculcantis innumera hiſtoricorum qua veterum, qua recentium teſtimonia proſtant, quæ ab aliis magno numero produci ſolent, ut vanitas oſtendatur Baronii, qui *Tom. XII. Annal. Eccleſ. ad A. C. MCLXXVII.* pudore ſuffuſus fidem hiſtoriæ elevare laborat. Non eſt, cur paſſim obvia, & in vulgus nota Auctorum nomina producamus; ſaltem ſuffragium advocabimus ſcriptoris Hebræi; quod nondum ab alio exhibitum vidimus. Is eſt R. David Gans *part. II. Zemach David, ad millenarii V. annum* התתקלה *i. e.* Chriſti 1175. *fol. LXXVII. col.* 2. qui non ſine ſui ſuorumque ſcandalo, & Chriſtianorum probro hiſtoriam recenſet, & ipſe veluti indignabundus ad marginem notavit: בזיון גדול נעשה לקיסר *Gravis & neſanda ignominia Cæſari illata.* Ipſam vero his verbis deſcribit, poſtquam de bello Imperatoris quædam prmiſerat: אז עם מדינת איטליאה התגוררו ויצאו הלוצים לקראת הקיסר ביד חזקה ונפלו עם הקיסר חללים לפני דאיטליקי והיסר מלט לבדו ואוטא בן הקיסר נתפש מוועבמטיאן

משעבסטיאן דוכס וראש העיר וינציאה ויוליכוהו לוניציאה אל פיפיור אלכסנדר ואפיפיור לא רצה להת את בנו לפדות לא במחיר כסף רב עד שהוצרך הקיסר לבא לוניציאה לכרוע ולפול ארצה לפני האפיפיור בבית עבודתם הנקרא מרקום לבוז ולחרפה לעיני כל העמים ורד והלך האפיפיור ברגליו על גב הקיסר ועל בנו ואמר׳ על שחל ופתן תדרוך תרמוס כפיר ותנין אחר זה שלחם בשלום: *Tunc populus regionis Italiæ turmatim convenerunt, & ad militiam expediti exierunt in occursum Cæsaris manu forti, & ceciderunt Cæsariani gladio confossi coram Italis, ipseque Cæsar evasit solus. At filius ejus, Otto, apprehensus est a Sebastiano Duce & primario Urbis Venetiarum. Eum ergo Venetias ad Papam Alexandrum deduxerunt, qui Cæsaris filium libertati restituere noluit, quantumvis magna pecuniæ summa in* λύτρον *persolvenda, donec necessitate compulsus Cæsar ipse Venetias veniret, supplex ad terram factus Papæ in Templo, quod Marci vocatur, in probrum & ignominiam coram oculis omnium populorum: tunc conculcabat conterebatque Papa pedibus suis collum Cæsaris & filii ejus, dicebatque:* Super Aspidem & Basiliscum Ambulabis & Conculcabis Leunculum & Draconem. *Postea dimittebat eos in pace.*

(4) Talm. M. Sanh. Idem ex Mass. Chetub. *c. II.* observat Coccejus *not. ad Sanhedr. Mischn. c. II. p.* 22. Sed ibi pro הרב *Magistro* habetur נשיא *Princeps.*

(5) Nero. Hoc magis mirum idcirco illud est, quod vel præcipue notabile ac mirum notavit Svetonius *in Nerone c. XXXIX.* nihil eum patientius, quam maledicta & convitia hominum tulisse, neque in ullos leniorem, quam qui se dictis, aut carminibus lacessissent, extitisse. Exemplis id ibidem Svetonius commonstrat.

(6) Rex tondetur. Sumta sunt hæc ex Mischna Massech. Sanhedrin *cap. II. §. V.* Conf. Dn. D. Geierum *de Luctu c. VIII. §. 4. p.* 193.

(7) Lavantem. Valerius Maximus *lib. IX. c. V.* de Carthaginensi senatu memorat, *quod separato a plebe balneo lavaretur.* Quamquam hoc ibi inter insolentiæ exempla refert.

(8) Titus. Sic Alexander Severus thermis & suis & veterum frequenter cum populo usus est, teste Æl. Lampridio *in ejus vita c. XLII.* Quod & Carolum Magnum factitasse scribit Eginhardus: *Non solum filios ad balneum* inquit, *verum optimates & amicos, aliquando etiam satellitum & custodum corporis turbam invitavit: ita ut nonnunquam centum vel eo amplius homines lavarentur.*

(9) Nimia familiaritas. Ab hac vicissim subdito cavendum suadebat Diogenes, interrogatus, quomodo cum Rege conversandum? *καθάπερ πυρί*, respondit, *μήτε λίαν ἐγγὺς εἶναι, ἵνα μὴ κατακαῇ, μήτε πόῤῥω, ἵνα μὴ ῥιγώσῃ, tanquam igni, neque nimis prope accedendum, ne exuraris, neque nimium procul, ne frigeas.* Quod simili Rabbini etiam utuntur in Mibhchar happeninim *sect. XXIV. elect. VI.* נמשל המלך כאש אם תרחק ממנו תצטרך אליו ואם תקרב אליו יצרפך: *Rex igni assimilatur, si elongaveris ab eo, indigebis ipso; si appropinquaveris ei, comburet te.* In eodem libro, *ejusdem sectionis elect. X.* alio similis res illustratur: חברת המלך אף על פי שיש בה כבוד ויקר דומה להר גבוה שיש בו כל פרי טוב וכל חיות רעות העליה אליו קשה והעמידה בו יותר קשה: *Familiaris conversatio cum Rege licet gloriam & honorem habeat, similis tamen est monti alto, in quo quidem omnis generis fructus boni, sed & omnis generis bestiæ malæ. Ascensio in hunc montem difficilis, & perseveratio in eo, multo adhuc difficilior.*

(10) Vestimenta. Hinc *Christus* Regium Salomonis ornatum laudat *Matth. VI.* 29. *Luc. XII.* 27.

(11) Coronam & Sceptrum. Vide superius dicta *ad theor. IV. pagin.* 60. & 61. & adde Gilbert. Gaulmynium *lib. II. Notar. ad lib. de vita & morte Mosis c. VI. p.* 316. ubi de Regio habitu apud Hebræos, throno, corona, tiara, &c.

(12) Ut sedeant. Ea de causa thronus Regalis ipsis erat, qualem sibi exquisita arte, maximisque sumtibus parasse legitur Rex Salomo 1. *Reg. X.* 18. & 2. *Paral. IX.* 17. de quo pluribus paulo post dicetur.

(13) Non sedisse alium &c. Et hæc ratio erat, cur Conclave cæsi lapidis, in quo Syndedrium magnum considebat, sic constructum esset, ut pars ejus media sanctum penetraret, pars media prostraret extra sanctum: de quo *supra p.* 11. *lit. d.* dictum.

(14) At quando in publicum. Contra hæc fecisse Josaphatum Regem Juda, ex Massech. Cetubhoth *cap. XVI.* ostendit R. Joseph Karro *in Keseph Mischne ad h. l. Maim. f. CCLXXXVIII. c.* 2. יהושפט מלך יהודה כשהיה רואה תלמיד חכם עומד מכסאו ומחבקו ומנשקו וקורא לו רבי רבי מרי מרי לא קשי׳ הא בצנעא הא בפרהסיא: *Josaphat Rex Jehuda cum videret sapientiæ studiosum, surgebat de throno suo, eumque amplexus osculabatur, & compellabat* Rabbi, Rabbi, Dominus meus, Dominus meus! *nihil moratus, sive id privatim contingeret, sive in publico.* Addit tamen interpretationem & regulam R. Salomonis Jarchi: שכבר את כל אחד ואחד בפרהסיא מטיל אימה להודיע נשיאותו: *Quicunque Rex unumquemque honorat publice, in venerationi pro dignoscenda principatus sui auctoritate derogat.*

(15) An funus comitari. Eadem tradit Majemonides fusius *Halach. Esel cap. VII. §.* 7. apud Magnif. Dn. Geierum *de luctu c. IV. §. 2. p.* 39. ubi & R. Mosis Kozensis locum hic adductum reperies. Fundantur autem in Mischna Mass. Sanhedrin *c. II. §. III.* ad quam vide Cocceji *notas p.* 20. 22.

(16) De Pontifice. Vide pluribus Dn. D. Geierum *loc. cit. §. 3. 4. p. 40. seq.*

(17) Regia suppellex. Vid. Gaulmyn. *lib. I. Notar. de vita & morte Mosis c. IV. p.* 202. 203.

(18) Non inequitant. &c. Sumta hæc sunt ex Mischna Talmudica Sanhedrin *c. II. §. V.* Hinc illustrabis locum *Esth. VI.* 8. de profusa Regis (utut non Hebræi) gratia, concessione Regiæ vestis, equis & coronæ comprobata. Item *Gen. XLI.* 43. de curru Regio Pharaonis Josepho novo vice-Regi indulto.

(19) Perrek Chelek. Vide Christ. Gersonem *in Chelek p. 74. seqq.* Coccejum *in Excerpt. ex Gemara Sanhedr. c. XI. excerpto XXI. p. 329. seqq.* item R. Jacob Aben Chabib *part. II. Beth. Israel fol. CXCI. col.* 3.

(20) Ex ostensis. Geminum fingunt. Unum est, lavasse Abisajum circa vesperam ejusdem diei capillum suum, & adhibitis quatuor aquæ pelvibus, omnem semper sanguine tinctam vidisse. Alterum, advolasse columbam אִטְרִיף קַמֵּיהּ *quæ coram ipso conturbata*, & tantum non examinata est, unde dixerit: כנסת ישראל כיונה אימתילה שנאמר כנפי יונה נחפה בכסף ש״מ דוד מלכא דישראל בצערא: *Ecclesia Israelitica columbæ assimilatur juxta illud* Psal. LXVIII. 14. Alas columbæ obductæ argento: *sine dubio David Rex Israelis alicubi in angustiis est.*

(21) Terra sibi obviaret. Tres esse fingunt Talmudici, in quorum occursum terra exsilierit, quos in excerptis Gemaricis memorat Coccejus *pag.* 332. Sed cum non nisi nomina eorum recenseat, æque ut Buxtorfius *in Lex. Talmud. Rad.* קפץ *fol.* 2096. locum integrum, referam ex ipsa Gemara Sanhedr. *fol. XCV. sub finem colon.* 1. *& initio seq.* תנו רבנן שלשת קפצה להם הארץ אליעזר עבד אברהם ויעקב אבינו ואבישי בן צרויה אבישי בן צרויה הא ואמרן אליעזר עבד אברהם דכתיב אבא היום אל העין למימרא דהוא יומא נפק יעקב אבינו דכתיב ויצא יעקב שבאר שבע וילך חרנה וכתיב ויפגע במקום וילן שם כי בא השמש כי מטא לחרן אמר אפשר עברתי על מקום שהתפללו בו אבותי ואני לא התפללתי בו בעי למהדר כיון שהרהר בדעתיה למהדר קפצה ליה ארעא מיד ויפגע במקום: *Tradunt Doctores nostri, terram tribus in occursum subsiliisse, Eleasaro servo Abrahæ Jacobo patri nostro, & Abisajo filio Zeruja. De Abisajo quidem filio Zeruja jam diximus. De Eleasaro autem servo Abrahæ scriptum est.* Gen. XXIV. 42. *Et veni hodie ad fontem: quod de eodem illo die dixit, quo exiverat.* Trajecit ista ad sequentia Christian. Gerson *in Chelek p.* 78. indeque est, quod male intellecta nullo sensu reddidit.) *Tandem de Jacobo Patre nostro scriptum est* Gen. XXVIII. 10. *Et exivit Jacob e Berseba, & ivit in Haran: & rursus* ibid. v. 11. *sequitur: Et pervenit ad locum & pernoctavit ibi, quia sol occubuerat: nam pervenerat in Charan. Tunc dixit: Fortasse transivi locum, in quo adoraverunt patres mei, & ego non adoravi! Quæsivit ergo reverti. Cumque ita secum ipse de reditu cogitaret, statim*

tim ſubſiliit terra in occurſum ejus, & ſic pervenit ad locum.

(22) Fabulantur. Viderat Jiſchibi accedentem Abiſajum, ſibique cum duobus, illo nempe & Davide, eſſe dimicandum. Davidem ergo abſque mora ſurſum verſus projecit, haſta ſubter fixa ipſum excipere cupiens; (fere uti Munatius Flaccus infantes ſuperjactatos pilis excipi juſſit, apud Valerium Maxim. *lib. IX. c. II.*) אמר אבישי שם ואוקמיה לדוד בין שמיא לארעא: *at Abiſaj Schemhamphoraſch pronunciabat, eoque Davidem inter Cœlum & terram ſuſpenſum tenebat.* Poſtea cum eo ſic in aere quaſi volitante collocutus, pronunciato iterum Schemhamphoraſch effecit, ut in terram extra diſcrimen deſcenderet. Ita ſuo Regi in anguſtiis conſtituto ſubvenit. Hoc putant ſignificari illo *: Sam. XXI. 17.* ויעזור לו אבישי בן צרויה: *& auxilio ei fuit Abiſai filius Zeruja.* Taceo id genus alia. Vide Coccejum *excerpt. Gem. Sanh. p.* 331. & Gerſonem *in Chelek. p.* 77.

THEOREMA XIV.

Habeat enim (certa moderatione) Jus vitæ & necis illorum.

PRimarium regis officium erga ſubditos erat adminiſtratio Juſtitiæ, (1) quam omnibus æqualiter & incorrupte debuit impertiri. Hal. Mel. *ſub fin. cap.* 4. ותהיה בכל יהיו מעשיו לשם מגמתו ומחשבתו להרים דת האמת ולמלאות העולם צדק ולשבור זרוע הרשעים ולהלחם מלחמות ה׳ שאין ממליכין מלך תחלה אלא לעשות משפט ומלחמות שנ׳ ושפטנו מלכנו ויצא לפנינו ונלחם את מלחמותינו: *In univerſum dirigantur opera ejus ad honorem* Dei*: & ſit omnis intentio, deſiderium atque cogitatio ejus, exaltare legem veram, & replere mundum Juſtitia, confringere brachium improborum, & præliari prælia Domini. Neque enim ab initio regem alio fine conſtituebant, niſi ut adminiſtraret Juſtitiam & bella, ſicut dicitur* (1. Sam. 8. 20.) *Judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, geretque noſtra bella.* Hoc enim ni faciat, non eſt vere Rex. Pulchrum (2) & repeti dignum eſt, quod Auguſtinus *l. 4. Civit. Dei c.* 4. de juſtitia regnorum differit, *remota ea nil aliud fore quam magna latrocinia: & contra, latrocinia eſſe quaſi parva regna, ubi manipulus hominum pacto ſocietatis aſtrictus, certa lege prædam dividat; & ſi hominum acceſſionibus creſcat, ut civitates occupet, jam regni nomen obtinere.* Adducit etiam illud piratæ cujuſdam ad Alexandrum *: ego qui exili navigio id facio, latro vocor; tu, quia idem claſſe magna facis, Rex audis.* Ut vero Juſtitiæ adminiſtratio felicius procederet, (3) conſtituti ſunt olim apud Hebræos certi quidam Cenſores vel Viſitatores *Schoterim* (4) dicti, qui cum fuſtibus & flagris per plateas urbis circumibant, ut menſuras & pondera examinarent, mores publicos obſervarent, & ſi quid pravum offendiſſent, magiſtratui denunciarent. Hal. Sanhedrin *ab init. cap.* 1. מצוה עשה של תורה למנות שופטים ושוטרים בכל מדינה ובכל פלך שנ׳ שופטים ושוטרים תתן לך בכל שעריך: שופטים אלו הדיינים הקבועים בבית דין ובעלי דינין באים לפניהם: שוטרים אלו בעלי מקל ורצועה והם עומדין לפני הדיינים המסבבים בשוקים וברחובות ועל החנויות לתקן השערים והמדות ולהכות כל מעוות וכל מעשיהם על פי הדיינים וכל שיראו בו עונת דבר מביאין אותו לב״ד ודנין אותו כפי רשעו: *Juſſum legis eſt, conſtituere Judices atque Cenſores, in omnibus Provinciis & Regionibus, ſicut dicitur* (Deut. 16. 18) *Judices & Schoterim ponas tibi in omnibus portis tuis. Per Judices intelligit eos magiſtratus ordinatos in Synedrio, coram quibus litigant partes: per Schoterim vero illos, qui cum baculo & loro aſſiſtunt Judicibus, & circumeunt in foro, plateis atque tabernis, ut rectificent portas & menſuras, atque pecutiant iniquos ex ore Judicum. In quocunque autem ipſi cernunt pravitatem, eum adducunt Synedrio, ut judicetur pro merito malitiæ ſuæ.* Quemadmodum & in Turcia cuſtodes urbium (5) cum fuſtibus obambulant, ut iis mulctent, ſi quos in propatulo rixantes offendunt, aut quovis clamore publicam quietem turbantes. Talis olim Jeroſolymis in diebus Uſiæ fuit Maaſias; ſimul capitaneus magni exercitus, 2. *Par.* 26. 11. & commendat ſcriptura formicam, quod hoc minimum animal officium ſponte faciat, quamvis talem Schoter ſive ῥαβδοῦχον (6) vel ἐργοδιώκτην non habeat *Prov. 6. 7.* Huc pertinet, quod Rabini de Salomonis eburneo & inaurato tribunali (7) referunt, *in Zenorenna P. Schopher.* conſtitiſſe ſex gradibus (etiam ſcriptura teſtante 1. *Reg.* 10. 19.) ad quorum ſingulos Rex juſtitiæ admonitus fuerit, cum primum aſcenderet, acclamatum fuiſſe לא תטה משפט *Judicium non inclinato*: ad ſecundum לא תכיר פנים *Per-*

Personam non respicito: ad tertium לא תקח שוחר *Munus non accipito*: ad quartum לא תטע לך אשרה *noli plantare lucum*: ad quintum לא תקים לך מצבה *noli erigere statuam*: ad supremum לא תזבח שור *ne mactato bovem*. Quod non absimile est illi, (8) qui per caduceatorem suum quotidie, hac formula, μέμνησο ἄνθρωπος ὤν, mortalitatis suæ admoneri voluit. O felicem populum, cui sic Lex & Rex simul imperant! feliciorem quoque, si quod imperant executioni datur: nec sunt campanæ, quod dicitur, sine pistillo: felicissimum vero, si in hoc statu perennant, nec cum succedit novus rex, nova Lex juxta proverbium introducitur: a qua tantopere abhorruerunt olim Locrenses, ut novationis autorem fune circa collum aptato, rationem dicere jusserint: ut si mutandi utilitatem non evidenter persuaserit, attracto laqueo statim suffocari possit.

Quamvis igitur Rex Hebræus dicto modo, statutis & legibus Mosaicis tenebatur, hoc tamen non impedivit, quo minus pro re nata potuerit de plano procedere, & si casu ita posceret, pœnas aut mitigare, aut crescentibus delictis exasperare; sicque suum jus vitæ & necis, citra vim justitiæ, circumstantiis attemperare. Maym. Hal. Mel *fine cap.* 3. יש למלך רשות לתקן העולם כפי מה שהשעה צריכה: *Potestatem habet Rex ordinandi mundum juxta id, quod præsens hora postulat*. Deducamus rem (9) verbi gratia per aliquot exempla. *Deut.* 21. 23. (10) prohibitum erat relinquere cadaver suspensi per noctem in patibulo: additis rationibus binis, primo quia suspensus *Deo* execrabilis sit, secundo ne terra hoc spectaculo contaminetur, quorum illud R. Sal. Jarchi post Uzielidem de imagine *Dei* accipit, ei contumeliosum fore, si quis ita pendens relinquatur; perinde ut mundano Domino non sit honorificum, si vel effigies sua, vel alius facie sibi similis suspendatur: hoc vero R. Aben Ezra in honorem terræ sanctæ sancitum putat הנה גבעון יוכיח כי משפט לא תלין איננו לכבוד המת רק לכבוד הארץ כי משפט הערלים איננו שוה: *Historia Gibeon* (Jos. 10. 26.) *arguit quod statutum de non pernoctando neutiquam in honorem strangulati conditum sit, sed in honorem terræ potius & ut jura præputiatorum ab Israeliticis differrent*. Itaque sepulti fuerunt regulariter eadem die ante solis occubitum, non modo ipsi facinorosi, sed etiam una cum illis omnia supplicii hujus instrumenta. (11) Hal. Sanhedr. *cap.* 15. *med.* מצות עשה לתלות את המגדף ועובד עז׳ ואין האשה נתלית: כיצד אחר שסלקין אותן משקעין את הקורה בארץ ועץ יוצא ממנה ומקיפין שתי ידיו זו לזו ותולהו סמוך לשקיעת החמה ומתירין אותו מיד ואם לו עוברין עליו בלא תעשה ומעות לקבור את כל הרוני בית דין ביום ההריגה ולא הם בלבד אלא כל המלין את מתו עובר עליו הלינו לכבודו להביא לו ארון ותכריכים אינו עובר: אין תולין על אילן המחובר לקרקע אלא על התלוש כדי שלא יהא מחוסר קציצה שהעץ שנתלה עליו נקבר עמו שלא יהא לו זכרון רע ויאמרו זה העץ שנתלה עליו פלוני וכן האבן שנסקל בה והסייף שנהרג בו הנהרג והסודרין שחונקין בהן הכל נקברין (12) בתפישת הנהרג אבל לא בקבר עצמו: *Jussi sumus suspendere blasphemos & idololatras; non tamen fœminas. Quomodo? postquam lapidati erant, infigebatur terræ palus, unde transversa trabs exibat, & colligatis manibus attracti suspendebantur prope solis occasum, moxque rursus dimittebantur, quia nefas est relinquere per noctem. Sepeliuntur autem omnes supplicio affecti, ipsa die supplicii sui: nec ipsi solum tam cito; sed & in genere omnis quicunque mortuum suum sepelire procrastinat, peccat, nisi faciat hoc propter apparatum feretri & involucrorum, in honorem defuncti. Nemo suspenditur ad arborem solo innatam, sed ad avulsam, ne forte parcatur amputationi ejus: quia lignum una cum suspenso sepeliendum est, ne relinquat turpem in mundo memoriam, aut dicatur, ecce de hoc ligno quondam pendebat iste vel ille! Sic & lapis quo aliquis obrutus, gladius quo decapitatus, mappa qua suffocatus: omnia hæc sepeliuntur: in carcere* (12) *tamen occisi, non in ipso sepulchro*. Nihilominus dicunt, licuisse Regi, (13) contra expressam hanc legem, aliquando diutius in patibulo relinquere, quorum exemplis terrendus erat populus, & ab invalescente scelere arcendus. Maym. H. Mel. *eod. fin. cap.* 3. ex Talm. Jeruschalmi: תולה ומניחן תלויין ימים רבים להטיל אימה ולשבר יד רשעי העולם: *Suspendit & relinquit suspensos diebus multis, ut incutiat terrorem & frangat malitiam improborum in seculo*. Aliud exemplum. Mos erat ne duo facinorosi (14) simul una die punirentur; nisi forte in communi delicto simile supplicium essent meriti. Sanh. *c.* 14. *post med.* אין דנין לעולם שנים ביום אחד אלא דנין זה היום והשני למחר היו שניהם בעבירה אחרת ומיתה אחת כגון נואף עם נואפת דנין שניהם ביום אחר: אבל אם היה הנואף בועל בת כהן הואיל והוא בחנק והיא בשריפה אין הורגין שניהן ביום אחד: *Nunquam condemnant plures una die, sed*

unum

unum hodie alterum cras: niſi ambo rei ſint ejuſdem tranſgreſſionis, & meruerint unam mortem, v. g. adulterum cum adultera judicant ſimul. At ſi quis adulter vitiarit filiam ſacerdotis, quoniam ille ſuffocationem, hæc vero combuſtionem meretur, ſumunt ſupplicia diebus diverſis. Quod igitur una cum innocente *Chriſto* ſalvatore, latrones duos crucifixerunt *Marc.* 15. 27. feciſſe putandum eſt, aut quia ἐν αὐτῷ κρίματι fuerunt habiti *Luc.* 23. 40. aut (quod mihi veriſimilius videtur,) quia pridem cum poteſtate Synedrii hæc quoque conſuetudo fuit ſublata. Eod. cap. *circ. fin.* ארבעים שנה קודם חרבן בית שני בטלו דיני נפשות מישראל אף על פי שהיה המקדש קיים מפני שגלו הסנהדרין ולא היו שם במקומן במקדש: וכשנתקלקלה השורה גלו ממקום למקום ולעשרה מקומות גלו וסופן לטברוא ומשם לא עמד ב״ד גדול עד עתה וקבלה היא שבטבריא עתידין לחזור תחלה ומשם נעתקין למקדש: *Quadraginta annis* (15) *ante excidium templi poſterioris ablata ſunt judicia capitalia de Iſrael, quamvis ſanctuarium adhuc duraret, quia Synedriales exulabant, nec amplius in loco ſuo congregabantur. Poſteaquam imminuta fuit poteſtas, vagati ſunt de loco in locum, & decies mutarunt ſedes, quarum ultima fuit Tyberias, ultra quam hactenus non habuerunt aliam. Sed Vaticinium extat in Kabala,* quod (in diu ſperata recollectione) *primum conventuri ſint Tyberiade, poſtea inde ad ſanctuarium* (tunc extruendum) *tranferendi.* Hic iterum licuit regi aliquid contra conſuetudinem facere, & in terrorem rebellium plures una die ſimul condemnare. Clauſ. *cap.* 3. *Mel.* מלך הורג רבים ביום אחד *Rex occidit multos eadem die.* Aliud. Ordinarie nemo judicabat unicus, (16) nec ex ore unius teſtis, ſed audiebat vota plurium collegarum, & damnabat reum binis (ut minimum) atteſtantibus. Maym. Hal. Sanhed. *cap.* 2. §. 15. מצות חכמים הוא שמושיב עמו אחרים שהרי אמרו אל תהי דן יחידי שאין דן יחיד אלא אחד: *Præceptio ſapientum eſt, ut aſſumat ſibi alios. Dicunt enim:* (17) *noli judicare ſolus, quia unus eſt,* (nempe *Deus* in cœlo,) *qui judicat ſolus* (ſine aſſeſſoribus.) Nec etiam admittebant propriæ turpitudinis allegationem pro teſtimonio, ne quis forte phreneticus innocenti ſibi noceret. Ead. Hal. *fin. cap.* 18. אין ממיתין ולא מלקין המודה בעבירה שמא נפטרה דעתו בדבר זה שמא מן העלמין מרי נפש הוא המחכים למות שתוקעין החרבות בבטנם ומשליכין עצמן מעל הגגות שמא כך זה יבא ויאמר דבר שלא עשה כדי שיהרג: *Non interficiunt, imo ne verberant quidem eum, qui ultro confitetur tranſgreſſionem; ne forte abrepti ſint ſenſus ejus, aut melancholicus quiſpiam callide occaſiones moriendi excogitet: quemadmodum aliqui gladios ſibi adigunt in ventrem, vel præcipitant ſemetipſos de tectis: ſic iſte talis de ſe mentitus, captet forte anſam pereundi.* Rex tamen & hic iterum ſingulari prærogativa majeſtatis, de plano procedere, ſine collegis judicare, uno teſte, imo propria confeſſione reum damnare potuit. Ibid. §. *præced.* גזירת הכתוב היא שאין ממיתין ב״ד ולא מלקין את האדם בהודאת פיו אלא על פי שנים עדים: וזה שהרג יהושע עכן ודוד לגר עמלקי בהודאת פיהם הוראת שעה היתה או דין מלכות היה: *Scriptura decernit, ne judices quempiam damnent ſuamet ſignificatione, ſed ex ore duorum teſtium. Achan ergo, quem Joſua* (cap. 7. v. 21.) *& proſelytus Amalekita* (2. Sam. c. 1. 10.) *quem David ex proprii oris indicatione interfecerunt, extraordinaria ſunt exempla, & proceſſus Regii.* Hal. Melachim *fin. cap.* 3. כל ההורגין נפשות שלא בראיה ברורה או בלא התראה אפילו בעד אחד או שונא שהרג בשגגה יש למלך רשות להרגו: *Homicidas etiam ſine demonſtratione manifeſta, vel proteſtatione prævia, imo teſte unico, & quamvis inſidiator per errorem interfecerit, viciſſim interficiendi Rex poteſtatem habet.* Aliud. Regulariter nemo judicabat in propria cauſa: vel ſi quis juris ſui fiducia, præſertim quando poriculum e mora metuitur, ipſe ſibi ſuum ab adverſario vendicaret, tenebatur tamen id poſtea coram judicio comprobare, legitima lite cum illo experiri & aliorum ſententias expectare. H. Sanhedr. *cap.* 2. §. 16. יש לאדם לעשות דין לעצמו אם יש בידו כח הואיל וכדת וכהלכה הוא עושה אינו חייב לטרוח ולבא לבית דין אף על פי שלא היה שם הפסד בנכסיו אילו נתאחר ובא לבית דין לפיכך אם קבל עליו בעל דינו והביאו לבית דין ודרשו ומצאו שעשה כהלכה ודין אמת דן לעצמן אין סותרין את דינו: *Poteſt aliquis ſibi ipſi jus adminiſtrare, ſi vires habeat, modo juxta æquitatem & conſtitutiones id faciat, non opus habet fatigari & ſtatim ad judices currere, quamvis nulla ſit pecuniæ jactura, differt tamen, & poſtea demum aſſumto ſecum reo vadit ad Synedrium: ibi judices inquirunt in factum, & ſi deprehenderint feciſſe juſte, non reſcindunt.* Rex vero etiam in cauſa proprium honorem concernente, jus ſibi dicere potuit, (18) & contemtores ſuæ majeſtatis vel contumaces punire. Hal. Mel. *cap.* 3. §. 11. כל המורד במלך ישראל יש למלך רשות להרגו אפילו גזר על אחד משאר העם

שילך למקום פלוני ולא הלך או שלא יצא מביתו ויצא חייב מיתה ואם רצה להרגו יהרג שנ' כל איש אשר ימרה את פיך וגו' וכן כל המבזה את המלך או המחרפו יש למלך רשות להרגו כשמעי בן גרא: *Quicunque rebellat contra regem Israel, in eum rex potestatem habet interficiendi, etiamsi* (leve præceptum fuerit, v. g.) *mandaverit cuidam e plebe, ut abiret in locum hunc vel illum, is vero non abiverit; aut probibuerit ne domo egrederetur, is vero egressus fuerit. Hi mortis rei sunt ut si modo rex velit* (nec clementiam juri suo præferre malit,) *eos occidere possit, sicut dicitur* (Jos. 1. 18.) *quicunque rebellaverit ori tuo, nec obediverit cunctis jussionibus tuis, interficiatur. Sic etiam, qui contemnit regem, aut pudefecit eum; exemplo Simei filii Gera*, (2. Sam. 16. 6. & 1. Reg. 2. 42.) Summa, si quis nil aliud deliquisset, poterat eum sola contumaciæ culpa punire, atque crescentis inobedientiæ pœnas, in terrorem aliorum exasperare: quod tantum de regis Jure dictum, neutiquam factis Tyrannorum patrocinatur; sed inculcatur simul anxie, ne hac potestate abusi, sanguinem humanum temere fundant. Quod Maymonides præclare ut omnia, complexus est in examine testium H. Sanhedr. *c.* 12. §. 3. hisce verbis: הוו יודעים שלא כדיני ממונות דיני נפשות דיני ממונות אדם נותן ממונו ומתכפר לו דיני נפשות דמו ודם זרעו תלויין בו עד סוף כל העולם שהרי בקין נאמר קול דמי אחיך צועקים דמו ודם זרעו נברא אדם יחידי בעולם וכל המאבד נפש אחת מעולם מעלה עליו כאילו אבד עולם מלא הרי כל באי עולם בצורת אדם הראשון הם נבראים ואין פני כל אחד מהם דומיה לפני חברו שמא תאמרו מה לנו ולצרה זו לחוב ברמו: *Scitote, quod mulctæ pecuniariæ a capitalibus judiciis multum differant. Ibi homo expendit tantum facultates suas, ut absolvatur, hic vero cruorem suum, a quo tota ipsius posteritas dependet, usque ad finem seculi. Ea propter dicitur in historia Caini* (Gen. 4. 10. plurali numero) *Sanguines fratris tui clamant, hoc est cum ipsius sanguine sanguis quoque filiorum ejus*, (quorum generationes hoc homicidio intercepisti.) *Initio creavit Deus* (non totos populos simul, sed) *unicum hominem in mundo, qui ergo unum vita privat, ei reputatur ac si totam gentem interemisset*, (quippe quæ inde potuisset enasci.) *Ecce quotquot in hunc mundum procreamur, habemus cum Adamo primo communem formam omnes, licet vultibus infinitis modis differamus, fit hoc, ne quis forte dicat: quid mihi cum alio & afflictione illius? quid ad me sanguis ejus?* (cujus tamen inter omnes homines tanta est communio.) Itaque non opinor probatum iri factum Principis Synedrii, qui tantum ut exemplum statueret, (19) plurimas mulieres una die sine legitimo processu damnavit. De quo idem Maym. *cap.* 24. §. 9. יש לבית דין להלקות מי שאינו מחוייב מלקות ולהרוג מי שאינו מחוייב מיתה ולא לעבור על דברי תורה אלא לעשות סייג לתורה וכיון שרואים בית דין שפרצו העם בדבר יש להם לגדור ולחזק הדבר כפי מה שיראה להם הכל הוראת שעה לא שיקבע הלכה לדורות: מעשה ומלקו אדם שבעל אשתו תחת אילן ומעשה באחד מרכב על הסוס בשבת בימי יוונים והביאוהו לב"ד וסלקוהו: ומעשה ותלה שמעון בן שטח שמנים נשים ביום אחד באשקלון ולא היו שם כל דרכי הדרשיות והחקירה והתראה ולא בעדות ברורה אלא הוראת שעה: *Licet judicibus verberare, qui non meritus est verbera, & occidere, qui mortis non reus est. Nequaquam ut* (pro lubitu) *transgrediantur legem, sed ut faciant Sepem legis*, (h. e. crescentibus delictis pœnas exasperent,) *si vident invalescere plebem in quodam* (delicto,) *possunt sepire & cobercere, prout videbitur: sed omnia tantum ad tempus, non ut consuetudo fiat in præjudicium. Exemplum: verberarunt virum, qui jungebatur uxori sub arbore. Aliud: Eum, qui Sabbatho equitabat in Sublatho tempore Græcorum* (20) *lapidarunt. Aliud: Simeon filius Schætach suspendit octoginta fœminas una die in Askalon, quamvis non præcesserat plenaria inquisitio, nec omnes solennitates judiciorum. Sed in temporarium* (21) *erat.*

Revertor ad Regem, cujus potestas non absoluta erat, sed varie limitata: unde hoc jus vitæ & necis *certa* tantum *moderatione* habuisse, supra in Theoremate diximus. Præterquam enim quod graviora cum Synedrio communicare debuit (ut infra *Theor.* XVI. sequetur) etiam hic non quovis genere mortis punire potuit, sed solo gladio (22) delinquentes plectere. Maym. H. Melach. *c.* 3. §. 12. אין למלך רשות להרוג אלא בסייף בלבד ויש לו לאסור ולהכות בשוטים לכבודו אבל לא יפקיר ממון ואם הפקיר הרי זה גזל: *Interficiendi potestatem Rex non habet nisi gladio tantum: licet tamen ei ligare & percutere scutica, ob honorem suum; at neminis opes publicare*, (23) *nam si publicaret, audiret Raptor*. Et Hal. Sanh. *c.* 15. §. *penult.* nominantur ambo facinora, (24) ob quæ sola quis capite plectebatur: הנהרגים שנים הרוצח והנרחת: *occidendi* (scil. gladio) *bini sunt; homicidæ, &* (urbs) *excommunicata.*

cata. (25) Alias præter hanc decollationem, quæ regum propria erat, *ibid*. §. 6. (26) Synedrium habebat tria suppliciorum genera, (27) Strangulationem, Combustionem, atque Lapidationem; quæ hic obiter recensebo ex *cap*. quoniam paradoxa sunt, & multo aliter comparata, quam vulgo putatur. Strangulandi (28) olim non suspendebantur, ut nobiscum fures de patibulo, (nisi quis simul Blasphemus aut Idololatra extitisset, quo casu post aliud supplicium modo in sublime attractus fuit) sed fimeto ad genua usque insistentes, mappa suffocabantur. מצות הנחנקין §. 7. משקעין את המחוייב בזבל עד ארכובותיו ונותנין סודר קשה לתוך הרך וכורכין על צוארו ושני עידיו זה מושך אצלו וזה מושך אצלו עד שתצא נפשו: *Ritus strangulandi: immergebant reum stercori usque ad poplites suos, & indebant sudarium durius medio tenerioris, atque circumvolvebant collo ejus; tunc attrahebant id ambo testes, quilibet ad se, donec excluderent animam*. Comburendi (29) non in succenso rogo cremabantur, ut veneficæ nobiscum, sed liquefacto metallo in os infuso necabantur, etiam in fœtida palude. §. 1. מצות הנשרפין היו משקעין אותו בזבל עד ארכובותיו ונותנים סודר קשה לתוך הרך ופורך על צוארו ושני עדיו זה מושך אצלו וזה מושך אצלו עד שהוא פותח את פיו ומתיכין את הבדיל ואת העופרת וכיוצא בהן והוא זורק לתוך פיו והיא יורדת ושורפת את בני מעיו: *Ritus comburendi: fimo immersum ad genua usque, trahebant hinc inde mappa circa collum convoluta, donec os aperiret. Mox liquefactum stannum vel plumbum, infundebant hianti, ut descendens intestina concremaret*. Lapidandi (30) non multis aut minutis ictibus petiti; sed de ferali colle præcipitati & uno grandi saxo fuerunt obruti: nisi forte hoc ad mortem non suffecerit. §. 1. כיצד מצות הנסקלין רחוק מבית הסקילה ארבע אמות מפשיטין את המחוייב סקילה בגדיו ומכסין ערותו מלפניו ואין האשה נסקלת ערומה אלא בחלוק אחד ובית הסקילה גבוה שתי קומות עולה לשם הוא ועדיו וידיו אסורות ואחד מן העדים דחפו על מתניו מאחוריו והוא נהפך ונופל על לבו לארץ אם מת יצא שהרי נאמר סקול יסקל או ירה יורה הנה השוה הנסקל שנפל את האבן עליו אם הנדחף שנפל הוא בעצמו על הארץ ואם לא מת מרחיפה זו מגביהין העדים אבן שהיתה מונחת שם משא שני בני אדם והעד השני מרפה את ידו ומשליך האבן על לבו אם מת בו יצא ואם לאו רגימתו בכל ישראל שנ׳ יד העדים תהיה בו בראשונה להמיתו ויד כל העם באחרונה: *Quomodo lapidabant? quatuor ulnis ante locum supplicii exuebant damnato vestes, tegebantque turpitudinem ejus ab anteriori parte, at mulierem lapidandam non denudabant nisi parte modica. Porro supplicii locus altus erat staturas hominum binas, illuc ascendebat ipse una cum suis testibus, habens manus* (antrorsum) *ligatas. Unus testium impellebat ipsum circa lumbos, retro, ut conversus decideret ad terram super cor suum: si inde moreretur, peractum erat, quia dicitur* (Exod. 19. v. 13.) *lapidando lapidabitur, aut projiciendo præcipitabit. en! æquiparatur lapidatus, quem saxum oppressit, præcipitato qui seipsum terræ allisit*. (*) Tandem etiam pietatis ratione sic limitata fuit Regum potestas, ut subditi obedire non nisi ad aras usque (31) tenerentur: hoc est, si quid contra legem aut conscientiam jussi essent, ad parendum non obligarentur. Quod pulchre congruit cum illo Petri, (32) *Act*. 5. 29. *Deo* magis obtemperandum esse quam hominibus: & Rabini etiam latius, ad res minoris momenti extendunt. H. Mel. *c*. 3. §. 13. המבטל גזירת המלך בשביל שנתעסק במצות אפילו במצוה קלה הרי פטור דברי הרב ודברי העבד דברי הרב קודמין ואין צריך לומר אם גזר המלך לבטל מצוה שאין שומעין לו זה: *Qui negligit decretum regis propterea quod occupatur in lege, quamvis præceptum vile sit; ecce is immunis est! ubi enim jussa Domini & servi concurrunt, oportet illa prius exequi. Dicere nil opus est, si quid contra legem decerneret: tunc enim prorsus non paretur*. Memorabile hujus rei exemplum contigit sub Johanne Hyrkano f. Simeonis, Pontifice simul & Rege, qui odio Pharisæorum factus erat Sadducæus (33) & Judæos ad eandem sectam cogere nitebatur; sed ipsi mille mortes oppetere malebant, quam a suorum traditionibus vel hilum discedere. Joseph. *l*. 13. *antiq*. *c*. 18. & inde abbreviator Josippus *mihi pag*. 45. צוה המלך ויעבירו קול בכל מדינות מלכותו לנהוג מנהג צדוק וביתוס וכל איש אשר ימרה את פיהם יומת בחרב והוא יוחנן כהן גדול ששמש בכהונה גדולה מ׳ שנה ולבסוף נעשה צדוקי אבל לא שמעו ישראל מצות המלך והיו נוהגים מנהג החכמים בסתר והמלך מבקש עליהם וכל מי שנגלה הורג אותו והפיל עם רב מישראל: *Præceperat rex & promulgaverat publica voce per omnes provincias regni sui, ut reciperent dogma Zadok & Baithos* (hæresiarcharum, qui ex male intellecto apophthegmate præceptoris sui Antigoni (34) Sochæi abnegarunt præmia pietatis; & consequenter providentiam *Dei*, animæ immortalitatem, angelos, æternamque vitam) *addens comminationem mortis, si*

quis

quis obsequi recusaret. Hocque jussit Johannes ille, qui summum sacerdotium per annos 40. obtinens, sub finem ætatis factus erat Sadducæus. At illi non obedientes regi perseverabant in placitis sapientum, occulte tamen. Rex igitur inquisitione habita quoscunque rescivit, occidit, & sic stravit grandem populum de Israel. R. David Ganas *in suo Zemach* nominat imprudentem quondam virum, qui totum hoc causatus fuerit, & suis intempestivis exprobrationibus regem, inter convivandum irritarit; dignam suo zelo mercedem consecutus, *part.* 1. *fol.* 32. *b.* המלך החריב את מקדש הצדוקים והכותיים שעשו בהר גריזים ברשיון אלכסנדר' מוקדון ובשובו בשלום עשה משתה לחכמים והיה ביניהם כסיל ושוטה שמו אליעזר בן פיערא הוא אומר למלך די לך כתר מלכות כי כתר כהונה לזרעו של אהרון והיו לוחשין שהמלך היה חלל שאמו היתה נשבית בהר המוריעית ויקצוף המלך מאד ויהרוג מהפירושים עם רב ואת הכסיל אליעזר שרף באש: *Rex demolitus erat fanum Sadducæorum & Samaritanorum, quod permissu Alexandri Macedonis extruxerant in monte Garizim. Reversus ergo cum pace fecerat convivium sapientibus; inter quos unus aderat insipiens, cujus nomen Eliezer filius Peora, is dicebat regi: sufficiat tibi corona regni. Nam corona Pontificatus debetur semini Aaron. Mussitabant quoque regem esse illegitimum, quippe cujus mater olim capta fuerit in monte Modiit.* (35) *Accensus igitur ira interfecit Pharisæorum plurimos, & insipientem Eleazarum flammis combussit.*

N O T Æ

In Theorema decimumquartum.

(1) Administratio Justitiæ. De hac, quatenus in genere Judicibus exercenda, ex instituto agit R. Majemonides in Hal. Senhedr. *toto cap. XXI. fol. CCXLIV. col.* 1. *&* 2. ubi præceptum affirmativum, לשפוט השופט *de judicio judicis cum justitia administrando*, quod fundatur *Lev. XIX.* 15. exponit. Eam sic initio generatim definit: אי זהו צדק המשפט זו השוית שני בעלי דינין בכל דבר לא יהא אחד מדבר על צרכיו ואחר אומר לו קצר דבריך ולא יסביר פנים לאחד וידבר לו רכות וירע פניו לאחר וידבר לו קשות: *Quænam est illa justitiæ administratio? est paritas duarum partium litigantium, ne uni facultas detur exponendi prolixe omnem necessitatem suam*, (vide hic convenientiam Hebraismi & Germanismi כל צרכו seine gantze Nothdurfft /) *alteri vero dicatur: abrumpe verba tua. Neque uni ostendatur vultus benignus additis verbis blandis, alteri vero torva & austera facies cum alloquio duro.* Speciatim deinde per partes alia subjungit, quæ ad illam paritatis observantiam pertineant, e quibus saltem illud non omittere visum est, quod ad illustrandum locum *Jacob. II.* 2. 3. 4. nonnihil confert. §. *II. & III.* שני בעלי דינין שהיה אחד מהם מלובש בגדים יקרים והשני מלובש בגדים בזויים אומר למכובד או הלבישהו כמותך עד שתדון עמו או לבוש כמותו עד שתהיו שוין ואחר כך תעמדו בדין: לא יהיה אחד יושב ואחד עומד אלא שניהם עומדים ואם רצו בית דין להושיב את שניהם מושיבין ולא ישב אחד למעלה ואחד למטה אלא זה בצד זה: *Si duo litigantes compareant, quorum alter vestibus pretiosis indutus, alter vero pannosus & male vestitus est, dicatur honoratiori: aut indue huic vestem, qualem tu geris, dum judicandus es cum ipso, aut tibimetipsi talem indue, quali ille est amictus, usque dum pares sitis, atque postea demum comparebitis coram judicio. Nequaquam unus sedeat, & alter stet; sed ambo stare jubeantur: quod si vero placuerit judicibus, concedere utrique ut sedeant, possunt hoc quidem pro lubitu, sic tamen, ne unus superiori, alter inferiori loco sedeat, sed uterque pari, unus penes alterum.*

(2) Pulchrum. Huc dictum Hebræorum in Drusii *Apophthegm. num.* CLXVIII. צדק המלך המועיל לעם יותר משובע הזמן: *Justitia Regis plus prodest populo, quam ubertas anni.*

(3) Felicius procederet. Quam necessarii sint Regi & Judici ad feliciorem justitiæ administrationem isti Censores & executores pulcherrime ex Medrasch ostendit R. Bechai *in biur al hattorah fol.* CCXXI. *col.* 4. *fin.* שפטים ושטרים שניהם צריכין זה לזה אם אין שופט אין שוטר אם אין שוטר אין שופט אלמלא אימתו של יואב לא היה יכול דוד ע"ה לעשות הדינין שנ' ויהי דוד עושה משפט וצדקה לכל עמו ויואב בן צרויה על הצבא כי דוד ויואב שפטים באחד כל מי שאינו שומע לדיין מוסרין אותו ביד יואב ומוציא ממנו בעל כרחו: *Judices & Executores sibi ambo invicem necessarii sunt. Quod si nullus Judex esset, nullus etiam esset Executor; & vicissim, si nullus Executor esset, nullus esset Judex. Absque terrore Joabi si fuisset, non potuisset Rex David judicium exercere. Hinc cum* 2. Sam. VIII. 15. *David laudatur, quod justitiam recte administrarit omni populo, statim additur v.* 16. *Joab autem filius Zerujah erat Dux exercitus: David quippe & Joabus simul judicium exercebant. Quisquis Judici non obtemperabat, is opera Joabi vel invitus adigebatur.*

(4) Schoterim. Omnes, quos vidimus, cum Judæi, tum Christiani interpretes hos, quos scriptura שוטרים *Schoterim* nominat, Judicibus inferiores statuunt, eo gradu & officio, quod ex Majemonide hic Schikardus noster optime describit, quocum eadem plane tradit R. Moses Kozensis: שופטים הם הדיינים הפסקים את הדין ושוטרין הם הרודים את העם מצותם במקל ורצועה: Scophetim *sunt judices decernentes judicium; at* Schotherim *sunt observatores populi, animadvertentes in eum, ex illorum præscripto, baculo & loro.* Ita nuperrimus scriptor Rab. Jacob. Abendana *en leket Schecha ad Michlal Jophi fol.* XXXIX. *colon.* 2. שופטים אלו הדיינים ושוטרים אלו הרודים בעם שיש להם מקל ורצועה להביאם לבית דין ולכוף אותם להנהיגם על פי המשפט אשר יאמרו השופטים: Schophetim *sunt Judices, sed* Schoterim *exactores populi, qui baculum & lorum gerunt, quibus reos ad locum judicii citant & cogunt, eosque tenore judicii gubernant, prout decreverint Judices.* Audiemus & R. Abarbanelem, cui inter Textuales palma merito debetur, *Comm. in Leg. fol.* CCCLXIV. *col.* 4. השופטים הם הדיינים הפוסקים את הדינים אם בדיני נפשות בית דין של כ"ג ואם בדיני ממונות בית דין של שלשה א"ו שלשה שופטים בלבד בעיירות הקטנות כמו שזכרתי: והשוטרים הם

הם הרודים בעם העושים במלאכה להכריח אדם האנשים שיקיימו המשפט הפסוק מהשופטים: Schophetim *ſunt Judices, qui cauſas decidunt, ſive in judiciis capitalibus, Synedrio puta viginti triumvirali, ſive in judiciis pecuniariis ſynedrii triumviralis, ſive denique ſint tres illi Judices tantum, quos diximus parvis civitatibus conſtituendos.* Schoterim *autem ſunt exactores populi, quorum functio in hoc conſiſtat, ut cogant homines ad obſervantiam decreti conſtituti a Judicibus.* Atque ita Rabbini cæteri, Raſchi, Aben-Eſra, aliique pro judicum miniſtris & judiciorum ſolennium executoribus habent, unde & ſcriptores inter illos Hebræo-Germanici ביי״טיל Beittel ſive Bittel / i. e. *Bedellos* ſive *lictores*, vertunt. Conſentiunt e Chriſtianorum Philologis Paul. Fagius *not. ad Tangum. Num. XI. 16. & Deut. l. 15. XVI.* 18. Seb. Munſterus *ad Deut. XVI. fol.* 375. Nic. Fullerus *lib. III. Miſcell. Sacr. c. XIX. toto p.* 378. *ſeqq.* Jo. Seldenus *lib. I. de Synedr. Vett. Hebr. c. XV. p.* 621. Conſt. L'Empereur *Not. ad Bertram. de Reb. Hebr. p.* 362. *ſeq.* Jo. Coccejus *not. ad Miſchn. Sanh. c. I.* 16. 17. Hug. Grotius *Annot. ad Joſ. VIII.* 33. Jo. Ligthfoot *Hor. Hebr. in Matth. V.* 25. *p.* 91. (ubi illa Chriſti illuſtrat: καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ i. e. לשוטר nam & Joſephus *lib. IV. Antiq. Jud. c. VIII.* hos שוטרים ὑπηρέτας *officiales* vocat.) Dan. Feſſelius *lib. I. Adverſat. ſacr. c. I. §.* 9. *p.* 12. *ſeqq.* Jac. Altingius *lib. I. Schilo. c.* 22. *p.* 87. & qui præ cæteris nominandus erat, Dn. D. Mart. Geierus, is enim *Comm. in Prov. VI.* 7. *p.* 273. id ex inductione locorum Biblicorum ſuo more, hoc eſt accurate probat, excutiens loca *Deut. I.* 15. ubi poſt conſtitutos in quavis tribu chiliarchas & centuriones & præfectos quinquagenis & decuriones, tandem quoque ſubjiciuntur שטרים *præfecti*, quorum muneris fuit, indicare tempus modumque profectionis *Joſ. I.* 11. *III.* 2. ſegregare ab exercitu timidos *Deut. XX.* 5. 8. 9. qualis in recenſione exercitus moderator erat Maaſejahu, etiam a Schikardo noſtro hic memorata 2. *Paral. XXVI.* 11. Cum in Ægypto adhuc ſerviret populus, appellabantur ita inſpectores ſeu præfecti laborum ab exactoribus Ægyptiacis conſtituti *Exod. V.* 6. 14. *ſqq.* In terra vero Canaan adjungi eos videmus Judicibus & Senibus *Deut. XVI.* 18. *XXIX.* 20. *XXXI.* 28. *&c.* imo inter Levitas etiam hoc muneris genus 1. *Paral. XXIII.* 4. *Paral. XXIV.* 13. E quorum exemplorum conſideratione laudatus ſcripturæ Interpres veriſſime infert, *inferiorem huic nomini incluſam eſſe poteſtatem, quæ dependeat fere tota a mandato ſuperiorum.* Adeoque fruſtra ſeſe communi fere Hebræorum & Chriſtianorum expoſitioni appoſuit Anthon. Cregutus *in Revel. arcanor. c. XXVI. p.* 896. 897. ut obtineret, Schoterim & Schophetim eoſdem eſſe. Nec intelligimus, quid ſibi velit Bonaventura Cornel. Bertramus, dum *libello de Republ. Jud. c. V. p.* 50. hos שוטרים *Schoterim* non modo inter Seniores illos, quos Moſes in Ægypto adire a Domino jubebatur, numerat, ſed & rerum judicandarum peritiores & conſultiores reliquis Senioribus fuiſſe ſcribit, & tamen ſimul earundem judicatarum executores nominat. Ipſe Conſtantinus L'Empereur, liberaliſſimus ejus encomiaſtes, adeo ut *in præf. ad Gerh. ab Ærnhem*, neminem dari potuiſſe magis idoneum judicaret, qui e ſacris literis & Hebræorum ſcriptis de republica Judaica ſcriberet, non modo huic ejus in aſſerto *in annotat. p.* 362. contradicit, *Schoterim*, inquiens, *judicaſſe, vix credo; ſed judicata mandaſſe executioni & populum ad obſequium coegiſſe*: verum inſuper, cum horum denuo meminiſſet Bertramus *cap. XIII. p.* 159. de ἀνακριβείᾳ ejus conqueritur *in annot. p.* 395. & *paſſim ipſum accuratius inter* זקנים Seniores, שופטים Judices & שוטרים officiales *diſtinguere* deſiderat. Certe enim non ad שוטרים *Officiales*, ſed זקנים *Seniores* ablegabantur a *Deo* Moſes & Aaron.

(5) Cuſtodes Urbium. Arabice vulgo قاضي Cadi, vel cum articulo ال *Alcadi*.

(6) Ραβδοῦχον. Ipſi Judæi Græcienſes iſto ſenſu voce hac utuntur, ſcribuntque רבדוטרוש ῥαβδατόρος pro ῥαβδοῦχος, teſte Seldeno *l. 1. de Synedr. c. XV. p.* 621.

(7) De Salomonis eburneo & inaurato tribunali. Quæ hic ex Zenorenna (*mihi fol. CXIX. colon.* 1.) afferuntur, depromta ſunt ex Rabboth *fol. CCXVI. c.* 2. 3. & R. Bechai *in Legem f. CCXXII. col.* 1. unde ea plenius recenſent Buxtorf. in *Lex. Talm. fol.* 2361. & Seldenus *lib. II. de Synedr. c. XIV. p.* 584. Cæterum extare inter Hebræos integrum libellum de throno Salomonis, teſtatur Gilb. Gaulmynius *lib. II. Notar. de vita & Morte Moſis c. IX. p.* 339. quem ſe latinum feciſſe ait; dubito tamen, an in lucem ediderit unquam. Eædem ſine dubio in eo fabulæ, qualis hæc ab Auctore memorata eſt, & cujus generis plures, miras profecto & ex parte ridiculas commemorat Targum Eſtheræ poſterius *ad Cap. I.* 2. quas vide ſis in Franciſci Taileri *editione p.* 43. *ſeqq.* Prolixum enim nimis foret, referre omnia, quæ de animalibus, bove, leone, aquila, fele, gallo gallinaceo & aliis mira arte ex auro ſic præparatis, ut aſcendentem per ſcalas Salomonem exciperent inque ſolium collocarent, advenientes vero coram hoc throno teſtimonium dicturos ſua quodlibet voce edita ad veritatis confeſſionem compellerent; de candelabro aureo ſeptem culmis conſpicuo cum ornamentis ſuis, itemque lucernis & ſphærulis, ac mundatoriis, atque thuribalis, ſcyphiſque & liliis in ſuperiori ejus parte conſiſtente; de figuris hinc ſeptem patriarcharum Adomi, Noæ, Semi, Abrahæ, Iſaaci, Jacobi, & Jubi, illinc ſeptem ſæculi Sanctorum, Levi, Cahathi, Amrami, Moſis, Aaronis, Eldadi & Medadi (quos junctim pro uno numerant) & Hur Prophetæ, candelabrum utrinque exornantibus: de figuris Eli Sacerdotis & filiorum ejus Hophni ac Phinees, item filiorum Aaronis Nadab & Abihu, circa vas aureum oleo ad alendam lucernam neceſſario plenum, formatis: de variis machinis, quibus cum ipſum ſolium, tum ejus animalia movebantur: de Nebucadnezare & Alexandro Magno a leone aureo in infima ſcala recubante percuſſis, ut claudi fierent uterque, ille quidem, cum in Babiloniam, hic cum in Æghyptum thronus hic præda abductus eſſet, & admirabundi ipſum adſcendere auderent: de Epiphane Antiocham omnes totius mundi artifices convocante, ut pedem ſolii cum catena aurea fractum reſtaurarent, ſed fruſtra: de Cyro Perſarum Rege ſua in Judæos & Sanctuarium clementia obtinente, ut in hoc ſolio ſolus ex omnibus Gentium Regibus ſederet: deque multis id genus aliis fabulantur. Hinc non mirum כסא שלמה *thronum Salomoneum* cum כסא ה׳ *throno divino* conferri, quam comparationem proſequitur R. Bechai *in Legem fol. III. col.* 2. Alias de eo ex Chriſtianis poſt Commentatores ad 1. *Reg. X.* 18. & 2. *Paral. IX.* 17. multis egit Jo. de Pineda *lib. VI. de Reb. Salom. c. VII. VIII. fol.* 581. *ſeqq.* atque ad ejus imitationem Conſtantinum Leonis Imperatoris filium, ſuum thronum inauratis leonibus ſingulari artificio horrendum mugientibus terrificum, quique arcanis trochleis una cum Imperatore derepente in cœlum attolleretur, præparaſſe, ex Luidprando Epiſcopo Cremonenſi *lib. VI. de Rep. Imp. & Regum in Europa geſtis c. II.* refert Henr. Engelgravius *part. II. Luc. Evang. Embl. XXXVII. p.* 600. qui & ipſe ſuccinctam throni Salomonei deſcriptionem habet *ibid. Emblem. XL. p.* 659.

(8) Illi. Philippo nempe. Is uni ex aulicis pueris id muneris injunxit, ut iſta verba quotidie ad ſolis exortum in cubiculum ingreſſus ſibi accineret. Cælius Rhodigin. *lib. X. Lect. antiq. c. L. XXIII. fol.* 550.

(9) Deducamus rem. Doctiſſime hæc deducta laudat Seldenus *lib. II. de Synedr. Hebr. c. XIV. p.* 583. cum ad eandem materiam delatus: *Ampliſſima*, inquit, *Imperii & juriſdictionis apud eos Regiæ capita alia tam circa res pacis, quam belli exhibet fuſius Guilielmus Schickardus in* משפט המלך *ſeu Jure Regio Hebræorum, unde quæ doctiſſime tradidit ille, nobis compilare religio eſt.*

(10) Deut. XXI. 23. Lex hæc de non relinquendo cadavere facinoroſi in cruce aut patibulo, ſatis quidem clara eſt; ſed peperit tamen quæſtiones ab interpretibus agitatas, quarum non poſtrema eſt: An inter Hebræorum ſupplicia numerandum ſit crucis aut-

aut patibuli? cum hic expreſſa fiat mentio ſuſpenſionis de ligno quo loco inducti quæſtionem affirmare nulli dubitant Cæſar Baronius *in Annal. ad ann. XXXIV. num.* 92. Carolus Sigonius *lib. VI. de Republ. Hebr. c. VIII.* Juſtus Lipſius *lib. I. de Cruce c. XI.* Jacob. Gretſerus *lib. I. de Cruce c. XIX.* Jo. Steph. Menochius *lib. VIII. de Republ. Hebr. c. II. q. III* Philipp. Carolus Apoſtata, aliique. Negant vero Caſaubonus *in Exercitat. Anti-Baronian. Exercit. XVI.* §. *LXXVII.* Bonfrerius *Comm. in Deuteron. XXI.* Joſephus Scaliger &c. Atque hi longe rectius, ut paulo poſt obſervabitur. Altera difficultas eſt circa legis rationem, quam alii aliter comminiſcuntur. Illud fabulam putidiſſimam olet, & a prudentioribus Rabbinorum negligitur, vix recenſeri dignum, quod quidam Darſchanim ad deliniendos plebejorum animos finxerunt, quaſi ante cadaveris ſuſpenſi ſepulturam, anima ad quietem ſuam venire nequeat, neque poſſit ab angelis duci in *Dei* thalamum, ſed interim a turmis dæmonum vexetur & affligatur: quam fabulam ipſorummet Judæorum verbis narrat Munſterus *ad Deut. XXI. fol.* 384. Ac neſcio annon huc digitum intendat R. Bechai, dum *Com. in Leg. fol. CCXXVI. col.* 3. cauſas legis expoſiturus iſtam quaſi occupationem præmittit: ונ״ל כי כיון שחטאו של אדם גרם שלא היתה לו לינה בגן עדן הוא שכתוב אדם ביקר בל ילין היה ראוי שהתורה לא תחוש על לינתו אלא ילין ויתבזה אבל התורה והמצות מיוסדים על ארני החכמה והטעם מפורש בכתוב קללת אלהים תלוי: *Dici equidem poſſet, quod, cum peccatum in cauſa ſit, ne reus in Paradiſo pernoctet, juxta illud* Pſal. XLIX. 13. *homo in honore non pernoctabit; Legem non decuiſſet ſic moras pernoctationis ejus præcipitare, ſed mandare potius, ut ad majorem ignominiam in ligno relinquatur; Enimvero lex & præcepta baſibus ſapientiæ innituntur, ipſaque ejus ratio in illis ſcripturæ verbis redditur: maledictio* Dei *eſt ſuſpenſus*. Nihilo ſolidius eſt, quod cum Cajetano Cornelius a Lapide *ad eum loc. f.* 1045. ſcribit, quem turmatim ſequuntur alii, voluiſſe *Deum*, maxime facinoroſos, (quorum pœna erat ſuſpendium) omnino deleri de terra, adeo ut nec eorum cadavera ſupereſſent, in pœnam, ut fieri ſoleat in illis, qui flammis traduntur. Atqui poſt lapidationem demum mortui ſuſpendebantur ad majorem ignominiam, ut gratiæ potius, quam pœnæ rationem habeat maturata ſepultura: & ſi hæc ratio valeret, ſequeretur graviora fuiſſe delicta eorum, & durius mortis genus perpeſſos, qui poſt lapidationem non ſuſpendebantur, ſed ſtatim mandabantur terræ; quod tamen falſum. Non ergo augendæ, ſed minuendæ aut abrumpendæ ignominiæ fuit ſepultura, quod in citatis verbis R. Bechai non male animadvertit. Optime igitur R. Abarbanel *Comm. in Leg. fol. CCCLXXIX. col.* 2. plane ſicuti noſter Auctor verbis textus inhærendum eſt ſcribit: נתן בזה ב׳ סבורות הא׳ אמרו כי קללת אלהים תלוי והסבה הב׳ היא היא אמרו ולא תטמא את ארמתך: *allegavit*, inquit, *ſcriptura hujus duas rationes, unam, cum ait, quia maledictio* Dei *eſt ſuſpenſus: alteram, cum dicit, & ne polluas terram tuam*. Verum in utriuſque expoſitione a noſtro diſcedit: imo priorem iſtarum de Dei imagine acceptam etiam falſitatis aperte damnat. Præmittit enim aliorum opiniones interque eas R. Salomonis Jarchi noſtro Auctori probatam, ſed rejicit. Audiamus ipſum: הנה בפירוש הכתוב הזה שאמרה תורה כי קללת אלהים תלוי באו בדברי המפרשים ג׳ דעות: *Ecce*, inquit, *in explicatione loci hujus ſuper his legis verbis*: Quia maledictio Dei eſt ſuſpenſus, *tres apud Interpretes occurrunt ſententiæ*: quænam illæ? הא׳ הוא מה שזכר רש״י ז״ל זלזולו של מלך הוא שהאדם עשוי כדמות דיוקנו וישראל בניו הם כמשל לשני אחים שהיו דומים זה לזה: Prima *eſt, quam commemorat R. Salomo Jarchi b.m. cedere hoc in contemtum Regis ſupremi, ſiquidem homo creatus eſt ad ſimilitudinem imaginis ejus & Iſraelitæ ſunt ejus filii: quod* (Talmudiſtæ illuſtrant) *parabola de duobus fratribus ſibi facie ſimilibus*. והדעת הב׳ הוא מה שאמר בספרי כל הנסקלין נתלין הם דברי יהיד והלכה כחכמים שאין תולין אלא המגדף והעובד עב״ום ופיר׳ כי קללת אלהים תלוי שיאמרו בני אדם מפני מה זה תלוי מפני שבירך הש״י או שעבד עב״ום פלו׳ וזה זלזול גדול לש״י ומזכרת עון ודעת בשם ספרי וגם לא בשם אנקלוס שאמרן: Altera *ſententia eſt in libro Siphre, ubi cum unus ſtatuiſſet, omnes lapidatos ſuſpendendos fuiſſe, obtinet decretum ſapientum, non fuiſſe ſuſpendendum, niſi blaſphemum & idolatram, ſenſumque adeo verborum*: Quia maledictio Dei eſt ſuſpenſus, *hunc eſſe, quæſituros eſſe homines* (ſuſpenſum videntes,) *ob quam cauſam ſuſpenſus ſit? cumque audiverint, blaſphemaſſe* Deum, *& idola coluiſſe, in deſpectum* Dei *hoc cedet, & commemorationem iniquitatis. Quam ſententiam ſimiliter Rab. Abraham, & Rab. Moſes bar Nachman, ac Rab. Levi ben Gerſon producunt, ſed nulla mentione facta ſive libri Siphre, ſive Onkeloſii, qui primum eam tradiderunt*. והדעת הג׳ הוא דעת הרמ״בן הנזכרן אצלו כפי הפשט יאמר שאע״פי שיהיה באיש חטא משפט ומות וגם יבא לתלותו על העץ בגודל חטאו הנה ע״כז לא תלין נבלתו וגו׳ כי הארור מכל האדם והמקולל הוא התלוי שאין בכל המיתות מיתה מנוולת ובזויה כמוה: Tertia *ſententia calculo R. Moſis bar Nachman comprobata eſt, quaſi juxta literam lex diceret: Etiamſi in aliquo fuerit reatus mortis jamque per ſententiam judicis eo pervenerit, ut propter ſceleris adimiſſi magnitudinem ſuſpendatur de ligno: etiamſi, inquam, ita ſit, non tamen relinques noctu cadaver ejus &c. ſiquidem ab omnibus hominibus maledictus & execrabilis eſt ſuſpenſus, cum inter omnia mortis genera nullum turpius aut abominabilius ſit, quam hoc ipſum*. Hanc ſententiarum trigam adeo elumbem æſtimat Abarbanel, ut ne reſponſione quidem aut examine dignam ſibi videri dicat: ועם היות בטענות האלה חולשה רבה איני רוצה לחלוק עליהן ואגיד לבד דעתי: *Quoniam*, inquit, *rationibus iſtis magna ineſt debilitas, nolo adverſum iſtas pluribus agere, ſed meam potius ſententiam ſimpliciter indicabo*. Sciendum tamen in Schikardi noſtri gratiam, quod ea, quæ de imagine *Dei* ex Raſchi primo loco afferuntur, Hebræis communiter arrideant, quibus illa, parabola hac de duobus fratribus, ad quam Raſchi provocat, plauſibiliter tradiderunt Talmudiſtæ. Locus eſt in Gemara Maſſ. Sanhedrin *c. VI. fol. XLVI. col.* 2. תניא אומר רבי מאיר משלו משל למה הדבר דומה לשני אחים תאומים בעי״ר אחת אחד מינוהו מלך ואחד יצא לליסטיות צוה המלך ותלאוהו כל הרואה אותו אומר המלך תלוי צוה המלך והורידוהו: *Traditio eſt, docuiſſe R. Meyerum parabola, cui illa res* de ſuſpenſo in patibulo non relinquendo *ſimilis ſit? duobus* ſcilicet *fratribus geminis in una civitate oriundis, quorum alter Rex ſit conſtitutus, alter vero ad latrocinia exeat. Jubeat hunc Rex ſuſpendi; quilibet eum videns dixerit, Regem ſuſpenſum eſſe. Itaque denuo Rex juſſit, ut eum de patibulo dejicerent*. Eadem tantundem repetit R. Bechai *fol. CCXXVII. col.* 4. R. Simeon *in Jalkut part. I. fol. CCXCI. col.* 3. Zenorenna *fol. CXXI. col.* 2. R. Jacob Aben Chabib *part. II. Beth Iſrael fol. CLXX. col.* 3. atque hinc & Coccejus *in Excerp. Gemar. Sanhedr. p.* 252. ac Raymundus Martini *part. III. Pup. fid. Diſt. III. Cap. XVI.* §. *XXV. f.* 667. Sequuntur e Chriſtianis non tantum noſter Auctor, ſed & ante eum Alphonſ. Toſtatus *Comm. in Deut. XXI.* & poſt Hugo Grotius *lib. II. de J. B. & P. c. XIX.* §. *IV.* Verum rectiſſime huic ſententiæ pridem objecerat R. Abarbanel, cum ſaltem dubium moveret *fol. CCCLXVII. c.* 2. הנה הוא טעם חלוש מאד כי לפי זה היה ראוי שלא יהיה שום אדם נתלה לא יום אחד ולא יומים כי העברה אינה רעה להתמדתה כי אם מפני עשייתה כל זמן שתהיה: *En! ſi quæ alia, hæc admodum debilis eſt ratio. Nam juxta hæc nullus omnino hominum ſuſpendendus eſſet neque uno die, neque biduo: ſiquidem tranſgreſſio non eſt mala per ſui continuationem, ſed propter patrationem omni tempore quo exiſtit*. Quæ ergo tandem mens Abarbanelis? Primam rationem ab ipſa lege additam de קללת אלהים *maledictione* Dei ſic interpretatur *fol. ante citato CCCLXXIX. colon.* 2. ר״ל שהקללה והעונש אשר גזר הש״י על האיש הזה החוטא איננה תמידית ולא לזמן קצוב אבל היא התלייה בלבד וכיון שהוא יתב׳ נסתפק בתלייה לבד ולא גזר שיהיה לזמן רב למה תרבה אתה ותוסיף בענשו בהתמידו על העץ אינו ראוי כי אם שביום התלייה יקבר כיון שכבר נגמר בתלייתו העונש והקללה שהעניש וקללו השם יתברך על חטאו: *Senſus* (verborum קללת אלהים תלוי maledictio *Dei* ſuſpenſus) *hic eſt, quod maledictio & pœna, quam Deus in hu-*

hujusmodi peccatorem ac reum decrevit, neque perpetua esse debeat, neque certi & determinati temporis, sed simpliciter suspensio tantum. Postquam ergo ipse Deus suspensionis pœnam ita suspendit, ut non decerneret longo illam tempore futuram, quare tu prolongabis, & addes pœnæ illius, diutius eum in patibulo relinquendo? Non certe hoc decet; sed quo die suspensus est, eodem etiam sepeliatur, postquam suspensione sua pœnam sustinuit, & maledictionem, qua eum Deus *punivit & maledixit ob facinus commissum*. Alteram de טומאת הארץ *pollutione terræ* ab ipsa itidem lege memoratam sic exponit: ר"ל כי בהיות האדם המת תלוי ומגולה הנה יעשה גופו עפוש גדול בארץ ויגיע ממנו הפסד והשחתה לשאר האנשים החיים וזו טומאה גדולה בארץ יען היה האדם הוא הבעל חי שבמותו יבאש יותר מהרה מכל שאר הבעלי חיים וכמסבים לזה אמרו בספרי לא הרגי בית דין בלבד אמרו אלא אף כל המתין מתו ביום ההוא עובר בלא תעשה והיא מהסבה הטבעית שזכרתי: *Sensus est: quod si homo mortuus suspensus sit & retectus, corpus ejus fœtorem gravissimum edit in terra, atque inde damnum & corruptio ad cæteros homines in vita superstites redundat, id quod magna est contaminatio in terra, propterea quia homo est animal vivens, quod multo citius, quam cætera viventia omnia putrescit & fœtet. Quæ ipsa causa est, quare in libro Siphre non tantum omnes ex Synedrii sententia supplicio ultimo damnatos sic dicant sepeliendos, sed & quemlibet suum mortuum illo, quo obiit, die insepultum relinquentem transgredi præceptum hoc negativum; idque ex eadem causa naturali, quam recensuis*. Cæterum, quid de hac ipsiusmet Abarbanelis sententia statuendum, paucis accipe. Utriusque rationis expositio bene se habet, quatenus lex ista saltem ut *forensis* consideratur; at nobis accuratius paulo introspicienda, simulque attendenda, ut est *ceremonialis*. Lex ergo *forensis* erat in Republica Judaica, ne cadaver de patibulo suspensi in ligno relinqueretur, & huic sufficere poterant rationes allatæ, prout a Rabbino in mysteriis cœcutiente explicatæ sunt. Accedebat vero præterea hoc *ceremoniale*, ut suspensus, quamdiu in ligno esset, haberetur maledictus & terra, seu regio, in qua de ligno pendebat reus, polluta & contaminata, saltem Levitice, sicuti quis contractu animalis immundi *Levit. XI.* 28. *seqq.* vel solo etiam ingressu in tentorium, in quo homo mortuus, æque ut tentorium ipsum & omnia ejus vasa *Num. XIX.* 14. 15. contaminabantur. Atque hinc porro ut quælibet lex ceremonialis umbram habuit futurorum, *lib. VIII.* 5. *X.* 1. ita hæc typice præfiguravit *Christum* in cruce aliquando pendentem, qui revera *maledictio* pro nobis fieri, & eodem, quo in crucem agebatur, die sepeliri, suaque hac sepultura omnem *terræ peccatis polluta immundiciem* auferre debebat: quem typum allegavit Apostolus *Gal. III.* 13. His ita observatis nullo negotio omnes, quæ hic tantopere moveri solent, difficultates poterunt expediri.

(11) Omnia supplicii instrumenta. Hoc Baal hatturim *fol. CCXII. fac.* 2. e textus litera suo more probaturus, aut potius certo quodam סימן, ut solet, illustraturus, constructionem verbi finiti cum suo infinitivo urget: קבור תקברנו לומר שגם העץ נקבר עמו: *Sepeliendi verbum in hac lege repetitur*, (sepeliendo sepelies,) *ut significetur, ipsum etiam lignum cum suspenso sepeliendum esse*: quasi nimirum alterum ad suspensum. alterum ad lignum pertineret. Cæterum de supplicii instrumentis cum reo supplicium passo defodiendis, videas præterea Dn. D. Geierum *de Luctu Hebr. c. VI.* §. 15. *p.* 140. *seq.* Ejusdem consuetudinis meminit & Samuel Petitus *lib. I. Variar. Lect. c. V. p.* 25.

(12) בתפישה In Carcere. Ignoscat nobis B. Auctor, si eum minus intellexisse hunc Majemonidis locum dixerimus, dum verba hæc הכל נקברין בתפישת הנהרג אבל לא בקבר עצמו: ita transtulit: *Omnia hæc sepeliuntur: in carcere tamen occisi, non in ipso sepulchro*. Quæ versio alios nostrum securius paulo imitatos seduxit, ut in carcere, in quo captivi sedissent supplicio affecti instrumenta supplicii apud Hebræos sepelienda putarent: fuitque nonnemo, qui cum de suppliciis Hebræorum capitalibus ageret, hæc inter alia scripta reliquit, nulla Schikardi mentione facta, credo ne seductus, sed suapte culpa lapsus crederetur. *Sicut in foro Romano*, inquit, *& nostro Saxonico cadaveribus punitorum ut plurimum sepultura non denegatur, qua de re JCti pluribus: ita etiam legibus Judaicis statutum est, ut eorum cadavera adhuc ante solis occubitum sepulta fuerint, & una cum iis omnia suppliciorum instrumenta, non tamen uno eodemque loco. Hæc enim sepeliebantur tantum in carcere occisi, quo liquido constat ex Maimonid. Hilch. Sanhedr. c. XV. qui, postquam sepulturam ligni, super quo aliquis fuit suspensus, asseruerat, subjungit:* וכן האבן שנסקל בה והסייף שנהרג בו הנהרג והסודרין שחונקין בהן הכל נקברין בתפישת הנהרג אבל לא בקבר עצמו: *Sic & lapis quo aliquis obrutus, gladius quo decapitatus, mappa qua suffocatus: omnia hæc sepeliuntur, in carcere tamen occisi, non in ipso sepulchro*. Id quod sane falsissimum, nec unquam Maimonidi in mentem venit, tantum abest, ut ex hoc ejus loco de veritate asserti liquido constet. Hoc ait Majemonides, *omnia illa supplicii instrumenta sepeliri in illo terræ spatio, in quo reus supplicio affectus est, non in ipso ejus sepulchro*. Desumsit ea, observante R. Joseph Karo *in Keseph Misch. fol. CCXL. col.* 2. ex Massech. Sanh. *f. XLV. col.* 2. ubi eadem prope verba reperies, quæ tamen frustra in excerptis Coccejanis quæsiveris. Ibi ad vocem בתפיסתו diserte glossa interior: בתוך ארבע אמות *intra quatuor cubitos*, h. e. intra spacium quatuor cubitorum, in quo occisus recumbit. Nam illud terræ spacium quatuor cubitorum, in quo mortuus jacet, vocatur תפישתו vel quod idem est תפיסתו & תפסתו *comprehensio ejus*, quod nomen תפיסה aut תפוסה cum alio תבוסה quod est *conculcatio*, sæpe confunditur, eodem tamen sensu, ceu ipse Maimonides exponit *Comm. ad Misch. III. Massech. Nasir. c. IX. fol. CLVII. col.* 1. פירוש תבוסה המקום שמתגלגל בו נגזר מלשון מתבוססת תבוסה ברמיך: *Vox* תבוסה *notat locum circa mortuum: descendit ex illo* Ezech. XVI. 6. *vidi te conculcatam in sanguine tuo*. R. Obadias de Bartenora *ad eund. loc.* תפישה הוא כל העפר היתוה שתחתיו: h. e. *Nomen* תפישה (vides promiscuum utriusque vocis usum, ad unum enim Mischnæ locum ista Bartenorius & Maimonides commentantur,) *significat omnem terram mollem, quæ sub mortuo reperitur*. Perusch Milloth saroth *in editione Mischnarum Menassir part. I. fol. CXIII. c.* 1. תבוסתו כלומר עפר מהמקום שמתגולל בו: *Conculcatio ejus, id est terra loci, qui est circa mortuum*. Agitur in illa Mischna de eo, qui forte fortuna mortuum invenerit, doceturque quid circa eum licitum aut illicitum; ne locus ille certis usibus serviens inquinetur; auferendum nempe mortuum, sed cum תפישתו *terra sua, in qua jaceat*, & in cœmiterium deportandum. Verba hæc sunt: המוצא מת בתחילה מושכב כדרכו נוטלו ואת תפישתו מצא שנים נוטלן ואת תפישתן -- שגלים לדבר שאילו מתחלה מצאו נוטלו ואת תפישתו: *Si quis primum invenerit mortuum more consueto repositum, potest auferre eum &* תפישתו terram ejus, in qua jacuit, *si quis ita duos invenerit, poterit & hos, atque* תפישתן terram eorum, in qua recumbunt, *auferre*. ---- *Hoc enim rei fundamentum est, ut si initio quis eum repererit, eum simulque &* תפישתו terram, in qua jacet, *auferre possit*. Iterum R. Bartenora *ad h. l.* hæc Mischnæ verba: נוטלו ואת תפישתו *auferre potest eum & terram ejus, in qua jacet*, expositurus: מותר לפנותו משם ולקברו במקום אחר וצריך שיטול מן העפר של הקבר עמו והופר בקרקע בתולה שלש אצבעות: *Licitum est declinare eum* (mortuum) *ex inde, inque alio loco sepelire; at tunc necesse est, ut aliquid terræ sepulchri* (in quo prius jacuit) *cum eo tollat, inque terra nondum contaminata fodiat ad tres usque digitos*. Similiter R. Majemonides: בארו זה שמאסף עם המת העפר הלח שלו כולו שהוא התתיו ויחפור מן העפר התיחוח ומקרקע בתולה שלש אצבעות ואז יטהר יטהר זה המקום: *Exponi hoc ita solet, colligendum esse, una cum mortuo auferendo, omnem terram humidam, quæ sub eo est, & effodiendam non modo mollem & rariorem, sed & duriorem ac nondum cadavere pollutam ad tres usque digitos: & tunc demum hunc locum mundari*. Non ergo in citatis ab Auctore verbis carcer occisi, sed locus supplicii intelligitur, & quidem spacium illud quatuor cubitorum, quod interfecti cadaver occupat.

(13) Licuisse regi &c. Hoc, quod Regi licuerit suspensum diutius, quam lex jubet, in patibulo relinquere, pro hodierno penes Christianos recepto more, quo cadavera in patibulo in aliorum terrorem relinquuntur, adversus Zepperum *lib. V. de Leg. Mosaic. c. VII.* & Grotium *lib. II. de J. B. & P. c. XIX. th. IV.* hanc improbantes consuetudinem, (cui e nostris quoque infensi videntur B. Danhavverus *part. VI. Lact. Cat. p.* 689. & B. Gerhardus *Loc. de Magistr. Polit.* §. 310.) urgent Dn. D. Calovius *in Bibl. Illustr. ad Deut.* XXI. 22. & B. Theodor. Hackspan. *part. I. Notar. Philol. in Loca Script. diffic. p.* 568. quibus jungi poterit Dn. Osiander *Annot. ad Grot. p.* 1102. *seqq.* Eodem faciunt præter Jesabelis exemplum 2. *Reg. IX.* 10. 35. *seqq.* interminationes divinæ, de projiciendis absque sepultura Jeroboami domesticis 1. *Reg. XIV.* 11. deque Jojakimi sepultura asini *Jerem. XXII.* 19. de qua R. Dav. Kimchi *ad eum loc. fol. DXLVII. colon.* 2. קבורת חמור ר"ל כמו שהחמור לא יקבר כן לא יקבר הוא כי מה הוא קבורת החמור שיסחבו אותו וישליכוהו לאשפה כן יסחבו נבלת יהויקים וישליכו אותו מהלאה לשערי ירושלם כי מחוץ לירושלם מת כשהיו מוליכים אותו בגלות בפעם השנית והכשדים לא הניחוהו להקבר : *Sepulturam asini sic intelligit: quemadmodum asinus non sepelitur, ita etiam ille non sepelietur. Quomodo enim fit sepultura asini? trahunt eum, & projiciunt in sterquilinium. Similiter trahent cadaver Jojakimi & projicient illud extra portas Jerosolymorum. Sic enim ille extra urbem hanc mortuus est, cum altera vice in captivitatem abduceretur, neque promiserunt Chaldæi eum sepeliri.* Conferatur Drusius *Class. I. Proverb. Sacr. lib.* 1. *adag.* XXXI. Quenstdet *de Sepult. Vett. c. III. p.* 48. & *c. IV. p.* 61. Quod ipsum Jojakimi exemplum allegat & Samuel Petitus *lib. I. Variar. Lect. c. V. p.* 25. additque aliud Peraitæ Nigri apud Josephum *lib. V. ἁλώσ. c. I.* ut confirmet, commune quidem jus apud Hebræos, ut sepelirentur suspensi; sed non omnino dubitandum, quin insepultos abjecerint illos, in quos gravius sævitum ire vellent Judices. Ista tamen vereor ut hariolatio consistat, ac multo minus, quod huic cadaverum supplicio affectorum insepultorum projectioni destinatam fuisse vallem Hinnonis Hierosolymis suspicatur e verbis Davidis Kimchi *ad Psal.* XXVII. גהינום סמוך לירושלם והוא מקום נמאס ומשליכים שם הטומאות והנבלות והיה שם אש תמיד לשרוף הטומאות ועצמות : *E quibus verbis*, inquit Petitus, *colligimus, primo in hanc γέεν-ναν Hinnonis vallem, projecta fuisse insepulta cadavera: secundo, ubi cadavera putruissent, ossa illorum fuisse igne combusta, qui huic fini perpetuo ardebat in hac valle.* Enimvero ut ipsam cadaverum humanorum projectionem sententia Judicum reis adjudicatam extraordinaria illa exempla non probant, nec ullum forte ex antiquitate Hebraica idoneum testimonium aliud: ita projecta quidem cadavera & inquinamenta in vallem Hinnom, ait Kimchi, at non hominum supplicio affectorum, (de quibus ne γρῦ quidem,) sed brutorum cadavera intellexit. Sensus verborum Rabbini hic est: *Gehenna fuit prope Jerosolymas, & locus quidem fœdus, quo sordes & cadavera abjiciebant, ac fovebantur ibi ignis perpetuo ad comburendum sordes & ossa.* Nihil hæc prorsus faciunt pro Petiti assertione.

(14) Ne duo facinorosi simul. Fundatur in Gemara Massech. Sanhedr. *c.* IV. *fol.* XXXIV. *col.* 2. Beth Israel *part.* II. *f.* CLXII. *col.* 4. & in Cocceji *Excerptis p.* 205. אין דנין שנים ביום אחד והאמר רב חסדא לא שנו אלא בשתי מיתות אבל במיתה אחת דנין : *Non judicat Synedrium binas capitales causas uno die. At, inquit R. Casda, idipsum non intelligitur, nisi de duplici mortis genere. Si unum illud sit, licet in plures sententiam ferre.* R. Simeon *in Jalkut part. I. fol. CCXCI. col.* 4. hoc elicit ex numero singulari, qui habetur *Deut.* XXI. 22. אותו מלמד שאין דנין שנים ביום אחד : אותו Eum *docet, non judicandos esse duos uno die.*

(15) Quadraginta annis. Constans est hæc Judæorum traditio in utroque Talmude, Jerosolymitano & Babilonico, de ademtis Synedrio Judiciis capitalibus, annis quadraginta ante excidium. Loca ipsa cum glossa R. Salomonis recensuit Raym. Martini *part. II. Pug. fid. c. IV. f.* 252. *part. III. Dist. III. c.* XVI. *f.* 678. quare non est, cur hic reperamus. Conferantur Jo. Coccejus *not. ad excerpta Gem. Sanhedr. p.* 160. Seldenus *lib. II. de Synedr. Hebr. c. XV. p.* 626. Guil. Vorstius *Observ. ad Chronolog. Gansii p.* 285. Animadvertit autem Joseph. Scaliger *animadv. in Chronol. Eusebii fol.* 182. *col.* 1. falli Judæos in ista temporis notatione, cum non annis XL. ante excidium templi, hoc est anno XV. Tiberii Cæsaris, (quod putat ridiculum,) sed annis LXI. ante Jerosolymorum casum, Archelao Viennam relegato, hoc acciderit. Jam tum enim præsidem, aut procuratorem Cæsaris, translata in se omni jurisdictione, pauca eaque minimi momenti, Judæorum consessui reliquisse. Utut sit, illustrabitur hinc locus *Joh.* XVIII. 31. cum Judæi ad Pilatum: *Nobis non licet occidere quenquam*: circa quem se tantopere alias torquent interpretes, tot undecunque limitationibus conquisitis. Equidem Jo. Drusius *lib. IV. Præteritor. p.* 147. cum & is traditionem hanc ad illustranda illa Judæorum verba ex R. Mosis Mikozi *libro præceptorum f.* CLXXXVIII. *col.* 3. afferret, dubium sibi movet ex libro Juchasin, in quo R. Eleasar bar Zadok, qui circa templi vastationem vixerit, vidisse memoretur Sacerdotis filiam, quæ scortata fuerat, igne puniri. Verum, si locum ipsum evolvamus, dubium evanescet. Verba citati Auctoris *fol. LI. col.* 1. sic habent בפרק ד' מיתות שהיה גדול קודם חרבן הבית והעיד שראה בת כהן שזינתה ששרפות בחבילי זמורות ונראה שיהיו לפחות מ' שנה קודם החרבן כי בטלו דיני נפשות : *In Capite Talmudico, quod incipit Arba mithoth* (& est c. VII. Massech. Sanhedrin,) (*dicitur, quod* R. Eleasar bar Zadok *maximi fuerit habitus ante templi desolationem, testatusque sit, vidisse se filiam Sacerdotis, quæ scortata fuerat, comburi fasciculis ramorum. Videtur aut hoc quadraginta minimum annis contigisse ante excidium, siquidem judicia capitalia inde ab eo tempore cessaverant.* Id ita esse, neque conjecturam Auctorem Chronici illius fallere, ipse Talmudicæ Gemaræ textus arguit, ad quem provocat. Diserte ibi Gemara, (quæ in Cocceji excerptis non habetur) *fol. LII. col.* 2. אמר ר"א ברבי צדוק זכורני כשהייתי תינוק ומורכב על כתיפו של אבא והביאו בת כהן שזינתה והקיפוה חבילי זמורות ושרפוה אמרו לו קטן היית ואין מביאין ראיה מן קטן : *Dixit R. Eleasar f. R. Zadok: Recordor, cum adhuc infans essem, & scapulis parentis veherer, quod adduxerint filiam sacerdotis, quæ fornicata fuerat, eamque fasciculis ramorum circumdederint, atque ita combusserint.* Cui cæteri Doctores *respondebant: parvulus tunc fuisti; atqui non solent probationem petere a parvulo.* Disputabantur vero hæc R. Eleasare jam grandævo, ante urbis excidium, ut vel ad ipsam Scaligeri sententiam propugnandam, facile suspicari liceat historiam de combusta sacerdotis filia plus sexaginta ante excidium annis contigisse. Sed hoc leviculum. Plus forte difficultatis habet exemplum Stephani a Judæis lapidati, *Act. VII.* 57. 58. 59. quod ipsum tamen conciliabitur, si absque legitima potestate, ex subito & populari furore, sive connivente his tumultuosis temporibus Romano præside, sive eo absente, factum hoc dicamus. Cujusmodi plura tunc sæpius conabantur Judæi, estque apud Josephum *lib. XX. Antiq. Judaic. c.* VIII. memorabilis in hanc rem locus de Anano Pontifice, qui mortuo Festo, ejusque successore Albino adhuc in itinere agente, tempus opportunum se nactum ratus, Synedrium convocarit, statutumque coram eo fratrem *Jesu Christi*, Jacobum nomine, & una quosdam alios, reos impietatis peractos, lapidandos tradiderit; quæ & causa fuerit, cur pontificia dignitate dejiceretur. Plane huc facit quod glossa *En Mischpat*, Josepho de Voisin *annot. ad Raym. f.* 268. *col.* 2. laudata, ad illam Talmudicorum de sublatis judicis capitalibus traditionem annotavit: לומר דמכל מקום כשהיו רואין צורך שעה היו הוזרין אל הלשכה ודנין שם : *Dicendum est nihilominus, Judæos quando videbant aliquam nessitatem temporariam*, (quam se putabant pro re nata expedire posse, id enim est צורך שעה) *repetiisse* (de facto) *conclave illud Synedriale, ibique judicasse.*

(16) Nemo judicabit unicus. Fuit quidem interdum, ut unico demandaretur a Synedrio judicandi facultas, qui *κατ' ἐξοχὴν* שופט מומחה *Judex probatus* dice-

dicebatur, poteratque judicia quædam, licet non capitalia, legitime exercere. Sic enim R. Majemon. *Hal. Sanhedr. c. II. §. 10.* אף על פי שאין בית דין פחות משלשה מותר לאחד לדון מן התורה שנאמר בצדק תשפוט עמיתך: *Etiamsi Synedrium ad minimum tribus constabat; licitum tamen erat etiam unico, judicio ex lege, juxta illud* Lev. XIX. 15. *Cum justitia judicabis proximum tuum.* Verum non modo hæc ejus judiciaria potestas arcte constricta & accurate limitata erat, sed & ipse monebatur, ut sibi judicii quosdam assessores eligeret, quod Majemonides *loc. cit.* statim subjungit: אחד שהיה מומחה לרבים או שנטל רשות מבית דין הרי זה מותר לו לדון יחידי אבל אינו חשוב בית דין ואף על פי שהוא מותר מצות חכמים הוא וכו׳: *Unico illi, qui pluribus probatus fuit, aut cui a Synedrio concessa est judicandi facultas, licitum est quidem judicare soli, non tamen reputatur, quasi ipsum Synedrium judicaret. Et quamvis hoc & sit licitum, præceptio tamen sapientum est, &c.* sequuntur verba, quæ Auctor hic truncata allegavit.

(17) Dicunt enim. Dictum hoc est R. Ismaelis in Pirke Abhot *cap. IV. §. 8.* quod R. Maimonides *in Commentario fol. XXIX. col. 1.* על צד המוסר ולא על צד האיסור: *per modum informationis, non autem interdicti*, pronunciatum scribit, siquidem lex judicium unius admittat. Similiter R. Abarbanel *in Nachalath Abboth. fol. CXXIV. col. 1.* לא אמר זה לחיותו אסור מן התורה כי בדיני ממונות כבר התירה התורה לאיש מומחה ומוחזק לרבים בחכמתו לדון יחידי כמו שבא בסנהדרין אבל היה זה מוסר מתקבל שאם לא תוכל לחשוך עצמך מן הדין לא תהיה דן יחידי אע״פי שיסמכו בך כי אולי תתעלם ממך ההלכה: *Non monet hoc, quasi a lege prohibitum sit, siquidem in judiciis pecuniariis Lex utique permisit viro pluribus probato & confirmato sapientia sua, ut judicaret solus, prout in Massecheth Sanhedrin traditur; sed saltem est suasoria informatio, commonefaciens, ut si te omnino judicio subtrahere nequeas,* (quod consultum dixerat in antecedentibus,) *caveas modo, ne solus agas judicem, etiamsi tibi id imposuerint; fortasse enim te vera decidendi sententia latet.* Rationem, quam R. Ismael addit, (*quia unus est, qui judicat solus*) idem sic explicat: שכל הנמצאים חסרים מלבד הראשון יתעלה: *quia omnes, quotquot in mundo existunt, labiles sunt, præter* Deum *primum illum præ omnibus exaltandum.* Imo in Zennorenna *fol. CXVIII. col. 4.* ne *Deum* quidem excipiunt, sed exempli loco proponunt. Adscribam verba, ut ibidem sonant: Die דיינים (Judices) sollen (ad minimum) drey seyn / un (pro denn) zwey wern sich nit kennen vereinen / da soll der dritt überwegen / aber allein darf er nit richten und משפטן (judicium exercere) denn אפילו הק״בה (ipse etiam *Deus* optimus maximus) ist nit דן (Judicans) allein / alt des פסוק (versus biblicus) geht / וכל צבא השמים עומרים עליך (& omnis exercitus cœlorum stant coram ipso) das ist teutsch / die מלאכים (angeli) stehen auff der rechten Seiten / und auff der lincken Seiten bey הק״בה (*Deo* optimo maximo) zu richten den עולם (mundum).

(18) Jus sibi dicere potuit. Vide Seldenus *lib. II. de Synedriis Hebr. c. XIV. pag.* 582.

(19) Ut exemplum statueret. Confer huc Jo. Coccej. *not. ad Mischn. Sanhedr. p.* 50. & Seldenum *lib. II. de synedr. c. XIII. §. X. p.* 570. Inprimis Ligtfootum *in Centur. Chorogr. c. XIV. p. 29. seqq.* Illud aliis factum Simeonis ben Schætach satis celebre est in historia Hebræorum, & pro decretis extraordinariis ac temporariis in ipsa Mischna allegatur a R. Eliesare & Sapientibus *in Sanhedr. c. VI. Misch. IV.* Quæstio ibi ventilatur: an soli mares, an vero etiam fœminæ suspendendæ? prius affirmabant sapientes, posterius R. Elieser Dixerat hic, שהאיש תולין אותו פניו כלפי העם והאשה פניה כלפי העץ: *Misch. IV. Marem suspendendum facie ad populum conversa, sed fœminam facie conversa ad lignum:* cui sapientes respondebant, fœminam ne quidem suspendendam esse: האיש נתלה ואין האשה נתלית: *Mas quidem*, inquiebant, *suspenditur, at fœmina non item.* Regerebat ille exemplum R. Simeonis filii Schætach, qui fœminas Ascalonæ suspendi jusserat: והלא שמעון בן שטח תלה נשים באשקלון: *Annon vero Simeon ben Schætach fœminas suspendit in Askalon?* Ad quod Sapientes: שמונים נשים תלה ואין דנים שנים ביום אחד: *Octoginta fœminas suspendit una vice, cum tamen ne duo quidem capitaliter judicentur una die.* q. d. hoc Simeonis exemplum huc non quadrat, quia extraordinarium est; sicuti enim in numero ab ordinaria judicandi consuetudine recessit, octoginta una vice ad lignum condemnando, cum tamen ordinarie ne quidem duo damnandi sint: ita etiam fœminas suspendi jussit, cum ordinarie non nisi mares suspendi debeant.

(20) In Luto. Credo sphalma subesse: de luto enim nihil in Maimonidis textu. Legendum fortasse *in equo*, ut illud על הסוס exprimatur. Ad verbum ita sonant hebraica: *Aliud exemplum de quodam, qui vehebatur equo in Sabbatho sub imperio Græcorum, quem protraxerunt in Synedrium & lapidarunt.*

(21) Temporarium. Hebr. הוראת שעה *decretum temporis*, h. e. e re nata idoneum, quod extraordinarium & arbitrarium est, adeoque aliter atque aliter pro circumstantiarum varietate sese habet. Pulchre ipse Maimonides explicat in iisdem hic memoratis verbis הכל הוראת שעה לא שיקבע הלכה לדורות: ubi Schickardus noster: *Omnia tantum ad tempus, non ut consuetudo fiat in præjudicium.*

(22) Solo gladio. Quomodo hoc conciliabitur cum eo, quod supra *p.* 251. itidem ex Maymonide adduxerat: *Rex* תולה *suspendit, & relinquit suspensos diebus multis?* Ergo non gladio solo, sed & patibulo plectit. Videtur autem R. Maymonides, qui eodem capite utrumque ait, (& vix dixerat solum gladium Regi concessum, cum statim adderet, ותולה ומניחן תלויים ימים רבים: *suspendit quoque, & suspensos relinquit multis diebus*,) suspensionem non habere pro supplicio, eo quod non vivi, sed lapidatorum demum cadavera suspenderentur, circa quæ libere Rex pro arbitrio disponere posset, si rei ex decreto Synedrii prius lapidationis pœnam subiissent, an eadem, per Synedrii decretum forte non suspendenda, suspendi vellet, & suspensa in aliorum terrorem diutius relinqui? Inter mortis autem genera solum gladium Regi competere. Reperio tamen, suspendium, quo Rex plectit, ab eo quo cadavera lapidatorum afficiebat Synedrium, alibi sic distingui, ut hoc mortuorum sit, ceu constat; illud autem vivorum. Id quod Coccejus *in not. ad Sanhedr. p.* 50. nos quasi aliud agendo docuit, cum suspensos diceret non vivos: כדרך שהמלכות עושה: *sicut a regrbus fieri solet*, sed mortuos. Non vacat, urgentibus operis, in id accuratius inquirere, credimus tamen doctissimo viro, quem in citandis Hebræorum monumentis nondum falsum offendimus. Si dicendum est, quod videtur, suspicor notari Reges, non priscos illos Hebræorum, sed qui redacta in Romanorum provinciam Judæa, a Romanis dependebant, nominetenus Reges, reipsa Procuratores & administratores, qui missis Hebræorum legibus ac ritibus, se Romanorum moribus attemperabant, & ut in aliis, si cum in fontes animadvertendum esset, Præsides Romanos imitabantur. Interea nihil definimus, donec fontes, e quibus ista hausta sunt, scrutari liceat.

(20) Neminis opes publicare. Intelligitur confiscatio bonorum, quam nulli reo pœnæ nomine decernere Rex poterat; poterat autem Synedrium exemplo Esræ, Capitis Synedrii magni *Esr. X.* 8. Quod si tamen Rex morti tradidisset reum, hujus bona ipso jure fisco Regio applicabantur, de quo sub finem theorematis sequentis XV.

(24) Ambo facinora. Hinc sequeretur, Regi non nisi de duabus causis cognoscere licuisse: homicidio & seductione ad idololatriam, quod in hæc duo saltem facinora gladio animadverti soleret.

(25) Excommunicata. In meo codice habetur masculinum: הנהרגים שנים הרוצח והנדח *Gladio occidendi sunt duo: homicida, & qui ad idololatriam quem publice impellit.* Sic enim accipiendum est עיר הנדחת pro *publico seductore*, qui civis est urbis ad idololatriam incitantis *Deut. XIII.* 14. in Gemara Sanhedrin *fol. LII. col.* 2. sic effertur: אלו הן הנהרגין הרוצח ואנשי עיר הנדחת: *Illi gladio occidun-*

duntur, *homicida*, *& cives urbis ad idololatriam declinantis*.

(26) Regum propria erat, ibid. §. *6.* Duo hic animadvertimus, quæ censuram merentur. Unum est, quod decollationem ita Regum propriam facit, ut potestatem gladio puniendi Synedrio auferat, & huic tria solum genera suppliciorum concedat: id quod falsissimum. Nam solo equidem gladio, ex R. Maimonidis Talmudicorumque sententia, Rex delinquentes plectebat; non tamen solus, cum idem & Synedrio competeret. Diserte Mischna Talmudica Massech. Sanhedr. *initio Capitis VII. XLIX. col.* 2. ארבע מיתות נמסרו לבית דין סקילה שריפה הרג וחנק: *Quatuor suppliciorum capitalium genera tradita sunt Synedrio: Lapidatio, combustio, decollatio, & strangulatio*. Quod longe explicatius R. Maymonides *initio cap. XIV. Halach. Sanh.* §. 1. *&* 2. ארבע מיתות נמסרו לבית דין סקילה ושריפה והריגה בסיף וחנק. סקילה ושריפה מפורשין הן בתורה ומפי משה רבינו למדו שכל מיתה האמורה בתורה סתם היא חנק וההורג את חבירו מיתתו בסיף. וכן אנשי עיר הנדחת מיתתן בסייף כל מיתה מהן מצות עשה היא לבית דין להרוג בה מי שנתחייב בה ואין רשות למלך להרוג באחת מהן אלא בסייף בלבד: *Quatuor suppliciorum capitalium genera tradita sunt Synedrio, Lapidatio, combustio, occisio quæ gladio fit, & strangulatio. Lapidatio & combustio expressæ sunt in ipsa lege. Ex ore autem Mosi Magistri nostri docemur, quod ubicunque capitale supplicium in lege simpliciter nulla certi suppliciorum generis mentione addita memoratur, ibi semper intelligenda sit strangulatio, & quod homicida gladio occidendus, similiterque cives urbis ad idololatriam declinantis gladio puniendi. Singula hæc suppliciorum genera præcepto legis affirmativo demandata sunt Synedrio, ut iis capitaliter animadvertant in reos; Regi autem non licet ullo eorum sontes plectere, nisi gladio tantum*. Iterum post pauca §. 4. סקילה חמורה מן השריפה ושריפה חמורה מן הסיף והסיף חמורה מן החנק: וכל מי שנתחייב בשתי מיתות נדון בחמורה בין שעבר שתי עבירות זו אחר זו בין שעבר עבירה אחת שחייב עליה שתי מיתות וכו': *Lapidatio gravior est combustione, & combustio gravior gladio, & gladius gravior strangulatione. Quicunque vero duorum suppliciorum reus est, graviori adjudicatur, sive duo distincta facinora successive commiserit, sive unum tantum, quod tamen duobus suppliciis expiandum foret, &c*. Alterum est, quod ad probandam decollationem Regum Hebræorum propriam, ad illum Maimonidis locum e *Cap. XV. Hal. Sanhedr.* §. 6. citatum provocat. Certe enim hic locus ἀπροσδιόνυσος est, & non de Hebræorum, sed Gentilium Regibus & Romanorum Imperatoribus agit. Verba Rabbini (sed in meo exemplari §. 4. variat enim passim distinctio numerorum,) hæc sunt, quibus simul decollationem describit: מצות הנהרגין מתיזין את ראשו בסייף כדרך שהמלכים עושין: *Præceptum de gladio occidendis sic habet amputant reo caput ense, ad eum modum, quo Reges* (gentium) *solent*. Hos enim, non Hebræorum Reges, intelligi, patet ex Mischna Sanhedr. *c. VII.* §. 3. *fol. LII. col.* 2. e qua hæc Maimonidis petita sunt, ubi pro eo, quod Maymonides habet, כדרך שהמלכים עושים *ad modum quo Reges solent*, altera illa formula legitur כדרך שהמלכות עושה *ad modum, quem Regnum observat*, quam in describendis Regni illius, in quo post Regni sui excidium exules degunt ritibus & consuetudinibus adhibere solent. Unde nec Coccejus sensum Mischnæ penetrasse videtur, quando *pag.* 53. vertit: *Caput ejus ense præsecabatur, quomodo jussu Regio fieri assolet*. Quod ne gratis asseruisse videamur, age Mischnam integram paulo diligentius excussam ponderabimus. Ea hæc est: מצות הנהרגין היו מתיזין את ראשו בסייף כדרך שהמלכות עושה רבי יהודה אומר ניוול הוא זה אלא מניחין את ראשו על הסדן וקוצין בקופיץ אמרו לו אין מיתה מנוולת מזו: *Præceptum de decollandis tale est: amputandum est caput ejus* (sontis) *ense, prout in regno hoc fieri solet. R. Jehuda dixit: atqui hoc nimis turpe est; imponendum potius caput ejus trunco, & amputandum securi. Dixerunt ei: nullum mortis supplicium turpius est, quam hoc ipsum*. Ita ad verbum transfero. Jam videamus de sensu. Disputatur ibi de modo decollandi, an gladio fieri debeat, ita ut eo stricto caput rei pedibus aut genibus insistentis amputetur; an vero securi, qua præsecetur caput trunco impositum? Prius affirmabant Sapientes, suamque thesin illustrabant a more Regni Romani, in quo idem decollandi modus, quem intellectum vellent, communiter observetur. Sic enim post Augusti tempora obtinuit, ac constat ex Spartiano *in vita Bassiani c. IV.* Cæsarem hunc illos valde increpuisse, qui Papinianum securi decollassent, quod more consueto factum gladio oportuerat. Hic se opponit R. Jehuda, turpitudinem & fœditatem modi istius urgendo, atque ideo posterius asserendum seligebat, securi resecandum sontis caput impositum trunco, sicuti hodienum in Anglia moris est, & Regem Carolum Stuardum ibi a subditis interemtum novimus. Ad quod respondebant Sapientes, non turpitudinem hic spectandam, sed consuetudinem lege introductam, imo si accuratius res consideretur, posteriorem hanc decollandi rationem, quæ securi fiat, longe abominabiliorem esse priori. Addit R. Maymonides *in Comm. ad hanc Mischn. fol. CLXXXVIII. col.* 1. ex Barajetha quadam, regessisse iterum R. Jehudam, se turpitudinem non ex ipso decollationis actu, sed inde æstimare, quod sic gentiles æmularentur, quia dixerant Sapientes, fieri eam כדרך שהמלכות עושה *more Regni Romani*: אמר להם רבי אף יודע אני שמיתה מנוולת היא אבל מה אעשה שהרי אמרה תורה ובחקותיהם לא תלכו: *Novi equidem & ego, inquit R. Jehuda, mortem hanc omnium fœdissimam esse; at vero quid fiet ei, quod Lex ait* Levit. XVIII. 3. *Et in statutis eorum* (gentilium) *non ambulabitis*? Hic jam responderunt Sapientes: הואיל וכתב בתורה הריגה בסייף מן התורה למדנו לא מהם: *Quandoquidem in ipsa lege decollatio determinata est gladio peragenda, ex lege hoc didicimus, non ab ipsis*. Habes verum loci sensum; nunc judicabis ipse, quam impertinenter ab auctore sit adductus.

(27) Suppliciorum genera. De Capitalibus Hebræorum suppliciis consule Drusium *ad Levitici loca difficil. cap.* LXIX. *p.* 311. *seqq.* Coccejum *in Titul. Talm. Sanhedr. p.* 52. *seqq.* Seldenum *lib. II. de Synedriis c. XIII.* 536. *seqq.* Leusdenium *Philol. Mixt. Diss. XLVII. p.* 322. *seqq.* Menochium *lib. VIII. de Republ. Hebr. c. II. q.* 3. *f.* 722. Sigonium *lib. VI. de Republ. Hebr. c. VIII. p.* 330. *seqq.* Quibus vero hodie pœnis Judæi sceptro & regimine penitus destituti sontes plectere soleant, exposuit Butorf. *in Synagog. Judaic. c. XLVII. p.* 674. *seqq. edit. noviss.*

(28) Strangulandi. *Strangulatio* Hebraice חנק dicitur, & cum תליה *Suspendio* nullo modo confundenda. Illa supplicium erat, cujus ritus hic e Maymonide describitur; hoc ostentui fiebat saltem in iis, qui supplicio jam erant affecti. Quanquam enim isthæc cadaverum post lapidationem suspensio alicujus pœnæ rationem habebat, longeque gravior censebatur mortis sententia, quæ præter mortem adhuc cadaveris suspendium adjudicabat, quam quæ post mortem statim concedebat humationem; inter supplicia tamen, h. e. mortis genera referri nequit. Neque enim vivi suspendebantur, sed mortui, & mortui quidem non quovis supplicii genere, sed lapidati, & lapidati non omnes, (quod falso asserit Samuel Petitus *lib.* I. *Var. Lect. c.* V. *p.* 25. e Salomone Jarchi hanc Juris Hebræorum regulam כל הנסקלין נתלין *omnes lapidati suspenduntur* allegans,) verum illi saltem, qui ob blasphemiam vel idololatriam lapidati fuerant: R. Abarbanel, cum legem illam *Deut.* XXI. 23. de suspensorum sepultura (de qua nos paulo supra pluribus,) exponit *fol.* CCCLXXIX. *col.* 2. עם היות ההלכה מחכמים שאין כל הנסקלין נתלין לא יתחייב מזה שהמגדף את יי' והעובד ע"ז ומי שהם יודו שהם נתלין שלא יהו נסקלין בראשונה אבל אלה לבד אחרי היותם נסקלין יהיו נתלין לגודל חטאם: *Quantumvis sententia sapientum obtinuerit, non esse omnes lapidatos suspendendos, exinde tamen non consequitur, quod blasphemus & idololatra si convicti & confessi fuerint, suspendi debeant, ita ut non lapidentur prius; verum hoc saltem, quod postquam lapidati sunt, suspendi adhuc debeant, ob gravitatem delicti*. Addit postea verum sua sententia verborum illius legis sensum, quantum ad ipsum suspendium supplicio contradistinctum: ובבר יראה

זה

זה מפשט הכתובים שאמר כי יהיה באיש חטא משפט מות והומת שרוצה לומר בסקילה כי סתם מיתה היא בסקילה ואמר עוד ותלית אותו על עץ כלומר שאחר הסקילה יתלו אותו: *Pridem autem viſum fuit, hoc eſſe de literali ſcripturæ ſenſu, cum lex ait*: Si fuerit in aliquo delictum mortis, & occiſus fuerit, *quod ſubintelligendum ſit: lapidationis ſupplicio: quippe quod toties innuitur, ſimpliciter & abſolute nullo ſupplicii genere expreſſo mors memoratur; Et quod cum porro ait*: & ſuſpenderis eum de ligno, *hoc idem ſit ac ſi dictum fuiſſet: ſi poſt lapidationis ſupplicium eum ſuſpenderint*. Hinc & Raſchi mandatum illud Divinum, *num.* XXV. 4. quo ſuſpendi Domino נגד השמש *ad ſolem*, (h. e. ut idem Raſchi explicat, לעין כל *ad oculum omnium*, vel ut Aben Eſra בפרהסיא *publice & palam*) jubebantur idololatræ, ſic interpretatur, *fol.* CLXXVIII. *col.* 2. quaſi prius lapidari, deinde ſuſpendi eos juſſum fuiſſet, quemadmodum lex de idololatris ſtatueret. Accedit alterum diſcrimen, quod תליה *ſuſpenſio* non de collo fieret, ut (ſi maxime quis vivus ſuſpenderetur) ſuffocari per eam poſſet mortis damnatus; ſed ex manibus, Maſſech. Sanhedr. *c.* VI. *Miſchn.* IV. *fol.* XLVI. *col.* 1. & apud Coccejum *pag.* 47. כיצד תולין אותו משקעין את הקורה בארץ באעץ יוצא ממנה ומקיף שתי ידיו זו על גב זו ותולה אותו רבי יוסי אומר הקורה מוטה על הכותל ותולה אותו כדרך שהטבחין עושין: *Quomodo fit ſuſpendium? Trabs in terram depangitur, ex qua lignum exſtet: dem revinctis* (ſive junctis) *manibus ſuſpenditur. R. Joſes ait: Trabs ad parietem inclinata deſtituitur, tum ſuſpenditur; conſimiliter atque a laniis fieri conſuevit*. Res omnino plana. Saltem illud movet dubium, quod Targum Ruthæ *cap. I.* 17. cum Nohomi Ruthæ ſuæ quatuor capitalium ſuppliciorum genera enarrans introducitur eodem plane ordine & numero, quo nos antea ex Majemonide, & paſſim citati Auctores ex ipſa Talmudis Miſchna commemorant, recenſet illa, ſed ut in locum חנק *ſuffocationis* aut *ſtrangulationis* ſubſtituat צליבת קיסא *ſuſpenſionem de patibulo*, quaſi unum idemque eſſet ſupplicium. Vide ſis Collegium noſtrum Rabbinico-Biblicum *Diſp. VIII. p.* 170. Enimvero uti Chaldaicam hanc translationem recentiorem & poſt Talmudis demum opus conſarcinatam multiſque fabulis & abſurdis ſæpe narrationibus refertam eſſe, *ibidem Diſp. III.* §. *VI. p.* 28. oſtendimus, ita non mirum, ſi admiſſam ibi hanc *ἀνιστορησίαν* offendamus, hinc forte natam, quod ejus auctor ſtrangulationem iſtam ex ea, quæ ſuo tempore obtinebat, æſtimaret; niſi malis, voluiſſe eum genus ſupplicii ſuo tempore exoletum verbis alterius tunc uſitati atque iſti analogi proferre: nam ſolent apud nos ſtrangulandi de patibulo ſuſpendi. Quod poſtremum ſane veroſimilius videtur; atque adeo fruſtra ad illius auctoritatem provocabunt, qui crucem inter Hebræorum ſupplicia numerant, de qua prorſus nihil in omni antiquitate Hebraica reperire licet. Quod de virorum ſuſpendio, quali Reges plectere reos ſoliti fuiſſent, Coccejum *not. ad Sanh. p.* 50. obſervaſſe, modo diximus, id ex Gemara Sanhedr. *f. XLVI. col.* 2. depromtum eſt, & de ſupplicio crucis intelligendum quidem, non tamen inter Hebræos, ſed apud Romanos uſitato. Sic enim ibi: אלו נאמר חטא ותלית הייתי אומר תולין אותו ואחר כך ממיתין אותו כדרך שהמלכות עושה תלמוד לומר והומת ותלית ממיתין אותו אחר כך תולין אותו: Quæ ita planiſſime interpretor: *Si dictum fuiſſet*: (Deut. XXI. 22.) Peccavit & ſuſpendes, *tunc dicerem ego, ſuſpendendum prius reum, & poſtea demum* (in cruce aut patibulo) *occideudum, prout in Regno* (Romano) *fieri ſolet. At quia dictum* (ibi) *eſt*: Et occiſus fuerit, & ſuſpendes, *hoc docet, reum prius occidendum, & tunc demum ſuſpendendum eſſe*. Valeat ergo conjectura de poſtremis Judæorum regibus, Romanos imitatis *p.* 259. Senſus Gemaræ de ipſo Romanorum regno manifeſtus eſt.

(29) Comburendi. Supplicium hoc, quo liquefacto metallo in os infuſo ſontes necabantur, recte שריפה *combuſtionem* dici, R. Majem. *in Comm. ad Miſch. Sanhedr. f. CXVII. col.* 1. exemplo Nadabi & Abihu, filiorum Aharonis probat: כך קבלנו בבני אהרון שלא נשרפו הנראה מגופותיהם ואמר הכתוב בהם יבכו את השרפה אשר שרף ה׳: *Sic accepimus exemplo filiorum Aharonis, qui non combuſti ſunt, ut aliquid de ipſorum corporibus exuſtum compareret, & nihilominus ſcriptura de iis ait* Levit. X. 6. *Deflebunt combuſtionem, quam combuſſit Dominus*. Cæterum obſtare huic comburendi modo videtur allatum ſuperius exemplum filiæ ſacerdotis ob fornicationem combuſtæ, quam in rogo ſuccenſo cremari conſpexerat R. Elieſer ben Zadok: unde Druſius, cui e libro Juchaſin, (e quo ejus mentionem facit *lib. IV. Præteritor. p.* 147.) tantum conſtabat, duo combuſtionis genera comminiſcitur, *in Comm. ad Levit. loca difficil. c. LXXIV. p.* 318. unam *corporis*, cum admoto igne, lignis & faſciculis foto, corpus conſumebatur: alteram *animæ*, in qua ore per forcipem aperto plumbum liquidum reo infundebatur, quod interiora omnia illæſo corpore comburebat. Sed mera eſt hariolatio, quam Talmudici non admittunt. Quæſtio hæc aliquando movebatur ab Elieſare Zodaki filio, exemplum hoc traditioni opponente; ſed non attendebatur, uti videre eſt, e citatis *p.* 253. Gemaræ verbis. At planius reſponſum jam fuerat in ipſa Miſchna Sanhedr. *c. VII.* §. 2. *fol. LII. col.* 1. cum ritus comburendi legalis & ordinarius deſcriptus eſſet: א״ר אליעזר בן צדוק מעשה בבת כהן אחת שזינתה והקיפוה חבילי זמורות ושרפוה אמרו לו מפני שלא היה בית דין של אותה שעה בקי: *Objecit ad hæc R. Elieſer ben Zadok hiſtoriam de filia quadam ſacerdotis, quæ fornicata fuerat, quam combuſſerint aggeſtis circumquaque faſcibus cremiorum. Cui reſponderunt, factum hoc fuiſſe propterea, quod judices illius temporis non eſſent periti ſtatutorum*. Nempe ut gloſſa Talmudica interior ibi habet: צדוקין היו שאין להם גזירה שוה אלא קרא כמשמעו: *Sadducæi tunc judicaverant, quibus nulla ſententia probatur, niſi ſcriptura, prout ſonat accepta*. Vel, ut R. Obadias de Bartenora *f. CLXXXVIII. c.* 1.: כותיים היו שאין להם אלא קרא כמשמעו *Samaritani præerant, qui nihil ſuſcipiunt, niſi ſcripturam κατὰ ῥητὸν acceptam*. De facto igitur ſic turbulentis temporibus & ad interitum inclinante Republica, ex ignorantia judicum hæreſi infectorum, non de jure Hebræorum iſta ſacerdotis filia combuſta fuit.

(30) Lapidandi. De hoc ſupplicio *toto capite* VI. *Miſchnæ Sanhedrin* agitur, quod vide apud Coccejum *pag.* 45. *ſeqq.* Adde Aloyſ. Novarin. *lib.* I. *Schediaſm. Sacro-proſ. toto cap.* XXII. *f.* 24. Hinc tum illuſtrabis hiſtoriam lapidati Stephani, quantum ad depoſitas teſtium veſtes & cæteros lapidationis ritus *Act.* VII. 58. tum judicabis de conatu Judæorum Chriſtum in templo lapidibus obruere cupientium *Joh.* VIII. 59. Ibi ſpecies legitimi proceſſus, ablata licet criminaliter judicandi poteſtate. Hic furioſa & tumultuoſa actio, ne ſpeciem quidem ordinarii hujus ſupplicii referens.

(*) Plura ſunt in Hebræo Majemonidis textu, quam Auctor tranſtulit. Et ſic latine habent: *Quod ſi vero non moreretur ex illa deturbatione, attollunt teſtes lapidem illic repoſitum, duorum hominum onus, quem alter eorum retracta manu in illius cor dejicit. Si hinc moreretur, peractum erat: ſin minus; ope univerſi Iſraelis lapidabatur, prout dicitur* Deuter. XVII. 7. *Manus teſtium erit in eum initio ad occidendum eum, & manus totius populi poſtea*.

(31) Ad aras uſque. Pulchre R. Aben-Eſra *in Peruſch ad Exod. XX. ſol. LXXXIII. col.* 2. הנה פחד מהמלך שימות מחר שלא יעגישהו ולא יפחד ממלך האמת שנפשו בידו בעולם הזה ובעולם הבא: *Ecce timet homo Regem, qui tamen cras forte moriturus eſt, ut ipſum amplius punire nequeat*, (vel etiam: *timet Regem, ne ſe puniat*,) *& non timeat Regem illum verum, qui animam ipſius in manu ſua habet, tam in hoc, quam in futuro ſæculo?* Exemplum habes 2. *Maccab. VII.* 30.

(32) Cum illo Petri. Hæc Petri verba: *πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις*, fere eadem ſunt cum illis Socratis in Apologia apud Platonem: *ἐγὼ μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι ὑμᾶς, καὶ φιλῶ. Πείσομαι δὲ τῷ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν. Ego quidem vos amplector & amo, o viri Athenienſes, ſed Deo potius, quam vobis, obtemperabo*. Obſervavit Dilherus *lib. I. Elect. c. III. p.* 16.

(33) Factus erat Sadducæus R. Dav. Ganz. *in Zemach David. loco paulo poſt ab Auctore citato*:

המולך

המלך זקן מאד ולאחר ששימש בכהונה גדולה ארבעים שנה נעשה גם הוא צדוקי : *Rex* Hyrcanus *admodum ſenex , & cum pontificatum maximum jam quadraginta annis geſſiſſet , factus eſt demum Sadducæus .*

(34) Apophthegmate Antigoni Sochæi. Habetur illud in Pirke Abhoth *c. I.* §. 3. אנטיגנוס איש סוכו קבל משימעון הצדיק הוא היה אומר אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא הוו כעבדים המשמשין את הרב על מנת שלא לקבל פרס ויהי מורא שמים עליכם : i. e. ex verſione Philippi Aquini, qui Lutetiæ Pariſiorum Anno 1620. hæc Patrum Capitula Hebraice ſimul & Latine edidit ; *Antigonus de Socco a Simeone Juſto edoctus eſt. Dicebat autem : Nolite eorum morem æmulari , qui dominis ſuis obſequium præſtant ſpe mercedis ; quin imo ſervos illos potius imitamini , qui nullo ſtipendii vel lucri intuitu , quæ officii ſui ſunt , liberaliter erga dominos exequuntur . Inprimis autem timoris* Dei *recordationem ſalutarem ex animo veſtro nunquam deponite .* Hoc ſalutare Antigoni apophthegma quomodo hæreſiarchæ illi novitatum ſtudioſi in ſequiorem ſenſum detorſerint, ut deteſtanda ſua dogmata exſculperent, docte expoſuit R. Maimonides *Comm. in Pirke fol. XXV. col. 1. editionis Talmudicæ* , & *in Nachalath Aboth Abarban. f. XXVI. col.* 1. Ibi enim cum verum illius ſenſum oſtendiſſet, *Deum* ſincero corde non propter aliud, ſed propter ſe amandum, eique ex ſolo amore erga ipſum, abſque ſpe remunerationis , utut liberaliſſime omnia remuneretur, ſpontaneo affectu ſerviendum , de perverſis his ejus diſcipulis addit : והיו לזה החכם שני תלמידים שם האחד צדוק ושם השני ביתוס וכאשר שמעו שאמר זה המאמר יצאו מלפניו ואמר האחד לחברו הנה הרב אמר בפירוש שאין לאדם לא גמול ולא עונש ואין תקוה כלל כי לא הבינו כונתו וסמך האחד ידי חברו ויצאו מן הכלל והניחו התורה התחברה לאחד כת אחת ולחברו כת אחרת וקראום החכמים צדקים וביתוסים : *Fuerunt autem ſapienti huic duo diſcipuli , quorum alter Zadok , alter Baithos vocabatur : qui cum ex ore Magiſtri ſui apophthegma hoc audiviſſent , exiverunt ab ipſo , dixitque alter alteri : Ecce Magiſter aſſeruit hoc effato , nullum eſſe homini ſive præmium , ſive pœnam , neque ſpem ullam omnino : ſiquidem ejus intentionem & ſcopum non aſſecuti fuerant . Itaque altero alterius opinionem confirmante a norma aberrarunt , & lege poſthabita conſociavit ſeſe alteri ſecta una , & alteri itidem ſecta altera , quos Sapientes poſtea Zadducæos & Baithoſæos nominarunt .* Confer jam R. Menaſſ. ben Iſrael *lib. I. de Reſur. Mort. c. VI. p.* 41. 42. Druſium *lib. III. de Sectis Jud. c. III. p.* 120. *ſeq.* Scaligerum *Elench. trihæreſ. Serar. c. XV. p.* 284. Chr. Gerſonem *lib. I. Talm. Jud. c. II. p.* 10. *ſeq.* Jo. Mullerum *in Judaiſm. proleg. VIII. de ſect. Jud. p. 67. ſeq.* Joſephum de Voiſin *Obſerv. ad proœm. Pugion. fol.* 12. Hottingerum *lib. I. Theſ. Philol. c. I. ſect. V. p.* 34. Hackſpan. *ad Nizzachon num. XXVII. p.* 232. Leuſdenium *Philol. Mixt. Diſſ. XIX. p.* 134. & *in not. Philol. ad Pirck. p.* 8. &c.

(35) In Monte modiit. Urbis hoc nomine מודעית *Modaith* dictæ, quæ quindecim milliaribus diſtet ab Hieroſolymis, meminit Buxtorf. *Lex Talm. f.* 1173. ex Maſſ. Peſachim *fol. XXXIX.* ubi tamen inquirenti mihi nihil obvium fuit. Cæterum hic quædam ab Auctore omiſſa ſunt, quæ in *Zemach David. l. c.* interſeruntur : והיה שם אחד מן הצדוקים ואמר למלך שברשות החכמים מדעתם וחפצם דבר השוטה הדברים הנזכרים למחר צוה המלך ויעבירו קול בכל מלכותו לנהוג מנהג צדוק וביתס וכו׳ : *Aderat quidam Sadducæorum , qui Regi diceret , ſtolidum iſtum hæc verba cum licentia ſapientum* (Phariſæorum) *ex ipſorum ſententia & voluntate dixiſſe , unde Rex edicto per univerſum regnum divulgari juſſit , introducendam Zadoki & Baithoſi docendi rationem , &c.*

THEOREMA XV.

Cui etiam decimas , vectigal & tributa debebant . (1)

Regi decimas quoque deberi, Maymonides expreſſe tradit, & ſcripturis probare videtur, H. Melach. *cap.* 4. §. 8. יש לו מעשר מן הזרעים ומן האילנות ומן הבהמות שנ׳ וזרעכם וכרמכם יעשר ואת צאנכם יעשר : *habet ille decimas frugum , arborum & jumentorum , ſicut dicitur* , (Sam. 8. verſ. 15.) *ſementem veſtram & vineas veſtras addecimabit.* Verum ego non video, (2) an vel quomodo id præſtitum fuerit? nam certum eſt, decimas ex inſtituto divino fuiſſe perſonarum ſacrarum, non vero politicarum, proprias. Num. 18. verſ. 20. & ſeqq. *Dixit Dominus ad Aharon , in terra eorum nil hæreditabis , nec ullam partem poſſidebis : ego enim ſum portio tua, & ecce dedi filiis Levi univerſas decimas Iſraelis in hæreditatem , pro miniſterio ſuo &c.* unde Joſua in diſtributione terræ Canaan *cap.* 13. *verſ.* 14. & *ult.* nullam eis portionem aſſignavit. Quin & ipſe Maymonides, in tribus Halachis תרומות מעשר ומעשר שני quas de negotio Decimarum prolixe ac diligentiſſime perſcripſit, nil amplius, quod ſciam, regis meminit; ſed ita ſe res habebat, (3) ut breviter & obiter inde recenſebo. Ex omnibus terræ proventibus, qui ad humanæ vitæ ſuſtentationem pertinebant, juſſi ſunt in ſacros uſus aliquid ſegregare : ſcilicet e frumento, tritico, avena, hordeo, leguminibus, oleo, muſto, ficubus, malogranatis: adeoque de zizaniis quibuſdam. H. Trumos. *cap.* 2. *poſt init.* הכרשינין אף על פי שאינם מאכל אדם הואיל ואוכלין אותן בשני רעבון חייבין בתרומה ומעשרות והאזוב והקרנית שזרען מתבלין לאדם חייבין במעשר : *Viciæ* (wickhen ſemilatinum) *quamvis non ſint humana nutrimenta , quia tamen famis tempore comeduntur , etiam addecimari debent : ſic & Hyſſopus atque origanum , quorum ſemina ſunt homini condimenta , decimantur.* Quod lucem fœneratur loco *Matth.* 23. *verſ.* 23. ubi etiam hortenſia, (4) ut anethum, mentha & cuminum a Phariſæis addecimata leguntur; quod Chriſtus non ſimpliciter improbavit, ſed præpoſterum ſtudium, in re minuta reprehendit, quando judicium, miſericordia & fides mul-

multo graviora ſecure interim negligebantur: quorum hæc facere quidem, illa vero non intermittere debebant. Ex omnibus iſtis, (5) & animalium quoque fœtura, (6) non tantum decimas, ſed ſi recte ſupputemus, omnino quintas partes pendebant; ſicut demonſtrabo. (7) Nam primo primitias offerebant ſacerdotibus, quæ pars erant fere quinquageſima. Ead. Hal. *init. cap.* 3. תרומה גדולה אין לה שיעור מן התורה כסה הוא שיעורה שנתנו חכמים עין יפה אחד מם׳ והבינונית אחד מחמשים עין רעה אחד מששים ולא יפחות מאחד מששית: *Oblatio magna* (h. e. primitiarum κατ' ἐξοχὴν ſic dicta) *non habet præſcriptam quantitatem in lege; ſed menſura ejus vel æſtimatio, quam ordinarunt ſapientes, hæc eſt: oculus bonus* (ſive liberalis) *offert unum e* 40. *mediocris unum e* 50. *malus autem oculus* (ſive avarus) *unum e* 60. *nec licet minus offerre ſexageſima parte.* Deinde modo Decimas dabant Levitis pro alimonia ipſorum. Hal. Maaſer. *init. cap.* 1. אחר שמפרישין תרומה גדולה מפריש אחד מעשרה מן הנשאר וזהוא הנקרא מעשר ראשון והמעשר הזה ללויים זכרים ונקבות ומותר באכילה לישראל ובטמאה שאין בו קרושה כלל ובכל מקום אינו קדש אלא מעשר שני אף מעשר ראשון שנטלה תרומתו חולין לכל דבר לפיכך בת לוי שנשבית או שנבעלה בעילה זנות נותנין לה המעשר ואוכלת וכו׳: *Poſtquam ſeparaverunt oblationem primitiarum, dant decimam partem de reſiduo, quæ vocatur prima, & cedit Levitis utriuſque ſexus. Hanc comedere fas eſt, etiamſi quis impurus ſit; & omni loco, non enim ſanctitas eſt niſi in decimis ſecundis. At primæ ſunt profanæ, adeo ut etiam filia Levitæ ſcortationibus polluta eas comedere poſſit.* Et ex his ipſis decima, hoc eſt, univerſi proventus centeſima pars, debebatur filiis Aaron, *Num.* 18. 26. Poſtea de reſiduo ſegregabant alias decimas, quæ tertio quoque anno a Sabbathico, cedebant peregrinis pauperibus, vuiduis atque pupillis; *Deut.* 14. *verſ.* 28. cæteris vero intermediis, ſervabat eas quilibet ſibi ipſi, ad uſus conviviorum ſacrorum in profectionibus Jeroſolymitanis; aut ſi procul inde habitaret, pecuniam e divenditis collectam, & in aliud impendi prohibitam, illuc afferebat. *Ibid. verſ.* 22. & 24. Maym. H. Maaſ. Scheni. *cap.* 1. אחר שמפרישין מעשר ראשון בכל שנה מפרישין מעשר שני כל תבואות ובשנה שלישית וששית מפרישין מעשר עני חלף מעשר שני וכו׳: *Separatis prioribus decimis, dabant & ſecundas ex omni proventu, quotannis; ſed anno tertio & ſexto* (periodi ſeptenariæ) *pauperibus &c.* Vides ex allatis, (8) ſi quis verbi gratia 102. Logos olei expreſſiſſet; primo duos, nomine primitiarum pro ſacerdotibus, mox denos, titulo decimarum primarum pro Levitis: tandem novenos de reſiduo, cauſa decimarum ſecundarum pro pupillis abſtraxiſſe; ſicque in univerſum 21. de 102. h. e. totius centuriæ quintam circiter partem alienaſſe. Inter quas tot erogationes nulla regis erat; (9) nec ullius meminit Tobias, (10) debitorum liberaliſſimus ille ſolutor; minime omiſſurus, ſi quicquam debuiſſent, *c.* 1. *v.* 6. in hæc verba narrans: ἀπαρχὰς καὶ τὰς δεκάτας τῶν γεννημάτων, καὶ τὰς πρωτοκουρίας ἔχων, καὶ ἐδίδουν αὐτὰς τοῖς ἱερεῦσι τοῖς υἱοῖς Ἀαρὼν πρὸς τὸ θυσιαστήριον πάντων τῶν γεννημάτων. Τὴν πρώτην δεκάτην ἐδίδουν τοῖς υἱοῖς Ἀαρὼν τοῖς θεραπεύουσιν ἐν Ἱερουσαλήμ, τὴν δὲ δευτέραν δεκάτην ἀπεπρατιζόμην, καὶ ἐπορευόμην καὶ ἐδαπάνων αὐτὰ ἐν Ἱερουσαλὴμ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν: καὶ τὴν τρίτην ἐδίδουν οἷς καθήκει, καθὼς ἐνετείλατο Δεββώρα ἡ μήτηρ τοῦ πατρός μου. Quæ verba quia in latino & germanico aliter leguntur, ſic græce placuit exſcribere: in hebræa (11) vero *Schreckenfuchſi* editione multo etiam ſignificantiora ſunt. (12) Habebant autem tunc adhuc reges ſuos Judæi: vixit enim Tobias minimum ſeſqui ſeculo ante captivitatem Babylonicam. Quod ſi diuturnitate temporis, regiæ decimæ in deſuetudinem abiiſſent, non reticuiſſent hoc Rabini talium curioſiſſimi, qui etiam minorem negligentiam Haſmonæorum tempore ſubortam notarunt. Hal. Maaſer *initio cap.* 9. בימי יוחנן כהן גדול שהיה אחר שמעון הצדיק שלחו ב״ד הגדול ובדקו בכל גבול ישראל ומצאו שהכל זהירים בתרומה גדולה ומפרישין אותה אבל מעשר ראשון ומעשר שני ומעשר עני היו עמי הארץ מקילין על עצמן לפיכך גזרו שלא יהיה נאמן על המעשרות אלא אנשים נאמנים אבל עמי הארץ פירותיהן ספק ואין נאמנין לומר מעושרין הן וזהו הנקרא דמאי: *In diebus pontificis Johannis, qui ſucceſſit Simeoni, emiſerat ſenatus magnus exploratores in omnes terminos Iſrael, & deprehendit, quod primitiarum oblationes quidem fideliter redderent, utraſque vero decimas, primam ſcilicet, ſecundam, & eam, quæ pauperum eſt, imminuerent. Ideo decreverunt, ne quis poſthac* (ſolus ſine teſte) *ſufficeret ad decimationem, niſi homo notæ probitatis: at plebejorum fructus ſemper dubii eſſent, nec ipſimet de decimatione teſtari poſſent: inde natum eſt, quod vocant* Dammai, (13) *h. e. ſuſpectum &c.*

Pergo ad vectigalia. Ut enim corpus abſque nutrimento tabeſcit, ita regnum

ſine

ſine reditibus enervaretur, etiam nemine extraneo hoſte id infeſtante. Inter reditus autem acie prima loco Vectigalia, (14) ſive Portoria, quæ mercibus & illarum vectoribus, circumvectionis aut venditionis nomine, proque uſu viæ publicæ imponuntur, & juxta frequentiores tranſitus vel pontes exiguntur. Horum jura rex hebræus habuit ſine controverſia. M. H. Mel. *cap.* 4. §. 1. קוצב לו מכס ואסור להבריח מן המכס שיש לו לגזור שכל מי שיגנוב המכס ילקה ממונו או יהרג שנ' יהיו לך למס ועבדוך: *Ordinat ſibi Telonia, quæ vitare vel effugere nefas eſt. Licet enim eum, qui vectigali ſe ſubducendo, illud quaſi furatur, privatione bonorum vel vita quoque punire; quia dicitur* (Deut. 20. 11.) *erunt tibi tributarii & ſervient tibi.* De jure noſtro non ſoluti vectigalis pœna mitior eſt, ut ſubductæ merces in Commiſſum cadant, & fiſco acquirantur. *Quod commiſſum eſt, ſtatim deſinit ejus eſſe, qui crimen contraxit; dominiumque rei vectigali adquiritur.* Ulpian. *l. comm.* 14. *ff. de Publicanis*. Monere autem nil opus eſt, non poſſe omnium promiſcue rerum (15) vectigalia indici honeſte. Conſtat quantum bonæ exiſtimationis Veſpaſiano exhalarit cum graveolentis urinæ telonio: (16) quamvis ille lucri odorem quemcunque bonum exiſtimaret. Ridiculum vero eſt, Morinos Britanniæ populos olim pro platani umbra (17) vectigal ſolviſſe; quoniam arbor illa genialis ex alieno petita orbe, per mare Jonium in Diomedis inſulam, ejus tumuli gratia primum invecta, inde Siciliam tranſgreſſa, tandem ad has etiam gentes tributarias fuit allata, ut Plinius excuſat, *nat. hiſt. l.* 12. *cap.* 1. Et videtur ipſa rerum natura, quorundam bonorum vectigal abhorrere; ſi verum eſt quod de Salinis in Troade refert Athenæus, exaruiſſe illas, cum a Lyſimacho vectigal imponeretur, & cum remitteretur, mox affatim rurſus affluxiſſe. Quænam publicanorum [18] in Judæa fuerit conditio tempore *Chriſti*, ſub Romanis, & quomodo per licitationem telonia conduxerint, partim ex Evangelica hiſtoria, partim e Joſepho cognoſces. Hæc de ordinariis reditibus.

Porro ſi qua neceſſitas incideret, poterat rex etiam extra ordinem a ſubditis pecuniæ contributionem exigere: ut enim opes publicæ pacis ornamenta ſunt, ita etiam ſubſidia belli, adeoque nervus rerum gerendarum. Eod. *init. cap.* 4. Mel. e Maſſ. Nedarim: רשות יש למלך ליתן מס על העם לצרכיו או לצורך המלחמות: *facultatem habet rex imponendi tributum populo, ad neceſſitatem vel ſuam vel militarem.* Neſcio an recte Tributa vocentur, cum non ſint anniverſaria: dicamus potius Collationes vel Collectas, quæ ſic exiguntur; & illud vocabulum tribuamus iis, quæ devicti hoſtes [19] in recognitionem ſubjectionis contribuunt quotannis. Erat vero prudentiæ, [ne diviti pauper æquaretur,] non perſonis, ſed rebus haſce collectas indixiſſe, & ſecundum proportionem Geometricam, proque modulo poſſeſſionum eas exegiſſe. Nam ut aucto, vel meliorato fundo, collecta jure creſcebat; ſic rebus incendio, ſterilitate agrorum, vel alio caſu imminutis, merito & ipſa minuebatur. Nec video, quam rationabiliter aliqui olim apud Romanos, in ſingulas ædium ſuarum regulas, [20] certos aſſes dependere juſſi ſint; cum pauperculus aliquis vix eam domum, contra ditior alius multa inſuper latifundia poſſidere potuerit. Rectius forte iidem fecerunt, quando in uſus Punici belli poſterioris, [21] pecuniam a civibus mutuo accipere, quam nimiis exactionibus gravare maluerunt. Tondere pecus licet, non deglubere: nec expedit anſeres ſic deplumare, ut pennæ nequeant recreſcere. *Prov.* 30. *v.* 33. qui naſum nimis emungit, elicit דם *ſanguinem*, (22) quo nomine apud Chaldæos etiam *pecunia* notatur, (vide *Thisbi* Eliæ,) quia ſanguine ac ſudore pauperum paratur. Idem ſapiens gnomographus *cap. præced.* 29. *verſ.* 4. *Rex juris ſui obſervans ſtabilit regnum; at* איש תרומות *vir oblationum* (h. e. exactionum) *deſtruit illud*: ad quæ verba notat Aben-Ezra ידענו כי תרומות הנשיא שהוא לוקח מעם הארץ היא ששית האיפה כלומר לוקח תרומות רבות יותר מן המדה הידועה יהרוס אותה: *conſtat quod oblatio principis*, (h. e. duodecimviri ſive Tribuni) *quam accipit a plebejis* (contribulibus) *ſit ſexta pars Ephæ* (h. e. ſemiſſis Sati.) *vult igitur dicere: qui ultra eam menſuram exigit plura quam ſibi debentur, potius deſtruit regionem.* Et ad eundem locum R. Lev. B. Gerſ. הנה לא קרא זה האיש מלך כי אין כמוהו ראוי להיות מלך: *ecce talem ſcriptura non dignatur appellare Regem, ſed ſimpliciter vocat Virum, quia indignus eſt regio titulo!* Itemque Kabvenaki: אם יהיה המלך לוקח מתנות מבני אדם או ירים עמו הוא יהרוס העיר במעשהו: *ſi rex munera extorquet ab hominibus, aut exaſperat tributum populi ſui, hoc ipſo facto civitatem evertit*: ſi non ſimul & ſeipſum; neque enim novum eſt, ut Actæon aliquis venationi nimium intentus, a propriis canibus dilanietur. Faceſſant igi-

igitur illi excoriatores hominum, qui rem omnem cum pulvisculo, quod dicitur, everrunt; & ne prætextus vel color desit, nunc hoc nunc illud causantur; ut lusciniolæ nunquam sua cantio deficit. Finxit & Heliogabalus connubia Deorum, ad quæ sibi dote opus esset, ut sic pecunias extorqueret. Contra, scitum erat illud Adriensium, qui, cum Themistocles (23) pro pecunia legatus dixerat, afferre se comites duos Divos Πειθὼ καὶ Βίαν, imperterrite responderunt, sibi quoque Numina totidem adesse Ἀπορίαν καὶ Πενίαν.

Superest ut de maleficorum & bello subactorum opibus dicatur: nam & inde notabilis portio accedebat fisco regio. Neminis quidem vivi opes publicare nec mulctas exigere poterat, nisi Raptor audire vellet; ut *Theor. superiori* dictum. At justo judicio damnatorum opes sibi vendicabat. Mos. Mikoz. (24) *pr. Aff.* 114. הרוגי מלכות נכסיהם למלך *occisorum a rege facultates cedunt regi*. Præsertim vero bona hostium legitimo bello devictorum, inter ipsum & duces dividebantur. Prædiorum ipse sumebat non prorsus unciam, spoliorum vero semissem, sed regii thesauri totum assem. Melach. *cap.* 4. §. 9. המלך משיח גיטל מכל הארצות שכובשין ישראל חלק אחד מי״ג ודבר זה חק לו ולבניו עד עולם וכל הממלכות שכובש הרי אוצרות המלכים למלך ושאר הבזה שבוזין בוזין ונותנין לפניו והיא נוטל מחצה בראש ומחצית הבזה חולקין אותה כל אנשי הצבא ביחד: *Rex unctus* (25) *tollit de omnibus terris, quas subigunt Israelitæ, partem unam e tredecim* (h.e. tantundem quantum una tribus.) *hoc est jus ejus & filiorum post se in seculum. Si quæ regna vincit, suppellectilem regiam* (quippe quæ nulli privato congruit) *ipse capit in solidum; cæteras vero prædas* (bonorum mobilium) *quas prædantur, dividunt: ipse sumit medietatem primo, deinde reliqua medietas distribuitur inter capitaneos*. Sed de his amplius dicetur jam capite sequenti, velut in propria sede.

N O T Æ

In Theorema decimumquintum.

(1) De hoc Theoremate universim consule Seldenum *lib. VI. de Jure Nat. & Gent. c. XIV. fol.* 740. Menochium *lib. I. de Republ. Hebr. c. XI. q. VI. VII. f.* 80. *seqq.*

(2) Verum ego non video. Verum ego miror, non vidisse virum cætera oculatissimum, quid R. Dav. Kimchi *ad* 1. *Sam. VIII.* 15. de his decimis Regi persolvendis scripserit: יקח המעשר מן השדות והכרמים או מתבואות אחר מעשר הלוים: *Accipiet decimas de agris & vineis, aut de proventu post decimas Levitis debitas*. Nempe sacrarum utique personarum erant decimæ, eo ordine illis persolvendæ, quem Auctor erudite ac fuse hic in sequentibus descripsit. Et his nihil detrahi decebat. Erat autem juris Regii postquam de rebus decimandis τὰ τῷ Θεῷ *Deo* data erant, de residuo exigere decimas, de quo ne dubitare quidem concedit expressa litera 1. *Sam. VIII.* 15. & 17. iterata vice obvia: יעשר *addecimabit*, ubi has Regias decimas Israelitis longe molestissimas & difficillimas prædicit Samuel, quod magnam redituum partem jam sacræ decimæ absumsissent. Hinc bene R. Abarbanel *h. l.* כשירצה יקח מעשר מכל הבואות וזה יותר קשה שיתדמה בזה ללוים ולעניים: *Cum placuerit, accipiet decimas de omnibus proventibus, id quod nimis grave molestum erit, siquidem sese assimilet hoc ipso Leviti & pauperibus*, quibus scilicet jam dum omnium redituum decimæ erogatæ, quas tamen de residuo Rex noviter postulabit. Quod nec Majemonides decimarum Regi debitarum in istis halachis, in quibus hanc de decimis materiam ex instituto exposuit, meminerit, nec aliquod earum vestigium suggerat Tobiæ exemplum, decimarum omnium liberalissimi solutoris; quod Noster utrumque urget, id nihil quicquam evincit. Non illud, quia propositum fuit Rabbinorum principi de sacris solum decimis agere, quæ ex divina ordinatione debebantur, non item de iis, quas postea pro arbitrio, licite tamen, Rex sibi exigebat: de his enim dicere alterius loci erat, neque præteriit in Halacha Melachim *loco ab Auctore citato*, cum reditus regios ostendit. Non hoc, quia in isto dramate verius, quam historia, Tobias introducitur veri *Dei* cultor, qui non precibus modo & assidua templi frequentatione, sed & liberali primitiarum decimarumque solutione pietatem suam demonstrarit: id quod ad laudem ejus, qualem intenderat scriptor dramatis, sufficiebat, unde nec tributi aut aliorum Regis postulatorum erogatio commemoratur. Utrum vero ordinarie quotannis post sacras decimas, suas quas juste poterant, exegerint semper Reges; an vero ingruente saltem necessitate, & cum visum forte esset ob rationes populo non æque semper perspectas? id, historia tacente definiri certo nequit. Quæ enim Abulensis *in* 1. *Reg.* (*Sam.*) *VIII. qu.* 237. eumque secutus Menochius *l. I. de Rep. Hebr. c. XI. f.* 80. 81. tradunt, *illicitam Regibus regulariter fuisse decimarum impositionem, nisi propter aliquam magnam necessitatem, potissime quia injustum sit, æqualia esse jura hominis & Dei*, falso innituntur principio, quasi de usurpativo jure, & more tyrannorum intelligendum esset jus illud regium, quod Samuel Israelitis descripsit, cui adeo visa fuerit injusta decimarum exactio, cum tamen non magis iniqua censeri debeat, quam tributorum, jure divino Magistratui vindicata *Rom. XIII.* 2.

(3) Ita se res habebat. Confer de hac materia post R. Maimonidem *in citatis Halachis, Thrumos, Maaser, & Maaser Scheni*, & horummet titulorum *Massechtas Talmudicas*, Sixtini Amamæ *Commentariolum de decimis Mosaicis novæ editioni Anti-Barbari præmissum*. Augusti Varenii *Trifolium sacrum de primogenitis, primitiis, decimis, Rostochii* 1646. *editum*. Josephi de Voisin *Observationes in Proœm. Pugion. Reimund. fol.* 31. *seqq.* Adde Becanum *de Analog. V. & N. T. c. VII. q. VI. p.* 146. *seqq.* Sigonium *lib. IV. de Rep. Hebr. c. XV. p.* 175. *seqq.* Menochium *lib. II. de Rep. Heb. c. IV. fol.* 111. *seqq.*

(4) Hortensia. Agnoscunt tamen ipsimet Rabbini in Massech Joma *fol. LXXXIII. c.* 2. שמעשר ירק דרבנן

ודרבנן *quod decimatio olerum sit a Rabbinis*. Vide Joh. Ligtfooth *Hor. Hebr. in Matth. XXIII. p.* 251. ubi eadem a Christo *Matth. XXIII.* 23. memorata puta anethum, mentham & cuminum, e Talmudicis ostendit, inter decimanda numerari: quocum confer Drusium *lib. II. de Sect. Jud. c. XV. pag.* 101.

(5) Ex omnibus istis. Talm. Mass. Maaseroth *Cap. I. Mischn. I.* כלל אמרו במעשרות כל שהוא אוכל ונשמר וגדליו מן הארץ חייב במעשרות: *Hanc universalem Regulam constituerunt de decimis: Omne quod in cibum cedit, aut custoditur, aut nascitur e terra, id decimationi subest*. Ubi Majemonides *in Glossa*, τὸ נשמר *quod custoditur*, exponit יצא המופקר *quod non est omnibus liberum*, sive *juris communis*.

(6) Animalium quoque fœtura. Recte. Nam decimæ de pecoribus, frugibus, & fructibus dabantur, *Levit. XXVII.* 32. כל מעשר בקר וצאן כל אשר העשיר יהיה קרש ליהוה: *Omnis decima boum & ovium, & cujuscunque animalis, quod transit sub virga decimum, erit sanctitas Domino*. Aut ergo fallitur R. Abarbanel, aut non intelligo, quid sibi velit, quando ad illa Samuelis verba, quibus Israelitarum Regem de pecoribus quoque decimas postulaturum ait 1. *Sam. VIII.* 17. Sic commentatur: עם היות המעשר לגבוה תלוי בגרן ויקב לבר הנה הוא לא די שיקח מהם המעשר ההוא גם יקחוהו מהצאן והוא יותר זר ובכלל צאן נכלל הבקר: *Cum decimæ altissimo debitæ dependerint saltem ab area & torculari; ecce Rex non contentus his decimis, accipiet eas etiam de grege, id quod a decimandi ratione nimis deflectit. Sub grege autem intelliguntur & boves*.

(7) Demonstrabo. Paucis: ex omni proventu annuo decerpebantur (1.) primitiæ, תרומה גדולה *oblatio magna* dictæ, hinc de residuo dabantur (2.) decimæ Levitis, quæ מעשר ראשו *decima prima* vocabantur, quas rursum Levitæ decimabant in commodum Sacerdotum, unde hæc pars, quæ Sacedotibus a Levitis dabatur, nominabatur מעשר המעשר *decima decimæ*: tandem, ubi Levitæ suas accepissent, denuo de residuo (3.) decimæ separabantur, vel Jerosolymis comedendæ, vel redimendæ, & hæ מעשר שני / *decima secunda* dicebantur.

(8) Vides ex allatis. Placet alio exemplo rem delarare. Habeat colonus in reditu præsentis anni, frumenti modium 6000.

6000. Proventus annuus.

100. Thruma seu oblatio magna a colono parco minusque liberali danda Sacerdoti. Hac detracta, colono.

5900. Modii restant. Hac de thruma magna residuum jam decimandum est.

590. Decima prima, quæ dabatur Levitis, de qua hi rursum decimam decimæ, h. e. 59. modios dabant Sacerdotibus. Hac prima decima subtracta, colono.

5310. Restant. Hoc de primis decimis residuum adhuc semel decimandum.

531. Decima secunda, quæ vel in Templa Jerosolymitano absumebatur, vel redimebatur. Hac secunda decima detracta, colono

4779. Modii Restant. Vides igitur, thrumam & utramque decimam colono

1221. Modios absumpsisse: eumque adeo ultra quintam partem adhuc ad 21. modios erogandos obstrictum fuisse, cum pars quinta præcise conficiat modios 1200.

6000.

Confer Synopsin, quam e Scaligero Sixtinus Amama, suo de decimis commentariolo subjecit.

(9) Nulla regis erat. Quid tum postea? neque enim decebat quicquam de his sacris decimis alio transferre. Interim de residuo Rex sibi novas decimas poscebat. Esto igitur, colonum de 6000. modiis frumenti 1221. modios in Levitarum Sacerdotumque & pauperum usum destinasse; erant postea nihilominus de residuis sibi 4779. modiis, decimæ adhuc Regi pendendæ, h. e. 477. minimum modii, ut ipsi vix 4302. modii superessent.

(10) Tobias. Exemplum non quadrare, jam ante diximus. Nec historia, sed drama est. Quanquam enim Rabbini pro vera historia habent, quæ de Tobia traduntur, & contigisse dicunt tempore Hiskiæ, interprete R. Zachutho in Juchasin *fol. CXXXVI. col.* 2. בזמן חזקיה היה מעשה טוביה הצדיק: *tempore Hiskiæ contigit historia Tobiæ justi*; descriptionem tamen, quæ nobis superest, minus fideliter ajunt rem gestam proponere. R. David Ganz *part. II. Zemach. fol. X. col.* 1. ספור המעשה בעמו לדעתי מזויף עד שבעיני כל דבריו דברי היתול וגוזמא: *Narratio historiæ ipsiusmet, si quid judico, corrupta est, siquidem omnia ejus verba mihi videntur ludificatoria & insolentia esse.*

(11) In Hebræa. Audi iterum de Hebræa Tobiæ editione R. Davidem Gonzium *loc. cit.* הדע שספר טוביה הנמצא בידינו בלשון עברי הוא מועתק מלשון לטין ללשון עברי על ידי שעבעסטיאן מוינשטר בעיר באזל זה קרוב למאה שנים כאשר תבין מתוך לשון דברי הספר בנמגום שפתיו עד שכל איש תבונה בהשקפה רשונה ירגיש שמחברו לא היה מבני ישראל: *Scias, librum Tobiæ, qui habetur in manibus nostris hebraice scriptus, translatum esse ex latina lingua in Hebræam, opera Sebastiani Munsteri, in Urbe Basilea, proximo abhinc sæculo, prout cognosces e stylo libri labiorum ejus balbutiem, usque adeo sese prodentem, ut quilibet vir intelligens primo intuitu animadvetat, scriptorem ejus non fuisse e filiis Israel*. Quod hic ait, Munsterum esse auctorem Hebræi textus, falsum est, nam Judæorum opera Constantinopoli pridem impressum Basileam ad Munsterum Memminga miserat Osvualdus Schrekensuchsius, a quo acceptum ille cum versione primum Anno 1556. & denuo cum notis Anno 1570. edidit. Et videtur ipse prius Munsterus, quam vidisset, exemplar illud Hebræum e Latino translatum statuisse. Sic enim Schreckensuchsius in Epistola Hebraica ad Munsterum mense Sivan, i. e. Majo, Anni 5301. supputationis a mundo condito Judaicæ, h. e. *Christi*, 1541. scripta, cum librum ei dono mitteret, inter alia: הוא לא נעתק מלשון רומיים ללשון עבריים כאשר אתה חשבת וכתבת לי אלא כל שכן הוא כן בראשונה נכתב מקצרת יהודים אשר אז היו כי הוא בכל לא מסכים עם לשון רומיים כמו אתה תוכל לראות: *Is non est translatus ex Lingua Latina in Hebraicam, prout tu existimasti mihique scripsisti, sed plane ita initio scriptus est a quibusdam Judæis, qui tunc fuerunt: neque enim per omnia convenit cum Latino exemplari, sicuti ipse videre poteris*. Postea tamen in præfatione alteri illi editioni annotationibus auctæ præmissa, aliter sensit, & historiam primum Chaldaice judicavit contextam, atque deinde per Judæum aliquem, utriusque linguæ peritum, in Hebraicum versam sermonem. Quis autem verterit, aut quo tempore id factum, incertum esse. Addit, in multis locis eam dissentire a Versione Hieronymiana, & ea, quæ sub LXX. titulo circumfertur, quæque ipsa ab Hieronymiana plurimum discrepat: *id quod mihi*, inquit, *probabile argumentum est Hebraicam editionem non profluxisse ex Græca aut Latina interpretatione, ut aliqui, scio, suspicabuntur. Alioquin eodem ordine, eodem tenore, eisdem verbis, denique eadem copia fuissent in omnibus his editionibus translatores usi*. Et post pauca: *Quæ ex Græca nata est, magis consonat cum Hebraica, quam Hieronymiana*.

(12) Significantiora sunt. Ea ibi sic habent; אני הלכתי אל ירושלם במועדים ככתוב בתורת יהוה על ישראל בבכורים ומעשרות ובכירות לכוהנים בני אהרון ודגן ותירוש ושמן ותאנים ורמונים ומכל פרי האדמה לבני לוי המשרתים את פני יהוה בירושלם ומעשר שני ומעשר שלישי לגר ליתום ולאלמנה והלכתי בכל שנה ושנה עם כל אלה לירושלם כמצות יהוה וכאשר צותה עלי דבורה אם אבי: *Ego perrexi Jerosolymam, in solennitatibus, sicuti scriptum est in lege Domini pro Israel, cum primitiis decimis & primogenitis, pro sacerdotibus filiis Aharon, itemque cum frumento, vino novo, oleo, ficubus, malogranatis, atque cum omnibus fructibus terræ, pro filiis Levi ministrantibus coram Domino Jerosolymis. Decimam quoque sencundam & tertiam dedi peregrinis, pupillis & viduis: pergens singulis annis cum omnibus istis Jerosolymam, juxta præceptum Domini, & juxta quod mihi præcepit Debora, mater patris mei.*

(13) Dammai. Potius Demai: sub ד enim vocis דמאי Schva concipiendum est. Extat autem de *Demai* integer Tractatus Talmudicus, isque tertius in prima parte, ad cujus primam statim Mischnam R. Bar-

Bartenora *in Commentario fol. XIX. col.* 1. ſic definit : רמאי הם התבואה והפירות הנקחים מעמי הארץ שהם חשודים על מעשרות : *Demai ſunt proventum & fructus accepti a plebeiis , de quibus ambigitur , an decimæ de iis datæ ſint nec ne* . Oppoſitum ejus eſt וראי *Vaddai* , indubitatum , h. e. fructus , de quibus certo conſtat , decimam nondum datam eſſe .

(14) Vectigalia . Quanquam jus vectigalia tranſeuntibus , eorumque mercibus imponendi ex analogia haud difficulter colligitur ; ſiquidem poſcente publicas pace belloque impenſas regia dignitate a ſubditis recte tributum accipiatur , & ſi a ſubditis cur non etiam a tranſeuntibus & mercibus eorum , quibus non ſine onere & cura ſecuritatem præſtitit ? tacent tamen de eo Hebræi fere , & dubium de ipſo hoc Maimonidis loco , quem Auctor noſter produxit moveri poſſet , annon de eodem tributo , de quo noſter in ſequentibus agit , intelligi debeat ? Nobis ſane ita videtur . Nam cum initio citati capitis docuiſſet Rabbi , habere Regem pro neceſſariis expenſis jus imponendi מס על העם *tributum populo* , ſtatim hæc ſequuntur de ordinando מכס , quæ vox communiter , quidem telonium & publicanorum menſam ſignificat , at ſæpe tamen generatim pro menſa , ubi quælibet tributorum genera colliguntur , imo & latius adhuc pro collybo , & quavis pecuniæ permutatione uſurpatur . Notat ergo h. l. rationem & modum exigendi idem illud tributum , de quo dixerat , poteſtatem habere Regem illud imponendi , prout poſtea demum iſthanc facultatem e Lege Moſaica *Deut. XX.* 11. confirmat . Primum igitur jus tributi aſſerit , deinde modum oſtendit , juxta quem ſuo hoc jure uti poſſit tum exigendo , tum eos , qui ſubterfugere hoc onus cupiant , puniendo , denique probat e lege , quod aſſeruerat : adeoque non erant ſic divellenda Rabbini verba , quaſi pars de vectigalibus , pars de tributis ageret , cum unum idemque omnino redituum Regiorum genus , vel certe utrumque ſimul , reſpiciant . H. Grotius *lib. II. de J. B. & P. c. II. th. XIV.* pro aſſerendo vectigali exemplum Salomonis allegat , quem equos & byſſum ſubjeciſſe vectigalibus , & equos quidem ex Ægypto venientes , cum tranſierint per Judæam in Syriam aut ad Hethæos , magnum pro tranſitu vectigal pendere debuiſſe , ſignificari ait 1. *Reg. X.* 28. Qua in ſententia prævios habuit Tremellium & Junium *notis ad h. l.* nec alienus eſt Ludovicus de Dieu *animadverſ. h. l. p.* 185. Ipſeque Noſter Calovius *in Bibl. illuſtr. f.* 800. Elegans exemplum & ad illuſtranda hæc Auctoris noſtri apprime commodum ; ſed alia tamen omnia ibidem deſcribi , monſtrare nititur Jo. Adamus Oſiander *Annot. in Grot. p.* 681. *ſeqq.* Lege eum & judica .

(15) Omnium promiſcue rerum . De rebus , quibus vectigal antiquitus impoſitum fuit , conſule Guid. Pancirolum *lib. II. Theſ. Variar. lect. toto cap. CX. p.* 281. *ſeqq.* & denuo *lib. III. cap. XXXI. p.* 487. *ſeqq.* in quo toto capite non tantum in genere ex inſtituto tradit , quid ſit vectigal , quis illud invenerit , quare ſit inventum , quotuplex ſit ; ſed & in ſpecie cum diverſarum gentium , tum in primis Romanorum vectigalia explicat . Quod ipſum prolixius adhuc præſtitit Jul. Cæſ. Bulengerus *libro integro ac vectigalibus populi Romani* , in quo vectigalium Regni Galliæ , & eorum , qui Vectigalibus præſunt , origo illuſtratur : quem poſt Toloſanam editionem Chriſtoph. Beſoldus olim Tubingæ denuo evulgavit , ſuiſque de ærario publico diſcurſibus ſubnexuit .

(16) Urinæ Telonio . Vide ſupra *pag.* 206. ex Svetonio *in Veſpaſ. c. XXIII.* & Dione *in ejuſd. vita n.* 5. Cum nimirum Romæ magna hominum verſaretur multitudo , nec in via mingere liceret , erant in angiportibus , qui matulas ad mingendum accepto ære præberent . His Veſpaſianus vectigal impoſuit . Sed & ante *Caligula* ſordidiora adhuc vectigalia exercuit , nullo rerum aut hominum genere omiſſo , cui non aliquod imponeret : ab ipſis enim meretricibus extorſit , quantum quæque uno concubitu ſingulis diebus mereret . Sveton. *in Calig. c. XL.* Idem leonum & meretricum Vectigal fuit quoque poſtea ſub *Heliogabalo* : quod eo minus debet mirum videri , quo certius de ſanctiſſimo (ſcilicet) Pontifice Romano *Sixto IV.* conſtat , erexiſſe lupanar admodum nobile , ut ex meretricio quæſtu infame lucrum acciperet . Ac pendunt etiamnum Pontifici in ſingulas ſeptimanas *num. mum Julium* Romana ſcorta , qui cenſus annuus ducatorum viginti millia quandoque ſuperat .

(17) Pro Platani umbra . Conf. Petr. Greg. Tholoz. *lib. III. Syntagm. cap. X. circa finem* . & Jac. Cujac. *lib. X. Obſervat. c. VII.*

(18) Publicanorum . Iidem paſſim apud Talmudicos male audiunt , & furibus atque latronibus aperte annumerantur . In Gemara Babilonica *Maſſech. Sanhedr. f. XXV. col.* 2. & inde apud R. Majemonidem *Hal. Heduth c. X. §. IV.* ad teſtimonium dicendum declarantur inepti : המוכסין סתמן פסולין מפני שחזקתן ליקח יותר מדבר הקצוב להם בדין המלכות ולוקחין היתר עצמן : *Publicani ſimpliciter* (ad teſtandum) *inidonei ſunt , quia præſumitur de iis , quod plus accipiant , quam in ſtatuto regio ipſis determinatum eſt illudque ſibi ipſis recipiant* . In eadem Gemara *Maſſech. Baba kama fol. XCI. col.* 2. *circa finem* , de ipſorum pœnitentia dubitatur : המוכסין תשובתן קשה : *publicanorum pœnitentia difficilis eſt* . In Miſchna Talmudica Maſſ. Nedarim *cap. III. Miſch. IV.* diſputatio recenſetur inter Scholam Hillelis & Schemmai de quæſtione , an ſi qua res nec thruma , nec Regis ſit , eſſe tamen alterutrum , affirmare liceat להרגין ולחרמין ולמוכסין *coram homicidis , prædonibus & publicanis ?* Ibi R. Obadias de Bartenora *fol. CXLVI. col.* 2. conjugi ejuſdem furfuris ſocios annotat , & הרגין *homicidas* exponit eſſe לסטים שהורגים האדם ונוטלי את ממונן *Latrones , qui occidant hominem , ut ejus pecuniam auferant* . חרמים *Prædones* vero eſſe גזלים שאינם הורגים *raptores , qui non occidant* quidem , interim opes rapiant , a quibus parum abſint מוכסים *Publicani* , intelligendum tamen hoc ait במוכס העומד מאיליו *de publicano , qui ſeipſum telonio intruſit* , non de eo , שהעמידו המלך בין מלך ישראל בין מלך גוי ולוקח דבר קציב בחוק המלכות : *quem rex conſtituit , ſive Rex Iſraelis ſit , ſive Rex Ethnicus , quique non niſi determinatum in ſtatuto regio accipiat* . Similiter R. Majemonides , cum & ipſe *in Halach. Geſela vaabheda c. V. §. IX.* Publicanos Raptoribus annumeraſſet , & ſatis acerbe hæc & id genus alia præmiſiſſet : בני אדם שחזקתן גזלנין וחזקת כל ממונן מן הגזל מפני שמלאכתן מלאכה גזלנין כגון המוכסין והליסטים אסור ליהנות מהן שחזקת מלאכה זו שהוא גזול . ואין מצטרפין דינרים מן תיבה שלהן שהכל החזקה גזילה : *De quibus hominibus præſumtio eſt , quod ſint raptores , de quorum item opibus præſumitur , quod ex rapina ſint collectæ , eo quod eorum negotium ſit ipſum prædonum opus , verbi gratia* , Publicanorum & Latronum ; *eorum opibus prohibitum eſt uti , quia præſumtio de hujuſmodi re eſt , eſſe raptam , aut furto ablatam . Neque commiſcendi ſunt nummi cum nummis ex eorum arca , quia de omni tali præſumptio eſt rapinæ* . Paulo poſt , paucis interjectis , *§. XI.* exponit , de quibus publicanis hæc dicta voluerit : במה דברים אמורים שהמוכס כליסטים בזמן שהמוכס כותי או מוכס העומד מאיליו או מוכס העומד מחמת המלך ואין לו קצבה אלא לוקח מה שירצה ומניח מה שירצה . אבל מוכס שפסקו המלך ואמר שיקח שליש או רביע או דבר קצוב והעמיד מוכס ישראל לגבות חלק זה למלך ונודע שאדם זה נאמן ואינו מוסיף כלום על מה שגזר המלך אינו מחזקה גזלן לפי שדין המלך דין הוא וכו' : *Quomodo intelligenda ſunt hæc verba , ut publicanus habeatur pro latrone ? Reſp. Eo tempore , quo publicanus eſt Ethnicus , aut quo ſeipſum telonio intruſit , aut quo conſtitutus quidem eſt a Rege , non tamen habet determinatum quid , quod exigat , ſed accipit , quantum ipſe voluerit , & remittit , quantum ipſe voluerit . Verum ſi Rex vectigal impoſuerit , dixeritque , exigendam eſſe tertiam vel quartam , aut aliam ſummam determinatam , & conſtituerit publicanum Iſraelitam , ad exigendum hanc partem Regi , ac conſtat hominem alias fidelem eſſe , neque quicquam addere ei , quod Rex decrevit , de eo non eſt præſumtio , quod raptor ſit , eo quod jus ipſius ſit jus illud &c.*

(19) Devicti hoſtes . De his tributariis extat Lex divina *Deut. XX.* 11. & paſſim exempla Cananæorum *Joſ. XVI.* 10. *XVII.* 12. 13. *Judic. I.* 27. *ſeqq.* Palæſtinorum & Moabitarum 2. *Sam. VIII.* 1. 2. Sy-

Syrorum 2. *Sam. X.* 19. Jebusæorum 1. *Reg. IX.* 21. &c. Conf. Jo. Seldenum *lib. VI. de J. N. & G. c. XIV. fol.* 740.

(20) In singulas ædium tegulas. Factum hoc Romæ in obsidione Mutinæ adversus Antonium, cum pecuniæ deficerent. Refert e Dione Cassio, Petr. Greg. Tholoz. *lib. II. de Republ. c. IV. p.* 431.

(21) In usus punici belli posterioris. Nempe tunc Senatus primum ipse suas opes in medium protulit, nec præter quod in bullis singulisque annulis erat, quicquam sibi reliquere. Eques secutus exemplum, imitatæque equitem tribus. Denique vix suffecere tabulæ, vix scribarum manus, cum privatæ opes in publicum deferrentur, teste Floro *lib. II. rerum Romanar. c. VI.* Referebatur enim in tabulas quantum quisque contulisset, ut meliori Reipublicæ statu redderetur; quod etiam finito hoc bello tribus æquis portionibus factum esse, e Stadio, Livioque observat Freinshemius *in notis ad Flor. l. c. p.* 145.

(22) דם Sanguinem. Elegans allusio. Notandum interim, Eliam equidem *in Thisbi ab Auctore citato p.* 65. docere, nomen דם alias *sanguinem* significans Rabbinis & Chaldæis esse *pecuniam*, & hoc non tantum illo Rabbinorum effato confirmari: כי שאין לו דמים לא יעמור בשוק *Cui non est pecunia, ne stet in foro*; sed & e Targum 2. *Sam. XXIV.* 24. ubi pro Hebræo במחיר *pro pretio*, habetur ברמין *pro pecunia*; addere tamen: ולא נמצא רק בלשון רבים *Non invenitur* hoc sensu *nisi in plurali numero*. Simile illi vulgato Rabbinorum dicterio habetur in Gemara Babil. Massech. Pesachim *fol. CXII. col.* 2. אל תעמור על המקח בשעה שאין לך דמים *Ne stes apud emtionem eo tempore, quo non habes pecuniam*. Idem & apud Græcos atque Latinos invenias, quibus non inauditum est, pecuniam nomine sanguinis venire. Sic enim Antiphanes in Timoclis apud Stobæum *de laude divitiarum Serm. LXXXIX.*

> Τἀργύριόν ἐςιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς,
> Ε῞ςις δὲ μὴ ἔχει αὐτὸ, μηδ᾽ ἐκτήσατο,
> Ο῞υτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ. i. e.

Argentum hominibus Sanguis *& anima est. Hoc quisquis non habet neque possidet, ille inter vivos mortuus obambulat*. Et Augustinus *Serm. V. ex XL. recens excusis*, cum formulam hanc, qua Domini olim servos increparent, retulisset: *Male serve, fidem mihi non servas? Nescis, quia emi te? Nescis, quia* Sanguinem meum *pro te numeravi?* Paucis interpositis: Sanguinem tuum, inquit Pecuniam *tuam vocas? Tantum amas pecuniam tuam, ut eam appelles* Sanguinem *tuum*. Cæterum ex illa vocis דם ὁμωνυμίᾳ, qua & *sanguinem* & *pecuniam* notat, opinionem istam, quod Christianorum sanguinem expetant Judæi, manasse suspicatur Dilherrus *lib. I. Elector. c. XIII. p. 76. seqq.* Sic enim vulgo credi ait, Judæos ob gravissimum fœtorem non tolerari, imo non vivere posse, nisi Christianorum sanguinem secum portent. Alii tamen putant, abuti eos sanguine Christianorum ad restinguendum cruorem, qui illis perpetuo fluat; Alii, abuti ad magica, veneficia & necromanica; Alii, solam Salvatoris in ea re ab iis quæri contumeliam; de quibus omnibus vide Jo. Wolfium *Cent. XV. Lection. Memorab. f.* 962. (833.) *& f.* 966. (836) *Unde autem hæ fabulæ?* quærit Dilherrus, &: *Scripsit quidam Hebræorum*, inquit, *sectæ suæ homines anquirere debere* דמי משיחים *quod* (cum pecuniam & opes Christianorum notet) *illi, qui non nisi primoribus Hebraica labris gustarant, verterunt*: Sanguinem Christianorum; *in Bibliis deprehendentes* דם *sanguinem significare*. Non male quamquam vicissim negari nequeat, eos non minus sanguinis, quam pecuniæ Christianorum esse sitientissimos. Neque id inficiari audet Hottingerus *lib. I. Thes. Phiol. c. I. sect. VII. p.* 52. cum certum esse pluribus Auctoribus ostendisset, Judæos sæpe infanticidiorum convictos solum vertere fuisse coactos: in eo saltem ambiguus, *religione an odium ad hæc patranda facinora eos adegerit?* Auctores quos magno numero producit, apud ipsummet videantur, conferaturque laudatus modo Wolfius *Cent. XVI. Memorabil. Lect. Tom. II. fol.* 175. (184.) ubi de Jo. Pfefferkornio Halis Saxonum combusto memorat confessum fuisse, quod duos Christianorum infantes rapuerit, & alterum eorum cum aliis Judæis, sanguinem extrahendo, interfecerit. Cum primis vero hoc memorabile est, quod Judæus quidam Ratisbonæ, baptizatus, referente Mich. Neandro *tract. de reb. Judaic.* & post illum Abr. Mellino *in Martyrolog. Belgic.* apud Gisbert. Voetium *diss. de Judaismo, part. II. Dispp. select. p.* 82. indicavit, mactare solitos Christianorum liberos, ut sanguine eorum excepto, inque mundum linteum destillante, se moribundos obliniant, additis his verbis: *siquidem Jesus sit verus Messias, sanguis hujus innocentis, qui in fide Christi mortuus est, prosit tibi ad vitam æternam*. Luculentum certe sauciæ eorum conscientiæ testimonium; modo certiori testimonio de eo constaret. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ occasione voculæ דם *sanguinem* & *pecuniam* designantis.

(23) Temistocles. Memorat Plutarchus *in ejus vita fol.* 87. ex Herodoti *Urania f.* 636.

(24) Mos. Mikoz. Quæ hic ex R. Mose Kozensi afferuntur, eadem tradit R. Moses Maimonides *Hal. Melach. c. IV. §. IX.* verbis propemodum iisdem: כל הרוגי המלך ממונן למלך *Quicunque a Rege morti traduntur, eorum bona Regi cedunt*. Ad quem locum R. Joseph Karo *in Keseph Mischne fol. CCLXXXIX. col.* 4. בסנהדרין ס״פ נגמר הדין תנו רבנן הרוגי מלכות נכסיהם למלך הרוגי בית דין נכסיהן ליורשין רבי יהודה אומר אף הרוגי מלכות נכסיהם ליורשים ופסק כת״ק: *Habentur hæc*, inquit, *in fine Capitis VI. Massech. Sanhedrin, ubi Rabbini docuerunt, occisorum a Rege facultates cedere Regi; at quos Synedrium morti adjudicavit, eorum facultates cedere hæredibus. Quibus licet contradixerit R. Jehuda, etiam a Rege occisorum facultates hæredibus cedere, obtinuit tamen sententia priorum Doctorum*. Locus e Sanhedrin citatus est *fol. XLVIII. col.* 2. & in Beth Israel *part. II. fol. CLXXI. col.* 4. & in Cocceji excerptis *pag.* 260. Refert etiam R. David Kimchi *ad* 1. *Reg. XXI.* 15. *fol. CCII. col.* 2. qui consulatur, nam illud Achabi atque Jezabelis factum ex hac consuetudine & lege pulchre illustrat.

(25) Rex unctus. Locus hic ab Auctore cum male intellectus, tum quod ex priori fluit, perperam productus est. Quædam enim in Majemonidis textu interferuntur, quæ Auctor hic omisit, & illa ipsa sunt, quæ de bonis jussu Regi occisorum regio fisco accedentibus modo attullimus, ille vero verbis Mosis Mikozi produxerat, quæ sine dubio causa fuit, cur hic repetere eadem noluerit. Accepit enim omnia de uno eorundem Israeliticorum Regum jure. At si repositis suo loco verbis omissis, simulque observata Rabbini disjunctione locum integrum, ut jacet, paulo curatius conferas, constabit, ex parte de Messia sermonem esse, quem ut communiter Judæi, ita hic Maimonides, המלך המשיח *Regem Messiam* vocant: ex parte de Rege Israelitarum quolibet, cujus jus exponitur. Priora quidem, quæ de Messia agunt, in meo Codice, *solo §. VIII.* circumscribuntur, & hæc sunt: המלך המשיח נוטל מכל הארצות שכובשין ישראל חלק אחד מי״ג. ודבר זה חק לו ולבניו עד עולם: *Rex Messias accipit ex omnibus terris, quas subegerint Israelitæ, partem decimam tertiam: idique statutum est ei & posteris ejus in æternum*. Hinc demum novus paragraphus *numero IX.* sequitur, qui de quolibet Israelitarum Rege non Messia, agit: כל הרוגי המלך ממונן למלך וכל הממלכות שכובש הרי אוצרות המלכים למלך וכו׳: *Quoscunque Rex occidere jussit, eorum bona Regi cedunt: & quæcunque Regna occupat, eorum regios thesauros Regi relinquunt &c.* reliqua vide in Schikardi nostri textu. Pergit vero de eodem Regis jure §. X. כל הארץ שכובש הרי היא שלו ונותן לעבדיו ולאנשי המלחמה כפי מה שיראה ומניח לעצמו כפי מה שירצה וכו׳: *Quamcunque terram ille subegit, ea ipsius est, eamque confert servis suis & militibus, prout placuerit, &c.* Hanc esse mentem Maimonidis, arguunt tum verba, quibus מלך *Rex* simpliciter dictus a מלך המשיח *Rege Messia* distinguitur, tum eorumdem ordo & disjunctio, & quod de Messia primum seorsim, de vulgaribus Israelitarum Regibus agat, tum denique res ipsa, & quod partem terræ ab Israelitis occupatæ decimam tertiam, quæ æqualis

lis sit portioni alicujus e duodecim tribubus, Messiæ alias Rabbini tribuant ex illa distributione, quam *Ezechiel*. *XLV*. 6. 7. delineari dicunt. Ibi enim per המלך המשיח הנשיא *Principem* intelligunt *Regem Messia*, cui non minus sua, quam decem tribubus assignetur portio. R. David Kimchi *ad h. l. f. DCXXXIV. col.* 2. לישראל יהיו שנים עשר חלקים ולנשיא חלק השלשה עשר חלק הנשיא כחלק אחד משבטי ישראל בארך וברחב אלא שבתוך נחלת הנשיא תהיה התרומה: *Israelitis erunt duodecim partes; at Principi* Messiæ *pars decima tertia. Pars nempe Principis* Messiæ *erit instar unius tribuum Israelis quoad longitudinem & latitudinem, nisi quod in parte Principis* Messiæ *adhuc oblatio futura sit*. Confer Jo. Seldenum *lib. VI. de Jure Nat. & Gent. cap. XVI. fol.* 748.

CAPUT QUINTUM

DE BELLO. (1)

THEOREMA XVI.

Bella quædam jussu legis gerere tenebatur.

PAlestinam (2) antiquitus incoluerunt Cananæi, populi e Chamo Noæ filio nati, ut e *Genes.* 9. 18. & *cap.* 10. 16. apparet. Quamvis vero authores gentis ibi plures enumerentur, scriptura tamen præcipue septem familias (3) recenset, *Deut.* 7. 1. scilicet Hethæos, Gergezæos, Amorhæos, Chananæos in specie, Pherezæos, Hævæos & Jebusæos, qui extirpandi fuerint & funditus eradicandi. Eorum sedes ex analogia libri Josuæ delineavi, & non tam ornatus, quam memoriæ causa, proque meliori perceptione dicendorum in hanc, quam vides, Tabellam (4) conclusi.



Erant autem superstitionibus mire dediti, & variis, partim horrendis abominationibus infames *Deut.* 18. 10. liberos e se natos, opinione sacri cultus vel meriti, ustulabant Idolo Moloch: magiam, incantationes ac veneficia exercebant, necromantiam quoque & auguria: quod propterea moneo, ne quis putet a Justissimo *Deo*, sine culpa sua, fuisse possessionibus exutos & vita privatos, Horum terras opportunitate loci fertilissimas, (5) melle quasi ac lacte fluentes, pridem Abrahæ promiserat *Deus*, *Genes.* 12. 7. *& c.* 13. 15. *& c.* 15. 18. ejusque posteris tanquam dignioribus colonis; modo reciproca pietate se gratos exhibeant. Postquam igitur ex Ægyptiaca servitute liberati, exactoque quadraginta annorum exilio, Arabiæ desertum emensi, ad has regiones appulerunt, cœperunt jussu *Dei*, duce vero Josua, veteres inquilinos ad internecionem usque persequi. Nec tamen prorsus omnes extirparunt, sed remanserunt (6) passim aliqui superstites, qui posterorum virtutem exercerent; ne scilicet tam fertilis ubere tellus, simul omnibus colonis orbata, in vastas solitudines degeneraret, unde pejus a feris bestiis, quam ab hoste humano timerent *Exod.* 23. 29. *Deut.* 7. 22. Relicti sunt ergo habitatores Gaser in tribu Ephraim, facti tamen tributarii. *Jos.* 16. 10. Jebusitæ Hierosolymis in tribu Benjamin, *Jud.* 1. *vers.* 21. complures Chananæi in tribubus Manasse, Sebulon, Aser & Naphtali, *versib.* 27. 28. *& seqq.* adeo ut etiam Salomonis tempore multi Amoræorum, Hethæorum, Pheresæorum, Hevæorum & Jebusæorum inter Israelitas habitarint, 1. *Reg.* 9. 21. Imo longe serius, Christi Servatoris ætate, Gergesæi (7) adhuc superfuerit *Matth.* 8. 28. Itaque ad Reges ea cura seculorum successione fuit devoluta, ut hasce Chananæorum reliquias paulatim conficerent & excinderent e numero populorum. R. Mos. ben Maym. H. Mel. *init. cap.* 5. אין המלך נלחם תחילה אלא מלחמת מצוה

ואי

ואי זו היא מלחמת מצוה זו מלחמת שבעה עממים ומלחמת עמלק ועזרת ישראל מיד צר שבא עליהם ואחר כך נלחם במלחמת הרשות והיא מלחמה שנלחם עם שאר העם כדי להרחיב גבול ישראל ולהרבות גדולתו ושמעו: *Ante omnia gerit rex bella mandata, nempe septem populorum & Amalek: (8) juvatque contra hostes ipsi super venientes: postea demum suscipit prælia majestatis contra gentes alias, ut dilatet terminos regni & augeat magnitudinem ejus una cum fama.* E quibus verbis apparet, bella Hebræorum fuisse vel *defensiva* contra incursus vicinorum, vel *Offensiva*, etiam adversus non lacessentes; hæcque rursus duplicia, vel *Legalia*, quæ Moses præceperat, vel *Ultronea* quæ quisque pro dilatatione imperii sponte susceperat: de quibus *Theor. seq.* Nunc illud excutiendum est prius, quod de Amalek (9) adjunxerat. Jubentur illi omnino deleri, (10) ut ne quidem vestigium sub cœlis amplius extet, *Deut.* 25. *ult.* victoriæ vero memoria in solis Chronicis (11) conservetur *Exod.* 17. 14. R. Mosche de Kozi *præc. affir.* 116. & & rursus *pr. negat.* 226. item Maym. H. Mel. *cap.* 5. §. 3. מצות עשה לאבד זכר עמלק שנ׳ תמחה את זכר עמלק ומצות עשה לזכור תמיד מעשיו הרעים ואריבתו כדי לעורר איבתו שנ׳ זכור את אשר עשה לך תשכח בלב שאסור לשכוח איבתו ושנאתו: *Legem habemus quæ jubet nos perdere memoriam Amalek: & sonat* (Deut. 25. 19.) *dele memoriam Amalek. Item aliam,* (12) *quæ jubet nos contra, meminisse jugiter operum ejus malorum & insidiarum, ut excitemus* (vel acuamus) *iras nostras adversus eum; quæ sonat* (vers. 17. *recordare quid fecerit tibi Amalek. Ex orali Kabala* (13) *didicimus, verbum textus:* Recordare: *referri ad os,* (quo jugiter id narrandum sit) *sed verba* (vers. 19.) Non obliviscaris: *respicere cor, ne unquam obliviscantur illius odii.* Quid ergo est illud grande nefas, (14) cujus indesinenter meminisse debent? oportet Amalekitas insigne quoddam hostilitatis specimen edidisse, aut facinus patrasse præ aliis notabile, quo tam irreconciliabile odium & vindictam perpetuam meriti sint. Erant enim alias Judæorum agnati, ex Esau oriundi, *Genes.* 36. 12. unde & Edomæi descendunt, *vers.* 9. quibus tamen parcere jussit *Deus*, *Deut.* 2. 5. cur igitur isti sunt deterioris conditionis? id scriptura duobus verbis innuit, *Deut.* 25. *vers.* 18. יזנב הנחשלים *decaudicavit debiles*, quod nostri interpretes metaphorice accipiunt de agminis extremitate trucidata, quia Græci sic reddiderunt, ἔκοψε τὴν οὐραγίαν, τοὺς κοπιῶντας ὀπίσω σου. Judæi vero (15) quibus ex lege incubuit istorum particularius meminisse, ad verbum exponunt, amputasse virilia quibusdam lassis de tribu Dan, qui tardius erant secuti, in exprobrationem & contemtum circumcisionis. Audiamus ipsosmet narrantes. R. Bachai *sub finem Parsæ Ki Teze.* חותך מילה וזורק כלפי מעלה ואומר טול מה שבחרת והיה עושה זה מאותן חסרי כח הזנבות והחלושים שבהן מחמת עונות שהיה הענן פולטן (16) וכתוב למעלה מן הענין והחזיקה במבושיו בא שמואל עה׳ ופרע להם שנ׳ וישסף את אגג היה מחתך את בשרו כזתים ומאכיל לנעמוניות מהו עמלק עם לק עם שבא ללקק דמן של ישראל ככלב ר׳ לוי בשם ר׳ שמעון בן חלפתא אומר למה היה עמלק דומה לזבוב שהוא להוט אחר המכה כך היה עמלק להוט אחר ישראל: *Abscidit membra circumcisionis & projecit sursum versus cœlum dicens:* Tolle quod Elegisti! (Deum irridens: ut Julianus Apostata Christum, occlamans: Vicisti Galilæe!) *hocque fecit languidis illis in extremo agminis, quos* (viæ comes & monstratrix) *nubes ejecerat.* (nescio quid hoc sit alterius miraculi (17) *Congruit quod eodem capite scribitur* (vers. 11.) *in simili negotio, de muliere verenda contrectante. Sed venit Samuel, & vindicavit hoc scelus quando dilaniavit regem eorum Agag,* (1. Sam. 15. 33.) *hoc est, jure talionis amputavit* (præputiatam) *carnem illius, ut olivas solent putare, & in cibum projecit struthionibus. Quid notat etymon Amalek?* עם לק *populum qui lambit, scilicet sanguinem Israelis, veluti canes. R. Levi, nomine R. Simeon f. Caliphtæ ait: similes esse muscis, qui ulceribus inhiant avidissime.* Habent hoc ex antiquissimo Targum Jonathæ ben Uziel, qui *vers.* 18. *capitis* 25. *Deut.* sic reddidit Chaldaice: דארעו יתכון בארחא והוה קטיל בכון כל דהוה מהרהר למסטי בתר טימרי הנון גובריא דמשבטא דבית דן דהוה בידיהון פולחנא נוכראה והוה עננא פליט יתהון ודבית עמלק מקביל יתהון וקטע בית גבריהון ושדי לעילא ואתון בית ישראל הויתון לעין ומשלהון מסוני שעבורא דמצראי ומן דלוחי גללי ימא דעברתון במציהון ולא דחלו בית עמלק מן קדם יי׳: *Quæ occurrerunt vobis in via, cum occidit e vobis quotquot cogitarunt declinare* (ἀπὸ τοῦ λόγου) *a sermone meo, scilicet viros tribus Dan, inter quos erat cultus alienus* (Idolorum,) *hos ejecit nubes* (in columnæ formam castra præcedens, Exod. 13. 21.) *sed excepit eos Amalek & amputavit loca virilitatis eorum, projecitque sursum: tunc vos Israelitæ lassi eratis & fatigati, a recessu servitutis* Ægy-

Ægyptiacæ, præque terrore fluctuum maris, per cujus medium transieratis: at Amalekitæ nil reverebantur Deum. R. Salom. Jarchi (18) *in com. s. h. l.* ait, etiam nefanda sed ipsis consueta libidine Israelitas incestasse: quo vel solo crimine diram internecionem meruissent. קרך לשון קרו וטומאה שהיה מטמאן במשכב זכר *vox Accidit sumitur* (eo significatu quo supra cap. 23. vers. 10.) *de accidente pollutionis, quoniam abusi sunt illis pædicando*. Ut ut sit, hoc certum est, in lege magis exosos fuisse *Deo*, quam ullos vicinarum gentium, nec vita tantum & fortunis, sed etiam omni mentione nominis apud posteritatem, spoliari jussos. Erat hoc primum bellum Israelis, & putant etiam fore ultimum. Nam ipse Moses id cœperat statim ab egressu *Exod.* 17. 11. vincens quamdiu palmas in sublime porrigeret: quia vero nondum omnes deleti sunt, existimat Commentator Maymonidis, *ad Marg. cap.* 5. *Melach.* reservari cæteros Victori Messiæ, (19) semper Augusto; dicens מצוה זו אינה נוהגת עד ימות המשיח לאחר כיבוש הארץ: *præceptum hoc non prorsus impleri ante tempus Messiæ, qui subacturus sit terram*, (quod fiet intra proximos 39. annos: nisi calculus recentium Rabinorum, (20) & nominatim R. Esaiæ Anav. *in præfatione Calendarii sui*, fallit; quod equidem valde suspicor.)

Quamvis vero scriptura vacationem a militia quibusdam indulserit, *Deut.* 20. *vers.* 5. 6. 7. de quo privilegio infra *Theor. seq.* dicetur amplius; ea tamen immunitas nemini concessa fuit in bellis legalibus (21) septem populorum & Amalek, contra quos universi, etiam sponsus e thalamo, in aciem prodire debuerunt סמ״ג pr. aff. 20. & רמב״ם H. Mel. c. 7. §. 4. בד״א מחזירים אנשים אלו מעורכי במלחמה במלחמות הרשות אבל במלחמת מצוה הכל יוצאין ואפילו חתן מחדרו וכלה מחופתה: *quæ dicta sunt de remissione virorum e castris, intelligantur de bello majestatis: at in præcepta bella omnes exeunt, etiam sponsus e cubili & sponsa e velamine suo*, (sub quo in solennitate nuptiali copulantur. *Joel* 2. 16.) Hinc igitur longe facessat omnis metus, assumantur vero spiritus generosi & bonæ spei de certa victoria pleni. Molles enim & degeneres animi non tantum per se nil efficiunt præclari, sed etiam contagione sua strenuos quosque inficiunt, ut una relaxentur & vincendi occasiones perdant. Itaque lex tam serio totque verbis inculcat, ut omni pavore abjecto, viriliter agant, *Deut.* 20. 3. quæ Moses Kozæus ad singulos actus hostiles referens, hoc modo explicat *pr. neg.* 231. אל ירך לבבכם אל תוראו ואל תחפזו ואל תערצו מפניהם ד׳ לאוין הללו עניין אחר אומות העולם עושים במלחמה מניפין בתריסיהן להקישן זה לזה כדי להשמיע קול שיפחדו כנגדם וינוסו ומצהלין בסוסיהן להשמיע שמיע שעטת סוסיהן וצווחין בקולם ותוקעין בשופרות ובמיני משמיעי קול והזהירה תורה לכך אל ירך לבבכם מצהלות סוסיה ואל תראו מהנפת תריסין ואל תפחדו מקול הקרנות ואל תערצו מקול הצווחה כי ה׳ אלהיכם ההולך עמכם להלחם לכם עם אויביכם להושיע אתכם: *ne mollescat cor vestrum, ne paveatis, ne trepidetis, ne formidetis ipsos. Quatuor probibitiones istæ sunt unius & ejusdem significationis, sed opponuntur totidem actionibus, quas solent reges gentium edere in prælio. Quatiunt scuta sua ut collidantur invicem, & audientes timore percellantur fugiantque: provocant equos ad binniendum, & impellunt ut late personet strepitus ungularum: conclamant voce ardua: & clangunt insuper taratantaris. Adversus tot formidabilium sonorum species præmunivit eos lex sigillatim; addens, si fiduciam babuerint*, Deum *fore secum in pugna, & contra hostes auxiliaturum*. Insignis est locus Maymonidis, *sub finem cap.* 7. *Mel.* quo velut classico militum suorum animos incendit, ut in tam justis bellis vitam pro lege profundere nil dubitent: jubens tunc omnem familiæ & propinquitatis curam, penitus ex animo delere; quæ ipsorum quidem animos enervet, alteris tamen nequicquam prosit: admiscens quoque minas, quam gravem *Dei* offensam contrahant qui mandata ejus militaria tam segnites exequantur; tum vero quam injurii sint in commilitones, qui pusillanimitate sua illorum ardores hebetent, sicque cæsorum sanguinis quodammodo rei fiant: erigens tandem & consolans eos qui fortiter occumbunt, inituros paradisum, affatim ibi recreandos: מאחר שיכנס בקשרי המלחמה ישען על מקוה ישראל ומושיעו בעת צרה וידע שעל יחוד ה׳ הוא עושה מלחמה וישים נפשו בכפו ולא יירא ולא יפחד ולא יחשוב לא באשתו ולא בבניו אלא ימחה זכרונם מלבו ויפנה מכל דבר למלחמה וכל המתחיל לחשוב ולהרהר במלחמה ומבהיל עצמו עובר בלא תעשה ולא עוד אלא שכל דמי ישראל תלויין בצווארו ואם לא נצח ולא עשה מלחמה בכל לבו ובכל נפשו הרי זה כמי ששפך דמי הכל שנ׳ ולא ימס את לבב אחיו כלבבו והרי מפורש בקבלה ארור עושה מלאכת ה׳ רמיה וארור מונע חרבו מדם: וכל הנלחם בכל לבו בלא פחד ותהיה כוונתו לקדש את השם בלבד מובטח לו שלא ימצא נזק ולא תגיעהו

תניעהו רעה ויבנה לו בית נכון בישראל ויזכה לו ולבניו עד עולם ויזכה לחיי עולם הבא שנ' כי עשה יעשה ה' לאדני בית נאמן וגו' והיתה נפש אדני צרורה בצרור החיים את ה' אלהיך : *Postquam intravit obligationem militiæ, nitatur super eum qui est expectatio Israel, servator ejus in tempore afflictionis* (Jerem. 14. 8.) *&* *sciat quod pro confessione unitatis divinæ pugnet: gerat igitur secure animam in manu sua* (h. e. periculum vitæ nil reformidet, phrasis e Job. c. 13. v. 14.) *neque cogitet de uxore sua vel liberis, sed memoriam illorum procul e corde removeat, in id solum intentus quod belli est. Nam si inciperet fluctuare cogitationibus, non tantum confunderet seipsum, sed etiam peccaret contra vetitum legis. Quin imo totius populi sanguis pendet a collo suo. Si enim succumbunt, ipse vero non satis strenue pro cunctis viribus pugnavit, perinde habetur, ac si cruorem omnium ipse fudisset, sicut dicitur* (Deut. 20. 8.) *revertatur, ne liquefaciat cor fratrum ut suum. Huc etiam accommodat Kabala illud* (Jerem. 48. 10.) *maledictus qui peragit opus Domini negligenter, & execrandus qui prohibet gladium suum a sanguine. Contra, qui prælio instat omni conatu, absque trepidatione, cum proposito sanctificandi numen, is victoriæ securus confidenter sperare debet, nihil sibi nociturum vel eventurum adversi, sed paratum iri domum in Israel, congruam sibi & filiis post se in perpetuum, & habitum iri dignum æterna vita, sicut dicitur* (1. Sam. 25. 28. 29.) *parabit* Deus *domino meo domum stabilem, quia prælia Domini præliatus est; eritque anima ejus colligata in fasciculo vitæ cum* Deo *suo.* Quis est tam imbellis, qui tali classico non animetur? aut in certam ruere mortem formidet? Sæpe miratus sum, quid sit illud, quod Turcas, homines barbaros, & si cum Christianorum industria conferas, multo nobis inferiores, tam pertinaciter in acie retineat; ut aliquando se nostris ultro quasi sacrificandos exhibuerint; sed nunc mirari desino, postquam in eorum Bibliis, Alkuranum dico, tot cohortationes ad fortitudinem inveni, suffultas paradisi promissionibus (22) plusquam Sybariticæ, qua vix ipse Sardanapalus optare possit suaviorem, quis non ejus quamcitissime compos fieri festinet, cui summum bonum in hisce delitiis repositum? Sureta *Imrani* (23) patris Mariæ (quem Epiphanius *Joakimum*, vulgus *Eli* nominat, Muhammedes vero Mosis parenti cognominem facit) *vers.* 168. *&* 169. ولا تحسبن الذين قتلوا في سبيل الله امواتا بل احيا عند ربهم يرزقون فرحين بما اتيهم الله من فضله ويستبشرون بالذين لم يلحقوا بهم من خلفهم الا خوف عليهم ولا هم يحزنون: *Nequaquam existimes, eos qui occisi sunt in semita Dei* (hoc in competente titulo semper appellat latrocinia sua) *mortuos sed vivos apud Dominum suum sustentantur: lætantes eo, quod suppeditat ipsis* Deus *de abundantia sua; & delectantur. Quos non sollicitat quicquam de superstitibus, an terror* (vel periculum) *sit super eos: nec ipsi* (amplius) *contristantur. Quos non sollicitat quicquam de superstitibus, an terror* (vel periculum) *sit super eos: nec ipsi* (amplius) *contristantur.* Et eadem Sureta, paulo antrius *versibus* 154. 155. exprobrat meticulosis ignaviam, qui se morti objicere dubitant, sperantque domi fore tutiores: respondens, mortis horam esse fatalem, quam ne domi quidem evitare liceat, foris autem in militia occumbentes, gaudere insuper duplici privilegio, quod & peccati veniam consequantur, & ab universali judicio sint immunes: si credere fas est! يا ايها الذين امنوا لا تكونوا كالذين كفروا وقالوا لاخوانهم اذا ضربوا في الارض لو كانوا غزا لو كانوا عندنا ما ماتوا وما قتلوا ليجعل الله ذلك حسرة في قلوبهم والله يحيي ويميت والله بما تعملون بصير. ولين قتلتم في سبيل الله او متم لمغفرة من الله ورحمة خير مما يجمعون. ولين متم او قتلتم لا الى الله تحشرون: *O vos quicunque creditis: ne sitis sicut illi qui abnegant, & dicunt de fratribus suis cum pugnant in terra, aut gerunt se strenue: si manerent nobiscum, non morerentur, nec occiderentur! sic ponit* Deus *tale scandalum in corda eorum. Sed* Deus *est qui vivificat & mortificat: is omne id, quod agitis, intuetur. Quod si occidamini in semita* Dei, *aut moriamini, remissio erit a* Deo *& misericordia, melior eo quod congregatis: & si occumbatis ac interficiamini, non ad* Deum *sistemini.* Huc ergo properate, o bis miseri homines, qui malesuadæ conscientiæ præsagio judicium metuitis; an id forte vestro cruore possitis redimere! sicut & mo-

morientes Judæi, (24) veræ ſalutis ignari dicunt תהי מתתי כפרה על כל עברותי *ſit mors mea expiatio cunctarum tranſgreſſionum mearum*, eoque velut epiphonemate ultimo, infelices animas, neſcio quorſum! exhalant.

Nunc e diverticulo in viam, h. e. ad bella Judæorum; in quibus ſemper & ante omnia pacem offerre (25) hoſtibus oportuit, etiam illis ſeptem populis quos *Deus* ſpecialiter voluit extirpatos. R. Moſ. Mik. *pr. aff.* 118. מצות עשה לקרא אפילו לשבעה עממים לשלום כל שכן למלחמת הרשות עם שאר האומות: *Juſſio legis eſt, acclamare prius pacem, etiam ſeptem gentibus; quanto magis in bello poteſtatis, cum ceteris nationibus?* & alter Moſes Ægyptius, *init. cap. 6. Malach.* אין עושין מלחמה עם אדם בעולם עד שקוראין לו שלום אחר מלחמת הרשות ואחר מלחמת מצוה שנ׳ כי תקרב אל עיר להלחם עליה וקראת אליה לשלום: *non infertur bellum cuiquam homini in mundo, niſi prius oblata pacis conditione; ſive Majeſtatis bellum ſit, ſive Legale, quia dicitur* (Deut. 20. 10.) *cum appropinquaveris urbi ut oppugnes eam, acclamato illi pacem*. Continebat autem illa pacis oblatio tria petita, (26) quorum primum religionem & bonos mores, alterum facultates, ultimum corporalia ſervitia concernit: prout ea Kozæus *ibid.* enumerat. מה הוא השלום שקוראין מבקשים מהן שלשה דברים שיקבלו שבע מצות שנצטוו בני נח עליהם ושיהו למס עובד ושיהו עבדים כבושים תחת יד ישראל לעשות ככל אשר יצוה המלך: *Quænam ſunt illæ conditiones pacis? poſtulant ab eis tria,* 1. *ut recipiant ſeptem præcepta filiorum Noæ* (quæ declarabuntur infra Theor. ſeq.) 2. *ut fiant tributarii.* 3. *ut ſint ſervi, humiliati ſub manus Iſraelitarum, & omnia facere parati quæ Rex juſſerit*. Reperio tamen exceptionem de Moabitis & Ammonitis ex inceſtu Lothi natis, *Gen.* 19. *verſ.* 37. 38. pacem ipſis ſolis non fuiſſe oblatam; conceſſam vero ſi ultro eam rogarint. Pr. Negat. 228. כתוב בעמון ומואב לא תדרוש שלומם וטובהם כל ימיך לעולם ואעפ״ שאין שואלין בשלומם השלימו מעצמן תחילה מקבלין אותן שנ׳ כטוב לו לא תוננו יכול אף אילו א׳ ר׳ אליעזר ממיץ כדא׳ בדרישת שלום אבל תשלומי שלוח מותר עם עשו עמך חסד כדוד עשה חסד עם חנון כאשר עשה אביו עמו וישלח לנחמו וגו׳: *de Ammon & Moab præcipitur* (Deut. 23. 6.) *non quæras pacem vel bonum eorum, ullis diebus in ſeculum*, (qui textus videtur priori contradicere: ſic autem conciliatur.) *quamvis non quæratur pax eorum, ſi tamen pacis conditiones ipſi ſponte præſtent, recipiuntur: quia dicitur* (ibid. verſ. 17.) *in bono ſuo non populeris eum*, (licet de ſervo dictum, tamen) *etiam hos comprehendit. Ait R. Eliezer Mimmiz, intelligendum eſſe tantum de oblatione pacis, non receptione, quæ permiſſa ſit, ſi tibi quoque fecerint benigne: exemplo Davidis, qui Hanonem, novum regem Ammonitarum, per legatos conſolatus eſt* (quia defunctus Pater ejus, pridem ſibi miſericordiam exhibuerat. 1. Sam. 10. 2. quod tamen conſilium poſtea male ceſſit.) Ecce vero *Dei* mirabile judicium! quamvis belli dux Joſua pacem omnibus Chananæis obtulerit, ſpreverunt tamen eam plerique: quod ſcriptura factum eſſe dicit a Domino, ut induraret corda eorum, & excinderentur univerſi, nec ſupereſſet gratiæ locus, *Joſu.* 11. *verſ.* 20. Ajunt veteres: (27) non tantum obtuliſſe pacem, ſed etiam fugiendi locum & occaſiones aperuiſſe, miſſis ad eos legatis. Maym. H. Mel. *cap.* 6. §. 5. ejuſque commentator *in marg.* מפורסם הוא בילושלמי פר״ רשבכ׳ שבועות אמר רבי שמואל בר נחמן שלש פרוסטגיות (פי׳ כתבים) שלח יהושע עד שלא נכנס לארץ הראשון מי שרוצה לברוח יברח וחזר ושלח מי שרוצה להשלים ישלים וחזר ושלח מי שרוצה לעשות מלחמה יעשה גרגשו האמין להקב״ה והלך לו לאפריקי דכתי׳ עד באי ולקחתי אל ארץ כארצכם זו אפריקי: *Declaratum eſt hoc in Talm. Jeroſolymitano* (quod ad differentiam vulgaris Babylonici ſic nominatur) *cap. 6. Juramentorum; dixiſſe R. Samuelem f. Nachman: Tria diplomata præmiſit Joſua* (per feciales vel caduceatores) *antequam intraret terram, in primo perſcriptum erat*, Fugiat *qui vult: in ſecundo*, Dedat *ſe qui vult: in tertio* Pugnet *qui vult. Ex ſolis Gergeſæis multi crediderunt* Deo, *& fugerunt in Aphricæ provinciam, quæ* (Eſa. 36. 17.) *terra, terræ Chananæorum ſimillima dicitur*. (ideo inter cæteros qui reſtiterunt, non recenſentur *Joſ.* 9. 1. 9. & *Deut.* 20. *verſ.* 17. etiam omittuntur.) Ex Hevæis autem ſoli Gibeonitæ (28) poſtquam pacis conditiones primum ſpreverant, aſtu tandem vitam ſuam ſervarunt; lacero habitu iter longinquum ſimulantes *Joſuæ toto cap.* 9. In cæteros omnes, abſque ſexus vel ætatis diſcrimine, acriter fuit ſævitium. (29) Extat enim ſeveriſſima lex *Deut.* 20. 16. non relinquendum eſſe ullum, quod ſpiret. In bello majeſtati, imbellis turba fœminarum & parvulorum, miſericordiam inveniunt; at in hoc legali omnes a minimo ad maximum æquali ſorte jugulantur, ut ne nuncius quidem ſtragis ſuperſit, qui

posteris enarret. Præc. neg. 226. כל מי שבא לידו אחד מן השבעה עממין ולא עובר בלא תעשה בעיר שישראל שוכנים באי שכ' לא תחיה כל נשמה וכבר נמחת נמחה זכרם מתחת השמים: *Quicunque non interficit eum, qui de septem populis venit in manus suas, peccat contra legem, quæ ullam animam relinquere vetat. Sed id obtinuit tantum in terra Israel: & pridem deleta est memoria eorum sub cœlis.* Ideo Saulus hoc nomine non modo graviter reprehenditur, quod regi Amalekitarum Agago pepercerit, sed etiam ea de causa reprobatur. 1. *Sam.* 15. *vers.* 9. & 23. regno ab hæredibus ablato. Sic & capitaneum Joab ajunt legi non satisfecisse, quod Edomæorum mares tantum sustulerit, non fœminas, 1. *Reg.* 11. 15. ex ambiguitate vocis זכר, quam præceptor perperam legere docuerit, ea propter a discipulo confossus, factum hoc indigitat Elias Levita *in præf. Mas. ham. mihi pag.* 71. unde postea Grammatici (30) ad controversiam originis vocalium transumunt: legitur autem plene in Talm. Basa postrema, *fol.* 21. *b.* ubi de ludi magistris sermo est, qualis nam puerulis sit adhibendus א' רבא הני תרי מקרי דרדקי חד גריס ולא דייק וחד דייק ולא גרס מותבינן ההוא דגריס ולא דייק שבשתא ממילא נפקא רב דימי מנהרדעא אמר מותבינן דדייק ולא גריס שבשתא כיון דעל על דכתיב כי ששת חדשים ישב שם יואב וכל ישראל עד הכרית כל זכר באדום כי אתא לקמיה דדוד א' ליה מאי טעמא עבדת הכי אל דכתי' תמחה את זכר עמלק אל והא אנן זכר קרינן אמר ליה אנא זכר אקריון אזל שייליה לרביה אל היאך אקריתן אל זכר שקל ספסירא למיקטליה אל אמאי דכתי' ארור עושה מלאכת ה' רמיה אל שבקיה להחוא גברא דליקום בארור אל כתיב וארור מונע חרבו מדם קאליה: *Inquit Raba, inter duos pædagogos, quorum unus doctrinam vocum, alter minutias grammaticales tradit, uter est præficiendus? an ille qui doctrinam? quia error contingit circa voces! contradicit R. Dimi de Nehardea, præferendum potius qui subtilitates etymologiæ doceat, quia non levius erretur v. g. ob discrimen* עַל & עָל (quorum illud *excelsum*, hoc *supra* vel *contra*, significat.) *Scriptum est* (1. Reg. 11. 16.) *semestri mansisse Joabum in Edom, usque dum exciderit omnes masculos illius. Occurrens igitur Davidi, rogatus fuit, quare sic fecerit, respondit, quia* (Deut. 25. 19.) *legatur* זכר. *Regessit rex, suos* זכר *legere, abiens itaque consuluit Doctorem suum; quomodo tu nos instituisti? & cum* זכר *repeteret, libravit ensem ut ipsum interficeret, quia scriptum est* (Jerem. 48. 10.) *maledictus qui facit opus Domini negligenter; rogante autem Doctore, ut se dimitteret, virum quem jam maledictione percusserint: respondit* (legi ulterius ibidem:) *execrandus qui prohibet gladium a sanguine: sicque ipsum occidit.*

Sub finem quæritur, annon crudelis sit lex, quæ tot populos absque misericordia extinguere jubet, neque parvulis parcit ab uberibus matrum pendentibus? estque inter Christianos etiam controversia, utrum Barbaros religionis propagandæ prætextu invadere possimus, si non lacessant? nec probant omnes Hispanorum facinora, qui in America (fatente proprio quodam Episcopo) intra semiseculum, ultra viginti hominum milliones plerosque non male de se meritos, mactarunt. Ita sane Chananæis etiam hoc dirum fuit visum, ut Josuam latronem (31) vocitarint. Sed in *Dei* jussa ex arcano justissimoque judicio profecta, nostrum non est curiosius inquirere. Referunt Talmudici, (32) Gergesæos (quos in Africa exulasse dixi) quando Alexandri M. tempore ipsi & Judæi, sub unum illud & commune caput redacti erant, restitutionem patriæ per vim ablatæ, postulasse; sed e lege convictos iterum acquievisse. Perek Chelek *pag.* 91. *circ. med.* תנו רבנן בעשרים וארבעה בניסן איתנטילו דימוסנאי מיהודה ומירושלים כשבאו בני אפריקיא לדון עם ישראל לפני אלכסנדרוס מוקדון אמרו לו ארץ כנען שלנו היה ארץ כנען לגבליתוה וכנען אביהון דהנהו אנשאי הוה א' להו גבוה בן פסיסא לחכמים תנו לי רשות ואלך ואדון עמהן לפני אלכסנדר אם ינצחוני אמרו הדיוט שבנו נצחתם ואם אני אנצח אותם אמרו להם תורה משה נצחתכם נתנו לו רשות הלך ודן עמהם אל מהיכן אתם מביאן ראיה אמרו לו מן התורה אל אף אני לא אביא לכם ראיה אלא מן התורה שנ' ארור כנען עבד עבדים יהיה לאחיו עבד שקנה נכסים עבד למי ונכסים למי ולא עוד אלא שהרי כמה שנים שלא עבדתונו א' להם אלכסנדרוס מלכא החזירו לו תשובת אל תנה לן זמן שלשה ימים נתן להם זמן בדקו ולא מצאו תשובה מיד ברחו והניחו שדותיהן כשהן זרועות וכרמיהן כשהן נטועות ואותה שנה שביעית היתה: *Tradunt nostri Doctores, 24. die mensis Nisan, remotos esse Syndicos* (33) *a Juda & Jerusalem* (qui nomine expulsorum de postliminio agebant.) *venerant enim Africani, ut litigarent cum Israele coram Alexandro Macedone, asserentes terram Canaan esse suam, quia in lege passim* (ut Num. 34. 1.) *a se denominetur, qui oriundi sint e patre Canaan. Itaque Gaboah filius Psisæ rogavit a sapientibus veniam,* di-

dicens : ego pace veſtra ibo & cum illis litigabo : quod ſi me vicerint , ſupereſt vobis reſpondere , viciſtis plebejum e nobis (erat enim corpore gibboſus (34) ſed ingenii ſubtiliſſimi.) *at ſin ego vincam , dicite legis virtute factum eſſe. Impetrata igitur licentia diſceptandi cum illis , primum quæſivit , unde vos deducetis veſtras probationes ? cum reſpondiſſent , e lege : ſubjecit , nec ego aliunde afferam meas. Scribitur inibi* (Gen. 9. 25.) *maledictus eſto Canaan , ſervuſque ſervorum ſit fratribus ; ſi quid ſervus acquirit , cuinam debetur illud & ipſemet ? ſed vos inſuper tot annis nobis non ſerviiſtis ! juſſit eos Alexander hoc refutare : petierunt dilationem triduanam , qui conceſſa cum nihil reſponſionis invenirent , aufugerunt , relinquentes ægros ſeminatos vineaſque plantatas . Et hoc ipſum contigit anno ſeptimo ſive Sabbaticho.*

N O T Æ

In Theorema decimumſextum.

(1) De Bello. Totum hoc caput illuſtrabunt ea , quæ de eadem materia P. Cunæus *lib. II. de Rep. Hebr. c. XIX. p. 269. ſeqq.* & inprimis Jo. Seldenus *lib. VI. de J. N. & G. c. XII. & ſeqq. fol. 729. ſeqq.* ſcripſerunt , quorum hic iterum ad hanc materiam delatus *lib. III. de Synedriis Vett. Hebr. c. XII. p.* 189. Schikardum noſtrum eam hoc capite *docte* perſecutum laudat. Et ſane , non docte modo , ſed & adeo copioſe hic diſſeruit , ut nobis minus verboſis eſſe liceat. Conferantur præterea Sigonius *lib. VII. de Rep. Hebr. c. IX. p. 376. ſeq.* Menochius *lib. V. de Rep. Hebr. c. V. ſ.* 450. *ſeq.* Cœleſtinus a Monte-Marſano *lib. II. Clav. David tract. V. toto , fol.* 233. *ſeq.* Becanus *Analog. Vet. & N. Teſt. c. XVII. p.* 432. *ſeq.* Oſiander *Annot. ad Grot. de J. B. & P. pag.* 343.

(2) Palæſtinam. Eadem (a *Philiſthæis* ita dicta) ab iſtis Cananæis, qui eam antiquitus incoluerunt, *Canaanitis*, poſtmodum etiam *terra promiſſionis terra ſancta* appellabatur . Hæc varie ab Auctoribus delineari ſolet , vel ratione incolarum , quos ante ingreſſum & occupationem Iſraelitarum tribus , per quas poſt occupationem diviſa fuit , vel ſecundum regiones & regna , maria , torrentes , amnes , rivos , lacus , fines , limites , quibus concludebatur . Juvabit autem , huc contuliſſe , qui quovis eam modo deſcripſerunt : ubivis enim occurrent , quæ cum utilitate delectabunt , atque illuſtrabunt hæc Auctoris noſtri . Potiores ſunt Tilemannus Stella , Ortelius , Chriſtianus Adrichomius , Michael Aitzingerus , Henricus Buntingus , Heidmannus , quorum nomina jam in vulgus nota ſunt , quibus nupere ſucceſſerunt Jo. Biſſelius *in Topotheſia Palæſtinæ* , *decadi III. Illuſtrium Ruinorum ſubjuncta* , Barth. Nihuſius *in tract. Chorographico c. V.* & quorum obſervationes Apparatui Biblico inſeruit Brianus Waltonus , quas inter præ reliquis eminent doctiſſimæ Jo. Lightfooti *animadverſiones in tabulas Chorographicas terræ ſanctæ* , cujus itidem Chorographica Horis Hebraicis & Talmudicis in Evangeliſtas impenſis , ſemper præmiſſa , memorabiliora hujus terræ loca face præſertim Talmudica perluſtrant . Extat inſuper Tabula Geographica terræ ſanctæ a Judæis Amſtelodamenſibus nitidiſſime edita ; cui nuperrime ſucceſſerunt Joſephi Moxoni mappæ Geographicæ in Scripturam ſacram , in Anglia æri inciſæ . Addi poterit Cœleſtinus *lib. II. Clav. David. tr. IV. Art. II. ſ.* 212. qui & de captis amiſſiſque Cananæorum civitatibus *ibidem* egit *lib. I. obſerv. LVIII. ſ.* 118.

(3) Septem familias . Scriptura *Deut. VII.* 1. שבעה גוים *ſeptem gentes* vocat ; ſed Rabbini paſſim earum ſub nomine שבעה עממים *ſeptem populorum* meminerunt . Hinc apud eoſdem Palæſtina ארץ שבעה *terra ſeptem gentium* nominatur . De illis conſule Sam. Bochartum *in Phaleg , ſeu part. I. Geogr. Sacr. lib. IV. c. XXXVI. ſ.* 344. *ſeq.* De hac Jo. Druſium Cap. *LXXVIII. ad Loc. diffic. Deuter. p.* 588. *ſeq.* ,

(4) In hanc , quam vides Tabellam . In hujuſmodi tabella , non chartæ tamen impreſſa , ſed menti ſic accuratius inſcripta , quaſi in areola horti repræſentaretur , totam Moſi Palæſtinam a *Deo* monſtratam fuiſſe , Rabbini docent , Petirath Moſche *fol. XXVI. col.* 2. & Draſch Liphirath Moſe *fol. LI. col.* 1. הראה לו הקדוש ברוך הוא את כל הארץ ארבע מאות פרסה על ארבע מאות פרסה כשיער ערוגה בתוך פרדס ונתן כח בעיניו לראות כולה מראשה ועד סופה הנמוך והגבוה והסתר והגלוי הרחוק והקרוב בסכייה אחת ואמר לו זאת הארץ אשר נשבעתי לאברהם וגו׳ : *Oſtendit ei* Deus *totam terram , quadrigenta milliaria in latitudine ac totidem in longitudine , in areola quaſi , quæ in horto eſt , deditque ipſius oculis potentiam contemplandi ita totam terram inde uſque ab initio uſque ad finem , ut videret , quicquid declive & altum , quicquid occultum & patulum , quicquid remotum & propinquum , uno intuitu : Hæc , inquiens ad eum , eſt terra , quam juravit Abrahamo , &c.*

(5) Fertiliſſimas . Intellige maximam partem . Obſervat enim Druſius *loc. cit.* Gergezæorum , & Pherezæorum terram non adeo bonam fuiſſe , & ob hanc cauſam , cum tota Iſraelitis promiſſa terra *ſeptem gentium* diceretur , eam , quæ lacte & melle fluebat , nuncupatam ait ארץ חמשה *terram qunque gentium* , ne illa ſoli fertilitas univerſæ ſeptem populorum terræ tribui crederetur . Erat autem ארץ חמשה *quinque gentium terra* , ex ejus mente , terra Channanæorum , Hetthæorum , Amorræorum , Hevæorum & Jebuſæorum . Quamvis Raſchi *ad Deut. XVIII.* 2. *ſ. CCIX. col.* 2. aliam diſtinctionis rationem alleget : נראה לי שארץ כנען שמעבר הירדן ואליך נקראת ארץ חמשה עממים ושל סיחון ועוג שני עממים : *Mihi* , inquit , *videtur* , *quod terra Canaan cis Jordanem & ulterius vocetur terra quinque populorum ; terra autem Sichonis & Ogi , terra duorum populorum .*

(6) Remanſerunt . Vide Biſſelium *in Topotheſ. Palæſtinæ cap. IV. p.* 138. *ſeqq.* quod totum Caput agit de gentibus terræ Chanaanitidi vel immixtis , vel circumjectis , ſed plerumque inimicis .

(7) Gergeſæi . Atqui hos , ſibi contrarius infra *theor. VIII. num. marg.* 148. non pro Veterum Gergeſæorum poſteris , ſed Græcis in urbe Gergeſa habitantibus habet cum Caſaubono *Exerc. XIII. num. LXIX.* Quin & ſub finem hujus theorematis *num. marg.* 120. Talmudicis non obſcure aſſentitur , priſcos illos Gergeſæos in Africam migraſſe , neque receptos eorum poſteros , cum Alexandri M. tempore ſuam terram repeterent . Quod poſtremum tamen cum primo Schikardi aſſerto , cui ipſe ſimiliter adhæret , ſic conciliat Seldenus *lib. VI. de J. N. & G. c. XIII. ſ.* 736. 737. ut minime de Gergeſæis univerſis intelligendum dicat , quod de ipſorum in Africam migratione memoretur , cum & eorum no-

men non solum in cæteris, qui bello capti, populis reperiatur *Jos. XXIV.* 11. sed etiam *Matth. VIII.* 29. ut nondum in terra Israelitica deletum occurrat. Quæstio alias est satis dubia de Gergesæis istis visa quam plurimis, etiam doctissimis viris, ipseque Jo. Lightfootus, cujus eruditam diligentiam nullus non solidioris doctrinæ studiosus grato animo merito veneratur, neque in *Centur. Chorograph. c. LXXV. pag.* 139. neque in *Hor. Hebr. in Matth. p.* 136. quicquam definire audet, sed utrobique doctioribus, (ut ait vix in hoc studiorum genere se doctiores habiturus hodie,) discutiendum relinquit, urbs *Gergesa*, cujus incolæ Gergesæi, & fines χώρα γεργεσηνῶν dicuntur, ab antiqua stirpe Canaanitica Gergesæorum nomen tulerit, an a natura soli argillacea, siquidem גרגשתא *argillam* significet? Utrumque conjungere haud dubitat Bochartus *in Phaleg. lib. IV. c. XXXVI. fol.* 345. plane huic Schikardi nostro asserto priori consentiens, priscos illos Gergesæos, quos ab argilloso patriæ solo sic dici potuisse concedit, *Christi* Servatoris ætate in Palæstina superfuisse, *Gergesæos*, inquit, *hæsisse circa Gerasa vel Gadara trans Jordanem usque ad* Christi *tempora, ex Evangelio discimus Matth. VIII.* 28. *contra quam Hebræi scribunt, eos in Africam secessisse adveniente Josua, Gergesæos verisimile est ab argilloso solo dici: Hebræis enim* גרגש *argillam sonat*. Idem postea repetit ac latius persequitur *in Hierozoico part. I. lib. II. c. LVII. f.* 697. Confer, si placet post Interpretes Theologos e Philologis Constant. L'Empereur *not. ad Baba Kama c. III. §. VII. p.* 180. Ludov. de Dieu *Comm. ad Matth. p.* 27. Jo. Mich. Dilherr. *Tom. I. Disp. Acad. p.* 195. Abrah Sculteturn *lib. II. Exercitat. p.* 140.

(8) Septem populorum & Amalek. Quæras, cur cum utrique funditus deleri jubeantur, Amalekitæ tamen seorsim semper memorentur septem populis contradistincti? prout distincta quoque præcepta inde conficiunt Judæi, unum de perdendis septem populis ex *Deuter. XX.* 17. alterum de exscindendis Amalekitis, ex *Deut. XXV.* 19. quorum illud R. Maimonidi in enumeratione DCXIII. præceptorum est inter affirmativa CLXXXVII. hoc est CLXXXVIII. At ratio manifesta est. Septem illi populi, Hethæi, Gergesæi, Amorhæi, Chananæi, Pherezæi, Hevæi & Jebusæi extirpandi erant, ut terra eorum Israelitis promissa in horum possessionem cederet. Amalekitarum vero regio occupanda non erat, ipsi interim, æque ut septem populi, penitus extirpandi. Hinc R. Abarbanel *ad Parsch. Tetze fol. CCCLXXXVIII. col.* 4. notanter in lege addi observat, delendam Amalekitarum memoriam, post impetratam a septem illis populis quietem, & occupatam eorum terram. Verba hæc sunt: והיה בהניח יי' אלהיך לך מכל אויביך מסביב בארץ אשר יי' אלהיך נותן לך נחלה לרשתה תמחה את זכר עמלק . רוצה לומר אל האמר בלבבך לא די לנו צער מלחמת ז' עממים שצריכין אנחנו להלחם בם לקחת את ארצם . ואתה בא להוסיף עליהם לצוותנו להלחם בעמלק שלא נירש את ארצו. הנה בעבור זה אמר והיה בהניח יי' אלהיך אתו מנוחת מלחמת העממים כלם וירושת הארץ אז תתחייב למחות את זכר עמלק בהחריםך את כל אשר לו מאיש ועד אשה מעולל ועד יונק משור עד שה כמו שצוה שמואל אל שאול כי בזה ימחה שמו מני ארץ: *Quando dicitur* Deut. XXV. 19. *Et erit, ubi quietem tibi dederit Dominus* Deus *tuus ab omnibus inimicis tuis circumjacentibus in terra, quam Dominus* Deus *tuus tibi non possessionem & hæreditatem concessit, delebis memoriam Amalek; sensus est: Nec dicas in corde tuo: non sufficiebat nobis molestia belli cum septem populis, cum quibus nobis necessario bellum ineundum erat, ut occuparemus eorum terram? insuper hoc oneris nobis imponis, præcipiendo, ut bello adoriamur Amalekitas, quorum tamen terram non possidebimus! Ecce propterea notanter ait*: Et erit, ubi quietem dederit Deus tuus, *h. e. post impetratam quietem a bello populorum illorum omnium, terramque jam occupatam, tunc demum obligatus adhuc es ad delendam Amalekitarum memoriam exterminando penitus, quicquid quod illorum est, mares & fœminas, parvulos & lactantes, armenta & pecudes, prout Sauli in mandatis dabat* Samuel 1. Samuel XV. 3. *hoc enim modo delebitur eorum nomen e terra*.

(9) Amalek. Erat Amalekus Princeps, nepos Esavi, ejus filio Eliphæ e concubina Thimna natus, *Gen. XXXVI.* 12. 16. cujus posteri trans Jordanem habitabant, Moabitarum vicini, dicti Amalekitæ. Quanquam enim jam in historia Abrahæ fiat mentio Amalekitarum, quorum regio a vicinis Regibus bello infestata, totaque gladio percussa sit *Gen. XIV.* 7. hanc tamen mentionem per anticipationem fieri, recte ad eum locum Raschi *fol. XV. col.* 1. observat: עדין לא נולד עמלק ונקרא על שם העתיד *Nondum tum natus erat Amalek, sed per anticipationem* (locus ille ac regio) *sic vocatur*. Nempe non ipsi Amalekitæ, h. e. Amaleki posteri dicuntur ibi percussi, sed כל שדה העמלקי *tota Amalekitarum regio*, id est, populi, qui tractum illum postea ab Amalekitis occupatum inhabitabant, quique ab his novis incolis Mosis tempore, quo hæc scribebat, שדה עמלקי *regio Amalekitica* appellabatur Conf. Rivetum *Exerc. LXXV. in Genes.* 358. & Carthvvrigthum *Elect. Targ. Rabbin. in Genes.* 115. De ipso autem bello Amalekitico, quæque eo quovis modo pertinere videntur, latissime, triginta quæstionibus egit Serarius *toto Cap. III. libri I. Josuæ fol.* 50. *usque ad* 83. cum quo jungi poterit Schotanus *Tom. II. Biblioth. Sacr. V. T. f.* 187. *seqq.* item Cœlestinus *lib. I. Clav. David. Observ. XXXVI. folio* 101.

(10) Omnino deleri. Fuit hoc unnm ex tribus illis, in deserto præceptis, & post occupatam terram exequendis, quæ noster supra initio hujus libri *p.* 1. & 2. e Rabbos Majemonide recensuit, huc omnino conferenda. Eo enim laudatus Majemonides ipse provocat *in Sepher hamnitz vos, præc. aff. CLXXXVIII. fol. LXXIII. col.* 2. מצוה היא שצונו להכרית זרע עמלק בלבד משאר זרע עשו זכרים ונקבות קטנים וגדולים והוא אומרו יתעלה תמחה את זכר עמלק וכבר קדם לנו ג' מצות נצטוו בני ישראל בכניסתן לארץ למנות להם מלך ולבנות בית הבחירה ולמחות זרע עמלק ומלחמה זו היא מלחמת מצוה וכבר התבארו משפטי מצוה זו בפ"א מסוטה: *Præcepto hoc nobis injunctum est, ut exscindamus semen Amalek solum, præ cæteris Esavi posteris, mares pariter & fœminas, parvulos æque ac majores, id quod* Deus *illa lege* Deut. XXV. 19. Delebis memoriam Amalek, *indicavit. Pridem autem observatum est, tria præcepta data esse Israelitis ad ingressum eorum in terram promissam, unum de constituendo Rege alterum de extruendo templo, & tertium de delendo Amalekitarum semine. Adeoque hoc ipsum bellum est bellum præcepti, cujus jura pridem exposita sunt Capite I. Massecheth Souta*. Cæterum severam hanc *Dei* voluntatem de extirpandis funditus Amalekitis Moses, cum aræ a se extructæ nomen יהוה נסי *Jehova Nissi* indidisset, plenissima Majestatis oratione innuit, *Exod. XVII.* 16. ויאמר כי יד על כס יה מלחמה ליהוה בעמלק מדר דר: quæ verba digna sunt, quæ diligentius expendantur, cum plurimorum interpretum ingenia torserint, aliis illa alio trahentibus. Quæ varietas uno intuitu conferenda sistitur in Matthæi Poli *Synopsi Criticor. ad h. l. fol.* 392. 393. Ubi tamen singularis conjectura Josephi Scaligeri, Criticorum licet Principis, prorsus tacetur, quam habet *lib. III. de Emendat. temp. fol.* 223. quasi nomen יד hoc loco *cippum* aut *monumentum*; כסיה vero τριακάδα notet, sive ἕνην καὶ νέαν, aut diem festivam, quæ per tubicinem indicebatur; atque adeo sensus sit, erexisse Mosen cippum in memoria illius τριακάδος sive ἕνης καὶ νέας, cum epigraphe: *Æternum fore bellum inter Populum Dei & Amalek*. Sic enim reddit: στήλη ὑπὲρ τῆς ἱερομηνίας (sive τριακάδος mavis, sive ἑορτῆς) πόλεμος ἄσπονδος, κατὰ τοῦ Ἀμαλήκ. Quam conjecturam vel ideo haud reticere voluimus, quod versionem Lutheri nostri ex parte afferat, τῷ יד similiter pro cippo accipientis: er sprach: Es ist ein Maalzeichen bey dem Stuel des HErrn / daß der HErr streiten wird wider Amalek / von Kind zu Kindes Kind. *Nam* יד (inquit Scaliger) *eandem notionem habet hic, quam Samuelis primo, cap. XV.* 12. *ubi dicitur Saul sibi erigere trophæum & cippum triumphalem*. At certe nomen illud non in citato saltem loco, sed & 2. *Sam. XVIII.* 18. hanc notionem habet, cum *Absolomis monumentum* expres-

presse יד אבשלום vocatur. De voce כסיה vero pro *interlunio festivo* accipienda viderint doctiores. Nos, utut commentum ipsi suum non invideamus, quod cupit, neque animus sit bellum indicere, quod sibi a Grammaticis veretur; probare tamen id nullo modo possumus ob vim vocabulo non uno modo illatam. Nam & duas voces in unam conflat, & quod analogia tunc quidem postulabat, literæ ס expressum schua subjicit. Quam equidem scriptionem non diffitemur nos quoque admirabundos apud R. Salomonem Aben Melech *in Michlal Jophi f. XXI. col.* 1. cum hac insuper glossa offendisse, qua unam vocem esse, diserte admonetur: כסיה נפלה האלף של כסא מפני שנתחבר עם יה והיא מלה אחת הסמך בשוא: *In voce* כסיה *excidit litera* א *nominis* כסא *propterea quia cum altero nomine* יה *componitur, estque unica vox, in qua litera* ס *notatur cum Schua.* At contra omnem codicum fidem, in quibus & ex absentia τῦ *Schua* sub *Samech*, & accurata, quæ oculorum sensui subest, scriptione, & quod palmarium, ex accentuatione manifeste conflat, non unam vocem כסיה sed duas esse voces כס & יה quarum priorem accentus *Munach*, alteram *Sakephaton* afficit. Unde ipse R. Jacob Abendana *in Spicilegio ad Aben Melechum*, istam Auctoris Glossam deserit, & cum post aliorum interpretationes, quas copiose adduxerat, suam ipsiusmet retulisset de juramento *Dei*, שהרים ידו ונשבע בכסא כבודו להיות לו מלחמה ואיבה בעמלק עד כלותו אותם: *qui sustulerit manum suam, & juraverit per thronum Majestatis suæ, fore sibi bellum & inimicitiam adversus Amalekitas, usque dum eos consumserit*, scriptioni כס strictim adhæret, deque ea defective scripta Veterum doctrinam subjungit: טעם כס אר"זל נשבע הק"בה שאין הכסא שלם ואין השם שלם עד שימחה שמו של עמלק: *Rationem defectivæ scriptionis* כס *pro* כסא *hanc reddunt Rabbini, jurasse inquiunt* Deum, *thronum suum non perfectum fore, neque perfectum fore nomen divinum, donec deletum fuerit nomen Amalek.* Intoleranda ergo illa crisis, quam sine dubio Cappellus suæ Criticæ infarsisset, si legisset vel apud solum Scaligerum, cujus alibi adversus Buxtorfium tantopere Patronum agit. Nunc quidem in ea nullibi comparet. Conferatur interim Glassius *l. I. Philol. S. tr. I. c. VII. p.* 110. *seq.* (1124. 1125. & Hackspanius *ad Nizachon. c. II. p.* 324. & *lib. II. Miscellan. c. VI. p.* 232. 247. & *part. I. Notar. Philolog. p.* 350. item Serarius *lib. I. in Josuam. c. III. q. XXVI. f.* 73. *seqq.* Quam autem Scaliger jurisjurandi formulam super throno *Dei*, quam hic interpretes concipiant, suggillat, pro ea Hebræorum consensum, puta Onkelosii, Jonathæ, Paraphraseos Jerosolymitanæ, & Salomonis, Aben Esiæ, videbis in Christoph. Carthvvrigthi *electis Targumico-Rabbinicis ad Exod. pag.* 219. 220. cui ipsi eadem maxime expositio cum Sixtino Amamæ arridet, quam & versioni vulgatæ adaptari posse censebat Serarius *in Jos. lib. I. c. III. quæst. XXV. fol.* 73. Ibi quod vulgata habet: *manus solii Domni*, Serarius interpretatur, Dei *manum in solio ad jurandum collocatam.* Atque ita antiquissimos Hebræorum accepisse, præter citatos a Carthvvrigtho Targumicos arguit, quod in Pirke R. Eliefer *c. XLIV.* (quod totum agit de Amalekitis delendis) *fol. XXXIII. col.* 4. *edit. Pragens.* legitur: רבי שילא אומר רצה הק"בה להכרית ולהשמיד את כל זרעו של עמלק מה עשה הק"בה פשט יד ימינו ואחז בכסא כבודו ונשבע להכרית ולהשמיד את כל זרעו של עמלק מן העולם הזה ומן העולם הבא שנ' כי יד על כס יה מלחמה ליי' בעמלק: *R. Schilo ait: cum vellet* Deus *exscindendum exterminandumque innuere omne Amalekitarum semen, quid fecit? Resp. extendit manum dexteram suam, & apprehendit thronum gloriæ suæ, juravitque, quod perditurus & exstirpaturus sit omne Amalekitarum semen ex hoc pariter & futuro sæculo, prout dicitur*: Nam manus super Throno Dei, bellum Domino contra Amalek. Eadem habetur quoque in Jalkut *part.* 1. *fol. LXXVI. col.* 3. At in Tanchuma *fol. XCV. col. I.* paulo aliter efferuntur: תני בשם ר' אלעאי שבועה נשבע הב"ה ואמר ימיני ימיני כסאי כסאי אם יבאו גרים מכל אומות העולם אני מקבלן לזרעו של עמלק איני מקבלו לעולם: *Traditum est nomine R. Elai, dixisse* Deum *interposito juramento: dextram meam, dextram meam! thronum meum, thronum meum! si venerint proselyti ex omnibus mundi nationibus recipiam eos; at semen Amalek non recipiam in æternum.* Enimvero, est & hic quædam inter Hebræos varietas, neque consensus eorum pro jurandi ceremonia vel gestu ita universalis qualem Carthvvrightus *loc. cit.* pronunciabat. Excutiemus saltem R. Abarbanelis Commentarium *ad Parasch. Beschallasch. fol. CLXIV. col.* 3. Producit ibi primum interpretationem R. Levi ben Gerson, qui *thronum* de cœlo, *manum* ad hunc thronum elevatam de providentia divina exponat. פירש בו הר"לבג בשם אביו שהכס הנזכר כאן הם השמים כטעם השמים כסאי והיד שהיא על השמים היא ההשגחה העליונה ---- ---- ואמר שהיד שהיא על כסא יי' תלחם בעמלק מדור דור ויהיה זה על ידי ישראל שילחמו עמו במצותו: *Locum hunc R. Levi ben Gerschon ex sententia Patris sui ita exposuit, ut per thronum, cujus hic sit mentio diceret intelligi cœlum, juxta illud* Jes. LXVI. 1. *cœlum est thronus meus; per manum vero, quæ supra cœlum sit, providentiam supremam. Atque ita ait, velle Mosen, quod manus hæc, quæ super throno* Dei *est, pugnatura sit contra Amalek, idque per manus Israelitarum, qui cum eo bellaturi sint ad* Dei *mandatum.* Deinde sapientum sententiam allegat, qui de Regibus in throno *Dei* sedentibus accipiant: והחכמינו זכרונם לברכה פירשו שיד על כס יה הוא המלך שכאשר יהיה מלך לישראל שיהיה לו יד ושם על כסא השם יהיה מלחמה ליי' בעמלק וכן היה כי כאשר מלך שאול מיד נצטווה על מלחמת עמלק: *At sapientes benedictæ memoriæ voluerunt, per manum super throno* Dei *intelligi Regem*, & sensum esse, *quod postquam Rex Israelis fuerit constitutus, habueritque* (יד) *potentiam & nomen super throno* Dei, *futurum tunc sit bellum* Domini *contra Amalekitas. Atque sic eventus docuit. Ut primum enim Saul Rex factus esset, statim de bello Amalekitico mandatum accepit.* Idem ex Mechilta R. Simeon *in Jalkut part. I. fol. LXXVI. col.* 3. tribuit R. Josuæ, additque ex aliis Regulam: אין כס אלא מלך שנאמר וישב שלמה על כסא יי': *Thronus semper Regem designat, juxta illud* 1. Paral. XXIX. 23. *Et sedit Salomo super throno Domini.* Quo & lusus Cabbalisticus facit in Baal hatturim *fol. LXXIX. col.* 2. quasi יד per Gematriam דוד *Davidem* innuat, qui dicatur sessurus על כס יה *super thronum Domini*: nam utrobique literæ in numeris 14. valent. Pergit tandem Abarbanel ad ἐπι-ונראה לפרש עוד באחר משני פנים אחרים. ειτασμα כפי הפשט: *Videtur autem mihi*, inquit, *alterutrum explicandi modum ex aliis duobus arripiendum esse, juxta sensum litrealem.* Quinam illi? Prior convenit cum vulgata Hebræorum sententia de juramento *Dei*: האחד הוא שבעבור שבנה המזבח ויקרא עליו שמו של הקדוש ברוך הוא יי' נסי ביאר ואמר שהטעם אשר קראו יי' נסי הוא כי יה יי' צור עולמים נשא ידו ונשבע על כסאו לאמר מלחמה ליי' בעמלק כי אף על פי שיצוה לישראל על מלחמתו הוא ישלים מה שיחסרו הם וכמו שאמר ראשית גוים עמלק ואחריתו עדי אובד: *Unus explicandi modus est, exposuisse Mosen, quare exstruxerit altare, illudque de nomine* Dei *appellaverit* Jehova Nissi, *nempe hanc appellationem id sibi velle, quod* Deus *Dominus rupes in æternum* (Jesa. XXVI. 4.) *sustulerit manum & juraverit per thronum suum dicendo*: Bellum erit Domino contra Amalek. *Etsi enim Israelitas jusserit hoc bellum suum prosequi, ipse tamen completurus id erat, in quo defecerint illi, sicuti & Bileamus prædixit* Num. XXIV. 20. *Principium gentium est Amalek, sed postremum ejus usque ad perditionem erit.* Posterior plane idem est cum illo, quem Junius & Tremellius in versione & notis expresserunt: והפירוש הב' הוא שאמר זה על עמלק כי הוא חשב וכיון להמעיט שמו ותפארתו של הקדוש ברוך הוא מאשר עשה במצרים ועל הים. ואמר בעבור שעמלק שלח יד על כס יה לבזותו ולהמעיטו ולא ירא אלהים מגשת לבטל שמו ולשלוח ידו על כסאו לכן תהיה מלחמה ליי' בעמלק מדור דור וכו': *Alter explicandi modus est, dixisse hæc Mosen de Amalek, quasi is cogitaverit intenderitque nomen & gloriam* Dei *imminuere pro eo, quod in Ægypto & mari fecerit. Vult quasi dicere: propterea quia Amalek extendit manum adversus thronum* Dei *despectus contemtusque gratia, neque timuit* Deum, *ne accederet ad derogandum nomini ejus, & extendendum manum suam adversus thronum ejus;* id-

idcirco Bellum erit Domino adversus Amalek a generatione in generationem, *&c.* Hæc ille, qui postrema, quæ R. Abendana *in Leket Schecha f. XXI. col.* 2. totidem verbis exscripsit, ibi deducit pluribus. Quo minus autem consistere hæc queat, utut planissime sic fluant omnia: *quia manus* Amaleki *adversus thronum Domini fuit*, *bellum Domini erit adversus Amaleck a generatione in generationem*: rationem ex accentuum distinctione contra Tremellium affert Dn. D. Augut. Varenius *Decad. XIII. in Exod. Loc. VI. p.* 278. 279. cui potius hæc verba ad Mosis manum versus cœlum erectam (*Exod. XVII.* 11. respicere videntur, quam adhuc *versus thronum Domini* quasi erectam nunciet, signantem amplius, fore *bellum Domino contra Amalek de ætate in ætatem*, usque dum plane e terra sub cœlo deletus sit, & sic perfecte innotescat *Jehova Nissi*. Elegans expositio, & non minus cum antecedentibus cohærens, quam ipsis fontium verbis congrua, quam & ante ipsum, jam observaverat Rivetus *Commi in h. l. f.* 457. ejusque sensum sic optime expresserat: Quod nuper elata manu mea cum baculo cœlum versus, qui est thronus Domini, concessit nobis victoriam contra Amalekitas, id deinceps fiet de generatione in generationem, donec penitus extirpentur, & in hujus rei signum, erexi hoc altare, in eodem loco, ubi manus mea versus thronum Domini, signum & vexillum baculi *Dei* erexit.

(11) Memoria in solis Chronicis. Quæ hic de libris Chronicis, in quibus hæc consignaverit Moses, cum inter Christianos, tum Hebræos disputari solent, frustranea sunt, cum non alia rei gestæ descriptio a Mose facta sit, quam, quæ *Exod. XVII. vers.* 8. *& seqq.* & *Deut. XXV.* 17. *seqq.* habetur. Omnium optime R. Abarbanel *in Leg. fol. CLXIV. col.* 2. אמר יי׳ למשה כתוב זאת זכרון בספר והוא ספר התורה שכאשר יכתוב משה אותה יכתוב בה הענין הזה שעשה עמלק כמו שאמר זכור את אשר לך עשה עמלק וגו׳: Cum Deus *ad Mosen ait: Scribe hoc ad memoriam in libro; non alius innuitur liber, quam Legis. Hanc enim cum scripturus esset Moses, scribere simul in eo debebat hanc historiam de Amaleko, prout ipse in Lege postea aut* Deut. XXV. 17. *Recordare eorum, quæ fecit tibi Amalek &c.* Quod si quis omino scriptionem separatam urgeat, non refragabimur, Mosen statim jussu *Dei* descripsisse historiam belli Amalekitarum; sed eam deinceps, cum Pentateuchum absolveret, libris suis inseruisse, atque sic idem fuisse scriptum in libro separato, quod nunc *Exod. XVII. 8. seq.* & *Deut. XXV.* 17. legitur, quod ipsum beato David Rungio olim consentaneum videbatur *in prælect. in Exod. p. 616.*

(12) Item aliam. Utramque legem sic accurate distinguunt Judæi, ut distincta inde præcepta in enarratione DCXIII. præceptorum conficiant, quorum alterum de delendo Amaleki semine, alterum de retinenda jugi ac perpete tum injuriæ tum cladis ab Amalekitis acceptæ memoria agat, quorum illud inter affirmativa a R. Maimonide memorata LXXXVIII. hoc CLXXXIX. est. Illud inquiunt a Mose inchoatum & a Samuele continuatum fuisse, a Messia vero aliquando completum iri. Hoc autem quotannis observari in festo Purim, quando Hamanem, ex Amalekitarum stirpe oriundum explodunt, de quo vide Buxtorfii *Synagogam Judaicam recens auctam c. XXIX. p.* 554. 556.

(13) Ex orali Kabala. Eadem legitur in Jalkut Tora *fol. CCC. col.* 4. Allegat etiam R. Abarbanel ad *Parsch. Teze fol. CCCLXXXVIII. col.* 4. ex Nachmani de Gerundensi, sed ut more suo contradicat: ואמנם אמרו עוד לא תשכח פירש הרמ״בן מספרי זכר בפה אל תשכח בלב שנתחייב להפר לבנים ענין עמלק: *Quod* (prætermissam voculam זכור *memento*) *amplius hic dicit*: Non obliviscaris, *id R. Moses bar Nachman ex libro Siphre sic exponit*, *ut* τὸ Memento, *seu* Recordare *ad os*, τὸ Non obliviscaris *ad cor referat*, *quasi nos omnimode obligaturus ad memorandam filiis historiam Amaleki*. At cum id minus arrideat Abarbaneli, quidnam ipsi videtur? ואני אחשוב שרמז בזה מר״עה ענין עמלק לזמן הגלות כי הנה נהיותנו בארץ אמר זכר את אשר עשה לך עמלק ונומר והיה בהניח יי׳ אלהיך ונומר תמחה ארת זכר עמלק׃ אמנם כאשר לא תהיה בארץ כי אם תחת כל השמים כלומר מפוזר ומפורד מקצה השמים עד קצה השמים בגלות הנה אז. לא תוכל לזכור ענין עמלק למחות את שמו שהזכרון ההוא הוא בפעל ומעשה. אבל לא תשכח רוצה לומר אף על פי שלא יהיה בך כח לקיים המצוה במעשה לא תשכח מפיך ענינו של עמלק. הנה התפאר שאמרו זכור ארת אשר עשה לך עמלק שהוא בארץ לענין המלחמה. ואמרו מתחת כל השמים לא תשכח שהוא בהיותם חוצה לארץ לא ישכח מפיהם: *Ego autem existimo*, inquit, *Mosen*, *qui in pace quiescat*, *hac formula* (Ne obliviscaris) *respicere ad memoriam historiæ de Amalek tempore exilii conservandam. De tempore enim, quo in terra sancta fuerimus ait: Memento ejus, quod fecit tibi Amalek &c. eritque cum dederit tibi quietem Dominus* Deus *tuus &c. deleas memoriam Amalek. Cæterum, cum non fueris in terta sancta, verum sub omni cælo, hoc est, dispersus & dissipatus, ab uno cæli extremo ad alterum, in exilio ecce tunc non poteris sic meminisse rei Amalekiticæ, aut deleas ejus nomen, quippe quæ recordatio illam actionem & opus simul includit; interim tamen non obliviscaris, hoc est, etiamsi non habueris potentiam præceptum ipso opere adimplendi, modo, ne obliviscaris ore tuo res Amalekiticæ. Sic ipse contextus sese explicat: dum enim ait: Memento ejus, quod fecit tibi Amalek, intelligendum, si fuerint in terra sancta, ut bello eum adoriantur; at eum dicit: Sub omni cœlo ne obliviscaris, intelligendum, si fuerint extra terram sanctam, ne res ipsorum memoria & commemoratione excidat.* Aliter adhuc R. Bechai *ad eandem Parscham fol. CCXXXII. col.* 1. cujus simul ex accentuationes singularis est observatio & crisis, ut illud תשכח ad Messiæ tempora transferat. Verba ejus paulo inferius recensebimus.

(14) Quid ergo est illud grande nefas? Quæstio hæc ventilata quoque a Simone Episcopio *lib. III. Instit. Theolog. c. IX. Tom. I. Opp. f.* 106. & Nicol. Serario *lib. I. Comm. in Josuam*, *cap. III. quæst. XXVIII. fol.* 78. *seqq.* qui videantur. Nos Hebræorum de ea sententiam non cuivis obviam producemus quam serio, & non temporis fallendi ergo atque animi gratia, uti illam, quam Auctor e Bechai, Pseudo-Jonatha & Raschio excerpsit, tulerunt, R. Moses Maimonides in More Nevochim *part. III. Cap. XLI.* in quo præceptorum divinorum de suppliciis & pœnis a peccantibus & delinquentibus sumendis causas & rationes exponit, hoc præceptum למחות את זכר עמלק *de delenda memoria Amalekitarum* in mensura & proportione pœnarum fundatum ait *fol. CLXIX. fol.* 1. *edit. Venetæ*, & in Buxtorfii versione *pag.* 466. 467. & in editione Parisiensi Aug. Justiniani Nebiensis *cap. XLII. fol. C. col.* 1. & in Josephi de Voisino excerptis *ad Proœm. Raimundi fol.* 78. Ejus inquit, hanc esse regulam universalem: כמו שיענש האדם האחד ראוי שתענש המשפחה האחת או האומה האחת בעבור שישמעו שאר המשפחות ויראו ולא ירגילו בהפסד: *Qua ratione punitur homo unus seorsim*, *eadem punienda est integra aliqua familia & natio*, *ut reliquæ familiæ id videntes ac audientes a similibus peccatis & damnis abstineant*. Hanc ubi paulo deduxisset, ad ipsum præceptum applicat h. m. עמלק אשר התחיל להלחם בסייף אמר למחות זכרו בסייף ועמון ומואב שעשו מה שעשו דרך כילות ונרמו הזק בערמה נענשו להרחיקם מן החתון ושיתרחק האדם מאהבתם כל דבר אחר כל אלו הענינים שיעור אלהי לעונשין שלא היה בו לא תוספת ולא חסרון אלא כמו שבאר יתעלה כדי רשעתו: *Quia Amalek*, inquit, *primus gladio adortus est Israelitas*, *jussit* Deus *memoriam ejus deleri gladio*, Exod. XVII. 14. *At Amnon & Moab*, *qui ex avaritia fecerunt id*, *quod fecerunt*, *& per astutiam malum nobis intulerunt*, *non alia quam hac pœna affecti sunt*, *ut affinitatem ipsorum fugiamus*, *nulloque amore illos prosequamur*, Deuter. XXIII. 3. *Omnia ista divinam habent mensuram & proportionem pœnarum*, *cui nec addendum nec detrahendum*, *sed unicuique*, *ut* Deus *ipse explicat* Deuter. XXV. 2. *secundum impietatem suam reddendum*. Ita Maimonides Philosophus e jure & Philosophia respondet. At Rab. Abarbanel, doctissimus Hebræorum Scripturæ Interpretum, in ipsa scriptura id aperte ostendi docet, deque hac quæstione excussis contextus verbis & circumstantiis, prolixo discursu egit *ad Parasch. Beschallach. fol. CLXIV. col.* 3. quem denuo postea *ad Parasch.*

Ter-

Teze fol. CCCLXXXVIII. col. 4. repetiit, dignum quem excerpamus. Quæstionem sic movet: למה זה העניש הקדוש ברוך הוא בענש גדול אל עמלק למחוק זרעו ולא עשה כן לכל גוי מכל גויי הארץ וגם לא לאדום שהיה מזרע עמלק אבל בהפך שצוה תתעב אדומי כי אחיך הוא וצוה שלא יתגרו בו מלחמה: *Quare* Deus *tanta pœna affecit Amalekum, ut semen ejus prorsus deleri voluerit, neque tamen ullam gentem ex omnibus terræ nationibus ita punivit, ne quidem Edomæos ex eodem semine cum Amalek oriundos, de quibus contrarium potius mandavit* Deut. XXIII. 8. *Non abominaberis Edomæum, quia frater tuus est: item* Cap. II. 8. *prohibuit, ne bellum cum eo conferant?* Respondet vero: הנה משה אדוננו ביארו במשנה תורה באומרו זכור את אשר עשה לך עמלק בדרך וגומר כי הנה ביאר שם שעשה עמלק כנגד ישראל ארבעה דברים מגונים: *Ecce Moses Dominus noster exposuit illud in Deuteronomio, quando dixit: Memento ejus, quod fecit tibi Amalek in via &c. Ibi namque res quatuor turpes atque ignominiosas explicat, quibus Amalek Israelem affecerit.* Eas jam ordine videamus. 1. האחד שהאנשים ילחמו באויביהם אם להציל את ארצם מהם או לכבוש את עריהם אבל עמלק בא להלחם מבלי סבה כי הם לא היו עוברים בארצו לשירא מהם שיכבשוה וגם לא היה לישראל ארץ שיחמוד אותו עמלק ויבוא לכובשה אבל היתה מלחמתו לבד ברוע לב להחזירם לעבדות ולחלול כבוד י״ אשר גאלם ועל זה אמר זכור את אשר עשה לך עמלק בדרך בצאתכם ממצרים: *Prima est, quod, cum alias bellum adversus hostes suos suscipiant homines, vel ut suam regionem ab ipsis defendant, vel ut illorum urbes sibi subjiciant, Amalek contra ad præliandum venerit absque ulla causa. Neque Israelitæ transibant per terram ejus, ut forte timere eos potuerit, ne occuparent illam: Neque ipsi jam tum habebant terram, cujus desiderio illectus Amalek, eam occupatum venisset; sed bellum ejus simpliciter ex animi petulantia malitiose susceptum erat, tantum ut in servitutem eos denuo redigeret, & gloria* Domini, *qui ipsos modo liberaverat, profanaretur. Atque de hoc ait: memento ejus, quod fecit tibi Amalek in via, cum exires ex Ægypto.* 2. ה״ב שעם היות ממנהג המלכים הבאים להלחם באויביהם שישלחו להודיע להם ביאתם למלחמות לאמר הכינו ונתראה פנים הנה עמלק לא עשה כן אבל בא פתאום להלחם בישראל והיתה זו בגידה רבה וזה הוא שאמר אשר קרך בדרך רוצה לומר פתאום בלי התראה: *Secunda est, quod, cum Regibus bellum contra hostes suos auspicaturis in more alias sit positum, ut bellum illis consueta clarigatione denuncient, Amalek contra id non fecerit, verum derepente atque improviso in Israelem bello irruerit, id quod summa erat perfidia. Atque hoc sibi vult, cum ait: qui occurrit tibi in via: hoc est, derepente absque clarigatione.* 3. השלישי שהיה מפחיתות עמלק עצר כח להלחם בישראל פנים בפנים אבל נלחם עם הנחלשים שבהם הבאים באחרים המחנה ויירא מגשת אל העם מלפניו עם היות ישראל עיף ויגע וז״ש ויזנב בך כל הנחשלים אחריך ואתה עיף ויגע: *Tertia est, quod, cum ex tenuitate Amalek viribus destitueretur, aperto Marte cum Israele congrediendi, pugnaverit cum debilibus eorum, pone castra insecutus, adeoque timuerit, ne anterius populum aggrederetur, idque cum Israel lassus & defatigatus esset. Atque hoc indicat, cum dicit: Et trucidavit in te omnes debiles pone te, cum esses lassus & fatigatus.* 4. ולכן בא הד׳ שעמלק ירא מישראל להלחם בהם בזנב המחנה והחלושים שבהם עם היות ישראל עיף ויגע ולא ירא עמלק מאלהים שהוא מהקם מלכין ומהעדה מלכין שירא אם כן מהחלוש שהוא ישראל ולא ירא מהגבור שהוא הקדוש ברוך הוא: *Quarta est, quod Amalek Israelem timuerit, & ideo pugnatum venerit cum ultimis in aciei extremitate constitutis, cumque debilibus, qui inter ipsos erant, cum jam omnes lassi & fatigati essent; neque tamen timuerit* Deum, *qui constituit Reges & transfert Reges*, (Dan. II. 21.) *adeoque timuerit imbellem, h. e. Israelem, non autem omnipotentem, h. e.* Deum *optimum maximum*. Hoc dicit innui his Mosis verbis ולא ירא אלהים *neque timuit* Deum, רוצה לומר quæ altero in hoc loco sic παριφράζει: האיש הבליעל הזה פחד ויירא מאד ויצר לו מן העם בהיותו עיף ויגע ולא ירא אלהים שהוא גבוה מעל גבוה מהעדא מלכין: *Sensus est: Vir ille Belial tremuit, valdeque timuit, fuitque ipsi angustia a populo, cum lassus & fatigatus esset, neque tamen timuit* Deum, *qui quovis eminente est eminentior* (Cohel. V. 7.) *transferens Reges*. (Dan. II. 21.) His ita expositis concludit: ומפני ארבעת הסבות האלה היה ראוי להמחות את שמו אבל אדום לא עשה דבר מזה ולא שאר הגוים ולכן היה עונשו של עמלק קשה מעונשם: *Propter quatuor illas causas visum fuit delere nomen ejus. Edomitæ vero nihil tale fecerunt, neque ulla reliquarum gentium, & propterea longe duriore pœna in Amalek animadversum fuit, quam in cæteros.* Hæc ex R. Abarbanele.

(15) Judæi vero. Quod hic de amputatis defessorum viribus sequitur, figmentum equidem est Judæorum; fatentur autem figmentum esse ipsimet, & pro medraschico saltem discursu habent, ad demulcendos plebis animos occasione verbi ambigui ויזנב *& decaudicavit* excogitatum: & reperitur similiter in Jalkut *part. I. fol. CCC. col.* 3. & Tanchuma *fol. XCIV. col. 4. seqq.* ubi id genus plura cumulantur. Alias secundum literalem sensum non minus ipsi, quam Christiani de agminis extremitate trucidata accipiunt, quo sensu verbum usurpatur ab ipso Josua, cum hostium fugitivorum ultimos fundere mandaret, *Jos. X.* 19. Neque R. Bechai ab Auctore hic citatus *fol. mihi CCXXXI. colon.* 4. aliter interpretatur in antecedentibus cum de litera agit. Sic enim ibi: ויזנב בך כלומר כרת זנבך והם הנחשלים אחריך החלושים שלא היה בהן כח ללכת כן מנהג המחנות הנרדפות מן האויבים אין כח באויבים לבקע המחנה הם מזנבים ומכים באחרונים שבמחנה שהם חלושים מכלן זהו פשוטו. ובמדרש וכו׳: *Formula hæc*: Et decaudavit in te, *sonat, quasi diceretur abscidit caudam tuam, intelliguntur autem debiles in extremitate debilitati, quibus nullæ supersunt vires eundi. Sicuti solent castra ab hostibus fugata, quæ discindere prorsus potestas hostium non valet, in extremitate ab iis trucidari & cædi, quod hi præ reliquis debilitati sint. Et hic est sensus literalis. At in medraschico & liberiori sensu homiletico dicitur &c.* Sequuntur illa, quæ Auctor inde produxit de penibus lassorum abscissis, quæque ex Auctore nostro mutuatus est Grotius *Annot. ad Deut. XXV.* 18.

(16) פולטן Inter hæc & sequentia interseruntur aliqua multa in ipso Codice Rabbenu Bachai, eaque ipsa sunt etiam medraschica de memoria ipsorum cineri assimilata, est *Job. XIII.* 12. quæ forte ob prolixitatem noster castravit.

(17) Nescio quid hoc sit alterius miraculi. Dicam ergo, quid sit. Columnam nubis, inquiunt, veluti murum quendam fortissimum ita Israelitarum castra cinxisse, ut nullus hostium nocere cuiquam potuerit. Amalekitas igitur non nisi eos memorata affecisse ignominia, & occidisse, quos extra nubem, quasi extra munimentum offendebant. Extra nubem autem vel ab ipsa nube, sua culpa ejectos, (quo citata e Bechai verba respiciunt,) vel astu Amalekitarum evocatos. Illud planissime asserit R. Zacharias in Pirke Eliezer *cap. XLIV. fol. XXXIII. col.* 4. היה עמוד הענן סובב את מחנה ישראל כעיר מוקפת חומה ולא היה יכול צר ואויב ליגע בהם אלא כל מי שהיה צריך טבילה היה הענן מפליטה חוץ ממחנה ישראל שהיה קדוש שנאמר והיה מחניך קדוש ועמלק היה מזנב והורג כל מה שאחרי הענן שנ׳ ויזנב בך כל הנחשלים אחריך: *Fuit*, inquit, *columna nobis circa castra Israelis, ut essent instar urbis muro cinctæ, neque hostis aut adversarius ullus eos aggredi valeret. At omnem immundum, qui lotione opus habebat, nubes illa extra Israelis castra ejiciebat, quippe quæ sancta erant, juxta illud* Deut. XXIII. 14. *Castra tua sunto sancta. Amalek igitur decaudicabat, & occidebat, quicquid pone nubem offendebat, & occidebat, prout dicitur* Deut. XXV. 18. *Et decaudicavit in te omnes debiles* Post Te. Astu vero Amalekitarum evocatos docet Raf Nachman, cujus traditio memoratur in Tanchuma *fol. XCIV. col.* 4. & Jalkut Torah *fol. CCC. col.* 3. verbis utrobique propemodum iisdem: מה עשה להם עמלק ירד לו לבית ארכיון של מצרים ונטל טומוסים של שבטים שהיה שמם חקוק עליהן ובא ועמד לו חוץ לענן והוה קורא להם ראובן שמעון ולוי אחיכון אנן פוקו ואנן בעיין למעבד פרקמטיא עמכון וכיון שהיה יוצא אחד מהם היה הורג אותו: *Quid fecit Amalek Israelitis? descendit ad archivum Ægyptiorum, indeque abstulit catalogos tribuum Israeliticarum,*

carum, in quibus consignata erant earum nomina, (in Tanchuma additur : בממתכונת הלבנים *in dispositione conficiendorum laterum*.) *Hinc venit & extra nubem constitit, atque ad eos, qui nube cincti erant, clamavit : Ruben, Simeon, Levi, nos fratres vestri sumus, egredimini, est enim nobis vobiscum negotiatio quædam. Ut primum vero aliquis eorum egrediebatur, occidebat eum*. In eodem Commentario Tanchuma, (qui & Jelammedenu vocatur,) *fol. seq. XCV. col.* 1. aliqua disputatio describitur, de ejectis e nube, inter Doctores habita, e qua similiter illud cognosci poteſt. Ea sic habet : כל מנחשליה אחריך ר' יהודה ור' נחמיה ורבנן ר' יהודה אומר כל מי שהיה נכוה היה נשול . ור' נחמיה אומר כל מי שהיה הענן פולטו היה נשול . ורבנן אמרי שבט דן פולטו הענן היו כלם עובדי ע"ז שנ' ואתה עיף ויגע ולא ירא אלהים וכו' : *De verbis* : Omnes debiles post te, *disputarunt R. Jehuda & R. Nehemia cum cæteris Rabbinis. R. Jehuda asserebat, omnem flammis Veneris adustum, fuisse ejectum R. Nehemia vero, omnem, quemcumque nubes ejectum voluerit*, (etiamsi de causa non constaret,) *ejectum fuisse. At cæteri Rabbini propugnabant, in tribus Dan, quam ejecerit Nubes, omnes fuisse idololatriæ deditos, idque probarunt e verbis illis textus : tu autem eras lassus & fatigatus, neque timens* Deum, *&c.*

(18) R. Salomo Jarchi. De hac Rabbini hujus expositione, integra quæstione egit Tostatus Abulensis *Comm. in Deut. XXV. quæst. XII. fol.* 239.

(19) Victori Messiæ. Id e contextu alii aliter confirmant. R. Bechai *ad finem Parsæ Teze fol. CCXXXII. col.* 1. singulariter urget, quod pericopa de Amaleko *Deut. XXV.* 17. 18. 19. a voce זכור *memento* incipiat, & desinat in voce תשכח *obliviscaris*, quæ per accentum a præcedente לא *non* non sine mysterio divellatur. הפרשה הזו התחיל בזכרון וסיימה בשכחה להורות שע"יד זכרם להשכחה מן העולם וזה בזמן המשיח ואע"פי שפשוטו על מקרא לפי התיבות שלא ישכח בא הרמז בו לפי הטעמים שיבא זמן שישכח ועל כן המצא טרחא במלת לא ומלת תשכח היא בפני עצמה ויש רגש באות הת"יו כלומר הנה ימים באים שתשכח כשיאבד זכרם מן העולם הוא שאמר דוד ע"ה האויב תמו חרבות לנצח שלם נתשת אבד זכרם ואז יהיה השם שלם והכסא שלם והוו שכתוב אחריו ויי' לעולם ישב כונן למשפט בכאר : *Hæc pericopa*, inquit, *incipit a voce memoriam denotante, & desinit in voce inferente oblivionem : quo ipso doceretur, fore, ut ipsorum memoria oblivioni detur, deleaturque e mundo, idque tempore Messiæ. Quantumvis enim sensus Scripturæ quoad literas velit, non esse oblivioni dandam ; indicat tamen quoad accentus, fore tempus, quo detur oblivioni. Propterea accentus, paululum distinctivus Tarcha reperitur in voce* אל Non, *& sequens verbum* תשכח *ponitur per se*, (quasi non cohæreat cum præcedente adverbio negandi,) *habetque dagesch lene in litera* ת, *quasi diceret : Ecce dies venient, quibus oblivisceris, cum nempe peribit memoria eorum e mundo, juxta illud, quod David ait* Psal. IX. 7. *Hostem quod attinet, consummatæ sunt solitudines in sæculum, & urbes destruxisti, periit memoria eorum una cum ipsis. Tunc autem cum nomen divinum, tum thronus* Dei *perfecta erunt, de quo ibidem* vers. 8. *sequitur : Et Dominus in æternum sedebit, paravit ad judicium thronum suum*. In Tanchuma autem, seu Jelammedenu, *fol. XCV. col.* 2. ad ejusdem Parschæ finem, illud sub examen revocant, qud *Exod. XVII.* 15. contra Amalekitas sibi bellum fore dixerit מדור דור *de ætate in ætatem*, super quo R. Elieser, ac R. Josua, & R. Jose inter se conferebant. ר' אליעזר אומר מדורו של משה עד דור של שמואל . ור' יהושע אומר מדורו של שמואל עד דורו של מרדכי ואסתר . ור' יוסי אומר מדורו של מרדכי ואסתר עד מלך המשיח שהוא שלשה דורות . ומניין לדור של משיח שהוא שלשה דורות שנאמר יראוך עם שמש ולפני ירח דור דורים דור חד דורים שנים הרי תלת : *R. Elieser dicebat, supputandum hoc inde ab ætate Mosis usque ad ætatem Samuelis. R. Josua addebat : imo vero ab ætate Samuelis usque ad ætatem Mardochai & Estheræ. R. Jose subjiciebat ; quin ab ætate Mardochai & Estheræ porro usque ad Regem Messiam, ut adeo tres ætates in supputationem veniant*, (una a Mose ad Samuelem altera ab hoc ad Mardochai, tertia ab hoc ad Messiam,) *Numerum autem ætatis Messiæ per tres generationes supputandas illustrabat ex illo* Ps. LXXII. 5. *Timebunt te cum sole & in conspectu lunæ ætas ætatum : ubi singularis* דור *unam ætatem pluralis* דורות *duas indicat, en tibi sic tres ætates!* Conf. R. Simeon in Jalkut, *part. I. fol. LXXVI. col.* 3.

(20) Calculus recentium Rabbinorum. Idem calculus legitur in לוח seu *kalendario* editioni Amstelodamensi Hebræo-Germanicæ libri *Minhaghim*, quæ mihi est, & cum figuris anno 405. i. e. *Christi* 1645. opera Eliæ Abuhab prodiit, adjuncto. Ibi sic habet inscriptio præfationi præmissa *p. LXIX. col.* 2. *Luach*, hebt an das Jar/ das man schreibt *chameſcheth alaphim* ת"ה (i. e. *Christi* 1645.) biß auf das Jar/ das man werd zelen *chameſcheth alaphim* תכ"ד (i. e. *Christi* 1664.) *habba halenu letobha h* Auch gesetzt *moledoth* und die *thekupheth* bei itlichem Jar besonder/ damit sich ein itlicher kan draus richten. Dieweil wird *Maschiach* kommen. *Amen. Vechen jehi razon*. Atqui in eundem plane annum incidit calculus ex R. Esaiæ Kalendario hic ab Auctore annotatus. Scripsit ista Anno Christi 1625. a quo ad annum usque 1664. elapsi sunt 39. anni. Neque dubium, quin iste calculus plurimos Judæorum seduxerit, ut exsurgentem nuper in oriente circa hoc tempus Pseudo-Messiam *Sabthum Tzebbi*, verum esse Messiam crederent. Alias hujusmodi formulis sub finem librorum suorum accelerandum Messiæ adventum optare solent, qualis illa, quæ Josephum Rabbinico-Germanicum in editione Pragensi de an. 367. i. e. Christi 1607. terminat :

> Aqi dat das Buch ein End :
> A. uns *halchem jithbarech Maschiach* bald send.
> Und unser *beth hammikdasch* wieder bauen.
> Besser denn die beide/ die mir drum trauen. (leg. trauren.) Amen.

(21) Immunitas nemini concessa in bellis Legalibus. Negat hoc Dn. D. Calovius *in Bibliis illustr. Tom. I. fol.* 591. adversus Grotium, qui ad *Deut. XXI.* 7. idem ex Majemonide notaverat, concessas in ista lege ἀλειτουργησίας locum non habuisse in bellis *Dei*, i. e. contra septem populos, sed in bellis aliis. Cui ille canonem objiciebat : *ubi lex non distinguit, nostrum non est distingueere*. Vide iterum notata Drusii *Cap. LXXXI. ad diffic. loca Deut. p.* 603. probata Dn. D. Osiandero *annot. ad Grot. l.* 1. *de J. B. & P. c. II. p.* 343.

(22) Paradisi promissionibus. Imo martyrum loco habent Mahumedani, quotquot in præliis religionis causa susceptis occumbunt, testibus Hottingero *lib. II. Histor. Orient. c. IV. p.* 269. (443.) & Henningio *in Mahummedano precante, not. ad præc. XII. p.* 565.

(23) Sureta imrani. Est ordine tertia, atque agit de *Christo* & beata virgine, cujus patrem, Imranum cum crediderit Muhammedes, ipsam suratam inscripsit ال عمران *familiam Imran.* Unde vero hoc sit, quod Patrem Mariæ cognominem Mosis Parenti faciat, exposuit noster in Procemio Tarich *p.* 74. *&* 76. & adhuc latius postea Hottingerus *lib. I. Histor. Orient. c. III. p.* 80. *seqq.* & in recent. edit. *p.* 120. *seqq.*

(24) Morientes Judæi. Ultima hæc Judæorum consolatio est, ut mors temporalis omnium peccatorum sit expiatio, de qua vide Buxtorfium *in Synagoga Judaic. c.* XXXV. *pag.* 428. & *in edit. recens aucta c.* XLIX. *p.* 694. Chr. Gersonem *part.* I. *Talm. Judaic. c.* XXXVI. *pag.* 262. Anthon Margaritam im Jüdisch. Glaub. *p.* E. *col.* 1. Hoornbeckium *lib.* VI. *de Convent. Judæis c.* II. *p.* 423. Hinc Gemara Babilonica Massech. Senhedrin quendam innocentem ad mortem damnatum hæc, cum educeretur, dixisse refert : אם יש בי עון זה לא תהא מיתתי כפרה על כל עונותי ואם אין בי עון זה תהא מיתתי

מותתי כפרה על כל עונותי ובית דין וכל ישראל מנוקים והעדים לא תהא להם מחילה לעולם : *Si ego hoc crimine, cujus postulatus sum, teneor, ne sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis. Si vero ab illo immunis sum, expiet illa quidem delicta mea, & judices, cum toto Israele, culpa careant; at testibus nunquam detur venia.* Vid. Coccejus *in Excerpt. Gemar. Sanhedr. c. VI. p.* 251.

(25) Pacem offerre. Quæ ex utroque Mose, Maimonide & Kozensi hic afferuntur, ea omnia tantundem leguntur in Bechai *fol. CCXXV. col.* 3. Possunt autem, de hac pacis oblatione Israelitis lege demandata conferri Cunæus *lib. II. de Republ. Hebr. c. XX. p.* 277. Serarius *lib. II. Comm. in Josuam c. XII. quæst. IV. f.* 304. & inprimis Seldenus *lib. VI. de J. N. & G. c. XIII. f. 735. seqq.* Adde etiam Osiandrum *annot. ad Grot. de J. B. & P. p.* 1380.

(26) Tria petita. Hæc Seldenus *loc. cit. toto Cap: seq. XIV. f. 737. seqq.* explicat.

(27) Ajunt veteres. Locum ex ipso Talmude Jerosolymitano, ad quem Maimonides provocat, descriptum vide a Seldeno *citati libri cap. XIII. fol.* 736. Laudat eundem Ligtfootus *Cent. Chorog. c. LXXV. p.* 139. ac legitur quoque in Debarim Rabba *fol. CCXCVI. col.* 3. R. Bechai vero ista ex antiquo libro Siphre recenset *fol. CCXXV. col.* 4. sed hoc ordine, ut in prima Josuæ ad Chananæos data epistola dicat scriptum fuisse : כל מי שרוצה להשלים יבוא וישלים: *Quisquis pacem inire cupiat, veniat & paciscatur.* In secunda : כל הרוצה לפנות יפנה: *Quisquis se alio vertere velit, vertat.* In tertia : כל הרוצה לעשות מלחמה יעשה מלחמה: *Quisquis belligerare voluerit, conserat prælium.* Additque e Talmude Jerosolymitano, fuisse, qui singulis subscripserint : הגבעונים השלימו הגרגשי פנה ל"א מלכים עשו מלחמה : *Gibeonitæ pacem inierunt; Gergesæi se alio verterunt : Reges XXXI. bellum elegerunt.* Similiter in Zennorema *fol. CXXX. col.* 2. *Josua* hat dren Brief geschickt zu den *ummoth haolàm*, ehe er *milchamàh* hat gehat mit sie. In dem ersten Brief ist gesch rieben gewesen / der da wil *Schalòm* haben / der solt kommeu / und da wolen mir *Schalòm* machen mit ihm. Da ist kommen ein *ummah*, die hat geheissen *Gibhonim*, und haben *Schalòm* gemacht. Der ander Brief ist geschrieben gewesen / wer da wil ein weg aus dem Land / der mag wohl gehn / da hat ein *ummah* geheissen *Gergeschi*, und sein gangen aus dem Land *ærerz Jisrael*. Der drit Brief ist geschrieben gewesen / wer da *michamàh* wil halten mit uns / der sol anbereiten zu der *milchamàh*, da haben sich gesamlet ein und dreissig *melachim* von den *ummoth* und haben *milchamàh* gehalten mit *Josua*. Inquirant nunc eruditi, annon hinc lucem accipiant illa Eusebii, quæ *lib. I. Chronic. fol. XI. edit. Scalig.* de χαναναίοις scripsit : Οὗτοι ἔφυγον ἀπὸ προσώπου τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ. καὶ κατῴκησαν Τρίπολιν τῆς Ἀφρικῆς ὡς ὄντες ἐν τῷ κλήρῳ τοῦ Χάμ. i. e. *Hi fugerunt a facie filiorum Israel & habitarunt Tripoli Africæ, utpote in sorte Chamitæ.*

(28) Gibeonitæ. Ex allatis de oblata parce dubium movet R. Maimonides *loco ab auctore citato*; אם כן מפני מה הערימו יושבי גבעון: *Hæc cum ita sint*, (inquit,) *quid causæ fuit, cur Gibeonitæ astu doloque petierint pacem?* gentem sese procul in aliis terris sitam figendo, cum tamen vera via pervenire ad hoc, quod cupiebant, potuerint? Et respondet : לפי ששלח להם בכלל ולא קבלו ולא ידעו משפט ישראל ודמו שאין פותחין להם לשלום: *factum hoc ideo, quia miserat quidem* Josua *ad eos universim, sed illi non acceperant*, quod offerebatur, *neque agnoverant morem Israelitarum, quasi non consensuri cum iis in pacem* : quod Schikardus noster paucis indicat, *sprevisse primum pacis conditiones*; pluribus vero eloquitur Cunæus *lib. II. de Republ. Hebr. c. XX. p.* 279. At R. Abraham ben David *in suis Hassagos ad hunc Maimonidis locum* id reprehendit : א"א כל זה שבוש שלא שלח להם יהושע להשלים אלא עד שלא עברו את הירדן אבל אחר מיכן אין מקבלין אותן: *Ego dico*, inquit, *hoc omne perplexum & erroneum. Non enim ad hos populos miserat Josua, ad paciscendum, nisi antequam Jordanem transiissent; postmodum vero non recipiebant.* Quorum verborum sensum hunc ait esse R. Joseph Karo *in Keseph Mischne h. l. fol.* CCXCI. *col.* 1. ז' עממים ועמלק אף ע"פ שהשלימו ורצו לקבל עליהם מס ועבדות הורגין אותם: *Septem illos populos Amalekitas, ut maxime voluissent pacis inire conditiones, inque se tributi & servitutis onus suscipere, occidendos nihilominus fuisse* : quibus tamen ipse contradicit, & addit : אלא שאפשר לטעון בעד רבינו ולומר שבכלל השלימו הוא קבלת ז' מצות שאם קבלו עליהם ז' מצות הרי יצאו מכלל ז' עממים ומכלל עמלק והרי הם כבני נח הכשרים: *Enimvero liceat pro defendendo Rabbino nostro* Maimonide *dicere, quod universim omnes pacis conditiones inierint, adeoque & septem Noachica præcepta receperint; Hæc enim cum reciperent, non habebantur amplius pro septem populis & Amalekitis, sed instar cæterorum Noachidarum, quos admittere licitum est.* Cæterum de Gibeonitarum fraude, qui Israelitarum arma declinarunt, vide Hottingerum *lib. I. Smegm. c.* VIII. *pag.* 507. 508.

(29) Acriter fuit sævitum. R. Bechai *ad Parasch. Schopthim fol.* CCXXV. *columm.* 3. אם לא השלימו או אפילו השלימו ולא קבלו עליהם שבעה מצות אם הם ממלחמת הרשות הורגין הזכרים הגדולים שנאמר ואם לא תשלים עמך והכית את כל זכורה לפי חרב אבל לא הקטנים והנשים שנאמר רק הנשים והטף זה טף של זכרים. אבל במלחמת מצוה כגון שבעה עממין ועמלק הורגין את הכל וזהו שאמר רק מערי העמים אשר ה' אלהיך נותן לך נחלה אלו שבעה גוים גוים לא תחיה כל נשמה אתה מצווה להרוג את הכל אפילו הנשים והטף: *Si* hostes quibus pax oblata fuit *pacem spreverint, vel etiamsi pacem inierint, at non receperint in se observantiam septem Noachichorum præceptorum; in* Bello *quidem* Voluntario, *seu* Majestatis, *occiduntur mares adulti, quia dicitur* Deut. XX. 12. 13. *Quod si non fecerit pacem tecum, percutiet omnem masculum gladio; non vero parvuli & fœminæ, quia* ibidem vers. 14. *additur : tantum mulieres & parvulos &c. ubi per parvulos, masculi minorennes intelliguntur. At in* Bello Legali, *quod cum septem populis & Amalekitis geritur, occiduntur omnes omnino, juxta illud* vers. 16. *Sed de civitatibus populorum, quas Dominus* Deus *tuus tibi in possessionem dederit, (h. e. septem gentium,) non facies vivere ullam animam : quo ipso præcipitur, ut occidantur omnes etiam mulieres & parvulis.*

(30) Grammatici. Vide pluribus Hackspanium *notis Philolog. in Exod.* XVII. 14. *part.* I. *pag.* 347. *seq.* & Josephum de Voisin *in Excerptis ad Proœm. pugionis fol.* 92. quorum hic pro, ille contra punctorum vocalium antiquitatem inde argutatur.

(31) Josuam latronem. Hebraice זאב ערבות *Lupum Vespertinum*, quæ phrasis *Jer. V. 6. Habb. I. 7.* & *Sophon. III.* 3. pro latrone seu prædatore legitur. Sic autem vocabatur in literis, quas confœderati Reges Persarum & Medorum ab Armeniæ minoris Rege, cujus nomen שובך *Schobech*, superstite cujusdam Regis Cananæi a Josua occisi filio, conducti ad Josuam dederunt, cum ipsi bellum denunciarent. Epistolæ illius belli denunciatoriæ exemplar cum ipsa rei gestæ historia refertur a R. Samuele Schullam *in Append. libri Juchasin, fol.* CLIV. *col.* 1. indeque a R. Gedalia ben Jechaja *in Schalscheleth hakkabala fol.* XCVI. reperitur. Ea sic incipit : אליך יהושע בן נון שלום אתה זאב ערבות ידענו מה שעשית בקרובינו ההרבת טירותינו טבחת ולא המלת מנער ועד זקן אבותינו הרגת כחרב וכל עריהם השמות וגו': *Pax Tibi, Josua fili Nun! Tu Lupus vespertinus* (h. l. Latro) *es. Novimus, quid feceris propinquis nostris, quorum castella desolasti, omnesque jugulasti, nec parvulis neque senibus parcens, patres nostros occidisti gladio, & omnes eorum civitates devastasti, &c.* Confer Schikardum nostrum *in proœmio Tarich. p.* 33. & Hottingerum *lib. I. Histor. Orient. c.* III. *p.* 40. (60.) *seqq.*

(32) Referunt Talmudici. Leguntur quoque in Beth Israel *part.* II. *fol.* CLXXXIV. *col.* 4. Sed Jo. Coccejus etsi illius ductus excerpta sua Gemaræ Talmudicæ Sanhedrin instituit, hæc tanquam heterogenea omisit. Producit vero plenius locum integrum Seldenus *lib.* VII. *de Jure Nat. & Gen. c.* VIII. *fol.* 821. *seqq.* cum quo confer Chr. Gersonem *in*

Chelek p. 14. *seq.* Videtur autem admodum celebris fuisse hæc coram Alexandro Magno, inter Judæos & Cananæorum posteros decretatio, nam & in antiquo libro Megillath Taanit *cap.* III. *fol. mihi* XL. *col.* 1. *&* 2. ut summe memorabilis recensetur, unde nec illam, cum summam totius hujus libri exhiberet, præterire poterat laudatus Seldenus *lib.* III. *de Synedriis Vett. Hebr. c.* XIII. *p.* 236.

(33) Syndicos. Talmudice : רימוסנאי quod Buxtorfius *in Lex. Talm. f.* 554. putat esse nomen proprium populi Judæis infensissimi & iniquissimi. Sed Glossa Talmudica *ad h. l.* interpretatur עוררים בעלי חמס שהיו רוצין ליטול חלק ביהודה ובירושלם: *Excitatores injuriosorum partem auferre cupientium in Juda & Jerusalem*. Quod, nisi omnia me fallant, Schickardus quoque noster intendit, quando *Syndicos* fuisse ait, *qui nomine expulsorum de postliminio agebant*. Gerson *loc. cit.* vertit die Zäncker / eodem sensu : Die Rabinen haben gelehret / am 24. Tag des Monats *Nisan* seyn die Zänhker aus Juda und Jerusalem wegkommen / denn es kamen Leut aus *Africa*, mit den Kindern Israel zu zancken / vor *Alexandro Magno &c.* Græca vox est : *Δημοσιώνις*, (רימוסנאי) quæ *vilem & plebejum* notat, unde R. David Cohen de Lara *in Hir David p.* 31. ad hanc vocem : פי׳ מוכסים ונוגשים *significat publicanos & exactores*, non adeo male, vel quod tales rabulæ, quales intelliguntur, exosis istis exactoribus & publicanis non multum dissimiles, vel quod publicani, id genus procuratorum functiones simul susceperint. Gemeine / ungelehrte Zungendrescher / die weiter nichts wissen noch kennen / als mit ihren plaudern die Partheien in einander zu hetzen / und Zänckerey anzufangen. Utinam ex omnibus Rebus publicis excluderentur, uti hic Jerosolymis olim relegati dicuntur!

(34) Corpore Gibbosus. Ita Raschi de eo *in Glossa Talmudica* : היתה לו עקמומית בגבו *Habebat gibbum in dorso suo*. Unde lepida illa digressio in disputatione, quam cum Epicuræo quodam de resurrectione mortuorum habuisse, ibidem in Gemara memoratur. Nam cum negantes, eam חייביא *improbos* aut *scelestos* dixisset, alter ira sufflatus erumpebat : חייבא קרת לי אי קאימנא בעיטנא בך ופשיטנא לעקמותך מינך: *Tunc me scelestum vocare audes? Quid si surgens irruerem in te, & gibbum tuum tibi complanarem?* cui gibbosus Rabbi : אם אתה עושה כן רופא אומן תקרא ושכר הרבה תיטל: *Tu si id faceres, peritus Medicus vocareris, & mercedem magnam ferres*.

THEOREMA XVII.

Suscipiebat tamen & ultronea, pro dilatione imperii.

Bella Judæorum fuisse duplicia, legis & majestatis, jam supra dictum est; & hactenus quidem de legalibus actum, a quibus nemo immunis erat: nunc sequuntur spontanea, (1) quæ nec omnes obligabant, nec suscipi poterant invito Synedrio. (2) Rex igitur arma finitimis illaturus, necessario prius deliberabat cum magno senatu; citra cujus consensum miles non exibat. Maym. H. Melach. *cap.* §. 2. מלחמת מצוה אינו צריך ליטול בה רשות בית דין אלא יוצא מעצמו בכל עת וכופה העם לצאת אבל מלחמת הרשות אינו מוציא על פי בית דין של אחד ושבעים: *In bello quidem legali non opus habebat impetrare licentiam a senatu, sed exibat quovis tempore, cogens populum exire secum; at in bellum Majestatis non educebat exercitum, nisi de sententia Synedrii magni unius & septuaginta judicum*. Idem H. Sanh. *cap.* 5. §. 3. ex *cap.* 8. Mass. Sotah. לא מוציאין למלחמת הרשות אלא על פי בית דין הגדול שנ׳ כל הדבר הגדול יביאו אליך: *Non itur in bellum potestatis, absque consensu senatus magni, quia dicitur* (Exod. 18. 22.) *omnes res magnas ad te referent*. Hoc impetrato proximum erat, ut milites lustraret, (3) & eos, quibus lex abessendi veniam largitur, domum remitteret. Immunes (4) enim erant ab hac militia, quatuor hominum species, ædificantes, plantantes, neogami & meticulosi, *Deut.* 20. *vers.* 5. 6. 7. 8. quod privilegium Rabini (5) latius extendunt atque in hunc, qui sequitur, modum explicant. Hal. Mel. *cap.* 7. §. 4. אחד הבונה בית לישיבתו ואחד הבונה בית הבקר בית העצים בית האוצרות הואיל וראוי לדירה ואחד הבונה ואחד הלוקח ואחד שניתן לו במתנה או היורש הרי זה חוזר: *Perinde est, sive quis ædificet ad inhabitandum, sive pro pecoribus, sive pro lignis, sive granarium* (pro frugibus reponendis,) *modo id ædificium habitationi congruum sit. Æquiparatur etiam ædificanti, qui accipit aliunde, ut dono vel hæreditate: omnes hi revertuntur*. Excipiuntur qui voluptuaria tantum, ut aulas vel fornices ad ornatum ædificant; aut in exoticis terris quamcunque casam. Ibid. & §. 10. אבל הבונה בית שער אכסדרא או מרפסת או בית שאין בו ארבע אמות על ארבע אמות או הגוזל בית הרי זה אינו חוזר וכל הבונה בית או נוטע כרם בחוצה לארץ אינו חוזר עליהן: *At qui atrium, exedram, vel porticum ædificat, aut tugurium, quod non est quadrangulum, vel injuste rapit domum, ecce is non habet privilegium revertendi : ut nec ille, qui extra terram Israel ædificat vel plantat, propterea immunis est*. De novis ædibus quas dominus, vel aliis locat pro annua pensione, vel obseratas nemo incolit, difficilior est quæstio. Eod. §. 10. בנה בית והשכירו לאחרים והקדים לו שכרו הרי זה כמי שחנכו נתן לו שכרו לאחר יב׳ חדש הרי הוא כמי שלא חנכו עד עתה בנה בית ונתן בו חפציו ונעל חליהן אם היה צריך

צריך לבטל על שמירתן הרי זה כמי שחנכו והתחיל לישב בו ואם אינו צריך לישב ולשמרן הרי זה כמי שלא חנכו: *Si quis domum ædificans, locat eam aliis, & primam mercedem accipit, perinde habetur ac si eam initiaret: quodsi merces post XII. menses primum datur, est ac si nondum initiasset hactenus. Qui vero noviter extructam occludit, abditis ibi rebus suis desiderabilibus, si opus habet diligenti custodia, reputatur pro dedicante & inhabitare primum occipiente; sin custodis præsentia nil opus est, æquiparatur nondum dedicanti*. Quod plantantes attinet, lex tantum de vinea loquitur, si quis nondum: חללו *profanasset eam*, licuisse domum reverti. Alludit ea phrasi ad priscum morem, ubi nemo vinitorum uvis ante quintum annum fruebatur. Tribus enim prioribus vinea noviter plantata credebatur immunda, quarto fructus habebantur sacri & a sacerdotibus comedebantur, quinto demum fiebant profani usus, ut iis vesci liceret colono. R. Sal. Jarchi *ad eam legem*: לא חללו לא פדאו בשנה הרביעית שהפירות טעונין לאכלן בירושלם או לחללן בדמים ולאכול הדמים בירושלם: *Nondum profanavit* (in textu Deut. 20. 6.) *idem est quod nondum redemit anno quarto: nam fructus tenebantur edi Jerosolymis, aut ipsi, aut pretium e divenditis illuc deportatum*. Tunc tripudiare solebant in vineis easque solennibus choreis initiare, quo phrasis illa simul allusit, ut Ab. Ezra testatur *ad eum loc.* חללו מגזרת חלילים כי מנהג היה לחול בכרמים: *radix hæc habet etiam fistula canendi significationem, quia mos erat in vineis saltandi*. (6) Unde & Græci reddiderunt: οὐκ ηὐφράνθη ἐξ αὐτῆς. Sed Rabini extendunt etiam hoc privilegium latius ad omnem, qui quinque tantum arbores, quasvis in quovis horto plantat, modo fructus afferant esui accommodatos. H. Mel. *cap.* 7. §. 7. אחד הנוטע כרם ואחד הנוטע חמשה אילני מאכל ואפילו מחמשה מיני מאכל אחד הנוטע ואחד המבריך ואחד המרכיב זקנה בחברתה שהיא חייבת בערלה אחד הלוקח ואחד היורש ואחד שניתן לו במתנה: *Perinde est, sive quis vineam plantet, seu quinque arbores frugiferas, etiam diversarum specierum*, (velut pomos, pyros, ficus, cerasos, oleas &c.) *Æquiparatur quoque plantati: fodiens, rigans, inserens veteri; qualis compositio etiam tenetur lege de præputiis arborum* (Levit. 19. 23. quæ jubet folliculos florum excutere, ne quis fructus ante triennium enascatur.) *Est quoque tantundem, sive quis emat, seu hæreditario jure, sive dono datum accipiat*. Exceptiones aliquot *ibid.* subsequuntur §. 6. אבל הנוטע ארבעה אילני מאכל או חמשה אילני סרק או שגזל כרם אינו חוזר עליו וכן כרם של שני שותפים אין חוזרין עליו: *At qui quatuor tantum arbores frugiferas plantat, vel quinque steriles, aut rapuit vineam* (in bello,) *non revertitur: sic nec duo socii, qui vineam communem habent*. Pergo ad Neogamos. (7) Ii toto anno primo immunes erant ab omni officio militari, ut exhilararent uxores suas noviter ductas, sicut hæc ratio additur *Deut.* 24. 5. ad quæ verba notat R. Mose Mikozi *pr. neg.* 230. שנינו בסוטה בפ' משוח מלחמה שלא יעבור עליהם שום עול מן הצבא לא לספק מים ומזון ולא לתקן את הדרכים נקי יהיה לביתו: *Discimus e Mass. Sota capite* (8. quod incipit) *unctus belli, non gravari eos* (ut & præcedentes) *onere ullo exercitus: non cogi ad afferendum aquas & cibaria, nec ad ordinandum vias* (ut cæteri bello exemti, *adeoque domi suæ prorsus immunes esse*. Competit hoc privilegium cuivis sponso, sive vetulam duxerit sive juvenculam: illi etiam qui defuncti fratris viduam superinduxit, *Deut.* 25. 5. Maym. H. Mel. *cap.* 7. §. 6. אחד המארס את הבתולה ואחד המארס את האלמנה וכן אם נפלה לו יבמה אפילו חמשה אחים ומת אחד מהן כולן חוזרין קדש אשה מעכשיו ולאחר שנים עשר חדש ושלם הזמן במלחמה חוזר ובא לו: *Idem est, sive desponsarit sibi virginem sive viduam, item si acciderit ipsi fratria. Quamvis enim quinque fratres sint* (ut in exemplo, quod Sadducæi Christo proposuerunt Matth. 22. 25.) *si tantum unus moriatur, redeunt cæteri omnes. Qui matrimonium jam in præsenti contraxit, sed sub conditione temporis, ille complet suos duodecim menses in militia, deinde reversus cum ea congreditur*. Alia est ratio ejus, qui repudiatam suam postliminio recepit, aut incompetentem duxit, ille non gaudet hac immunitate. §. seq. 7. המחזיר את גרושתו והמארס אשה האסורה עליו כגון אלמנה לכהן גדול גרושה וחלוצה לכהן הדיוט ממזרת ונתינה לישראל בת ישראל לממזר ולנתין אינו חוזר: *Reassumens expulsam suam, aut desponsatus probibitæ sibi, verbi gratia Pontifex viduæ* (contra legem Levit. 21. 14.) *aut sacerdos gregarius repudiatæ* (ibid. vers. 7.) *aut plebejus Israelita spuriæ, vel contra Israelitis spurio aut Nathinæo*, (id est, e Gibeonitis oriundo, quos Josua vita donatos constituit aquatores & lignatores in populo *Dei*, Jos. 9. vers. ult.) *horum nemo vacat a malitia*. (quia lex de אשה חדשה: *uxore nova* loquitur, non post divortium renovata.) Supersunt Meticu-

culosi, quos ideo arcere militia consultum erat, ne cæteros effœminarent. Accensentur autem illis, quoscunque ob patratum facinus aliquod, male conscia mens trepidos efficit. Quia enim ob unius Achan furis maleficium, totus olim exercitus periclitabatur, *Jos.* 7. *vers.* 1. & 5. ideo non facile solebant hebræi facinorosos in castris tolerare, nec sacri exercitus communione dignari: secus quam fit hodie, quando adulteri & homicidæ patria extorres, in militiam relegantur; unde & minus mirum est, quod ejusmodi sceleratorum colluvies, parum contra Christiani nominis hostem effecit: quod enim foris prosint, qui domi inutiles sunt. R. Mosch. Mikoz. *pr. aff.* מי האיש הירא ורך הלבב ילך וישוב לביתו ולא ימס לבב אחיו כלבבו ר׳ עקיבא או׳ הירא כמשמעו שאינו יכול לעמוד בקשרי המלחמה לראות חרב שלופה רבי יוסי הגלילי א׳ הירא מעבירות שביהו לפיכך אמרה תורה לחזור בשביל בית וכרם ואשה לכסות על החוזרים בשביל העבירות ור׳ יוסי הגלילי מודה לדברי ר׳ עקיבא רק שמוסיף ברמסקינן שם שאם שמע קול קרנות והריע או הנפת תריסין והרתיע שהכל מורים שהוא חוזר: *Qui timet aut mollis est corde, revertatur domum ne liquefaciat corda fratrum* (Deut. 20. 8.) *R. Akiba* (8) (celebris ille doctor Talmudicus, qui 24000. discipulos (9) informavit, & centenario major, (10) in obsidione Bethorensi ob Bar-Cochabum (11) ab Imp. Adriano misere fuit excarnificatus, (12)) *intelligit hunc textum ad literam de illo, qui stare nequit in acie, nec sustinet videre strictum gladium. At R. Jose Galilæus intelligit de illo, quem conscientia terret propter iniquitates perpetratas. Horum turpitudinem ut lex tegeret* (honorique parceret) *jussit ob domum, vineam vel uxorem redire. R. Jose Galilæus non contradicit Akibæ, sed fatetur, saltem hoc superaddens, ut inde colligimus: qui enim audito cornuum sono retrocedit, vel percepto scutorum strepitu retroagitur omnium confessione domum redit.* Sunt etiam qui hoc ad ætatem referunt, & natu grandiores, quibus una cum juvenili calore, militaris ardor jam deferbuit, eximunt militia; quod simul cum robore corporis, animi quoque ferocia elangueat plerunque. Ibid. ובספרי תניא ר׳ יוסי הגלילי או׳ הירא הוא בן ארבעים שנה פירוש חש כח ושני תנאים הם אל. ליבא דר׳ יוסי: *In vetusto libri Siphri* (quem R. Simeon ben Jochai in tredecennali latibulo suo composuisse fertur) *extat alia traditio ejusdem R. Jose Galilæi, quod vocem Timidus explicarit de Quadragenario, qui jam sit defectis viribus. Ambæ traditiones congruunt ad mentem illius R. Jose.* Notabile est & hoc, quod steriles in militiam non admiserunt: sive id ex dedignatione factum, velut eviratis & parum masculis, quia orbitas olim probri loco (13) habebatur, *Gen.* 30. 23. 1. *Sam.* 1. 6. sive seram spem fœcunditatis, incerto belli eventu præcludere noluerint. Maym. H. Melach. *c.* 7. §. 8. אלו שאין יוצאין לערכי המלחמה כל עיקר אין מטריחין אותן לשום דבר בעולם וכו׳: *Hi sunt qui non exeunt in aciem belli; omnis sterilis non fatigatur ullo unquam officio in mundo, &c.* Cæterorum immunitas duravit toto anno: quo tempore ab aliis quoque civilibus oneribus erant vacui. Ibid. §. 9. מפי הקבלה למדו שיהיה נקי שנה בין לבית שקנה בין לאשה שנשא בין לכרם שהתחיל לאכול פריו כל השנה לא שומר בחומה ולא נותן לפסי העיר ולא יעבור עליו שום דבר בעולם לא לצרכו העיר ולא לצרכי הגדוד: *Orali explicatione didicerunt; immunes esse integro anno tam ratione domus acquisitæ, quam uxoris ductæ, aut vineæ cujus fructu primum vesci cœperint. Interea non custodire mœnia, nil conferre ad valla urbis, summa non teneri ullo servitio, nec ad usus civitatis, nec ad necessitatem exercitus.* Qui vero semel in castra profecti, justis ex causis inde dimittebantur, illorum munus erat, quale nunc fere calonum, lixarum & impedimentorum: ne in publico labore ipsi prorsus ociarentur, quæsito prætextu ignaviam celantes. §. præced. כל אלו שחוזרין מערכי המלחמה מספקין מים ומזון לאחיהם שבצבא ומתקנין את הדרכים: *Qui e castris revertuntur, subministrant aquas & alimenta fratribus suis, qui sunt in expeditione, ac emendant vias.*

Porro siqua urbs vel oblatam pacem acceptavit, vel obsidione tentata se certis conditionibus dedidit, recepta fuit in gratiam & vita incolis donata. H. Mel. c. 6. §. 1. אם השלימו וקבלו שבע מצוות שנצטוו בני נח עליהן אין הורגין נשמה והרי הם למס: *Si pacem inivetint & susceperint septem præcepta quæ injuncta sunt filiis Noæ, non interficitur ex illis anima ulla, sed fiunt tributarii.* Ubi sancte cavendum est, ne fides semel ipsis data, ullo prætextu violetur. Ibid. §. 3. ואסור לשקר בבריתם ולכזב להם אחר שהשלימו: *nefas est fallere fœdus eorum, aut mentiri, postquam de pace transactum fuit.* Ideo ponitus legitur universus Israel triennali fame, 2. *Sam.* 21. 1. quod Saulus fidem fregisset, quam Josua Gibeonitis pridem dederat, *Jos.* 9. 15. nec potuit hæc fraus aliter quam suspendio filio-

liorum regis expiari. Quicunque autem illato bello expugnantur, coguntur ad duo, scilicet Proselytismum & Servitutem; quorum illud religionem, hoc politiam attinet. Ac proselyti (14) quidem duplices (15) sunt, גרי צדק *justi* qui cum circumcisione totam legem recipiunt; & גרי תושב *incolæ* qui præputiati manentes, sola præcepta Noæ servant. In classem priorem nemo cogebatur invitus, quia lex Mosaica solis Judæis data est, fatente ipsomet Maymonide H. Mel. *cap.* 8. §. 11. משה רבנו לא הנחיל התורה והמצות אלא לישראל שנ' מורשה קהלת יעקב ולכל הרוצה להתגייר משאר האומות שנ' ככם כגר אבל מי שלא רצה אין כופין אותו לקבל תורה ומצות: *Moses præceptor noster non sancivit legem aliis quam Israeli, quia dicitur* (Deut. 33. 4.) *hæreditas ecclesiæ Jacob; & illis qui sponte volunt nobis associari de reliquis gentibus, quia dicitur* (Num. 15. 15.) *sicut vos sic peregrinus esto, at qui non vult, eum neque cogunt suscipere legem*. Perperam igitur (16) egerunt olim Pharisæi *Matth.* 23. 15. non *Christo* tantum culpante, sed ipsis etiam Rabinis agnoscentibus, dum mare & aridam circumiverunt, ut facerent unum proselytum, duplo se nequiorem. Pejus vero, avorum memoria R. Salomon Molchu, (17) qui Div. Imp. Carolum V. seducere attentavit: audacis hujus zeli dignum præmium consecutus: quod placet Judæorum verbis describere, ex illorum chronico Zæmach David. pagin. 61. fac. b. רבי שלמה מולכו גר צדק מאונסי פורטיגאל היה סופר המלך ונתגייר במחבא והתחבר אל דוד ראובני הבא ממדינת עשרת השבטים דרך ארץ טרטריאה הגדולה אשר היא הרבה להלאה מנהר גוזן ור' שלמה הנ"ל אף שמנעוריו היה משולל מתורת משה ממ נעשה מופלג בתורה והיה דורש ברבים באיטליאה ותורגמה וחבר ספר קבלה הוא וחברו דוד היו מדברים עם מלך צרפת ועם קיסר קראלוס החמשי והיו מבקשים להטות את לבם לאמנת ישראלים אשר בשביל זה ר"ש נדון לשרפה בעיר מנטובה בשנת רצ"ג ועשו רסן בפיו שלא היה יכול לדבר מאומה ישרפוהו ואת דוד ראובני הוליך הקיסר עמו אסור בזיקים לספרד ושם לפי הנשמע סר לו סר המות: *Rabi Salomon Mulcho proselytus justus de exactoribus Portugalliæ, scriba erat regis, circumcisus vero clanculum & associatus Davidi Rubenitæ, qui tunc e regione decem tribuum advenerat* (in quam Rex Salmanasser eos olim transtulit 2. *Reg.* 17. 6. sitam ad mare Caspium, ac ut fama est, adhuc frequentibus Judæis habitatam) (18) *per Tartariam majorem, procul inde a flumine Gozan. Prædictus ergo Salomon, quamvis a juventute sua Mosaicæ legis expers erat, nihilominus tamen in ea sic profecit ad stuporem usque, ut publice concionatus fuerit in Italia & Togarma* (h. e. Turcia, ni fallor,) *composueritque librum cabalisticum. Is igitur cum socio Davide regem Galliæ* (Franciscum) *& Cæsarem Carolum quintum adiens, conatus est corda eorum inclinare ad fidem Israeliticam. Propterea R. Salomo adjudicatus fuit igni Mantuæ Anno* 293. (qui nobis erat 1533.) *aptarunt vero frenum ori ejus ne quicquam eloqui posset; & sic combusserunt. Sed Davidem Rubenitam* (fuscum homuncionem, qui a transmarinis Judæis, ad Papam Clementem VII. legatus pro auxilio contra idololatras emissus erat,) *traduxit Cæsar secum catenis ligatum in Hispaniam: ibi ajunt removisse ipsi amaritudinem mortis*, (locutio e 1. *Sam.* 15. 32. hoc est, exemplo Agag in frusta dissecuisse.) Lubet & ritus (19) obiter considerare, quos in circumcisione proselytorum adhibuerunt. Qui jam ante circumcisi erant, ut Ismaelitæ olim & nunc Turcæ, illis tantum in testimonium Judaismi vetus vulnusculum leviter resauciabant. M. H. Milach *cap.* 1. §. 7. גר שנכנס לקהל ישראל חייב מילה תחלה ואם מל כשהיה גוי צריך להטיף ממנו דם ברית ביום השמיני שנתגייר: *proselytus qui cooptatur in ecclesiam Israel, ante omnia opus habet circumcisione, at si forte circumcisus fuerit adhuc gentilis existens, necesse tamen est ab illo elicere sanguinem fœderis die octavo post adoptationem*. Qua ipsa de causa veteres Rabini diruptionem pelliculæ פריעה dictam, (20) & legislatori Mosi ignoratam, introduxerunt, ut differrent ab aliis gentibus circumcisis; (21) quod institutum palliare nituntur e *Josu.* 5. 2. & ad differentiam Samaritanorum addiderunt Baptismum (22) quendam, de quo Raf Alphes *Tom.* 2. *pag.* 26. & ipse Talmud. Mass. Iesamos *fol.* 47. *fac. a. circ. fin.* ת"ר גר שבא להתגייר בזמן הזה או' לו מה ראית שבאת להתגייר אי אתה יודע שישראל בזמן הזה דווים דחופים סחופים ומטורפין ויסורין באין עליהם אם אומר יודע אני ואיני כדאי מקבלין אותו מיד ומודיעין אותו מקצת מצות קלות ומקצת מצות חמורות ומודיעין אותו עון לקט שכחה ופאה ומעשר עני ומודיעין אותו עונשן של מצות אל הוי יודע שעד שלא באת למדה זו אכלת חלב אי אתה ענוש כרת חללת שבת אי אתה ענוש סקילה ועכשיו אכלת חלב ענוש כרת חללת שבת ענוש סקילה וכשם שמודיעין אותו עונשין של מצות כך מודיעין אותו מתן שכרן אל הוי יודע שהעולם הבא אינו עשוי אלא לצדיקים

לצריקים וישראל בזמן הזה אינם יכולים לקבל לא רוב טובה ולא רוב פורענות ואין מרבין עליו ואין מרקרקים עליו קיבל מלין אותו מיד נשתיירו בו ציצין המעכבין את המילה חוזרים ומלין אותו שנייה נתרפא מטבילין אותו מיד וב׳ ת״ה עומדים על גביו ומודיעין אותו הרי הוא כישראל לכל דבריו אשה נשים מושיבות אותה במים עד צוארה ושני ת״ח עומדים לה מבחוץ ומוריעים אותה: *Tradunt Magiſtri noſtri Tannaim* (h. e. qui ab excidio urbis ad Judam ſanctum uſque vixerunt,) *ſi hoc tempore proſelytus accdat, quærendus eſt:* (23) *quid quæſo ſpectaſti, cur velis circumcidi? an ignoras Judæos nunc angi, expelli, diſſipari, diſcerpi & varias caſtigationes ipſis ſupervenire? ſi ſe iſta noſſe reſpondet, nec quicquam ſimulare, recipiunt quidem; ſed proponunt ipſi præcepta quædam levia & quædam gravia v. g. de ſpicilegio, & oblivione neglectis, & angulo agri relinquendo* (Levit 19. 9.) *& decimis pauperum; erudientes ipſum de pœnis tranſgreſſionum, dicendo: hactenus antequam ad hanc profeſſionem acceſſeras, impune comediſti adipem, aut profanaſti Sabbathum; nunc vero deinceps ob illud mereris exciſionem, ob hocce lapidationem. Contra tamen etiam obedientiæ mercedem doceant: ſcito venturum ſeculum pro juſtis & Iſraelitis paratum eſſe, neque in hac vita, vel bonum omne remunerari, vel puniri malum! Iſta breviter tradant, ſine ambagibus, ſine ſubtilitate. Si recipit, circumcidant; ſin laciniæ ſuperſint* (de priſtina circumciſione) *veram impedientes, abſcindantur & illæ ſecundo. Poſtquam ſanatus fuerit, baptizent eum præſentibus binis ſapientibus, & porro informantibus. Ecce talis fit per omnia inſtar Iſtraelitæ! Quod ſi mulier ſit, deducunt eam fœminæ ad aquas, ubi mergitur uſque ad collum, aſſiſtuntque foris iterum duo Rabini qui eam inſtruant &c.* Qui circumciſionem ſuſtinere promiſit, ſed ultra primum annum differt, reputatur pro apoſtata: (24) Maym. H. Mel. *c.* 8. §. 2. כל המקבל עליו למול ועברו עליו י״ב חרש ולא מל הרי זה כמין מן האומות: *Quicunque recepit in ſe circumcidi, ſed antequam XII. menſes tranſeant, non præſtat, habetur ſicut hæreticus gentilium,* (quo convitio nos Chriſtianos denominant.) Hæc de proſelytis juſtis, qui totam legem ſuſcipiebant; quod arbitrarium erat. Nunc de *Incolis*, (25) qui præputio retento ſola quædam generalia honeſte vivendi præcepta, ſibi a victoribus impoſita, neceſſario ſervabant; quæ a renovatore generis humani, vulgo *Mandata filiorum Noæ* (26) appellantur, & numero ſeptem ſunt; magnam partem poſtea in decalogum noſtrum relata; prout ea Kozæus *pr. aff.* 122. & Ramb. H. Mel. *init. cap.* 9. recenſent. על ששה דברים נצטוה אדם הראשון על עבודה זרה ועל ברכת השם ועל שפיכות המים ועל גלוי עריות ועל הגזל ועל הדינים אק״פ שכולן הן קבלה בידינו ממשה רבינו והדעת נוטה להן מכלל דברי תורה יראה שעל אלו נצטוה הוסיף לנח אבר מן החי שנ׳ אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו נמצאו ז׳ מצות: *Sex præcepta ſunt Adamo primævo impoſita, de Idololatria* (ne *Deos* alienos coleret,) *de benedictione Numinis* (ut hunc ſolum creatorem veneraretur,) *de ſanguinis effuſione* (ne homicidium patraret,) *de revelationa turpitudinum* (ne vagis aut inceſtis libidinibus contaminarentur,) *de rapina* (ne quid furarentur,) *& de judiciis* (ut juſtitiam publice adminiſtrarent,) *quamvis hæc ipſa nos acceperimus a Moſe noſtro doctore, & recta ratio illuc inclinet. Additum vero Noacho mandatum de membro vivi, ſicut dicitur* (Gen. 9. 4.) *carnem vivam in ſanguine non comedatis. Ita facta ſunt in univerſum ſeptem præcepta.* Quæ in primitiva etiam eccleſia (27) Chriſtianorum, gentibus converſis, loco Moſaicæ legis rigidiſſimæ ex decreto Apoſtolorum & Synodi Jeroſolymitanæ impoſita fuerunt *Act.* 15. 29. & pleraque Alkuranus etiam (28) inculcat paſſim. Quomodo patriarcharum ſucceſſionibus paulatim aucta ſint, & tandem in abſolutæ legis complementum excreverint, ſubjungit idem §. 2. וכן היה הדבר בכל העולם עד אברהם בא אברהם נצטוה יתר על אלו במילה והוא התפלל שחרית ויצחק הפריש מעשר והוסיף תפלה אחרת לפנות היום ויעקב הוסיף גיר הנשה והתפלל ערבית ובמצרים נצטוה עמרם במצור יתרות עד שבא משה רבינו ונשלמה תורה על ידו: *Sic erat res in univerſo mundo uſque ad Abrahamum, cui venienti additum fuit præceptum cirumciſionis* (Geneſ. 17. 10.) *& ipſemet introduxit preces matutinas. Iſaac vero ſeparavit decimas & preces addidit diurnas. Jacob autem cauſatus morem de nervo luxato* (non comedendo Gen. 32. 31.) *& precatus eſt veſpere. In Ægypto poſtea verſantibus, plura præcepta ſunt Amramo injuncta; donec tandem ſub Moſe lex tota conſummaretur.* Sed illa ſeptem obligant omnes homines ab Adamo vel Noah natos, ideo victis a victore (29) ſub pœna mortis impoſita fuerunt. Ead. Hal. *cap.* 8. §. 12. צוה משה מפי הגבורה לכוף את כל באי העולם לקבל מצות שנצטוו בני נח וכל מי שלא קבל יהרג והמקבל אותם נקרא גר תושב בכל מקום וצריך לקבל עליו בפני שלשה חברים: *Juſſit nos Moſes ex ore*

omni-

omnipotentis, *cogere omnes mundanos cives*, *ut ſuſcipiant præcepta filiorum Noæ*, *aut ſi nolint*, *eos occidere*. *Qui autem ea ſuſcipit Proſelytus*, *vocatur Inquilinus*, *& neceſſe eſt ut hoc faciat in præſentia trium ſociorum* (velut teſtium.) Promittunt etiam illa ſervantibus, locum in paradiſo: (30) quo judicio ſuo (nec jam diſputo quam certo,) benigniores ſunt aliquibus Chriſtianis, qui proximum in dogmate minuto errantem, mox diris omnibus amathematizant: pietatis alienæ rigidi cenſores, ſuæ nimis ſecuri. §. *ſeq.* 13. כל המקבל שבע מצות ונזהר לעשותן הרי זה מחסידי אומות העולם ויש לו חלק לעולם הבא והוא שיקבל אותן ויעשה אותן מפני מצוה בהן הקבה בתורה הודיענו עו׳ משה רבינו שבני נח מקודם נצטוו בהן אבל אם עשאן מפני הכרע הדעת אין זה גר תושב ואינו מחסידי אומות ולא מחכמיהם: *Quicunque ſuſcepit hæc ſeptem præcepta exequi*, *ecce is eſt de fidelibus gentium*, *habetque partem in ſeculo futuro*! *modo faciat hoc ideo*, *quia* Deus, *Opt. Max. præcepit ea Moſi & ante ipſum Noæ*: *non quia naturalis ratio ſuadet*: *talis enim pro vero proſelyto habendus non foret*. Hactenus de proſelytiſmo, quæ primaria conditio erat, devictis gentibus imponenda: proxima deinde cura regis, ut ſibi victori ſervirent. Servitus (31) autem duo complectitur, miniſterium corporis, & fortunarum contributionem: quæ ambo Maym. H. Mel. *c.* 6. §. 2. ſic expoſuit. קבלו עליהם המס ולא קבלו עבדות או שקבלו העבדות ולא המס אין שומעין להם עד שיקבלו שניהם והעבדות היא שיהיו נבזים ושפלים למטה ולא ירימו ראש בישראל אלא יהיו כבושים תחת ידם ולא יתמנו על ישראל לשום דבר בעולם והמס שיהיו מוכנים לעבודת המלך בגופם וממונם כגון בניין החומות וחוזק המצודות ובניין ארמון המלך וכיוצא בו שנ׳ וזה דבר המס אשר העלה שלמה וגו׳: *Si tributum recipere volunt*, *at non ſervitutem*; *aut hanc ſine illo*, *non audiuntur*, *donec utrumque ſuſcipiant*. *Servitutis autem eſt*, *ut ſint humiles nec attollant caput*, *ſed ſubmittant ſe manibus aliorum*, *neque præficiantur ulli officio in Iſrael*: *Tributi vero*, *ut parati ſint inſervire regi tam corporibus ſuis*, *quam facultatibus*, *verbi gratia in ſtructura mœniorum*, *aut fortalitiorum*, *vel palatii regalis & talium ædificiorum*: *ſicut dicitur* (1. Reg. 9. 15.) *de Salomone*, *tributariorum operas exigente &c.*

Reſtat ut in ſpecie de fœminis bello captis (32) diſquiramus, de quibus propriam legem tulit Moſes *Deut.* 21. 11. quæ ideo rectius ad hoc theorema refertur quam ad præcedens, quia in bellis tantum ſpontaneis locum habuit; non in legalibus, ubi omnes occidi jubebantur, nemo captivus ſervari; quamvis Cananæorum ſpecialis fuerit ratio. R. Salom. Jarch. *ad marg.* במלחמת הרשות הכתוב מדבר שבמלחמת ארץ ישראל אין לומר ושבית שביו שהרי כבר נאמר לא תחיה כל נשמה: ושבית שביו לרבות כנענים שבתוכה אעף שהן מז׳ אומות: *De bello poteſtatis ſcriptura loquitur*, *nam de occupatione terræ Iſrael dici non potuit* (verſ. 10.) *captivaveris captivitatem ejus*, *quoniam pridem juſſerat* (cap. 20. verſ. 16.) *non vivam relinquere ullam omnium*; *comprehendit tamen etiam Cananæos in ſpecie*, *quamvis eſſent de ſeptem populis extirpandis*. Ideo dicunt hanc legem diu non fuiſſe uſitatam. R. Moſ. *præc affir.* 122. גרסינן בירושלמי רשבת בשם שמואל או׳ לא הותרו ביפת תואר כל יד׳ שנה שבע שכבשו ושבע שחלקו: *Legimus in Talm. Jeroſolymitano Maſſ. Schabbas*, *dixiſſe Samuelem* (rectorem Academiæ Pombeditanæ) *pulchras fœminas non fuiſſe conceſſas totis quatuordecim annis*: *ſcilicet ſeptem quibus ſubegerunt*, *& totidem quibus diviſerunt* (terram Canaan.) Voluit autem *Deus* Opt. Max. ut alibi ſemper, ſic in militia quoque populum ſuum ſanctum eſſe, præcipue vero vagis libidinibus abſtinere, quæ vires animi ſimul & corporis enervant, ideo ſcorta in caſtris habere vetuit: ſecus quam faciunt capitanei gentium, quorum exercitus aliquando majori turma meretricum oneratur, quam militum. R. Bachai *Parſa Ki teze*. שוחה עמוקה זונה וכן ענין האשה מן השיחה יבא האדם אל ההסתכלות ומן ההסתכלות אל ההרהור ומן ההרהור אל הםגע עד שיפול בשוחת העון והוא היה עון הכנענים יושבי הארץ אשר בסבתו הורישם השם ית׳ משם ואפילו באנשי המלחמה היוצאים לצבא אסרתו תורה כדי שיהיה מחנה קדוש ולא יהיו ישראל משולחים בזנות וביתר התועבות כאשר מחנות האומות: *Fovea profunda meretrix eſt* (Prov. 23. 27.) *& res comparata taliter*: *a colloquio devenit homo ad conſiderationem*, *a conſideratione ad imaginationem*, *ab imaginatione ad contactum*, *donec cadat in foveam tranſgreſſionis*. *Et hoc ipſum peccatum fuit Cananæorum veterum inquilinorum terræ*, *cujus cauſa* Deus *illos expulit inde*. *Ideo ne in militibus quidem lex id tolerat*, *volens ut caſtra Iſraelitarum ſint ſancta*, *non projecta in ſcortationes aut abominationes cæteras*, *ſicut caſtra gentilium*, (quo nomine Chriſtianos, an vere? taxat.) Ut tamen lex intuitu fragilitatis humanæ, præſertim licentiæ militaris, ad gravio-

ra

ra præcavendum, aliquid indulgeret, statuit certas conditiones, (33) quibus mulier captiva in matrimonium duci possit, & populo duræ cervicis, salutari remedio subsequentis conjugii voluit consultum, si quas forte aspectu pulchras, ex libidinis impatientia compressissent. Quatenus autem hoc permissum fuerit, controvertunt invicem Doctores Talmudici, Mass. Kiddusch in, *pag.* 21. *b. circ. fin.* בביאה ראשונו דכולי עלמא לא פליגי דשרי דלא דברה תורה אלא כנגד יצר הרע כי פליגי בביאה שנייה רב אמר מותר ושמואל אמר אסור: *De primo congressu totus mundus non dubitat, quin permiserit, non tamen loquitur lex nisi respectu concupiscentiæ pravæ* (prævalescentis rationi,) *sed ambigunt de congressu iterato. Raf ait licere, Samuel negat concessum.* Ad quæ verba scholiastes *in marg.* notat ראית בשביה הותרה לו בכמה שנתן עיניו בה בשעת שביה אם נתן מתחילה עיניו בה ולא שלקחה למוכרה או לשפחה ואחר כך נתן עיניו בה: *Prædam quamcunque videt concedit ei lex: intellige tantum de hora captivitatis: item si oculos ab initio statim in ea hoc fine defixit; non sic assumsit ut venderet, vel pro ancilla usurparet; postmodum vero amare cœpit.* Videtur itaque legislator id minime ultro concessisse, sed tantum per conniventiam tolerasse; (34) sicut & polygamiam atque alia quædam, quæ *Christus* deinde in melius reformavit: præsertim ut vaga scortatio, vitium longe deterius evitaretur. R. Mos. Gerundensis *P. Ki teze.* לא יתירנה לו רק מפני החשק בהיות יצרו מתגבר עליו: *Non permisit eam aliter, quam ob cupiditatem nimiam, ubi affectus ei prædominantur.* R. Mos. Ægyptius *cap.* 8. *Mel. v.* 2. בועל אשה בגיותה אם תקפו יצרו אבל לא יבעלנה וילך לו אלא מכניסה לתוך ביתו ואסור לבעול אותה ביאה שנייה עד שישאנה: *Rem habet* (miles Judæus) *cum ethnica muliere, si vicerint ipsum veneris stimuli: At tunc non licet ei discedere & relinquere vitiatam, sed debet illam in domum suam introducere, atque secundo concubitu abstinere, donec eam legitime prius duxerit.* Animadversio marginalis *ibid.* הנה פסק כרב דאמר הכי בירושלמי ודלא כרבי יוחנן דאמר אף בעילה ראשונה לא הותרה אלא אחר כל המעשים: *Ecce decisio sententiarum facta est juxta mentem Raf; non juxta* (35) *R. Johannem:* (cum quo tamen ego sentire honestius putarem,) *qui primum quoque congressum negabat esse licitum: nisi post cæteros actus omnes.* Iterumque Bechai *d. l.* ומה שהותרה לו ביאה ראשונה כדי לפייס את יצרו ולא דברה תורה אלא כנגד יצר הרע וכיון שחשק בה אם אין אפשר לו בהתר יעשה זה באסור: ואח״כ היצר הרע משטין האדם ומחטי או תמיד ובא אליו בדמיון אשת יפת תואר להטעותו ולהכשילו: *Quare permisit lex complexum primum? ideo ut sedaret appetitum ejus, quia tantum loquitur de casu concupiscentiæ vehementioris, ubi miles si non potest id quod licet, licere sibi putat quod potest.* (& post aliqua interjecta:) *Genius ille malus adversatur homini perpetuo, & facit illum peccare, apparens aliquando specie mulieris formosæ ut decipiat ac offendiculum ponat.* Usque adeo verum est quod de voluptatum irritamentis dicit R. Abrah. Seba *in zer hamor P. K. T.* ליבא ועינא תרי סרסורי עבירה *cor & oculos esse proxenetas peccati*: paulo post addens: בנות הגוים הם מופקרות והם פרוצות בעריות ואין להם בשת פנים ומצחיהם נחושה והולכות בשווקים וברחבות ואצל כל פנה יארבו לצוד נפשות נקיים: *filias gentilium fuisse prostibula, feroces in turpitudinibus pudore vacuas frontis æneæ, in foro, plateis & quovis angulo insidiantes animabus innocentibus.* Si quis ergo miles, captæ cujusdam pulchritudine fascinatus, nec præditus continentiæ dono, eam subegerat, debuit mox de legitimo appellare matrimonio; sic tamen ut ejurata prius avita superstitione sua, in religionem judaicam ipsa transiret. Maym. Hal. Mel. *cap.* 8. §. 6. אחרי שיבעלנה ביאה ראשונה והיא בגיותה אם קבלה עליה להכנס תחת כנפי השכינה מטבילה לשם גירות מיד: *Postquam cognovit ipsam prima vice adhuc ethnicam, si vult intrare sub alas divinitatis, baptizet eam ad proselytismum illico.* Excipiebantur vero Sacerdotes, (36) quibus non licebat alienigenam ducere, quamvis cum ea rem habuissent. Id. §. *præc.* 5. הכהן מותר ביפת תואר בביאה ראשונה שלא דברה תורה אלא כנגד היצר אבל אינו יכול לישאנה אחר כך מפני שהיא גיורת: *Sacerdoti fas est cum formosa congredi prima vice, si concupiscentia prævaluerit,* (unde vero hanc necessitatem probabis, o Apella?) *sed nefas eam postea ducere, quoniam est e gentilismo.* Notetur hic, quod non puellas tantum, sed & nuptas hostium, jungere sibi matrimonio potuerint, quia textus non *Fœminas* vocat, quod sexus nomen esset, sed אשת *Mulieris* appellatione utitur, quod volunt maritatam notare & ad virum referri, quoniam ab איש derivatur. Bachai *ead. pars K. T.* הזכיר אשת בסמיכות ודרשו רז״ל אפילו אשת איש מותר ללקחה: *ponit nomen Mulieris in statu constructo* (nam in absoluto fuisset אשה) *id explicant Magistri nostri p. m. de muliere viri alicujus,*

jus, quam liceat accipere. Unde & illud inferunt, nescio quam apte, gentilibus proprie nulla fuisse conjugia, (37) forte ut nec bestiarum consociationes matrimonia dici merentur: itaque pro adulterio minime habendum, si quis uxorem hostis bello captam duxerit. Maim. H. Mel. *cap.* 8. §. 3. אין אשת יפת תאר מותרת אלא בשעת השביה שנ׳ וראית בשביה בין בתולה בין בעולה בין אשת איש שאין אישות לגוים וחשקת אעפ׳ שאינה יפה בה ולא בחברתה שלא יבעול שתים ולקחת לך לאשה שלא יקח שתים יבעול אחרת ויניח לאביו או לאחיו: *Mulier pulchræ formæ non concessa est, nisi in casu captivitatis: ubi perinde est sive virgo sit, sive devirginata, sive maritata viro; quia gentibus verum non est matrimonium*, (ideo pro cœlibe habetur.) *Textus addit* (Deut. 21. 11.) *Si desideraveris eam, innuens etiam non formosam* (posse sic duci, modo placeat militi,) *utiturque singulari numero, ne quis forte plures comprimat, subjungens:* Et accipito tibi, *ne forte parenti aut fratribus tradat*. Porro si captiva judaicam religionem amplecti nollet, jubebatur ad mensem domo detineri. Lex meminit *v.* 13. ירח ימים *lunationis* unius, at Rabini extendunt ad integrum trimestre. H. Mel. *cap.* 8. §. 7. צריכה להמתין ג׳ חדשים חדש של בכיה ושני חדשים אחריו: *opus habet expectare tribus mensibus, uno pro luctu, & duobus aliis deinceps*. Quod sic conciliandum puto, loqui legem de tempore planctus, Rabinos vero de termino nuptiarum. Targum Jonathæ Chaldæi תבכי על טעות בית אבה ואמה ותשהי תלת ירחין די תדע אין היא מעברא: *defleat ipsa errorem domus paternæ ac maternæ; tu vero præstoleris tres menses, ut cognoscas, utrum illa sit* (e congressu primo) *gravida*. Raf Alphes *Tom.* 2. *p.* 23. *a.* צריכות להתמין שלשה חדשים להבחין בין זרע שנזרע בקדושה לזרע שנזרע שלא בקדושה: ואחכ׳ אם לא התמין האשה אחר בעלה שלשה חדשים אפשר שתהא מעוברת מבעלה הראשון ואומרים בנו של אחרון הוא: *Expectandum est tribus mensibus, ut discenatur inter progeniem sanctam & profanam*. Paulo post: *si non expectaret trimestri, posset contingere, ut e priori marito gravida, pareret quem pro filio posterioris haberent*. Interea lex ipsam varie deturpat, jubens abscindere crines, (38) ungues vicissim alere, vestimenta sumere lugubria, & penates suos deflere. R. Abrah. Seba *P. Ki-Teze* לפי שבנות הגוים מתקשטות בפנים צהובות ובשער מגולה ושורקות שערן בםסרק ומחלקן אותו לשנים ומשימים אותו על הצדעים וכן קולעות שערן מעשה קליעה לעלות ולראות לפני האנשים כנגד זה אמר בכאן ונלחה את ראשה באופן שלא ישאר לה שער וקליעה וידע דרכי הצניעות כי אפילו גילוי הראש גנאי לבנות ישראל כאמרו בסוטה: *Quia filiæ gentium se ornantes & faciei nitorem affectantes, capillos incrispant, strigili pectinant & dispescunt bifariam ad tempora, calamistris intorquentes, ut spectentur ab hominibus: ideo jubet lex captivam abradere caput suum, nec de crispedine pilum relinquere, ut sic humiliata modestiam discat: quoniam vel sola capitis denudatio turpis habetur filiabus Israel*, (39) *ut dicitur in Talm. tr. Sota*. (quod lucem affert textui Paulino (40) 1. *Cor.* 11. *vers.* 5.) Aliam rationem comarum detondendarum affert Bechaius *Pars. cit.* ששערותיו של אדם הם כחו וכענין שכתוב אם גלחתי וסר ממני כחי: *quod hominis capilli contineant robur ejus, sicut dicitur* (de Samsone Jud. 16. 17.) *si rasus fuero, recedet a me fortitudo mea* (putat ergo venereas vires una debilitatum iri.) De unguibus (41) dissentiunt; est enim ambiguitas in Hebræo ועשתה את־צפרניה *faciat ungues suos*, (vers. 12.) Talm. Mass. Jesam. *cap.* 4. *p.* 48. *a.* ר׳ אליעזר אומר תקוץ ר׳ עקיבא אומר תגדיל א׳ ר׳ אלעזר נאמרה עשייה בראש ונאמרה עשייה בצפרנים מה להלן העברה אף כאן העברה ר׳ עקיבא אומר מה להלן ניוול אף כאן ניוול וראיה לדברי ר׳ אליעזר ומפיבשת בן שאול ירד לקרא׳ המלך לא עשה רגליו ולא עשה שפמו עשיה העברה: *R. Eliezer ait: significare idem quod* Præcidat. *R. Akiba inqnit*, Crescere Sinat. *R. Eliezer sic argumentatur, quæ est ratio capillitii, eadem quoque ungularum, at illud auferri jubetur, ergo & hæ. R. Akiba subsumit; at illud fit ad abominationem, ergo & hoc ad deturpationem debebit. R. Eliezer affert demonstrationem e scriptura* (2. Sam. 19. 24.) *Mephiboschet filius Saul descendens in occursum regis, non fecerat pedes suos* (h. est, ungues præciderat,) *nec fecerat mystacem suum*, (h. e. totonderat,) *en facere usurpatur pro auferre!* Targum Jonathæ reddit תצמי ית טופרותא quod itidem incertum est, quid significet. Cl. Dn. Buxtorfius junior *in Lex. Chald. Præcidendi* sensu exposuit; at ego pace Amici, contrario *Nutriendi* sensu accipere mallem, quia non tantum glossator marginalis לשון גידול *significatione incrementi* explicavit, sed etiam alter paraphrastes Chaldæus, Onkelos תרבי *h. e. multiplicet vel augeat* interpretatus est, adeoque totus contextus non ornatum, sed deturpationem innuere videtur. R. Nathan baal Aruch *Rad.* צם tribuit hoc Jerosolymitano Targum;

gum; quod cum in eo desit, suspicor Jonathæ traductionem illo nomine insignivisse. Notavit hoc ipsum Elias *in suo Methurgeman*, non extare in impressis. R. Abraham existimat, respexisse legem ad mores gentim, qui ungues vario colore tingere sint soliti, in suo *Zer. ham. d. l.* לפי שבנות הגוים מתקנים צפרניהם של יד ורגל וצובעים אותן במין צבע כמנהג הישמעאלים שיהיו בידיהן שינוי ויסתכלו בהם ויקחו ידיהן וימשמשו בהן עד שנדלק אש של גהנם ויצר הרע לזה אמר ועשתה את צפרניה מתגדלם בלי תיקון ובלי צבע: *Quia filiæ gentium adornant ungues manuum & pedum suorum, tinguntque variis speciebus colorum, ad morem Ismaelitarum, ut sit in manibus pulchra varietas; quam considerantes* (amasii) *prebendunt eas, & tam diu palpant, donec exardescat ignis infernalis malæ concupiscentiæ: ideo jubet lex captivam ungues alere negligenter absque cura vel pictura*. R. Bechai altius philosohatur, & in recordationem lapsus humani factum putat. *l. c.* שיחשוב במעלתו של אדם הראשון קודם שחטא שהיה מלבושו צפורן: *ut cogitet de præstantia primi hominis Adami, cujus vestis,* (42) *antequam peccasset, erat instar unguis*, (colore corneolum referens: unde adhuc dum ineunte Sabbatho Judæi ungues ad candelam contemplari solent, (43) admurmurata precula; vid. Minhag. *fol.* 3. (44) Quod vestitum captivæ attinet, erat & ille ad deformitatem accommodatus, ut sic omnia libidinum incitamenta tollerentur. Idem Bachai (45) *ibid.* אולי תוך הזמן הזה יתנחם החושק ויעבור חשקו מעליה בראותו אותה מתגוללת בגלות הראש ובגידול צפרניה ובלבישת בגדים של שביה כי כבר הסירה הבגדים הנאים שעליה אשר באה עמהם ובראותו אותה בוכה ומצטערת ישלחנה לנפשה: *Fortasse intra hoc spacium temporis pœnitebit amantem, & sedabitur appetitus ejus, dum videt deturpatam raso capite, unguibus prominentioribus, indumento viliori, qualis est captivorum, postquam pulchras vestes, in quibus venerat, deposuit: item si cernit flentem & semet affligentem, facilius eam dimittet*. Iterumque Seba *d. l.* לפי שבנות הגוי מתקנות עצמן בבגדי משי וארגמן שש ורקמה לפתות ולהסות האנשים בהם כאמרו וברם ענבים סותה לזה אמר והסירה את שמלת שביה ותלבש בגדים אחרים מבלויי סחבות ובזה לא תקבל בשת אחר שאינה צריכה לצאת חוצה והיא יושבת מסוגרת בביתו: *Quia filiæ gentium exornan se vestibus holosericis & purpureis, & byssinis & acupictis, sicut* (de ornatu Messiæ Gen. 49. 11.) *dicitur, operimentum suum in sanguine uvarum lavant, ut alliciant & incitent viros: ideo jussit lex captivam vestes preciosas amovere, ac vetustate detritas* (Jerem. 38. 12.) *induere, quia permutatione* (privatim tantum) *non publice dehonestatur, quia nunquam egreditur foras, sed domi sedet conclusa*. De fletu dubium movent non necessarium. Aliqui ad literam accipientes, existimant veros parentes lugere jussam: alii vero allegorizantes, Idola sua deflere avitamque superstitionem. R. Bechai *loc. sæpius cit.* הטילה עליה תורה משפט אבלות שהיא שלשים יום כדי שתעשה חובה באביה ואמה אם שמעה בהם שנהרגו בעורנה שביה כי האדם יתחייב לכבד אביו ואמו בחיים גם לאחר מיתה: *præscribit ipsi lex modum luctus, qui est triginta dierum, ut solvat justa parentibus, cum audit eos occisos esse, tenetur enim homo, non in vita tantum patrem & matrem honorare* (Exod. 20. 12) *sed & post mortem eorum*. Bar Nachman *ad h. l.* והרב אמר במורה הנבוכים לחמלה עליה שתמצא מנוח לנפשה כי יש לעצבים מנוח והשקט בבכייהם ואבלם: *Magister* (intelligit Rambamum.) *in libro More hannebuchim* (h. e. doctore perplexorum, quem Arabice scripsit,) *ait, juberi hoc misericordiæ causa*, (non tam ob occisos parentes, quam) *ut ipsa reperiat quietem: est enim dolentibus aliqua consolatio vel recreatio, ab ipso plangendi actu*. Mikoz. *pr. aff.* 122. נחלקו שם התנאים בפ׳ החולץ *dissentiunt in hoc doctores nostri, in capite Hacholez*, quia fieri potuit, ut ipsa parentibus in juventute statim orbata, pridem ambos defleverit. Huic casui aliam interpretationem quærunt, ne legis jussum tunc videatur frustraneum. Talmud. M. Jebam *fol.* 48. *fac. b.* ר׳ אליעזר אומר אביה אביה ממש אמה אמה ממש ר׳ עקיבא אומר אביה ואמה זו ע״ז וכן אומרים לעץ אבי אתה וגו׳: *R. Eliezer ait, Pater significat patrem simpliciter, & Mater matrem. R. Akifa inquit, parentes hoc loco notant Idola, secundum illud* (Jer. 2. 27.) *dicentes ligno, tu Pater meus es, & lapidi tu me genuisti!* Bachai *l. d.* לפי המדרש הזה היה זמן ירח הפני שהוא כלל כל ההקפים הקף היום השמשי והקף ז׳ כוכבי לכת לשבעה ימי השבוע והקף החדש הירחי אביה רמז אל השמש ואמה אל הירח ואחיך לרבות הכוכבים: *secundum hanc expositionem dedit ei tempus menstruum, quod complectitur omnes periodos* (superstitionis gentilitiæ,) *scilicet circuitum solis diurnum, revolutionem dierum hebdomadis pro numero septem planetarum, denique mensem lunæ. Sic ergo pater solem, mater lunam, fratres stellas notant*. (ut Gen. 37. 9.) Hactenus de latibulo captivæ & conatu eam converten-

tendi. Quod si vero ad Judaicam religionem, post experimenta hæc omnia, transire tamen noluisset, coacta fuit ad septem præcepta filiorum Noæ; sed a nemine Judæo in thalamum recepta: quia nefas habitum e proselyta non totali filios suscipere. Maym. H. Mel. *cap.* 8. §. 9. לא רצה להתגייר מגלגלין עמה שנים עשר חדש לא רצתה מקבלת שבע מצות שנצטוו בני נח ומשלחה לנפשה והרי היא ככל הגרים התושבים ואינו נושאה שאסור לישא אשה שלא נתגיירה: *Si Judaismum amplecti recusat, volutantur cum ea duodecim menses,* (h. e. tamdiu expectant,) *si nondum vult, imponuntur ei septem præcepta, quæ posteris Noæ sunt injuncta, & dimittitur libere: tunc accensetur proselytis incolis, sed a nemine ducitur: quia impium est juugi matrimonio paganæ* (nondum cathechumenæ.) In tali casu nec ipse pro ancilla retinere potuit, quam semel compressit, nec aliis ad quæstum divendere; sed debuit eam impune ac liberaliter, qua vellet, dimittere. (46) §. præc. 8. אם לא חפץ בה משלחה לנפשה ואם מכרה עובר בלא תעשה שנ' ומכר לא תמכרנה בכסף ואם מכרה אינה מכורה ומחזיר הדמים: *si non placet, dimittat eam gratis ad voluntatem suam, qui enim vendit, peccat contra probibitionem legis* (Deut. 21. 14.) *nequaquam vendas eam argento, neque negotieris illa. Imo tunc vere vendita non est, quia pretium emtori restituere tenetur.* Mizv. gad. *pr. neg.* 233. אם כבש אותה אחר שנבעלה לשם שפחה משישתמש בה לוקה שנ' לא-תתעמר בה ופירש רבינו שלמה בשם ר' משה הדרשן שכן בלשון פרסי קוכין לעבדות ושימוש עמרא: *Si post concubitum cogit eam ad servitium, vapulat: quia dicitur* (Deut. ibid.) *non prostituas illam ad quæstum. Sic enim R. Salomo* (Jarchi.) *nomine R. Mosi baddarschan* (h. e. concionatoris,) *exponit etymologiam vocis* עמר *ex usu linguæ Persicæ.* Gerundens. *s. h. l.* תתעמר הוא כמו תתאמר מלשון יתאמרו כל פועלי און וכולם רממות וגדולת האמרה ונגזרו מן בראש אמיר ויקראו בערבי הארון אמיר ושמוש העין והאלף כאחד מורגל כנון פרעהו מרדת שחרת כמו פראהו: *Obscura vox textus* תתעמר *est, quasi per Aleph scripta esset, ac significat grandiloquentiam, ut in illo* (Psalmi 94. vers. 4.) *superbe prædicabunt se operatores iniquitatis, deducto ab* אמיר (quod legimus Esai. 17. 6.) *& summitatem rami vel frondis notat. Appellant etiam Arabice Dominum vel Herum hoc titulo. Et solennis est permutatio gutturalium literarum* אע *velut in hoc dicto* (Jobi 33. 24.) *redime ipsum, ne descendat in foveam.* Oritur hinc quæstio, cujusnam sit filius ex imprægnata pagana post dimissionem natus? Hebræi Jureconsulti (47) patris esse negant; asserentes ventrem sequi, & a Synedrio publice baptizari. H. Melach. *cap.* 8. §. 9. נתעברה מביאה ראשונה הרי הולך גר ואינו בנו לדבר מן הדברים מפני שהוא מן הגויה אלא בד' מטבילין אותו על דעתם: *E gravida de primo concubitu nascitur proselytus, qui non habetur pro filio gignentis, quia est ex Ethnica: verum senatus illum decreto suo* (ad proselytismum) *lustrari curat.* Ajunt tamen experientia comprobatum, (48) quod tales filii plerunque sint degeneres, refractarii & aliqua labe notati. Præc. affir. 122. סופו להוליד בן שהוא בן סורר ומורה לכך נסמכו הפרשיות הללו: *Eventus est* (militis gentilem in bello imprægnantis,) *ut gignat filium rebellem & inobedientem. Ideo scriptura statim subjungit legem de talibus dilapidatoribus lapidandis* (Deut. 21. vers. 18. & seqq.) Medrasch Tanchuma, quod a formula docendi crebrius repetita *Jelammedenu* cognominant, *sup. h. loc.* תניא ר' יוסי אוכל בן סורר חצי ליטרא בשר ושותה חצי לוג יין: *Tradit R. Jose,* (49) *talis filius devorat selibram carnis, & epotat medium Log vini.* (h. e. quantum tria circiter ova continerent: quod Bacchi nepotulis hodie parum esset, at olim severioris disciplinæ sæculo, in tenellis temperantiæ candidatis nimium censebatur atque futuri helluonis præsagum tyrocinium. Confer Cl. quondam Drusii *notas ad h. l. Deut.*) Confirmant hoc etiam exemplo liberorum regis David, Absalomi & Thamaræ; quorum ille patri insidiatur 2. *Sam.* 15. 10. concubinis ejus abutitur *c.* 6. *vers.* 22. ideo violenta morte perit *c.* 18. *vers.* 14. hæc vero incestum a fratre passa *c.* 13. *vers.* 14. fratricidio præbet occasionem *vers.* 28. Fuisse autem ambos e captiva matre oriundos, tradit præter alios (50) R. Dav. Kimchi *in not. ad Sam.* (51) תמר בת יפת תואר היתה כמו שאמרו רבותינו ז"ל והראייה כי לא ימנעני ממך והיתה אחות אבשלום מאמו כי מעכה אמו אל אבשלום לקחה דוד במלחמה ושכב עמה שנתגיירת ומעכה נתעברת מדוד בביאה ראשונה בעודה גויה ואחר כן נתגיירת ונשאה דוד לאשה וילדה לו אבשלום ומה שאמר אמנון אחותי לפי שהיתה בת דוד קראה כן: *Thamar e formosa captiva erat orta, ut tradunt nostri doctores p. m. quo alludunt verba* (vers. 13.) *non denegabit me tibi: fueratque soror Absalomi e matre Maecha* (*filia Talmai regis Gesschur,* (2. Sam. 3. 3.) *quare ceperat Davides in bello, & cum ea dormiverat* an-

antequam proselyta fieret, e quo primo congressu imprægnata est, adhuc in gentilismo existens. Judaizatam postea duxit rex in uxorem; tunc peperit ei Absalomum. Ideo autem Amnon eam sororem vocat (blande allocuturus, c. 13. vers. 11.) *quia e communi patre David suscepta erat.* Inde disputant Rabbini, (52) utrum vere incestus fuerit, an stuprum? & num Amnon ille Thamaram in legitimum thorum cooptare potuerit, nec ne? Maymon cum multis, affirmat licuisse in matrimonium ducere, quæ vere soror non fuerit: quia paganæ partus ventrem sequitur, ut supra dictum, & patri non accensetur. H. Mel. *cap.* 8. §. 9. תמר מביאה ראשונה של יפת תואר היתה אבל אבשלום נולד מאחר הנישואין נמצאת תמר אחות אבשלום מאמו ומותרת להנשא לאמנון וכן היא אומרת דבר נא אל המלך כי לא ימנעני ממך: *Thamar e primo & unico concubitu formosæ nata, sed Absalon ex eadem jam nupta regi. Erat ergo illa hujus soror e matre.* (vi- Ahinoam — DAVID — Maecha
des hic pa- | | |
tris ratio- Amnon Tamar Absolon
nem non haberi! *concessa ergo in conjugium Amnoni, sicut ipsamet ait* (vers. 13) *loquere quæso cum rege, non is me tibi prohibebit*. Contra R. Johannes negat concessam, quod hæc tantum elabendi causa dixerit: nisi e priori marito gentili conceptam fuisse probetur. Mik. *pr. ass.* 122. אבל לדברי רבי יוחנן תימה היאך היתה מותרת לאמנון כיון שלא הולידה דוד עד אחר שנתניירה אמה הרי היתה אחותו גמורה וצריך לומר שלא היתה בתו אלא היתה בת אשתו מן הגוי קודם המלחמה ומה שכתוב כי כן תלבשנה בנות המלך מעילים לפי שגדלה עם בנות המלך אומר כן או שמא בא דוד אל אם תמר בצנעה קודם המלחמה והוליד ממנה תמר כי קודם בית דינו של חשמונאי היתה גויה מותרת בצנעא: *Rabi Jochannan miratur, quomodo licita fuerit Amnoni, siquidem David eam genuerit post proselytismum matris; unde veram fuisse sororem oportet, itaque dicendum est, non fuisse filiam ejus, sed filiam uxoris e priori marito gentili susceptam ante bellum. Objiciis* (e vers. 18.) *vestitam tunica variegata instar filiarum regis! resp. factum esse, quod educaretur una cum filiabus regis in aula. Quid si Davides ad matrem ejus accessisset ante bellum? nam ante senatus consultum Hasmonaicum, gentilis concessa erat, certa moderatione.* (quod non facile crediderim: alias hanc Johannis sententiam alteri præferens; quia & in nostro jure Romano, servilis cognatio nuptias impedit. *l. si uxor.* §. *illud. Instit. de Nupt.*) Ultimus casus erat, ut si qua nullis persuasionibus ab avita superstitione vellet discedere, occideretur. M. H. Mel. *c.* 8. §. 10. יפת תואר שלא רצתה להניח עבודה זרה אחר שנים עשר חדש הורגין אותה: *Formosa quæ nullo modo vult relinquere cultum idolorum, post duodecim menses* (53) *interficitur.* (54)

NOTÆ

In Theorema decimumseptimum.

(1) Spontanea. Spontaneum bellum Hebraice vocatur מלחמת הרשות *bellum licentiæ*, quod pro arbitrio Reipublicæ Judæorum vel geri vel non geri potest: Unde Schikardus noster varie reddit, nunc *bellum spontaneum*, nunc *ultroneum*, quin & sæpicule *bellum Majestatis*, respiciens procul dubio, quod supra p. 287. (112.) ex Majemonide de eo adduxerat, suscipi in hunc finem, כדי להרחיב גבול ישראל ולהרבות גדולתו ושמעו: *ut dilatentur termini regni Israelitici & augeatur ejus dignitas & gloria.* Jo. Coccejus *in Mischn. Sanhedr. c. I.* §. V. *p.* 2. reddit *bellum arbitrarium*, & in notis *ad eum loc. p.* 16. *πόλεμον αὐθαίρετον*, cui מלחמת המצוה *bellum vi præcepti gerendum* opponitur. Atque ita Rymundum Martini quoque, qui *part.* II. *Pug. Fid. c.* IV. §. IV. 52. vertat *bellum licitum*, merito correxit Josephus de Voisin, substituens in margine *voluntarium*. At Galatinus Raymundo ista suffuratus secure retinuit *lib.* IV. *de Arcan. Cath. ver. c.* V. *f.* 199. Conf. Selden. *lib.* III. *de Synedr. c.* XII. §. 1. p. 188.

(2) Nec suscipi poterat invito Synedrio. Idem docet Seldenus *loc. cit.* §. 2. *p.* 190. & ex historia Romana illustrat. Nec aliter Joseph. de Voisin *Observat. ad Pug. fol.* 268. Ac constans Hebræorum est doctrina fundata in Mischna Sanhedrin *c.* I. §. V e qua passim ab interpretibus repetitur. Clarissimus tamen Frischmuthus *in de Rege eligendo & deponendo*, ut alia id genus, quæ Regis potestatem ablegatione ad Synedrii arbitrium limitant, ita hanc quoque cum Synedrio de bello voluntario ineundo consultationem in dubium vocat, notatus propterea a Seldeno *l. c. p.* 195. Nos præsuppositis iis, quæ de Synedrii natalibus ad Esræ ætatem referendis superius *p.* 10. 11. dicta sunt, traditioni Hebræorum, & plurimorum tum Judæorum, tum Christianorum consensui subscribere nequimus; si tamen de sequioribus post-Babilonicis Regibus accipiantur, quorum temporibus sibi Synedrium auctoritate crescens potestatem subinde ampliorem de facto arrogabat, haud renuerimus, Regi non licuisse bellum citra Synedrii consensum suscipere. Atque ita Talmudicos Majorum suorum Reges eorumque potestatem æstimasse judicamus ex iis temporibus, a quibus uti propius aberant, sic pleniorem eorum notitiam habebant. Forte etiam antiquiores, qui certiora noverant, hæc de industria finxerunt, ut Regum potestatem sensim imminuerent, suam augerent, donec ita invalesceret traditio ut ab omnibus crederetur.

(3) Milites lustraret. Quo ordine ac modo hæc exer-

exercitus lustratio fieret, exposuit R. Majemonides *capite ab Auctore citato*. Summa huc redit. Primum populo promiscuo & nondum in classes ac turmas separato Sacerdos belli dicebat: *Quisquis domum ædificaverit &c.* mox ejus generis homines potestatem habuerunt redeundi domum. Hinc in turmas militares multitudo secernebatur sub chiliarchas, centuriones, quinquagenarios &c. Turmis ita dispositis Sacerdos denuo populum alloquebatur: *Ne timueritis trepidaveritis, quia Dominus Deus vester in medio vestro est*. Porro cum jamjam acies instruenda esset, & turmæ pariter consisterent, denuo Sacerdos belli causa unctus ex edito loco voce æquabili & constanti proclamabat: *Audi Israel &c.* usque ad: *ut eruat vos de periculo*: quæ eadem Sacerdotes alii non uncti exerta voce per singulas turmas exponebant Conf. Bechai *ad Parsch Scophtim fol.* CCXXV. *col.* 2. P. Fagius *not. ad Onkel. Deut.* XX. Jos. de Voisin *observ. ad part.* III. *Pugion. dist.* III. *cap.* XI. *f.* 623.

(4) Immunes. Immunitatem hanc concedi, non imperari, observat Augustin. *quæst.* XXXI. *in Deut. Tom. IV. Opp. f.* 271. adeoque verba legis divinæ non tam imperative, quam tentative accipienda, & hæc coram populo edisserenda fuisse ad explorandos virorum animos. Qui enim viriliter nimium rerum suarum affectum vincere & deponere valebant, manere poterant in castris; at qui non poterant, his erat permissum, abire domum, & recedendo a castris suam pusillanimitatem prodere. Contra vero R. Abarbanel *Comm. in Leg. f.* CCCLXV. *col.* 1. quibuslibet ædificantibus, plantantibus & neogamis non concessum modo, sed præcepto utique injunctum fuisse ait, ut domum retrocederent, neque cum cæteris pergerent in militiam. Nam singulis eorum actionibus certum legis mandatum adhærere, quod exequi non potuissent in bellum egressi, ibique fortassis occumbentes. Quo ipso satisfieri putat omnium optime difficultati, quam in hunc modum movet: יש עיין למה זכר בנה בית. נטע כרם. נשא אשה. ולא. דבר אחר. ולמה אמר ואיש אחר יחנכנו. ואיש אחר יחללנו. ואיש אחר יקחנה. כי אחר שהאדם ימות מה לו אם איש אחר יחנך את ביתו. או יקח את אשתו. או יחלל את כרמו: *Advertendum est, quare hic ædificationis, & plantationis vineæ, & conjugii meminerit, non item actionum aliarum? item cur singulis addiderit, illic quidem alterius dedicationem, istic alterius possessionem, hic matrimonium ab alio consummandum, siquidem homini, postquam mortuus est, perinde sit, utrum vir alius domum dedicet, aut uxorem ducat, aut vineæ suæ usum fructum percipiat*. Neque enim probat sententiam R. Salomonis Jarchi, qui de privilegio exposuit istis hominibus saltem ideo indulto, ne sibi istarum rerum ab aliis postea occupandarum desertionem ad animum revocarent, eoque nimium contristaretur. Eam sic eludit: ועם היות שכתב רש"י ואיש אחר יחנכנו ודבר עגמת נפש הוא זה. הנה השכל בלתי סובל שיקשה על האדם שאיש אחר יחנך את ביתו. שעדיין לא דר בו ולא שלמה מלאכתו. יותר משיקשה עליו שהבית אשר דר בו ונתעדן בתוכו איש אחר יירשנו. וכן בענין האשה יותר יקנא האדם על אשתו שכבר לקחה יותר משיקנא על ארושתו שלא נתייחד עמה: *In eo, quod Raschi scripsit, ea quæ in Lege de dedicatione domus a viro alio præstanda adduntur, anxietatem animi respicere, nullus plane sensus est, quasi hoc molestum esset homini, si vir alius domum ejus dedicaret, in qua nondum hactenus habitavit, & cujus structuram nondum absolvit, magis quam molestum esse possit, si vir alius sibi domum ejus approprict, in qua jam dum habitavit, seque oblectavit? Similiter in re uxoria majori longe zelo ducitur quis pro uxore sua, quam pridem duxit, quam pro desponsata solum, cum qua se nondum adunivit*. Quid ergo? אבל ענין זה כלו נאמר על האיש שהתחיל בדבר שיש מצוה בתכליתו ובהשלמתו והיו מאוייו וחפצו להגיע הדבר ההוא אל תכליתו קיום המצוה ועבודת האלהים אשר בו. ולכן זכר מי האיש אשר בנה בית שיהיה בו ענין המצוה שזכר כי תבנה בית חדש ועשית מעקה לגגך. וזכר נטע כרם ולא חללו מפני המצוה שהיה בזה בשנה הרביעית לפדות אותו או לחללו בדמי׳ ולהעלותם לירושלם ולאכלם שם. וזכר אשר ארש אשה ולא לקחה שהיה מצוה לקחת אשה ולעסוק בפריה ורביה. הנה א"כ לא היה הענין מפני עגמת נפש׳ ומדאגה הדבר בעצמו מפני התאוה הגופנית כי אם לפי שלא באת המצוה לידו בתאותו ולא הספיקו הימים לקיימה ולזה יקנא באיש אחר יחנכנו ואיש אחר יחללנו ואיש אחר יקחנה שתתקיים המצוה על ידי זולתו ולא על ידו: *Verum tota hæc res dicta est de viro, qui rem incepit, in cujus fine & complemento præceptum aliquod observandum occurrit: ejus ergo desiderium & voluptas eo dirigitur, ut rem illam ad finem suum perducat, propter observantiam præcepti, & pietatem suam. Propterea loquitur primum de viro, qui domum ædificavit, cui actioni adhæret præceptum* Deut. XXII. 8. *hujus tenoris*: Cum ædificaveris domum novam, facies septum tecto tuo. *Deinde ejus meminit, qui plantavit vineam, sed eam nondum communem fecit: idque iterum propter præceptum, quod novum vinitorem obligat, ut anno quarto vineam redimat, aut reddat profanam persoluto certo pretio, quod Jerosolymas transferendum ibique consumendum est. Tandem de eo ait, qui sibi uxorem desponsavit, sed nondum duxit; cui præceptum de deducenda uxore, deque opere crescendi & multiplicandi incumbit. Quod cum ita sit, non fit illud propter anxietatem animi, & sollicitudinem rei ipsiusmet propter concupiscentiam quandam corporalem; sed ideo, quia præceptum divinum pro desiderio ejus nondum impletum est, neque suppetierunt dies, quibus illi satisfieret, atque propterea zelo accenditur erga alium, qui vel domum dedicat, vel vineam profanat, vel uxorem sibi antea desponsatam ducit, quia nimirum præceptum per alium impletur, non vero per ipsum*. Adduntur plura, quæ in Auctore ipso videantur.

(5) Rabini. Quæ hic de ædificantibus, plantantibus & Neogamis sequuntur, ea in Talmude, tanquam propria sede reperies in *Massech. Sota*, in Babilonico quidem *fol.* XLIII. *col.* 1. at in Jerosolymitano *fol.* XXIII. *col.* 1. & 4. Confer Beth Israel *part.* II. *fol.* XXV. *col.* 1. 2.

(6) Mos erat in vineis saltandi. Non tantum, cum vineæ anno post plantationem quinto solenniter initiarentur; sed & quotannis postea, die decimo quinto mensis Abh, qui Julio in nostris Kalendariis respondet, choreæ in vineis agi solebant a puellis olim Israeliticis, quod observatum est Aloysio Novarino *lib. III. Schediasm. Sacro-prof. c. XXV. fol.* 97 his Rabbinorum verbis Latio donatis: *Decima quinta die mensis Abh filiæ Jerusalem egrediebantur in vestibus albis, & choreas ducebant in vineis. Quid vero dicebant? Adolescens, attolle oculos tuos, & vide, quam tu velis eligere ex omnibus. Ne respicias pulchritudinem, siquidem fallax est; at eam, quæ Deum timet laudes*. Sic e Rabbinis, ut ait, Novarinus, quæ unde suffuratus sit, qui ipsorummet scripta non evolvit, nondum fuit obvium. Vestigia tamen ritus illius deprehendimus in Talmudis Babilonici Massecheth Baba Basra *fol. CXXI. col.* 1. ubi R. Simeon ben Gamaliel: לא היו ימים טובים לישראל כחמשה עשר באב וכי"ה שבהן בנות ירושלים יוצאות בכלי לבן: *Nulli dies magus festi sunt Israelitis, quam decimus quintus Mensis Abh, & dies expiationum, quippe quibus filiæ Jerosolymitanæ egrediebantur vestibus albis*. Ibidem paulo post, Rabba bar bar Channa die hoc decimo quinto mensis Abh raptas a superstitibus Benjamitis ait puellas Silounticas, in vineas ad choream egressas, de quibus *Judic. XXI. 19. seqq.* ad quem locum R. David Kimchi *fol. CCLXXXVIII. col.* 2. ejusque compilator R. Salomo Aben Melech *in Michlal Jophi fol. LIX. col.* 2. ejusdem consuetudinis meminerunt: היו בנות ישראל יוצאות וחולות בכרמים כדברי ר"זל והמחול זה שהיה לבנות ישראל חוץ לעיר שילה באותו המקום אשר מצפונה לביתאל: *Solebant filiæ Israeliticæ egredi & choreas ducere in vineis, ceu constat e scriptis Rabbinorum nostrorum. Instituebatur autem solennis hæc chorea, quam filiæ Israeliticæ ducebant, extra urbem Siloh, eo in loco, qui a septentrione Bethelis erat*.

(7) Neogamos. Vide Seldenum *lib. III. Uxor. Hebr. toto Cap. III. p.* 311. *seqq. edit. Londin.*

(8) R. Akiba. רוב שבחיו לא יכילם ספר אחד Cumu*lum encomiorum ejus non absolveret liber unus*, inquit R. David Ganz *part. I. Zemach David fol. XL. col.* 1. Totam ejus vitam & mortem late descripsit R. Abraham Zachuth *in Juchasin fol. XXXV. col.* 1. *seqq.* e

quo

quo præcipua repetiit laudatus R. David Ganz *loc. cit.* & iterrum de ejus morte *fol. XLI. col.* 2. & ante utrumque R. Abraham bar Dior *in Sepher hakkabala fol. LIX. col.* 1. *seq.* E Christianis vero scriptoribus de eo confer Raym. Martini *part. II. Pug. fid. c. IV. §. XVIII. seqq. fol.* 257. Galatinum *lib. IV. de arc. Cath. verit. c. XXI. f.* 261. Drusium *lib. II. de sect. Judaic. c. VIII. & IX. p.* 80. 81. Hottingerum *Secul. II. Hist. Eccl. sect. III. p.* 75. 76. & qui Davidem Ganzium latine recensuit, Guil. Henr. Vorstium *in Chronolog. Sacro-profan. p.* 99. & 103.

(9) 24000. Discipulos. Pervulgata hæc est traditio passim apud citatos Auctores obvia. R. David Ganz *loc. cit.* ad auctoritatem insuper libri Breschith rabba provocat: עשרים וארבע אלפים תלמידים היו לו לרבי עקיבה כואיתא בב״ר בפסוק ויוסף אברהם וגו׳ וכולם מתו בין פסח לפרס עצרת מפני שלא נתנו כבוד זה לזה׃ *Quater & vigesies mille discipuli fuerunt R. Akibæ, ut est in Bereschith rabba ad Genes. XXV. vers.* 1. *qui omnes mortui sunt intra festum paschatos & dimidium festi pentecostes, eo quod alter alterum debito honore non prosequebatur.* At in Bereschith rabba tantum duodecies mille discipuli memorantur. Sic enim ibi *fol. LXVII. col.* 4. י״ב אלף תלמידים היו לר״ע מעכו ועד אנטיפרים וכולם בפרק א׳ מתו למה שהיתה עיניהם צרה אלו באלו ובסוף העמיד ז׳ ר׳ מאיר ור׳ יהודה ר׳ יוסי ור׳ש ור״א בן שמוע ור׳ יוחנן הסנדלר ור״א בן יעקב׃ *Habuit R. Akiba* 1200. *discipulos inde ab urbe Acco usque ad Antipatrida, iique omnes uno temporis articulo mortui sunt, eo quod aliis invidebant. Tandem constituit adhuc septem, R. Meier, R. Jehudam, R. Jose, R. Simeonem, R. Eliesarem ben Schemoah, R. Jochanan Sutorem, & R. Eliesarem ben Jacob.*

(10) Centenario Major. Occubuit anno ætatis CXX. postquam ad XL. usque ætatis annum mercaturam exercuisset, annos itidem XL. fuisset discipulus, & XL. annos Rabbi ac Doctor ipse Talmudicus in schola Bethorensi. Quæ consimiliter & de R. Jochanan ben Saccai traduntur.

(11) Ob Bar-Cochabum. De quo infra circa finem libri *num. marg.* 189. Fuit autem R. Akiba נושא כליו של בן כוזבא *armiger Ben-Cosbæ*, (qui cum *Bar-Cochabo* idem est,) eumque verum esse Messiam olim patribus promissum, acerrime propugnavit.

(12) Excarnificatus. היו מסריקין את בשרו של רבי עקיבה במסרקות של ברזל ונפטר ויצאה נשמתו׃ *Depexuerunt carnem R. Akibæ pectinibus ferreis, & mortuus est, atque exivit anima ejus.*

(13) Orbitas olim probri loco habebatur. Qui nullos genuerat liberos, eum per contumeliam כודנא עקרא *Mulum sterilem* vocabant, quod probrum Manoæ ingessisse Ibhzanum, sexaginta liberis superbum tradunt Talmudici in Gemara Baba Basra *fol. XCI. col.* 1. & in Beth Jisrael *part. II. fol. CXXXVII. col.* 4. Confer quæ diximus *ad Ruth. II.* 1. *p.* 227. *seq.*

(14) Proseliti. Hebraice גרים id est *peregrini* vel *advena*, quæ vox, si etymologiam spectes, generatim, quosvis peregrinos notat, a גור *peregrinari*, seu *extra patriam vivere*, de quo vide notata *ad Ruth I.* 1. *p.* 63. In specie autem tribuitur iis, qui e gentibus vel Judaicam religionem amplectebantur, vel suscepta in se septem Noachi, quæ vocant præceptorum observatione, inter Judæos habitabant. Quod suæ de proselytis dissertationi præmisit R. Bechai *in kad hakkemach lit.* ג. *tit.* גר. *fol. XIX. col.* 3. כל אחד מישראל ההולך מעיר אל עיר אחרת נקרא גר. וכן מי שהוא מן האומות ונתגייר וחזר לאמונת ישראל יקרא גר הוא הנקרא גר צדק לפי שבא להסתופף תחת כנפי השכינה. וכן גוי שקבל עליו שלא לעבוד ע״ז ובא להתישב בינינו יקרא גר תושב׃ *Quicunque Israelitarum ex una urbe in aliam proficiscitur, is vocatur* גר Ger. *Sic etiam is, qui e gentilibus venit ad amplectendam religionem & fidem Judaicam, vocatur* גר Ger, *& quidem* גר צדק *proselytus justitiæ, eo quod venerit, ut sese protegat sub alis providentiæ divinæ. Similiter Gentilis, qui susceperint in se, quod nolit amplius idololatriam colere, veneritque ad habitandum inter nos vocatur* גר תושב *proselytus domicilii.* De singulis postea sigillatim agit; nostrum vero haud est quicquam addere, siquidem non prolixe minus, quam docte hanc de Proselytis materiam hic persequitur Schikardus noster, cum quo tamen conferri merentur ex Hebræis post citatos ab Auctore Alphesium & Talmudicos, laudatus R. Bechai *loc. cit.* R. Majemonides *Hilk. Issure biah c. XIII. & XIV. Tom. II. Operis Jad. fol. CXXXV. col.* 2. *& seqq.* R. Jacob ben Ascher *in Arba Turim part. II. Jore deah, Hilkoth Gerim fol. LXV. col.* 2. *seqq.* Jalkut chadasch *tit.* גרים *fol. LIII. col.* 3. *seqq.* e Christianis Munsterus *not. ad Evangel. Matth. Hebr. p.* 330. Buxtorfius *Lex. Talm. fol.* 407. *seqq.* Seldenus *lib. II. de Jure Nat. & Gent. c. II. & seqq. fol.* 138. *seqq.* & *de Success. ad leges Hebr. c. XXVI. f.* 91. *seqq.* Drusius *lib. II. de sect. Judaic. c. XV. p.* 101. 102. Hottingerus *lib. I. Thes. Philol. c. I. sect.* 3. *p.* 16. *seqq.* Ligtfootus *Hor. Hebr. & Talm. in Matth. p.* 41. & 249. Leusdenius *Philol. Hebræomixto, integra Diss. XXI. p.* 142. *seqq.* & *in Jona Illustrato pag.* 104. *seqq.* Slevogtius *integra Dissertat. XIV. part.* 2. *dispp. Acad. p.* 869. *seqq.* Jac. Altingius *integra Dissert. Philolog. VII. p.* 236. *seqq.* Gentius *annot. Ethicis ad Majem. c. I. p.* 91. 92. Hermann. Witzius *proleg. in Jud. Christianiz. p.* 13. *seqq.* Christ. Gerson *part. I. Talm. Jud. c. XXXIII. p.* 242. *seqq.* Christoph. Carthvvrigtus *elect. Targumico-Rabb. in Exod. p.* 131. Cregutus *Revel. arcanor. c. X. p.* 448. *seqq.* Coccejus *not. ad Maccoth. p.* 112.

(15*) Duplices. Imo triplices facit Hottingerus *lib. I. Thes. Phillol. c. I. sect. III. p.* 18. eumque secutus Leusdenius *Philolog. Hebræo-Mixt. Diss. XXI. q.* 2. *p.* 143. & *in Jona illustrato p.* 105. duobus hisce proselytis, & incolis *proselytos mercenarios* adjiciens, quippe quos Moses commemorat Exod. XII. 45. ubi תושב & שכיר aperte contradistinguantur. Talem mercenarium ex R. Levi Barzelonitæ *libro Chinnuch p.* 17. sic definiunt: שכיר הוא גר שמל ולא טבל שכן פירשו חכמים ז״ל׃ *Mercenarius est proselytus, circumcisus quidem, sed non baptizatus: sic enim explicant Rabbini p. m.* Quæ definito ut recte intelligatur, probe observandum est, dici non a Judæis circumcisum, sed ipsis gentilibus, ad quos per κακοζηλίαν circumcisio pervenit. Raschi *ad Exod. XII.* 45. *f. LXII. c.* 2. תושב זה גר תושב. ושכיר זה הגוי. ומה ת״ל והלא ערלים הם ונאמר כל ערל לא יאכל בו אלא כגון ערבי מהול וגבעוני מהול והוא תושב או שכיר׃ *Per* Toscab *intelligitur proselytus inquilinus. Per Sachir autem Gentilis. Quid vero sibi vult specialis hæc utriusque mentio? annon hi præputiati sunt? atqui generatim dicitur v.* 48. *Nullus præputiatus comedet de eo? Verum talis intelligitur gentilis, qualis est Arabs circumcisus & Gibeonita circumcisus, atque is vel inquilinus est vel mercenarius.* Atque sine dubio restrictam voluit R. Salomonis aben Melechi glossam R. Jacob Abendana. Cum enim ille *in Michal Jophi fol. XX. col.* 1. scripsisset: תושב ושכיר הם גוים וערלים לא מולים. *Incola & mercenarius sunt gentiles & præputiati non circumcisi*; addit hic in Spicilegio: והטעם מי שהוא מאמונה אחרת אף על פי שהיה מישראל׃ *Intelligitur hac descriptione is, qui est alterius Religionis, etiam sit alias nativitate Israelita.* Subjungit idem paulo post, traditionem esse Rabbinorum. כי התושב הוא גר תושב שקבל עליו שבע מצות בני נח. ושכיר הוא עבד שאין גופו קנוי. *quod per* Toscab *significetur proselytus incola, qui recepit in se septem Noæ præceptorum observantiam: per Sachir autem servus, cujus corpus ære non est redemtum.* Is enim, cujus corpus redemptum erat, erat circumcidendus. Non male igitur Hottingerus *loc. cit.* colligit quidem mechanicos peregrinos intelligi, (die frembden Handwercksgesellen) quos vel desiderium experientiæ, vel exactior artis notitia, solum patriæ relinquere, & cum exteris versari ut plurimum jubet; at quod medios inter proselytos inquilinos & gentiles censet, quibus aliæ forte leges & conditiones, quam proselytis incolis, ab antiquioribus Judæis positæ fuerint, ut tertiam adeo proselytorum classem constituant, nondum videmus firmiter demonstratum. Potius hos Mercenarios quoque proselytos domicilii & ejusdem religionis pariter ac privilegiorum cum inquilinis, atque ad observantiam Noachicorum adstrictos fuisse credimus; distingui vero a Mose תושב & שכיר non religionis intuitu, quæ sic eadem utriusque, sed quod ille sibi statum fixumque, hic vero ad tem-

pus

pus saltem sibi domicilium posuerit inter Judæos, neuter vero fidem Israeliticam exemplo proselytorum justitiæ amplexus, & idcirco nec idoneus sit ad pascha comedendum, quod & glossa Raschi intendebat.

(16) Perperam igitur. Duo asserit Schickardus: *unum* est, culpari a *Christo* simpliciter ipsum in se studium Pharisæorum, gentiles ad Judaismum convertendi; *alterum*, ipsos confiteri Rabbinos culpabilem hanc majorum suorum solitudinem. Sed neutrum se ita habet. Non *prius*: quia gentilem ad verum *Deum* convertere, laude potius dignum, neque opus suo genere malum est. Christus igitur partim Pharisæorum hypocrisin reprehendit, quam sua illa diligentia in Gentilium conversione adhiberi solita fovebant, zelum pro religione propaganda ostentantes, cum revera vix aliud, quam lucrum, non convertendorum salutem, sed bona quærerent, suæ satisfacturi avaritiæ & illorum conscientiis pariter & crumenis dominaturi: partim eorum *ἑτεροδοξίαν* & *κακοβιότητα* arguit, quibus eos hinc pessimo vitæ exemplo seductos, illinc gravissimis imbutos erroribus, in æternæ damnationis barathrum, una secum præcipitabant. Utrumque ipse tot verbis innuit Salvator, dum & in hac non minus, quam in antecedentibus epanorthosibus diserte *ὑποκριτὰς* appellat, & non simpliciter ait, mare & aridam eos circumire, *ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον ut unum faciant proselytum*, sed addit insuper, factum ita proselytum fieri per eosdem *υἱὸν γεέννης διπλότερον αὐτῶν filium gehennæ duplo ipsis pejorem*. Pulchre Chrysostomus *Homil. LXXIV.* (in Græc. Codd. *LXXIII.*) *in Matth. fol.* 631. in quibus tamen ipsis aliqua a simplicitate verborum *Christi* recedunt: *Ἐνταῦθα δύο αὐτοῖς ἐγκαλεῖ. ἓν μὲν, ὅτι ἀχρηστοι πρὸς σωτηρίαν τῶν πολλῶν, καὶ πολλοῦ δέονται τοῦ ἱδρῶτος, ὥστε κἂν ἕνα ἐφελκύσασθαι. ἕτερον δὲ, ὅτι ῥάθυμοι πρὸς τὴν φυλακὴν τοῦ κτηθέντος. μᾶλλον δὲ οὐ ῥάθυμοι μόνον, ἀλλὰ καὶ προδόται, διὰ τῆς κατὰ τὸν βίον πονηρίας διαφθείροντες αὐτὸν καὶ χειροποιοῦντες. ὅτ' ἂν γὰρ τοὺς διδασκάλους ἴδῃ πονηροὺς ὁ μαθητὴς, χείρων γίνεται· οὐ γὰρ ἵσταται μέχρι τῆς τοῦ διδασκάλου κακίας. ἀλλ' ὅτ' ἂν μὲν ἐνάρετος ᾖ, μιμεῖται. ὅτ' ἂν δὲ φαῦλος, καὶ ὑπερβαίνει διὰ τὴν εὐκολίαν τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον.* *In duobus*, inquit, *magnis criminatur, quorum unum est, quia inutiles ad salutem multorum existentes, vix magno sudore quenquam possunt attrahere: alterum, quia desides ad custodiendos attractos sunt, imo vero etiam proditores, cum eos malo exemplo vivendi deteriores faciant. Magistri enim etiam ipsis pejores discipuli fiunt: probos enim doctores vix imitari possumus improbos autem, quoniam faciliores ad mala sumus, etiam superamus.* At nec *posterius* consistit: quia aliud est, ad amplectendam religionem cogere invitum; aliud, dare operam diligenter, ut quis ad fidem sponte & sincere suscipiendam persuadeatur. Rabbini illud prohibitum dixerunt, quod tamen fecisse Pharisæos, e *Christi* verbis elici nequit. Hoc autem, ut diligentia ad convertendum incredulos adhibeatur, in laude profecto ponunt, eumque, qui ad Judaismum adduxerit gentilem, illius esse creatorem gloriantur. Id quod ex ea Scripturæ phrasi confirmant, qua τὸ עשה *fecit* de Abrahamo ejusque sive uxore, sive omnibus domesticis enunciatur, dum animam in Haran dicuntur fecisse *Gen. XII.* 5. Locus est in Bereschith rabba *Seder Lech Lecha*, *fol. XLIII. col.* 4. א״ר אליעזר בר זומרא אם מתכנסין כל באי העולם לברא אפילו יתוש אחד אינן יכולין לזרוק בו נשמה ואת אמר ואת הנפש אשר עשו . אלא אלו הגרים שגיירו אם כן שגיירו למה אמר עשו . אלא ללמדך שכל מי מקרב את הנכרי ומגיירו כאילו בראו . ויאמר אשר עשה למה נאמר אשר עשו . אמר ר׳ הונא אברהם היה מגייר את האנשים ושרה מגיירת את הנשים: *Objecit R. Eliesér bar Simra: si maxime convenirent omnes, quotquot in hunc mundum veniunt, ut crearent saltem muscam unicam, non tamen possent infundere illi animam; quid ergo dicitur hic:* Et animam, quam fecerunt? *Resp. intelliguntur proselyti, quos ad veram fidem converterunt.* Instat: *Quod inde? esto ita, convertisse eos ad fidem, numquid propterea dicendum erat:* Fecerunt? Resp. *omnino, ut docearis, quod omnis, quicunque ad gentilem venit, eumque convertit, perinde æstimetur, ac si creasset illum.* Denuo objicitur: *At dicendum fuerat, quam fecit* (scil. Abrahamus, qui ad fidem istas animas convertit,) *quare ergo dicitur:* Quam fecerunt? *Respondet R. Huna: Abrahamus convertit mares, Sara autem fœminas.* His equidem obesse videri poterant tot in proselytos passim a Talmudicis effusa dicteria, quibus eos pro scabie, lepra, ac peste habent, in Kiddusschim *fol. LXX. col.* 2. & in Jebbammoth *fol. XVII. col.* 2. & *fol. CIX. col.* 2. quinimo in Massech. Nidda *fol. XIII. col.* 2. eos pæderastis aperte annumerant, ajuntque utrosque מעכבין את המשיח *remorari Messiæ adventum*. Quorum quidem dicteriorum varias afferre solent causas, nunc facile ipsorum relapsum cum scandalo Israelitarum junctum, nunc seductionem Israelitarum ad idololatriam, qualem in deserto videre licuerit circa vitulum aureum, proselytorum instinctu, ut ajunt, conflatum, nunc profationem sancti seminis Israelitici, quæ ex conjugio cum proselytis contracto orta gratiosam divinæ Majestatis cohabitationem impediat. Verum R. Bechai, cum hæc & alia *in Cad hakkemach fol. XIX. col.* 1. adduxisset, mitius ea interpretatur, אין זה נאמר לגנאי הגרים אלא לגנאי ישראל: *non dici in contumeliam proselytorum, sed in vituperium potius & ignominiam ipsorummet Israelitarum*, quippe quos condemnent illi, cum damno & naufragio rerum suarum ad *Deum* sese convertentes, quem ipsi contra minori cum devotione & sinceritate venerentur. כיון שהקדוש ברוך הוא רואה מחשבתם שעזבו משפחתם וארץ מולדתם ובאו להדבק בשכינה הנה הם מחייבים את ישראל כשהן (אין) עובדין להקדוש ברוך הוא בלב שלם: *Quandoquidem* Deus *optimus maximus cogitationes eorum introspicit, quod deserentes familiam suam & terram cognationis suæ venerint ad adhærendum divinæ in his terris præsentiæ, ecce sic reos peragunt Israelitas, quippe qui* Deum *sincero adeo corde non colunt*. Addit ex antiquo Medrasch: אמר ריש לקיש גדולים גרים בזמן הזה יותר מישראל בשעמדו על הר סיני שהם ראו את הקולות ואת הלפידים ואת קול השופר והנפלאות הגדולות והנוראות והגרים לא ראו מדבר זה כלום ובאין בצר ומצוק להסתופף תחת כנפי השכינה: *Dixit Resch Lakisch, majoris æstimandos hoc tempore proselytos, quam Israelitas eo tempore, quo apud montem Sinai consistebant. Ibi enim viderunt tonitrua, & fulgura, & vocem tubæ, & mirabilia atque miracula longe maxima; Contra proselyti nihil quicquam hujusmodi viderunt, & venerunt nihilominus, idque cum angustia & miseria, ut se obtegerent sub alis divinæ gloriæ.* Elegans locus, quo non incommode verba *Christi Matth. VIII.* 12. illustrabis: *Multi venient ab oriente, & cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo accumbent in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras extremas.*

(17) Salomon Molchu. Sumsit ea R. David Ganz, ipsomet fatente, ex R. Josephi hac-Cohen *dibre hajamim fol. CCVI.* & R. Abrahami Perizol *Orchas holam* (libello geographico) *c. IX.* ejusdemque historiæ meminit Nicol. Fullerus *lib. II. Miscell. Sacr. c. V. p.* 176. Tanto autem audacior fuit scelestus utriusque Judæi conatus, quanto severiores pridem leges non semel sancitæ fuerant, quibus Judæis sub capitis pœna interdicitur, ne ullus Christianum in suam superstitionem pertrahat, aut circumcidat, quale fuit rescriptum Impp. Honorii & Theodosii *Leg.* 1. *Cad. Ne Christian. mancip. Hæreticus vel Judæus*. Illud sic habet: *Quod si aliquis Judæorum mancipium vel Christianum habuerit, vel sectæ alterius, seu nationis crediderit ex quacumque causa possidendum, & id circumciderit: non solum mancipii damno mulctetur, verum etiam capitali sententia puniatur, ipso servo præmio libertate donando.* Sic & ante eos Divi Pii rescripto circumcidere Judæis suos tantum filios permittitur; *in non ejusdem religionis qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur*, ut est in *l. XI. Dig. ad leg. Cornel. de Sicariis*. Atque hæ leges satis arguunt, quanto studio proselytos e Christianis quoque conquisiverint Judæi, legibus Imperatorum pariter, & Pontificum decretis coercendi. Sæculo cum primis XIII. quo tempore Rudolphus I. Imperator R. Meierum Rotenburgensem in vincula compegit, quod sine causa sub prætextu saltem intentati alicujus criminis factum, ait R. Gedalia *in Schalschel. hakkabbal. fol. LX. col.* 1.

at

at Bzovius *ad Ann.* Christi *MCCLXXXVIII. Sect. VIII.* non male suspicatur, justo commotum zelo Imperatorem id fecisse, si is aliquorum Christianorum fidei constantiam pertentaret, quos a Judæis magno numero videret seduci: *Per eos enim dies*, inquit, *recutitorum contagio in plurimos pervaserat, sectamque Judaizantium & rejudaizantium ex promiscua confluge fecerat.* Subjungit postea ritus, quos adhibuerint Judæi, cum suos illos e Christianis proselytos reciperent; ipsamque Pontificis Romani constitutionem adversus illas Judæorum machinationes sancitam. Quæ cum & rem præsentem, & ea, quæ de proselytorum baptismo mox sequuntur, egregie illustrent, juvat verbotenus, etsi plusculа sint, transscribere. Sic itaque Bzovius: Ritus rejudaizantium commemorabat Eymericus, pars ridendos, pars abominandos. In primis requirebant, si vellet facere *Tevilah* (lege טבילה *Baptismum*) scilicet *balneationem*, sive *lotionem*, in profluvio aquæ currentis. Affirmante illo infelici, dicebat præfectus mysteriorum, *Baal Teschuvah*. (בעל תשובה) scilicet *revertaris a statu peccati*, & interim omnibus vestimentis spoliatum, nudumque primum in calida aqua abluebat; Judæi vero administri, arena totum corpus ad Judaismum revertentis perfricabant, maxime vero frontem, pectus & manus, & loca sancto chrismate peruncta, tum pilos totius corporis detrahebant, & ungues manuum ac pedum usque ad sanguinis effusionem præcidebant. Ad eum modum rasum & præcisum, in aqua fluvii currentis, caput ter demergebant, orantes: *Benedictus Dominus Rex cœlorum, qui præcepisti nobis sanctificari super aquam istam seu balneum tevilah.* Lotum postea novo indusio induebant, osculabantur, & nomine novo, vel illo quo ante baptisma (*Christianorum nempe*) susceptum appellabatur, consalutabant. Ille autem interim legem Mosaicam profitebatur, & tum servare, tum defendere, tum secundum formulam ejus vivere promittebat: atque sacrum baptisma, fidem *Christi*, ritus & mores Christianorum diserte execrabatur: quorum omnium testimonium, instrumento publico descripto accipiebat, & ad Judæorum sacra admittebatur. Qui a Christianismo ad Judaismum transibant, præter superiores actiones circumcidebantur, vario tamen ritu ab Judæis natis, ut ab illis distinguerentur. Horum cum non infrequens numerus quotidie in Germania multiplicaretur, Nicolaus Pontifex Maximus contra eos sanxit eam, quæ sequitur, Constitutionem, universis Inquisitoribus præscriptam. *Turbato corde audivimus & narramus, quod non solum quidam de Judaicæ cæcitatis errore, ad lumen Christianæ fidei conversi, ad priorem reversi esse perfidiam dignoscuntur; verum etiam quamplurimi Christiani, veritatem catholicæ fidei abnegantes, se damnabiliter ad ritum Judaicum transtulerunt: quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc Christi nomen sanctissimum, quadam familiari hostilitate securius blasphematur. Cum autem huic pesti damnabili, congruis & festinis deceat remediis obviare, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus intra terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos, auctoritate sedis Apostolicæ designatos super præmissis, tam per Christianos, quam etiam per Judæos, inquisita diligenter & sollicite veritate, contra omnes, quos talia inveneritis hactenus commisisse, ac committere in futurum, tanquam contra hæreticos, contra fautores quoque, receptatores, & defensores eorum, tanquam contra fautores, receptores & defensores hæreticorum procedere studeatis. Judæos autem, qui Christianos utriusque sexus, ad eorum ritum execrabilem induxerint, aut inveneritis de cætero inducentes, pœna debita puniatis; contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Reate Non. Septemb. Pontif. anno I.*

(18) Frequentibus Judæis habitatam. De ista decem tribuum regione ex instituto egit Dn. Spizelius *in Elevatione relationis Montezinianæ de repertis in America tribubus Israeliticis*, cui junge Jacobi Calverti Eboracensis *Naphtali*, seu *colluctationes cum tribus dubiis* nuperrime in Anglia editas, quorum primum est *de reditu decem tribuum*.

(19) Ritus. Duo nempe requiruntur, Circumcisio & Baptismus, quo veluti generali canone R. Jacob ben Ascher suas *Hilcoth gerim* auspicatur *in Arba turim parte II. Jore deah fol. LXV. col. 2.* גר שבא להתגייר אינו גר עד שימול ויטבול : *Proselytus, qui ad suscipiendam religionem Judaicam accedit, non prius pro proselyto habetur, quam circumcisus & baptizatus fuerit.* Utrumque postea latissime exponit. Plura vero, quam noster observavit, in circumcisione Proselytorum attendebantur ab infantum Israeliticorum circumcisione diversa. Nam pudendum eorum prius contegebat circumcidens, hinc benedictionem recitabat, tum circumcidebat, & tandem alteram subjiciebat benedictionis formulam. Ea hæc est, prout in Maimonidis Hilch. *Milach. c. III. §. 4.* & *in Jore deah. loc. cit.* consignatur: בא"י אמ"ה אק"בו למול הגרים ולהטיף מהם דם ברית שאלמלא דם ברית לא נתקיימו שמים וארץ שנאמר אם לא בריתי יומם ולילה חקות שמים וארץ לא שמתי : *Benedictus esto, o Domine* Deus, *Rex mundi, qui sanctificasti nos in præceptis & statutis tuis, & jussisti nos circumcidere proselytos, & elicere ex iis sanguinem fœderis: nisi enim sanguis fœderis esset, non consisterent cœlum & terra, sicuti dictum est* Jerem. XXXIII. 25. *Nisi fœdus meum esset die & nocte, statuta cœli & terræ non posuissem.* Sed hæc alia vide in Magnifici Dn. D. Seb. Schmidii excerptis, quæ *part. II. tractatus de Circumcisione, inde a p. 231. seqq.* e R. Mose Maimonide, Sepher Col-bo, Schulchan Aruch, & Sepher Mizvos gadol, Latio a se donata copiose exhibuit.

(20) Diruptionem Pelliculæ פריעה dictam. Quomodo hæc fiat, atque e citato loco *Josu. V.* 2. adstruatur exposuit Buxtorfius *in Synagog. Jud. c. II. p.* 83. 85. & in editione a filio aucta *cap. IV. p.* 98. 102. Quin & de eadem accuratius aliquot egit quæstionibus laudatus Dn. Seb. Schmidius *part. III. tract. citati cap. IV. p. 374. seqq.*

(21) Ut differrent ab aliis gentibus Circumcisis. Vix hæc vera erit denudationis illius ratio, quod nimis imitabile fuisset discrimen. Potius ad impediendum epispasmum, cujus Apostolus 1. *Cor. VII.* 18. meminit, diruptionem hanc circumcisioni adjunxerunt Judæi, ipsimet id fatentibus in *Col-bo* apud Dn. D. Schmidium *loc. cit. p.* 378.

(22) Baptismum. De hoc proselytorum baptismo plerique illi, quos de proselytis legendos laudavimus, aliqua scripserunt, præ cæteris autem copiosus est Ligtfootus *Hor. Hebr. in Matth. III. 6. p. 40. seqq.* dignus, qui diligenter consulatur, cum Jacobo Altingio *Dissert. Philolog. VII. §. XXIV. seqq. p.* 248. *seqq.* qui de eodem ex instituto agit: nam in originem baptismi hujus inquirit, inde a Mosis temporibus ex Hebræorum mente derivat, (non, quod Auctor noster ait, ad differentiam demum Samaritanorum additi, quale quid nullibi legisse fatetur Seldenus, *li. I. de Sinedr. c. 3. p. 41.*) & ipsos præterea baptismi ritus per omnes circumstantiis exponit: adeoque actum ageremus, si quicquam eorum huc transferre placeret, cum unanimis sit ritualium Hebræorum circa hæc consensus. Saltem convenientiam inter illum proselytorum apud Hebræos & nostrum Christianorum baptismum a *Christo* institutum, atque singularem *Dei* ad hominum infirmitatem condescensum observamus, quo simul multis Scripturæ Novi Testamenti locis lux accenditur. Sive enim divinitus institutum dicamus veterem illum baptismum Hebræorum, quod Judæi volunt, sive ab hominibus temporis successu circumcisioni additum, requirebatur certe, tanquam necessarium & inseparabile Circumcisionis, primi Vet. Test. Sacramenti connexum in omnibus iis, quotquot abjurato gentilismo ad Israeliticam transire religionem & proselyti fieri cuperent, adeo quidem, ut licet fœminæ a circumcisionis lege exciperentur, baptizandæ tamen essent, si introirent in fœdus cum *Deo* Israeliticum. Atqui circumcisio, illud V. T. Sacramentum, sensim jam abroganda erat, inque ejus locum aliud initiationis Sacramentum, per quod in Novo Testamento in Ecclesiam intromitteremur, instituendum. *Christus* igitur, posthabito illo Sacramento tunc abrogando, ejus connexum, h. e. Baptismum retinuit, & in Sacramentum in Ecclesiam N. T. introductorium mutandis tamen mutatis, novisque, quæ placebant, formulis superadditis promovit,

vit, ne nova plane, & hactenus Judæis inaudita ceremonia institueretur. Hinc non tantus modo ad Johannem baptistam populi illico confluxus *Matth. III. 5. 6.* sed & Legati procerum Jerosolymitanorum ad Johannem missi, non de ipso baptismo, veluti re ac ceremonia, & ritu inusitato, sed de auctoritate solum quærebant, quod viderent, eum suo hoc baptismo non proselytos e gentilismo in Judaismum recipere, sed ipsos in Israelitico fœdere natos, & pridem, si mares essent, in infantia octavo a nativitate die circumcisos, novi fœderis proselytos constituere, atque ita Judæos a patria religione in aliam transferre. *Quare baptizas*, inquiunt, *si neque Messias, neque Elias, neque aliquis prophetarum es? Joh. I. 25.* Nempe ritum jam noverant, noverant eundem adhiberi solitum, cum ex infideli fieret fidelis: cum ergo ipsos per hunc Judæos novo fœderi initiari, suamque Judaicam religionem non minus, quam, quod sanctissimum putabant, fœdus cum *Deo* a Patribus olim initum reformari viderent, non nudi illud hominis, sed vel Messiæ, vel Eliæ aut alterius cujusdam Prophetæ opus existimabant. Proderit præterea hæc observatio ad convincendos Anabaptistas, & Photinianos, qui cum infantes esse baptizandos negent, urgent inter cætera, nullibi expressum de iis mandatum extare. Quamvis vero satis mandati adsit *Matth. XXVIII. 19.* nam qui illimitate omnes gentes baptizari jussit, jussit etiam baptizari infantes; additamen ὡς ἐκ τεθρωσσὶ poterit, non opus fuisse peculiari mandato, quo & infantes baptizari expresse juberentur: opus autem singulari interdicto fuisse, si eos *Christus* baptismum Novi Testamenti instituens baptizandos noluisset. Jam ante enim baptismus infantum, quam ille proselytorum baptismus in Sacramentum a *Christo* promoveretur erat. Gemara Babilonica Massech. Cetuboth *fol. XI. col.* 1. אמר רב הונא גר קטן מטבילין אותו על דעת ב"ד: *Dixit Raf Huna, baptizandum esse proselytum parvulum ac minorennem juxta sententiam Synedrii.* Glossa ibi interior: אם אין לו אב ואמו הביאתו להתגייר מטבילין ואין לך גר בלא מילה וטבילה על דעת ב"ד ג' יהו בטבילתו כרין כל טבילות גר שצריכין שלשה והן נעשין לו אב: *Intelligendum nempe hoc est, si patrem non habeat, & mater ipsum adducat, ut fiat proselytus. Baptizant autem illum, quia nullus fieri proselytus potest sine circumcisione & baptismo. Quod vero juxta sententiam Synedrii peragendus baptismus dicitur, id tres illos (testes) respicit ad baptismum ejus requisitos pro more omnis baptismi, quo proselytus recipitur, cui necessarii sunt tres viri, qui in patris locum succedunt.* R. Maimonides *Hilck Habhadim cap. VIII. num. XX. Tom. IV. fol. CXLV. col.* 1. ישראל שתקף כותי קטן או מצא תינוק כותי והטבילו לשם גר הרי זה גר וכו': *Israelita si offenderit gentilem parvulum, aut invenerit infantem gentilem, eumque hoc nomine, ut proselytus fiat, baptizaverit, ecce ille tunc est proselytus, &c.* Confer eumdem Majem. *Hilk Issure biah c. XIII. §. 7. Tom. II. f. CXXXV. col.* 2. ibidemque respice *Maggid Mischne*. Exinde dupliciter adversum hostes pedo-baptismi argumentari licet: 1. Qui Judaici baptismi capaces erant, eosdem & *Christus* capaces esse voluit baptismi a se, ut sacramentum esset, instituti: Atqui infantes &c. E. 2. si *Christus* infantes, quos ad baptismum Judæi admittebant, baptizari noluisset, aperte ipsum oportuisset peculiari interdicto prohibere, cum illum Judæorum baptismum in Sacramentum promoveret, ne infantes baptizarentur. Atqui hoc peculiari interdicto aperte non prohibuit Ergo.

(23) Quærendus est. Hoc rigorosum proselytorum examen admissioni præmittendum ex Ruthæ historia illustrant, unde conferri poterunt ea, quæ ad eam notavimus in *Collegio Rabb. -- Bibl. Disp. VIII. p.* 181. Eo respexit R. Majemonides *Hilk. Issure biah c. XIII. §. 14. Tom. II. fol. CXXXVI. col.* 2. כשיבא הגר או הגיורת להתגייר בודקין אחריו שמא בגלל ממון שיטול או בשביל שררה שיזכה לה או מפני הפחד בא להכנס לדת. ואם איש הוא בודקין אחריו שמא עיניו נתן באשה יהודית. ואם אשה היא בודקין שמא עיניה נתנה בבחור מבחורי ישראל אם לא נמצא להם עילה. מודיעין אותו כובד עול התורה וטורח שיש בעשייתה על עמי הארצות כדי שיפרושו. אם קבלו ולא פרשו וראו אותן שחזרו מאהבה מקבלים אותן שנאמר ותרא כי מתאמצת היא ללכת אתה ותחדל לדבר אליה: *Quando proselytus aut proselyta accedit ad amplectendam Judaicam religionem, inquirunt in eum, an forte propter divitias inde auferendas, aut ut principatui alicui præficiatur, vel denique ob metum veniat ingressurus in religionem. Præcipue, si vir ferit, perquirunt, utrum forte suos oculos ad Judaicam fœmellam direxerit? si fœmina: num forte oculis suis Juvenem Israeliticum respexerit? Quod si porro nulla harum causa in iis reperta fuerit, indicant eis gravitatem jugi legis, & molestiam, quæ cum observantia ejus conjuncta est, terrarum populis, idque ideo, ut*, nisi serio religio unice intendatur, mature *recedant. Quod si vero receperint* legis onus molestamque ejus observantiam, *neque discesserint, viderintque ita* probatores, *quod ex amore religionis convertantur, tunc recipiunt eos, sicuti dictum est* Ruth I. 18. *Cum videret* Nohomi, *quod firmiter sibi* Rutha *proposuisset secum abire, desiit ultra eidem obloqui*. Sumpta sunt ex Gemara Massechet Jebammoth *fol. XLVII. col.* 2. habenturque in Beth Israel *part. II. fol. IV. col.* 2.

(24) Reputatur pro Apostata. Pro tali habebatur is quoque, qui septem Noæ præcepta primitus observarat, postea proselytus justitiæ factus, si ubi jam circumcisus & baptizatus fui et, pœnitentia rei gestæ ductus proselytus solum domicilii fieri vellet: in quo proposito si persisteret, occidendum pronunciabant. R. Maimonides *Hilk. Melachim c. X. §. 3. f. CCXCV. c.* 2. בן נח שנתגייר ומל וטבל ואחר כך רצה לחזור מאחרי ה' ולהיות גר תושב בלבד כשהיה מקודם אין שומעין לו אלא יהיה כישראל לכל דבר או יהרג: *Filius Noæ, qui proselytus justitia factus, jamque & circumcisus & baptizatus est, sed postea reverti vult a Domino, & fieri proselytus tantum domicilii, qualis fuerat ab initio, plane non est audiendus; verum jubeatur talis aut esse quoad omnia tanquam Israelita, aut occidatur.* Fuit tamen minorennibus, ubi ad majorennitatem pervenirent, aliqua hic exceptio, sed accurate limitata, quam statim adjicit Majemonides *loc. cit.* ואם היה קטן כשהטבילוהו בית דין יכול למחות כשעה שיגדיל ויהיה גר תושב בלבד וכיון שלא מיחה בשעתו שוב אינו ממחה אלא הרי הוא גר צדק: *Quod si tamen ille minorrenis adhuc fuerit, cum ex decreto Senatus baptizaretur, potest* baptismum susceptum *irritum reddere, eadem hora, qua majorennis declaratur, ut sit tantum proselytus domicilii. Quid si vero eadem illa hora id non fecerit, tum irritum reddere postea nullo modo potest, sed ecce manere cogitur proselytus justitiæ.*

(25) De Incolis. Pleraque paucis edisserit R. Maimonides *Hilk. Issure biah cap. XIV. §. VII. & VIII. Tom. II. f. CXXXVII. c.* 1. Definit initio: אי זה הוא גר תושב זה כותי שקבל עליו שלא יעבוד עכ"ום עם שאר המצות שנצטוו בני נח ולא מל ולא טבל הרי זה מקבלין אותו והוא מחסידי אומות העולם: *Quisnam est proselytus incola*, seu domicilii? Resp. *Est gentilis, qui recepit in se abjurationem idololatriæ cum observantia cæterorum præceptorum, quæ filiis Noæ mandata sunt, & neque circumcisus, neque baptizatus est. Ecce hunc recipiunt, & habetur pro uno e piis gentium mundi*. Deinde nominis rationem reddit: ולמה נקרא שמו תושב לפי שמותר לנו להושיבו בינינו בארץ ישראל כמו שבארנו בהלכות עכ"ום: *Sed quare nomine suo appellatur* Incola? Resp. *Propterea quia licitum nobis est, concedere ei, ut inter nos in terra Israelis habitet, quemadmodum id exposuimus in constitutionibus de Idololotria*. Nempe *Cap. X. §. VII.* quod vide sis in Dionysii Vossii versione notis illustrata *pag.* 142. Tandem de ipsorum admissione agit: ואין מקבלין גר תושב אלא בזמן שהיובל נוהג אבל בזמן הזה אפילו קבל עליו כל התורה כולה חוץ מדקדוק אחד אין מקבלין אותו: *Non recipiunt proselytum incolam, nisi eo tempore, quo Jubilæus usitatus est; at nostro hoc tempore, etiamsi quis totam in se legem reciperet observandam, totam inquam, præter unicam solum subtilitatem, non reciperent illum*: id quod citato loco *de Idololatria* itidem jam dixerat, non nisi Jubilæi tempore proselytum domicilii admitti אבל שלא בזמן היובל אין מקבלין אלא גר צדק בלבד: *at extra id tempus nullum omnino recipi, nisi proselytum justitiæ.*

(26) Mandata Filiorum Noæ. Frequens mentio in Rabbinorum ſcriptis horum mandatorum, quæ communiter : שבע מצוות בני נח *ſeptem Noachidarum præcepta* vocant, & ſic diſpeſcunt, ut duo priora ſint בין אדם למקום *inter hominem & Deum*, quatuor ſequentia בין אדם לחבירו *inter hominem & proximum*, & hæc ſex data inquiunt Adamo, quibus in eorum renovatione, Noacho ſeptimum additum ſit, בין אדם לחי *inter hominem & animal quodvis*, erga quod crudelitas eo interdicitur. Cæterum ea omnia fundantur in Talmudis Babilonici Gemara Maſſech. Sanhedrin *fol. LVI. col.* 1. 2. unde & Majemonides ſua hæc, quæ Auctor inde protulit, deſumſit, viderique poſſunt in Cocceji *excerptis Gemaræ p.* 268. Quanquam & ante Talmudis conſarcinationem R. Joſe ben Chilpeta, Præceptor Jehudæ Sancti, auctoris Miſchnæ, ea recenſuerit *in Seder Holam rabba cap. V. fol. VI. col.* 2. ubi ſimul pro aſſerendis iis provocavit ad locum *Geneſ. II.* 16. cujus verba ſingula, ſingula præcepta ſuppeditent, quod poſtea R. Bechai *Comm. in Legem fol. XII. col.* 4. R. Simeon *in Jalkuth Torah fol. VII. col.* 3. aliique repetierunt. Non autem erat, cur hæc traduceret Gilb. Genebrardus *in editione ſua citati Seder Holam pag. 6. col.* 2. tanquam *frigidas conjecturas ad elicienda ſeptem præcepta legis naturæ*, cum nunquam in mentem venerit Judæis, argumentum inde pro confirmandis hiſce mandatis petere, ſed eligere ſaltem verſum illum בסימן לקבלתם *ut eſſet ſignum memoriale traditionis ſuæ*, prout Coſaræorum Regi ipſummet hunc locum R. Iſaacus Sangarus exempli loco proponebat in R. Jehudæ Levitæ libro Coſri *part. III. §. LXXIII. pagin.* 251. *edit. Buxtorſ.* cum ſigni ejuſmodi memorialis meminiſſet exemplo illud illuſtraturus inquiens: כאשר שמו פסוק ויצו ה׳ אלהים על האדם לאמר סימן לשבע מצות שנצטוו בני נח: *Quemadmodum verſum illum* Gen. II. 16. Et præcepit Dominus Deus ſuper Hominem, dicendo *&c. conſtituerunt ſignum memoriale ſeptem præceptorum, quæ data fuerunt filiis Noæ*. Ipſi, quam addit, Symboli memorialis evolutioni ſubjungit: כמה רחוק בין אלו הענינים ובין הפסוק הזה אך אצל העם קבלה ששבע המצות האלה סומכין אותה בפסוק הזה בסימן שמיקל עליהם זכרם: *Quanta vero diſtantia eſt inter res iſtas, & inter verſum illum! verum ita populo traditum eſt, ut ſeptem illa præcepta ſuper hunc verſum eſſent fundata pro ſigno, adjuvandam & ſublevandam ipſorum memoriam*. Simile exemplum allati non in ptobationem ſed rei notiſſimæ & alibi probatæ faciliorem recordationem dicti biblici jam ſupra habuimus *theor.* II. *p.* 29. (15.) quo reſpice, ſi placet. Ipſe R. Bechai, dum iſtam explicationem ſuo in legem commentario immiſcuit, non tantum דרך המדרש *modum exponendi allegoricum in gratiam plebejorum inventum* vocat, ſed & *literali ſenſui* contradiſtinguit. Locus ejus integrum exhibebimus, quia præ reliquis memoriale illud diligentius evolvit. Præmittit ſenſum literalem: ויצו ײ׳ אלהים על האדם לאמר מכל עץ הגן אכול תאכל על דרך הפשט הוזהר אדם בכאן בשתי מצות מצות עשה ומצות לא תעשה מצות עשה מכל עץ הגן אכול תאכל מצות לא תעשה ומעץ הדעת טוב ורע לא תאכל ממנו: *In hoc*, inquit, *verſu*: Et præcepit Dominus Deus ſuper Hominem, dicendo: de omni arbore horti comedes, *juxta ſenſum quidem literalem & verum, duo homini præcepta data ſunt, quorum alterum eſt affirmativum, alterum negativum. Affirmativum, ut de omni arbore horti comedat: Negativum, ne comedat de arbore ſcientiæ boni & mali*. His demum præmiſſis ad סימן h. e. *ſymbolum memoriale* oſtendendum pergit: ועל דרך המדרש נצטווה בכאן בשבע מצות והם שבע מצות שאמרו עליהם רז״ל בכמה מקומות שבע מצות בני נח שנצטוו ואלו הן. ע״ז. ברכת ה׳. דינין. שפיכות דמים. גלוי עריות. גזל. אבר מן החי. ויצו זו ע״ז דכתיב כי הואיל הלך אחריו צו. ה׳ זו ברכת ה׳ דכתוב ונוקב שם ה׳ מות יומת. אלהים אלו הדיינין שנאמר אלהים לא תקלל. על האדם זו שפיכות דמים שנ׳ שופך דם האדם וגו׳. לאמר אלו עריות שנאמר בספר ירמיה לאמר הן ישלח איש את אשתו והלכה מאתו והיתה לאיש אחר. מכל עץ הגן אכל תאכל זה הגזל כלומר מדבר פלוני ולא מאחר. ומעץ הדעת טוב ורע לא תאכל ממנו זה אבר מן החי כלומר מדבר פלוני לא תאכל מקצתו הרי לך שבע מצות של בני נח רמוזות בכאן: *At juxta allegoricam interpretationem populi gratia excogitatam, ſeptem præcepta hic comprehenduntur, illa videlicet ſeptem præcepta, quæ Rabbini noſtri, tot paſſim locis, ſeptem præcepta filiorum Noæ vocant, & ſunt* 1. *de Idololatria* 2. *de benedictione* (vel potius, ſenſu antiphraſtico, de maledictione) *nominis divinis*, 3. *de judicibus*, 4. *de effuſione ſanguinis*, ſeu homicidio, 5. *de inceſtu*, 6. *de rapina* ſeu furto, 7. *de membro animalis vivi non comedendo*. Quæ ſingula ſic indicantur. τὸ ויצו & præcepit *notat præceptum de idololatria, & in memoriam revocat illud* Hoſe V. 11. *cœpit ire poſt* (צו) *præceptum* Jeroboami idololatricum. *Nomen* τετραγράμματον יהוה *notat præceptum de maledictione nominis divini, & in memoriam revocat illud* Levit. XXIV. 16. *& blaſphemans nomen* Domini *moriendo morietur*. *Alterum* Dei *nomen* אלהים *notat præceptum de Judicibus, & in memoriam revocat illud* Exod. XXII. 28. *Judicibus* (qui ibi אלהים dicuntur) *non maledices*. τὸ על האדם Super Hominem, *notat præceptum de homicidio, & in memoriam revocat illud* Gen. IX. 6. *Effundens ſanguinem* (האדם) *hominis &c.* τὸ לאמר Dicendo *notat præceptum de inceſtu & adulterio, & in memoriam revocat illud in libro Jeremiæ* cap. III. 1. *Dicendo*: (לאמר) *ſi vir dimiſerit uxorem ſuam, & ipſa abierit ab eo, & fuerit viri alterius*. Tò מכל עץ הגן אכול תאכל De omni arbore horti comedendo comedes, *notat præceptum de rapina & furto, revocans, quaſi in memoriam, de re certa denominata comedendum, non de aliena*. (In Seder holam rabba *loc. cit.* hæc tantum verba מכל עץ הגן *de omni arbore horti*, ad hoc præceptum applicantur, & illuſtratur dicto *Levit.* VI. 5. quaſi occaſione voculæ מכל meminiſſe oporteat ejus, quod ibi dicitur: מכל De omni, *ſuper quo pejeraverit, reddet illud cum ſorte ſua, & quintam ipſius partem ſuperaddet*. Additur ibidem alia adhuc expoſitio R. Chajæ, τὸ הגן *horti* cum primis reſpiciendum commendantis: ותאני ר׳ חייא הנשמר בגנה אסור משום גזל ושאינו נשמר בגנה מותר משום גזל: *Aliter adhuc docet R. Chaja: Quod cuſtoditur in horto, id prohibitum eſt nomine rapinæ; quod vero in horto non cuſtoditur, id a rapinæ nomine eſt liberum*. Tandem quod ſequitur: ומעץ הדעת טוב ורע לא תאכל ממנו Sed de arbore ſcientiæ boni & mali non comedes, *notat præceptum de membro vivi animalis non comedendo cogitandum enim eſt, quaſi dictum fuiſſet: de rei alicujus parte non comedes*. (in Seder Holam præceptum hoc ſeptimum ſignificatur verbis, in præcedente verſiculo reſiduo: אכול תאכל *Comedendo comedes*, & in memoriam revocandum commendatur illud *Gen. IX. 4. Verumtamen carnem cum anima ejus, quæ eſt ſanguis ejus, non* תאכלו *comedetis*.) *En tibi ſeptem Noachidarum præcepta hic indicata!* Hucuſque Rabbenu Bechai. Sunt præterea & alia quamplurima, quæ de præceptis hiſce Hebræi tradunt; ſed ea occupavit Seldenus ſuis de Jure Natur. & Gentium juxta diſciplinam Hebræorum libris doctiſſimis, qui juſti commentarii vicem in ſeptem Noachidarum præcepta ſubire poſſunt. In primis autem lege *libri* I. *Cap. ultimum fol.* 118. *ſeqq. edit. Londin.* ubi ad noſtrum quoque Schikardum provocat, quem male putat præceptum ſecundum cum aliis *de benedictione* reddidiſſe, cum *de maledictione* debuiſſet potius. Edidit & de iiſdem Diſſertationes aliquot CL. Friſchmuthius in Academia Jenenſi, quibuſcum conferri poſſunt, quæ annotarunt Menaſſeh ben Iſrael *in Concil. in Deuteronom. quæſt.* II. *p.* 221. Schindlerus *Lexic. Pentagl. Rad.* צוה *fol.* 1530. Georg. Genzius *annot. Ethic. ad Majemonid. ſect. II. c. I. p.* 92. Heideggerus *in Hiſtor. Patriarch. Exerc. II. §. VIII. p.* 57. peculiarem ibi exercitationem de iiſdem Noachidarum præceptis ſuo loco inſerendam pollicitus. Jo. Hornbeck. *lib. VII. contra Judæos c. I. p.* 447. *ſeqq.*

(27) In primitiva Eccleſia Chriſtianorum. Eadem noſter habuit *in Bechinath happeruſchim p.* 84. Fateturque Seldenus, *lib. VII. de J. N. & G. c. XII. ſ.* 840. ſe etiam olim eam in ſententiam propenſiorem fuiſſe; mentem tamen mutavit, atque accuratius in illud Synodi Jeroſolymitanæ ab Apoſto-

lis

lis celebratæ decretum, *loc. cit.* inquiſivit. Alias negari nequit, eſſe plurimos, qui e Noachidarum præceptis Apoſtolos ea, quæ ad converſos e gentiliſmo ſcribenda decreverunt, advocaſſe exiſtimant, unde in memoriam arcæ Noæ, quæ typus fuit Eccleſiæ, ſtatuunt etiamnum præceptum de interdicto ſanguine & ſuffocato poſſe in Eccleſia, libere tamen & ſine opinione cultus meriti, aut neceſſitatis, retineri. Ita B. Kœnigius *in vindiciis h. l. Loc. LXXXIX. p.* 483. Ac ſane in Eccleſia veteri ſibi ab his temperaſſe Chriſtianos, quamplurima Patrum loca evincunt. Tertullianus *in Apologet. adverſus Gentes fol.* 10. 11. *edit. Rigalt. Erubeſcat*, inquit, *error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus; qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet, illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porro quale eſt, ut quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis? niſi forte ſuaviorem eum experti.* Minutius Felix *in Octavio fol.* 21. *edit. Elmenhorſt. Nobis homicidium*, inquit, *nec videre fas; nec audire; tantumque ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus.* Hinc Pamelius *adnot. in Apolog. Tertull. fol.* 98. ex Rhenano obſervat, non ita diu eſſe, quod Chriſtiani veſcimur ſuffocato & morticina carne. Plura etiam in eandem rem e Patribus notavit Geverh. Elmenhorſtius *Comm. ad Minuti Octavium fol. LIII. ſeqq.* & inter cætera inſignem locum Auguſtini *lib. XXXII. adv. Fauſt. Manich. c. XIII. Tom. VI. Opp. fol.* 334. qui huc in primis facit, adſcripſit *fol. LV.* quem contuliſſe non pœnitebit. Ipſe enim Apoſtolorum hoc decretum cum Noæ præceptis confert, quo fere modo Philippus quoque Melanchton conjunxit, ut verbis paulo poſt memorandis.

(28) Alkuranus etiam. Loca vide allata a Schindlero *in Lex. Pentagl. ſ.* 1530. 1531. & Hakſpanio *lib. II. Miſcell. Sacror. c. VI. p.* 276. Veſtigia vero eorundem præceptorum apud Sinas quoque & Japponenſes oſtendit CL. Spizelius *Comment. de Re Literar. Sinenſ. Sect. XII. p.* 238. *ſeqq.*

(29) Victis a Victore &c. Ex his lucem accipiunt, illa, quæ ab Oſiandro & Capitone ſe didiciſſe, gratus fatetur Philippus Melanchthon *in præfat. Colloq. Wormatienſ.* cujus verba digna ſunt, quæ adſcribantur: *Magno me*, inquit, *munere judicabam ab utroque* (jam memorato) *donari, cum veterem illum ritum, nobis ignotum, exponerent. Docebant enim, Judæos Veteres florente adhuc eorum politica, ſi quando vicinam aliquam civitatem ethnicam bello ceperant, aut fœdere ſibi adjunxerant, non ſolitos imponere victis legem Moſaicam aut circumciſionem, ſed tantum hæc in conditione pacis ſeu formula fœderis præcipere, ut deletis idolis unum & verum* Deum, *conditorem rerum, qui ſe patefecit in verbo dato populo Iſrael, colerent. Deinde quia Ethnici ſcortationem non ſolebant prohibere, & nimium laxabant fræna libidini vagæ, addebatur hoc, ut prohiberent ſcortationem. Addebantur & reliqua capita, quæ in decreto Apoſtolico Actor. XV. 29. recenſentur, ne rebus idolo immolatis, ne ſanguine & ſuffocatis veſcerentur. Ergo etiam veteres gubernatores populi Judaici intellexerunt, ceremonias Moſaicas ad ſuam tantum politiam pertinere eſſe juſtitiam.*

(30) Locum in Paradiſo. Idem annotavit & Coccejus *ad Sanhedrin pag.* 90. *num.* 8. Ad Vorſtius *animad. ad Pirke R. Elieſ. p.* 160. ex eo, quod in ipſis Elieſeris Capitulis *c.* IX. *p.* 19. de גוים *gentilibus* dictum fuerat, הם מאכל לאשו של גהונם *eſſe pabulum ignis gehennæ*, contrarium obſervat, & quæ de gentibus ſeptem Noæ præcepta tenentibus Judæi pronunciare cum Maimonide ſoleant, quaſi partem in futuro ſæculo, utpote חסידי אומות *fideles gentium*, habituri ſint, tantum ludificandis Chriſtianis, & tegendo ſuo odio fieri. Et certe, quicquid etiam moderni ſimulent aut diſſimulent, cum inter Chriſtianos verſantur, vix ullus eorum erit, qui ſibi certo perſuadeat, Chriſtianum juſtis illis gentilium mundi, quos vocant, annumerandum eſſe. Hos enim quam arctis limitibus definiant, vel ex his R. Lipmanni *Nitzach. num. CCLXV. p.* 145. diſcas, e quo ſimul citata a Schikardo Maimonidis verba melius cognoſces: גם צדיקי אומות יש להם חלק לעולם הבא. וכתב רמ"בם גוי המקיים שבע מצות בני נח מסברת לבו אע"פב אינו נקרא מצדיקי אומות העולם כי הוא מחכמי אומות העולם וצדיקי אומות העולה המה המקיימין ז' מצות משום שמאמינים בה"שי שנתן תורה למשה וצוה בהם לישראל הרבה מצות ולשאר כל העולם ז' מצות: *Etiam juſtis gentilium mundi pars eſt in futuro ſæculo. Scripſit autem R. Moſes Maimonides, gentilem illum, qui quidem ſuſcipiat obſervanda ſeptem Noachidarum præcepta, ſed tantum pro beneplacito cordis ſui,* (non vero cum intentione, eſſe præcepta divinitus data,) *nondum inter juſtos gentium mundi numerandum, ſed eſſe tantum ex numero Sapientum mundi. Juſtos vero gentium mundi eſſe eos, qui ſeptem illa præcepta ideo in ſe ſuſcipiunt, quia in* Deum *credunt, quod dederit Legem Moſi, inque ea præcepta quidem plurima mandaverit Iſraelitis; at reliquis totius mundi hominibus impoſuerit hæc ſeptem.* Sed & ipſe Maimonides *in Hilcoth Tſchubba c.* V. §. VI. *Tom.* I. *fol.* XLVI. *col.* 1. Chriſtianos e fidelium mundi numero excipit. Nam cum eundem toties jam repetitum canonem §. V. recitaſſet: הסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא *Fidelibus gentium mundi pars eſt in futuro ſæculo* ſubjungit: ואלו הן שאין להן חלק לעולם הבא אלא נכרתים ואוכרים ונידונין על גודל רשעם וחטאתם לעולם ולעולמי עולמים האפיקורוסין והכופרים בתורה והכופרים בתחיית המתים ובביאת הגואל והמומרים ומחטיאי הרבים וכו': *At hi ſequentes nullam omnino partem habent in ſæculo futuro, ſed exſcinduntur, & pereunt, & judicantur pro gravitate impietatis & peccatorum ſuorum, in ſæculum & in ſæcula ſæculorum: nempe Epicuræi, & qui divinæ legis veritatem negant item, qui negant reſurrectionem mortuorum & adventum Redemptoris* adhuc futurum, *& apoſtatæ, & ſcandalizantes ac ſeductores plurium &c.* Atqui ſub nomine תוּר כופרים בתורה *negantium legem* Chriſtianos quoque comprehendit. In meo quidem Codice qui Venetiis Anno שׁל"ד לפ"ק h. e. preciſe centum abhinc annis videlicet *Chriſti* 1574. prodiit, aſtute hi ſoli eſſe Iſraelitæ explicantur, qui aut divinam legis & vel unius ſaltem in ea verſiculi auctoritatem in dubium vocant, vel Moſen eam auſu proprio nulla ſuperadddita orali promulgaſſe, affirmant, vel denique *Deum* ipſum credunt ſuam legem cum alia commutaſſe veteremque abrogaſſe: כל אחד משלשה אלו ישראלים כופר בתורה: *quicunque fuerit ex triplici hac Iſraelitarum claſſe, is legem abnegat*, Verum in verſione hujus Majmonidæ tractatus *de Pœnitentia*, quæ nomine Johannis Hilperti, Helmeſtadii prodiit, non modo nulla Iſraelitarum mentio, neque minimum verborum allatorum veſtigium extat, ſed diſerte inſuper Chriſtiani memorantur: *Qui dicit, legem quamvis a* Deo *latam, jam pridem abolitam eſſe, veluti Chriſtiani & Agereni.* Unde non vana ſuſpicio, ſubdole egiſſe, quiſquis e Judæis editioni, qua fruor, præfuit, inque aliis, quibus in præſenti deſtituimur, fuiſſe ea, quorum ſenſum citata verſio Latina exprimit. Et confirmat conjecturam Gulielmus Vorſtius, quando *loco ſuperius citato*, Maimonidem in hoc capite ait inter כופרים בתורה *abnegatores legis*, etiam הנוצרים והגרים *Chriſtianos & Agerenos ſive Turcas* recenſere. Solent autem ſic gentium, in quibus exules degunt, cavere odium, poſtquam ſuos ab iis libros evolvi vident, quali blandimento ſe inſtar ſoricis prodit Menaſſen ben Iſrael *in Conciliat. Deut. q.* II. *p.* 222. e Libro Zohar proclamans, *Regibus, omnibuſque adeo Magiſtratibus, qui Hebræos in ditione ſua habent, certum in paradiſo gradum eſſe aſſignatum; quemadmodum eoſdem, ſi male Hebræos habeant, pœna certa maneat.* Quis enim non animadvertit, quo fine hæc a jurato nominis Chriſtiani hoſte afferantur? Quid ſerio de nobis, remotis arbitris judicent, vel ex ſolo eorum precatiuncula conſtare poteſt, quam in Synagogis quotidie adverſus apoſtatas & Chriſtianos deblaterant, a Buxtorfio *in Synagoga Judaic c. V. p.* 161. *ſeqq.* & in edit. aucta *c. X. p.* 212. 213. proditam, quem vide, & ſi compendio blaſphemias eorum & calumnias velis legas amiciſſimi noſtri Auguſti Pfeifferi *diſſertationem de Obtrectatore Apella*, quæ in faſciculo Philologicarum ejus eſt *ſecunda*,

p. 20. *seqq.* Hoc erga nos animo cum Judæi sint, mirari liceat, esse inter Christianos, qui Judæis quotidie in nos & nostrum Salvatorem *Jesum Christum* injuriis gratiam *Dei* & salutem polliceantur, quod epigrammate suo in problemata dicti jam Rabbini Menassis ben Israel de Creatione, fecit C. Barlæus, in quo, post alia in laudem libri effusa, Auctorem Judæum sic commendare non erubuit:

Hic atavos patresque suos & verba recenset,
Sensaque Talmudicæ religiosa scholæ.
Vera placent, placet egregiis conatibus auctor,
Et pietas fidei disparis ista placet.
Cunctorum est coluisse Deum. *Non unius ævi,*
Non populi unius credimus esse pium.
Si sapimus diversa, Deo vivamus amici,
Doctaque mens pretio constet ubique suo.
Hæc fidei vox summa mea est. Hæc crede Menasse,
Sic ego Christiades, sic eris Abramides.

Quæ quidem imprudenter scripta emollire postea studuit in vindiciis, quas Anno 1636. Amstelodami subjecit; at solide eas cum ipso epigrammatis asserto subruit Vedelius *duobus libris de Deo Synagogæ*. Et nescio, annon Judæorum causam satis aperte egerit e nostratibus ille, qui minus considerate quiritabatur, *feriata ingenia* (procul dubio Vedelium designans) *litem publicam intentasse Barlæo* ob laudem Judæo scriptam.

(31) Servitus. Omnia de hac materia dixit Seldenus *lib. VI. de Jure Natur. & Gent. c. XIV. seqq.* qui conferatur.

(32) De Fœminis bello captis. Lege itidem hic Seldenum *lib. V. de J. N. & G. c. XIII. integro fol.* 617. *seqq.* & præter Interpretes *ad Deut. XXI.* 10. *seqq.* confer, si placet, Grotium *lib. III. de J. B. & P. c. IV. th. XIX.* & Jo. Ad. Osiandr. *ad Grot. loc. cit.* Jo. Steph. Menochium *lib. III. de Republ. Hebr. c. XX. q. VI. f.* 351. 352. Buxtorfium *Dissert. de sponsalib. & divortiis th. XXXII. p.* 42.

(33) Certas conditiones. Ordinem observandæ hujus legis ex Sapientium Hebræorum sententia sic explicat R. Abarbanel *in Leg. f. CCCLXXVIII. c.* 2. אם יתקפהו יצרו יבעלנה בעילה ראשונה בגיותה קודם שתתגייר והוא הנזכר באמרו ולקחת לך לאשה . אבל אחרי הביאה הראשונה ההיא לא תוסיף עוד לגשת אליה עד שתעשה לה׳ שבעת דברים: *Si fortiter urserit* militem elegantis formæ mulierem in bello conspicatum *concupiscentia & libido ejus, congrediatur cum ea semel, cum adhuc ethnica est, antequam ad Judaismum convertatur, id enim est, quod Lex ait:* Et accipies tibi in uxorem. *Verum post concubitum illum primum ne repetas amplius consuetudinem cum ea, donec impleveris in ea septem conditiones.* Prima est: שאחרי פטירת רתיחת יצרך והבאתה אל תוך ביתך כי בהיותה ברשותך ותחת ידך יתקרר רעתך ולא יהיה חשקך אליה עצום כמו שהיה קודם אותה ביאה הראשונה . וכבר נמצא בדיני כלה כיוצא בזה בכתובות פרק קמא שאם לא בעל בעילת מצוה היא ישנה בין הנשים והוא ישן בין האנשים אמנם אחר שבעל היא יכולה לישן עמו בחדר: *Ut post sedatam libidinis tuæ effervescentiam, introducas ipsam intra domum tuam. Nam cum tuæ potestatis & sub manu tua fuerit, refrigescet mens tua, neque tua erga eam concupiscentia tam valida erit, quam quidem erat ante primum illum concubitum. Cæterum in statutis de sponsa simile quid fere reperitur, in Massech. Cetuboth Capite primo, quod, si nondum rem cum ea habuerit juxta legem, ipsa inter mulieres, & ille inter viros dormiat; at postquam habuerit, ipsa cum eo in eodem conclavi dormire possit.* Secunda: צוה עוד וגלחה את ראשה ועשתה את צפרניה בהיות יופי האשה גדול השער כדי שלא יחמוד לולת ראשה. וגם הגדל צפרניה כדי שתתנוול: *Jussit præterea* Deus *ipsam radere caput suum, & facere ungues; siquidem capillus mulieri insignem gratiam & elegantiam conciliat, ne desiderio is inflammetur erga capitis ejus cincinnos atque sic etiam ungues alere jubetur, ut se deturpet.* Tertia est: שצוה מתסיר שמלת שביה המהודר והמפואר וידוע שלא ילבש אותה מיד בגדי רקמה רק מבלאות בגדי אשתו הראשונה וכיוצא בהם: *quod jusserit ipsam removere vestem captivitatis suæ, honorabilem puta & decoram: neque enim ei induat statim vestes pretiose acu pictas, sed tantum lacera quædam veteramenta uxoris prioris, & similia vestimenta.* Quarta: צוה וישבה בביתך ובכתה את אביה ואת אמה ירח ימים שתהיה תמיד מצויה במקום שהיא יושב שם ודמעתה על לחיה נכנס ונתקל בה יוצא ונתקל בה: *Jussit eam manere domi & deflere patrem & matrem suam mensem integrum, ut nempe perpetuo in uno eodemque loco, qui mansioni ejus datus est, reperiatur, fluentibus per genas lacrymis ejus, adeoque per eam, sive accedat, sive recedat, probro afficiatur.* Quinta: שלא תהיה תשוקתו רק באחת הנשים הנשואות לבעליהן בדת משה וישראל ויהיה זה כשתתגייר ועל זה אמר ואחר כן תבא אליה ובעלתה והיתה לך לאשה: *Ne sit unice ipsi dilecta & desiderata, sed tantum instar unius conjugatarum plurium maritis suis, juxta statutum Mosis & Israelis, idque ubi jam conversa & proselyta facta fuerit: & hoc indicatur in lege istis verbis: postea habebit rem cum ea, eris maritus ejus, & ipsa tibi erit uxor.* Sextam ait his legis verbis comprehendi: והיה אם לא חפצת בה ושלחתה לנפשה ומכור לא תמכרנה בכסף לא תתעמר בה תחת אשר עניתה: *Et erit, si non complacueris in ea, ut dimittas eam pro lubitu ipsius, at vendendo non vendes eam pro argento, neque merebis per eam, eo quod eam humiliasti.* Atque harum sex conditionum finem inquit esse, avocare Israelitam a proposito alienigenam ducendi: הנה ו׳ הדברים האלה כלם הם דרכים להסיר חשקו מעליה ושלא יקחה לאשה: *Ecce sex illæ conditiones omnes modi sunt revocandi ejus affectum ab ea, & ne ipsam ducat uxorem.* Earum autem postremam, septimam simul complecti, in eo positam, ne dum alienus a matrimonio cum ipsa contrahendo factus est, quod illis sex antecedentibus intendebatur, vel certo pretio divendat, vel ad ancillarum ministeria adhibeat: אינו יכול למכרה ולא להשתמש בה עבודת השפחות: *non poterit eam vendere, neque ei imponere servitium, quale ancillarum est*; id quod monere necessum fuit, כי יש כמה אנשים חביבין עליהם ממונן יותר מהשלמת תאותם לפי שתאותם אל הממון היא הנוברת עליהם: *siquidem quamplurimis viris ditescendi studium magis esse curæ soleat, quam ut venereæ concupiscentiæ desiderent satisfieri, eo quod concupiscentia divitiarum apud ipsos validior sit.* Huc usque R. Abarbanel, non ex sua tamen, sed sapientum mente, quibus suam ipsiusmet sententiam subjungit, nobis paulo post approbandam. Hæc interim afferre visum fuit, quod ipsas conditiones in lege requisitas atque ab Auctore nostro latius e Rabbinis illustratas, strictim ordine exponant. Cæterum nota est Hieronymi allegoria, qua ad sæcularium & profanarum literarum studium hanc legem accommodat, quæ quia elegans est, & doctissimo Patri plus vice simplici usurpata, digna judicavimus verba ejus, quæ adscriberentur. Locus unus est *in Epistola ad Damasum*, de prodigo filio, *Tom. III. Op. edit. Basil.* 1565. *fol.* 129. *Hujus*, inquit, *sapientiæ typus, & in Deuteronomio sub mulieris capturæ figura describitur: de qua divina vox præcipit: ut si Israelites eam habere voluerit uxorem, calvitium ei faciat, ungues præsecet, & pilos auferat: & cum munda fuerit effecta, tunc transeat in victoris amplexus. Hæc si secundum literam intelligimus, nonne ridicula sunt? Itaque & nos facere solemus, quando Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ sæcularis: si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus: si quid vero superfluum, de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his calvitium inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo desecamus.* Alter est *in Epistola ad Magnum Oratorem Romanum*, qui per epistolam quæsiverat ex Hieronymo, cur in opusculis suis, sæcularium literarum interdum ponat exempla, & candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus polluat? Huic cum responderet, seque exemplo Pauli qui idem fecisset tueretur, addit inter alia, *Tom. II. Opp. fol.* 326. 327. *Legerat* (dux Christiani exercitus & orator invictus pro *Christo* causam agens, ceu *Paulum* modo vocaverat,) *in Deuteronomio Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos & ungues corporis amputandos, & sic eam habendam in conjugio. Quid ergo mirum, si sapientiam sæcularem propter eloquii venustatem & membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiva Israelitidem facere cupio? & si quicquid in ea mortuum est, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido vel rado:*

&

& mixtos purissimo corpori vernaculos ex eo genero Domino Sabaoth? labor meus in familiam Christi *proficit: stuprum in alienam auget numerum conservorum*. Alia his similia collegit Jo. Conr. Dieterieus *part. I. Antiq. Bibl. p.* 21. 22. & in nupera Pistorii editione, in qua meliori ordine Antiquitates digestæ sunt, *fol.* 8.

(34) Per conniventiam tolerasse. Hoc *aut* de conniventia & tolerantia primi coitus cum muliere pulchra in bello obvia & capta ante ejus conversionem pravæ & perversæ Judæi militis concupiscentiæ, si coerceri non posset, indulta accipiendum, *aut* de ipsa lege, quatenus *vel* puellam ethnicam bello captam matrimonio Israelitico indulget, *vel* ritus & ceremonias præscribit, quibus demum adhibitis & præmissis Judæus miles captam in bello fœminam, si ipse ejus amore captus sit, ducere debuerit. At vero hoc *posteriori* modo de ipsa lege *neutrum* dici potest. Non *hoc*, quod extra dubium, & ab omnibus concessum: siquidem lex ritus illos & ceremonias ante matrimonium cum muliere in bello capta contrahendum non saltem per conniventiam toleret, sed diserte postulet atque demandet. Sed nec *illud* dicendum est, non concessisse, sed tantum per conniventiam tolerasse legislatorem nuptias cum muliere capta, si eas Israelita victor casto & connubiali amore erga inflammatus expetiisset; quo sensu mentem Hebræorum interpretatur Buxtorfius *de Sponsalib. & divort.* §. *XXXII. p.* 42. Non enim contra jus naturæ agebatur, si Israelita cum extranea nuptias celebrabat, ut tali Legislatoris conniventia opus fuerit, qualis erat circa polygamiam. Neque id Juri Hebræorum positivo contrarium. Quanquam enim lex *Deut. VII.* 3. caverat, ne jungerent, se affinitate cum gentilibus, quod de septem populis penitus extirpandis pro illius temporis ratione dictum, לכל שאר אומות *de cæteris gentibus omnibus* simul intelligendum pronunciant; excipiebatur tamen casus conversionis, quæ sicuti proselytos omnes Israelitis penitus æquabat, ita idoneas quoque reddebat fœminas, Israelitarum matrimonio. R. David Kimchi *ad* 1. *R. XI.* 1. *fol. CCCLXXXIV. col.* 2. אף על פי שאמר זה בשבעה גוים הוא הדין לכל שאר אומות אלא לפי שהיו באים בארצם הזהירם עליהם אבל אם היה משיב אותם לדת ישראל לא היה אסור אם היו מתגיירות מלב שלם לא מתחת יראת ואהבה: *Etsi* Lex illa *de septem tantum populis loquitur, eadem tamen ratio est cæterarum gentium omnium; nisi quod illorum terram occupatum tunc venirent*, quos propterea in specie nominare voluit. *Enimvero, si quis has prius convertat ad religionem Israeliticam, non est prohibitum postea* affinitatem cum iis contrahere, *si videlicet sese converterint ex corde perfecto, non ob timorem vel amorem*. Voluit ergo *Deus* illa lege, quod pridem concesserat, denuo hoc quoque casu licitum repetere, si quis in bello captam a se mulierem deperiret; sed ne existimet, majorem sibi in hanc tam gratam prædam esse belli tempore licentiam, quam in aliam alio tempore ex ethnicismo advenientem, de conversione captivæ diligentius statuere, & sicuti bellicam licentiam ampliare semper solent effrenati juvenes, ita illam arctius constringere, & addere conversioni illius tot ceremonias nuptiis contrahendis cum aliquo temporis non exigui dispendio præmittendas, quibus illa libido domaretur. Atque adeo in lege hac tria concurrunt, partim concessio rei licitæ, & in se diaphoræ, quæ sunt nuptiæ cum captiva ineundæ; partim interdictum ne cœco impetu victor in hoc matrimonium feratur, neque ante certum & determinatum conversionis & probationis illius tempus conjugium conjugali consuetudine consummet; partim denique mandatum, de calvitie inducenda, aptandis unguibus, mutandis vestibus, & parentibus deflendis, de quibus ceremoniis parum quidam hactenus refert, sive ad viri Israelitæ animum a nuptiis mulieris in gentilismo natæ retrahendum, sive in gratiam futuræ proselytæ, imperatæ sint, ut perpetuum memoriale statuant ejurati gentilismi. Sufficit, sic ad oculum patere, nihil esse in hac lege, quod per conniventiam tolerasset Legislator. Ergo, quod *prius* erat, de primi ante captæ conversionem coitus tolerantia, veluti reportatæ victoriæ præmio, Schickardus hæc loquitur. Id vero nullo modo probare possumus, & agnoscit paulo post ipse Schickardus, & honestius sensisse R. Johannem, qui primum illum congressum ante cæteros illos actus a *Deo* impositos negabat esse licitum. Utut autem illicitum & *Deo* vel maxime invisum agnoscat; putat tamen, ad majus malum evitandum per conniventiam eum licentiæ bellicæ indulsisse, & circa hoc stuprum, perinde ut circa polygamiam æque illicitam, lege hac disposuisse. Quod sane falsissimum, neque ulla specie e textus verbis colorari potest. Nam quod Rabbini afferre solent, a litera valde alienum est. Duo urgent. alterum, quod *v.* 11. dicitur: *si videris in captivitate mulierem elegantis formæ*, וחשקת בה ולקחת לך לאשה: quod illi ita interpretantur, *& adamaveris eam atque acceperis in uxorem*, h. e. *rem habueris cum ea*; idque sic porro cum sequentibus connectunt: *tunc deduces in domum tuam, & rades caput &c. ac postea demum* תבוא אליה ובעלתה והיתה לך לאשה: *congredieris cum ea tanquam maritus ejus, & illa tibi erit in uxorem*: adeoque geminam concubitus mentionem sic conciliant, ut illam de expleta ante sequentes actus libidine, hanc post memoratos illos actus de legitimo toro exponant, quod ex R. Abarbanele supra latius ostendimus. Alterum est verbum עניתה *v.* 14. quod de *compressione* interpretantur cujus gratia nec pro ancilla retinere, nec aliis ad quæstum divendere possit, sed liberaliter dimittere teneretur. Verum utrobique insignis committitur παρερμηνεία. Non enim expleta cum muliere captiva libido præsupponitur *v.* 11. sed desiderium eam sibi legitimo matrimonio despondendi; tantumque abest, ut *Deus* vagum istiusmodi congressum, & inhonestam scortationem libidini militum Israeliticorum sive concesserit, sive per conniventiam tantum aliquam indulserit, ut potius voluerit hac lege coercere, & eam veluti repagulum interponere. Neque phrasis לקח לו לאשה *accipere sibi uxorem*, proprie de congressu, sed de desponsatione & contractu matrimoniali usurpatur, qualis Abrahami cum Ketura *Gen. XXV.* 1. Isaaci cum Rebecca *Gen. XXIV.* 67. Mosis cum Æthiopissa *Num. XII.* 1. Eleasari cum filia Putielis *Exod. VI.* 25. Calebi cum Ephrata 1. *Par. II.* 19. &c. qui licet consuetudinem illam conjugum inclusam habeat, hic tamen non per concubitum, (quem Rabbini בעילה & ביאה atque תשמיש nominant,) consummatus intelligitur, sed quatenus solum intentione est, & apud animum victoris decretus. Solent namque Hebræis verba, quæ actionem seu effectum notant, voluntatem tantum & votum agendi non raro designare, & sic per *velle* aut *optare* cum proprio infinitivo exponenda sunt, ut *Exod. XII.* 48. *si peregrinabitur apud te peregrinus*, ועשה *& fecerit*, h. e. voluerit, seu optarit facere *pascha Jehovæ, tunc circumciditor ei omni mas &c.* similiter h. l. *si amaveris eam*, ולקחת *& acceperis*, h. e. volueris seu optaris accipere *eam tibi in uxorem, tunc introduces in domum &c.* de quo Hebræorum idiotismo videndus Glassius *lib. III. Philol. Sacr. tr. III. can. VII. p.* 248. 249. (557.) Sic autem de voluntate saltem & voto atque intentione ducendi accipiendum esse hoc loco, ipsa illa post enumeratos ritus illos requisitos facta actionis repetitio cum expressa concubitus mentione evincit, siquidem textus ita planissime fluit: *si videris in captivitate mulierem elegantis formæ, & eam adamaveris, ac volueris accipere tibi in uxorem; tum introduces eam in domum tuam, & derades caput ejus &c.* ואחר כן תבוא אליה ובעלתה והיתה לך לאשה: *& postea demum rem habebis cum ea, erisque ejus maritus, & illa tibi uxor*. Atque hoc sensu in versionibus suis reddiderunt Vulgatus, Pagninus, Tremellius & Junius, Castalio, Lutherus, Eccius, Belgæ, alii. Munsterus permissive vertit: *viderisque in captivitate mulierem pulchram aspectu, & concupiveris eam habere, poteris eam tibi sumere in Uxorem. Introduces itaque eam intra domum &c.* id quod eodem recidit, *hoc est*, inquit ad h. l. in notis, *antequam accedas ad eam*, (quod scripturæ phrasim concubitum notat) *facienda sunt ista: introduces &c.* Neque deest ex Hebræis consensus doctissimi R. Abarbanelis *ad Parsch. Teze fol. CCCLXXVIII. col.* 3. ולקחת לך לאשה. רוצה לומר והקחנה במלחמה לגורלך בכונה וברעת לקחת אותה לאשה באחרונה: *Verba hæc:*

hæc : Et acceperis tibi in uxorem, *hoc volunt*, *q. d. & cum acceperis eam in bello pro sorte tua, ea intentione, eoque animo, ut ducas ipsam in uxorem postea*. Jam quod ad verbum politicum ענה attinet, quod proprie sonat *humiliare* vel *affligere*, negari nequit, aliquando verecunde usurpari de stupro idemque esse, quod *rem per vim cum aliqua habere*, ut *Deut. XXII.* 29. *Judic. XIX.* 24. *XX.* 5. *Ezech. XXII.* 10. 2. *Sam. XIII.* 12. 14. 22. 32. *&c.* qui frequens ejus usus effecit, ut & hic obtinere hanc *comprimendi* notionem putarent Vatablus *in notis h. l.* Drusius *Cap. LXXXI. ad diffic. loca Deuter. p.* 602. Fesselius *lib. II. adverf. Sacr. c. XVIII. pag.* 142. Tremellius & Junius *in versione*, Belgæ *in marginalib.* quin & ipsi Vinarienses; sic tamen, ut compressionem istam non ad stuprum aliquod ante legitimum matrimonium illatum referant, sed quæ in toro præmissis illis ritibus facta sit, interpretentur, prout diserte Vinarienses : Wenn du aber nicht Lust zu ihr hast / (wenn es hernacher / nachdem du sie geehlichet / dir nicht gefället / sie langer bey dir zu behalten / wie denn den Jüden die Ehescheidung zugelassen war /) so soltu sie außlassen (frey / ledig / und loß /) wo sie hin wil / und nicht umb Geld verkauffen / (wie andere Gefangene) noch versetzen / (durch Verpfändung / Verdingung zur Arbeit / Gewinst mit ihr treiben / noch wiederumb zu deiner Dienstbarkeit nöthigen /) darumb daß du sie gedemüthiget hast / (wegen der beraubten Jungfrau-schafft / soltu sie billich frey / ledig und loß lassen.) Sed nulla cogit necessitas, ut a proprio verbi significatu (quem vide sis *Exod. I.* 11. *Ps. LXXXVIII.* 8. *LXXXIX.* 23. *XC.* 15. *XCIV.* 5. *&c.*) ad hunc deflectamus, cum satis afflictionis & humilitatis fuerit captivæ mulieri, si spe matrimonii in domum militis introducta, caput rasa, vestes mutata, tot sese moribus hic demandatis subjecerit, & vero tandem, ubi consummari debebat conjugium vana spe lactata rejiceretur. Rectissime iterum R. Abarbanel *loc. cit.* אין הענוי בביאה כי אם בגלוח הראש והטבילה והטהרה שעשתה להנשא עליו: *Verbum affligendi seu humiliandi non est accipiendum de concubitu, sed de rasura capitis deque baptismo & mundatione, quam susceperat mulier spe promissi matrimonii*. Quare nihil omnino præsidii ex hoc quoque verbo Rabbinis sperandum. Unde ipsimet in partes abierunt, plerisque equidem stuprosum illum concubitum defendentibus, quibusdam tamen impugantibus, neque, & id recte quidem, concedentibus Legislatorem ullam cum captiva consuetudinem absque præviis istis ceremoniis indulsisse : de quibus nunc porro sequitur.

(35) R. Johannem. Non dubium, quin declinante in pejus Hebræorum Republica, invalescentibusque Pharisæorum traditionibus, hæc quoque de stupro seu primo coitu cum puella capta militi Judæo semel indulto, in scenam primum cum aliis id genus prodierit, quam suo more e lege scripta varie incrustare, quæsiverunt. Nunquam tamen cordatiores quidam defuerunt, qui se opponerent, etsi non fuerint auditi, neque decisio quæstionis ex ipsorum voto ceciderit. Hos inter fuit laudatus hic R. Johannes, non celebris quidem ille ben Saccai, qui Johanni Apostolo σύγχρονος, & a Tito Imperatore inter Galilææ præfectos constitutus immortale nomen inter Mischnaicos doctores meruit, sed alter ille Gemaricus, qui seculo Gemaricorum secundo, quo & Resch Lakisch floruit in terra Israelis vixit, in illius Scholæ Rectoratu R. Chaninæ successor, & compilator Talmudis Jerosolymitani, in cujus etiam Gemara Massechet Sanhedrin hæc habentur. Locum inde exscripsit R. Abarbanel *f. CCCLXXVIII. col.* 2. postquam ex comuni sapientum sententia, quæ obtinuit, legem illam exposuit, atque ad veram ejus interpretationem transiret. Iis igitur, quæ paulo superius (*lit. k. p.* 342.) ex Abarbanele adduximus, idem porro subjungit : כן ראוי שיפורשו הכתובים האלה כפי דרך ח"ז"ל שאמרו במסכת קדושין פרק קמא שהוא מותר לבא עליה ביאה ראשונה שנאמר וחשקת בה ולקחת לך לאשה. האמנם נמצא לח"ז"ל בירושלמי דמסכת סנהדרין דעת אחר סותר לזה והוא אמרם שם. רבי יוחנן שלח לרבנן דתמן תרין מלין אתון אמרין בשום רב ולית אינון כן. אתון אמרין בשום רב. יפת תואר לא הותר בה אלא בעילה ראשונה בלבד. ואני אומר לא בעילה ראשונה ולא בעילה שנייה אלא לאחר כל המעשים האלו שנזכרו בפרשה שנאמר ואחר כן תבא אליה ובעלתה: *Ita quidem*, inquit, *textus iste explicandus videtur juxta mentem sapientum nostrorum faustæ memoriæ, qui in* Talmudis Babylonici *Massecheth Kiddusckin capite primo statuerunt, licere congredi cum captiva primo concubitu, eo quod dictum sit* : Et adamaveris eam, & acceperis eam tibi in uxorem. *Cæterum in Talmude Jerosolymitano, Massecheth Sanhedrin, alia plane sententia reperitur, quæ isti prorsus contraria est, ibidemque verbotenus ita sonat : Rabbi Johannes emisit ad Rabbinos, qui ibi erant, duo verba : Vos dicitis nomine Rabi, quæ tamen ita sese non habent. Vos dicitis nomine Rabi, mulierem elegantis formæ in bello captam non esse concessam nisi ad primam saltem compressionem tantum. At ego dico, neque ad primam, neque ad secundam compressionem concessam esse, nisi post omnes illas actiones jam adimpletas, quarum fit mentio in hac legis pericopa, eo quod expresse additur* : Et postea demum congredieris cum ea, & instar Mariti cum ea ages. Utut vero alias Canon in lectione Talmudica observandus, talis sit apud R. Josuam Hallevi *in Halicoth Holam porta V. cap. II. p.* 205. : רב ורבי יוחנן הלכה כרבי יוחנן *Dissentationibus inter se Rabo & R. Johanne, statuitur secundum R. Johannem*; hic tamen Rabi sententia prævaluit, quod plerique ei subscriberent, ut alter ille Canon de Mischnaicis ceteroquin in R. Samuelis Hannagid *Mebo haggemara p.* 227. datus obtineret : יחיד ורבים הלכה כרבים : *Dissentientibus inter se uno & pluribus, statuitur secundum plures*. Verum res ipsa loquitur R. Johannem recta & vera monuisse, ad cujus mentem R. Abarbanel legis textum cum doctissime non minus quam orthodoxe interpretetur *loc. cit. col.* 3. dividiæ nobis non erit, ipsum licet paulo verbosiorem excerpre, præsertim quia celebris, quidem, at rarior Auctoris usus est. וכפי הדעת הזה ראוי לפרש הכתובים כן. שאין גזרת המאמר ולקחת לך לאשה כדברי המפרשים אבל תהיה הגזרת והבאתה אל תוך ביתך. ואמר כשתצא למלחמה על אויביך ולא תהיה אתה מנצח אבל יתנם יי' אלהיך בידך כי הוא הנותן לך כח לעשות חיל והוא הנותן בידך האויב. הנה עקר מעשיך שתעשה במלחמה הוא השבי והשלל אשר תקח בה וזהו ונתנו יי' אלהיך בידיך ושבית שביו. על דרך מה שאמר ויגרש מפניך אויב ויאמר השמד. וכבר יקרה שתראה בשביה אשת יפת תאר וליפיה תחשק בה כי דבר הכתוב בהווה שלא יחשוק האדם כי אם ביפיה. ולקחת לך לאשה רוצה לומר ותקחנה במלחמה לגורלך בכונה ובדעת לקחת אותה לאשה באחרונה. הנה בשיקרה זה הזהר שלא תבא עליה מיד אחרי שתקח אותה כמנהג הפחותים שיבעלו נשותיהם בכל מקום צנוע או מפורסם ולא יחושו על כבודם ודבר. אבל תעשה כן תביאה אל תוך ביתך כי כן ראוי שתבעל האשה בבית בעלה לא בשדה ולא בדרכים וגלחה את ראשה ועשתה את צפרניה רוצה לומר שתתקנם ותכין עצמה להתגייר ולטהר ותסיר את שמלת שביה מעליה שהם בגדים רעים ומטונפים כי על כן נקראו שמלת שביה שהשבים אותם יסירו מעליהם הבגדים הטובים וילבישום בלויי הסחבות שהם בגדי השביה על דרך כלי גולה עשי לך וגם לא תבריחה להיות שמחה כי בהברח הוא שתרגיש צער פרידתה מקרוביה ולכן הניחה שתבכה את אביה ואת אמה ירח ימים כדי שתמצא מנוח לנפשה כי יש לעצבים מנוחה והשקט בהבלם. כמו שזכר הרב המורה בחלק ג' פר' מ"א: *Juxta hanc igitur*, inquit, *sententiam* R. Johannis *hoc modo legis textus explicandus esse videtur, ut ἀπόδοσις non in istis verbis*, Et accipies tibi in uxorem, *cum memoratis supra interpretibus statuatur*; (quasi sensus esset : si videris uxorem, & adamaveris eam, tunc in uxorem tibi eam sumes;) *sed ἀπόδοσις demum sit in illis* : Et introduces illam in domum tuam. *Ut adeo sensus sit : Cum exiveris in bellum adversus hostes tuos, quos tu non viceris, sed* Deus *tibi in manus tuas dederit, quippe qui virtutem tibi exercendi potentiam largitur, & hostem in tuam manum tradit. Ecce præcipuum actionum tuarum bellicarum est victoria & præda hinc auferenda : atque hoc est, quod textus ait* : Et dederit illum Dominus Deus tuus in manus tuas, ut ducas captivam captivitatem ejus : *plane ut in illo* Deut. XXXIII. 27. *Et ejecit ante te hostem, & dixit* !

xit: perde. Quod si ergo jam accidat, ut inter captivos conspicias elegantioris formæ mulierem, quam ob insignem ejus pulchritudinem adames; sic enim loquitur scriptura in præsenti, ne quis aliud quam pulchritudinem ejus concupiscat. Fiat autem, ut accipias tibi in uxorem, hoc est, ut pro forte tua ipsam accipias in bello, ea intentione atque animo, ut postea eam uxorem ducas. Hoc inquam si ita accidat, monet lex, ne statim, eo tempore quo illam accepisti, cum ea coeas, more homuncionum, qui quovis loco uxores suas comprimunt clam palamve, neque ullo honoris sui sensu tanguntur; verum ita agas: introducas ipsam in domum tuam, sic enim decet, uxorem in domo mariti sui, non in agro, neque in viis comprimi, ipsa autem radat caput suum, & aptet ungues suos, hoc est, disponat atque præparet se ad suscipiendam religionem Israeliticam & ut mundetur: removeat præterea a se vestem captivitatis suæ, quippe quæ vestes fædæ & pollutæ sunt, ideo vestimentum captivitatis ejus dicuntur, quia victores iis, quos in captivitatem deducunt, vestes pretiosas exuunt, earumque loco veteres quosdam pannos induunt, qui demum vestes captivitatis sunt, juxta illud Jerem. XLVI. 19. *Vasa transmigrationis fac tibi. Ad hæc ne cogas eam, ut sit hilaris, si quidem per hanc coactionem potius mœrorem ipsi commovebis ob separationem a propinquis suis. Itaque concedendum ei, ut defleat patrem & matrem suam mense integro, eo ut recreationem inveniat pro anima sua, est quippe hoc dolore affectis quies & recreatio in gravissimo ipsorum dolore, prout meminit Magnus ille Doctor parte III. cap. XLI.* Intelligit R. Maimonidem, ejusque librum More Nevochim, seu Doctorem perplexorum quem allegare ita solent, ut ipso auctoris elogio liber exaudiatur. Sic autem ibi Maimonides *fol. CLXIX. col. 2. edit. Venet. anno* 1551. & in Buxtorfii versione *pag.* 468. כתוב ובכתה את אביה ואת אמה כי לבעלי האבל מנוחה בבכייה ועוררם אבלם עד שיחלשו כחות הגופנים מסבול המקרה ההוא הנפשי כמו שלבעלי חשמחה מנוחה במיני השחוק ומפני זה חמלה התורה עליה ושם הרשות בירת מכל זה עד שתלאה מן הבכי ומן האבל: *Scriptum est*: Et dolebit Patrem & Matrem suam. *Lugentibus enim lacrymæ quietis & recreationis loco sunt, donec vires corporis plane debilitentur, ut accidens illud animæ non amplius sustinere queant, sicut hominibus lætis risus quietis loco est. Et hac de causa clementia lex usa est erga illam, facultatemque horum omnium ipsi concessit, donec lassa & defessa fiat ad lugendum & plorandum.* Idem alias eodem in loco de tota hac lege agit, & quid ad bonos mores & virtutes, quibus homines liberales se exerceant, in ea spectet, exponit. Sed illis non est, cur immoremur. Pergit R. Abarbanel: ובזמן ההוא לא תכריחנה להניח דתה לא תבעלה כי אין ראוי לאדם נכבד לקחת את אשתו ולבא עליה בתוך המלחמה מגואלת בתוך הדם בהיותה צועקת מרה ומתאבלת על מתיה אבל אחרי טבילתה וטהרתה וחליפם השמלות ובכית הקריבים תתישב דעתה ותתרצה לבעלה ותשתחוה לו כי הוא ארוניה ותתגייר ברצונה או בעל כרחה. ואחר זה כלו תבא אליה ובעלתה ואז תהיה לך לאשה ותתחייב אליה בכל הדברים שהאדם חייב לאשתו והיא גם כן תשמור דיני אשת איש כלם ולא צוה על הטבילה לפי שכבר נצטוך עליה שנאמר אתם ושביכם: *Porro*, inquit, *illo tempore*; quo in domum tuam introducta capitis rasuram sustinet, ungues aptat, vestes mutat, cognatos luget, *ne cogas eam ad deserendam suam religionem, neque cum ea coeas non enim convenit viro honorabili, ut uxorem ducat, & comprimat durante adhuc bello, quo vendicata est medios inter sanguinis cruores, dum adhuc acerbe clamat, & luget suorum mortem; verum post susceptum ab ea baptismum, & post purificationem & vestium mutationem, & propinquorum deplorationem mentis magis composita fuerit, suoque conciliabitur marito, & venerabitur eum utpote dominum suum, atque Religionem Israeliticam nolens volens amplectetur. His ergo omnibus præmissis consuescas cum ea, & maritum te præstes, atque tum demum erit tibi in uxorem, tuque ipsi obstrictus eris in omnibus iis rebus, quibus aliquis uxori suæ obligatur, æque uti illa vicissim omnibus legitimæ conjugis legibus tenebitur. Quod vero lex expresse nihil de baptismo præcipit, inde est, quia jam pridem de eo constitutum erat* Num. XXXI. 19. *cum dicitur: Vos & captivi vestri*. Tandem nec illud omittemus, quo de spacio temporis menstruo his cremoniis insumendo addit. Sic enim una vice exhibebimus, quæ alias carptim inspergendi forent. והנה נתן לו זמן ירח ימים אולי בתוך הזמן הזה יתחרט ולא יקחה כי לא יבחר השם יתברך שאיש מבני ישראל ישא אשה מעם נכרי. ואם התיר אותה כאן זה היה מפני המלחמה ולשכך יצר הרע וגם זאת לא תהיה כי אם אחרי הנצחון ושבית חשבי לא קודם המלחמה ובתוכה. כי זה מכות שיכשל העם בה כמו שעשה בעניין פעור: *Ecce autem, menstruum spacium ei posuit an forte intra hoc tempus pœnitentia ductus postea illum ducere nolit: non enim placet* Deo, *ut aliquis Israelitarum uxorem ducat e populo gentili. Quod vero eam hic indulsit, factum est propter bellum atque ad mitigandam concupiscentiam pravam neque etiam aliter indulsit, quam post reportatam victoriam, abductis jam captivis, non ante bellum, neque durante eo. Est enim ea res ex iis, quæ scandalo sunt populo, quale tunc sumebat, quando cum Peor fornicabatur, de quo Num. XXV. 1. seqq.* Hucusque R. Abarbanel: in quibus etsi hæc postrema de Divina displicentia Conjugii Israelitæ cum gentili muliere factis etiam his faciendis initi non asseruerim absolute, utpote quæ sine dubio ex Judaico faitu profecta sunt, eoque pertinent, quæ Schikardus circa finem theorematis de filiis degeneribus & immorigeris ex tali matrimonio prognatis e Rabbinis annotat; priora tamen longe saniora sunt iis, quæ initio ex sapientum mente adduxerat. Videnturque ea sic ultimis Reipublicæ Judaicæ temporibus observata, quicquid in adversum disputaverint Pharisæi. Quod bina celeberrimorum Hebræorum illo tempore superstitum, sed Græce scripturientium testimonia confirmant. Alterum est Josephi *lib. IV. Antiquitat. Judaicar. capit. VIII. fol.* 110. cum inter cæteras leges Mosaicas hanc quoque recenset. Ἂν δὲ αἰχμαλωτεύσας λάβῃ παρθένον, ἢ καὶ γεγαμημένην, βουλομένῳ συνοικεῖν μὴ πρότερον ἐξέστω εὐνῆς ἅπτεσθαι καὶ κοινωνίας, πρὶν ἢ ξυρωμένην αὐτὴν καὶ πένθιμον σχῆμα ἀναλαβοῦσαν, ἀποθρηνῆσαι συγγενεῖς καὶ φίλους τοὺς ἀπολωλότας ἐν τῇ μάχῃ, ὅπως τὸ ἐπ' αὐτοῖς κορέσασα λυπηρόν, ἔπειθ' οὕτως ἐπ' εὐωχίας τραπῇ καὶ γάμους: καλὸν γὰρ εἶναι καὶ δίκαιον παιδοποιὸν παραλαμβάνοντα, θεραπεύειν αὐτῆς τὸ βουλητόν, ἀλλὰ μὴ τὴν ἰδίαν ἡδονὴν διώκοντα μόνον τὸ κατ' αὐτὴν ἀμελεῖν κεχαρισμένῳ. Τριάκοντα δ' ἡμερῶν ἐπὶ τῷ πένθει διελθουσῶν· αὐτάρκεις γὰρ ἐπὶ τοῖς δακρύοις αὗται τῶν φιλτάτων τοῖς φρονίμοις, τότε χωρεῖν ἐπὶ τὸν γάμον. h. e. ex versione Sigismundi Gelenii: *Si quis vel virginem, vel maritatam captivam abduxerit, eique legitime conjungi voluerit, non ante jus esto cubile ejus tangere, quam raso capite, sumtoque lugubri habitu cognatos & amicos in bello amissos deploraverit, ut ita mœrore satiata tum demum ad nuptiale convivium veniat. Bonum enim & justum est, ut qui mulierem, ex qua liberos gignat, accipit, morem gerat ejus affectibus, & non suæ tantum voluptati indulgens illius desideria negligat. Elapsis autem luctus triginta diebus, tot enim sapienti ad deplorandos charos sufficiunt, tunc nuptiis dare operam liceat.* Alterum est Philonis Judæi *libro* περὶ φιλανθρωπίας, *fol.* 545. 546. cum nec belli quidem jus Mosis ministerio statutum ab humanitate alienum ostendit. Quam ad rem eandem legem ita refert: ἂν μέντοι καὶ ἐκ προνομῆς εὐμόρφου γυναικὸς εἰς ἐπιθυμίαν ἔλθῃς, μὴ ὡς αἰχμαλώτῳ, φησίν, ἐναπερεύγῃς τὸ πάθος, ἀλλ' ἡμερώτερον δικασάμενος τὰς περιβολάς, ἐπικούφισον τὴν συμφοράν, μεθαρμοσάμενος πάντα πρὸς τὸ βέλτιον. *Quod si inter captivas formosam mulierem animadverteris, noli, inquit, tanquam in serva explere cupidinem; sed fortunam miseratus; calamitatem ejus subleva, omnia mutans in melius.* Enumerat deinde actus illos ante ὁμιλουμένην εὔνοιαν præmittendos, & postea subjungit, quæ rem clarius illustrant: Πάνυ καλῶς ἕκαστα διαταξάμενος· πρῶτον μὲν γάρ, οὐκ εἴασεν ἀχάλινον φέρεσθαι τὴν ἐπιθυμίαν ἀπαυχενίζουσαν, ἀλλ' ἀνέστειλε τὸ σφοδρὸν αὐτῆς, ἡμέρας τριάκοντα ἐάσας. δεύτερον δὲ, τὸν ἔρωτα βασανίζει, πότερον ἐπιμανὴς καὶ ἀψίκορος καὶ ὅλος τοῦ πάθους ἐστίν, ἢ μετέχει τῆς καθαρωτάτης ἰδέας ἀνακεκραμένος λογισμένῳ λογισμῷ. Λογισμὸς γὰρ πεδήσει τὴν ἐπιθυμίαν, οὐδὲν ὑβριστικὸν ἐάσας αὐτὴν ἐργάσασθαι, ἀλλὰ τὴν μηνιαίαν προθεσμίαν ἐπισχεῖν. Τε-

τασι δὲ,

τωδὶ, ἐλεεῖ τὴν αἰχμάλωτον, εἰ μὲν παρθένος ἐστὶν, ὅτι γονεῖς οὐκ ἐγγυῶσι, τὴν εὐθυμιοτάτην σύνοδον ἁρμοζομένην· εἰ δὲ χήρα, διότι κηδεμόνος στερομένη, πέραν ἑτέρου λαβεῖν μελλήσει, καὶ τοῦ ζῆν ἐπανατεινομένου ἐπὶ δεσποτικὸν φόβον, κἂν ἰσότητι ἐπιτηδεύῃ. *Pulcherrime singula in hac lege ordinavit. Primo, quod non laxavit frena cupidini, sed per triginta dies eam repressit. Deinde, quod amorem examinat, num mere furiosus fastidiosusque sit, an aliquid rationis admixtum habeat: ratio enim cohibebit concupiscentiam, ne quid agat insolentius, expectabitque menstruum terminum. Tertio, quod miseratur captivam: si virgo est, quia parentes ei optatas nuptias non conciliant: si vidua, quia amisso, cui puella nupserat, expertura est alium, non magis maritum, quam dominum, etiam sub æquabile jure conjugii.*

(36) Sacerdotes. Quæstio hæc ex instituto ventilatur in Gemara Babilonica Massech. Kiddusschin *fol. XXI. col.* 2.: איבעיא להו כהן מהו ביפת תואר *Mota est disceptatio*, inquit Gemara, *inter Doctores de Sacerdote circa legem de muliere captiva elegantis formæ*, anne & hæc ipsi licita sit, nec ne? רב אמר מותר ושמואל אמר אסור: *Rabus licitam pronunciavit, at Samuel statuit interdictam*. Conciliari utraque sententia facile poterat, si alterum quis diceret de primo, alterum de secundo coitu loqui, quorum illum Rabus licitum, i. hunc Rbbi Samuel interdictum statuisset. Sed de controversiæ statu ipsimet Gemaristæ jam solliciti erant. Pars de secundo coitu quæstionem esse putabat: כ"ע בביאה ראשונה לא פליגי דשרי כי פליגי בביאה שנייה: *De coitu primo nemo in universo mundo dubitat, quin sit licitus, unde quæstio tantum est de coitu secundo*. Pars vero invertebat, ut ostenderet, de primo coitu, sacerdoti licito an illicito, quæri: בביאה שנייה כ"ע לא פליגי דאסיר כי פליגי בביאה ראשונה: *De coitu secundo nemo in universo mundo dubitat, quin sit illicitus*, (nec enim proselytam ducere poterat Sacerdos,) *unde de primo coitu* (h. e. de scortatione, & stupro captivæ mulieri ante nuptias inferendo) *quæritur*. Hunc Sacerdoti Rabus concessum, R. Samuel vero interdictum, pugnabant: & illius quidem sententia in decretum abiit, quod R. Majemonides propterea ut verum & communi Hebræorum consensu approbatum tradit verbis a Schikardo allatis, ad quem locum R. Joseph Karo *in Geseph Mischne fol.* CCXC. *col.* 1. cum quædam e Gemaræ citato loco excerpta præmisisset: פסק רבינו כלישנא בתרא וכרב והלכתא כוותיה: *Definit*, inquit, *Rabbi noster* Maimonides *secundum posteriorem quæstionem formandi modum*, (h. e. an Sacerdoti liceat semel tantum cum muliere in bello capta ante ejus conversionem congredi, si amore captus concupiscentiæ succubuerit?) *& quid juxta sententiam Rabi, utpote cujus decisio, obtinuit & recepta est*. Elegans pessimæ traditionis observatio, qua non modo locum *Joh. VIII. 7. seq.* de sacerdotibus, & scribis templo egredientibus, neque adulteram primo lapidis ictu ex vulnerata conscientia damnare ausis, haud incommode illustrabis; sed & uti poteris ad ostendendam conformitatem Judæo-papisticam in loco de matrimonio Sacerdotum, utpote quos Papicolæ gravius peccare docent, uxorem ducendo, quam scortando. Parum enim ab illis R. Maimonidæ verbis differt hoc Alberti Pighii Cardinalis emblema, quod Costerus *in Enchirid. Cap. de Cœlibatu Sacerdotum Prop. IX.* expressit: *Sacerdos*, inquiens, *si fornicetur*, (*aut domi concubinam foveat*,) *tametsi gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccat, si matrimonium contrahat*. Id ita placuit Jacobo Gretsero, ut *in Hist. Ord. Jesuit. p.* 115. repeteret: *Verissime scripsit Costerus noster, sacerdotem si fornicetur, -- tametsi gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccare, si matrimonium contrahat. Quia etiamsi sacerdos nuptias celebret; nuptiæ tamen nullæ sunt, neque uxor illa legitima fit uxor, sed scortum manet, cum sacerdos ad matrimonium contractum sit inhabilis*.

(37) Gentilibus proprie nulla fuisse conjugia. Frequens in ore Rabbinorum vox est: אין אישות לגוים *Non est conjugium ethnicis*. Nec male suspicatur noster, eam inde natam, quod bestiis, quarum consociationes dici matrimonia non mereantur, ethnicos æquiparent. Sic enim Gem. Mass. Cerithuth *fol. LXXVIII. col.* 2. גוים ניהנו לאיי דכתב אתם צאני וצאן מרעיתי אדם אדם אתם אתם קרויין אדם ואין הגוים קרויין אדם: *Gentiles censentur pro non hominibus, sicuti scriptum est* Ezech. XXXIV. 31. *Vos estis grex meus, & grex pascuorum meorum, vos autem homo. Sensus est: Vos Israelitæ vocamini homo; gentiles autem non vocantur homo.*

(38) Abscindere crines. Vide Magnif. Dn. D. Geierum *de luctu Hebr. c. VIII.* §. 4. *p.* 195.

(39) Capitis denudatio turpis habetur filiabus Israel &c. Provocat hic R. Abraham, ad asserendum filiarum Israeliticarum morem, ad Talmudis tractatum Sota; sed fateor, nondum aliud in eo se nobis obtulisse, de hoc vestigium, quam in illa collatione politioris adulteræ ornatus in amatoris prohibiti gratiam suscepti, cum ritibus in Mischna *ibidem fol. VII. col.* 1. *circa finem* descriptis, ut ostenderetur, pro mensura mensuram adulteræ reddi. Sic enim ibi Gemara *fol. VIII. col.* 2. & *fol. IX. col.* 1. היא פרסה לו סודרין נאין על ראשה לפיכך כהן נוטל כפה מעל ראשה ומניחו תחת רגליה היא קישטה לו פניה לפיכך פניה מוריקות היא כחלה לו עיניה לפיכך עיניה בולטות היא קלעה לו את שערה לפיכך כהן סותר את שערה וכו': *Ipsa expandit sibi sudaria pulchra super caput suum, propterea aufert Sacerdos peplum de capite ejus & ponit illud infra pedes ejus. Ipsa ornavit sibi faciem suam, propterea facies ejus flavescit. Ipsa stibio pinxerat suos oculos, propterea oculi ejus protuberant. Ipsa plicaverat sibi capillos suos, propterea sacerdos capillos ejus dissolvit, &c.* De capitis vero denudatione filiabus Israel probrosa nihil properanti observare ibi licuit; non tamen negaverim, tale quid fortassis haberi: & forte haud difficile fuerit, Talmudicis etiam inassueto, id reperire, ubi celeberrimi Wagenseilii tractatus hujus editio, quam in dies præstolamur, prodierit. Sane enim R. Salomo Talmudicorum vestigia presse secutus, *ad Num. V. 18. fol. CLV. col.* 1. dum illa legis verba de muliere adulterii suspecta: ופרע את ראש האשה *& denudabit sacerdos caput mulieris*, interpretatur, hoc diserte habet: סותר את קליעת שערה כדי לבזותה מכאן לבנות ישראל שגלוי הראש גנאי להם: *dissolvit plicas capillorum ejus, eo ut despicatus eam exponat inde filiabus Israeliticis, quippe quibus denudatio capitis turpis haberi solet*. Idem adhuc luculentius legitur in Bemidbar rabba *Parscha IX. fol. CCXXX. col.* 3. לפי שדרך בנות ישראל ראשיהן מכוסות ולכך היה פורע ראשה ואומר לה את פרשת מדרך בנות ישראל שדרכן להיות מכוסות ראשיהן והלכת בדרכי הגוים שהן מהלכות ראשיהן פרועות: *Propterea quod Israelitidarum consuetudo fert, tectis capitibus incedere, ideo denudabat sacerdos caput ejus* (adulteræ,) *dicebatque ad eam: tu recessisti a more filiarum Israelis, quæ solent tectæ quoad capita sua esse, & ambulasti in viis gentilium, quorum puellæ circa capita sua nudæ incedunt*. Sed & in Talmudica Gemara Massech. Cetubhoth *fol. LXXII. col. 1. lin. ult.* traditio scholæ R. Jismaelis adscribitur: אזהרה לבנות ישראל שלא יצאו בפרוע ראש: *Commonefactio pro filiabus Israelis, ne exeant nudo capite*, & glossa ibi interior: ש"מ אין דרך בנות ישראל לצאת פרועות ראש: *Intelligimus inde, non esse moris apud filias Israelis, ut caput nudatæ exeant*. Notantur ista ad *Mischnam VI. Cap. VII.* qua statuitur, absque dote dimittendam fœminam, quæ statutum Mosis & Israelis trasgrediatur. Ibi inter alia: איזוהי דת יהודית יוצאה וראשה פרוע וטווה בשוק ומדברת עם כל אדם וכו': *Quodnam est statutum Judaicum? si qua exeat nudato capite, & fila ducat in platea, & confabuletur cum quolibet homine &c.* ea absque dote dimittitur. Ad quem Talmudis locum nos deduxit R. Jehuda Aben Calez *in libro Musar. c. XX. fol. CXXXVII. col.* 1. cum mores mulierum format: גרסינן במסכת כתובות האשה שטווה בשוק וראשה פרוע הרי זו עוברת על דת יהודית ותצא בלא כתובה: *Legimus*, inquit, *in Massecheth Cetubhot, mulierem, quæ fila duxit in platea, dum nudo capite est, transgredi statutum Judaicum, & dimitti absque dote*. Zenorenna *f. CXXI. c.* 1. Die Frau / die ihr Haar weist von dem Kopfe / die is gleich / als hett sie *Senuth* (Hurerey) getrieben.

(30) Textui Paulino 1. Cor. XI. 5. Vexatissimo cæte-

cæteroquin loco; cui jungi poterat alter, e Veteri Testamento, non minus variis interpretum judiciis obnoxius de oculorum tegumento, quod Abimelechus Saræ mille argenteis Abrahamo datis se destinasse ajebat *Gen. XX. 16.* de quo alias late Martinus del Roa *part. II. Singular. Biblic. lib. III. c. IV. p. 300. seqq.* Adde insuper *Gen. XXIV. 65.* ubi de pallio, quo se Rebecca conspecto Isaaco obtexit.

(41) De Unguibus. Ingens controversia de phrasi *facere ungues*, utrum *præcidere*, an *alere* notet. Auctor de ea operosus est, nec minorem in eadem evolvenda diligentiam adhibuerunt Sixtinus Amama *lib. II. Anti-Barb. Bibl. p. 373. seqq.* Dn. D. Geierus *de luctu Hebr. c. XV. §. 5. p. 288. seqq.* Thom. Gatakerus *in Cinno lib. II. c. XIII. p. 321. 322.*

(42) Cujus vestis. Sumta hæc sunt ex Pirke R. Eliefer *cap. XIV. fol. IX. col.* 4. ubi ista legas: מה היה לבושו של אדם הראשון עור של צפורן וענן כבוד מכוסה עליו כיון שאכל מפירות האילן נפשט עור צפורן מעליו וראה עצמו ערום ונסתלק ענן הכבוד מעליו: *Qualis erat vestis Adami hominis primi? erat pellis onychina* (& instar unguis pellucida nam צפורן ש utrumque, & *onycha* & *unguem* notat,) *quam nubes gloriæ circumdabat. Cum vero comedisset de fructibus arboris vetitæ, exuebatur ei pellis illa unguem referens, videbatque se esse nudum, atque recedebat ab eo nubes gloriæ.* Atque hac quidem veste ante lapsum in statu innocentiæ ornatus erat. Post lapsum qualem confœrit *Deus*, in iisdem Pirke Eliefer *c. XX. fol. XIII. col.* 4. refertur: רבי אליעזר אומר מן העור שהפשיט הנחש עשה הקב"ה כתונת כבוד לאדם ולעזרו שנאמר ויעש יי' אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור וילבישם: *R. Eliefer ait, ex pelle, quam exuerat serpens, fecisse* Deum *tunicam honorabilem Adamo ejusque adjutorio, sicuti dicitur* Gen. III. 23. *Et fecit* Dominus Deus *Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas, sicque vestivit eos.* Aliter Raschi *ad Gen. III. 21. fol. VI. col.* 1. יש דברי אגדה אומרים חלקים כצפורן היו מודבקים על עורן. ויש אומרים דבר הבא מן העור כגון צמר ארנבים שהוא רך וחם ועשה להם כתונת ממנו: *In lepida quadam narratione dicitur, particulas instarum vis adhæsisse cuti illorum. Alii vero asserunt, fuisse rem de quadam pelle provenientem, v. g. pilos leporinos, usum lanæ mollissimæ præbentes, & ex iis fecisse* Deum *ipsis tunicas* R. Aben Esra *ibidem*: יש אומרים כי בתחלה היו עצם ובשר ועתה קרם עליהם עור ויש אומרים כתנות לעורם ואחרים אומרים כי יש בהמה בדמות אדם והשם צוה ונפשט עורה ואין לנו לבקש בזאת רוק נאמין שהשם עשה לאדם גם לאשתו כתנות עור ומי ימלל גבורותיו ומי יספר מעשיו ונפלאותיו ואין חקר לגדלתו: *Quidam ajunt*, Adamum & Evam *initio tantum ex ossibus & carne compositos fuisse, jam vero* Deum *iis obduxisse cutem, &* (hanc *tunicam pelliceam* vocari.) *Alii vero dicunt, novas tunicas ad cutem illorum jam accessisse; & hinc denuo alii putant, fuisse bestiam quandam, homini statura & forma similem, quam* Deus *pellem suam exuere jusserit. Verum nostrum non est in hæc curiosius inquirere. Sufficiat credere*, Deum *ipsum Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas fecisse. Quis enim eloquetur potentiam ejus?* (Psal. CVI. 2.) *aut quis enarrabit opera & mirabilia ejus? Non est per vestigatio magnificentiæ ejus.* (Psal. CXLV. 3.) Cæterum ad hanc quoque materiam sic delatis, remittere Lectorem liceat ad pias meditatione B. Dn. Jo. Henr. Ursini de colore vestis illius, qua *Deus* ipse protoplastos, post lapsum, sed jam in gratiam receptos, texit: quas vide *vol. I. Analect. Sacr. lib. VI. cap. XV. pag. 351. seqq.*

(43) Ungues ad Candelam contemplari solent. Vide Buxtorf. in Synagog. Judaic. recens aucta *cap. XVI. pag. 347. 348.*

(44) Minhag. *fol. 3. col.* 1. Locus hic ex Minhagim ab Auctore citatus ita habet Man thut die *besamim* aus der Hand und nemt den Becher wieder in die rechte Hand/ und besicht die Nägel von der lincke Hand bey der *habhdala*-kertz. Man beigt die Finge irn die Hand/ daß sie ein Schatten geben in die Hand. Und streckt die Finger dar noch aus/ und besicht die Nägel daß man kan der kennen bei dem Licht/ daß sie weisser seyn als die Finger. Und sagt/ ברוך אתה יי' להינו מלך בורא מאורי האש: Und nemt den Becher in die lincke Hand/ und besicht ach aso die Nägel von der rechten Hand. Man besicht drum die Nägel/ da weil das Kleid/ das *haschem jithbarech* gemacht hat *Adam harischon*, do er nacket is gewesen/ das ist wie Nägel gewesen. und da *Schabbath* is aus gangen gewesen/ und is finster gewesen/ so hot *Adam* genommen zwey Stein/ und hot sie wieder an ander geschlagen/ sy is Fewer herans gangen. Drum besicht man bei dem Licht die Nägel.

(45) Bechai. v. Sixt. Amama *l. II. Anti-Barb Bibl. p.* 375.

(46) Dimittere. Quæ supra *p.* 347. ex sententia Tremelli, Belgarum & Vinariensium allata sunt, quasi illa dimissio captivæ uxoris intelligenda sit post legitimum matrimonium cum ea contractum licita; ea inter Hebræos patronum habent R. Mosen ben Nachman, cujus mentem refert R. Abarbabel *fol. CCCLXXVIII. col.* 3. הרמ"בן כתב שאמרו והיה אם לא חפצת בה הוא אחרי היותה לו לאשה שאם ישאנה ירגשנה בדין אשת יהודית: *R. Moses bar Nachman scripsit, hæc, quæ de displicentia viri erga mulierem captivam dicuntur, sic esse accipienda, quod, si post contractum matrimonium, postquam eam legitime uxorem duxit, displiceat, expellere eam per divortii libellum possit, eo modo, quo uxor Judaica dimitti solet.*

(47) Hebræi Jureconsulti. Ceseph Mischneh *ad citatum Maim. locum fol. CCXC. col.* 2. זה פשוט וכבר הזכרתיו בפרק זה ומה שכתב אלא בית דין מטבילין אותו הוא כדאיתא פ' קמא דכתובות גר קטן מטבילין אותו על דעת בית דין ופרש"י אם אין לו אב ואמו מביאתו להתגייר והא נמי חכי הוא דאין ולד זה בן הישראל כלל ובנך הבא מן הכותית אינו קרוי בנך: *Hoc* (quod Maimonides, verbis Auctore allatis, ait) *simplex & rectum est, id quod pridem in hoc capite memoravi. Quod autem scribit, eum Synedrii decreto baptizari, illud in Capite primo Massech.* Cethubboth *fundatur, ubi dicitur, proselytum minorennem baptizandum ex sententia Synedrii. Hoc Raschi ita exponit: si patrem non habeat, & vero mater ejus ipsum adducat, ut Judaismo initietur. Atqui par hic est ratio, siquidem proles ista pro Israelitica haberi omnino nequit, cum filius tuus e gentili prognatus non debeat dici filius tuus.*

(48) Experientia comprobatum. Imo in ipsa lege id significatum, vocula לך *tibi* pleonastica, observat R. Salomo Ephraim ben Aharon *in Keli Jakar fol. CXXVIII. col.* 2. ad illa verba: ולקחת לך לאשה: *& acceperis eam tibi uxorem*. Sic enim ibi: מלת לך מיותרת אע"פ שרבותינו זכרונם לברכה דרשו לך ולא לאביו או לבנו מכל מקו' נוכל לפרש כפי הפשט לך ולא לזרעך כי תועלת מזומי זה אינו כי אם לך אבל לזרעך ארבה הדבר מזיק כי לסוף יהיה לך מינה בני ולא מעלי והיינו בן סורר ומורה: *Vocula* Tibi *pleonastica est, quam etsi Rabbini nostri homiletice exponant ideo insertam, ut per eam pater & filius excludatur,* (quippe pro quibus non liceat captivam elegantis formæ mulierem accipere,) *poterimus tamen literaliter sic interpretari, quasi diceretur*: Tibi *accipies & non semini tuo. Non enim ex probrosa hac actione ulla erit utilitas, nisi tibi tantum,* (pravæ scilicet concupiscentiæ tuæ sic satisfacienti,) *at semini tuo e contra res hæc summo damno erit: nam inde tandem habebis filium minus probum, & hæc ratio est, cur lex de filio refractario & inobedienti, statim huic subjiciatur.*

(49) Traditur R. Jose. Descriptio filii rebellis & immorigeri habetur in Mischna Massech. Sanhedrin *Cap. VIII. §. II.* ubi tamen huic R. Jose tribuitur, quod non selibram, sed libram integram carnis, neque dimidium, sed integrum Log vini, ei adscripserit. מאימתי חייב משיאכל טרטמר בשר וישתה חצי לוג יין אהיטלקי רבי יוסי אומר מנה בשר ולוג יין: *Quandonam filius rebellionis & inobedientiæ reus est? Cum comederit selibram carnis, & biberit dimidium Log* (sextarium) *vini Italici.* R. *Jose ait: si comederit integram libram carnis, & biberit integrum Log* (sextarium) *vini*. Cæterum hæc sententia R. Jose recepta non est, observante utroque Mischnæ Commentatore Maimonide & Bartenorio

norio *fol. CLXXXIX. col.* 2. Cum ergo prior illa obtinuerit, hinc forte factum, ut eandem Auctor Medrasch Tanchuma, memoria lapsus R. Jose tribuerit. Alias prolixiorem hujusmodi degeneris filii descriptionem habet R. Bechai *in Biur fol. CCXXVII. col.* 3. הוא שיגנוב משל אביו ויקנה בשר ויין ניזל ויאכלם חוץ מרשות אביו בחבורה שכלן רקניך ויאכל הבשר חי ואינו חי מבושל ואינו מבושל כדרך שהגנבים אוכלין וישתה היין מזוג ואינו מזוג כדרך שהגרגרנין שותין: *Talis est, qui furatus quid fuerit de eo, quod patris sui est, & coemerit carnem & vinum alibi ablatum, atque ea consumserit exterius, quo patris sui potestas non pertingit, in tali societate, in qua omnes sunt nebulones: quique comederit carnem promiscue, vivam & non vivam, coctam & non coctam eo modo, quo fures comedere solent; similiterque biberit vinum, sive temperatum sit, sive non peratum, eo modo, quo helluones solent bibere.*

(50) Præter alios. Tanchuma *Parsch. Ki Teze fol. XCIII. col.* 4. Jalkut *part. I. fol. CCXC. col.* 1. Bechai *fol. CCXXVI. col.* 4.

(51) R. Dav. Kimchi in not. ad Sam. nempe ad 2. *Sam. XIII.* 1. *fol. CCCLIII. col.* 1. Est præterea locus aliis in ejusdem Commentario *ad* 2. *Sam. III.* 3. *f. CCCXXII. c.* 2. qui hactenus dicta magis illustrat: דרשו בו כי לפי שהיה בן יפת תואר שלקחה דוד במלחמה לפיכך היה אבשלום סורר ומורה באביו כי לכך נסמכה פרשת סורר ומורה לפרשת יפת תואר לומר לך כל הנושא אותה או אשה שאינה הגונה יוצא ממנה בן סורר ומורה ונכון הוא הדרש כי מאחר שהיא שבויה הרי היא כמוכרחת לשוב לדת ישראל ולבה לא נכון אל דת והנטע יוצא דמות השרש: *Concionari solent Rabbini de eo,* (quod hic de Absolome filio Maachæ dicitur) *quasi propterea, quia filius fuit fœminæ elegantis formæ, quam David in bello captam duxit, Absalom refractarius & rebellis suo patri factus fuerit. Idcirco enim proxime adhæret lex filio immorigero & refractario, legi de fœmina elegantis formæ. Dicere quasi tibi vult, omnem eum, qui ducat istam, aut similem, quæ minus honesta est, prodeuntem ex ea filium refractarium & inobedientem habiturum. Et sane homiletica hæc expositio satis sibi constat. Quandoquidem enim talis fœmina captiva est, en! veluti cogitur ad suscipiendam religionem Israeliticam, adeoque cor illius firmiter ad religionem dispositum non est. Atqui planta tunc similis radici enascitur,* (der Apfel fellet nicht weit von Stamme.) Sumta autem hæc sunt e Gemara Sanhedrin, quam vide in Christ. Gersonis *Chelek pag.* 247.

(52) Disputant Rabbini. Eorum disceptationes collegit & Latio donavit Buxtorfius, quem vide *in Dissertat. de Sponsalib. & Divortiis, thes. XX. pagin.* 18. *seqq.* adde Seldenum *lib. V. de Jure Nat. & Gent. capit. XIII. fol.* 619. & *capit. XVIII. fol.* 639. 640.

(53) Post duodecim menses. Similiter, si quis servum adultum a gentilibus coemisset, isque noluisset circumcidi, res per duodecim menses apud ipsum urgenda erat. Diutius eum retinere non poterat Dominus. Tradit Majemonides *in Hilk. Milah. c. I. §. VI.* quem locum cum præsenti ita confert *Ceseph Mischnæ.*

(54) Placet coronidis loco Judæo-germanicam legis hactenus expositæ interpretationem adscribere ex Zennorenna *fol. CXXI. col.* 1. Assem para & audi. Die *Torah* hat angeschrieben / *Veschabbitha schibhjo, veraita baschschibjah eschæth jephath-toar*, das ist teutsch / du wirst in der *milchamah* (im Kriege) ein schöne Frau sehen / und werst sie welln nemen. Da hot die *torah* geboten / du solst nit eilen / wenn du sie wist nemen / da solstu ein mahl bei ihr ligen in der *milchamah*, der wärten du solst dein *jezer haráh* (bese Kust) stillen. Aber weiter solstu nit bei ihr liegen in der *milchamah*, du must sie vor ein heim brengen in dein Haus. Die *torah* weis wohl / daß der / wer in der *milchamah* ist / der ist gar muthwillig / er nird es nit kennen lassen / *senuth* (Hurerey) zu treiben. Drum ist es beßer / die *torah* hat ihm der laubt / ein mahl ist gleich als kein mahl / (egregia vero observatio!) Wen̄ (den̄) der *jezer haráh* streckt an ihm / er will noch ein mahl bei ihr liegen / da mus er sie vor ihr Haar abscheren / und mus ihr Nägel lassen wachsen / und mus abthun ihr schöne Kleider / denn die *ummoth* (Heiden) wenn sie gehen in der *milchamah*, da thunen sie schöne Kleider an / man soll zu sie kommen *senuth* zu treiben. Und drum mus er warten dreissig Tag / derwärten / sie soll *abbeluth* (traver) treiben auf ihr Vater und Mutter / wenn sie anders gehört hat / daß sie seinen woren der schlagen. Und noch ein *peschat* (auslegung) er mur warten dreissig Tag / er darf nit liegen bei ihr / der wärten / in der Zeit werd ihm sein *jezer haráh* vergehen / und werd ihm *mius* (verdrurlich) werden / deoweil sie mar sich scheren / und ihr Nägel lassen wachsen / und nibsige (i. e. verächtliche) Kleider an thun / und werd sie sehen weinen / villeich werd er sie ein wek schicken. Und noch ein *peschat* ist / er mus warten dreissig Tag / der wärten / sie soll vergessen ihr Vater und Mutter / die da haben *abbodah sarah* (Abgötterey) gedient / und soll sich behefften an den Mann / der ein *Jehudi* (Jude) ist. Und werd sich *megajer* sein / (zum Judenthum bekehren /) und drum soll sie sein *biznibuth* (schamhafftig /) nit as die *ummoth* sein *hassuth*, (unverschämt /) und lauffen von einem Haus zu dem andern Ha us. Und darnach sagt er / man sol sie scheren ihr Haar / gleich wenn sich wil ein Frau *tobbel* sein (baden /) da muß sie ihre Haar wol besehen und aus kemnen / und aso auch hot müssen die Frau scheren ihr Haar / denn sie kan nit recht gewarnt sein mit den Haaren zu rein machen / was man bedarff. Und darnach verricht sie ihr Nägel / daß nischt sol drunter sein / daß ihr *tebhilah* (Tauf oder Bad) sol recht sein / und darnach hat sie abgethan ihre Kleider / gleich als ein Frau / die sich soll *tobbel* sein / die thut ab ihre Kleider / das sie gegangen ist / wenn sie in *niddah* (weiblicher Unreinigkeit) gewesen ist. Und die *torah* sagt / wenn du gleich werst haben gethan / und werst nemen ein *nochrijah* (Heydin) noch gleich wol werd es dis uben ausgehen. Das Kind / das von ihr werd ausgehen / werd sein ein *ben sorèr umoráh* (ungerathener und halsstarriger Sohn /) der werd alles böß thun.

THEO-

THEOREMA XVIII.

In utriusque servans disciplinæ militaris.

UT in pace magnâ vis est boni regiminis, sic in castris tantam multitudinem Rex cohercere non posset, nisi disciplinam militarem severissime tueretur. Ad quam & illud pertinet, ut exercitum in classes ordine distribuat, singulisque viros stenuos præficiat, qui hanc disciplinam una conservare juvent. Sunt autem officia coadjutorum varia. Primarium fuisse videtur Sacerdotis castrensis, (1) qui hoc nomine specialiter unctus erat, ut cohortatione sua universo exercitui animos inderet; cæteros autem qui abessendi privilegio gauderent, solenniter dimitteret. Mik. *pr. aff.* 120. & distinctius R. Mos. b. Maym. *H. Mel. init. cap.* 7. ממנין כהן לדבר אל העם בשעת המלחמה ומושחין אותו בשמן המשחה וזהו הנקרא משוח מלחמה שני פעמים מדבר אל העם אחת בספר בעת שיוצאין קודם שיערכו המלחמה אומר לעם מי האיש אשר נטע כרם וגו׳ ואחת בעורכי המלחמה אומר לעם אל תיראו ואל תחפזו וגו׳: *Ordinant sacerdotem, qui loquatur ad populum tempore belli, eumque ungunt oleo sacro* (eodem quo ipsum regem, supra Theor. IV. (2) *& is est quem vulgo appellant Maschuach h. e. unctum belli. Ejus officium est bis alloqui populum; semel e libro, cum exeunt, jubet ædificantes, plantantes &c. domum redire* (*Deut.* 20. *vers.* 5. 6. 7.) *iterum, quando acies instruitur, vetat eos quicquam timere* (*vers.* 3.) Adjungebatur. (3) tamen ipsi sacerdos vulgaris voce pollens, & alii præcones, cui hæc ipsa quæ diceret cominus audita, singuls suis cohortibus repeterent eminus & late diffusis. Ibid. בעת שעורכין המערכות והם קרבים להלחם משוח מלחמה עומד במקום גבוה וכל המערכות לפניו ואומר להן בלשון הקדש שמע ישראל אתם קרבים היום למלחמה על אויביכם אל ירך לבבכם וגו׳ וכהן אחר תחתיו משמיע אותו לכל העם בקול רם ואחר כך מדבר משוח מלחמה מי האיש אשר בנה או נטע או ארש וגו׳ והשוטר משמיע לכל העם בקול רם ואחכ׳ מדבר השוטר מעצמו ואו׳ מי האיש הירא ושוטר אחר משמיע לעם ואחר שחוזרין כל הפטורין מתקנין את המערכות ופוקדים שרי צבאות בראש העם: *Tempore quo aciem formant & ad prælium se parant, consistit unctus belli loco editiori, ut omnes in conspectu habeat, atque clamat hebraice* (*Deut.* 20. *vers.* 3.) *audio o Israel, appropinquatis nunc pugnæ contra hostes vestros, ne tenerescat cor vestrum &c. quia Dominus vobiscum &c. hoc ipsum sacerdos alius priori substitutus divulgat populo, voce quantum potest clarissima. Postea unctus iterum loquitur:* (*vers.* 5. 6. 7.) *quicunque domum ædificavit, vel vineam plantavit, vel uxorem duxit, revertatur: &c.* (quod præc. Theor. explicatum,) *id præfectus qaidam populo clare repetit. Mox idem præfectus pro se loquitur* (*vers.* 8.) *quicunque timet, revertatur &c. id alius præfectus ingeminat. Sic ergo dimissis omnibus quotquot immunitate gaudent, ordinantur reliqui in phalanges, & singularum frontispiciis sui præponuntur capitanei*. Aderant quoque lictores (4) cum securibus, qui fugere conantes in stationem suam retroagerent, vel trucidarent pugnare nolentes. Mikoz. *ibid.* (5) מעמידים זקפים לפניהם ולאחריהם וכשילין של ברזל בידיהם וכל מי שמבקש לנוס הרשות בידו לקפח ולחתוך את שוקו שתחילת נפילה ניסה ואותם זקפים הן בני אדם העומדים בקצה המערכה לזקוף הנופלים ולחזקם בדברים: *Constituunt Erectores ab ante & retro, qui ferreas clavas manibus tenentes, potestatem habent feriendi, aut crura comminuendi omnibus qui pugnam subterfugiunt: quoniam cladis initium est fuga. Illi homines in aciei extremitatibus dispositi, Erectores vocantur, quia simul origebant cadentes & verbis confortabant*. Porro notabile est, quod urbem obsessuri, non circumquaque illam cingere sint soliti, sed spacium relinquere qua cives elaberentur: ut aliquis (6) fugientibus aureum pontem struendum esse dixit, ne ex desperatione animos recuperent. Mel. *cap.* 6. §.9. ex Siphri. (7) כשצרין על עיר לתפשה אין מקיפין אותה מד׳ רוחותיה אלא משלש רוחותיה ומניחין מקום לבורח ולכל מי שירצה להמלט על נפשו שנ׳ ויצבאו על מדין כאשר צוה ה׳ את משה מפי השמועה למדו שבכך צוהו: *Cum obsident urbem, ut eam capiant, non cingunt ab omnibus quatuor lateribus, sed tribus tantum, relinquentes spacium fugienti, cuicunque animus est evadere, sicut dicitur* (Num. 31. 7.) *militarunt adversus Midian, quemadmodum præcepit Dominus Mosi, ex orali Kabala didicerunt, hoc modo præcepisse*. Ut sic etiam humano sanguini parcerent, cujus effusio nuspiam vilis haberi debet: unde illud obiter æstimari datur, multo minus adortos esse hostem per insidias,

nec

nec uſos ſtrategematibus (8) doloſis, ſed ubique rem fide bona geſſiſſe: parum generoſe vinci putantes, qui fraudibus circumveniantur, & nihilo honeſtius ac ſi quis eos veneno clanculum immiſſo tolleret. De arboribus frugiferis (9) quæ obſeſſam urbem circumſtant; extat ſpecialis lex *Deut.* 20. ne quis eas excindat: quod etiam extra caſum obſidionis prohibitum; ſicut & omne nocumentum illis quomodocunque illatum. Ibid. §. *ſeq.* אין קוצצין אילני מאכל שחוץ למדינה מונעין מהם אמת המים כדי שייבשו שנ׳ לא תשחית את עצה ולא במצור בלבד אלא בכל מקום כל הקוצץ אילן מאכל דרך השחתה לוקה: *Non truncant arbores cibiferas, quæ ſunt extra urbem, nec prohibent inde fidelitatem* (hoc eſt irrigationem) *aquarum ut exareſcant, quia dicitur* (verſ. 19.) *non diſperdas lignum ejus, impellendo ſecurim. Idque non tantum in obſidione, ſed & quovis loco, quicunque præſcindit arborem, hoc fine ut eam corrumpat, verberatur.* Excipiunt caſus aliquot: (10) ſi vel in bello latibula præbeant ſagitariis. Præc. Negat. 229. פירש רבינו שמואל כי זה כמו אלא כלומר אלא אותו עץ מאכל שהאדם יכול לבוא שם בין האילנות מפניך במצור ולירות בחיצים מבין האילנות אותו עץ אתה מותר לכרות רק עץ אשר תדע כי לא עץ מאכל אותו תשחית: *eplicat magiſter Samuel, vocem textus* כי *poſitam eſſe pro* אלא (verſ. eod.) *quaſi diceret lex: illas arbores inter quas homo quiſpiam latere poteſt, & tutus ab oppugnatione tela ejaculari exinde, illas excindere licet: potius illas de quibus certo conſtat non eſſe frugiferas.* Vel in pace, colono non ferant, quod operæ pretium ſit; aut impediant ſtirpes alias: itaque lignum utilius in fabricas adhiberi poſſit. Ibid. & Mel. c. 6. §. 11. כל אילן סרק מותר לקוץ אותו ואפילו אינו צריך לו וכן אילן מאכל שהזקין ואינו עושה אלא דבר מועט שאינו ראוי לטרוח בו מותר לקוץ אותו וכמה יהא הזית עושה ולא יקוצנו רובע הקב זתים ואמרינן בפרק החובל דקלא דטען קבא תמרין אסיר למקצייה ואם היה מעלה ברמים לבניין מלפירות יותר ואם היה מזיק אילנות אחרות כשהשרשים מכחישים את הגפנים ביניקותם צוה שמואל לקצץ: *Omnem ſterilem truncare licet, quamvis ea non indigeamus; etiam fertilem quæ fructus affert noxios, aut nimis paucos, fatigatione tanta non dignos. Quantum igitur olei oliva ferre debet, ut ſecura ſit ſecuris? quadrantem Kabi* (h. e. ſex ovorum pondus,) *capite Hachobel* (octavo Babæ prioris in Thalmud.) *Palmam, quæ oneratur Kabo dactylorum* (quem 24. ovis æſtimant,) *nefas eſt excindere. At ſi pretium ligni ad ædificia utilis, exſuperet fructus; aut arbor arboribus vicinis obſit, vel radices ejus* (in vineto) *vitium incrementa & propagines impediant, jubet eam R. Samuel truncare.* Alias in genere nihil perdere licet, quod ſit alicujus utilitatis, nullam ſuppellectilem, vaſculum nullum, imo ne aquas quidem prodigere: ſecus quam ſolent hodie furioſi milites, qui in urbium direptionibus vina etiam generoſiſſima, pertuſis doliis in cellas effundunt, quaſi magna ſtrenuitas ſit hæc petulantia. Ibid. ולא האילנות בלבד אלא כל המשבר כלים וקורע בגדים וקורם בניין וסותם מעיין ומאבד מאכלות דרך השחתה עובר בלא תשחית ואינו לוקה אלא מכת מרדות מדבריהם גרסינן בקדושין פ״ק רבה בר רב הונא קרע מאניה באפיה דבריה למחזי אי קפד אי לא קפיד והא קעבר משום בל תשחית וגרסינן בשבת בפ׳ מפנין רבא בקעוה ליה ספסל אחת לעשות לו אש להתחמם א״ל אביי והא קעבר מר א״ל בל תשחית דגופאי עדיף בפ׳ החולץ א׳ ר׳ יוסף לא ישפוך אדם מי בורו ואחרים צריכין להם ואם אדם משחית שום דבר להטיל אימה על בני ביתו כדי שיראו ממנו ויהיה שלום בביתו מותר ששבר הטלת יראתו מרובה על השחתתו בשב׳ פ׳ האורג רב ששת מרי מוניני ארישא לאמתיה רב הונא תבר נכתמא ר׳ יהודה שליף מצוביתא: *Non arbores tantum: ſed quicunque frangit vaſa, rumpit veſtes, demolitur ædificium, obthurat fontem, perdit cibaria, & facit hæc, ut inutilia reddat, is peccat contra legem* (*Deut.* 20. 19.) *Ne diſperdas. Vapulat etiam, non quidem ex lege, ſed additionibus legiſperitorum, in pœnam contumaciæ. Legimus cap. 1. Kidduſchin, quod Rabba bar-Hona diffregerit vaſculum in facie filii ſui, ut experiretur, an irritabilis eſſet, nec ne? ſod ecce peccavit! legimus etiam in Maſſ. Schabb. cap. 18. cum finderetur ſella quæpiam pro igne fovendo, quo ſe Raba calrfaceret, culpaſſe hoc Abajum, ſed reſponſum audiſſe: prohibitionem* ne diſperdas *attinere tantum res pretioſas. At in cap. 4. Jeſam. inquit R. Joſephus: ne aquas quidem ciſternæ ſuæ quiſquam effundat, cum illis indiguerint alii. Excipe, licet aliquid confringere, quando domeſticis terror incutiendus eſt propter obedientiam; ubi merces reverentiæ ſuperat rei perditæ jacturam. Sic in M. Schabb. c. haoreg. R. Scheſcha projecit vaſa convivii poſt ancillam. R. Hona fregit operculum urcei. R. Jehuda ſtrinxit infundibulum.* Antequam hinc digrediar, admoneo eſſe in hac lege difficultatem hebrææ phraſeos: (11) nam ſi ad verbum interpreteris כי האדם עץ השדה: *quia homo eſt lignum agri*, proh *Deum*, quænam ſequeretur abſurditas! num

num putabimus arbores humanis animabus præditas, ea propter sauciari prohibitas esse? quidam gignendi casu exponunt: *hominis est lignum vel arbor*; at prorsus contra linguæ genium. Alii interrogative accipiunt: *an homo est arbor?* sed hanc significationem voculæ כי probare nequeunt. Nonnulli allegoriam (12) venantur: *homo est quasi arbor*, qui fructum pietatis ferre debet; at hoc ab instituto alienum. Chaldæus Onkelos negative reddidit לא-כאינשא אילן חקלא *non instar hominis est arbor campi*, quod videtur audacius factum. R. Salom. Jarchi cum supra dicto Samuele colludit, *quia* per *fortasse* exponens. R. Abrah. Aben Ezra sententias eliorum ventilat, postea suam dicit: כבר ביארתי בספר היסוד כי יתכן בכל לשון לקצר לאחוז דרך קצרה כמו חמור להם רק סלת לא יתכן להיותה נחסרת כי הטעם יהיה להפך ומדקדק גדול ספרדי אמר כי חסר הא׳ וכן הוא הכי האדם עץ השדה וזה הטעם איננו נבון בעיני כי מה טעם לאמור לא תשחית עץ פרי כי איננו כבני אדם שיוכל לברוח מפניך ולפי דעתי שאין לנו צורך לכל זה וזה פירושו כי ממנו תאכל ואתו אל תכרות כי האדם עץ השדה והטעם כי חיי בן אדם הוא עץ השדה וכמו הוא כי נפש הוא חובל כי חיי נפש הוא חובל: *Pridem demonstravi in tractatu fundamentali* Jesod, *congruere linguis omnibus, ut usurpent locutiones ellipticas* (compendia sermonis) *verbi gratia* (1. Sam. 16. 20.) *Asinus panis*, (pro, pane onustus;) *verum ut negandi particula deficiat, id minime congruit, quia sensus efficeretur omnino contrarius. Grammaticus quidam magni nominis Hispanus ait, in vocula* כי *deesse literam* ה *ut sit pro* הכי *scripta*, (quod ITA significat;) *at neque hoc quadrat, me judice: quis enim sensus esset, vel quæ causa dicendi: ne disperdas arborem frugiferam, quia non est instar filii hominis, qui fugere possit a facie tua. Mihi videtur omni hoc apparatu nil opus, sed hanc esse simplicissimam interpretationem: quia inde vesci potes, non disperdas: Nam hominis vita est arbor agri*, (alimentum inde proveniens, transmutatur in corpus & substantiam hominis,) *perinde ut* (infra cap. 24. vers. 6.) *pignus anima hominis dicitur, h.e. animæ vita* (quo sustentatur.)

Hactenus de hostili actu: nunc de naturali necessitate (13) in castris; cujus præcepta scribere quia Legislatorem non puduit, (14) neque tu, verecunde Lector, offenderis, si ea instituti occasione breviter explicavero. *Deut.* 23. *vers.* 12. 13. 14. prohibentur Judæi milites castra sua ullis sordibus commaculare, quæ *Deus* ipse præsentia gratiosa (15) cohonestet: jubentur vero, cum venter urget exire, quicquid hujus est, clam in scrobiculum exonerare, superingestaque humo tegere. Hal. Mel. *cap.* 6. §. *ult.* & R. Mos. *pr. aff.* 191. אסור להפנו׳ בתוך המחנה או על פני השדה בכל מקום אלא מצות עשה להתקן שם דרך מיוחדת ומקום אחד מחוץ למחנה להפנות בו אנשי המחנה כדי שיהא המחנה נקי ואף לקטנים שנ׳ ויד תהיה וגו׳ וכן מצות עשה להיות יתד לכל אחד ואחד תלויה עם כלי מלחמתו שילך במקום ההוא ויחפור באותו יתד גומא אחר לצאת בה ויחזור ויכסה שנ׳ ויתד תהיה לך על אזנך וגו׳ בין שיש עמהן ארון ובין שאין עמהן ארון כך הם עושים תמיד שנ׳ והיה מחניך קדוש: *Nefas est, evacuare corpus intra fines castrorum, aut in conspectu campi patentis: sed jubet lex ordinare viam peculiarem, ad locum extraneum, ubi milites se purgent; ut ipsa castra sint munda, etiam ab excrementis parvulorum: sicut dicitur* (vers. 12.) *spacium habeas extra* &c. *Similiter præceptum est, ut quilibet clavum habeat, suspensum una cum armis suis, quo effodere possit scrobem pro egestionibus, & rursus terrenum operimentum accumulare: sicut dicitur* (vers. 13.) *paxillum habeas super Zonam tuam* &c. *sive tunc arca fœderis adsit castris, sive absit inde, sicut dicitur* (vers. 14.) *quia Dominus est tecum, castra sunto sancta, nec appareat ulla turpitudo* &c. Putantque nefas esse, recentem cibum (16) ingerere prius, quam alterius reliquiæ sint egestæ: quo illud *Lev.* 26. *vers.* 10. detorquent ישן מפני חדש תוציאו *vetus præ novo educetis*. Secretiorem hanc ethicam prolixius tractavit R. Jacob ben Aser *in Orach chaym, sect.* 3. (17) docens suos quid ante precari (18) debeant, quam alte nudari, (19) quantum a conspectu hominum elongari, (20) quas in plagas se vertere, utra manu abstergere & quali abstersorio uti. Ignoscite boni Lectores, si & inde moralia quædam exscripsero, quantum honestas patitur; ut vel hinc etiam gentis, pudorne dicendus an superstitio? appareat. כשיושב יכוין שיהו פניו לדרום ואחוריו לצפון או איפכא אבל לא ישב בין מזרח למערב ומיהו דווקא כשנפנה מגולה אבל במקום שיש מחיצ׳ כגון בית הכסא שכבית אין צריך לדקדק וכשנפנה בשדה אם הוא אחורי הגדר יפנה מיד ובבקעה יתרחק עד מקום שלא יוכל חבירו לראות את פירועו ולא יאניס לדחו׳ עצמו יותר מדאי ויקנח ביד שמאל ולא בימין ולא יקנח בחרש משום כשפים ולא בעשבים יבשים ולא בצרור שקנח בו חבירו ויפנה בצניעות בלילה כדרך שעושה ביום ולא ישתין בעומד שלא יתזו נצוצות על רגלין אם לא שיעמוד במקום

גבוה

נבוה וישתין במקום נמוך וכו׳: *Sedens attendat, ut facies dirigatur in austrum & posteriora in septentrionem, aut contra: minime vero ad ortum* (quo respiciunt orantes) *vel ad occasum. Idque cumprimis observandum in patente loco. At in latrinis ædium*, (ubi exedræ tales a plateis aversæ, pro ædificandi commoditate locantur, *nihil opus est sollicita corporis dispositione. Sic & in campo juxta sepem, subtilis electio locum non habet. In valle tantum elongetur ab hominibus, ne quis ejus nuditatem conspiciat*, (id si rex Saulus (21) in spelunca pedes tecturus observasset, non amisisset oram vestimenti, 1. *Sam.* 24. *vers.* 4. 5.) *non cogat seipsum ultra posse: nec abstergat manu dextra* (qua liber legis tenetur & sacra scribuntur: supra, Theor. V. VI.) *sed sinistra: nec adhibeat testam, propter veneficia, nec aridum gramen* (h. e. fœnum,) *nec fasciculum, quo alius ante usus. Summa: reverenter se gerat* (etiam in tenebris absque teste,) *noctu perinde ac interdiu. Urinam non reddat stando, ne guttulæ ad pedes resultent, nisi forte locus sit editior, unde in vallem meiat, &c.* Plura hujus generis afferre pudor vetat, & vereor ut hæc sint nimia castis pectoribus. Qui volet, conferat cap. 40. libri hebræo-germanici Brandespiegel. (22)

Superest, ut post castrensem disciplinam, etiam de Privilegiis castrensibus aliquid dicam. Ut enim omnis necessitas lege caret, sic inter arma quoque Judæorum silebant aliquæ; scilicet, quæ de Sabbatho non violando, de suilla carne, aut nondum decimatis non edendis, divinitus erant latæ: multo potius quas de lavandis manibus, vel talibus minutiis addiderunt ipsi. Notum est, quam superstitiose Sabbathum (23) alias servare studeant, omittunt omnes operas, nulla cura, onere nullo gravantur, ne quidem in sacculis vestium aliquid portant, genio tantum & compotationibus indulgent, non peregrinantur tunc, sed si pridiano quis itinere suas ædes aut hospitium non attigerit, mavult foris vel in sylva pernoctare: serius cubitu surgunt in honorem Sabbathi: ut ipsi nihil gestant, ita nec jumeuta sua plus portare permittunt, quam quo alligari, retineri aut duci possint, v. g. equum freno quidem sed non ephippio licet onerare: si qua gallina panniculo annexo notatur, eo sublevari solet pridie, pecus quod in fossam delapsum est, non facile solent extrahere Sabbatho, ut olim tempore *Christi Matth.* 12. *vers.* 11. sed immisso pabulo relinquunt, donec laborando succurrere liceat; nisi forte locus sit palustris, aut aliud vitæ periculum in mora, pauperes Christianos vili ære conductos adhibent, qui tunc, si est hyems, ignem foveant, candelas accendant, vel si æstas, emulgeant vaccas lacte turgentes, ubi non ipse fecisse creditur quod sic per alium facit: licet aliousque deambulare sed non procul, & meminit etiam scriptura *viæ Sabbathi* (24) *Actor.* 1. *vers.* 12. quæ bis mille cubitos longa fuisse traditur, quantum mons oliveti destitit a Jerosolymis, vel in nostra vicinia pagi Derendingen & Weilheim ab invicem; sed oportet hoc intervallum tardiusculo incessu emetiri: velocius enim ultra binos passus procurrere, vel trans fossam salire, nemini permissum est, nisi puerulis festive colludentibus: cœcis non licet baculo tunc niti, at solis claudis id concessum, quia illi carere possunt, hi non: vulneratus emplastrum pridie impositum retinere potest, sed avulsum non reponere, nec recens vulnus. Disputant etiam, an vel quatenus pulverem de calceis tunc excutere liceat? pecuniam die festivo non attingere certum est, vidique hoc prætextu eleemosynam poscenti pauperi denegantes; quibus hypocritis ut vicissim illuderem, simulavi quid donaturum, quod recusaturos præscivi, nec obtulissem profesto. Æstate muscas abigere, sed flabellum velut onus gestare non licet: pulicem si pungat capere fas est, sed haud necare, nec in pavimento saltantem opprimere: pediculos quidam tunc perimere concedunt: alii prohibent & cameli mactationi æquiparant. Arborem fructus decerpendi causa non licet ascendere: non cythara canere, vel quodvis organum pulsare, nec ore sibilum efflare, nedum ad ejus sonum saltare, imo ne quidem infantes lachrymabundos demulcere crepitaculis. Excipiuntur tamen nuptiæ, ad quas Christianos cytharædos conducunt. Ostia tunc manu pultant, non malleolis appensis: altilia, ut anseres & gallinas cibant, verum ne plus frumenti objiciatur quam diurno victui sufficiat. Hortos non rigant, nec transponunt plantas, nec inserunt arbores, nec fodiunt, an flores decerpant dubito? spicas equidem non vellunt, idque facientes olim reprehendebant Apostolos, *Matth.* 12. 2. lintea non lavant, ne puellorum quidem indusiola, non texunt nec nent: sartori ne acum quidem portare licet, nedum viro gladium vel scutum hastamve militi; nam si quicquam horum facerent, lapidationem meruisse putarentur. Quod hic summarie tantum re-

recensui, quia nimis longum foret Rabinorum testimoniis, quæ mihi plurima suppetunt, singula munire, lippis jam tonsoribusque nota; quin applico potius ad meum institutum, quod nunc est militiæ privilegia docere. Quamvis igitur in pace Sabbathi sui sint religiosissimi & partim ridiculi custodes, in bello tamen, ubi victoria legibus cunctis potior est, nil dubitant id violare, si necessitas ita postulet. Maym. H. Melach. *c. 6. §. 12.* (25) צריך על עיירות גוים בשבת ועושין עמהן מלחמה בשבת שנ' עד רדתה ואפילו בשבת בין מלחמת מצוה בין מלחמת רשות: *Obsident urbes gentium etiam sabbatho, & præliantur cum illis Sabbatho, quia dicitur* (Deut. 20. ult.) *donec illa descendat; ubi perinde est sive bellum sit legale, sive ultroneum.* Locus quem citat (26) subobscurus est, & hoc sibi vult, continuandam esse oppugnationem, donec urbis mœnia corruant & altissima quæque propugnacula humilientur; ut ex collatione cum *vers.* 52. *capitis* 28. apparet: estque infinitivus radicis ירד (27) nec a רדה derivatur, ut interlinearis versionis Author existimat: deceptus forte a R. Salom. Jarchi, grammaticæ parum perito, qui לשון רדוי *significatione dominandi* perperam exposuit. Video nec veteres hunc textum sic accepisse, alioquin se non obtulissent hostibus absque omni resistentia jugulandos 1. *Macc.* 2. *vers.* 36. *speluncæ inclusi ne lapidem quidem emiserunt, neque cavernas obstruxerunt, dicentes:* ἀποθάνωμεν πάντες ἐν τῇ ἁπλότητι ἡμῶν, Moriamur omnes in simplicitate nostra! *testes sunto nobis cœlum & terra, quod injuste nos perimatis! ita perierunt Sabbatho millenæ circiter animæ.* Quod & Josephus repetit, *Antiq. l. 12. cap.* 8. Sed recte redarguit (28) eos cordatus ille Mattathias, docens quam stultum sit & a legislatoris mente alienum, intempestiva & præpostera pietatis opinione legem suis cultoribus fraudare, hostive hanc pro lubitu sæviendi occasionem ultro quasi offerre: subjungens si in hac superstitione contumaciter perseverare perrexerint, brevi fore ut Ecclesia tota extirpetur, nemoque pius supersit amplius. Primus ergo sancivit hoc decretum, *vers.* 41. *quod, si occasio ita ferat, etiam Sabbatho pugnandum sit;* idque synagogæ Ἀσιδαίων (k. e. חסידים (29) sive *piorum*) vel tandem persuasit. Verum ne citra necessitatem contingeret facile, aut crebriori usu in abusum degeneraret, sanciverunt insuper Talmudici, ut omnis obsidio minimum triduo ante Sabbathum inchoetur, si qui forte cito sint se dedituri. Præc. Affir. 117. גרסינן בפ' קמא דשבת אין צרין על העיירות של גוים בפחות משלשה ימים קודם השבת ואם התחילו עושים עמהם מלחמה אפילו בשבת: *Legimus capite primo Schabbas: non suscipitur obsidio urbis ethnicæ paucioribus quam tribus diebus ante Sabbathum; at cum semel cœpta est, exercentur actus hostiles continue, ipso etiam Sabbatho.* Allegatus locus extat *pag.* 19. *fac. a.* & tribuitur authori Schammai, ubi hoc idem de navali prælio affirmatur. ת"ר אין מפליגין בספינה פחות משלשה ימים קודם לשבת בד"א לדבר הרשות אבל אין לדבר מצוה: פי' מפליגין מפרישין מן היבשה לים וזהו לשון ספינה על שם שמפליג עצמו מן היישוב ומרבנו יעקב שמעתי בערובין שאמצעיתו של ים נקרא פילגוס ואף בלעז פילג"א: *Ex traditione magistrorum non ingrediuntur navim serius quam triduo ante Sabbathum: intellige de ultroneis, non legalibus.* Glossa R. Sal. Jarchi: *vox* מפליגין (30) (quam lexica nostra, ut & infinitas tales ignorant) *cum usurpatur in re nautica, significat pelago se committentes & ab arida separatos: quia docente R. Jacobo, mare græcis* πέλαγος *appellatur,* (atque *rivus* etiam Hebræis פלג.) Hæc de Sabbato. Quod prohibitas carnes attinet, notum est quantopere Judæi abhorreant a suilla; (31) & legitur 2. *Macc.* 6. memorabile exemplum senis cujusdam Eleazari legisperiti, qui neque blanditiis neque minis eo potuit impelli, ut contra prohibitionem legis vel ederet revera, vel edere tantum simularet in gratiam regis; mille carnificinas experiri malens, quam canitie sua quid indignum committere, *vers.* 24. in hæc verba protestatus: οὐ γὰρ τῆς ἡμετέρας ἡλικίας ἄξιόν ἐστιν ὑποκριθῆναι, ἵνα πολλοὶ τῶν νέων ὑπολαβόντες Ἐλεάζαρον τὸν ἐνενηκονταετῆ μεταβεβηκέναι εἰς ἀλλοφυλισμόν, διὰ τὸ μικρὸν καὶ ἀκαριαῖον ζῆν πλανηθῶσι. Addens, exiguum illud vitæ quod sibi naturaliter superesse possit, honorifice clausurum, & junioribus constantia sua relicturum magnanimæ mortis exemplum. Refertur etiam *seq. cap.* 7. alterum admirandæ fortitudinis specimen, quod ediderunt septem fratres, una cum pientissima matre, ab Antiocho crudeliter excarnificati, quod porcinam edere noluerunt: quod martyrium Josephus peculiari libello περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ inscripto, graphice depinxit, & quibusdam editionibus græcorum bibliorum appenditur. Sanciverunt paulo post, Hirkani temporibus decretum, (32) שאין בל איש אפילו יגדל חזיר: *ne quis vel alat porcum,* & transgressorem anathematis fulmine percusserunt. Ejusmodi prohibitio-

tiones vocant סייג לתורה *ſepem legis* : (33) quæ ut ab interdicto longius arceant, etiam occaſiones vetant primoſque aditus. Miramur ergo, unde Gadarenis *Matth.* 8. *verſ.* 30. magnus ille porcorum grex (34) provenerit, ad mare paſcentium, in quem ejecti dæmones intrarunt? ſunt qui putant non victus ſed quæſtus cauſa eos aluiſſe, ut Romanis care venderent, aut ſola cute ad opificia uſos: at veriſimilius eſt, quod Caſaub. *Exod.* XIII. *Num.* LXIX. dicit, Græcos ibi habitaſſe, quibus religio non fuit ſues devorare. Judæis vero illarum uſu interdictum erat ſeveriſſime, *Levit.* 11. *verſ.* 7. & *Deut.* 14. *verſ.* 7. quia ungulas quidem fiſſas habent, ſed non ruminant; & ex medicorum placitis, creber uſus carnis porcinæ, præſertim in calidioribus provinciis, ad lepram diſponit, (35) atque malignos humores generat, quibus ipſa quoque mens prægravatur, ne pietati tam devote poſſit vacare: ſicut ſplendidiſſimum quoque lumen per tenebricoſum lucernæ cornu habetatur. Taceo, quod cunctorum animalium ſus fœdiſſima (36) fit, quæ in omni cœno ſe volutat, vel hoc ſolo nomine abominabilis: unde & Rabini nos, impatientia ſervitutis ſuæ, per inſignem contumeliam porcis comparant. Bechai *P. Schemini*: הזכיר ארבע חיות בארבע פסוקים לרמוז על ארבע מלכיות ודרשו רז״ל את הגמל וז מלכות בבל שנ׳ אשרי שישלם לך את גמולך: את השפן זו יון וכו׳: ואת הארנבת זו מדי וכו׳ וכן שם אשת תלמי ארנבת שמה: ואת החזיר זו מלכות אדום שנ׳ יכרסמנה חזיר מיער וגו׳: וכתוב החזיר מפריס פרסה לרמוז כי שלש גליות אע״פ שהיו זמניהם חלוקים היו כאלו הם מחוברים לפי שזמנם מועט וקצר אבל הגלות הרביעי הוא ארוך ושקול כנגד כלם: *Meminit lex quatuor animalium immundorum in totidem verſibus* (Levit. 11. verſ. 4. 5. 6. 7.) *reſpectu quatuor regnorum* (ſub quibus exulamus,) *& comparant noſtri doctores Camelum regno Babel* (ob alliterationem in hebræo Pſal. 137. verſ. 8.) *beatus qui retribuit tibi &c. Cuniculum regno Græciæ &c. Leporem Medis: quamvis tale nomen fuerit uxori regis Ptolemæi* (alludit ad etymnon Λαγῶς.) Porcus *autem notat regnum Edom*, (h. e. Romanum, (37)) *ſicut dicitur* (Pſal. 40. verſ. 14.) *ſuffodit eam aper de ſylva. Dividit aper ungulas: exilia priora quamvis diviſa erant, tamen ob brevitatem ſingulorum tria pro uno haberi poſſunt*; (ſicut Deut. 14. verſ. 7. tres beſtiæ conjunguntur,) *at quartum diuturnitate ſuperat omnia &c.* Eſt quidem ebrietas atrox vitium, ſed tamen illud admittere maluerunt undecim Rabini, (38) quos gentilis rex Pirgandicus triplici optione data coegerat vel ſuillam comedere, vel ethnicum vinum bibere, vel cum ſcortis concumbere; quam reliqua: quamvis & illa deinde admiſerint, cum bene potis menſa clanculum gyrata eſt, immundæ carnes oblatæ neſcientibus, & vino ſepultis fœminæ provocatrices adjunctæ. Non ſeculorum tractu, nec longa converſatione noſtra, hæc abominatio Suillæ apud Judæos elanguit, ſed etiamnum hodie ſic abhorrent, ut ne nominare quidem ſuſtineant; ideo puerulis rogantibus, ecquid hoc animalis ſit? reſpondent eſſe דבר אחר *rem aliam* (39) ſive nefandam. His tamen omnibus, quæ prolixe recenſui, non obſtantibus, ajunt cordatiores ipſorum, licere porcina carne, (40) lardo & ſumine veſci, cum caſtra fames urget, militeſque peregrinis in oris non aliud reperiunt, quo vitam ſuſtentent. Maym. H. Mel. *init. cap.* 8. חלוצי צבא כשיכנסו גבול הגוים ויכבשום מהן מותר להן לאכול נבילות וטריפות ובשר חזיר וכיוצא בו אם ירעב ולא מצא מה יאכל אלא מאכלות אלו האיסורין וכן שותה יין נסך מפי השמועה למדו ובתים מלאים כל טוב ערפי חזירים וכיוצא בהן: *Expediti ad militiam, cum intraverint fines gentium & ſubegerint eos, captivoſque duxerint, facultatem habent comedere morticinia & diſcerpta* (quæ alias *Levit.* 17. *verſ.* 15. prohibet) *item carnem ſuillam & talia, ſi quis eſuriat nec aliud quam vetitos cibos reperiat. Sic etiam vinum libaminis* (h. e. idolis conſecratum; nolunt tamen noſtrates id guſtare, cui S. Johannis benadictio infuſa, Brandſpiegel *cap.* 67.) *Oralis Kabala docet* (41) *verſum* (11. c. 6. Deut.) *juravit dare domos omni bono plenas &c. etiam cervices porcorum & talia complecti*. Porro immunes etiam erant milites a lotione manuum; quam Judæi alias ſuperſtitioſiſſime obſervant, (42) inde ab antiquis temporibus, ut ex Evangelio noſtro apparet, ubi Apoſtoli a Phariſæis reprehenduntur, quod illotis manibus comedere ſint ſoliti, *Marc.* 7. *verſ.* 2. unde & in Talmudicas traditiones relatum eſt: quæ quamvis diu poſt in unum opus compactæ ſint, fuerunt tamulto ante, ſecundi templi temporibus conceptæ (43) & a ſucceſſoribus demum variis cautionibus auctæ. Maſſ. Sota *c.* 1. *p.* 4. *l.* אמר לה משמ׳ דר׳ אסי כל האוכל לחם בלא נטילת ידים כאילו בא אל אשה זונה שנ׳ כי בעד אשה זונה עד ככר לחם: אמר רבי אלעזר כל המזלזל בנטילת ידים נעקר מן העולם (פי׳ העובר על דברי חכמים חייב מיתה דכתיב ופורץ

גדר

גדר ישכנו נחש) אמר רב חייא בר אשי מים ראשונים (פי׳ שלפני המזון) צריך שיגביה ידיו למעלה מים אחרונים צריך שישפיל ידיו למטה : אמר רבי אבהו כל האוכל פת בלא נינוב ידים כאלו אוכל לחם טמא שנ׳ ככה יאכלו ואת לחםם טמא וגו׳ : *Dixit nomine R. Ase: quicunque panem edit illotis manibus, est instar concumbentis cum scorto, tunc verificatur illud* (Prov. 6. verf. 26.) *propter mulierem meretricem* (attenuantur opes) *usque ad placentam panis. R. Eleazar inquit; quicunque vilipendit lotionem manuum, eradicabitur ex hoc seculo.* (Glofs. Marg. *nam qui transgreditur verba sapientum, reus fit mortis: sicut dicitur* Eccl. 10. 8. *qui rumpit sepem, illum mordebit serpens.*) *Ait R. Chaja bar-Asche: ad priores aquas, ante cibum, necesse est ut manus elevet sursum, ad posteriores inclinet deorsum. R. Ashu dicit, quisquis bucellam edit antequam manus sint exsiccatæ, perinde habetur, ac si panem stercoreum devoraret*, (quod fecit Ezechiel. *cap.* 4. *verf.* 12.) cujus verba *verf.* 13. לחמם טמא juxta Kabalistas, per Gematriam æquipollent verbis בלא נינוב ידים quia in numeris utraque 168. valent. Narrant quoque casum de quodam peregrinante, (44) qui propter abulationis neglectum, in gravius peccatum inciderit. Cum enim caupo, qui hospites hoc signo discernebat, illotis manibus accumbentem non pro Judæo haberet sed gentili, suillam apposuit, quam esuriens viator avide quidem, sed ignoranter deglutivit, nec errorem suum ante, quam ille carioris ferculi pretium computaret, agnovit. Akiba (45) certe captivus sitim tolerare maluit, quam hoc præceptum Magistrorum transgredi. Talm. M. Eruf. *fol.* 21. *b.* מעשה ברבי עקיבא שהיה חבוש בבית האיסורין והיה רבי יהושע הגרסי (פי׳ שם מקום לא שהיה טוחן גריסים) משרתו בכל יום ויום היו מכניסין לו מים במידה יום אחד מצאו שומר בית האסורין אמר לו היום מימך מרובין שמא להתור בית האסורין אתה צריך שפך חציין ונתן לו חציין כשבא אצל ר׳ עקיבא אמר לו יהושע אין אתה יודע שזקן אני וחיי תלויין בחייך (שאין לי אלא מה שאתה נותן ומזמן לי) סח לנו כל אותו המאורע אל׳ תן לי מים שאטול ידי אל׳ לשתות אין מגיעין ליטול ידיך מגיעין אל׳ מה אעשה שחייבין עליהן מיתה מוטב אמות מיתת עצמי ולא אעבור על דעת חבירי אמרו לא טעם כלום עד שהביא לו מים ונטל ידיו (תוספ׳ פטורין במחנה רחיצת ידים כל שכן במקום סכנה מחמיר על עצמו היה:) *Historia de R. Akifa, cum fuit compactus in carcerem*, (eo quod Bar-Cochabum in Messiam unxisset.) *Ministrabat ipsi R. Jehosua Garsites, quem aliqui fabas moluisse dictitant. Is quotidie captivo aquas afferebat sufficientes, quodam die deprehendens illum custos carceris, sic affatus est: aquæ tuæ nimis multæ sunt, an forte carcerem effundere parat?* (h. e. colliquatis parietibus & humore putrefactis elabi?) *effunde dimidium ejus, & reliquam medietatem ipsi trade. Cum venisset ad Akibam, dixit ille: an ignoras, o Josua, me grandævum!* (scribitur enim natus esse A. M. 3760. h. e. uno ante Salvatorem nostrum, & Mosis ætatem sive 120. annos attigisse. *Zæm. David* p. 35. b.) *vita mea dependet a tua, nil habeo nisi quod tu mihi subministras! lavet nos quantum suppetit. Porrige illam, ut manus abluam. Respondit iste, non sufficit quod bibas, nedum quo laveris. Regessit Akiba; quid aliud facerem? quia* (omissio) *mortis reos facit, præstat meipsum enecare* (siti,) *quam collegarum decreta transgredi. Ajunt, nihil unqam* (cibi) *gustasse, donec aqua manus abluisset.* Novella *in margine* (hoc factum non probat.) *Si milites in castris immunes sunt a lotione manuum, quanto potius iste debuit in periculo vitæ! sed sponte gravavit semetipsum* (opinione meriti, ut hypocritæ solent.) Multiplices cautelas quæ circa hunc ritum observandæ sint, tradit post alios R. Jacob baal-turim *parte prima*, quæ Semita vitæ nuncupatur, *capite* 181. unde aliqua tantum obiter exscribam, ut *περιεργία* gentis appareat. והתקדשתם אלו מים ראשונים והייתם קדושים אלו מים אחרונים כי קדוש אני זה שמן הטוב שמושחין הידים כדי להסיר הזוהמא: אמרו חכמים אחר אכילתך אכול מלח ויש לחוש שמא מלח סדומית מעורב בו והצריכו ליטול : אין נוטלין על גבי קרקע מפני שרוח רעה שורה עליו אלא על גבי עצים דקים או כיוצא בהן : אין נוטלין אלא בצונן אבל לא בחמין מפני שמפעפין את הידים ואין מעבירין את הזוהמא ודוקא חמין שהיד נכוית בהם אבל פושרין שפיר : אין צריך ליטול אלא עד פרק שני של אצבעות וצריך שישפיל ראשי אצבעותיו למטה כדי שתרד הזוהמא: אין מכברין זה את זה ליטול גדול שבהן תחילה ואם הם יותר מחמשה מתחילין מן הקטון: ויש לברך על רחיצת ידים משום מלח סדומית אם אכל תבשיל ואם אכל פת חריבה וכו׳ : *Verba textus* (Levit. 11. verf. 44.) Santissimi *notant ablutionem primam* (quæ fit ante cibum:) Estote Sancti, *lotionem alteram* (post cibum:) Quia Sanctus ego, *alludunt ad unguenta pretiosa, quibus graveolentia expellitur. Jubent sapientes post comestionem parum salis gustare; curare tamen ne quid forte salis Sodomitici admixtum sit: ideo diligentius abluendum.*

Non quidem ſuper ſolum, propter halitus nocivos ibi hærentes, (ſtulti homines exponuut, malos ſpiritus ibi recubantes,) *ſed ſuper pavimentum ligneum vel conſimile. Aquis utendum egelidis, nec vero calefactis, quæ puſtulas cauſantur* (& manus corrugant,) *ſordes tamen nihilo melius depurgant, maxime ſi ferventiores ſint: verum tepidæ placent. Neceſſe non eſt, ultra ſecundos digitorum articulos abluere; manus autem antrorſum inclinandæ ſunt, ut ſordes defluant. Nemo hic honoratur prærogativa lotionis*, (ut in noſtratibus conviviis apud importunos cæremoniarum magiſtros, civilitate ambigua, certiori autem juſculorum periculo,) *ſed ſi quinario plures adſint, primus lavat manus. Oportet & preculam admurmurare, propter ſalem Sodomiticum* (46) (puto ad uxorem Lothi reſpicere, quæ in talem ſtatuam, prope hanc urbem induruit, *Gen. 19. verſ. 26.*) *quamvis embamma nullum, ſed ſiccam comederit bucellam*. Dehinc ut effatum *Chriſti* abundantius impleant, & propter ſuas traditiones mandatum *Dei* annihilent, *Matth. 15. verſ. 16.* diſputant etiam anxie ac prorſus magiſtraliter, qualiſnam aqua (47) ſit adhibenda? num ea liceat uti, e qua gallinæ potarunt? Subtilis R. Iſrael, vulgo dictus Iſerl *in lib. Trumas quæſt.* 260. מים ששתו מהן תרנגולין כשרין הן לנטילת ידים או לאו פירש רבינו חננאל: המים שלקלק מהן הכלב פסולין: טבל בהן את הספוג ואם נשתנו מראיהן פסולין אבל לא נשתנו כשרין דספוג חשיב כאלו שתה מהן יונה: הנראה לעד֞ כתבתי: *Suntne aquæ, de quibus gallinacei bbierunt, ab lotionem idoneæ, nec ne? Magiſter noſter Chananeel eas, unde canis lambit, pronunciat impuras: ſic & in quas ſpongia fuit intincta: niſi colorem aquæ nihil alterarit; tunc enim reputatur, ac ſi columba inde bibiſſet* (quæ nihil polluit,) *illud & mihi juxta tenuitatem meam videtur*. Ab omnibus hiſce ſexcentis ſollicitudinibus liberantur, qui militiæ nomen dedere: (48) ut & de noſtro jure multis in caſibus ſunt privilegio donati. Præc. aff. 118. *ſub. fin.* שנינו בפ׳ קמא דעירובין ארבעה דברים פטורין ישראל במחנה מביאין עצים מכל מקום ופטורים מרחיצת ידים בתחלה ומן הדמאי מלעשרו ומלערב עירובי חצירות: *Repetimus e primo cap. Maſſ. Erubin*, (49) *a quatuor rebus immunes eſſe Iſraelitas in caſtris; colligere ligna ex omni loco: non teneri lotione manuum: nec ſuſpectorum decimatione: nec præcepto de heterogeneis miſcendis* (Levit. 19. verſ. 19.) Diſtinguit tamen Baal-turim inter lotionem primam & poſtremam, Orach. chaym *d. l.* ההולכים במחנה למלחמה פטורין ממים ראשונים אבל חייבין באחרונים: *qui caſtra ſequuntur, ſunt quidem a prioribus aquis* (ante cibum) *immunes; at obligantur nihilominus ad poſteriores*. Audi lector ſub finem hujus capitis, Judæi ſententiam, cur nos ab iſtis lotionibus, ciborum delectu & mille cæremoniis Leviticis immunes eſſe dicant? indulget morituro Medicus, ut edat quodcunque lubet: dietæ vero regulas præſcribit convalituro. R. Bechai (59) *Par. Schemini*: למה הדבר דומה לרופא שהלך לבקר שני חלים אחד יש בו סכנה אמר להן תנו לו כל מה שמבקש לאכול לשני אמר תנו לו מאכל פלוני ואל תתנו לו פליני ליומים זה מת וזה נתרפא: וכך התור הקב״ה לאומות שקצים לפי שהם מוכנים לגיהנם אבל ישראל שהם לחיים אמר זה לא תאכלו וכו׳: *Aſſimilatur hæc res medico, qui mane viſitat duos ægrotos, quorum alter de vita periclitatur, illius miniſtris dicit, date ipſi comedere quicquid concupiverit: alteri, de quo ſpes ſupereſt, ait, hoc ede, aliud vita: paulo poſt ille moritur, iſte convaleſcit. Sic D. O. M. permittit gentibus abominabilia, quoniam prædeſtinati ſunt ad gehennam: Iſraelitas vero ad paradiſum deſtinatos, jubet abſtinere*. Ita ſibi blandiuntur, ignari veræ ſalutis noſtræ per exhibitum Meſſiam.

N O T Æ

In Theorema decimumoctavum.

(1) *Sacerdotis* Caſtrenſis. De Sacerdote hoc prælii cauſa conſecrato, (Feld-Prediger) quem משוח מלחמה *Unctum belli* vocabant, paſſim in Hebræorum ſcriptis agitur, iiſdem pene ubique repetitis, quæ hic ex R. Maimonidis Hilkoth Melachim, & R. Kozenſis Smag afferuntur, nec alia reperies apud Voiſinium *not. ad part. III. Pug. fid. diſt. III. c. XI. fol.* 623. Cunæum *lib. II. de Reb. Hebr. c. XX. p.* 281. Buxtorfium *Lex. Talm. f.* 1267. Epiſcopium *lib. III. Inſtit. Theol. c. LX. præc. VII. Tom. I. Opp. f.* 106. 107. Novarinum *lib. IX. Schediaſm. Sacro-Prof. c. XXIII. n.* 116. *f.* 261. pluresque alios. Nos hic, ne plane nihil agamus, ea huc transferemus, quæ R. Maimonides habet *in libro hammiz voth, præc. affirm.* CXCI. *f.* LXXIII. *c.* 2. & 3. מצוה היא צונו שנמנה כהן שיוכיח לעם הוכחת המלחמה ויהזיר מי שאינו ראוי לו להלחם בעבור שתחיה מתשכתו בענין יחייב לו מעוט הגבורה למלחמת והם ג׳ דברים שבאר הכתוב ואחר כך יכנסו למלחמת וזה הכהן נקרא כהן משוח מלחמה ויאמר בהוכחת

בתוכחת הלשון האמור בתורה ויוסיף על זה מאמרים יעוררו הלבבות למלחמה ויביאם לסכן את עצמם עזור דת ה' לעבדו ולשמור מצותיו ולהנקם מהסכלים המפסידים יושר המדינות והוא אמרו ית' והיה כקרבכם אל המלחמה ונגש הכהן וגו' ואחרי כן יצוה להכריז במעשה החיל שישובו חלושי הלבבות וכל מי שבנה בית חדש ולא חנכו או נטע כרם ולא חללו או ארש אשה ולא לקחה כמו שבא' לשון הכתוב ואמרו בגמ' סוטה כהן מדבר ושוטר משמיע. וזה כלו ר"ל תוכחת משוח מלחמה והכרזה בעורכי המלחמה תנא חובה במלחמת הרשות ובה הוא דין התוכחת ואמרו מלחמת מצוה אין בה שום דבר מזה לא תוכחת ולא הכרזת כמו שהתבאר בח' מסוטה ושם התבארו משפטי מצות זו : *Præceptum hoc jubet nos consecrare Sacerdotem, qui bellica epanorthosi cum populo agat, & recedere jubeat eum, cui belligerare non convenit, propterea quod cogitationes suas ad rem directas habeat, satis eum convincentem, parum ipsi inesse fortitudinis bellicæ, triplicem nempe illam rem, quam scriptura ipsa explicat; ac postea demum aggredi bellum. Atque hic sacerdos vocatur* כהן משוח מלחמה *sacerdos ad bellum inunctus. In illa autem epanorthosi orationem in Lege ipsa præscriptam proloquatur, eique superaddat alias subinde oratiunculas cordium ad bellum excitatorias, quibus milites adducat, ut periculo sese exponant pro religione, ad serviendum* Deo *& custodiendum præcepta ejus, & ut vindictam sumant de stultis provinciarum rectitudini damnum inferentibus. Cæterum sic ait* Deus Deut. XX. 2. *Et erit, cum appropinquabitis ad bellum, & accedens Sacerdos &c. Postea jubet proclamare in Exercitu, ut revertantur imbelles, & quicunque vel novam domum ædificaverit, sed nondum dedicarit, vel vineam plantaverit, sed nondum communem fecerit, vel uxorem sibi desponsaverit, sed nondum duxerit, prout ipsa in lege præscripta oratio habet. Porro in Gemara Massechet Sota observant, Sacerdotem loqui, & Præfectum annunciare. Utrumque tamen, videlicet tam epanorthosis sacerdotis ad prœlium uncti, quam proclamatio, quæ fit per castra, locum non habet nisi in bello Majestatis voluntario, utpote in quo solo lex illa valet, non item in bello demandato, in quo nihil horum locum reperit, nec epanorthosis, nec proclamatio, sicut exponitur Cap. VIII. Massecheth Sota, ubi jura & consuetudines legis hujus ex professo traduntur* : in utroque, inquam, Talmude, tam Babylonico, quam Jerosolymitano, in Mischna pariter & Gemara, quo etiam Lectorem *supra p.* 315. remisimus. Quod vero Maimonides hanc sacerdotis ad prælium uncti orationem per castra postmodum proclamatam ad solum bellum voluntarium restringit, & negat in bello, quod lege divina indictum erat, locum habuisse, id in citato ab Auctore loco sui oblitus aliter tradidisse videri poterat. Nam verbis allegatis *initio Capitis VII.* diserte præmittit : אחד מלחמת מצוה ואחד מלחמת הרשות ממנין כהן לדבר אל העם וכו' : *In bello tam lege imperato, quam Majestatis voluntario ordinant sacerdotem, qui loquatur ad populum &c.* quæ Schikardus sine dubio de industria omisit, quod videret, ea destruere, quæ initio præcedentis theorematis *p.* 312. *seqq.* docuerat. Et certe R. Abraham ben David *in suis hassagoth ad h. l.* idem animadvertit : א"א אפשר להיות זה לענין אל ירך לבבכם אבל לענין השאר החוזרים מעורכי המלחמה לא נאמר אלא למלחמת הרשות אבל לא למלחמת מצוה והכי איתא בגמרא : *Ego, inquit, dico, posse hoc tantum intelligi de illa sacerdotis functione, cum metum e cordibus excutit; quod vero ceteras*, v. dimissionem e castris, *attinet, non pertinent nisi ad bellum majestatis ultroneum, non autem ad illud, quod lege indictum est : atque ita habetur in Gemara.* Excusat tamen Rabbinum nostrum R. Joseph Karo *in Ceseph Mischneh h. l.* & superfluam fuisse ait hanc R. Abrahami animadversionem, quod ex ipso Auctoris contextu & clara litera constet, non aliam ejus fuisse mentem. Nam cum verbotenus animadversionem repetiisset, subjungit : ולא ידענא מאי אתא לאשמועינן דהא משנה שלימה היא וכתב רבינו בפרק זה במה דברים אמורים במלחמת הרשות אבל במלחמת מצוה הכל יוצאין אפילו חתן מחדרו וכלה מחופתה : *Nescimus sane, quid novi nos docturus prodierit. Ecce enim textus Auctoris perfectus est, scripsitque ipse Rabbi noster in hoc Capite, (§. IV.) Hæc, quæ dicta sunt hactenus* de dimissio-

ne e castris, *tantum locum habent in bello ultroneo; at in bello legali omnes omnino exeunt, etiam sponsus e cubili, & sponsa e thalamo suo.* Notamus hæc, ne quis forte ista in Cunæo, ejusve plagiario Novarino, *ll. cc.* reperiens offendatur, aut nostrum Schikardum rectissime omittentem negligentiæ postulet. Talem bello unctum sacerdotem fuisse Josephum sive Gorionis, sive Mattkiæ filium Historiographum, tradit R. David Ganz *part. I. Zemach David. fol. XXXVIII. col.* 2. & in Vorstiana versione *pag.* 95. Cæterum nescio, annon cum hoc Hebræorum Sacerdote Castrensi conferre suo modo liceat Ecclesiæ ministrum, qui hodieque non pugnandi gratia, sed ut sacri muneris partes impleat, in castris versatur, de quo Carolomannus Francorum Dux, cum Anno *Christi* DCCII. edicto vetaret, ne quis sacris initiatus bellum pergeret : *Unus, aut ad summum duo Episcopi delecti suffragio cum suis Sacerdotibus Principem comitentur ad bella, sacrificandi comprecandique causa*, ut est apud Aventinum *lib. II. Annal.* quod Pontificiis pro jure belli Episcopis indulto Castrensem hunc Hebræorum allegantibus regerit B. Gerhardus *Loc. de Magistr. Polit.* §. 398.

(2) Theor. IV. *pag.* 77.

(3) Adjungebantur. Vide notata *p.* 313. *lit. c.*

(4) Lictores. Sumta sunt hæc ex Mass. Sota *c. VIII. Misch. VI.* ad quem locum R. Bartenora *fol. CLXI. col.* 2. זקפים גבורים ממונים לכך שאם יפול אחד מן הנלחמים יעמידוהו ויזקפוהו : *Lictores*, (vel ut in verbis Milkozi auctor vertit, *Erectores*,) *sunt viri fortissimi, ad hoc ordinati, ut si quis belligerantium cadat, eum stare jubeant atque erigant.*

(5) Miroz. Ibidem. Sed & Rabi Majemonides *ibidem* §. *IV.* מעמידין מאחור כל מערכה ומערכה שוטרים חזקים ועזים וכשילין של ברזל בידיהם וכל הרוצה לחזור מן המלחמה הרשות בידן לחתוך את שוקו שתחילת נפילה ניסה : *Ordinant a tergo singularum aciei turmarum præfectos, viros fortes & robustos, secures ferreas manibus suis tenentes; quod si quis voluerit retrocedere e bello instructi sunt potestate confringendi illius crura : nam cladis initium fuga est.*

(6) Aliquis. Intelligit forte Alphonsum Aragoniæ Regem, de quo Panormitanus *lib. IV. de gest. Alphons.* memorat, quod nonnullis de fuga fugiendique ratione differentibus dixerit : *præclare mihi dixisse videntur, qui fugienti hosti argenteum pontem extruendum arbitrati sunt. Existimabat enim optimus princeps*, addit Panormitanus, *optabilius multo hostem in fugam vertere, quam ancipitem belli fortunam cedendo experiri.* Similiter Aristides, Plutarco *in Themistocle* auctore, Themistocli dixisse fertur, non esse solvendum pontem, sed alium potius faciendum, quo abiret Xerxes atrocissimus. Nam cum pontem rescindendum censeret Themistocles, *quo Asiam*, inquiebat, *in Europa capiamus*, improbabat id Aristides, & alterum potius judicabat adhuc parandum *quo istum propere* inquiens, *ex Europa exturbemus.* Plane uti, *eodem in Apophthegm.* teste, Scipio Africanus dicere solebat, hosti non solum dandam esse viam fugiendi, sed & muniendam. Fecit hoc Iphicrates, cum urbem aliquando noctu cepisset; quippe hostibus in forum concurrentibus & conglobatis, portas aperire jussit, fugiendi concedens potestatem, ut ipse minori cum periculo civitatem obtineret. Auctor est Polyænus *lib. III. Strategemate p.* 53. qui & paulo ante *p.* 52. de eodem refert, quod hostibus in fugam versis, pedetentim secutus, milites suos omni studio cavere insidias jusserit, & tantum reliquos ex fugientibus cædere, usque ap fluviorum transitus & locorum angustias atque fossas. *Hic maxime*, inquiebat, *includi fugientes non oportet, ne cogantur ex desperatione pugnare.*

(7) Ex Siphri. Liber *Siphri*, Commentarius in librum Numerorum & Deuteronomii, ad manus jam non est. Ceseph Mischneh tamen *ad h. l. Majem.* notat : כתב ס"מג דאיתא בספרי *Scripsit Kozensis in magno præceptorum volumine, quod istud habeatur in Siphri.* Et locum ipsum e Kozensi pariter & Siphri, post hunc Majemonidis hic recensitum, profert Seldenus *lib. VI. de Jure Nat. & Gent. c. XV. f.* 743. 744. Audi etiam R. Abarbanelem *in legem*

fol. CCCLXXVI. col. 2. ad illud *Deut. XX.* 20. quod dicitur munitione cingenda civitas, quamdiu sese impugnantibus Israelitis opponat: ממה שאמר עושה עמך מלחמה בלשון הווה למרו שאם היו יכולים לברוח מן העיר היו מניחים אותם אף על פי שלא השלימו. ולכן כשיבנו מצור על העיר לא יקיפוה מד׳ רוחותיה אבל יניחו שם צד אחד בלתי מוקף בו יברחו אם ירצו שאין אנו מצווים להמיתם הואיל והם בורחים ומניחים את העיר: *Ex eo quod Lex ait*, Faciens *tecum bellum, in Præsenti, docent*, (nempe in libro Siphri, quem in antecedentibus allegarat,) *quod, si ausugere ex urbe queant, dimittendi sint, etiamsi nulla pacis pacta præcesserint. Ac propterea, cum propugnacula adversus urbem ponuntur, non cingenda est ad omnes quatuor plagas, sed relinquendum latus unum, quod non claudatur, ut per illud ausugiant, si velint; non enim jussi sumus, occidere eos, postquam urbem deserentes ausugiunt.*

(8) Nec usos strategematibus. Atqui aliud omnino docent exempla divinitus approbata Josuæ, *cap. VIII.* 2. Israelitarum *Jud. XX.* 29. Davidis 2. *Sam. V.* 23. &c. Confer B. Danhavv. *Disp. Decalog. VI.* §. 4. Serar. *in Jos. VIII. q.* 2. Menoch. *lib. VI. de Rep. Hebr. c. XVII. q. II. f.* 610. & passim alios. Trita quæstio in Moralistarum Scholis.

(9) De Arboribus frugiferis. Pulchre Josephus hanc legem de arboribus frugiferis non succidendis περιφράζει *lib. IV.* ἀρχαιολ. *c. VIII. fol.* 114. cujus dignissima lectu verba adduxisse juvat: Στρατοπεδευσάμενοι δὲ, προνοεῖτε μήτι τῶν δυσχερεστέρων ἐργάσησθε· πολιορκοῦντες δὲ καὶ ξύλων ἀπορουμένους, εἰς ποίησιν μηχανημάτων, μὴ κείρειν τὴν γῆν, ἥμερα δένδρα κόπτοντες, ἀλλὰ φείδεσθαι λογιζομένους ἐπ' ὠφελείᾳ ταῦτα τῶν ἀνθρώπων γεγονέναι. καὶ φωνῆς ἂν εὐπορήσαντα δικαιολογήσασθαι πρὸς ὑμᾶς ὡς οὐδὲν αἴτια γεγονότα τοῦ πολέμου πάσχει κακῶς παρὰ δίκην, εἰ δύναμις αὐτοῖς ἦν καὶ μετοικίσαντα ἂν καὶ πρὸς ἄλλην μεταβάντα γῆν. *Castris autem positis*, inquit, *cavete ne quid aspere aut crudeliter faciatis & oppugnaturi urbem, si desit materies ad machinarum fabricam, ne deglabretis terram frugiferas arbores exscindendo, sed parcite, non ignorantes, in usum hominum ista creata, & si vox eis daretur, expostulatura vobiscum, quod, cum ipsa belli causa non fuerint, injuste affligantur, mutatura domicilium, si liceat, & alio migratura.* Cæterum huc conferri poterunt observata Seldeni *lib. VI. de Jure Nat. & Gent. c. XV. fol.* 741. *seqq.* & Grotii *lib. III. de J. B. & P. c. XII. th.* 2. *p.* 531. ejusque commentatorum, item Menochii *lib. V. de Rep. Hebr. c. V. q. VII. fol.* 454. 455. Gregorii Tholosani *lib. XXXVII. Syntagm. c. VI. pag.* 431. &c. Audi vero iterum R. Abarbanelem *loc. cit. col.* 1. רוצה לומר שלא יכרתו אילני המאכל אשר בעיר כמנהג הנלחמים שמגמתם להשמיד ולאבד כל דבר וכענין שנאמר וכל עץ טוב תפילו וכל מעין תסתומו וכל חלקה טובה תכאיבו ואתם לא תעשו דרך השחתה שלא לצורך המצור כמנהג המחנות: *Lex ista cavere vult, ne arbores frugiferas obsessæ urbis exscindant, more illorum belligerantium, quorum intentio & desiderium est rem omnem perdere & devastare, qualem Elisa Regibus confœderatis prædicebat* 2. Reg. III. 19. *Omnem arborem bonam succidetis, omnesque aquarum fontes obturabitis, atque omnem agrum bonum corrumpetis: Vos autem*, inquit Lex, *ne procedatis hoc desolationis modo, quia non est de necessitate obsidionis more castrorum.*

(10) Excipiunt casus aliquot. Imo ad ipsa etiam munimenta & alia belli necessaria conficienda, posse arbores frugiferas excidi, notat R. Abarbanel *l. col.* 2. ad has enim non minus quam ad infrugiferas statuit referenda esse ultima *versiculi* 21. verba: *Et ædificabis munimentum contra civitatem*. Sic enim ibi: אחרי שהזהיר על השחתת עצי מאכל נתן התר בשאר העצים באמרו רק עץ אשר תדע כי לא עץ מאכל הוא אותו תשחית וכרת. וגם בעצי המאכל עצמם נתן התר מיוכל לכרות מהם לא דרך השחתה כי אם לבנות מצור על העיר מידבר בעצי המאכל שאסר בהם ההשחתה אבל לא אסר בהם הכריתה לצרכי המצור: *Postquam Deus vers.* 19. *prohibuit excisionem arborum frugiferarum licentiam dedit postea de cæteris arboribus, cum vers.* 20. *addit: Tantum arborem, quam nosti non esse frugiferam, disperdes & succides. Quin etiam de ipsissimis arboribus frugiferis potestatem dedit succidendi quasdam ex illis, non tamen vastationis ergo, sed ad extruendum munimentum, atque ad cætera belli necessaria: prout R. Moses ben Nachman faustæ memoriæ observavit. De hoc ait:* Et succides & ædificabis munimentum contra urbem: *id quod dictum vult de frugiferis arboribus, quarum devastationem quidem, non autem succisionem ad munimenti necessaria prohibuit.*

(11) Difficultatem Hebrææ Phraseos. Uti noster hic, sic passim alii diversas interpretum explicationes conglomerant, quibus difficultatem phraseos putant tolli posse, & eos inter, post ordinarios in Deuteronomion Commentatores, B. Danhavverus *Disp. XII. Decalogic. §. VI.* & Jo. Henr. Ursinus *Arboret. Bibl. c. XLIX. p.* 618. 619. Schikardo, Aben Esræ adhærenti, quasi elliptica sit locutio, & vox חיי subaudienda hoc modo, כי חיי האדם עץ השדה *quia vitia hominis est arbor agri*, i. e. *vita hominis ex fructibus arborum agri*, i. e. *vita hominis ex fructibus arborum sustentatur*, subscribunt Buxtorfius *lib. II. Thes. Gramm. c. IV. p.* 376. Glassius *lib.* 3. *Philol. S. tr. I. Canon. XXXIX. p.* 157. (491.) Hackspanius *not. Philol. p. I. p.* 560. Fesselius *lib. VI. Advers. Sacr. c.* IV. §. 22. *p.* 48. & e Rabbinis Aben Melech *in Michlal Jophi fol. XL. col.* 1. qui addit, מעניני הבין חסרונו *e sensu defectum hunc supplendum*. Sed malumus pro Lutheri versione cum Chaldaicis Onkelosii pariter & Jonathæ, Græca item & Latina veteri, consentiente, negandi voculam ἀπὸ κοινοῦ repetere. Neque enim id audacius factum, quod videtur hic Schikardo, neque Hebraismo insolens, quod R. Aben Esra urget. Utrumque esset, si quod uterque supponit, nullum plane particulæ negativæ vestigium adesset, & ea aliunde noviter advocaretur. Atqui non aliunde assumitur, sed ex ipso contextu saltem repetitur, quod Aben Esræ quoque Drusius *ad diffic. loca Deuteron. cap. LXXX. p.* 600. regerit. Sic autem negativam voculam vim suam in sequentia commata non raro extendere, exemplis quam plurimis, post Glassium *lib.* IV. *Philol. S. tr.* II. *Observ.* X. *p.* 720. 721. (900. 901.) ostendit Th. Gatakerus *lib.* II. *p.* 182. *seqq.* Cum ergo & hic eadem immediate præcesserit, nihil impedit, quo minus ad supplendum sensum repetatur h. m. *Illam* לא Non *succedes, quia* (לא non *est homo lignum agri*. Ita diserte R. Bechai *Parsch. Schophtim fol. CCXXV. col.* 4. כי האדם עץ השדה פירשו המפרשים ז״ל כי חיי האדם ומזונו הוא עץ השדה וכענין שכתוב כי נפש הוא חובל ועל כן אנכי מצוך שלא תשחיתהו כי ברכתה בו. ולפי דעתי כי האדם נמשך אל לא תכרות וכאור הכתוב כי לא האדם עץ השדה שיבא מפניך במצור כמו האדם ואין מפעולות עם חכם ונבון להשחית הדבר הראוי ללא תועלת ולכך אין לך להוציא כח בזה לכרות עץ השדה אלא שתשמור מהשחית אתו ומחזיקו ותקח ממנו התועלת זהו כי ממנו תאכל ואם אתה משחיתו ומצאת מזיק ומפסיד התועלת: *Hæc verba.* Quia Homo arbor agri, *interpres communiter exponunt, quasi sensus sit:* Quia vita Hominis & alimentum ejus est arbor agri, *adducuntque parallelum ex* Deut. XXVI. 6. *ubi anima hominis esse dicitur pignus: sic ergo putant prohibuisse* Deum, *ne quis arborem perdat, eo quod benedictio in ea sit. Verum juxta meam sententiam,* τὸ כי האדם *sic trahitur ad præcedens* לא תכרות Non succides, *ut* τὸ לא Non hic repetendum, *& sensus scripturæ sit:* כי לא האדם עץ השדה Quia non Homo arbor agri, *quæ veniat contra te in oppugnaculum tanquam homo, neque aliqua actionum populi sapientis & prudentis est, ut perdat rem aliquam, ne posthac sic usus: propterea*, inquit Lex, *non est, cur vires exseras in excindenda agri arbore, quin potius custodias eam ab eo, qui perdere eam atque lædere velit, atque ita usum fructum de ea capias. Hoc sibi volunt antecedentia illa:* כי ממנו תאכל *quia de eo comedes. Quod si vero tute eam perdideris, reperieris tibi esse nocumento, & defraudare temet ipsum usu fructu.* Gemellum in modum, & adhuc distinctius R. Abarbanel *eadem Parscha fol. CCCLXXVI. col.* 1. & 2. נתן הסבה בזה באמרו כי ממנו תאכל ואותו לא תכרות׳ והן ב׳ סבות מתחלפות. האחת כי ממנו תאכל והיא הבטחה רבה שיכבשו את העיר ויאכלו פרי העצים ההם ולכן אין ראוי להשחיתם כי אינו נאות שיזיק האדם למה שיועילהו. והסבה השנית היא אמרו זאותו לא תכרות כי האדם עץ השדה רוצה לומר

לומר ועוד שהמלחמה אין ראוי שתעשה לעצים רק לאנשים. כי אין ראוי לגבור שיתעצם להלחם נגד החלש. הזו ואותו לא תכרות שהוא עץ ואין לו ידים להלחם כי האדם עץ השדה. רוצה לומר דילמא האדם עץ השדה להכנס מפניך במצור מאימתך אשר בעבור זה תשחיתהו אינו כן. כי עץ השדה אינו אדם שיבא במצור לכן אין ראוי שתכרתהו. ורבי אברהם פירש שהוא סבה אחרת כי ממנו תאכל כי האדם עץ השדה כמו כי נפש הוא חובל: *Rationem* legis de non excindendis arboribus frugiferis Deus *addit; cum ait: siquidem de ea comedes, & eam non excides: ubi quidem duæ diversæ rationes adducuntur*. Una *est in istis verbis*: Siquidem de ea comedes: *quæ quidem magnam addit fiduciam, quod occupaturi sint urbem, & fructum arborum istarum comesturi, ac propterea non convenit, eas perdere; non enim pulchrum est, si quis devastet id, unde commodum sperare potest*. Altera ratio *est in illis verbis*: ואותו לא תכרות כי האדם עץ השדה: Et eam non excides, quia homo arbor agri. *Quasi dicat: præterea non decet bellum gerere adversus arbores, sed tantum cum hominibus: non enim convenit viro forti, ut sese corroboret ad belligerandum adversus imbellem & invalidum. Atque hoc est, quod ait*: Et eam non excides, *quia est arbor, quæ nullas habet manus ad belligerandum: cum addit* כי האדם עץ השדה Quia Homo arbor agri, *vult dicere: Ne putes hominem fortassis esse arborem agri, qui contra te in munitionem ingrediatur ex tui terrore, ut propterea perdere illam cupias; non ita est: nam arbor agri non est homo, qui veniat in munimentum, idcirco non est, cur eam excidas. Cæterum R. Abraham* (intelligit Aben Esram) *pro una saltem ratione accepit verba illa*. Quia de ea comedes, quia homo arbor agri, *eaque confert cum illis* Deut. XXIV. 6. Quia anima est pignus.

(12) Allegoriam. Talis est illa Rabbinorum de Sapientiæ Studioso, quam R. Bachai *fol. CCXXVI. col.* 1. his verbis exponit: דרשו ר״ל כי ממנו תאכל אם ראית תלמיד חכם הגון ממנו תאכל ואותו לא תכרות ואם לאו אותו תשחית וכרת: *Rabbini nostri hanc legem de arbore, de qua comedere liceat, sic allegorice interpretantur: si videris Sapientiæ Studiosum res suas honeste decenterque gerentem, de eo comedas, neque ipsum excidas; si vero talem se non gerat, eum perdas & excidas*. Sumta sunt hæc ex Gemara Babylonica Massech. Tahanis *fol. VII. col.* 1. אמר רבי יוחנן מאי דכתיב האדם עץ השדה וכי אדם עץ שדה הוא אלא משום דכתיב כי ממנו תאכל ואותו לא תכרות הא כיצד אם תלמיד חכם הגון הוא ממנו תאכל ואותו לא תכרות ואם לאו אותו תשחית וכרות: *Quæsivit R. Jochanan, quid est illud, quod scribitur* Deut. XX. 19. Quia Homo arbor agri? *Numquid enim homo arbor agri est? Verum* Resp. *fieri id propter illud, quod ibidem adscriptum est*: Quia de ea comedes, eamque ne excidas. *Quomodo ergo* intelligendum? Resp. *si Sapientiæ Studiosus recte agat, de eo comedes, eumque ne excidas; sin minus, perdas & excidas eum*. Tantundem inde repetit R. Simeon *in Jalkut Torah fol. CCLXXXIX. col.* 1. additque: ולמה נמשלו דברי תורה לעץ לומר לך מה עץ קטן מדליק את הגדול אף תלמידי חכמים קטנים מחדדין את הגדולים והיינו דאמר רבי הרבה תורה למדתי מרבותי ומחבירי יותר מהם ומתלמידי יותר מכולם: *At quare*, inquit, *verba legis comparantur arbori?* Resp. *Quemadmodum arbor parva* (in sylva accensa) *accendit magnam: ita minores sapientiæ studiosi acuunt majores, & hoc est, quod dixit Rabbi: Multum e lege divina didici a Præceptoribus meis, sed plura a condiscipulis meis, quam istis, denique a discipulis meis adhuc plura, quam ab illis omnibus*.

(13) De naturali necessitate. Conf. Sim. Episcopium *lib. III. Instit. Theol. sect. II. c. IX. f.* 107. ubi videbis, duobus præceptis affirmativis ea Israelitis inculcari, quæ in R. Majemonidis *Sepher hammizvoth* inter affirmativa sunt CXCII. & CXCIII. *fol. LXXIII. col.* 3. Ipse R. Abarbanel in explicatione hujus legis, *Parsch. Teze fol. CCCLXXXI. col.* 3. ut bene doceret, bene distinguere ita voluit: מלבד זה הזהירם עוד על הטהרה והשמירה גם בדברים ההכרחיים וצוה בהם ב׳ דברים הא׳ שיעשה אותם במקום פנוי ידוע לא בכל מקום שיהיה וזהו אמרו ויד תהיה לך מחוץ למחנה ויצאת שמה חוץ כי יד פירושו מקום כמו על יד הירדן. עוד צוה שבאותו מקום הפנוי לא תהיה צואתו גלויה אבל יכסנה באמרו ויתד תהיה לך על אזניך ר״ל שיהיה לו יתד על כלי מלחמתו כדי לחפור עמו בעבר ולכסות את צואתו ובזה כבוד לשם ושמירה מהעפוש והחפסד: *Præter hanc legem de* γονοῤῥίων extra castra ad lotionem usque vespertinam commorante, *nunc porro præcipit* Deus *de mundicie, & observantia circa res etiam necessitatem naturalem concernentes, deque his duo observanda imperat*. Primo, *ut quis hoc quicquid est, faciat in loco certo ab hominum frequentia vacuo, non vero in quolibet loco primum & ubivis obvio: & hoc vult illis verbis*: ויד Et locus erit tibi extra castra, & egredieris illuc extra: *nam vocabulum* יד *hic* Locum *significat, ut Num.* XIII. 29. על יד הירדן *juxta* Locum *Jordanis*. Deinde *jussit, ne in loco illo remoto excrementa aperta relinquantur, sed ab ipso retegantur, in illis verbis*: Et paxillus erit tibi super arma tua: *quo ipso indicare vult, ut habeat præter arma sua ad manus semper paxillum, quo in terra defodiat, & contegat excrementa sua, idque tum in honorem divini Numinis, tum ad præcavendum fœtorem & aeris corruptionem*. Cæterum, qui plura de hac lege, & in primis varias allegorias desiderat, evolvat Jalkut *part.* I. *fol. CCXCV. col.* 1. 2.

(14) Legislatorem non puduit. Ad eundem fere modum B. Danhavverus *in Lat. Catechet. Conc.* IX. *p.* 113. cum de perfecta obedientia secundæ legis tabulæ in minutissimis quoque præstanda agit: Gleich wie sich GOTT selbst nicht geschewet von nachgültigen ja auch unflätigen Dingen Gesetz zu geben / als daß er in seiner Kriegs-Ordnung gebotten / aussen fur den Lager ein Orth zu erwehlen / dahin sie zu ihrer Notturfft hinaus gehen mögen / sie sollen daneben ein Scheuflein haben / und wenn sie sich draus setzen wollen / sollen sie damit graben / und wenn sie gesessen / sollen sie zuscharren was von ihnen gangen ist: Also bemühet sich auch manchmahl die Obrigkeit / Wohlstand / Zucht / und Ehr zu erhalten / auch von geringfügigen Sachen / Ordnungen und statten zu verfassen.

(15) Præsentia gratiosa. Sic R. Majemonides *part.* III. *More Nevoch. c.* XLI. *fol.* CLXIX. *c.* 1. de scopo & ratione legis hujus paulo altius philosophatur: מכונת זאת התורה הנקיון והזהר מן הלכלוכין והמאוסין ושלא יהיה האדם כבהמות ובזאת הכונה גם כן חזוק האמנת הנלחמים באילו המעשים שהשכינה שורה ביניהם כמו שאמר בסבת זה כי יי׳ אלהיך מתהלך בקרב מחניך וגלגל ענין אחר ואמר ולא יראה בך ערות דבר ושב מאחריך להזהיר ולהפחיד ממה שהוא ידוע מזנות אנשי החיל במחנה שיארך עמדם חוץ לבתיה׳ וצונו ית׳ בפעולות שיזכירו אותנו שהשכינה שורה בתוכנו מפני שנגצל מן המעשים החם ואמר והיה מחניך קדוש ולא יראה בך ערות דבר: Vertit Buxtorfius *pag.* 467. editionis suæ: *Ex intentione legis hujus est mundities, & omnis generis sordium, fœditatum & impuritatum vitiatio, ne homo sit instar brutorum animalium. Sed & istis actionibus confirmare voluit* Deus *fidem belligerantium, quod Majestas divina inter ipsos habitet, sicut dicitur in causa hujus præcepti*: Nam Dominus Deus tuus indesinenter in medio Castrorum tuorum. *Ad quod aliam adhortationem adjungit, dicens*: Itaque non videat in te nuditatem aliquam, cujus causa a te avertatur: *quibus verbis deterrere & dehortari vult a scortatione, quæ nimis tuta & vulgaris esse solet inter milites, quamdiu a domibus suis absunt. Ut itaque ab operibus istis impuris liberemur, & abstineamus, præcepit nobis* Deus *talia opera, quæ nobis in mentem revocant, gloriam ipsius in medio nostri habitare, sicut dicitur*: Et sint castra tua sancta, & ne videat in te turpitudinem aliquam. Similiter R. Abarbanel *in Legem fol.* CCCLXXXI. *col.* 4. de hac legis ratione differit: נתן הטעם בכל השמירה והטהרה הזאת באמרו כי יי׳ אלהיך מתהלך בקרב מחנה ר״ל הנה מנהג עע״כום במלחמותם הנה הוא לאכול כל תועבה ולהיותם שטופי זימה חמס וגזל ירבו ולא יתבוששו וגם יתלבשו באכזריות חמה ושטף אף להיות גבורתם בכח וגבורה אנשית אבל מחנה ישראל קדוש יאמר לו להדבק ההשגחה האלהיה או כי אין מלחמותם בכח וגבורה אנשית כי אם בכח אלהי

אלהי וברותו להצילם מפגע רע ולתת אויביהם לפניהם. ולכן ראוי שיהיה מעשהם קדוש וטהור והעם היושב בה ושוא עון והו לא יראה בך ערות דבר. כי בזה מכוה שישוב ח״שי מהם ויסיר שכינתו מתוכם כמו שאמר ושב מאחריך. ומכאן למוו חז״ל בפרק מי שמתו למקום התפלה שנרחוק מן הצואה ד׳ אמות ולכל מראה העינים: *De tota hac observantia, & munditie rationem* Deus *addidit, cum ait* : Quia Dominus Deus tuus ambulat in medio Castrorum. *Vult dicere : Ecce, ut soleant Idololatræ, cum bella gerunt, res quaslibet abominandas comedere, inque libidinem despumare, furto & rapina absque omni pudore abundant, & se praterea induunt crudelitate, excandescentia atque intemperantia, omnisque eorum potentia in robore & fortitudine humana consistit. At vero Israelitarum, inquit, castra sancta sunt, quippe quibus Providentia* Dei *specialis adest : non enim bellum gerunt virtute & fortitudine humana, sed potentia divina, & ejus spiritu, ut eripiat eos ab omni, quicquid mali evenire queat, & tradat coram ipsis hostes. Decet ergo, ut & actio ipsorum sancta & munda, ac populus sub ea* (providentia) *habitans ab iniquitate absolutus sit : & hoc est, quod ait* : Neque videat in te turpitudinem aliquam. *Quod si enim ab iis* Deus *revertatur, recedit gratiosa ejus præsentia e medio illorum, prout ait* : Et avertatur a te. *Atque exinde docent sapientes, in Capite Mischemmetho,* (i. e. Massech. Beracoth cap. III.) *de loco precum, quod ab excrementis quatuor ulnas remotus esse debeat, æque ut de quolibet oculorum conspectu id traditur.*

(16) Recentem cibum. Vide Buxtorfii Synagog. Jud. a filio auctam *cap.* XI. *pag.* 235. Notari vero hic simul poterit singularis observatio Rabbinorum de cibo Israelitarum quadraginta illis annis, quibus in deserto peregrinabantur, sic comparato, ut in visceribus omnis absumeretur, nihilque omnino egerendum relinqueret, ne prorsus haberent opus alvum dejicere. Quod mirum, credidit R. Abarbabelem, id genus traditionibus cæteroquin minus addictum. Sic enim *loc. cit.* הלא תראה שספק הק״בה מזונם כל ימי היותם באהלים במדבר במזון הנבלע באברים כדי שלא ישקצו את מחניהם בהוצאת המותרות ולא נצטרכו ליד ויתד לפי שאין הנשים יכולות לעמוד על הענין ההוא. מה שלא היה כן ממחנה המלחמה כי כלם אנשים: *Annon vides, quod* Deus *toto illo tempore, quo in tentoriis in deserto degebant, cibum intra membra absumtum suppeditarit, ne abominanda redderent castra sua reliquiarum ejectione, neque opus haberent certo loco & paxillo, eo quod mulieres huic instituto satisfacere non possent. Id quod in castris bellicis aliter se habet, ubi omnes sunt viri.*

(17) Orach Chaiim *sect.* III. *fol.* IX. *col.* 3. editionis Hanoviensis, Anno 370. i. e. *Christi* 1610. Tota sectio his arcanis repleta, & pleraque e Talmudis Massecheth Brachoth *fol.* LXI. *col.* 2. & LXII. *col.* 1. deprompta sunt.

(18) Ante precari. Institutio ejus sic habet *initio Sect. illius :* בכניסתו לבית הכסא יאמר התכבדו מכובדים קדושים משרתי עליון שמרוני שמרוני עזרוני עזרוני המתינו לי עד שאכנס ואצא שכן דרכן של בני אדם וכן יאמר בכל פעם שיכנס: *Qui locum secretum ingreditur, dicat ante : Quod cum vestri honoris venia fiat, o gloriosi & sancti ministri* Dei *supremi, custodite me, custodite me, adjuvate me, adjuvat me, expectate me, donec ingressus & egressus fuero, quia sic requirit ratio filiorum hominis. Atque sic dicat, quotiescunque ingredi cupiat.*

(19) Quam alte nudari. Sequitur ibi : ויהא צנוע בבית הכסא ולא יגלה עצמו עד שישב. וימשמש בפי טבעת. ואחר כן ישב ויגלה מלפניו טפח ומלאחוריו טפחים ואשה מאחריה טפח ומלפניה לא כלום: *In ipso autem sedis secretæ loco sit verecundus, neque sese denudet, donec consideat. Foramen cloacæ pro podice, contrectando exploret; & postea considerat, seque antrorsum non nisi palmam, & tergum versus duas palmas denudet; Mulier autem tergum versus palmam, & antrorsum prorsus non denudanda.* Additur in Berachoth *fol.* LXII. *col.* 1. אמר ר׳ תנחום בר חנילאי כל הצנוע בבית הכסא בצול משלשה דברים מן הנחשים ומן העקרבים ומן המזיקין ויש אומרים אף חלומותיו מיושבים עליו: *Dixit R. Tanchum bar Chanilai, omnem, quicunque in sedis secretæ loco verecundus est, a tribus rebus liberari, a serpentibus, & a scorpionibus, & a dæmonibus. Sunt etiam, qui dicunt, somnia ejus esse bene composita.*

(20) Quantum a conspectu Hominum elongari. Quatuor minimum ulnas. Neque, si quis secessisset, alterum decebat ipsum attendere. Fuit tamen aliquando, cum quis licite, ut sibi videbatur, Magistrum suum cacantem diligentius observaret, de quo Barajetha extat in Massech. Berachos *fol. LXII. c.* 1. תניא אמר רבי עקיבא פעם אחת נכנסתי אחר רבי יהושע לבית הכסא ולמדתי ממנו ג׳ דברים למדתי שאין נפנין מזרח ומערב אלא צפון ודרום ולמדתי שאין נפרעין מעומד אלא מיושב ולמדתי שאין מקנחין בימין אלא בשמאל א״ל בן עזאי עד כאן העזת פניך ברבך א״ל תורה וללמוד אני צריך: *Traditio est : Dixit R. Akiba, ingressus sum aliquando post Rabbi Josuam in sedis secretæ locum, & tria ab eo didici 1. quod non versus orientem & occidentem, sed versus septentrionem & austrum convertere non debeamus. Didici 2. quod non in pedes erectum, sed jam considentem se retegere, liceat. Didici 3. quod podex non dextra, sed sinistra manu abstergendus sit. Ad hæc objecit ibi Ben Hasai : Usque adeo vero perfricuisti frontem erga Magistrum tuum*, ut cacantem observares? *Respondit ille : Legis hæc arcana sunt, ad quæ discenda id necessario mihi agendum fuit.* Subjungitur ibidem statim alia traditio in qua se ista Ben Hasai eadem sic didicisse ait a R. Akiba, eique R. Jehuda illud, quod ipse olim Akibæ, objicit, simili prorsus responsione ab eo exceptus.

(21) Rex Saulus. Nescio, an apposite satis hæc dicantur. Omnino enim Saulus sese ab hominum conspectu removendi animo in speluncam secesserat, ignarus, quemquam ibi latere.

(22) Brandspiegel. Liber est Ethicus, varia bene vivendi præcepta continens; quo si destituaris, conferas saltem Buxtorfii *Synagogam Judaicam c. IV. p.* 122. *seqq.* & editione a filio aucta *c. VIII. p.* 153. *seqq.* ubi pleraque ex eo de hac materia excerpta sunt.

(23) Quam superstitiose Sabbathum. Quicquid hic de superstitiosa magis, quam religiosa Sabbathi observatione sequitur, id omne veluti in sede propria habetur in duabus Talmudis Massichtis Schabbath, & Erubhin, quas cum versione Dn. D. Seb. Schmidii & Commentariis R. Majemonidæ & R. Obadiæ de Bartenora ab eodem Latio donatis jam ante hos tredecim annos hic Lipsiæ edidimus. Illuc ergo remittimus Lectorem non sine fructu recessurum. Inde enim petita ea sunt, quæ in R. Majemonidis Jad Chasakah *Hilkoth Schabbatth Tom. I. Operis inde a fol. CXXXI. & seqq.* R. Jacobi ben Ascher Arba Turim *part. I. Orach Chajim, Hilk. Sabbath, a fol. XLIV. seqq.* R. Mordechai Pulchri Lebhusch Malchuth, *part. II. fol. LXXVII. seqq.* item in Schulchan Aruch, Col-bo & cæteris ritualibus atque Juridicis Hebræorum libris traduntur. Similia cum Auctore nostro excerpserunt Anthonius Margarita *in Relig. Judaic. p.* C. *col.* 2. *seqq.* Christ. Gerson *part. I. Talm. Jud. c. XIX. p.* 125. *seqq.* Buxtorfius *Synagog. Judaic. c. X. XI. p.* 223. *seqq.* & in edit. aucta *c. XV. XVI. p.* 294. *seqq.* Anth. Hulsius *part. I. Theol. Jud. p.* 240. *seqq.* Jo. Hornbeck *lib. VII. De Convincend. Judæis, c. V. p.* 503. *seqq.* Jo. Leusdenius *Philol. Hebr. Mixto Diss. XXXIV. seqq. p.* 222. *seqq.* &c.

(24) Viæ Sabbathi. Hanc vocant תחום השבת, & mirum, quot hic constitutiones, ritus & leges tradant, sine quibus tamen citatus locus *Act. l.* 12. satis illustrari nequit. De hac via Sabbathi vide sis Buxtorf. *Lex Talm. fol.* 2582. Seldenum *lib. III. de Jure Nat. & Gent. c. IX. f.* 315. *seqq.* Sam. Petitum *lib. III. Observat. toto* Cap. I. *p.* 242. *seqq.* Drusium *lib. V. Præteritor. pag.* 153. 154. Hoornbeckium *l. VII. de Convincendis Jud. c. V. p.* 507. Hottingerum *Juris Hebr. Leg. XXIV. p.* 32. *seqq.* Ludovicum de Dieu *animadv. ad Acta. p.* 4. *seqq.* Leusdenium *Philol. Hebr. mixt. Diss. XXXII. p.* 113. & integram Cl. Frischmuthi *Dissertationem Jenæ Anno* 1670. *habitam.*

(25) Maym. H. Melach. *c.* 6. §. 12. Mendum Librarii subesse in hoc Majemonidis loco, suspicatur

tur R. Joseph Karo *in Ceseph Mischneh f. CCXCI. col.* 3. eo quod in Gemara Talmudica, e qua hæc petita sunt, diserte negativa particula אין præmittatur prout eadem a R. Kozensi *Præc. Aff. CXVII.* ad Gemaram provocante additur verbis a Schickardo proxime citatis: *Legimus Cap.* 1. *Schabbas:* אי צריך על העיירות של גוים *non obsident urbes gentium, &c.* Sed juvat ipsiusmet glossam produxisse: בפרק קמא דשבת תנו רבנן אין צריך על עיירות של כותים פחות מג׳ ימים קודם השבת ואם התחילו אין מפיקין וכן היא שמאי אומר עד רדתה אפילו בשבת וע״כפ יש כאן שעות סופר וכן צריך להגיה כמו שכתב הוא עצמו ז״ל בס״פב מהלכות שבת צרין על עיירות של כותים ג׳ ימים קודם דשבת ועושין עמהם מלחמה בכל יום ויום ואפילו בשבת: *Habentur hæc*, inquit, *in capite primo Massecheth Schabbath, ubi docent Rabbini, non obsideri urbes gentilium paucioribus, quam tribus ante Sabbathum diebus, si tamen obsidionem cœperunt, non desistere, quod quidem Schammai demonstrabat* ex Deut. XX. 20. ubi dicitur continuanda obsidio urbis עד רדתה Usque ad occupationem ejus. h. e. inquiebat Schammai, *etiamsi Sabbathum incidat. Itaque omnino hic subest mendum librarii, sic necessario corrigendum ex altero loco, quem ipsemet beatus Auctor in eodem hoc suo opere, Capite secundo Hilkoth Schabbath scribit h. m. obsident urbes gentium tribus diebus ante Sabbathum, & præliantur cum illis postea quotidie, etiam in ipso Sabbatho.* Quanquam vero Majemonidis verba absque illa correctione commode ad mentem Talmudis exponi possunt, & ἐναντιοφανὲς utriusque loci Maimonidæi sic conciliari, ut ᵗᵒ צרין in *Hilkoth Schabbath* de auspicio obsidionis, in *Hilkoth Melachim* autem de ipso actu ejusque continuatione accipiatur; de vero autem verborum sensu Glossa sic optime omnino monuit, cujus gratia alterum Majemonidis locum, quem confert ex Hilkoth Schabbath, integrum exscribemus. Sic autem habet *citato Cap. II. §. ult. XXV. Tom. I. operis fol. CXXXV. col.* 2. צרין על עירות הכותים שלשה ימים קודם לשבת ועושין עמהן מלחמה בכל יום ויום ואפילו בשבת עד שכובשין אותה ואע״פי שהיא מלחמת הרשות. מפי השמועה למדו עד רדתה ואפילו בשבת ואין צ״ל במלחמת מצוה. ולא כבש יושע יריחו אלא בשבת: *Obsidio urbium Ethnicarum suscipienda est tribus ante Sabbathum diebus & postea continuari bellum potest quotidie, etiam in ipso Sabbatho, donec urbem occupaverint, etiamsi bellum tantum ultroneum geratur. Sic enim antiqua traditione acceptum docuerunt sapientes verbis illis* Deut. XX. 20. עד רדתה Usque dum capta fuerit, innui, continuandam esse pugnam *etiam in Sabbatho*: quo loco cum præcipue de bello ultroneo agatur, *non opus fuerit de Legali bello quicquam monere. Neque etiam Josua Jericho occupavit nisi in Sabbatho.* Quod postremum elegans exemplum est pro adstruenda traditione, antiquissimis constanter creditum, itaque Bereschith rabba *loco mox allegando* memoratum. Quin & in ipso vetustiori adhuc libro, Seder Holam Rabba *Cap. XI. fol. XI. col.* 2. רבי יוסי אומר יום השבת היתה מלהמהה של יריחו ושל עי ושל גבעון: *R. Jose ait, die Sabbathi fuisse prælium Jericho, & Hai, & Gibbeonis.*

(26) Locus quem citat. Observo autem, ipsum passim hoc sensu applicari, non in recentioribus tantum Rabbinorum scriptis, sed & in vetustissimis, quorum nobis adhuc usus superest. Locum e Gemara Talmudica adductum jamjam vidimus in Ceseph Mischneh. R. Abarbanel *Parsch. Schophtim fol. CCCLXXVI. col.* 2. ad librum Siphri provocat: לפי שאמר עד רדתה למדו בספרי שאף בשבת יוכלו לבנות המצור ולהתעסק במלחמה: *Propterea quod Lex continuare jubet obsidionem urbis* עד רדתה Usque ad occupationem ejus, *concludunt sapientes in libro Siphri, quod etiam Sabbatho possint oppugnaculum extruere, itaque bellicis actionibus occupari.* Sic in Bereschith Rabba *Seder Lecha lecha fol. LII. col.* 2. תני חזקיה עד רדתה אפילו בשבת שכן מצינו שלא נכבשה יריחו אלא בשבת: *Docuit Hiskiah*, dum Deut. XX. 20. continuanda dicitur urbis obsidio עד רדתה *usque ad occupationem ejus*, docet continuandam esse *etiam Sabbatho: sic enim reperimus, quod Jericho capta non sit, nisi Sabbatho.* Neque obscurum est πόρισμα, quod ex hoc loco sic deducitur: si urbis obsidio non solvenda est, sed continuanda עד רדתה *usque dum occupata urbs fuerit*, sequitur, etiam Sabbatho, si ante occupationem incidat, pugnandum esse.

(27) Infinitivus Radicis ירד. Recte R. Salomo Aben Melech *ad h. l. fol. XL. col.* 1. עד רדתה נכנס התח שרשו ירד ענין ירידה או כתרגומו והכל ענין אחד: *Radix vocis* רדתה *est* ירד *habetque descendendi, significationem, aut qualem Chaldaica hujus loci translatio exprimit. Omne autem quoad significationem eodem recidit.*

(28) Recte redarguit. Vide Hoornbeck. *lib. VII. de convincend. Judæis c. V. p.* 508.

(29) חסידים Jo. Drusius de iis integrum libellum scripsit, qui libris de Sectis Judaicis a Sixtino Amama præmissus est. Putat, fuisse eosdem cum Pharisæis, quod & *lib. I. de Sect. Judaic. c. IV. p.* 52. repetit, non tam sectæ, quam ordinis aut sodalitii pietatisve nomen esse; & *c. X. p.* 63. *seqq.* prolixe denuo exponit vocabulum חסידים tum apud Gorionidem, tum alibi 1. late, i. e. appellative & adjective, 2. stricte vel anguste pro certo ordine sive secta sumi: iterumque *seqq. Cap. XI. toto p.* 65. *seqq.* plurimos Pharisæos in libro Juchasin & R. Albo Ikkarim dici Hasidæos. Conf. & *c. XII. p.* 68. *seqq.* ubi quædam de eorum disciplina & ritibus. Item *lib. IV. a Cap. X. & seqq. p.* 167. *seqq.*

(30) Vox מפליגין. Legitur in Mischna Massecheth Erubbin *c. IV. Misch. I.* de navi, in qua Rabbini quidam ex Phlandresin navigabant, והפליגה ספינתם בים רבן גמליאל ור׳ אלעזר בן עזריה הלכו את כולה וכו׳: *cumque navis jam in altum mare pervenisset, Raaban Gamaliel & R. Eliesir ben Asariæ perambularunt totam navem &c.* Glossa Rabi Majemonidis: הפליגה שם להוליך הספינה בים i. e. ᵗᵒ הפליג *dicitur de progressu navis in alto mari.* R. Bartenora: כשהיא מתרחקת משפת הים ונכנסת באמצע קרי הפלגה לשון פלגי מים: *Cum* navigatio *elongata fuerit a littore maris, & progressa in medium ejus, vocatur* הפלגה Haphlagah, *ex significatione vocis* פלגי *rivi Aquarum Psal. I.* 3. vide Dn. Seb. Schmid *in Mass. Eruabb. p.* 17. 69. & 134. Buxtorfius *in Lex. Talm. f.* 1735. judicat esse Græcum מפליגין. Quod si propriam *dividendi* & *secandi* significationem retineremus, & navis æque ac navigantes dicerentur מפליגין *dividentes* aut *secantes*, scilicet mare, prout Germane dicere solemus Freu[illegible]en?

(31) Quantopere Judæi abhorreant a suilla. Mota est inter Philologos quæstio, cur a suilla magis abhorreant Judæi, quam ab ulla alius prohibiti animalis carne de qua solliciti fuerunt Cunæus *lib. II. de Rep. Hebr. c. XXIV. p.* 318. *seqq.* Bochartus *part. I. Hierozoic lib. II. c. LVII. fol.* 696. *seqq.* Aug. Pfeifferus *Decad. I. Antiq. Sacrar. Pos. X. p.* 26. *seqq.* & quos hic præterea allegat, qui plurima hic dicenda occuparunt omnino consulendi.

(32) Decretum. Habetur in Massech. Baba Kama *Capite VII. Misch. VII.* nec melius intelliges, quam ex annotationibus Const. L'Empereur *ad h. l. pagin.* 176. 177. Gemaræ locus, quem ibi adducit, est in Talmude Babylonico hujus Masichtæ *fol. LXXXII. col.* 2. totidemque verbis repetitur in Massech. Sota *fol. XLIX. col.* 2. & Massech. Menachoth *fol. LXIV. col.* 2. atque dignus adeo, qui Talmudicis toties iteratus hic quoque compareat: ת״ר כשצרו בית חשמונאי זה על זה היה הורקנוס מבפנים ואריסטובלס מבחוץ ובכל יום היו משלשלים להם בקופה דינרין והיו מעלין להם תמידין היה שם זקן אחד שהיה מכיר בחכמת יוונית אמר להם כל זמן שעוסקין בעבודה אין נמסרין בידכם למחר שלשלו דינרין בקופה והעלו להם חזיר שהגיע לחצי החומה נעץ צפרניו בחומה ונזדעזע א״י ד׳ מאות פרסה על ארבע מאות פרסה באותה שעה אמרו ארור האיש שיגדל חזירין וארור האדם שילמד את בנו חכמת יוונית: *Tradiderunt Rabbini, eo tempore, quo Hasmonei inter se belligerabant, & intra urbem Jerosolymam Hyrcanus obsessus, extra vero Aristobulus oppugnans erat, demisisse quotidie obsessos in arcula pecuniam, pro qua oppugnantes reddiderint agnos ad juge sacrificium requisitos. Adfuisse autem senem quendam Græcæ Philosophia peritum, qui oppugnantibus dixerit: quamdiu obsessi cultu divino sic vacant, tamdiu in manus vestras non traduntur. Postero ergo die, cum pecuniam illi denuo in arca demitterent, reddidisse porcum, quæ*

cum

cum ad medium usque muri pervenisset, ungulas suas muro infixerit, e quo tota regio Israelitica per quadraginta milliaria in longitudine totidemque in latitudine contremuerit. Inde ab eo tempore inquiunt decretum fuisse, maledictum fore, qui porcos alat, quique suum filium Philosophiam Græcorum doceat.

(33) Sepem legis. Sic vulgo Masora dicitur Rabbinis, quod genuinam legis lectionem custodiat. Elias Levita *in præfation. III. Masoreth.* אחר המעשה שעשו בעלי המסורת אי אפשר שנפל או שיפול חילוף או שינוי בשום צד בכל ספרי המקרא ולא לחנם אמרו רז״ל מסורה סיג לתורה: *Post laborem illum, quem præstiterunt Masorethæ, impossibile est, ut ceciderit vel cadere possit mutatio aut depravatio quædam ullo modo in ullos libros biblicos, unde etiam non frustra dixerunt Rabbini nostri: Masora est sepes legis.* Præterea vero decreta sapientum sic circumscribunt, quippe quibus accuratior præceptorum divinorum observatio munitur, quo sensu in Pirke Abhoth *statim initio cap. I.* Viri Synagogæ magnæ dixerunt: הוו מתונין בדין והעמידו תלמידים הרבה ועשו סייג לתורה: *Estote tardi in judicio, & constituite discipulos multos, & facite sepem Legi.* Ad quem locum R. Maimonides *in Commentar.* סייג לתורה ר״ל הגזירות והתקנות אשר ירחיקו האדם מן העבירות כמו שאמר ית׳ ושמרתם משמרתי ונאמר בפירושו עשו משמרת למשמרתי: *Per sepem Legis intelliguntur constitutiones & decreta, quæ hominem a transgressione ipsiusmet legis arcent. Hæc ipse* Deus *requisivit* Lev. XVIII. 30. & custodietis custodiam meam, *h. e. juxta glossam h. l. facite custodiam custodiæ meæ.* Nempe *Deum* inquiunt custodiam fecisse, cum legem daret, sed hanc denuo decretis sapientum custodiendam velle. Vide Nachalath Abhot *fol. XX. col.* 2. & R. Bartenoram *h. l. fol. CCXI. col.* 2. item Leusdenium *not. ad Pirke p.* 7. Vorstium *not. ad Abarb. de Cap. fid. c. XIII. p.* 61. Ab hac sollicitudine & cura commendatur Rabban Jochanan ben Saccai, in R. Davidis Gansii Zemach David *par I. fol. XXXIX. col.* 2. הוא עלה אחר החרבן מירושלים יאבנה ותקן שם סייגת לתורה: *Hic post desolationem Jerosolymitanam, Jerosolymis Jabhnem perrexit, ibique constituit sepes legis,* varias vivendi consuetudines aliaque decreta ordinando.

(34) Magnus ille Porcorum grex. Pluribus hanc quæstionem ventilarunt Const. L'Emper. *annot. ad Baba Kama pag.* 178. *seqq.* Sam. Bocaccius *part. I. Hieroz. lib. II. c. LVII. f.* 697. Jo. Lightfootus *Hor. Hebr. in Matth. p.* 137. Aug. Pfeifferus *Dec. I. Antiq. Bibl. Pol. X. §.* 3. *seqq. pag.* 27. 28. qui post Commentatores in Matthhæum conferantur.

(35) Ad lepram disponit. Mass. Kiddushin *fol. XLIX. col.* 2. עשרה קבים נגעים ירדו לעולם תשעה נטלו חזירים ואחד העולם כולו: *Decem mensuræ lepræ descenderunt in mundum, quarum novem acceperunt porci, una autem per universum mundum distributa est.* Mass. Schabbath *fol. CXXIX. col.* 2. פגע בדבר אחר קשה לדבר אחר: *Qui incidit in rem aliam, periclitatur de re alia:* ubi Glossa interior: לדבר אחר חזיר לדבר אחר צרעה שהחזירים מנגעים הן כדאמרין בקדושין וכו׳: *Per* Rem aliam *priori loco intelligitur porcus, posteriori lepra, siquidem porci leprosi sunt, prout ajunt in Kaddushin &c.* reperitur sententia de decem lepræ mensuris in mundum missis. Similia vide in Bocharti *Hierozoic. loc. cit. fol.* 699.

(36) Sus fœdissima. Hoc argumentum persequitur R. Maimonides *part. III. More Nevoch. c. XLVIII. f.* CLXXVI. *c.* 1. רוב מה שמאסתו התורה לרוב לכלוכו ומזונו בדברים הנמאסים וכבר ידעת הקפדת התורה על ראיית הלכלוכים ואפילו בשדות במחנה כל שכן בתוך המדינה ואלו היתה מותרת אכילת החזיר היו השווקים עם הבתים יותר מלוכלכים מבית הכסא כמו שתראה ארצות הצרפתים היום כבר ידעת אמרם פי חזיר כצואה עוברת דמי: *Potissima causa, propter quam Lex nobis prohibuit carne suilla vesci, est fœdo porcorum sordities, & quod multas sordidasque res comedant. Nosti enim, quam anxie lex omnes sordes, omnemque immunditiam prohibuerit, in agris quoque & castris, ut nil dicam de ipsis urbibus. Quod si autem permissum esset porcos comedere, plateæ & domus omnes longe sordidiores essent, quam sterquilinia & latrinæ, sicut in Galliis hodie videre licet. Scis autem, quid vulgo Rabbini dicant: Os porci simile habetur excremento per id transeunti.*

(37) Romanum. Aliam comparationis rationem, in nominis etymo fundatam, idem Bechai *f. CXLI. c.* 4. mox e Medrasch Tanchuma subjungit: למה נמשלה מלכות זו לחזיר הק׳בה להחזיר עליהן מדת הדין: *Quare Regnum hoc comparatur* (לחזיר) *cum porco? propterea quia* Deus *aliquando* (להחזיר) *retribuet illis mensuram judicii, pro justitia sua.*

(38) Undecim Rabini &c. Hanc historiam, sive fabulam mutuatus videtur noster e Buxtorfii *Recensione Operis Talmud. p.* 227. ubi plenius e libro Caphor Vaphærach *fol. CXXI. col.* 2. recensetur.

(39) דבר אחר Rem aliam. Pulchre Cunæus *lib. II. de Rep. Hebr. c. ult. p.* 321. *Judæi ipsum nomen hujus animantis inter res scævas & mali omninis numerant. Quoties enim loquuntur de illo, non nominant illud, sed recepto quodam more, uti malam scævam avertant, patrio sermone* דבר אחר *ajunt. Romani id feliciter exprimere nequeunt. Nam si dixeris,* Res alia, *verbum quidem verbo reddes; sed sensum dicti non assequeris. At Græce esset,* πρᾶγμα ἀλλόκοτον, *sane per quam significanter.* Cæterum hanc aphrasin de aliis etiam rebus, quas suo nomine appellare ipsis religio est, passim usurpant, de Christianorum eleemosyna, de lepra de coitu &c. Vide Buxtorf. *Lex. Talm. fol.* 496.

(40) Licere Porcina carne. Hoc licuisse ajunt Israelitis, cum bellum olim adversus Cananæos gererent, & terram promissam occuparent; similiterque olim tempore adventuri Messiæ non illicitum fore amplius suilla vesci, quod tunc cum Gog & Magog præliandum sit. Utrumque traditur a R. Isaaco Abarbanele *in Rosch Amanah c. XIII. fol. XVIII. col.* 2. quem locum, quia suboscure & in nonnullis etiam vitiose Guilielmus Vorstius *in versione sua p.* 55. Jo. Hornebekio *lib. VII. de convincend. Jud. c. I. p.* 465. & Jacobo Altingio *lib. V. Schilo c. XIX. p.* 440. usurpata reddidit, ex ipso Auctore efferemus & interpretabimur. Videtur Vorstius castrata libri editione usus fuisse; nobis ea est, quæ Venetiis anno supputationis Judaicæ 5305. i. e. *Christi* 1545. prodiit. Agit Abarbanel toto illo capite de legis æternitate quam contra varias objectiones vindicat. Inter alias sibi objicit legem de esu suillæ prohibito, quem tamen veteres tempore Messiæ concedendum dixerint, quando porcum חזיר ab החזיר *reducendo* appellatum pronunciant, quod ejus esus & usus aliquando reducendus sit. Respondet vero, hoc dictum veterum dupliciter posse accipi, vel allegorice, ut porcus Romanum regnum designet, quod aliquando ad Israelitas reducendum iisque subjugandum, quo sensu illud e Jelammedenu, sive Tanchuma (unus enim idemque liber est) adducentem R. Bechajum modo vidimus *lit. o.* vel literaliter, quatenus fœdum illud in lege interdictum animal notat: hujus quidem usum reducendum dici, non tamen ita, ut legi interdicenti deroget, sed pro ea limitatione, qua lex ipsa ad tempus in castris concederet suillæ comestionem. Ut ergo olim belli tempore in occupatione promissæ terræ, cum suillam impune liciteque comederent, lex neutiquam dici mutata poterat: sic neque Messiæ tempore, in occupatione Romani imperii, cum gravissima bella gerenda erunt, per licitum porcinæ usum æternitati & immutabilitati legis quicquam decessurum. Hoc sibi volunt Rabbini verba, quæ jam inoffenso oculo perlustrabis: וכן אמרם ז״ל למה נקרא שמו חזיר מפני שעתיד ה״בה להחזירו לישראל. כבר פירשו בן בו בילמדנו שנ׳ על אדום שנקרא חזיר שנאמר יכרסמנה חזיר מיער. ואם משפני המלחמות להוראת שעה יתירהו הב״ה לישראל כמו שהתירו להם בזמן כבוש הארץ וכמו שאמרו ובתים מלאים טוב אפילו קורלי דחזירי ולכן אמרו להחזירו. ובאמרם ז״ל בילמדנו אסורים יי׳ מתיר אסורין: *Similiter res habet cum illo Sapientum effato de porco:* Quare vocatur nomen ejus חזיר? Quia futurum est, ut Deus להחזירו Reducat eum Israelitis. *Id enim pridem ipsimet exposuerunt in Jelammedenu, intelligendum de imperio Romano, quod* חזיר Porcus *vocatur ex illo* Psalmi LXXX. 14. consumsit eam חזיר Porcus Sylvestris. *Vel dicendum, quod tunc similiter propter bella ad certum tempus suillæ usum* Deus *Israelitis concedet, veluti eum ipsis permisit eo tempore, quo terram promissam occupabant, juxta illud* Deut. VI. 11. Dabit Domos omni bono plenas, *quo etiam cervices porcorum*

coeum indicari tradunt. Hoc ergo sensu dictum voluerunt illud suum להחזירו Ut reducat eum, *item cum Jelammedenu illud* Psalmi CXLVI. vers. 7. יי׳ מתזיר אסורים *sic accommodant*, *quasi sensus esset: Dominus concedit illicita*.

(41) Oralis Kabala docet. Eam Rabbi Jeremias bar Abba tradidit a Rabo acceptam, in Gemara Babilonica Massech. Cholin *fol. XVII. col.* 1.

(42) Quam Judæi superstitiosissime observant. Dn. Buxtorfius Fil. integram scripsit Diatribam *de ritu lotionis manuum ante & post cibum*, eamque vindiciis anti-Cappellianis Exercitationis suæ in Historiam institutionis Cœnæ Dominicæ attexuit, in qua pleraque huc facientia doctissime evolvit. *Lege* inquit Dn. D. Geierus *de luctu Hebr. c. XXI.* §. 5. *p.* 378. cum diatribam illam post alios Auctores allegasset, ad eandem materiam delatus, *non pœnitebit; vix enim quicquam desiderabis de hac lotionis manuum materia, quæ non sint illic congesta*. Confer in eundem *in Synagog. Judaic. recens aucta c. XI. p.* 235. *seqq.* ubi pene eadem reperies, quæ a Schikardo hic observata sunt, & adde Pocokium *Not. Miscell. ad port. Mosis c. IX. pag.* 350. *seqq.* ipso adhuc Buxtorfio prolixiorem.

(43) Secundi templi temporibus conceptæ. Rem omnem sic paucis accipe. Cum sub temporibus secundi templi, emergente Pharisæorum secta distinctio in legem scriptam & oralem introduceretur, nullus non Pharisæorum, ut vitæ sanctimonia, sic excellentia singularis doctrinæ inclarescere voluit. Suis ergo quisque discipulis certam constitutionem sub oralis legis prætextu tradebat, quam non scripto, sed ore tantum propagare concedebatur, ne Lex oralis confunderetur cum scripta. Interea sibi discipuli, quæ a Præceptoribus tradita cognoverant, in pugillares memoriæ gratia annotabant. In his multa a majoribus accepta, quæ ritus & consuetudines antiquorum vere, & quales omnino erant, describerent, plura vero noviter excogitata, talia tamen omnia, quæ illo tempore strictim in ea secta credebantur observanda esse, & *Christo* in terris agente, nomine legis Mosaicæ, sed oralis, cum maxime valebant. Atque ita oretenus tantum in scholis per quædam sæcula docebantur, & tradebantur posteris. Post templi vero, & urbis, & Reipublicæ totius desolationem, etsi in Babilonia, & Judæa quædam scholæ & Academiæ superessent, in quibus studium traditionum Pharisaicarum vigebat; vidit tamen celebris ille Mischnæ compilator, R. Jehuda hakkadosch, durante tamdiu exilio, tandem oralem legem interituram omnem, itaque collegit, quas undecunque acquirere potuit, schedas, in quibus sibi discipuli, ex ore Magistrorum, traditiones jam olim consignaverant, atque ex iis systema illud composuit, quod *Mischna*, hoc est, lex secundaria & oralis, inscribitur. Factum hoc ducentis circiter post Christum annis. Prodeunte hoc traditionum libro, habuerunt Rabbini, in quo sese exercerent, & cui reliquas, quas superesse adhuc deprehendebant traditiones adderent, unde circa idem tempus, paucis post annis, R. Johanne ex tribu Joseph Auctore, Gemara Jerosolymitana prodiit, quæ cum nimis imperfecta crederetur, continuatæ in Academiis Judæorum disputationes in illum Mischnæ librum fuerunt, & plures e veterum pugillaribus traditiones repertæ, in quibus conferendis doctissimi quique Rabbinorum per ducentos amplius annos porro occupabantur, donec quadringentis circiter post Christum annis Auctore Raf Asse, Gemara Babylonica prodiret, atque adeo Talmud illud, quod apud omnes hodie divinæ æstimatur auctoritatis, obsignaretur. Etsi igitur negari nequit, multa *Christi* & antiquiori adhuc tempore usitata fuisse, quæ per tot rerum Judaicarum discrimina interciderunt, inque Talmudico Opere non comparent, de quo quæritur R. Majemonides *part. I. More Nevoch. c. LXXI. fol. LIII. col.* 2. causam illius damni, intermissam legis oralis accuratiorem descriptionem, allegans: וכבר ידעת שאפילו התלמוד המקובל לא היה מחובר בספר מקום לעניין המתפשט באומה, דברים שאמרתי לך על פה אי אתה רשאי לאמרם בכתב: *Nosti*, inquit, *Talmud ipsum inter nos receptum, olim non fuisse in certum librum digestum, propter orationem illam, quæ tum passim obtinebat in gente nostra*: Verba, quæ dixi tibi ore, non licet tibi scripto divulgare, ea tamen, quæ consignata sunt, non habenda pro illorum Talmudis collectorum inventis, sed ipsissimis veterum Christi sæculo antiquiorum traditionibus. Plane uti in Romani Juris Corpore Justiniani seu Triboniani fide collecto, Modestini, Papiniani, Florentini, Alpheni, Proculi, Celsi, & ejusdemodi aliorum, qui trecentis aut circiter sunt Justiniano annis vetustiores, sententiæ, & scita juris alibi non reperta, itemque Leges duodecim Tabularum, quæ plurimis etiam sæculis hosce antevertunt, commemorantur. Qua de re plura in Isagoge nostra in Philologiam Hebraicam & Rabbinicam publicis prælectionibus tradita.

(44) Casum de quodam peregrinante. Vide Massech. Cholin *fol. CVI. col.* 1. ibique glossam interiorem.

(45) Akiba. Vide de eo supra *p.* 319. *seqq.*

(46) Propter salem Sodomiticum. Sal Sodomiticus est, qui e regione Sodomitica affertur, & tantæ dicitur acerbitatis, ut si vel granulum ejus forte oculum tangat, visum lædat. Unde & mare illud, in quod Pentapolis ob peccata Sodomitarum conversa est, propter hanc salsedinem, quam secum vehit, ים המלח *mare salis* aut *salsum* nominatur, ejusque aqua fertur omne, quicquid attingit, infructuosum & sterile reddere. Male ergo Schikardus noster hariolatur, ad Lothi uxorem in statuam salis conversam, Rabbinum respicere: nullo sane sensu. Sumsit ista Rabbi e Gemara Massecheth Erubbin *fol. XVII. col.* 2. quæ tantundem repetuntur in Gemara Massech. Cholin *fol. XV. col.* 2. ופטורין מרחיצת ידים אמר אביי לא שנו אלא מים ראשונים אבל מים אחרונים חובה אמר רב חייא בר אשי מפני מה אמרו מים אחרונים חובה שמלח סדומית יש שמסמא את העינים: *Quando Mischnici castrenses a lotione manuum absolvunt, id Abbai eos non nisi de lotione ante cibum intellectum voluisse ait. Quod vero lotionem post cibum sumtum attinet, ad hanc omnino adstringi. Dixit ad ea Rab Chaja bar Asse: Quare ad lotionem post cibum sumtum adstrinxerunt? Resp. propterea, quod Sal Sodomiticus oculos excœcat*. Glossa Talmudica interior *utrobique*: אמרו רבנן אחר כל אכילתך אכול מלח ומשום מלח מטבל בו אצבעו תיקנו מים אחרונים: *Dixerunt Rabbini*: Post omnem comestionem tuam comede salem: *& propter hunc salem, in quem comedens digitum intingit ordinarunt aquam post cibum sumendam*: fieri enim potest, ut vel Sal Sodomiticus in vicina nempe Sodomiticæ regioni Israelitarum terra, vel alius ejusdem virtutis admixtus sit. R. Majemonides *Hilk. Berathoth. c. VI.* §. 3. *Tom. I. Jad. fol.* CXVIII. *col.* 2. כל פת שהמלח בו צריך נטילת ידים באחרונה שמא יש בו מלח סדומית או מלח שטבעו כמלח סדומית ויעביר ידיו על עיניו ויסמא מפני זה חייבין ליטול ידים בסוף כל סעודה מפני המלח: *Omnis panis, in quo sal est, postulat lotionem manuum post cibum sumtum, ne forte admixtum habeat salem Sodomiticum, aut salem, cujus natura sit instar salis Sodomitici, qui manibus ad oculos admotis excœcet. Propterea adstricti sunt manuum lotioni in fine cujusque prandii, propter salem*. Ad quem locum R. Joseph Karo *in Caseph. Mischneh f.* CXIX. *col.* 1. observat notanter Maimonidem sali Sodomitico alterum, qui Sodomitici salis naturam habeat, adjunxisse, ut non minus in aliis quoque terris hanc manuum lotionem doceret observandam, quam observari oportuit in terra Israelitica ומשתכח מלח סדומית שסדום קרובה להם: *ubi Sal Sodomiticus reperiebatur, quia Sodomitica regio vicina admodum illis erat*.

(47) Qualisnam aqua. Ex professo de hac aqua ad lotionem adhibenda agit R. Maimonides *Hilk. Brachoth cap. VI.* §. *VII.* ארבע דברים פוסלין את המים. שינוי מראה. וגלוי. ועשיית מלאכת בהן. והפסר שמונע את הבהמה מלשתות בהן: *Quatuor res illicitam reddunt aquam, ne lotioni adhiberi queat, nempe mutatio coloris, & retectio, & confectio operis alicujus in illa, & corruptio, quæ arcet bestiam, ne bibat de ea*. Singula postmodum particulatim evolvit: כיצד *Quomodo hæc intelligenda?* inquit. 1. מים מחמור שנשתנו מראיהן בין בכלים בין בקרקעות בין דבר שנפל לתוכן בין מחמת מקומן הרי אלו פסולין: *Aqua, cujus color mutatus est sive in vasis sive in cisternis,*

sternis , sive propter rem aliquam , quæ in eam incidit , sive propter diutinam ejus in uno loco stationem , illicita est . 2. וכן אם נתגלו גלוי האוסר אותן משתייה נפסלו בנטילת ידים : *Similiter si retecta sit ea retectione , quæ ad bibendum illicitam reddit :* (de quo in Mass. Abhoda sara c. II. *probibita est in lotione manuum .* 3. §. VIII. הכל מים שנעשה בהן מלאכת נעשו שופכין ופסולין לנטילת ידים. כיצד מים שאובין שהדיח בהן כלים או ששרה בהן פתו וכיוצא בזה בין בכלים בין בקרקעות פסולין לנטילת ידים. הדיח בהן כלים מודחין או חרשים לא פסלן . מים שהנחתום מטבל בהן את הכעכים פסולין . ושהוא חופה מהן בשעת לישה בשרים . שהמים שכחפניו הן שנעשו בהן מלאכה. אבל המים שחפן מהם הרי הן בכשרותן : *Omnis aqua , in qua confectum est aliquod opus , effundenda , atque ad manuum lotionem illicita est . Quomodo hoc ? aqua hausta , in qua quis vasa abluit , aut panem maceravit , aut simile quid aliud fecit , sive ea sit in vasis , sive in cisternis , ad manuum lotionem illicita est . Si tamen vasa antea abluta aut nova in ea abluerit , non est illicita . Aqua derivata , qua quis massam farinæ ad placentas conficiendas intingit , illicita est ; si tamen quis pugillo eam exceperit , illo tempore quo excepit , licita est : siquidem aqua , quæ jam pugillis excepta est , pro tali æstimatur , qua opus peragimus ; at ea quam quis adhuc pugillo excipit , est licita .* 4. §. IX. וכל מים שנפסלו משתיית בלב . כגון שהיו מרים או מלוחים או חכורין או ריח רע עד שלא שתה מהן הכל בכלים פסולין לנטילת ידים ובקרקעות כשרים להטביל וכו׳ : *Tandem omnis aqua , quæ inidonea est , ut canis de ea bibat , v. g. si sit amara , aut salsa , aut turbida , aut male olens , quamdiu de ea canis non bibit , ad lotionem in vasis quidem illicita , in cisternis autem licita est , &c.* Adduntur plura , quæ in auctore ipso videantur .

(48) Qui militiæ nomen dedere . Paucis omnia complexus Maimonides *loc. cit.* §. 3. במחנה פטורים בנטילת ידים בתחלה מפני שהן טרודים במלחמה וחייבין באחרונה מפני הסכנה : *In castris liberi sunt a lotione manuum ante cibum , quia assidue in bello gerendo occupati sunt ; at post cibum sumtum ea tenentur propter periculum* , quod a sale Sodomitico , aut simili metuendum , de quo præcesserat . Vide Dn. D. Geierum *de luctu c. XXI.* §. 5. *p.* 377.

(49) Primo cap. Massech. Erubin. Mischna ultima , *p.* 5. *edit. Schmdiana* , & confer omnino Commentarium Majemonidis latio donatum *ibid. p.* 53. & Bartenoræ *p.* 119. ubi itidem salis Sodomitici oculos excoecantis mentio .

(50) R. Bechai . Descripsit hæc Bechai ad verbum ex Tanchuma *f. LV. c.* 4. & e Bechai denuo repetit Zenorenna *f. LXXX. c.* 2. Præmittitur vero in Auctore ipso *f. CXLI. c.* 3. aliud simile , quo eandem rem illustrat : למה הדבר דומה לבעל הבית שהיה לו גורן והיה חמור וכלב טען עליהם התבואה הכלב היה משליך המשוי כי לא נסה מה עשה בעל הבית התיר מעליו המשוי כך הקב״ה כיון שראה את האומות שאין בהן לחלוחית ואינן מקיימין את המצות : *Res hæc similis est Patrifamilias , qui horreum , simulque asinum & canem habet . Utrique frumentum imponit ferendum sed canis impositum onus abjicit , quia ferendo non est adsuetus . Quid ergo Paterfamilias ? ipsemet eum ab onere ferendo ultro liberat . Idem fecit* Deus , *postquam gentiles vigore destitui , & Legem non servari vidit .*

CAPUT SEXTUM

DE MORTE ET SUCCESSIONE.

THEOREMA XIX. (1)

Mortui supellex comburebatur : equis etiam enervatis .

UT unus & æqualis est omnium introitus in hunc mundum, ita quoque omnibus idem exitus, *Sap.* 7. *vers.* 6. imminetque commune illud mortalitatis jugum tam illis qui purpura vestiuntur, quam qui vili tantum lino, *Syr.* 40. *vers.* 4. Monet igitur susceptæ dissertationis ordo , ut breviter adjungam , quid de Regibus factum sit , postquam pallida mors ipsorum quoque turres, non secus ac pauperum tabernas , atro pede pultasset. Habebant tunc pleraque quidem humationis jura cum plebejis communia; fuerunt aliquæ saltem ceremoniæ vel pompæ solennes, honoris causa superadditæ: de quibus nunc sigillatim & sua serie . Primum erat , quod recens mortuorum cadavera, (2) sordibus suis expurgata, undique obturabant ; forte ne quis tetrus odor exhalans, respirationem vivorum inficeret . Maym. Hal. Ebhel. *init. cap.* 4. מנהג ישראל במתים כך הוא מאמצין עיניו של מת ואם נפתח פיו קושרין את הלחי ופוקקין את נקביו אחר שמריחין אותו וסכין אותו במיני בשמים : *mos Israelitarum cum mortuis sic habet: obfirmant oculos* (3) *defuncti* (ut clausi maneant,) *sique os* (4) *hiat , ligant maxillas ejus , ac obturant omnia corporis foramina , postquam excrementa inde* (presso ventre) *depulerunt ,* (5) *& inungunt varias species aromatum .*



Refert etiam author ritualis libri *Minhagim cap. ult.* solere illos morientium pollices , (6) eo artificio in volam deprimere , ut pugni rugæ cognomentum *Dei* שדי (quod *Omnipotentem* (7) significat, *Genes.* 17. *vers.* 1.) pulchre repræsentent. Quoniam vero digiti eo situ difficulter manent : morientes enim illos distendimus, quasi omnia dimissuri; sicut econtra velut omnia lucraturi, nascentes eos contraximus: ideo consueverunt pollices alligare manibus per fila e sacris vestibus , ציצית dictis (8)

(8) avulsa, quæ contra necromanticas artes valere creduntur. Is ritus humanior minusque crudelis videtur Romano, ubi adamatis aliquando digitum abscindebant, ad justa servatum, nec cum reliquo corpore comburendum. Porro dictum est supra *Th. VI.* (9) quod immundæ rei præsentia volumen legis (10) polluat, ideo removent id a morituris. Ibid. *cap.* 12. §. 3. אין מניחין ספר תורה על מטתו של חכם: *non relinquunt librum legis super lectum sapientis*. Semel tamen reperio id neglectum fuisse, in obitu nempe vulnerati regis Achab, non quidem ob honorem personæ, sed potius in testimonium contra ipsius impietatem. Talm. Basa kama *p.* 17. *a.* דברי ר׳ יהודה אמר ליה ר׳ נחמיה והלא לפני אחאב עשו לו כן (פי׳ הספר גדול כדאמר במגילה במספד הדרימון בן טברימון היו עם רב במלחמה וכולן ספדו עליו) אלא שהניחו ספר תורה על מטתו ואמרו קיים זה מה שכתוב בזה (אע״ג דאסור לישב על גבי מטה שס״ת מונחת עליה) *Verba R. Jebudæ, cui dixit R. Nehemias: annon coram Achabo sic fecerunt? scilicet planctum ingentem, sicut dicitur in Megilla, apud Hadrimon filium Tabremi, quod omnis exercitus nudatis humeris eum luxerit, verum reliquerunt librum legis super lectum ejus dicentes*: Iste confirmet in te, quod in se scriptum est! (nempe de talionis jure *Levit.* 24. *vers.* 20. *Deut.* 19. *vers.* 21. ut in loco, ubi canes innocentis Nabothi sanguinem linxerunt; tuum quoque lingant, juxta prædictionem Eliæ 1. *Reg.* 21. *vers.* 19. quæ & impleta est, *cap. seq.* 22. *vers.* 37.) *quamvis alias nefas habeatur incumbere lecto, in quo liber iste repositus est*. Cæterum solebant Judæi ob quemvis tristiorem casum, nec tantum in privato luctu, sed vel præcipue in magnatum funeribus, vestes dilacerare, (11) atque commiserationem suam hoc ritu testari: qui non arbitrarius erat, sed suis legibus constans. Hal. Ebhel. *init cap.* 8. אבל חייב לקרוע על מתו שנ׳ ובגדיכם לא תפרומו הא אחר חייב לפרום ואין קריעה אלא מעומד שנ׳ ויקם המלך ויקרע את בגדיו (ואם שכח וקרע מיושב חוזר וקורע מעומד כדאית׳ החם אמימר שכיב ליה בריה וכו׳) ומהיכן קורע מלפניו והקורע מאחריו או מן הצדדין או מלמטה לא יצא מידי חובת קריעה אלא כהן גדול שהוא פורם מלמטה כמה שיעור הקרע טפח ואין צריך להבדיל שפת הבגד ומותר לו לקרוע בכלי ואינו חייב לקרוע אלא בגד העליון בלבד ואם בא להחליף מחליף ואינו קורע קרע אחר בד״א בשאר המתים חוץ מאביו ואמו עמהן קורע עד שמגלה את לבו ומבדיל שפת הבגד ואינו קורע בכלי אלא בידו מבחוץ בפני כל העם וקורע כל הבגדים שעליו ובגד הזיעה (אפקריסותו בירושלמי) הדבוק לבשרו אינו מעכב ואם החליף בגד אחר חייב לקרוע כל ז׳ ימים ועליהן חולץ כתיפו ומוציא זרועו מן החלוק עד שיתגלה כתיפו וזרועו והולך כך לפני המטה: *Lugens tenetur* (12) *vestes ob mortuum dilacerare, quia dicitur* (Levit. 10. 6.) *vestimenta vestra ne dissuatis* [iste textus prima fronte contrarium docere videtur, sed cogitandum est de Sacerdotibus loqui, quos hoc ipso plebi dissimiles voluit legislator,] *ecce innuit esse alios qui dissuere debeant! Non fit autem ruptura nisi a stante, sicut dicitur* [2. Sam. 13. vers. 31.] *surgens David vestes laceravit*: [*&* *si qui oblitus vel mærore occupatus rupisset sedens, denuo rumpere tenetur stans, sicut fecit R. Amemar, cum ei filius obiisset*, cap. 3. Moed. Katon.] *Unde vero lacerare incipit? ab anteriori parte; nam qui a posteriori, vel latere, vel infra inchoat, non immunis est a reatu: excepto Pontifice solo, qui tantum inferne lacerat* [Mass. Horaios *p.* 12. *b. &* 13. *a.* secus quam Caipham vulgo pingunt, *Matth.* 26. *vers.* 65. priscorum rituum ignari.] *Quænam est mensura rupturæ? palmus* [sive quatuor digiti,] *non exclusa fimbria. Licet etiam scindere instrumento* [velut forfice vel cultro,] *nec quis tenetur aliam rumpere quam exteriorem, eamque si usu sic postulante mutat, non lacerat secundam. Verum hoc omne dictum est communiter, de plerisque mortuis; at in parentum luctu rumpit amplius, ut ipsum pectus nudetur, separat quoque oram vestimenti, nec scindit organo, sed propria manu, palam in conspectu omnis populi, laceratque vestes universas usque ad cutem, etiam sudarium vel interulam* [Talm. Jerusalmi] *carni adhærentem. Quod si vestes mutare opus sit, oportet & alteras lacerare, toto septiduo. Per hanc ergo rimam exerit brachium suum & humeros, adeo ut etiam scapularum nuditas appareat: sicque feretrum* [in solenni processione] *sequitur*. Originem traxit iste ritus a Jacobo, qui cum Josephum a fera discerptum esse existimaret, primus vestimenta sua rupisse legitur, *Gen.* 37. *vers.* 34. a quo & filius Rubenus pridem didicerat, *ibid. vers.* 29. unde postea gentiles quoque imitati sunt, quo pertinet illud Vergilianum *sub fin.* 5. *Æneid.* post accensam classem: *Tum pius Æneas humeris abscindere vestem, Auxilioque vocare Deo, & tendere palmas, &c.* Ipsi etiam Apostoli Paulus & Barnabas, cum a Lystrensibus pro Mercurio & Jove haberi cœpissent, præ honoris abominatione vestimenta sua sciderunt, *Act.* 14. *v.* 14. adeo consuetum erat

erat indignantibus in veſtes furere, iraſque vel mœrorem hoc geſtu declarare, quoties aut blaſphemiam, aut magnatis alicujus, vel alioquin chari hominis obitum reſciviſſent. Ead. H. Eſel. *cap. ſeq.* 9.
כל הקרעים שקורע אדם על שאר קרוביו שולל הקרע לאחר שבעה ומאחה לאחר שלשים על אביו ועל אמו שולל לאחר שלשים ואינו מאחה לעולם ואשה קורעת ושוללת מיד אפילו על אביה ואמה מפני הצניעות: כדרך שקורע אדם על אביו ואמו כך חייב לקרוע על רבו שלמדו תורה [ר' יוסי אומר אפילו לא האיר עיניו אלא במשנה אחת זהו רבו] ועל הנשיא ועל אב בית דין ועל רוב הצבור שנהרג ועל ברכת השם ועל ספר התורה שנשרף ועל ערי יהודה ועל ירושלים כל אלו קורע עד שמגלה את לבו ואינו מאחה לעולם ואעפ מותר לשולל למלל ללקט ולעשותן כמין בלבד והמוכר צריך להודיע ללוקח שקרע זה אינו מאחה: ואב כל מי שעמד עם המת בשעת יציאת נשמתו אעפ שאינו קרובו ואינו חכם חייב לקרוע: חכם שמת בית מדרשו בטל כל ז': אב בית דין שמת הכל חולצין משמאל וכל בתי מדרשות שבעירו בטלין ובני בית הכנסת משנין את מקומן היושבין בדרום ישבו בצפון: נשיא שמת הכל חולצין שתי ידים ולא יטילו בשוק אלא יושבין משפחות דוים כל היום: *Ruptura ob conſanguineos cæteros poſt triduum ſarcitur iterum, & poſt ſeptiduum ea veſtis exuitur omnino. Verum ob parentes deponitur modo poſt triceſimum diem, ſed reſarcitur nunquam. Excipe fœminas: quæ pudoris cauſa, ruptas veſtes ſtatim deponunt, etiam in funere parentum.* (13) *Parentibus autem æquiparantur etiam alii, ſcindique debent veſtes ob præceptorem*, (exemplo Eliſæ 2. Reg. 2. v. 12.) *R. Joſe ait, quamvis oculos diſcipuli una tantum lectione illuminarit. Sic & ob Principis mortem, vel Senatoris, vel publicam cladem, quando multi ſuccubuerunt* (2. Sam. 1. v. 11.) *item propter honorem numinis, audita blaſphemia*, (ut fecit Eliakim ob verba Rabſakes 2. Reg. 18. v. 37.) *propter librum legis combuſtum* (quod accidit Jerem. 36. v. 24.) *propter urbes Juda, præcipue Jeroſolymas & ſanctuarium devaſtatum* (Jerem. 41. v. 5. ubi & barbas eapropter detonſas fuiſſe legimus.) *In omnibus hiſce caſibus lacerantur veſtes uſque ad nuditatem pectoris, nec unquam reſarciuntur. Licet tamen eas deponere*, (14) *aut rarioribus ſuturis in ſpeciem ſcalarum conſtringere, ſed Alexandrina contextura* (quæ fit decuſſatim, forma ſtaminis & ſubtegminis) *prohibita eſt: oportet etiam venditorem diſerte hoc emtori ſignificare* (ſi forte in foro ſcrutario ad auctionem veniunt) *ne unquam eas reficiat. Denique quiſquis morienti aſſiſtit, cum animam exhalat, quamvis æger ille non ſit propinquus ſibi, nec literatus, tenetur tamen ejus gratia rumpere amictum. Si vero doctus fuerit, ceſſat ſchola tota poſt ejus obitum integra ſeptimana: ſi Senator; univerſi nudant ſiniſtra brachia, & Academiæ totius auditoria cuncta vacant, ſtudioſi vero ſeſſiones mutant, ita ut qui antea meridianum locum obtinuerit, nunc ad ſeptentrionalia pulpita demigret. Sin ipſe Rector* (vel princeps Synedrii,) *moriatur, humerum nudant utrunque; nec palam ſpaciantur in foro, ſed mœſti deſident apud familiares.* Quid putas in Regis funere, luctuque publico factum, ſi minores & privatos ita deplorarunt? conſtat quod & aquas effundere (15) ſolent hodie (dubito an olim) ſuperſtitione quadam. Pueriles enim facti rationem poſcentibus reſpondent, venenatum cultrum ibi abluere Angelum mortis, quem & Davides viderit, 1. *Paralip.* 22. *verſ.* 16. quas nugas plus quam pueriles ſuis admiratoribus relinquo. Illud memoratu dignius eſt, quod intuitu mortalitatis, omnem luxum faſciarum (16) deteſtantur, & ipſum cadaver viliſſime involvunt. H. Eſel. *cap.* 4.
גוזזין שערו ומלבישין אותו תכריכין תפורין בחוט של פשתן לבנים ולא יהיו דמיהן יקרים ונהגו חכמים בסודר שוה זוז שלא לבייש את מי שאין לו ומכסין פני המת שלא לבייש את העניים שפניהם מושחרים ברעב ואסור לקבור בתכריכין של משי ובגדים המוזהבין הרקומין אפילו לנשיא שבישראל שזהוא גסות הרוח והשחתה ומעשה גוים:
Abradunt pilos corporis (& lavant mundiſſime, in teſtimonium futuri Judicii: quia coram tribunali compariturus, puros eſſe decet:) *mox veſtiunt involucris*, (17) *candido filo lineo conſutis; neque pretioſis. Solent Sapientes adhibere ſudarium, non plus denario conſtans, ne pudefaciant tenuiores, quibus eſt res anguſta domi. Eadem de cauſa tegunt faciem defuncti, ne proſtituantur pauperiores, quorum famelici vultus ob alimenti penuriam, plerumque ſunt deformiores.* (Author libri Minhagim *c. ult.* ridiculam affert rationem aliam; fieri ne memoriæ ſuperſtitum officiat: (18) diſpiciant hic medici, an intuitus ille cerebro tam noxius ſit? dentibus quidem obeſſe, (19) ſi quis conſanguineo cadaveri oſculum (20) figat, mea experientia probaſſe videor.) *Nefas eſt ſepelire involucris holoſericis, veſtibuſve deauratis vel acupictis, etiam Principem Iſrael* (non puto Regem) *quoniam hoc arguit faſtum animi, eſtque prodiga perditio, & mos Ethnicus.* Quamvis inter ſaniores Ethnicos [21] non defuerint, qui hoc ipſum improbarunt,

runt, quod fragmenta XII. Tabb. docent, ubi inter leges Xvirales & hæ sunt; quas Cicero *l. 2. 2. d. ll.* recenset. *Sumtum minuito, tria si volet reicinia, & vincula purpuræ, & decem tibicines adhibeto, hoc plus ne facito.* Item: *Ne sumtuosa respersio fiat, ne murrata potio mortuo inditor, ne longæ coronæ, nec acerræ adhibentor.* Quarum doctam explicationem habes in Dodecade *LL.* Rittershusi *clas. 1. cap. 4. & seqq.* Hæc de inutili profusione sumtuum in res perituras. Alia vero & excusabilior erat ratio impensarum, quæ in condituram cadaveris insumebantur, ut illud diutissime servaretur incorruptum & putredinis expers. Eam nec ipse *Christus* videtur improbasse, quando mulierem pollincturæ (22) suæ prævenientem laudavit, invido & invito Juda, qui pietatatis prætextu murmuraverat, increpato, *Matth. 26. vers.* 10. Fuitque ista condiendi ratio Judæis adeo consueta, ut etiam Nicodemus in unicum funus, centum libras myrrhæ & aloes insumere nil dubitarit, *Johan. 19. vers.* 39. 40. Institutum est antiquum, ipsis patriarchis olim usurpatum, & ab Ægyptiis receptum, de quibus refert Herodotus *in Euterpe, mihi pag.* 131. fuisse singulares in hac re artifices, & corpora triplici modo condiisse, prout quis hæres id vel sumtuosius vel vilius fieri rogasset; ea propter antea licitatos de pretio convenisse, monstratis exemplaribus ligneis. Qui optime condiri voluerunt, illis incurvo ferro cerebrum per nares emunctum fuisse, cranium vero medicamentis repletum, mox ilia conscissa & alvum inde protractam, sed post expurgationem iterum in sedes suas repositam, ac infarctis odoribus affabre consutam, tum corpus nitro per 70. dies, salitum, glutine gummito (forte Asphaltica pice, quam abunde suppeditabat vicinum mare mortuum] esse oblitum, sindoni involutum, & in cava hominis effigie lignea conservatum. Qui sumtus parsimonia vilius condiri debuerant, sectos non fuisse, sed alvum, immissa per clysteres cedrina pice tabefactam. Qui vilissime: ablutionibus tantum intus purgatos, abstersosque, & extus nitro arefactos esse. Ubi & illud notat, fœminas formosiores ante quatriduum salinario non traditas, quod aliquando quempiam recenti cadavere abusum fuisse sit compertum. Eos vero, quos Nilus vel crocodilus rapuerit, publico sumtu fisci, religione quadam condiri, solitos. Miror, quod balsami nulla fiat mentio, vel mellis aut ceræ, quibus circumfusis cadavera etiam servari posse constat. Pulchrum vero erat, illustres majores a seris nepotibus etiam post aliquot secula sic potuisse spectari, narrationibus de rebus sui temporis veluti testes interesse, conviviis quasi vivos adhiberi, creditoribus etiam pro hypotheca oppignorari; quod sæpius contigisse Lucianus refert. Cogita jam Lector! quali modo Jacobus a medicis regiis in Ægypto fuerit conditus, *Genes. 50. vers.* 3. certe nec impensis nec tempori parsum est: nam totos 40. dies insumserunt, an vero possibile, quod eum non attigerint? ut R. Bechai *sub fin. P. Vajechi* notat היו מרחקים אותו בבשמים וזנים כאסא המלך וזה היה אחר הרחיצה והיו בקיאים בחכמות הטבע שלא ינעו הרופאים בגופו הקרוש: *inungebant ipsum aromatibus odoratis, sicut regem Asa,* (2. Par. 16. v. ult.) *hocque fecerunt post ablutionem. Erant autem ita exercitati in scientia Physica, ut ejus sanctum corpus non tetigerint;* nisi forte carnificias illas sectiones & exenterationes intelligit (de quibus antea Herodotus) quas fuisse intermissas; etiam mihi verosimile est. R. Sal. Jarchi illos quoque dies luctui annumerat, & sub decem hebdomadibus comprehendit, quibus eum deflerint Ægyptii, quod Nili fœcundam exundationem sua benedictione ipsis impetrasset. ארבעים לחניטה ושלשים לבכי לפי שבאה להם ברכה לרגלו שכלה הרעב והיו מי נילוס מתברכין: *septuaginta dies in textu, intellige de quadragenis diebus conditurae; & tricenis quas tribuebant planctui, quoniam senserant benedictionem cum adventu pedis ipsius, quando cessebat fames, & aquæ Nili fœcundabantur.* De Josephi cadavere (23) mirum aliud referunt, fuisse id fumo tostum, & in aquis Nili contra putredinem diutissime asservatum, donec universus populus ex Ægypto egressus, id secum in terram Canaan asportarit. Targum Uzielidis *Genes. 50. vers. ult.* ומית יוסף בר מאה ועשר שנין ובסימו יתיה ועטרון יתיה ושוון חתיה בגלוסקמא ושקעון יתיה בגו נילוס דמצרים: *mortuus est Joseph centum decemque annorum, & condiverunt eum atque suffumigarunt, reponentes in loculo* (γλωσσοκόμῳ) *quem demerserunt in meditullium Nili Ægyptiaci.* R. Abraham Sebæ *in Zer. ham.* opinatur, hoc factum esse in contemtum terræ illius, quæ hospitio tanti cadaveris indigna fuerit; simul vero in præludium vel typum suffocationis infantulorum. Ego autem potius existimarim, Physicam subfuisse causam, quæ putrefactionem (24) arcuerit & juverit perennitatem: si modo satis certe est ea tradi-

ditio. ראוי יוסף להיות בנילוס להניץ על ילדי ישראל שהושלכו ביאור ולהיות במים טהורים ולא לעמור בארץ טמאה כיחזקאל על כבר: *Dignus erat Joseph, qui reconderetur in Nilo, ut præsignificaret puerulos illuc abjiciendos* (Exod. I. v. 22.) *indigna vero terra illa propter impuritatem, quæ ipsum reciperet, puriores autem semper habitæ sunt aquæ, sicut & Ezechiel in regione Chaldæa sedit ad flumen Chebar, quando ipsi revelata est prophetia.* (cap. I. v. 3.) Hæc ossa plus quam seculo post, extraxit Moses inde migraturus, *Exod.* 13. *vers.* 19. Idem Targum Jonathæ. יאפיק משהית ארונא דגרמי יוסף בגויה מן נילוס והוה מרבר עמיה: *ascendere fecit Moses urnam ossium Josephi ex intimo Nili, & abduxit secum.* Hic desudant ingenia Talmudicorum, quomodo loculum in vastissimo flumine, post tantum temporis intervallum invenerit? aut quonam artificio inde sublevarit? quem ארון של מתכות *metallicum vel æneum* fuisse dictitant: confugiuntque suo more ad virtutem Schem hamphorasch. Bachai *l. d.* משה נטל טס אחד והטילו בנילוס וכתב עליו עלה שור עלה שור ואמר לו יוסף יוסף אחיך נגאלים וענני הכבוד מעכבים בערך אם לא רצונך לעלות נקיים אנו משבועתך: *Mose sumsit laminam, & inscripsit* Ascende *Bos!* (vel appinxit Bovem,) *& projecit in Nilum, occlamans: Josephe, fratres tui redimuntur! & nubes gloriæ præstolatur propter te: si non vis una migrare, absoluti erimus a juramento tuo.* Credat hoc Judæus Apella, vel Sigillorum aliquis sculptor Theophrastæus, conferatque in Mass. Sota *finem cap.* I. *pag.* 9. *&* 13. si placet. Ego ad regum funera revertor. Ea fuerunt in humeris (25) etiam longissimam sæpe viam, exportata: qui honor ne malis quidem regibus, (26) & odio habitis publice, fuit denegatus. Cujus humanitatis notabile specimen ediderunt Pharisæi post fata Jannai. Cum enim illorum octaginta præcipuos, inter convivandum supra tectum palatii suspendisset, ac propinando & arridendo suffocatis illusisset sarcastice, paulo post ipse moriens, nihilominus honorifice fuit sepultus, ut in lecto sollicitæ conjugi prædixerat. Josipp. *pag.* 52. *edit. Basiliens.* בראות אשתו שהיה הולך בדרך כל הארץ בכתה לפניו בכי גדול ואל אל מי אשא עיני אחריך ואתה עשית רעות הרבה לפרושים וכל יושבי הארץ אוהבים אותם ויאמר לה המלך לא תבכי אני איעצך עצה אם תשמיעי תצליחי ותמלכי הנכי מת ואיש בעולם אל ידע במותי ואמרי לי חולה הוא וחנטי אותי והחזיקי מלחמתך עד שתכבשי העיר ואמרי להם אלכסנדר אויבכם אם רצונכם השליכוהו באש או לכלבים ואני יודע כי הם אנשי חסד ורחמים ויקברוני בכבוד ותעש כאשר צוה והם אמרו חלילה לנו מעשות זאת לאדננו משיח ה' מלך וכהן גדול ואם חטא מיתתו תהי כפרה ואנחנו נספדהו ונבכהו ועל צוארנו יצא ארונו ונקברהו במעלת קברי המלכים ויעשו כן: *Cum videret uxor ejus, quod abiret viam universæ carnis, flevit coram ipso vehementer, dicens: ad quemnam oculos meos attollam post te, qui tot afflictionibus multasti Pharisæos, quos totus populus veneratur? respondens ille, ac lamentari prohibens, dixit: bene tibi consulam, modo auscultes, prosperaberis & regnabis si obsecundas. Ecce morior ego! sed nemo quisquam in mundo scit hoc: simula igitur ægrotare me tantum, ac neminis accessum ferre. Interim clam aromatibus condi, & bellum strenue continua, donec urbem* (Ragab) *occupes. Postea dic eis: Alexander hostis vester mortuus est, si vultis, cremate illum igni, vel objicite canibus. At scio certissime, Pharisæos esse viros misericordes & bonos, meque decenter sepulturos. Fecit ergo sic, ut instructa erat: tum ipsi responderunt; Absit hoc grande nefas procul a nobis! ut sic retribuamas Domino nostro, uncto* Dei, *Regi simul & Pontifici. Quicquid in nos peccavit, expiatum esto illius morte, nos vero plangemus ipsum & lugebimus. Superque nostros humeros exportabimus feretrum ejus, ac sepeliemus in monumentis regiis: quod & factum est.* Confer Josephum *l.* 13. *antiq. c.* 23. Et recte quidem: nam hoc solum est officium, quod remunerationis nulla spe suscipitur, quod nec is, qui præstat, sibi cito referri optat, nec is, cui præstatur, sentit. Maym. H. Esel. *in cap.* 14. מצות עשה של דבריהם לבקר חולים ולנחם אבלים ולהוציא המת וללות האורחים ולהתעסק בכל צרכי הקבורה לשאת על הכתף ולילך לפניו ולספוד ולחפור ולקבור: *Hæc sunt monita sapientum;* (27) *visitare decumbentes, consolari lugentes, efferre mortuos, comitari viatores, & occupari cunctis necessitatibus funeris: scilicet exportare super humeros, præcedere, plangere, fodere, sepelire.* Herodem sic extulerunt (28) per ducenta stadia, itinere sesquitriduano, usque ad castellum a se denominatum, lecto purpureo & gemmeo, quingentis thura ferentibus, comitibus etiam multis Germanis militibus & Gallis. Joseph. *de bell. l.* I. *c. ult.* & iterum Josipp. *m. p.* 124. הורודוס צוה לפני מותו לקברו בארודיאן רחוק מירושלים מהלך ב' ימים וחצי וישכיבוהו במטה מצופה בזהב וממולא באבנים יקרות ועל ראשו דריד ממולא באבנים טובים ועליו כתר המלכות

המלכות וכימינו שרביט המלכות וכל חגבורים סביבותיו לבושי שריונות וחרבותיהם שלופות בידיהם וכובעיהם בראשיהם כימי מלחמותיו וארקילוס בנו המולך בא אחריהם ואחריו כל עם ישראל וחמשים מעבדיו סובבים המטה איש איש במקטרת זהב בידו ושורפים עצי בשמים לרוב מאד ומשליכים על המטה מר דרור בכל עת וגדולי ישראל נושאים אותו על צואריהם והולכים בנחת ובכבוד עד אשר הגיעו לא נעשה כמוהו לכל מלך: *Jusserat Herodes ante obitum, sepelire se in Herodion, a Jerosolymis itinere duorum dierum & semissis distante. Collocarunt igitur eum in lecto deaurato & lapidibus preciosis referto, capiti peplum imponentes, itidem gemmis repletum, super quo corona erat regia, & manu tenebat sceptrum. Circumdabant eum fortissimi quique, loricas induti, strictos vero gladios manibus gerentes, & in capitibus galeas, ut in bellis solebant. Archelaus filius ac hæres regni, post illos medius incedebat, reliquus autem populus omnis pone sequebatur. Quinquaginta ministri ad latus feretri, gestabant totidem aurea thuribula, lignum odoriferum adolentes maxima copia, & myrrabam purissimam continue injicientes. Ferebant eum magnates Israel suis humeris, tarde ac graviter incedentes, cum honore, usque dum eo pervenissent. Quod vix adeo solenniter contigit ulli regum.* Alias de privata processione disputant Rabini, quot personæ juxta se ire debeant? uter sexus præcedere? vetantque sandalia (25) pedibus inducere. Causam audi ex ipsis. H. Esel. *cap.* 4. סובלין את המת על הכתף עד בית הקברו ונושאי המטה אסורין בנעילת הסנדל (ספק מותר לצאת מצתח ביתו לצרכי המת) שמא תפסק רצועה מסנדלו של אחד מהן ונמצא מתעכב מן המפוה: *Efferunt defunctum humeris* (nec vehunt lectica,) *usque ad sepulchretum, sed latores probibentur calceari sandaliis,* (*quamvis* R. Isaac Corbeilensis in compendio præceptorum *permittat, ab ostio domus, ad necessitates demortui,*) *ne forte rumpatur corrigia cujusdam, & illud processionem impediat.* Levicula sane sollicitudo, discalceare bajulos nondum valens. *Fin. cap.* 12. מקום שנהגו נשים לצאת לפני המטה יוצאות לפניו (מפני שהן גרמו מיתה לעולם) לאחר המטה יוצאות לאחריו (משום כבודן של בנות ישראל שלא יסתכלין בהן האנשים: *Est locus ubi mulieres* (30) *solent præcedere feretrum, ibi præcedant sane; quia illæ mortem introduxerunt in mundum:* (Gen. 3. 6.) *est alius ubi sequi solent, ibi sequantur: ob honorem filiarum Israel, & ne quis forte masculus illarum aspectu incendatur, ut explicat* Talm. Jerosol. Seq. *cap.* 13. אין שורה פחותה מעשרה אבלים *in qualibet serie non pauciores decem personis incedunto.* An etiam (31) adhibuerint veteres hebræi, equidem iguoro, inquisivi curiose, sed nondum reperi ullum ejus vestigium, nisi forte המקוננות *lamentatrices* fœminæ, *Jerem. 9. v.* 17. huc referri debeant, quæ anus precio conductæ ululatu suo lugentibus lachrymas eliciebanr, ut apud Romanos Præficæ. Maym. H. Esel. *cap.* 12. *init.* הספר כבוד המת הוא לפיכך כופין את היורשים ליתן שכר המקוננים והמקוננות וסופרין אותו ואם צוה שלא יספדוהו אין כופרין: *quia planctus vergit in honorem defuncti, ideo tenentur hæredes mercedem dare planctoribus & planctricibus, ut hoc officium præstent; nisi demortuus ipse testamento vetuerit.* At hoc voce præstabant, non organis; quid ergo sibi vult ille tumultus auletarum in Evangelica historia, *Matth. 9. vers.* 23. apud filiolam primatis exanimem? videntur hoc a gentibus, quarum sub potestate fuerant, didicisse. Romani enim tubicines & tibicines adhibebant; qui quod apud *Sitos* h. e. vita functos canere solerent, proprio vocabulo *Siticines* dicti sunt, teste Agellio *lib.* 20. *cap.* 2. ex Atei conjectaneieis: ubi addit saltabundos cecinisse, genus saltationis, quod inde *Sicinnium* vocarint, vel quod eo concentu mœstos a luctu abducere, aut in eum contra vehementius impellere, vel etiam spectra voluerint abigere. Pythagorici existimabant, animæ gratia fieri, quæ sic jucundius ad originem suam, cœlos nempe harmonicos revertatur. Alii putant, testimonii causa introductum, quod aliquis nec aperta vi ferri, nec insidiis veneni clandestinis obierit. Seneca *in Apolocynthosi Claudiana* jocum hinc captat: tibicinum, coronicinum & omnis generis æneatorum turbam sic perstrepuisse, ut vel ipse defunctus exaudire potuerit. Inde igitur a victore populo ad Judæos, ut alia multa, emanasse credibile est. Illi cum ad sepulcrum devenitur, orant hodie preculam (32) quandam, צדוק הדין vocatam, quæ in libellis *Siddur Tphillos* fere ultima est, sed in meo exemplari Hanoviensi *pag.* 53. extat. Ob prolixitatem exscribere nolo, argumentum breviter est hoc; Deum *esse justissimum; nemini moriendo fieri injuriam, quis enim dicere ausit, quid facis? ipsum pro placito vivificare ac mortificare. Rogant ergo, velit parentibus & liberis parcere, memoriam eorum non prorsus delere, oculos vero super hunc populum jugiter apertos habere. Addunt; etsi quis vel mille annos viveret, nihilo tamen*

men plus lucraturum. Iterum fatentur judicia Dei *justa esse, omnes animas habere in sua potestate. Orant, velit Angelum mortis inhibere. Tandem acquiescunt in illo Jobi: Dominus dedit, idem & auferendi jus habet &c.* An etiam vultus sepeliendorum, nostro more, ad ortum solis convertant, nescio; oraturos quidem illuc respicere scio, sæpe enim in illorum ædibus eam plagam, inscripto nomine מזרח notatam observavi. Hoc etiam certum (33) est, faciem semper vertere sursum, egestam humum reponere, mœstumque *Vale* dicere relicto. H. Esel. *cap.* 4. חופרין בעפר מערות עושין כוך בצד המערה וקוברין אותו בו ופניו למעלה ומחזירין העפר והאבנים עליו ויש להן לקבור בארון של עץ והמלוין אותו אומרין לו לך בשלום: *Effodiunt in terra speluncam, & in ejus latere cavernam,* (id notandum propter formam sepulchri Salvatoris, quod ostium habuit, *Matth.* 27. *vers.* 60. per quod mulieres ingredi potuerunt, *Marc.* 16. *vers.* 5.) *ibi sepeliunt eum, facie sursum locata, & restituunt glebas atque lapides in locum. Utuntur etiam feretris ligneis; & qui funus comitantur, dicunt solenniter:* Vade in pace. (34) Singulos (35) sepeliunt seorsim, nisi forte mater una cum infante obierit. Cap. 14. *post med.* אין קוברין מת על גבי מת ולא שני מתים כאחת שביזיון הוא וקטן היוצא עם אמו נקבר עמה: *Non sepeliunt mortuum unum super alterum, nec duos simul, quia id ignominiosum haberetur; at parvulus, qui una cum matre effertur, potest apud eam relinqui.* Quod vero mortui supellectilem (36) attinet, qua in ægritudine usus est, velut pulvinaria, linteamina, vascula &c. non putant decere, ut quis alius istis post obitum possessoris utatur, ideo soliti sunt, & illa una cum defuncto sepelire. Præcipiunt tamen sapientes, cavere, ne quid facile una defodiatur, quod aut pretiosum sit, aut honestius utiliusque possit egenis erogari. Eod. *cap.* 14. *paulo post*: המת אסור בהנאה כולו חוץ משערו שהוא מותר בהנאה מפני שאינו גופו וכן ארונו וכל אבריכיו אסורין בהנאה אבל כלים המוכנים לתכריך לא נאסרו אפילו ארג בגד למת עד שיגיע במטה הנקברת עמו שאין ההזמנה אוסרת כל הכלים ושזורקים על המת על המטה אסורין שלא יתחלפו בתכריכין היו אביו ואמו מזרקים כלים בחמתן על המת מצות על אחרים להצילן ואם הגיעו למטה שוב אין מצילין מלמרין את האדם שלא יהא חבלן ולא יפסיד את הכלים וישליכם לחבלה מוטב לחתם לעניים ואל ישליכם לרמה ותולעה וכל המרבה כלים על המת עובר בלא תשחית: *Nulla portione cadaveris fas est uti; exceptis capillis, quia non sunt partes corporis integrantes. Sic & involucra vel loculum ad alios transferre usus prohibitum est. At vasa, quæ mortuo tantum destinata fuerunt, etiam textura vestis ipsi parata, non prohibita prius, quam lectum tetigerint, qui una sepeliendus est; nec obest sola præparatio. Utensilia, quæ sparsa vel strata sunt super decumbentem, non licet cum aliis vilioribus involucris permutare. Quod si parentes in fervore affectus ea sternere super liberos conentur, debent illa redimere circumstantes: nisi jam lectum attigerint, quo casu redemtio est irrita. Docendi tamen sunt homines, ne sint dissipatores vel assuescant intempestivis perditionibus. Præstat enim ea dare pauperibus, quam sic inutiliter vermibus objicere. Quicunque multiplicat vasa feralia, peccat contra legem de non perdendo,* (quam supra explicavi.)

Alia vero fuit regii funeris conditio. Quæcunque ibi cum privato sepeliebantur in terram, ea hic in honorem regis comburebantur (37) per ignem, selectissima myrrha & plurimo thure fotum. Non ulli parcebatur sindoni, non pretiosis peristromatibus, non aulæis, non cervicalibus: ipsæ sellæ regales, ex arbore פורנק in nascentis honorem & felix omen plantata, cremabantur. Solum sceptrum & corona non conflabantur; sed recondebantur una cum cadavere; prout supra in Herodis funeratione memoravimus. R. Bechai *P. schoph.* & R. Mos. B. Maym. *Hal. Mel. cap.* 2. §. 1. אין משתמשין באחד מכל כלי תשמישו וכשהוא מת כולן נשרפין לפניו: *non utuntur ulla supellectile regali,* (quæ ad personæ majestatem proprie pertinet) *sed cum ille moritur, comburunt universam coram ipso.* Idemque Rabinis *ad fin. H. Esel. cap. ult.* מלך או נשיא שמת יש להן לשרוף מטתו וכל כלי תשמישו ואין בזה דרך האמורי ולא משום השחתה שנ' בשלום תמות ובמשרפות אבותיך הראשונים ישרפו לך: *si quis rex aut princeps moritur, licet concremare lectum ejus una cum utensilibus cunctis; neque hoc fit æmulatione Amoræorum* (gentilium,) *aut perdendi tantum animo* (sed in honorem regis, quem ipse *Deus* approbavit, *Jerem.* 34. *vers.* 5.) *sicut dicitur: in pace morieris, & juxta combustiones patrum, in regno antecessorum, comburent tibi; solenne illud* הוי ארון Heu Domine! *acclamantes.* Eandem quoque protestationem reperio in Talm. Mass. Elilim (quæ jussu Concilii Tridentini, in editione Basileensi tota est omissa.) *pag.* 11. *a.* שורפין על המלכים ולא מדרכי האמורי דכתיב ובחוקותיהם

ובחוקותיהם לא תלכו אלא דכולי עלמא שריפה לאו חוקה הוא אלא חשיבותא הוא (פי' מי ששורפין עלין מראין שמיתתו חשובה) *Busta regia non sunt ex consuetudine Amorrhæorum* (quo nomine Romanos per metathesin sæpe indigitant,) *de qualibus præcipitur* (Levit. 18. vers. 3.) *in statutis eorum ne ambuletis; sed totus mundus novit hanc combustionem esse honorificam ei, ob cujus mortem instituitur*. Magna est diversitas (38) inter hæc Hebræi suppellectilia tantum, & quidem solius magnatis; Romani vero ipsa corpora, ut plurimum quoque plebejorum cremabant, struentes rogum e rudibus lignis, ascia non politis (Plinii tamen ætate contra prohibitionem asciatis & pictis, *lib.* 35. *cap.* 7.) aliquando cupressinis adversus fœtorem, alias fere iliceis, ob faciliorem conflagrationem pice illitis, forma quadrangulari, qualis est ararum, altitudine pro divitiarum modulo fastigiata, intervallo bis mille passuum ab urbe, aut sexaginta pedum a quavis casula, propter flammæ periculum. Ibi reponebant mortuum una cum ferali lectulo, in quo animam exhalarat, accendebantque rogum consanguinei, vultu averso facibusque retrorsum subditis, plebe interim sinistro gyro ter circumcursitante. Notat Kirchmannus in eruditissimo tractatu *de fun. Rom. lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 333. fuisse denis virorum corporibus, singula muliebria plerunque apposita, quæ ob pinguedinis abundantiam arderent facilius. Hoc solum habuerunt suo modo commune cum Hebræis, quod arma & vestimenta, muneris loco in rogum conjecta combusserunt; quem tamen luxum supra dicta lex sumtuaria de tribus riciniis ex Cicerone allata cohercuit. Illud vero crudelius erat, quod non animalia tantum defuncto charissima, velut equos aut canes, ad rogum mactata ignibus injecerunt, sed aliquando etiam homines captivos aut servos mercati, & in societatem illustris cadaveris immolatos, concremasse leguntur; manes humanos sanguine propitiari credentes. Plausibilior illorum conditio, qui defuncti amore in rogum sponte insiluerunt, quod de quodam Gatieno Philotimo refert Plinius *sub fin. c.* 36. *l.* 7. patronum sic dilexisse, ut ab eo hæres omnibus bonis institutus, in rogum ultro se conjecerit. Et apud Indorum viduas creberrime fieri, præter Ciceronem 5. *Tusc.* multi authores tradunt. Ælianus etiam *de hist. anim. l.* 7. *c.* 40. Poli cujusdam tragædi canem, cum herus pro more cremaretur, in vivicomburium ad altorem suum alacriter semet præcipitasse narrat. Insigniter vero stultum fuisse oportet philosophum illum, nomine ac mente Peregrinum, professione Christianum apostatam, qui ex ambitione mera, & ut spectatoribus materiam sermonis præberet, olympicis ludis in pyram se conjecit, volensque ustulavit, quem salse ridet more suo Lucianus, peculiari dialogo, & familiariter se novisse ait Agellius *l.* 12. *cap.* 11. Verum quo me trahunt ethnici? revertor ad Hebræos, (39) qui in sui regis Asa funere, combusserunt combustionem magnam valde 2. *Par.* 16. *vers. ult.* Non nemo interpretum opinatur ipsum corpus cremasse; at ergo lectum cum aromatibus tantum deflagresse statuo, quia *eod. v.* ipsum cadaver diserte humatum esse dicitur. R. Sal. Jarch. *in gloss.* cineres loculo inspersos ait: מיני בשמים מרוקחים במר קחות מעשה רוקח שרפו לו לאפר ואותו אפר זרו עליו כמו ששורפין על המלכים: *species aromatum arte pigmentaria compositorum, cremarunt in modum pulveris, eoque resperserunt ipsum; sicut solent facere regibus*. Ita & in Zedekiæ sepultura plurimum ligni odorati & condimentorum fuit combustum, quamvis ipse captivus erat, & ab antecessorum majestate plumum desciverat, oportebat tamen prophetiæ verbum impleri, *Jerem.* 34. *v.* 5. ad quam R. Dav. Kimchi notat *in marg.* אעפ' שנקרו עיניו כיון שלא ימות בחרב וימות על מטתו ויעשו לו כבוד כמו שעושים למלכים זהו בשלום ורז"ל אמרו בשלום שמת נבוכדנצר בימיו: *Licet oculos ejus effoderint* (Chaldæi, 2. Reg. 25. v. 7. catenis ipsum deducentes Babylonem; ne videret regionem, juxta vaticinium Ezechielis cap. 12. vers. 13.) *tamen non morietur gladio* (violenta morte,) *sed super lectum suum, & ejus cadaveri honorem habebunt, ut solent regibus: hoc vocat Jeremias*, In pace mori. *Sed & illud eliciunt inde Magistri nostri, p. m. ideo dictum* In pace, *quia hostis ejus Nebucadnezar ipso superstite mortuus*: de quo R. Salom. Jarchi *ad eund. loc.* כל ימי נבוכדנצר לא יצאו אסיריו מאסיריהם וכשמת נבוכדנצר יצא צדקיהו מבית האסורים ולמחרת מת וקברוהו בכבוד: *quamdiu vivebat Nebucadnezar, non dimittebantur captivi e carcere suo; ac cum moreretur, statim dimissus fuit Sedekias, & postridie ipsemet defunctus, quem tali honore sepelierunt*. (dispiciant chronologi, an hæc cum temporum ratione satis concordent: certum quidem est, liberum obiisse.) De Saulis αὐτόχειρος ἀκεφάλῳ cadavere incertum esse video, an vel quatenus crematum fuerit? Targum arma tantum & aromata, non corpus ipsum, combusta fuisse innuit,

nuit, 1. *Sam.* 3. *v. ult.* קלו עליהון כמא דקלן על מלכיא חמן: *usserunt propter eos, sicut urunt propter reges ibi*. Contra nostrum aliqui existimant, ipsa corpora regis & filiorum igni fuisse cremata, cineres vero demum sepultos. R. David Kimchi media quasi via incedit, quoniam & combustionis fit mentio, putat carnes quidem jam putridas & a vermibus rodi non dignas crematas fuisse, ossa vero sub quercu sepulta: יתכן לפרש כי הבשר שרפו שהעלה רמה ולא רצו לקברם עם התולעים כי לא היה דרך כבוד ושרפו הבשר וקברו העצמות תחת האשל ובדברי הימים תחת האלה אשל הוא כלל לכל עץ: *Convenit hoc interpretari de carne, quam vermes jam invaserant, noluerunt una cum illis rosoribus humare, quia parum fuisset honorificum; itaque concremarunt: ossa vero sepelierunt sub nemore. In libris Paralipp.* (cap. 11. vers. 12.) *legitur, sub quercu: quod huic non contradicit, quia generale nomen arboreti, quercetum quoque comprehendit*. Quomodo autem carnes ab ossibus separarunt? num putabimus, anatomico more abrasisse? an vero per elixationem dissolvisse? quemadmodum superioribus seculis aliqui, nobiliorum cadavera membratim concisa, in ahenis ad ignem coxerunt, ut ossa seorsim & ab integumento carnis libera sepelirent: quos Bonifacius octavus ob hanc feritatem excommunicavit. *Extravag. com. l. 3. tit. 6. d. Sepult.* aut an forte cadaverum semiustulatorum ossa exemerunt facilius? miror quomodo Romani olim cineres ossium a reliquis in solenni ossilegio (40) discernere potuerint? postquam rogus vino erat restinctus, quod Numa prohibuisse videtur lege posthumia, quæ apud Plinium extat, *l.* 14. *c.* 12. & inopia vini sancita esse dicitur, nostri vero critici putant, esse συμποτικὴν, & vivis compotoribus vinum potius indulgere quam rogis defunctorum. Apud Hebræos iste honor busti non regibus tantum, sed & synagogæ præsidibus fuit habitus, quod sapientia sua & officii dignitate illum mererentur, cujus notabile exemplum legimus in Talm. Mass. Afoda zara (per Tridentinos, ut supra dictum est, execta,) *pag.* 11. *fac. a.* כשם ששורפין על המלכים כך שורפין על הנשיאין ומה הם שורפין מיטתן וכלי תשמישתו ומעשה שמת רבן גמליאל הזקן ושרף עליו אונקלוס הגר שבעים מנה צורי (משמע הכסף שרף צורי משקל של צור והוא עשרים וחמשה סלעים והסלע ארבע דנרים והדינר הוא משקל זהוב פושטנטינה כלי תשמיש היו שוין ע׳ מנה:) *Quemadmodum cremant propter reges, ita & propter Synedrii Rectores, quid autem cremant? lectum & utensilia eorum. Accidit cum moreretur Raban Gamaliel senex, ut combureret propter eum Onkelos proselytus septuaginta minas Tyrias. Scholiastes hoc interpretatur de argenteo valore combustorum, dicens hoc pondus Tyrium continere XXV. Sela, & quodlibet Sela æquiponderare quatuor denariis, sive* (quod tantundem sit,) *quatuor aureis Constantinopolitanis, combussisse igitur utensilia, quæ* 70. *minis* (*h. e. septem mille denariis,*) *æstimarentur*. Ubi obiter observandum, errare illos, (41) qui Onkelum in præceptoris funere, totidem libras thuris (42) adolevisse vulgo tradunt. Non videntur ipsimet hunc locum Talmudis inspexisse, sed e latina quadam citatione, quantum auguror, ubi forte *Thuris* pro *Tyriis* scriptum erat, nimis secure, ut fieri amat, transsumsisse: quo præjudicio suo me quoque pridem seduxerunt, (43) ut in *Bechin. happer. pag.* 25. id perperam æmulatus fuerim. Corrigat qui exemplar habet (nam errorem retractare nil pudet) atque aliena verba cautius mercari, meo exemplo discat. Verum de tali thuris prodiga combustione, memini referre Plinium *l.* 12. *cap.* 10. quod Nero princeps novissimo pompæ (rectius alibi Poppeæ) suæ die tantum concremarit, quantum ex peritorum æstimatione non ferat annuo fœtu Arabia, felix alioquin hac sepulturæ luxuria: cum Diis per singulas tantum micas dari soleat. Erat Onkelos ille, (44) paraphrastes Chaldæus, cujus Targum etiam nunc hodie legimus. Baal Juchasin existimat, eum fuisse filium sororis Titi Imp. sed R. David *in Zæmaph. p.* 40. *b.* recte distinguit illum ex temporum ratione, ab altero quodam Synonymo, quem evexerat Titus ad principatum, Talm. *c.* 5. *Gittin.* Gamaliel vero, cujus honori sic litatum est, erat ipse præceptor S. Pauli, (45) ad cujus pedes Apostolus Pharisaismum didicit, *Actor.* 22. *vers.* 3. in libris Rabinorum vocatur *nepos Hillelis* נכדו, non vero Simeonis filius, (ut alias a parentibus immediate denominari solent,) procul dubio, quia grandævus ille Simeon Hillelides, (46) de religione suspectus & invisus esse cœperat, postquam infantulum Jesum ulnis amplexus est *Luc.* 2. *vers.* 28. unde nec in Pirke-afot cæteris annumeratur. Confer Abbrev. Cl. Buxtorfii *pag.* 151. Arbitror ideo tam honorifice crematum fuisse, quia sumtuosius sepelire aliter, aut affectum testari erga bene meritum, non poterant, testamento morientis prohibiti. Zæmach Dav. *fol.* 36. *b.* ר״ג הזקן צוה קודם מותו להוציאו לקבורה (47)

לקבורה בכלי פשתן כי קודם זה הוציאו את המתים בכלי משי והיה הוצאת המת קשה לקרובין יותר ממיתתו כדאיתא בפרק שני דשבת: *Raban Gamaliel senex præceperat ante obitum, ut se vilissima veste linea sepelirent, nam prius consueverant mortuos in holosericis efferre, ut sepultura consanguineis gravior fuerit* (minusque tolerabilis) *ipsa morte, sicut est in Talm. cap.* 2. *Mass. Schabb.* Non dubito, quin tota etiam Synagoga, capite suo privata, cessarit aliquandiu. (48) Nam solent post mortes Rectorum integro mense feriari, imo post gregarii cujusvis discipuli obitum ociari totas dies. Maym. H. Efel, *cap. ult.* (49) תלמיד חכם שמת אפילו היו עמו עד ס׳ רבוא מבטלין תלמוד תורה להוצאתו ואם היה מלמד לאחרים אין לו שיעור אלא מבטלין הכל: ואב״ ונשיא שמת אין מבטלין ישיבתו יתר על שלשים יום: *Si studiosus sapientiæ moritur, quamvis habeat sexaginta myriades condiscipulorum, tamen cessant omnes a studio, donec eum extulerint. Si talis est, qui jam alios docere possit, non habet æstimationem* (numerum collegarum,) *sed universi vacant funeri. Non vero cessat Academia post obitum Rectoris plusquam triginta diebus.*

Revertamur a bustis & cœmiterio domum. Ibi videre est, quomodo in reditu evulsa gramina (50) ter retrojiciant, pio sane ritu, ob spem & symbolum resurrectionis: acclamant enim illud *Psalmi* 72. *vers.* 16. ויציצו ויפרחו העשב בארץ *florebunt & germinabunt instar graminis terræ*, (qbod post hyemem primo vere renascitur, quamvis totum exaruerit.) In Sidd. Tphill. *pag.* 54. dicitur, quosdam acclamare זכור כי עפר אנחנו *meminerimus nos pulverem esse:* forte illud solent in bruma, quando nil viride præsto est, sed glebas retrojicere coguntur. Additur *ibid.* post manuum ablutionem dicere: בלע מותה לנצח ומחא יי׳ אלהים דמעה מעל כל פנים והרפת עמו יסיר מעל כל הארץ כי פי יי׳ דבר: *deglutivit mortem in æternum, & abstersit Dominus* Deus *lachrymas ab omni facie; opprobrium populi sui removebit ab omni terra: quoniam os Domini locutus est*, (Esaiæ 25. v. 8.) hæc recte. Ideo etiam sepulchreta (51) non vocant בית מתים *loca mortuorum*, sed בית חיים *loca vivorum*, fiducia resurrectionis. Minhag. *c. ult.* Errant ergo illi, & rerum Judaicarum non satis periti sunt, qui resuscitationem eos negare asserunt. Quæ enim de perpetua morte impiorum dicunt, non aliter accipienda sunt, ac nos sentimus de secunda & æterna illorum morte, ex 2. *Thes.* 1. *vers.* 9. *Apoc.* 2. 11. & 20. 14.

Legat (52) qui dubitat, eorum confessionis articulum, inter XIII. postremum, a Maymonide conceptum, qui extat in opere Talm. Sanhedr. *p.* 212. *b.* præsertim quæ eadem Massichta *c. ult. Chelek*, (53) contra veteres Sadducæos argute disputarunt, *p.* 90. & 91. quomodo R. Meir, Cleopatram reginam de hac sciscitantem, per varias similitudines erudierit, &c. quæ brevitatis gratia omitto; id solum nunc attingens, quod quidam Rabinus (54) a piratis captus, uxori pudicitiæ causa periclitanti respondit, de resurrectione submersorum, (55) quia memorabile est. Cabal. R. Abrah. Levit. *mihi p.* 13. יצא ממדינת קורטובא שליש ממונה על ציים שמו בן דמאחין שלחו מלך ישמאל בספרד ושמו עבד אל רחמאן אלנאצר והלך עד סוף הים של ארץ ישראל ומצא אניה ובה ארבעה חכמים גדולים הולכים למדינת ספסתין וכבש האניה ואסר רבינו משה אביו של ר׳ חנוך עם אשתו ובקש השליש לכפותה ולענותה כי היתה יפה ביותר והיא צעקה אל אישה בלשון קדש ושאלה ממנו אם הנטבעים בים חיים בתחיית המתים אם לא והוא השיבה א׳ ה׳ מבשן אשיב ממצולות ים וכששמעה דבריו הפילה עצמה בים וטבעה ומתה: *E Corduba Hispaniæ solvebat gubernator quidam classis, nomine Demachin, quem præfecerat rex Saracenicus Ebedalrachman alnazar, & pertingens ad littus Palæstinæ, offendebat navem, in qua quatuor eruditi Judæi, Sebasten proficiscentes; eam subegit, & ligavit inter cæteros etiam R. Mosen patrem R. Chanochi, una cum uxore sua. Cum autem ea valde pulchra esset, conabatur ille Admiralius, ut vocant, eam vitiare per vim, clamabat ergo ad maritum, & sciscitabatur Hebraice, an etiam submersi, olim in extremo die, æque ac in terra sepulti, sint resurrecturi? respondit ille*, ex Psalmo 68. v. 23. *Dixit Dominus, e Basan reducam, reducam a profunditatibus maris. Itaque hoc versu audito, præceps exiliit in mare, submersa est, & morte castitatem redemit.* Pergo ad Luctum: is brevior erat, vel longior, pro dignitate mortui, communiter unius hebdomadis. H. Efel, *cap.* 13. *med.* (55) אין בוכין על המת יתר משלשה ימים ואין מספידין יתר משבעה בד״א בשאר העם אבל תלמידי חכמים הכל לפי חכמתן בוכין עליהם יתר משלשים יום שאין לנו גדול ממשה רבינו וכתיב ויתמו ימי בכי אבל משה וכן אין מספידין יתר על י״ב חדש אין לנו בחכמה גדול מרבינו הקדוש וי״ב חדש בלבד נספד: *Non deflent mortuum ultra triduum* (lachrymantes,) *nec lugent ultra septiduum*, (in terra discalceati sedentes.) *Intellige hoc de vulgo: nam sapientiæ studiosos plan-*

gunt pro modulo eruditionis illorum. Non tamen quempiam deflent ultra mensem, nec lugent ultra annum. Ecce enim nunquam habuimus majorem Mose nostro Præceptore, & de illo scribitur (Deut. ult. v. 8.) *triginta diebus finitum esse fletum. Sic nec ullum habuimus doctiorem R. Jehuda sancto* (qui a morum honestate sic denominatus, collegit librum Mischnajot, Imperatori Antonino familiariter notus, e familia Hillelis & ipsius Davidis, itaque *Christi* cognatus juxta carnem,) *& tamen non ultra XII. menses continuarunt luctum*. Quod idem etiam R. Bechai *P. Vajechi circa fin.* iisdem pene verbis recenset. Ob parentes (57) tamen liberi lugent quoque annum, & interim orant pro ipsis quotidie preculam Kaddisch (58) appellatam, ut citius e limbo Judaico ad plenam paradisi fruitionem pertingant? quod est a superstitione posteriorum seculorum, & Akibæ commentum. (59) Non tamen quis facile continuat usque ad finem anni; quando impiissimi demum liberantur, quod nemo filius patrem suum tam malignum fuisse præsumat. Synag. Buxt. *cap.* 35. *pag.* 504. *edit. lat.* Celebrant etiam anniversaria jejunia, (60) quotannis ea die qua mortuus est; unde quæstio ipsis perplexa oritur, quandonam jejunandum sit, si quis in intercalari mense Veadar obierit, qui non quovis anno recurrit? Minhag. *c. ult.* Item unde numeratio incipiat, si peregre absenti mors amici nuncietur. H. Esel, *init. c.* 7. ubi plures ejusmodi casus magistraliter decidunt, quia luctus pene pro parte sacri cultus habetur. Idem *cap.* 12. *post init.* כל המתעצל בהספידו של חכם אינו מאריך ימים וראוי ליקבר בחיו אבל המוריד דמעות על אדם כשר הרי שכרו שמור על כך אצל הקב״ה: *Quicunque pigrescit in planctu sapientis non prolongabit dies suos, verum dignus est ut sepeliatur vivus; contra qui lacbrymas largiter emittit ob virum bonum, ejus merces reservatur apud* Deum *Opt. Max.* Herodes male sibi conscius, & metuens ne hoc luctus honore privetur, aut Judæi pessime a se tractati, emortualem in festivum diem convertant, præcepit in agone, nobilissimos illorum capi & in hippodromum concludi, atque cum primum animam eflaverit, a circumfuso milite occidi, ut vel invitus Israel ipsius fato illachrymetur: quod etiam executioni fuisset datum, nisi soror ipsius Salome, pio strategemate usa consilium evertisset. Joseph. *de bell. l.* 1. *cap. ult.* Neque in eo vanus fuit augur: nam celebrant hanc festivitatem (61) adhuc quotannis, hilaritate magna, perinde ut ipsius Hamani suspendium, *Esth.* 9. *vers.* 27. de qua in libello Megillas Taanis, *cap.* 9. (62) בשבעה בכסלו יום טוב יום שמת הורודוס מפני שהיה שונא את החכמים ששמחה היא לפני המקום בשהרשעים מסתלקין מן העולם: *septima dies in mense Cislev,* (qui a novilunio nostri Novembris incipit,) *festiva est, quoniam ea mortuus Herodes, qui odio persequebatur sapientes* (& vel solo infanticidio, *Matth.* 2. *vers.* 16. invisus erat merito.) *Est etiam lætitia coram ipso* Deo, *cum improbi tolluntur e mundo*. Servos quoque non plangunt, ita nec minorennes. (63) Maym. H. Esel, *cap.* 12. *ant. fin.* אין מספידין את הקטנים ובן כמה שנים יהיה ראוי להספד בני עניים או בני זקנים בני חמש ובני עשירים בני שש אחד אחד זכרים ואחד נקבות תינוק שמת כל שלשים יום יוצא בחיק ונקבר באשה אחת ובשני אנשים אבל לא באיש אחד ובשתי נשים מפני ייחוד בן ל׳ יום גמורות יוצא בגלוסקמא קטנא הנטלת באגפיים בן יב׳ חדש יוצא במטה: העבדים והשפחות אין מספידין אותן ואין עומדין עליהן בשורה ואין אומרים עליהן ברכת אבלים ותנחומי אבלים אלא אומרין לו בעל שורו או על חמורו המקום ימלא חסרונך: *Non lugent ob parvulos. Quotennis ergo debet quis esse, ut luctu dignus habeatur? liberi pauperum aut senum quinquennes, divitum vero sexennes* (hodie is respectus opum apud nos invertitur,) *sive masculi sint, seu fœmellæ. Infans minor trigesimo die, in sinu effertur, & sepelitur coram una muliere ac viris duobus; non contra, viro uno, mulieribus binis, propter unitatis mysterium.* (64) *Tricesimo major effertur in parvo capulo axillis sublato. Qui XII. menses superavit, cum lecto effertur. Servos* (65) *& ancillas non lugent, nec propter eos seriatim adstant, nec recitant orationes lugubres aut consolatorias, sed utuntur tantum hac formula, sicut in interitu bovis aut asini*: Dominus penset jacturam! Quanam igitur (66) alias utuntur in honoratiorum funeribus? initio *cap. seq.* 13. כיצר מנחמין את הבלים אחר שקוברין את המת מתקבצין האבלים ועומדין בצד בית הקבורה וכל המלוין את המת עומדין סביב להן שורה לפני שורה ובאין אצל האבלים ואמרין להם תנחומו מן השמים ואח״כ הולך לביתו ובכל ז׳ ימים באין לנחמו גם בפנים חדשות: *Quomodo consolantur lugentes? post quam sepeliverunt mortuum, congregantur lugentes, & stant ia latere sepulchreti, comites vero funeris circumstant ordine, & accedentes sigillatim dicunt*: Consolatio tua e cœlis! *postea domum itur, & hebdomade tota veniunt consolatores etiam alii de novo.* Pecu-

culiaris eſt ratio Regis, (67) quem reverentiæ cauſa nemo conſolabatur, niſi aditus poteſtate prius humiliter impetrata. Idem Maym. *ad fin. cap.* 7. (poſtquam de Pontificis quoque prærogativa quædam præmiſerat:) וכן המלך חייב בכל דברי אבלות אלא שאינו יוצא מפתח פלטורין שלו אחר מתו ואינו מנחם אבלים אין אדם נכנס למלך לנחמו אלא עבדיו ומי שנתן לו רשות להכנס ואין להם רשות לדבר לו דברי תנחומין אלא כפי מה שירשה אותם וכשמברין אותו כל העם מסובין על הארץ והוא מיסב על הדרגש: *Sic & rex tenetur quidem omni ritu luctus, niſi quod non egreditur portam palatii ſui*, (ut ſupra Th. XIII. dictum,) *neque lugentes alios conſolatur. Viciſſim nemo hominum conſolatur ipſum, præterquam ſervi aulici, & quibus veniam dedit ad ſe introeundi: qui tamen ipſi facultatem non habent eum conſolandi aliis verbis, quam ab eo permiſſis. Quando illum recreant, omnis populus diſcumbit in terra, ipſe ſolus reclinatur in grabato*, (ſicut Pontifex in ſella.) Obſerva; ritus lugentium, (68) quibus & regem teneri ait, numerari undecim, tot rebus abſtinere debet etiam ipſe. Ibid. *init. c.* 5. אלו דברים שהאבל אסור ביום הראשון מן התורה ובשאר ימי האבל מדבריהם אסור לספר ולכבס ולרחוץ ולסוך ולשמש מטתו ולנעול את הסנדל ולעשות מלאכה ולקרות בדברי תורה ולזקוף את המטה ולפרוע את ראשו ולשאול שלום הכל י״א דבר: *Hæ ſunt res, quæ lugenti probibitæ, prima die per legem, cæteris per magiſtros: non licet tonderi, lavare veſtes, balneare corpus, ungi oleo, ſervire lecto conjugali, calceari ſandalio, facere opus, legere biblia, erigere* (vel ventilare) *lectum, nudare caput, precari ſalutem. Summa, res undecim*, (quas ſigillatim deinde probat e ſcripturis, & per varios caſus explicat, inſtituto meo futuros nimis prolixos.) Scribere (69) quidem permittit Author Minhagim *c. ult.* quantum forte inevitabilis neceſſitas poſtulat, ſed nil aliud laborare. Prima item die vivunt de alieno, (70) nil comedentes de ſuo. H. Efel, *ſub fin. præc. c.* 4. Audio tunc miſſiculare invicem ova, (71) quæ monent, mortis fortunam eſſe communem, nunc iſtum, mox alium invadere; ſicut ova propter rotunditatem loco conſiſtere neſcia, facile, ex uno in alium, provolvantur. Fovent quoque lucernam (72) ea hebdomade continua, quia perſuaſi ſunt, animas interim aliquoties redire ad locum ubi ſeparatæ fuerunt, idque Baal Minhag. *ibid.* probare conatur ex illo *Proverb.* 20. *verſ.* 27. *lucerna* Dei *eſt anima hominis*. Recenſet & alia quinque, quæ ex inſtituto ſcribarum prohibita ſint lugentibus, quovis triceſimo die ab emortuali. Omitto talia; qui vult legat (73) *cap.* 6. *H. Efel*: Eſt tamen hic iterum ſpecialis conditio Regis. Quamdiu enim privatis candelam accendunt, tamdiu regia ſepulchra ſcholaſticis exercitationibus (74) honorant; quæ juſta Hiskia primum ſolviſſe tradunt. Talmud. Baſa Kama *fol.* 16. *b.* & 17. *a.* כבוד עשו לו במותו מלמד שהושיבו ישיבה על קברו (פי׳ ישיבה תלמידים לעסוק שם בתורה לפי שהרבה תורה בישראל כדאמר שבדקו מדן ועד באר שבע ולא מצאו איש ואשה תינוק ותינוקה שלא היו בקיאים בטומאה וטהרה ולא על קברו ממש אלא ברחוק ארבע אמות פליגי בה רבי נתן ורבנן חד אמר שלשה ימים הושיבו שם ישיבה וחד אמר שבעה ימים תנו רבנן שיצאו לפניו שלשים וששה אלף חלוצי כתף (פי׳ שקרעו בגדיהם עד שנראו כתפיהם:) *Verba textus* (2. Par. 32. v. ult.) *honore ipſum affecerunt; innuunt congregaſſe cœtum ſcholaſticum ad ſepulchrum ejus, hoc eſt ſtudioſos, ut diſcerent ibi ſcripturam; quia multiplicavit legem in Iſrael adeo, ut cum explorarent profectus, a Dan uſque ad Beerſebam* (2. Par. 30. v. 5.) *non reperiretur ullus vir aut mulier, imo ne parvulus quidem aut puella, qui non exercitati eſſent in diſcrimine puri & impuri. Non autem ſuper ipſum ſepulchrum conſidebant*, (ne polluerentur, quia nefas habetur juxta cadaver ſacra tractare;) *ſed intervallo quatuor ulnarum inde remoti. Diſſentiunt tamen de tempore R. Nathan & alii; unus dicit triduo tantum ibi commoratos legi vacaſſe, alter toto ſeptiduo. Tradunt etiam, præceſſiſſe funus triginta ſex millia* (ſubditorum) *nudatis humeris, qui veſtes euſque laceraſſent, ut ſcapulæ apparerent*. Verſantur (75) enim Judæi, cum noſtris purgatorii exſufflatoribus, in ea opinione, quaſi defunctorum animæ ſciant, quicquid a ſuperſtitibus in hoc mundo agatur, non obſtante ſapientiſſimi Salomonis effato, *Eccl.* 9. *verſ.* 5. qui eas quicquam noſſe per expreſſum negat. Talm. M. Berachot *pag.* 19. *a.* רבי חייא ור׳ יונתן הוו שקלי ואזלי בבית הקברות הוה קשריא תכלתיה דר׳ יונתן אל רבי חייא דלייה כדי שלא יאמרו למחר באין אצלנו ועכשיו מחרפין אותנו ומי ידעי כולי האי והא כתיב והמתים אינם יודעים מאומה אל אם קרית לא שנית אם שנית לא שלשת אם שלשת לא פירשו לך כי החיים יודעים שימותו אלו צדיקים שבמיתתן נקראו חיים וכו׳: והמתים אינם יודעים מאומה אלו רשעים שבחייהם קרוין מתים שנ׳ ואתה חלל רשע נשיא ישראל: *R. Chaija & R. Jonathan ferebant* (oſſa transferenda in digniorem locum,) *& abibant ad cœmiterium, ibi*

ſane

sane propendebant vertebræ cervicis R. Jonathæ (in terram,) *dixit ei R. Chaija: quin attrahis! ne objiciant nobis: cras venitis ad nos-* (per mortem in nostram societatem,) *& nunc comtumeliose nos tractatis. An ergo* (manes) *noverunt omne illud? at ecce scriptum est* (Eccl. 9. v. 5.) *mortui non sciunt quicquam. Respondit,* (nondum tenes mentes textus,) *quamvis legisti, forte non repetiisti, aut si repetiisti, non iterasti tertium, aut si tertiasti, non tibi fuit explicatum.* (Is autem sensus est, quando dicit:) *vivi noverunt, quod mori debeant; loquitur de Justis, qui etiam post mortem suam vocantur vivi. Econtra igitur mortui, quos nihil scire dicit,* (oppositionis lege,) *significabunt impios, qui etiam, dum vivunt, mortui appellantur, ut* (Ezech. 21. v. 30.) *tu vero confosse impie princeps Israel &c.* Quamvis etiam Chaldæus hunc locum sic exponat; opponimus tamen, Judæis quidem glossam Aben-Ezræ, qui de *vere mortuis, etiam sapientibus* interpretatur: nostris vero insuper illud *Esa. 93. vers. 16. Abraham nescit nos, Israel ignorat nos.* Ita neque curant, an vel qualia ipsi Epitaphia (76) erigamus. Laudo Maymonidem, qui censet, famam recte factorum, quæ in viva posteritatis memoria perennat, esse splendididissimum Mausoleum, quovis marmore durabilius, quavis statua pulchrius. Cap. 4. Ebel. מציינין את הקברות ובונים נפש על הקבר והצדיקים אין בונים להן נפש על קברותיהם שדבריהם הם זכרונם ולא יפנה אדם לבקר הקברות: *Quidam exornare solent sepulchra, & statuas memoriales illuc reponere; Sapientes vero* (77) *talia intermittunt, quia recordatio illorum* (& mentis verior effigies,) *manet in scite-dictis ipsorum: præterea non quivis* (spectandi gratia) *visitat ista monumenta.* Nudæ tamen inscriptiones nominum & annorum non improbantur, quia historias & chronolologiam juvant. Si petis exemplum, (78) en tibi hoc fœmineum, quod mihi aliquando interpretandi causa oblatum erat. זאת המצבה אשר הוצבה לראש החשובה והחסידה התמימה ר׳ רבקה בת הק״ר שמואל הלוי שנפטרת בשם טוב כיום ד׳ לח׳ טבת בשנת קל״ה לפ״ק נשמתה תהא צרורה בגן עדן א׳א׳א׳ סלע: *Iste cippus erectus est ad caput honorabilis, piæ ac integerrimæ Dominæ Rebeccæ, filiæ S. R. Samuelis Levitæ* (nam hosce solos adhuc dum hodie, in cæterarum tribuum confusione internoscunt,) *quæ obiit fama bona, die 4. mensis Tebet* (qui nostro fere Decembri congruit,) *Anno 135. juxta supputationem minorem* (omissis quinque millenariis; hoc est, Christiano 1375.) *Anima ejus collecta sit in horto voluptatis* (sive Paradiso!) *Amen, Amen, Amen, Sœlah.*

Superest ut de Regis Animalibus relictis dicam, hoc est, Equis, Servis, Viduis; quid de illis fiat, quandoquidem nemini alteri inferioris conditionis post domini fata, permissa fuerunt. Equis (79) incidebant suffragines, ut postea sessorem non ferrent alium: id enim putabant honorificum; præterea decere, ut in publico luctu animalia puoque bruta condoleant, (80) maxime quæ tantum herum amiserunt. Talmud. M. Afod. Zarp. *p.* 11. *a. fin.* התניא עוקרין על המלכים ואין בו משום דרכי האמורי אמר רב פפא יסוס שרכב עליו ובהמה טהורה לא [פי׳ ואם תאמר ואמאי לא פריך אין כאן תשחחה אלא הוי כמו תכריכין של מאה מנה אלא צער בעלי חיים איך הותר ויש לומר דשאני כבוד המלך שהוא כבוד לכל ישראל ואתי כבוד רבים ודחי צער בעלי חיים:] *Vetus est traditio, enervari* (animalia) *propter reges: nec tamen hoc fieri æmulatione Amorrhæorum. Raf Pasa inquit; Equum quo vectus sit, non vere animal mundum.* Glosſ. marg. *sin cogitas, hoc fuisse iniquum & crudele, scito, non factum perdendi animo, sed reputatum ut centum illæ minæ funebres; at instas: num igitur animata sic æffligere licet? respondeo, fit in honorem regis, & consequenter totius populi; publicus autem honor præjudicat dolori privato.* Verum hæc enervatio caute administranda erat, ne peccarent in legem, quæ ullum animalis membrum discerpere vetat. Ideo sequitur *ibid.* עיקור שיש בה טריפה אסור (פי׳ אסור לגרום בידים) ומאין בה טריפה מותר ואיזהו עיקור המנשר פרסותיה מן הארכובה ולמטה (פי׳ משיר חותך פרסות שני רגליה אבל מן הארכובה ולמעלה טריפה מדאסור:) *Evulsio, quæ fit lacerando; probibita est, nefas enim discerpere manibus; at ubi nulla diruptio accidit, concessa est. Qualis igitur ea? secat equinos pedes a poplitibus deorsum, & sic incidit duos tantum; at non inde sursum, quod vetitum esset.* Hic actus in scriptura vocatur Eradicatio, (81) cujus etymi rationem reddit R. David Kimchi, radice עקר hisce verbis: כל דבר הנהרס או הנתלש מעקרו יפול בו לשון עקירה כלומר הסרת העקר כי השרש הוא עקר בארמית והפעל הכבד בכריתת עקבי הבהמה כי רגלי הבהמה הם יסוד ועקר לבהמה מה שאין כן באדם לפיכך כנה כריתת עקבי הבהמה בלשון עקירה כמו תלישת הנטוע משרשן: *Quicquid evellitur vel diruitur e fundamento, dicitur Esadicari, h. e. radicitus extirpari, quia vox* עקר *Chaldaice radicem notat* (ut Dan. 4. v. 12.) *hinc in conjugatione Pihel significat calcaneos ani-*

ma-

malium incidere: quia enim in jumentis, pedes fundamentum & radix sunt (fortitudinis eorum,) *secus quam est in homine, ideo calcium incisura denominatur ab eradicatione plantarum*. Erat iste mos antiquus, non sane in honorem semper, sed a victoribus alio fine adhibitus. Exemplo Josuæ, qui *cap.* 11. *vers.* 9. devictorum regum currus quidem combussit, equos autem jussu *Dei* dicto modo enervavit, ne hostibus prodessent. Noluit prorsus occidere, (82) ne in animalia fida & innocua præter meritum sævire videretur: nec tamen servare voluit integros, ne Israel sui *Dei* oblitus in equestri fortitudine spem poneret. Sic & rex David mille septingentis equitibus bello captis, currus suos (h. e. curruum tractores equos) enervasse legitur, 2. *Sam.* 8. *vers.* 4. ut bello redderet inutiles; solos centum selectiores sibi servasse: scilicet ad necessarios usus; quia caballos ad pompam alere, prohibitum erat, supra *Theor.* X. Idem cæteris quoque jumentis post fata regis factum, quæ Majestatem ipsius peculiariter ferebant, velut Muli personales, aut Vitulæ curules: quicquid R. Pasa contradicat. Nam *ibidem* mox corrigitur, & tradit hoc expresse Maymonides, *ad fin. Hal. Ebbel.* עודין עגלה שהיתה מושכת בקרון שהיה יושב בו מנשר פרסותיה מן הארכובה ולמטה מקום שאין עושה אותה טריפה: *Enervant vitulam, quæ olim trahebat sellam regiam, secantes ungulas a flexura deorsum, quo loco non contingit probibita discerptio*. Servos (83) quod attinet, qui regi ministrassent immediate, velut cubiculari, atrienses, pocillatores, structores, prægustores, armigeri &c. non decebat, ut ab aula, quod dicitur, ad caulam descenderent, & qui magnarum rerum consiliorumque quotidiani spectatores auditoresve fuerunt, in pistrino deinceps vili opera vitam tolerarent, pro ambrosia furfur edentes, bibentesque pro nectare vappam. Ideo reservati fuerunt successori, qui regnum adiens, veteres ministros in clientelam suscepit, nec (ut aliquando solet,) totam aulam periculosa mutatione statim reformavit. H. Melachim *post init. c.* 2. לא ישתמש בעבדיו ושפחותיו ושמשיו אלא מלך אחר: *nemo usus est alius, servis, ancillis, & ministris ejus, quam hæres regni*. Viduæ (84) vero nemini, ne successori quidem nupserunt, sed in hoc solitario statu perseverarunt ad dies vitæ. Ibid. *paulo post*. אם מת הוא כיון שאי אפשר ליבם את אשתו כן אין חולצין לה אלא תשב לעולם בזיקתה: *Rege mortuo, quia non fas est eam a fratre duci* (supra Theor. IX.) (85) *nec solvi calceum* (sicuti Ruth. 4. v. 7.) (86) *ideo sedebat perpetuo in cavea sua*. Dura conditio præsertim juvenculis; sed tolerabilior tamen illa Indorum, (87) de qua Valer. Max. *l.* 2. *sub fin. c.* 1. *Cum more patrio plures eidem nuptæ soleant esse, mortuo marito in certamen judiciumque veniunt, quam ex iis maxime dilexerit, victrix gaudio exultans, deductaque a necessariis, lætum præferens vultum, conjugis se flammis superjacit, & cum eo tanquam felicissima crematur; superatæ cum tristitiæ & mœrore in vita remanent*. Una tamen apud Hebræos in regno successit Solima vel Alexandra, Jannæi vidua: de qua Josephus *antiquit. lib.* 13. *cap.* 24. Nam Atthalia Ochoziæ non vidua sed mater erat 2. *Reg.* 11. *vers.* 1. neutra legitime: (88) quoniam successio solis filiis debebatur: de quo jam *sequenti Theoremat. ultimo*.

NOTÆ

In Theorema decimumnonum.

(1) In toto hoc theoremate pauca nobis annotanda erunt, quod omnia jam abunde enuclearit vir summus & nostro encomio major, Dn. D. Geierus, in elegantissimo & varia eruditione locupletato libello de luctu Hebræorum, ad quem subinde saltem remittendus erit Lector. Neque enim quisquam, cui solidior philologia curæ est, hoc κειμηλίῳ carebit, de quo jure illud Hebræorum usurpes: ספר מעט הכמות ורב איכות *Liber exiguus quantitate, sed magnus qualitate*.

(2) Mortuorum Cadavera &c. Geier. *c.* 5. §. 5. *pag.* 49.

(3) Oculos. Geier. *V.* §. 6. *pag.* 50.

(4) Os. Geier. *c. V.* §. 7. *p.* 52.

(5) Postquam excrementa inde, presso ventre, depulerunt. Potius: *posteaquam ipsum laverint*. Ita versionem Schikardi emendat Dn. D. Geierus *c. V.* §. 5. *p.* 49. & recte. Seduxit Homerum nostrum *depellendi* significatio verbo הדיח propria, ut dormitando ad metaphoricam non respiceret, qua idem sonat quod *lavare & abluere*, quæ Hebraismo non insolens, *Jes. IV.* 4. *LI.* 34. *Ezech. XL.* 38. in Rabbinismo autem frequentissima, unde & nomen הדחה *Lotio*, quod una cum verbo vide in Dn. D. Schmidii Schabbath *c. XXII. Misch. II. p.* 53.

(6) Pollices. Geier. *cap. V.* §. 12. *pag.* 66.

(7) Omnipotentem. Ita vulgo שדי reddunt. At vero proprie sonare *fulminatorem*, prolixe demonstravimus *in Colleg. Rabb. Bibl. ad Ruth. I.* 20. *p.* 208. *seqq.*

(S)

(8) Sacris vestibus ציצית dictis. De his Buxtorf. *Synagog. Jud. c. IV. p.* 128. & in edit. recenter aucta *c. IX. p.* 160. *seqq.* Drusium *lib. II. de Sectis Judaic. c. XVI. pag.* 107. Leusdenium *Philol. Mixt. Diss. XVII. p.* 119. Pfeifferum *Dec. II. Antiq. Sacr. Posit.* §. 6. *seqq. p.* 32. *seqq.*

(9) *Th. VI.* Vide supra *p.* 129. 130.

(10) Volumen Legis. Geier. *c. XIX.* §. 3. *pag.* 340.

(11) Vestes dilacerare. Geier. *c. XXII.* §. 9. *seqq. p.* 412. *seqq.* Auctoribus ibi laudatis adde Freinshemium *not. ad lib. III. Curt. c. XI. num.* 26. Spizelium *in Elevat. Relat. Montez. in p.* 85. *seqq.* Exemplum habes in Gemara Cetubhoth, a Const. L'Empereur *not. ad Cod. Middoth c. III. sect. I. p.* 98. transcripta & latine versa, ubi de filio Kaphræ refertur, quod cum expirasse R. Jehudam deprehendisset, vestes sibi disciderit, & denuo aggressus sit, dilacerare posteriores. Quod alias Rabbini disceptant, de vestimento ob legis combustionem bis scindendo, semel propter pergamenum, & iterum propter scripturam, vide notatum a Vorstio *not. ad Maj. de fundam. Leg. c. VI.* §. *VII. n.* 9. *p.* 81.

(12) Lugens tenetur. Geier. *c. XXII.* §. 17. *pag.* 424.

(13) Parentum. *Quam recte hæc*, quæ antecedunt, *versa sint a Schikardo, disquirat qui cupit*; inquit Dn. D. Geierus *c. XXII.* §. 17. *p.* 428. qui sic verbotenus maluit: *Omnem rapturam, quam fecit quivis ob cognatos suos, consuit cusse post septiduum; recte autem resarcit post diem demum trigesimum. Eam vero, quæ facta est ob parentes, crasse tantum censuit post trigesimum, nec unquam recte resarcit in perpetuum. Mulier scissuram faciens, e vestigio crasse consuit, etiam ob parentes, ob verecundiam.* Quia nempe verbum שלל, usu Biblico notat *spoliare, auferre, abstrahere*, pro vestium depositione in toto hoc contextu accepit Schikardus; cum tamen Rabbinis interdum sit *crasso & rudi modo consuere*, atque hoc sensu in materia de luctu sæpius redeat. Videatur Buxtorfius *Lexic. Talm. fol.* 2418.

(14) Deponere. Verte: *crasse consuere*; & confer huc omnino Coccejum *not. ad Sanhedr. c. VII. p.* 62. *num.* 12.

(15) Aquas effundere. Geier. *c.* 5. §. 12. *p.* 67.

(16) Luxum Fasciarum. Geier. *c. V.* §. 5. *pag.* 49. & §. 10. *pag.* 56.

(17) Vestiunt involucris. Hoc tanti æstimarunt, ut eum, qui Legis librum nudum apprehendit, nudum etiam sepeliendum, atque hac gravi veluti pœna mulctandum dicerent. Observatum id est supra *pag.* 130.

(18) Ne memoriæ superstitum officiat. In Minhagim est: קשה לשכחה quod potius contrarium sonat: *ne oblivioni officiat*. Sensus est, tegendam faciem mortui, neque a superstitibus contemplandam, quia postea difficile est, ejus oblivisci: es ist schwer zu vergessen. Ita emendat Dn. D. Geierus *c. V.* §. 12. *pag.* 66.

(19) Dentibus quidem obesse. Hoc suo se relinquere, ait Idem *cap. cit.* §. 11. *p.* 64. Vide interim Plinium *lib. XXVIII. Nat. Hist. c. IV.*

(20) Osculum. Cur nihil noster de osculis mortuo datis, qualia Josephus Patri suo infixit, *Gen. L.* 1. Non credidit, certum illa consuetumque constituisse ritum, perpetuæve fuisse observantiæ, quin potius pro ratione affectus erga defunctum fuisse vel adhibita vel intermissa: quæ mens postea fuit Dn. D. Geieri tot verbis indicata *c.* 5. §. 11. *pag.* 62. qua ipsa tamen occasione plurima de osculis mortuo apud alias gentes dari solitis ibi tradita reperies, poterisque exemplis ibi adductis addere illud, quod Xiphil. *in Severo* de exequiis Pertinacis scribit: *Cum lectus rogo impositus esset, Severus propinquique Pertinacis statuam ejus osculantur.*

(21) Inter saniores ethnicos. Geier. *c. V.* §. 10. *pag.* 57.

(22) Pollincturæ. Geier. *c. V.* §. 8. *p.* 53. 54. Inquiri autem occasione ista posset, cur, cum hæc ratio condiendi Judæis usitata fuerit, eadem in Lazaro non fuerit adhibita, quippe qui die, postquam mortuus erat, quarto putrescere incepit & fœtere, *Joh. XI.* 39.

(23) De Josephi Cadavere. Fabulam hanc paulo aliter commemorat Auctor Prirath Mosche *fol. XVI. col.* 1. 2. בשעה שירד משה למצרים והגיע גאולתם של ישראל והיו כולם עוסקים בכסף וזהב ומשה היה בסבב את העיר והתעסק שלשה ימים וג׳ לילות למצוא ארונו של יוסף לפי שלא היו יכולין לצאת ממצרים מפני אסו׳ השבועה בלא עצמו׳ יוסף לפי שהשביע את בני ישראל שנ׳ וישבע יוסף את בני ישראל . פגע בסרח בת אשר וראתה אותו עייף ויגע אמר לה סבבתי את העיר וג׳ ימים וג׳ לילות למצוא ארונו על יוסף ולא מצאתי אותו אמרה לו בא עמי והלך עמה עד נהר נילס אמר׳ לו במקום זה נתנו ארונו של יוסף ושל עופרת היה וחמש אמו׳ היה וחתמוהו מכל מקום . כך אמרו החרטומי׳ אל פרעה רצונך שלא תצא אומה זו שכאן אם לא יעלו את עצמות יוסף עמהם הם לא יצאו מפני אסור השבועה מיד עמד משה על שפת הנהר ואמר יוסף יוסף אתה ידעת שהגיע השעה שה״בה גואל את בניו והשבעת אתה את ישראל . ועתה תן כבוד לאלהי ישראל ואל תאחר גאולתם מעשי׳ יש לך בקש לכני בוראך ועלה מתהום. מיד התחיל ארונו מנענע ועולה מתהומות כקנה נטלו משם ושם אותו על כתפו והיו כל ישראל סובלין אחריו והכסף והזהב שנטלו ממצרים עמהם ומשה היה סובל ארונו של יוסף: *Quo tempore Moses in Ægyptum descendit, indicavitque redemtionem Israelitarum, omnes auro argentoque conquirendo dabant operam, Moses autem urbem interea circumibat, eoque tres dies totidemque noctes insumebat, ut inveniret capulum Josephi, eo quod egredi Ægypto non possent, absque ossibus Josephi, quia juramento ad hoc Israelitas obstrinxerat juxta* Gen. L. 25. *Et adjuravit Joseph filios Israel. Forte offendit Saram filiam Ascher, quæ ipsum vidit fessum & defatigatum. Hanc ita alloquitur: Circumivi urbem tres dies totidemque noctes, ut invenirem Josephi capulum; sed eum non inveni. Cui illa: Veni mecum, inquit. Ivit ergo cum ipsa ad Nilum, ubi porro ait: Hoc in loco demiserunt capulum Josephi, qui plumbeus & quinque cubitorum, atque undiquaque clausus est: ita enim Magi ad Pharonem: Si velis, inquiebant, ne gens ista hinc exeat, fac ne inveniant ossa Josephi. Nisi enim secum ferant ossa Josephi, ipsi quoque non egredientur, ob juramentum, quo impediuntur. Confestim Moses in littore fluminis constitit, dixitque: o Joseph, Joseph! tute nosti, appropinquasse jam tempus, quo Deus filios suos liberaturus est; tu autem Israelitas adjurasti. Quare nunc de gloriam Deo Israelis, & liberationem illorum ne remoreris! hoc agas, interpella coram Creatore tuo, & ascende de profundo. Statim cœpit motitari loculus, sursumque de profundis ferri, instar cannæ. Eum Mose sublatum suis humeris imposuit, cumque cæteri Israelitæ aurum & argentum ab Ægyptiis ablatum ferrent Moses* (spretis Ægyptiorum opibus) *capulum Josephi portabat.*

(24) Quæ putrefactionem. Vide Wandel. *de admirand. Nili c. XII.*

(25) In Humeris Geier *c. V.* §. 22. *pag.* 85.

(26) Ne malis quidem regibus. Vide Jo. Ad. Osiandrum *not. ad Grot. de J. B. & P. l.* 1. *c.* 3. *th.* XVI. *Observ.* II. *pag.* 503.

(27) Monita sapientum. Geier. *c.* I. §. 3. *p.* 6.

(28) Herodem sic extullerunt. Geier. *c.* V. §. 22. *p.* 86. §. 24. *p.* 94. §. 25. *p.* 96.

(29) Vetantique Sandalia. Geier. *c.* XV. §. 5. *pag.* 300.

(30) Locus ubi Mulieres. Geier. *c.* V. §. 23. *pag.* 88.

(31) An etiam siticines. Geier. *cap.* 5. §. 16. *pag.* 72.

(32) Preculam. Geier. *c.* VI. §. 17. *p.* 147.

(33) Hoc etiam certum. Geier. *c.* VI. §. 10. *p.* 128. §. 13. *p.* 137.

(34) Vade in Pace. Geier. *c.* VI. §. 10. *p.* 130. & adde Buxtorfio ibi laudato Heinsium *Exerc. Sacr. c.* XXX. *p.* 524. Dilherrum *l.* 2. *Elector. c.* XXIV. *pag.* 328.

(35) Singulos. Geier. *c.* VI. §. 14. *p.* 139.

(36) Mortui supellectilem. Geier. *c.* VI. §. 16. *pag.* 143.

(37) Comburebantur. Geier. *c. VI.* §. 7. *pag.* 110. 111.

(38) Diversitas. Geier. *c. VI.* §. 7. *p.* 112.

(39) Ad Hebræos. Quæ hic sequuntur, ex instituto late persecutus est Dn. D. Geierus *c. VI.* §. 2. *seqq. p.* 120. *seqq.*

(40) In Solenni ossilegio. Hujus antiquam formam & ceremonias pulchre descripsit Tibullus *lib. III. Eleg. II.* De ossibus autem apud Hebræos collectis vide Geier. *c. III.* §. 8. *p.* 32.

(41) Errare illos. Intelligit Buxtorfium *de Abbreviat. Hebr. p.* 174.

(42) Libras Thuris. Helvicus *de Chald. Paraphras. c. II. p. 6.* eodem errore : *libras* 70. *resinæ*.

(43) Me quoque pridem seduxerunt. Et ipse porro alios. Vide Leusdenium *Philol. Hebr. Mixto Dissert. VI. p.* 44. Pfeifferum *de Targumim. c. IV. th.* 4.

(44) Onkelos ille. Vide Butorf. *de Abbreviat. Hebr. p.* 120. & 207. Helvic. *de Chald. Paraphr. c. II. p. 6.* Hottinger. *lib. I. Thes. Philol. c. III. sect. I. p.* 257. Leusden & Pfeiffer. *locis jam citatis*, &c.

(45) Præceptor S. Pauli. Vid. Galatin. *lib. I. de Arcan. Cath. Verit. c. II. f.* 5. Buxtorf. *de Abbrev. Hebr. pagin.* 173. Selden. *lib.* 1. *de Synedr. Vett. Hebr. c. XIV. p.* 569. Hotting. *Hist. Eccl. c. I. sect. I. p.* 15. Petitus *lib. III. Observ. c. II. pag.* 254. Respice quoque *supra pag.* 101.

(46) Simeon Hillelides. Idem jam asseruerat noster *in Bechin. Happer. p.* 26. Nec aliter e Theologis nostratibus Chemnicius *Harm. Evang. c. XI. p.* 223. Gerhard. *Exeges. Loc. Theol. p.* 201. Walther. *Officin. Bibl.* §. 308. *pag.* 256. aliique. Negat tamen Guil. Vorstius *Observ. ad Chronol. Ganz. pag.* 283. (qui & superiorem conjecturam de Pauli præceptore, *ibidem* in dubium vocat,) eumque secutus Jo. Wandalinus *de feria Pass. & triduo mortis Christi c. II. p. 29. seqq.* late de eo adversus Wilh. Longium disputat. Conferatur etiam B. Dorschæus *in Mantiss. ad Dissert. de nomine* Jehova *pag.* 52.

(47) Zæmach Dav. Fol. 36. Gejer. *c. V.* §. 10. *pag.* 56.

(48) Cessarit aliquandiu. Gejer. *c. XXIX.* §. 3. *p.* 340. Obiter hic nota, quod de luctu publico super obitu Drusillæ Sororis Imperatoris Caligulæ refert Philo *in Flaccum fol.* 755. *Τὰ ἐργαστήρια τῶν ἰουδαίων συγκεκλεισμένα διὰ τὸ ἐπὶ Δρουσίλλῃ πένθος*, *Officinæ Judæorum* (Alexandriæ) *tum propter luctum mortis Drusillæ clausæ erant.* Conf. Dion. *in Calig. fol.* 396.

(49) Maym. H. Efel. cap. ult. Textum hunc a Schikardo hic & mutilate allegatum, & vitiose versum observavit Dn. D. Gejerus *c. III.* §. 11. *pag.* 36. cum ipse accurate recensuisset : *conferat*, inquit, *qui potest, eundem cum auctore* Majemonide *ipso*. In eo sic fluunt verba : תלמיד חכם שמת אפילי היו עמו עד ששים רבוא מבטלין תלמוד תורה להוציאתו היו ששים רבוא אין מבטלין : in quibus quia ad particulam עד non attendit, conciliare non potuit, quod de differendo legis studio in funere studiosi, qui sexaginta habeat condiscipulorum myriades, scribit, cum iis, quæ de studio in hoc funere non turbando sequuntur : maluit ergo hæc omittere. Verum nulla difficultas superest, modo illud עד rite expressum fuerit, *si Studiosus Sapientiæ moritur, quamvis habeat* (עד) *Ferme sexaginta myriades condiscipulorum, tamen cessant omnes a studio, donec eum extulerunt*, (vel ut eum efferre, & funus comitari possint,) *si vero habuerit sexaginta condiscipulorum myriades* (completo scilicet numero, quod impossibili videtur æquipollens, inquit Dn. D. Gejerus) *non cessant*. Et hanc textus partem Schikardus truncavit. Quod autem sequitur : ואם היה מלמד לאחרים אין לו שיעור אלא מבטלין הכל להו צאתו : *Quid si vero ipse jam docuerit alios*, (sic enim actum, non potentiam saltem docendi Majemonides requirit) *non attendi solet* (sic enim actum, non potentiam saltem docendi Majemonides requirit) *non attendi solet* (ad numerum condiscipulorum, perinde est, sive sexaginta myriades completæ sint, sive non,) *sed omnes cessant* (aut feriantur) *ad equi eductionem*.

(50) Evulsa gramina. Gejer. *c. VI.* §. 17. *pagin.* 147.

(51) Sepulchreta. Gejer. *c. VI.* §. 10. *p.* 123.

(52) Legat. item R. Majemonidis מאמר החייה המתים h. e. *orationem de resurrectione mortuorum*, in *Thes. Antiq. Sacr.* Tom. XXIV. qua perspicue & ad vulgi captum, hunc articulum explicat. Denuo hæc nuper edita est ad calcem ejusdem *libri hammizvos fol. CXXVIII.* uti R. Mosis bar Nachman *Schahar haggamul*, sub finem libri *Torath haadam fol. LXXXIX.* Sed ne plures commemorem, vel unum Menasseh ben Israel consuluisse sufficeret qui *tres libros de resurrectione mortuorum* Latino sermone edidit Amstelodami Anno 1636. Adde interim Eduard. Procokium *Not. Miscell. ad Port. Mos. cap. VI.* in quo toto variæ Judæorum de resurrectione mortuorum sententiæ expenduntur, *pag.* 86. *seqq.*

(53) Cheiek. Vide Cocceji *Sanhedrin pag.* 309.

(54) Quidam Rabbinus. Eandem historiam vide apud Hottinger. *in Histor. Eccles. Sæc. XI. sect. IV. p.* 502. 503. & Pocokium *not. Misc. ad Port. Mos. VI p.* 126.

(55) De resurrectione submersorum. Confer omnino huc celeberrimi nostri Thomasii, Collegæ & Compatris honoratissimi *Exercitationem de Morte in Undis*, quam contra Servium & Synesium Lipsiæ Anno 1667. habuit.

(56) H. Efel c. XIII. Med. Gejer. *cap. II.* §. 3. *p.* 13.

(57) Ob Parentes. Gejer. *ib. p.* 14.

(58) Preculam Kaddisch. Incipit יתקדש eique magnam sanctitatem & efficaciam tribuunt. De ea late post Ant. Margaritam *in Relig. Judaic. pag.* Ŋ. 3. Buxtorfius *in Synagog. Judaic. passim*.

(59) Akibæ commentum. Post Buxtorfium ab Auctore citatum (in edit. recenter aucta *c. XLIX. p.* 709.) confer Chr. Gerson *lib. I. Talm. c. XXXIV. pag.* 250. *seqq.*

(60) Anniversaria Jejunia. Gejer. *c. XX.* §. 10. *pag.* 359.

(61) Celebrant hanc festivitatem. Vide Seldenum *lib. III. de Synedr. Vett. Hebr. c. XIII. p.* 241.

(62) Taanis cap. IX. statim initio, *fol. m.* XLV. *col.* 1. editionis Basileens. de anno 338. i. e. Christi 1578. quod in Reinesii gratiam observo, qui aliquando mendum hic subesse hariolabatur, eo quod Codici Taanis tantum sint quatuor capita : provocabat simul ad Buxtorfii recensionem operis Talmudici *p.* 238. Verum non attendebat vir *κριτικώτατος*, non *Talmudis Masseches Taanis*, sed *libellum Megillas Taanis* citari qui XII. Capitibus constat, & aliud plane argumentum tractat, quam Codex ille Talmudicus. Hic de jejuniis & jejunandi ritibus præcepta & traditiones explicat; contra Libellus ille dies festos recenset, cum lætitia absque omni luctu & jejunio celebrandos.

(63) Minorennes. Gejer. *c.* III. §. 5. *pag.* 28.

(64) Propter Unitatis Mysterium. Hebraicæ : מפני הייחוד : *propter solitudinem*, h. e. ne res ea peragatur absque testibus sufficientibus, vel, ne impudicitiæ sic detur ansa, uti explicat Dn. D. Gejerus *loc. cit.* additque, nostrum absque dubio Schikardum innuens : *Non nemo eruditorum vertit* : Ob Mysterium Unitatis : *quod quomodo huc quadret, nondum capio*.

(65) Servos. Gejer. *c.* III. §: 12. p. 36.

(66) Quanam igitur. Gejer. *c.* VI. §. 24. *pagin.* 169.

(67) Peculiaris ratio regis. Gejer. *c.* IV. §. 2. *pag.* 39.

(68) Ritus Lugentium. Gejer. *c.* VI. §. 3. *pagin.* 182.

(69) Scribere. Gejer. *c.* XIX. §. 1. *pag.* 334. 337.

(70) De Alieno. Gejer. *c.* XX. §. 12. *p.* 362. Sic ad ferale convivium fercula non ab ipsis funeris curatoribus parabantur, sed a necessariis mittebantur in ædes luctuosas. *Idem c.* VI. §. 20. *p.* 160.

(71) Ova. Gejer. *c.* VI. §. 20. *p.* 164.

(72) Lucernam. Gejer. *c.* V. §. 12. *pag.* 67.

(73) Qui vult, Legat. Ea omnia habes in Geieri libello inde *a Cap.* VIII. & *seqq.*

(74) Scholasticis exercitationibus. Gejer. *c.* III. §. 13. *p.* 37.

(75) Versantur. Gejer. *c.* I. §. 5. *pag.* 173.

(76) Epitaphia. Gejer. *l.* VI. §. 25. *pag.* 171. *seqq.*

(77) Sapientes vero. Desumsit hæc Maimonides e Gemara Jerosolymitana. Cum enim in Massech.

Schekalim *c.* II. *Misch. ult.* R. Nathan dixisset : לו נפש על קברו מותר המת בונין : *Ultimus demortui honor est, quod erigant super ejus tumulo monumentum*; corrigitur Gemara illa, prout Talmudi Babilonico inserta est, *fol.* IV. *col.* 2. & in Talmude Jerosolymitano *fol.* XLVII. *col.* 1. תני רבן שמעון בן גמליאל אומר אין עושין נפשות לצדיקים דבריהן הן זכרונן : *Docet Rabban Simeon ben Gamaliel : non sunt, inquiens, erigenda justis monumenta, siquidem verba eorum sunt monumenta illorum.*

(78) Exemplum. Gejer. *c.* VI. §. 25. *p.* 176. Talia vero satis obvia in iis locis, in quibus Judæi sua cœmiteria habent, & nos olim quamplurima ejus generis Wormatiæ & Francofurti ad Mœnum descripsimus. Antiquiora integro libello recensuit Hottingerus *de Cippis Hebraicis*. Fragmenta quædam exhibet Seldenus *in auctariolo ad marmora Arundelliana p.* 58. Videatur etiam Dn. Spizelius *in elevat. relat. Montezin. p. 67. & seqq.*

(79) Equis. R. Maimonides *H. Ebhel c.* XIV. §. XXV. מלך שמת עוקרין סוס שהיה רוכב עליו : *Rege demortuo equum, quo vehi solitus est, enervant.*

(80) Bruta condoleant. Geier. *c.* VIII. §. 5. *pag.* 199.

(81) Eradicatio. Verbum עקר in Piel aliquando est νευροκοπεῖν, h. e. enervare, aut suffragines incidere, *Jos.* XI. 6. 9. *Sam.* VIII. 4. 1. *Paral.* XVIII. 4. Josephus reddidit, ἀχρήστους ποιεῖν,, quia incisis pedum posteriorum nervis equi inutiles reddebantur. R. David Kimchi *ad Jos.* XI. 9. *fol.* CCXLVIII. *col.* 2. eradicationem sic definit: העיקור הוא לנשר פרסות הבהמה מן הארכובה ולמטה ולא תמות הבהמה בזה הדבר אלא שלא תוכל ללכת ואם תמצא מרעה במקומה תחיה : *Eradicatio est secatio ungularum animalis a poplitibus deorsum, non ut inde animal moriatur, sed ne ire amplius possit, ac vivat de pabulo, si inveniat in suo loco.* Et denuo *ad* 2. *Sam.* VIII. 4. *fol.* CCCXXXIX. *col.* 2. העקור שהוא מנשר פרסותיהם מהארכובה ולמטה שלא תוכל לזוז ממקומות : *Eradicatio est, quando quis ungulas equorum unde a poplitibus deorsum ferat, ne loco sese movere possint.*

(82) Noluit prorsus occidere. Eadem tot verbis R. David Kimchi *ll. cc.* לא צוה להמית הסוסים כי לא היה דבר שאסור בהנאה ושאר הבהמות שהיה בהם כמו רכב חמור רכב גמל לא צוה לעקור אלא שיקחום לצרכם אבל הסוסים שאינם אלא למלחמה אותם צוה לעקור כדי שלא יקחום ויבטחו בהם ולא אמר להרגם דרך השחתה כי אסור להשחית הנבראים אם לא לצורך או לאסור בהנאה : *Non jussit equos occidere, quia non est res, cujus usus* simpliciter *interdictus sit : unde reliqua animalia ubi obvia, v. g. asinos aut camelos, ne enervare quidem jussit, sed concessit, ut in necessarios usus adhiberent. Verum equos; qui non nisi ad bellum* tum temporis *adhibebantur, enervare jussit, ne acciperent, inque iis fiduciam ponerent. Noluit autem plane eos occidere per modum perditionis, quia prohibitum est, perdere creaturas, nisi id vel necessitas exigat, vel fiat ad usum ejus simpliciter abolendum.*

(83) Servos &c. Crimen ergo affectati regni interpretabatur Salomo, cum Adonias Abisagam sibi uxorem peteret, quod verbis a Schikardo citatis Majemonides addit, לפיכך אבישג היתה מותרת לשלמה ואסורה לאדוניה : *Propterea*, quia non nisi hæres regni servis & ancillis regiis uti potest, *Abisag Salomoni licita, Adoniæ contra illicita erat*. Ad quem locum Cesepk Mischnæ : ספ"ב דסנהדרין אמר רבי יעקוב אמר רבי יוחנן אבישג מותרת לשלמה ואסורה לאדוניה מותרת לשלמה דמלך היה ומלך משתמש בשרביטו של מלך כלומר שלא בעל דוד את אבישג והדיוט הוא וכיון דאבישג לא היה לדוד תורת אישות בה מדקאמר מותרת לשלמה שאם היה לו בה שום תורת אישות אסורה היתה לו אי משום דאבוה הוה אי משום דמלך הוה ואשתו אסורה אפילו למלך אחר וכמו שיתבאר בסמוך ואם כן לא היתה אבישג לדוד אלא משרתת וקאמר ואסורה לאדוניה דהדיוט הוא אלמא דעבדיו ושפחותיו ושמשיו לא ישתמש בהם אלא מלך אחר : *Habentur hæc in fine capitis secundi Sanhedrin, ubi R. Jacob docuisse R. Johannem ait, licitam fuisse Abisag Salomoni, sed illicitam Adoniæ. Licitam Salomoni, quia Rex erat, Regem autem uti posse sceptro Regio*, & cæteris ab antecessore relictis, præter uxorem, *prout dicitur* 1. Reg. I. 4. *Davidem Abisagam non cognovisse, & sicuti ibi in Gemara pluribus est expositum. Illicitam vero Adoniæ, quia privatus erat. Quandoquidem autem cum Abisag David non contraxerat matrimonium, inde est, quod Salomoni licitam pronunciat. Nam si quicquam rei matrimonialis ei cum ipsa fuisset illicita fuisset ei, tum quod David pater ejus, tum quod Rex fuerit, cujus uxor interdicta etiam Regi alii, prout in immediate sequentibus expositum est. Quæ cum ita sint, non alio loco apud Davidem fuisse Abisag existimandum est, quam famulæ; & hinc ait, interdictam Adoniæ, utpote privato. Atqui nulli servorum, & ancillarum atque ministrorum Regiorum usus conceditur, nisi Regi successori.* Hujusque Ceseph Mischneh Talmudis locus, ad quem provocat, est in Cocceji *excerptis c.* II. *num.* XXIV. *p.* 189.

(84) Viduæ. Hoc aperte Majemonides *loco hic citato* §. 2. asserit, quod testimonium miror, Schickardum præteriisse, cum inter utrumque ab eo allatum interponatur : אשתו של מלך אינה נבעלת לאחר לעולם אפילו המלך אינו נושא אלמנתו או גרושתו של מלך אחר : *Uxor regia nunquam* post Regis mortem *nubit viro alteri in æternum; ne quidem Regi licet, viduam alterius Regis, aut Regis repudiatam ducere.* Quid ergo Coccejus *in not. ad Excerpta Gemaræ Sanhedr. l. c. Regis*, inquit, *viduam non nisi Rex ducit?* At vero sciendum, disceptari de eo in Mischna (apud Coccejum *p.* 20.) & se negantibus ibi, Regi Regis viduam licitam, opponit R. Jehuda, exemplo Davidis Saulis viduam sibi matrimonio jungentis ex 2. *Sam.* VIII. 8. id affirmans, disertеque ad eum locumque R. Bartenora *fol.* CLXXXV. *col.* 1. הלכה כרבי יהודה בהא *Decisio juxta Jehudam hæc in re facta est.* Quin imo ipse Maimonides *in Comment. ad h. l.* (*fol.* CXV. *col.* 2. prout Talmudico operi insertus est,) הלכה כרבי יהודה בהה שאמר נושא הוא אלמנוהו של מלך אבל חליצה ויבום אין שומעין לו לפי שזה קלון לו וכו' : *Decisio juxta R. Jehudam valet in eo, quod dixit, licite posse Regem Regis viduas ducere; sed quod detractionem calcei & leviratum attinet, non obediunt ei, quod hoc in Regis contemtum vergat, &c.* Cæterum recepta magis est sententia negativa a Maimonide *in Hilkos Melachim* tradita, quam Schikardus sequitur, & poterit videri Seldenus *lib.* I. *Uxor. Hebr. cap. X.* quo toto hanc materiam ex professo ventilat, *pag.* 73. *seqq.* Neque quemquam offendat, Maimonidem sic a seipso dissentire. Nam istos in Mischnas commentarios scripserat juvenis, aggressus laborem ætatis anno XXIII. eosque, cum triginta annorum esset, jam absolvit; & scripserat quidem Arabico sermone, sibi & quamplurimis ejus temporis Judæis familiari, e quo a diversis auctoribus utriusque linguæ gnaris, sed ut ipsi confitentur, mendoso sæpe exemplari usis in linguam Hebraicam translati sunt. Ad hoc autem opus *Mischneh thorah* seu *Jad chasakah* scribendum, appulit demum anno ætatis quadragesimo animum, scripsitque ipse lingua qua nobis superest, Hebræa, terse & eleganter, ut non mirum, si in hoc opere quædam aliter compareant, quam in Mischnaicis Commentariis. Sed audiamus tandem R. Josephum Karo *in Ceseph mischneh fol.* CCLXXXVIII. *col.* 1. אשתו של מלך וכו' משנה שם נושאין את אלמנתו של מלך רבי יהודה אומר נושא הוא מלך אלמנתן של מלך שכן מצינו בדוד שנשא אלמנתו של שאול שנאמר ואתנה לך את בית אדוניך ואת נשי אדוניך בחיקך ובגמרא תניא אמרו לו לרבי יהודה נשים הראויות לו מבית המלך ומאי ניהו מירב ומיכל ופר"שי הראויות המותרות לו אבל נשי שאול לא : *Quod R. Maimonides ait, uxorem Regis nunquam alii viro nubere, ne quidem Regi, id sumsit ex Mischna Talmudica,* (Sanhedr. c. II. § 2.) ubi hæc leguntur : *Nemo defuncti Regis viduam ducit. R. Jehuda ait, Regem Regis viduam ducere, quia sic inveniamus de Davide, quod Saulis viduam duxerit, quia dicitur.* 2. Sam. XII. 8. Et dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinum tuum. *Habetur autem in Gemara traditio, quod responderint R. Jehudæ, uxores Davidi convenientes fuisse de familia Regis; quænam illæ? Merab inquam & Michal, has fuisse licitas* (*sic enim ibi Raschi Gemaræ*

vocem,

vocem הראוית *interpretatur*,) *at non uxores Sauli quondam matrimonio junctas*.

(85) Theor. IX. *pag.* 183.

(86) Ruth. IV. 7. Non quadrat huc locus, & errat noster hunc errorem cum plerisque Auctoribus communem, quod in Collegio Rabbinico-Biblico ad eum locum delati planum faciemus. Videantur interea Buxtorfius *in Dissert. de Sponsalib. & Divortiis th.* XXII. *p.* 27. *seqq.* & Seldenus *de successionib. ad Leg. Hebr. c.* XV. *fol.* 51. *seqq.*

(87) Illa Indorum. Vide Const. L'Empereur *not. ad R. Benjam. Itinerar. pag.* 216.

(88) Neutra legitime. Confer, quæ notavimus supra *pag.* 49.

THEOREMA XX.

Inque locum succedebat Filius.

Apud Hebræos olim cuncta officia erant hæreditaria (1) ut semper decenti patri succederet filius, modo paternæ virtutis etiam hæres esset; quæ sola fuit spectata, non præcipue peritia rerum. Maym. *H. Melach. c.* 1. §. 10. כל השררות וכל המינוים שבישראל ירושה לבנו ולבן בנו עד עולם והוא שיהיה הבן ממלא את מקום אבותיו בחכמה וביראה שמים ממלא ביראה אעפ שאינו ממלא בחחכמה מעמידין אותו במקים אביו ומלמדין אותו וכל מי שאין בו יראת שמים אעפ שחכמתו מרובה אין ממנין אותו למינוי מן המנויין שבישראל: *Omnis potestas & omne officium in Israel hæreditarium est ad filios & nepotes in æternum; modo filius impleat locum patris sui cum sapientia & pietate. Quod si pietate tantum, sed non sapientia ipsi par sit, præficiunt nihilominus officio paterno, & docent id quod deest. At penes quem nulla est pietas, quamvis sapientissimus esset, non promovetur tamen ad ullum officiolum in universo Israel.* Sic igitur & summa, h. e. Regia potestas (2) In Israel, post Davidem hæreditaria fuit; post Davidem inquam; quia primus Saul ob negligentiam in officio, reprobatus fuit, successione ad filium Isai ejusque posteritatem translata: unde grandævus David ipsemet successorem designavit filium Salomonem, vivus adhuc. 2. *Reg.* 1. *vers.* 34. R. Bechai *P. Schoph.* למען יאריך ימים על מלכותו הוא ובניו למוך כתוב שההלכות ירושה: *Verba legis* (Deut. 17. v. 20.) *ut prolonget dies in regno, ipse & filii ejus: docent te, quod regnum sit hæreditarium.* Non quidem desunt inter politicos, (3) qui liberam Electionem regno putant esse conducibiliorem, quod sic adoptatis conditiones præscribi possint, & libertas servari facilius: cum hæreditas contra sit fortuita, sæpe bono Cyro degener Cambyses, aut Tiberio monstrum Caligula, generationis ordine succedant. Verum quia non rarius etiam idololatræ Achaso 2. *Reg.* 16. vice versa pius aliquis Ezechias 2. *Reg.* 8. *vers.* 3. succedit, adeoque totum hoc non cæco fortunæ arbitrio contingit, sed ab ipso rerum summo gubernatore *Deo* liberrime dispensatur, prout aliquando peccata nostra merentur, (itaque velut sterilitates, bella, pestes & cætera naturæ mala, patienter tolerandum,) idcirco mihi Hebræorum ratio succedendi semper visa est melior, a prophetis & ipsomet *Deo* probata, quin & regno regnantique tutior, quorum illud, juxta Tacitum, *minori discrimine sumit Principem, quam quærit*, iste vero *pluribus quasi munimentis insistit*, addo & hoc; certa spe succedendi, diligentius ad pietatem ac regias virtutes educari potest, & imperio maturius præparari. Porro si filiorum plures erant, succedebat primogenitus (4) vel natu grandior. Prout enim quisque potior erat in hæreditate dividenda, sic & in adipiscenda potestate primas tenebat. H. Melach. *c.* 1. §. 9. כל הקודם בנחלה קודם לירושת המלוכה והבן הגדול קודם לקטון ממנו: *quicunque prærogativam habet in hæreditate, is & in occupatione regni: atque filius natu major antevertit minorennem.* Quemadmodum ergo (5) in parentum bona, liberi non succedebant æqualiter, sed primogenitus capiebat פי שנים *portionem duplam* (6) *Deut.* 21. *vers.* 17. ita regni potestatem acquirebat unus ille solus, qui familiæ honorem conservabat, ne patrimonium per divisionem attenuaretur; quandoquidem & subditis conducebat, regi ab uno, neque plures habere dominos. Una exceptio erat pietatis & sapientiæ: cætera corporis vitia regno neminem arcebant. Non autem ungebatur legitimus successor, quippe particeps paternæ vel avitæ unctionis; nisi forte lis a competitoribus aut æmulis mota id postulasset, *Eod. cap.* §. 16. Et Bechai *Par. Schoph.* אין מושחין מלך בן מלך אלא אם כן היתה שם מחלוקת או מלחמה מושחין אותו כדי לסלק המחלוקת לפיכך משחו שלמה מפני ארניה ויואש מפני עתליה: *Non ungunt regem filium regis, nisi*

nisi dissensio vel bellm inde existat. Tunc repetunt unctionem, ut præcaveant malum publicum. Sic unctus est Salomo propter Adoniam, & Joas propter Atthaliam: quod supra *Theor. IV.* (7) fusius declaratum. Quod si regni legitimus hæres, per ætatem nondum aptus erat ad gubernacula, custodiebatur sub tutoribus usque ad annos pubertatis. *Eod. cap.* 1. §. 9. הניה בן קטן משמרין לו המלוכה עד שיגדיל כמו שעשה יהוירע ליואש: *si reliquit minorennem filium, conservant ipsi regnum, donec adolescat. prout fecit Jehojada Joaso* (2. Reg. 11. v. 3.) væ enim terræ cujus rex puer est! *Eccl.* 10. *vers.* 16. Cæterum disputant Rabini, an legitima successio fuerit, si quos prophetæ extra ordinem elegerunt, non de familia David oriundos? qualis erat Jeroboam filius Nebath, servus in aula Salomonis, 1. *Reg.* 11. *vers.* 26. quem Achias Silonites in itinere deprehensum, dilaceratione palii certiorem fecit de imperio super decem tribus, *vers.* 31. Distinguunt autem inter proprietatem & usum: illam dicunt esse Davidicorum in æternum, hunc vero ad tempus (8) etiam aliis concessum. *Eod. cap.* 1. §. 12. & *seqq.* כיון שנמשח דוד זכה בכתר מלכות והרי המלכות לו ולבניו הזכרים עד עולם שנ׳ כסאך יהיה נכון עד עולם ולא זכה אלא לכשרים שנ׳ אם ישמרו בניך בריתי אעּפ שלא זכה אלא לכשרים לא תכרת המלוכה מזרע דוד לעולם הקבּה הבטיחו בכך שנ׳ אם יעזבו בניו תורתי ובמשפטי לא ילכון ופקרתי בשבט פשעם ובנגעים עונם וחסרי לא אפיר מעמו: נביא שהעמיד מלך משאר שבטי ישראל יהיה אותו המלך הולך בדרך התורה והמצוה ונלחם מלחמות ה׳ הרי זה מלך וכל מצות המלכות נוהגות בו אעּפ שעיקר המלכות לדוד ויהיה מבניו מלך שהרי אחיה השילוני העמיד ירבעם ואל׳ אם שמוע תשמע את כל אשר אצוך ובניתי לך בית נאמן כאשר בניתי לדוד וגו׳ ואל׳ אחיה ולבנו אתן שבט אחד למען היות נר לדוד עבדי כל הימים לפני בירושלם: מלכי בית דוד הם העומדים לעולם שנ׳ כסאך והיה נכון עד עולם אבל אם יעמוד מלך משאר ישראל תפסק המלכות מביתו שהרי נאמר לירבעם אך לא כל הימים: אין מושחין מלכי ישראל בשמן המשחה אלא בשמן אפרסמון וכו׳: *Postquam David in regem unctus fuit, dignus est factus corona regni, non ipse tantum, sed & masculi ejus filii in æternum: quia dicitur* (2. Sam. 7. v. 16. misericordia mea non recedet ab eo, sicut a Saule,) *sed firma erit domus sua, & thronus stabilis usque in seculum. Quamvis vero non digni sint nisi probi, juxta conditionem* (1. Reg. 2. v. 4. & 2. Par. 6. v. 16.) *si custodiverint fœdus &c. non tamen auferetur regnum a semine David finaliter; de quo Deus ipsum fecit securum*, (Ps. 89. v. 31.) *si deseruerint filii ejus meam legem & in judiciis non ambulaverint, visitabo quidem per virgam eorum prævaricationem, & plagis iniquitatem illorum, ac misericordiam meam non prorsus auferam ab ipso. Cum Propheta regem constituit e reliquis tribuis, qui ambulat in via legis & præliatur bella Domini, ecce est is quidem rex verus & omnia Regalia competunt ipsi; at fundamentum regni manet penes familiam David, & debetur posteris illius. Quando Achias Jeroboamum designavit, dixit illi nomine* Dei (Reg. 11. v. 38. *si obedÍveris jussionibus meis, ædificabo tibi domum firmam, sed & hoc addidit* (v. 36.) *filio Salomonis dabo tribum unam, ut semper extet lucerna Davidi servo meo coram me in Jerusalem.* (Differunt etiam de duratione.) *Reges familiæ Davidis durabunt in perpetuum, quia dicitur* (2. Sam. 7. v. 16. *solium tuum erit stabile in æternum, sed si quis alius de reliquo Israele præficiatur, cessabit aliquando imperium a domo sua: prout Jeroboamo expresse dicitur* (v. 39.) *veruntamen non cunctis diebus. Ideo reges Israel non unxerunt oleo sacro, sed balsamo tantum.* Et hæc hactenus de priscis Judæorum regibus dicta sufficiant.

Superest, ut de illo dicam, quem tot jam seculis expectarunt avidissime, *Messia* (9) rege regum, victore pio, felice, sempre augusto. Est enim status Judæorum hodie tam miser, ut nec regem habeant amplius, nec rempublicam; itaque faceret ipsis rem sane gratissimam, si adventum maturaret, ac redimeret a jugo Christianorum, tanto jam tempore pressos. Id quidem sperant mox futurum, & credunt conrra spem; confitentur id etiam pubblice in symbolo suæ religionis, (10) articulo penulti mo: quem Triumphator R. Matthias, (11) in arcano & manuscripto exemplari Osiadrino, (quod indulgentia Rev. & Cl. Dn. possessoris penes me nunc est,) hisce rhythmis (12) exposuit:

י״ב נאמין אנחנו כת היודים	שאנו לנאול עתידים
ויקבץ ה׳שי נדחינו	וישלח לנו משיחנו
וישיב העבודה לנביר ביתו	ויקרבנו לעבודתו
וישמח עמו בימות עזה	וישיב העבודה ליושנה
מהרה לאותו זמן נזכה	אם יתמהמה לא נחכה

XII. Credimus nos, qui sumus de cœtu Judæorum, instare nostram redemtionem,

Qua recolliget Deus *Opt. Max. dispulsos, & mittet nobis Messiam nostruum.*

Is

Is restaurabit cultum sacrum in adyto domus suæ, & admovebit nos servitio ejus.
Tunc recreabit populum suum e diebus afflictionis, quando restituet cultum pristino vigori.
Utinam celeriter illo tempore nos dignaretur! etiamsi moretur diu, num tamen propterea non expectabimus?

Qui de hoc dubitat (13) vel minimum vacillat, is habetur pro apostata & abnegatore totius Judaismi. M. Hal. Melach. *cap.* 11. §. 1. כל מי שאינו מאמין בו או מי שאינו מחכה ביאתו לא בשאר נביאים בלבד הוא כופר אלא במשה רבינו שהרי התורה העידה עליו שנ׳ ושב ה׳ אלהיך את שבותך וגו׳: *Quicunque* (14) *non credit in illum, aut non præstolatur ejus adventum, is tum cæteris prophetis contradicit, tum ipsi Mosi, quia lex diserte testatur de illo, dicens* (Deut. 30. v. 3.) *reducet Dominus captivitatem tuam & miserebitur tui, congregabit te ex omnibus populis, quo te dispersit, etiamsi expulsus esses ad extremitates cœlorum &c.* Et sane in eo non errant, quod Messias aliquis Redemptor, ante plura quam 30. secula fuerit promissus; nam ejus rei fama, in univiverso propemodum orbe, (15) dudum percrebuit, & hac ipsa dispersione Judæorum ita est amplius divulgata, ut nemo nisi plane stupidus ignorare possit. Ibid. *ad fin. c.* כבר נתמלא העולם כולו מדברי המשיח ומדברי התורה ופשטו דברים אלו באיים רחוקים ובעמים רבים ערלי לב וערלי בשר והם נושאים ונותנים בדברים אלו הסותרות התורה אלו אומרים מצות אלו אמת היו: *Totus mundus jam pridem repletus est fama Messiæ, ac lege Mosis. Pertigerunt hæc ad insulas remotissimas, & populos multos magnosque, tam præputiatos corde* (intelligit Saracenos atque circumcisos alios,) *quam præputiatos carne. Ipsi objiciunt & respondent inde, disputantes de talibus arcanis. Ita omnes illi* (taccito consensu) *testimonium perhibent legi nostræ, quod vera sit:* (fatemur hoc ultro, scientes non esse librum sub sole, qui latius pervagarit, qui a pluribus sit cognitus receptusque, in quem tres præcipuæ hominum sectæ, Judæi, Muhammedani & Christiani consentiunt, præ quibus reliqua pars Idololatrarum pro nihilo reputanda.) Videamus vero qualem ipse Messiam expectent! concordamus & in hoc utrinque, quod præcursorem (16) sit habiturus, virum insignem & publice notum. C. *seq.* 12. §. 2. יראה מפשוטן של הנביאים שבתחילת ימות המשיח תהיה מלחמה גוג מגוג ושקודם מלחמה יעמד נשיא לישראל להכין לבם שנ׳ הנה אנכי שולח את אליהו וגו׳ לשים שלום בעולם שנ׳ והשיב לב אבות על בנים יש מן החכמים שאמרין שקודם ביאת המשיח יבא אליהו: *Apparet e textu Prophetico, quod initio dierum Messiæ futurum sit bellum* Gog & *Magog,* (17) (Ezech. 38. & 39.) *antea tamen surrecturus quidam princeps Israelis, qui præparet corda eorum, quia dicitur* (Malach. 4. v. 5.) *ecce mitto vobis Eliam. Is pacem faciet in mundo, quoniam additur: ut convertat corda Patrum ad filios. Sunt inter sapientes, qui putant, ipsummet Eliam venturum:* (Ergo id non omnes credunt.) Sed in eo discrepamus diametraliter, quod mundanus rex (18) sit futurus, qualem supra descripsimus, gentes debellaturus, reducturus populum, sacrificia instauraturus: quod idem cum suis asserit, *init. cap. undec.* המלך המשיח עתיד לעמוד ולהחזיר מלכות בית דוד לישנה לממשלה ראשונה ובונה המקדש ומקבץ נדחי ישראל וחוזרים כל המשפטים בימיו כשהיו מקודם מקריבין קרבנות ועושין שמטין ויובלות ככל מצוה האמורה בתורה: *Rex Messias, qui venturus est, restituet regnum domus David in integrum, ad dignitatem pristinam, & reædificabit sanctuarium, atque recolliget dispersos Israel. Illis diebus instaurabunbuntur omnes cultus, sicut erant olim, offerent sacrificia, celebrabunt Jubilæos, adeoque universa prout in lege præscripta sunt.* Quia vero in hac ultima captivitate, cæteris longe diuturniori, familiæ Judæorum sunt confusæ, nec dubium, quin multi, qui genus Abrahæ jactitant, a militibus Vespasianis, libidinem in captivis explentibus, orti sint; ideo erit & hoc alterum Messiæ officium, ut Genealogias renovet, (19) populum in tribus dispescat, & separet heterogeneos: sicut olim Esdras e Babylone reduces recensuit. Ead. Hal. *cap.* 12. *post med.* בימי מלך המשיח כשתתיישב מלכותו ויתקבצו אליו כל ישראל יתיחסו כולם על פיו ברוח הקדש שתנוח עליו שנ׳ וישב מצרף ומטהר ובני לוי מטהר תחלה ואומר זה מיוחס כהן זה מיוחס לוי ודוחה את שאינן מיוחסין לישראל שנ׳ ויאמר התרשתא להם אשר לא יאכלו בקדש הקדשים עד עמד הכהן באורים ותומים ואינו מיחס אלא לשבטים שמודיע שזה משבט פלוני אבל אינו אומר על זה ממזר וזה עבד שמשפחה הנטמעה נטמעה: *Tempore regis Messiæ, quando constabilitum erit regnum ejus, & omnis populus ad ipsum collectus, recensebuntur singuli ex ore spiritus sancti,* (nam & hunc agnoscunt Judæi, sed non pro persona divinitatis,) *qui super illum requiescet; quia dicitur* (Malach. 3. v. 3.) *sedebit constans & emundans, atque filios Levi pur-*

purgabit primum, dicens, iſte eſt Sacerdos, iſte Levita: & repellet alienigenas (a miniſterio ſacro,) *ſicut dicitur* (Nehem. 7. v. 65.) *ait Tirſatha, ne comederent de ſancto, donec exſurgeret Pontifex cum Urim & Tummim. Recenſebit autem ſolas tribus, indicans, unde quilibet ſit oriundus; non vero familias: nec dicet, ille ſpurius eſt, aut iſte ſervus: poſtquam familiæ ita ſunt commerſæ.* (20) Summa, redibit tunc aureum ſeculum [21] & tempora beata, quando de præſentibus malis nihil præter nomina noſcent. Idem *ad fin. c. & totius operis*: באותו הזמן לא יהיה שם רעב ולא מלחמה ולא קנאה ותחרות שהטובה תהיה משופעת הרבה וכל מעדנים מצויים כעפר ולא יהיה עסק כל העולם אלא לדעת את ה׳ בלבד [22] ויהיו ישראל חכמים גדלים והסתומים העמוקים גלוים לכל: *Illo tempore procul aberunt fames, bellum & invidia: bonitas vero effundetur abundantiſſime, omniſque generis voluptates præſto erunt inſtar pulveris. Nemo tamen occupabitur alia re, quam cognitione* Dei. *Tunc* [22] *Iſraelitæ ſapientiſſimi cluent, quibus etiam profundiſſima myſteria omnino aperientur.* Attende autem, quibus ſignis vel criteriis [23] iſte Meſſias certo ſit agnoſcendus, ne iterum in eo aberrent, quod ſæpe hactenus magno ſuo malo & totius mundi ludibrio fecerunt, omnibus tot magnificis ſpebus turpiter fruſtrati. Primo erit legiſperitiſſimus; [24] deinde bellicoſus, [25] ut arte ſimul & marte polleat, & in utroque felix proſperitate continua: tertio tamen nullius miraculi patrator, [26] quia mundi curſum non innovabit; denique nec mortalis, [27] quam propriam volunt eſſe notam, ne Jeſum Nazarenum admittere cogantur. Iterum *cap. 11. circ. med.* אל יעלה על דעתך שהמלך משיח צריך לעשות אותות ומופתים ומחדש דברים בעולם או מחייה מתים וכיוצא בהן שהטפשים אומרים הרי ר׳ עקיבא חכם גדול נושא כליו של בן כוזיבא והיה הוא וכל חכמי דורו שהוא המלך המשיח עד שנהרג נודע שאינו ולא שאלו ממנו חכמים לא אות ולא מופת: ואם יעמד מלך מבית דוד הוגה בתורה ועוסק במצות כדוד אביו ויכוף כל ישראל לילך בה וילחם מלחמות ה׳ אם הצליח ונצח כל האומות שסביביו ובנה מקדש במקומו הרי זה משיח בודאי ואם לא הצליח או נהרג בידוע שאינו זה שהבטיחה עליו תורה ולא העמידו הקב״ה אלא לנסות בו רבים שנ׳ ומן המשכילים יכשלו לצרוף בהן ולברר וללבן עד עת קץ כי עת למועד: *Noli exiſtimare, quod rex Meſſias debeat miracula edere vel innovare naturam aut mortuos vivificare, prout opinantur ſtolidi. Ecce R. Akiba celeberrimus ille ſapiens, armiger erat Ben-Cozbæ, habens illum una cum coætaneis pro vero Meſſia, donec occideretur; tunc agnitus fuit, neque rogarunt ſapientes ab illo prodigium in confirmationem. Verum ſi rex ſurget de familia David, eruditus in theoria legis & exercitatus in praxi, qui populum coget ad obſervationem legis, & præliabitur bella Domini, ſi proſperum habebit ſucceſſum, & vincet cunctas gentes circumquaque, item ædificabit ſanctuarium ſuo loco debito, ecce is demum certo erit Meſſias. Sin vero ſuccumbat vel interficiatur, conſtabit non fuiſſe genuinum illum, in quem nos ſperare ſcriptura juſſit. Permittit vero Deus, venire tales ad tentandum plurimos, ſicut dicitur* [Dan. 11. v. 35.] *inter intelligentes offendentur aliqui, ut conflentur, purificentur & dealbentur uſque ad conſtitutum tempus.* Talis autem, qualem ipſi quidem deſcribunt, hactenus nondum apparuit, ideo deſiderant [28] eum quotidie, votiſque ſollicitant ardentibus, ſubinde illud inclamantes: *mitte nobis germen David.* Jam pridem circa Chriſti tempora, concepit Jehuda filius Themæ formulam [29] adventum ejus precandi, qua etiamnum hodie nimis ſero utuntur, in orationibus quotidianis. Pirke Avoth *circa fin. cap.* 5. יהי רצון מלפניך יי׳ אלהינו ואלהי אבותינו שיבנה בית המקדש במהרה בימינו ותן חלקנו בתורתך *Eſto beneplacitum coram te, o Domine Deus noſter, Deuſque patrum noſtrorum! ut reædificetur domus ſanctuarii cito in diebus noſtris: & pone noſtram portionem in lege tua.* Ne tamen videantur odio noſtri & impatientia ſervitutis tantum hoc orare, inſtruit eos Maymonides ſatis Philoſophice, ac jubet ſolius ſapientiæ, non voluptatis cauſa [30] id optare, ſanior in eo quoque ſuis gregalibus, *paulo ante fin. ult. cap.* לא נתאוו הנביאים והחכמים ימות המשיח לא כדי שישלטו על אומות העולם ולא כדי שירדו בגוים ולא כדי לאכול ולשתות אלא כדי שיהיו פנויים לתלמוד תורה ולא יהיה נוגש ומבטל להם כדי שיזכו לחיי העולם: *Non deſiderarunt Prophetæ & alii ſapientes tempora Meſſiæ, ut dominentur populis mundi, & imperent gentilibus,* [a quibus nunc opprimuntur,] *nec ideo, ut comedant & lætentur tantum: ſed ut vacui ſint ad doctrinam legis, nec impediantur ad exactoribus, quo minus ad æternam vitam præparare ſe poſſint.* Hæc eſt ſumma Judaicæ ſententiæ de Rege Meſſia, non ex incerta traditione alicujus novitii hauſta, [ut aliqui temere nulloque delectu ſolent,] ſed idoneis & inter ipſos authenticis authoribus ſtabilita.

Requirit ergo Chriſtiana pietas, ut ad cal-

calcem libelli doceam, quibus argumentis utrinque confessis, hanc opinionem ipsis eripiendam (31) putem. Non enim nunc animus est, e novo & ipsis suspecto Testamento quicquam probationis afferre, nec etiam ea, quæ Theologi alias pie opponunt, repetere; sed quia disputantes in principiis convenire oportet, ex ipsorummet libris omni exceptione sua majoribus demonstrare, *quod tempus Messiæ destinatum pridem transierit, adeoque nunc frustra expectetur alius*; ut miseri homines tamdiu frustrati, deinceps in personam ejus, & quisnam ille sit, inquirere discant. Affero autem nunc præcipue quatuor Argumenta; (cætera in aliud tempus & locum consulto reservans: (32) scilicet a regimine suo, ab imperio Romano, a Chronologia, & quod firmissimum est, a propria confessione petita. Primo (33) extat in Talmude vetus & clarissima traditio, Messiam tunc adventurum, quando Synedriales, potestate sua multum imminuta exulare cogantur de loco in locum, nec in camera templi considentes, jurisdictionem plenariam exerceant, ut ab antiquo. Atqui hæc potestas ipsis per Herodem accisa fuit, post indies decrevit, tandem penitus contabuit; illis interim hoc tribunal ex una urbe in aliam transferentibus. Mass. Sanhedr. *p. 97. a. ante med.* תניא רבי יהודה א׳ דור שבן דוד בא בו בירת הוועד יהיה לזנות והגליל יחרב והגבלן יאשם ואנשי גבול (פי׳ אנשי גזית סנהדרין) יסוכבו מעיר לעיר ולא יחוננו וחכמת הסופרים הסרח וכו׳ *Traditio: Ait R. Jebuda, generatione qua filius Davidis adveniet, domus congregationis scholasticæ fiet lupanar,* (34) *fluvius Galil exsiccabitur,* (35) *locusque Gablan* (36) *vastabitur, & viri limitum* (73) h. e. territorii terræ Israel,) *qui sunt Synedriales in conclavi lapideo templi, circummigrabunt ex urbe in urbem, neque quis illorum miserebitur, & sapientia scribarum fœtebit &c.* Nil jam dicam de reliquorum applicatione, quando corruptissimus fuerit scholarum status, & legisperitorum sapientia in stultitiam degenerarit, quod pridem ipsis exprobravit Salvator, *Matth. 23. v. 4. c. 25. 27.* sed subsumam tantum de concistorialibus, e Zæm. David *p. 36. b.* סנהדרין גלתה מירושלים ליבנה ארבעים שנה קודם חורבן בשנת חשׁפּח (לאלף הרביעי) ושם תקן שמואל ברכת המינים בעת ההיא נפתחו דלתות ההיכל מעצמן ונער בהן רבן יוחנן ומעת ההיא התחיל ר׳ צדוק להתענות מ׳ שנים רצופים והיה כחוש עד שריבז בקש מאספסיאנוס שהרופאים שלו ירפאוהו: *Synedriales migrarunt a Jerosolymis in Jabne* (38) (urbem maritimam 240. stadiis inde distantem, in termino Dan sitam, ubi olim Maccabæi propugnaculum extruxerunt,) *quadraginta annis ante excidium templi, Anno 788. millenarii quarti* (adeoque ipsissimo tempore prædicationis & miraculorum Christi, cujus natalem ipsi in Anno 761. reponunt.) *Ibi ordinavit Samuel orationem hæreticorum.* (39) *Eodem tempore templi portæ sua sponte sunt apertæ,* (40) (sacrificiorum abolitionem tantum non emissa voce testantes, (*quas increpavit Raban Johannes,* (41) (scilicet pro autoritate.) *Tunc etiam* (42) *cruciari cœpit R. Zadok, qui quadraginta totius annis continua tabe laboravit,* (an & hoc omen erat contabescentis Judaismi?) *donec R. Jochanan filius Zachæi Vespasianum rogasset, ut per suos medicos curari permitteret.* Hic repetenda essent, quæ supra *Theor. XIV.* e *cap. 14. Sanhedr. Maymonidis* attuli; sed ne quicquam bis inculcem, retrospice ad *pag.* 100. (43) Secundo (44) extat in eodem codice Talmudico consimilis traditio, Messiam tunc appariturum quando Romana Monarchia jam aliquot mensibus ubique locorum invaluerit. Atqui hoc ipsum tempore Salvatoris contigit, quando universus orbis Romanus ab Augusto censebatur, *Luc. 2. vers. 1.* Talm. M. Sanh. *pag. 98. b. init.* אמר רב אין בן דוד בא עד שתתפשט מלכות הרשעה על ישראל תשעה חרשים שנ׳ לכן ויתנם עד עת יולדה ילדה וגו׳ *Dicit Raf: non venit filius David, donec regnum illud malignum extendatur super Israel novem mensibus, quia dicitur* (Mich. 5. v. 3.) *tradet eos usque dum pariat parturiens:* (quod naturaliter fit post dodrantem anni.) Hoc infami cognomine appellant Imperium Romanum, [quod nemo Judæus negare ausit, [45] aliquando etiam denominant Edomiticum, [46] ut R. Sal. Jarchi *ad Num. 24. vers. 19.* עיר החשובה של ארום היא רומי *metropolis Edomæorum est Roma.* Subsumo [47] igitur e Zæm. Dav. *part. secunda, fol. 21. a.* דע שתחלת מלכות רומי הכללי היא משנת תשל שאז עלה קיסר אנוסטי בשנת יב׳ למלכותו על ארץ מצרים וכו׳ *Scito, quod initium monarchiæ Romanæ incidat Anno 730.* (supra tres millenarios) *quando Cæsar Augustus occupavit Ægyptum, anno regni sui duodecimo.* En quam prope ista quoque fidei nostræ consentiant. Tertio [48] extant diversæ numerationes annorum mundi ad Messiam; quæ quamvis non prorsus ad amussim congruant, includunt tamen omnes tempora Jesu Nazareni, & parum absunt a quarto millenario; itaque omnia dudum

dum præterierunt, ut nulla spes ulterioris termini supersit. Nota est & in vulgus etiam emanavit illa traditio Elianorum, (49) quæ legitur *c. Chelck pag. 97. a. prop. fin.* א׳ רב קטינא שית אלפים שני הוי עלמא וחד חריב : אביי אמר תרי חרוב [פי׳ שני אלפים היה תהו שלא ניתנה עדיין תורה מאדם ראשון ועד שאברהם היה בן כ״ב שנה] תניא כותיה דרב קטינא כשם שהשביעית משמטת שנה אחת לשבע שנים כך העולם משמט אלף שנים לשבעת אלפים שנ׳ אלף שנים בעיניך כיום אתמול כי יעבור : תנא רבי אליהו ששת אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח ובעוונותינו שרבו יצאו מהם מה שיצאו : *Raf Ketina* [50] *inquit : sex mille annorum erit mundus, & uno millenario vastus. Abaji* [eum corrigens] *dicit : duobus millenariis vastus ; scilicet ab Adamo usque ad 52. annum Abrahami, sine lege quasi vacuus. Traditio similis huic Ketinianæ : quemadmodum septimus quisque annus quiescebat,* [Lev. 25. v. 4.] *sic mundus cessabit millenario septimo, sicut dicitur* [Psal. 90. v. 4.] *mille anni coram oculis tuis sunt velut dies hesterna, quæ præteriit. Traditio domus Eliæ* [non Prophetæ, ut perperam vulgo existimant [51] sed alterius, Hasmonæis fere coætanei:] *sex mille annis erit mundus, duobus inanitas, duobus lex, duobus tempora Messiæ,* [hos jam sciunt fere completos, ideo addunt,] *sed propter iniquitates nostras multiplices transierunt ex illis, quicunque transierunt.* Itaque, ut hanc excusationem enervemus, audire juvat accuratiorem computum. Mass. Elilim *fol. 9. b.* tempus tam certo determinatur, ut etiam fertilissimum latifundium, spe melioris, tunc ne teruncio quidem redimere velint. Verba sonant. [52] תניא אחר ארבעת אלפים ומאתים ושלשים ואחת שנה לבריאת עולם אם יאמר לך אדם קח לך שדה שוה אלף דינרים בדינר אחד אל תקח [פי׳ שהוא קץ הגאולה ותקבץ להר הקדש לנחלת אבותיך ולמה תפסיד הדינר] *Doctrina: post annos quater mille ducentos triginta & unum, a creatione mundi, si quis tibi dixerit, eme hunc agrum mille denarios valentem, unico denariolo, non emas : nam tunc redemtio instat, recolligeris ad montem sanctum, ubi sunt avitæ possessiones tuæ ; quare igitur perdere velles denarium?* Sin & iste [53] terminus displicet, præstolare alios viginti annos; de quibus iterum in *Perech-Chelek pag. ead. 97.* sed *facie versa* : א״ל אליהו לרב יהודה אחוה דרב סלא חסידאה אין העולם פחות משמונים וחמשה יובלות [פי׳ היינו ד׳ אלפים מאתים וחמשים] וביובל האחרון בן דוד בא א״ל בתחלתו או בסופו א״ל איני יודע כלה או אינו כלה א״ל איני יודע רב אשי א׳ הכי א״ל עד הכא לא תסתכי ליה מכאן ואילך איסתכי ליה : *Inquit Elias ad Raf Jehudam, fratrem Raf Salla benigni: mundus non durat minus quam octoginta quinque jubilæos, hoc est, mille ducento quinquaginta annos* [unde chronologi obiter animadvertant, quod 50. non 49. tantum pro Jubilæo computentur,] *& in jubilæo postremo veniet filius Davidis. Quæsivit ille, initione an fine? respondit, se nescire. Institit: complebiturne ultimus, vel non? etiam hoc scire negavit. Raf tamen Asche dicit, respondisse sic: eousque præstoleris illum, inde ac deinceps non amplius præstoleris.* Ergo neque nos præstolabimur. In gratiam tamen pertinacium hanc unam adhuc prorogationem cognoscemus, valde suspectam, quæ *ibid.* sequitur. שלח ליה רב חנן בר תחליפא לרב יוסף מצאתי אדם אחד ובידו מגילה אחת כתובה אשורית ולשון קדש אמרתי לו זו מנין לך א״ל לחיילות של רומי נשכרתי ובין גנזי רומי מצאתיה וכתוב בה לאחר ארבעה אלפים ומאתים ותשעים ואחת שנה לבריאתו של עולם העולם יתום מהן מלחמות תנינים מהן מלחמות גוג ומגוג והשאר ימות המשיח ואין הקב״ה מחדש את עולמו אלא לאחר שבעת אלפים שנה רב אחא בריה דרבא א׳ לאחר חמשת אלפים שנה : *Miserat Raf Chanan filius Tachliphæ Rabino Joseph: offendi hominem, qui volumen habet Assyriacum lingua sancta scriptum, & cum sciscitarer unde nactus esset, respondit: sub Romanis stipendia merui, & inter spolia reperi. In eo scriptum est : post 4291. annum a creatione perficietur mundus; interea gerentur bella draconum, item Gogi & Magogi : reliquum tempus erit Messiæ. Nec tamen renovabit* Deus *Opt. Max. mundum suum ante septimum millenarium. Raf Acha filius Raba dicit : post quintum millenarium.* Omitto plura hujusmodi ; agnoscunt enim ipsi terminum præterfluxisse. Ideo notemus hanc confessionem loco quarti argumenti. Eod. folio *circ. fin.* אמר רב כלו כל הקיצין ואין הדבר תלוי אלא בתשובה ומעשים טובים: *Raf inquit :* (54) *completi sunt omnes termini, adeoque totum negotium dependet a pœnitentia & bonis operibus.* [55] Huc pertinet [56] quoque confessio R. Josuæ, ante XIV. secula defuncti, qui Messiam sub porta Romana offendisse & allocutus esse legitur, Talm. *cap. ult. Sanhedr. p. 98. a. circ. fin.* ר׳ יהושע בן לוי אשכחיה לאליהו דהוי קיימי אפתחא דמערתא דר׳ שמעון בן יוחי א״ל אתינא לעלמא דאתי א״ל אם ירצה ארון הזה [פי׳ שכינה היתה עמהם] א׳ ר׳ יהושע שנים

שנים ראיתי וקול ג׳ שמעתי א״ל אימת אתי משיח אל זיל שייליה לדידיה והיכא יתיב אפיתחא דרומי ומאי סימניה יתיב ביני עניי סובלי חלאים וכולן שרו אסירי בחד זימנא איהו שרי חד ואסיר חד אמר דילמא מיבעינא דלא איעכב אזל לגביה א״ל שלום עליך ר׳ ומורי א״ל שלום עליך בר ליואי א״ל לאימת אתי מר א״ל היום: *R. Jehosua filius Levi* (55) *reperit Eliam stantem ad ostium speluncæ R. Simeonis ben Jochai* (qui una cum filio R. Eliezaro 12. annis ibi, metu Imp. Adriani delituisse fertur, & libros Zohar atque Siphri tunc scripsisse. (56) *Quæsivit ex illo, perveniamne in seculum futurum?* (h. e. vitam æternam?) *respondit, si voluerit iste Dominus! aderat enim ipsis sancta Divinitas. Regessit Josua: binos tantum vidi, sed vocem trium audivi. Quando autem veniet Messias? respondit, abi, roga ipsummet. Ubinam ergo est? sedet ad portam Romæ. Et quodnam ejus signum?* (quo inter multos ibi confidentes agnoscatur?) *sedet inter pauperes oneratos morbis; cæteri omnes solvunt & ligant* (fascias ulcerum) *universas simul, ipse vero unam post alteram sigillatim, dicens* (intra se, vel cogitans:) *fortasse postulabor, nec in mora ero! Abiit igitur ad Messiam salutans illum: pax super te! mi magister, mi Doctor! qui respondit, pax quoque super te, o fili Levi! quæsivit autem, quando veniet Dominus meus? respondit, hodie.* Non jam in fidem rei gestæ inquiro, utrum historia sit, an somnium? sed illud mihi contra pertinaces appellas usurpo, quod Messias pridem inter Romanos, hoc est Christianos repertus fuerit, & quidem habitu non regio, qualem ipsi optant, sed contemto & vili, qualis est mendicorum, unde vix nec nisi signo quodam agnosci potuerit; ad Judæos autem statim quoque venire promiserit. Sciunt hic se constringi, propterea locum non de urbe Roma, sed porta quadam Paradisi eo spectante, ac inde denominata exponunt. Scholiastes *ibid. in marg.* נראה למורי לא בפתח רומי ממש אלא גן עדן הוא כנגד כל העולם וקאמר ליה דבאותו צד של גן עדן שכנגד פתח רומי משיח שרה: *Videtur meo Præceptori, quod non sit porta Romæ simplicite; sed in horto Eden, qui est ex adverso totius mundi, ab illo latere quod respicit portam Romæ, Messias commoretur.* An igitur in paradiso etiam sunt ulcerosi & leprosi? & si est ex opposito mundi, quo viæ compendio R. Josua vivus illuc transvolavit? (57) Non sic evadetis! Sentiebat olim Hillel, Christi coætaneus, (58) tempora tunc effluxisse; ideo de Messiæ adventu alio desperavit, & quia Jesum Nazarenum agnoscere noluit, totum hoc pridem in Hiskia impletum esse contendit: quo nomine a cæteris reprehenditur. Eod. lib. *pag. seq.* 69. *a. init.* ר׳ הלל אומר אין להם משיח לישראל שכבר אכלוהו בימי חזקיה אר׳ יוסף שרי ליה מריה (פי׳ ומחול לו הקב״ה שאמר אשר לא כן) חזקיה אימת הוה בבית ראשון ואילו זכריה קא מתנבא בבית שני גילי בת ציון מלכך יבא: *R. Hillel ait: Israelitæ non habebunt alium Messiam, quia pridem devorarunt illum* (59) *in diebus Hiskiæ. Contra hunc Raf Joseph inquit: condonet hoc ipsi Dominus,* scil. Hilleli, *qui dixit, quæ non vera sunt. Quandonam vixit Hiskias? nunquid sub templo priori? at Zacharias prophetavit in domo posteriori* (c. 9. v. 9.) *exulta Sion, venit Rex tuus &c.* Summatim dicam: ita hic confunduntur Judæi, ut calculum præ indignatione diris omnibus devoveant. (60) Nolunt nobiscum supputare amplius, nec suis permittunt, ut hic scrupulosi sint; damnant hoc studium velut impiam curiositatem, & calculatoribus, ut ilia rumpant, imprecantur. Hal. Melach. *cap.* 12. §. 5. לא יתעסק אדם בדברי ההגדות ולא יאריך בדברי המדרשות האמורים בענינים אלו וכיוצא בהם ולא ישימם עיקר שאינם מביאים לא לידי אהבה ולא לידי יראה וכן לא יחשוב הקיצים אמרו חכמים תיפח רוחם של מחשבי קיצים אלא יחכה ויאמין בכלל: *Non occupetur homo in hisce mysteriis, nec diu immoretur talibus dictis in hoc vel simili negotio: neque habeat illa pro fundamento, quia nil proficiunt ad charitatem vel timorem* Dei. *Præsertim vero non computet articulos temporum. Dicunt enim sapientes: intumescat Spiritus eorum qui tempora supputant! sed præstoletur & credat universaliter.* Prohibitio, quam allegavit, extat in supradicto capite *Chelek fol.* 97. *b. med.* א״ר שמוא׳ בר נחמני א״ר יוחנן (61) תיפח עצמן של מחשבי קיצין שהיו אומרין כיון שהגיע את הקץ ולא בא שוב אינו בא אלא חכה לו שנ׳ אם יתמהמה חכה לו: *Ait R. Samuel f. Nachmoni, dicere solitum R. Johannem:* (62) *infletur corpus computantium terminos! dicunt enim, quia terminus adest, ipse vero nondum comparuit, ideo nec postea veniet. Tu vero expecta ipsum, sicut dicitur* (Hab. v. 3.) *etiamsi tardet; præstolare tamen.*

Sunt autem duo præcipue offendicula, (63) quæ Judæos absterrent, quo minus *Jesum* Nazarenum pro Messia recipiant. Primo, quia cum præsto esset, tam paucos habuit asseclas, eosque non de primoribus populi sed obscura plebe. Deinde quoniam infirmitatibus huma-

manis obnoxius fuit, varia paſſus & contemtum quoque mortuus. Melach. *cap.* II. §. 6. (65) אף אותו שדמה שיהיה משיח ונהרג בב״ד כבר נתנבא בו דניא׳ שנ׳ ובני פריצי נכשלו ונו׳ כי יש מכשול מזה שכל הנביאים דברו שהמשיח גואל לישראל ומושיעם ומקבץ נדחיהם ומחזק מצותם וזה גרם לאבד ישראל בחרב ולפזר שאריתם ולהשפילם ולהחליף התורה ולהטעות רוב העולם ולעבור מבלעדי השם: *Etenim de illo, quem putarunt eſſe Meſſiam, qui capitali ſupplicio damnatus eſt, vaticinatur Daniel* (c. II. v. 14.) *filii latronum ſcandalizabuntur &c. Eſt ſane magnum offendiculum, poſtquam omnes Prophetæ Meſſiam promiſerunt redemtorem Iſraelis, ſalvatoremque, qui diſperſos ejus recolligat, & legem corroboret, quod iſte cauſatus eſt internecionem Iſraelis per gladium, & diſſipationem reſiduorum, legem mutavit atque maximam partem orbis ad alienum cultum traduxit.* Sed reſpondeo e traditionibus majorum veſtrorum; annon faſſi ſunt Meſſiam fore ſpretum & neglectum? (66) a pauciſſimis agnoſcendum? Perek Chelek. *p. 93. b. med.* אר׳ אלכסנדרי מלמד שהטעינו מצות ויסרין כריחיים: *R. Alexandri ait, docemur, quod* Deus *Meſſiam oneret caſtigationibus, quaſi molaribus lapidibus.* Et modo ſupra recenſui, quod eum R. Joſua non apud magnates, ſed inter pauperes invenerit ac ægrotos. Eod. c. *pag.* III. *a.* ר׳ סמאי א׳ ביאתן לארץ שנים מששים רבוא א׳ רבא וכן ליסות המשיח: *R. Simai dicit, introibant terram Canaan bini tantum e ſexaginta myriadibus. Raba inquit: idem fiet in diebus Meſſiæ,* (h. e. æque pauci ſalvabuntur.) Quid ergo ſcandalizamini amplius? o duri cervice! quouſque vos luditis ipſi? quoties a pſeudo-Meſſiis (67) turpiter decepti eſtis? non jam repetam, quanto ſanguine conſtiterit vobis unicus *Bar-Cochab*, (68) ab eventu per meritam agnominationem *Bar-Cozba* dictus, cujus ſtragem æſtimat R. Johannes *in Echa Rabathi c. 2. v. 2.* octoginta myriadibus occiſorum: in qua illud miſerrimum erat, quod ne imbelli quidem turbæ puerorum pepercerunt. אמר רבן גמליאל חמש מאות בתי סופרים היו בביתר וקטן שבהם לא היה פחות משלש מאות תינוקות והיו אומרים אם יבאו השונאים עלינו מכתבין הללו אנו יוצאין ודוקרין אותם וכיון שגרמו העוונות ובאו השונאים כרכו כל אחד ואחד בספרו ושרפו אותם: *Ait R. Gamaliel: quingentæ domus ſcholaſticæ fuerant in urbe Bethoron,* (69) *quarum minima continebat non pauciores trecentenis ſcholaribus. Ideo* (multitudine freti) *dixerunt: ſi venerit hoſtis, egrediemur cum iſtis graphiis & confodiemus illos. At poſtquam Romani vicerant, involverunt quemlibet ſuo volumini, & ſic una combuſſerunt.* Ibid. paulo anterius: היו הורגים בהם עד ששקע הסוס בדם עד חוטמו והיה הדם מגלגל אבנים של ארבעים סאה והולך בים ארבעה מילין: *Tantopere mactabant, ut equus immergeretur ſanguini uſque ad capiſtrum naſi, & fluxus cruoris protruderet lapides quadragenarios, adeoque defflueret per quatuor milliaria uſque in mare.* Tunc ſcilicet impletum eſt, quod occinuiſtis Pilato. Sanguis ejus ſuper nos! Hoc tamen nihilo cautiores facti, tempore Maymonidis (70) iterum vos decipiendos præbuiſtis impoſtori cuidam, de quo ſcribit *in Epiſt. ad Jud. Maſſil. circ. fin.* (71) בארץ תימן עמד איש אחר יש לדבר כ״ב שנה ואמר שהוא שלוחו של משיח מישר דרך לפני ביאתו ונתכאצו אנשים רבים עמו יהיה מטעה אותם: לאחר שנה נתפש זברחו ממנו כל הנלוים אליו ויאמר לו מלך מה זאת עשית ומה המופת שלך ענה חתוך ראשי ואב״ אקום ואחיה: *In regione auſtrali ſurrexit quidam ante hos 77. annos, præcurſorem Meſſiæ profeſſus, qui viam ejus præparare debeat. Huic adhæſerunt plurimi, quos decepit. Poſt annum captus fuit, tunc aufugerunt complices. Cum autem Rex rogaret; qua fiducia id feciſti? quo miraculo probas? reſpondit, amputa mihi caput & reſurgam,* (quod poſtea factum eſt, ſed non revixit.) Quid veteribus exemplis inhæreo, cum nova & recentia ſuppetant? avi noſtri meminerunt cujuſdam R. Læmlin, (72) qui ſe pro Meſſiæ prodromo venditavit, populares ſuos vana ſpe ſic dementans, ut indicto ſolenni jejunio, ad reditum in terram ſuam ſe pararint omnes. Audi quæſo narrantem R. Ganzium *in Zæm. f. 61.* רבי לעמלין היה מבשר על ביאת משיח בשנת ר״ס ובכל תפוצת ישראל האמינו לדבריו גם בין הגוים היה הקול הולך וגדול וא״מ זקיני זליקמאן גאנז ז״ל הרס ונתץ תנור המיוחד למצות בהבטחתו הגמורת של שנה הבאה יאפה מצות בארץ הקדושה: *R. R. Læmlin prædicabat adventum Meſſiæ Anno* 260. (h. e. Chriſtiano 1500.) *ut non tantum in tota diſperſione Judæorum plurimi hoc crederent, ſed & ea fama percrebeſceret apud Chriſtianos. Dominus avus meus Selikman Ganz p. m. jam demolitus erat furnum ſuum paſchalem, quod placentas azymas ſequente anno in terra ſancta pinſere certo confideret.* Vah, quam magnificis ſpebus vos fruſtra toties impleſtis! agnoſcite vel tandem, (73) o miſelli, quod hæc expectatio nimis ſera ſit. Adveniet Meſſias, fatemur, & forte in propinquo eſt; ſed non ea ratione, qua vos perſuaſi eſtis.

estis. Maymonides operum suorum *cap. ult.* §. *med.* כל אלו הדברים לא ידע אדם היאך יהיו עד שיהיו שדברים סתורים הם אצל הנביאים גם החכמים אין להם קבלה אלא לפי הכרע הפסוקים ולפיכך יש להם מחלוקת: *Nihil horum præscit homo, qualiter futura sint, antequam fiant; sed omnia sunt abscondita penes prophetas. Ipsi etiam sapientes nihil de hoc norunt e Kabala; sed quicquid habent, tantum est ex præponderantibus sententiis: propterea tantopere discrepant invicem.* Ipsa dissonantia posset vobis argumentum incertitudinis esse. Sed in hoc nimius fui, desinendum erat pridem. Aperiat vobis oculos & corda emolliat, qui ea solus habet in sua potestate, *Deus* in secula benedictus.

N O T Æ

In Theorema vigesimum.

(1) Hæreditaria. Aliquot locis Biblicis hoc adstruitur in Siphri, Siphra, & Pesikta, e quibus Ceseph Mischneh *ad Maimonidis Melachim fol. CCLXXXVII. col.* 3. strictim id ostendit: בספרי שנינו הוא ובניו שאם מת בנו עומד תחתיו ואין לי אלא זה בלבד מנין לכל פרנסי ישראל שבניהם עומדים התחיהם ת"ל בקרב ישראל כל שהוא בקרב ישראל בנו עומד תחתיו ובת"כ תניא ובנים לא היו להם הא אם היו להם בנים הם היו קודמים אע"פ שלא היו שקולים כאלעזר ואיתמר ובפסקתא וחוא שיהא נוהג כמנהג אבותיו: *In libro Siphri discimus, verba hæc* Deut. XVII. 20. Ipse & Filius ejus, *sic esse accipienda, quod si* Ipse *moriatur*, Filius ejus *succedat; sed non nisi de solo Rege hæc accipienda videntur. Undenam ergo probabimus de omnibus Israeliticis, quod filii eorum ipsis succedant? Hoc docent nos verba immediate adjecta:* In medio Israelis, *h. e. Ejus etiam, qui in medio Israelis vivit, filius patri in officio succedit. Porro in Thorath Cohanim* (qui liber alias & *Siphra* dicitur,) *habetur traditio, istis verbis* Num. III. 4. Et (Nadab atque Abihu) Nullos habebant Filios, *indicari, quod, si filios habuissent, hi prælati fuerint, etiamsi Eleasaro & Ithamaro* (jam succedentibus) *longe fuissent impares. In Pesikta redditur ratio, ut filius adsuescat moribus paternis.* Cæterum Seldenus initio sui de successionibus operis, successionem apud Veteres Hebræos consuetam sic distribuit, ut fuisse dicat vel in *defuncti bona*, veluti fundos, utensilia, suppellectilem, nomina; vel in *dignitates*, quarum præcipuæ sunt *Regia* & *Pontificia*. Et de successione quidem in *defuncti bona* singulari libro; de ea vero, quæ etiam in *dignitatem Pontificiam*, duobus libris, Historico & Juridico egit. Restare videbatur successio in *Regiam dignitatem*; sed hunc laborem jam dum in hoc theoremate occupaverat noster Schikardus.

(2) Regia Potestas. Vide Pinedam *lib. II. de Reb: Salom. c. I. fol. 74. seqq.* ubi prolixe exquirit, quonam successionis jure Judæorum regnum ad regis demortui filium pervenerit? an primogenii prærogativa, populive suffragiis; an patris testmento & voluntate; an tandem divina designatione & revelatione expectata? Adde Menochium *lib. I. de Rep. Hebr. c. IX. quæst.* 1. *fol.* 57. Sigonium *lib. VII. de Rep. Hebr. c. III. p.* 349.

(3) Inter Politicos. Nemo hanc Politicorum controversiam delineavit jucundius, exposuit accuratius, decidit felicius, quam θαυμάσιος noster Thomasius יצ"ו erudita dissertatione Anno 1660. habita, *de certamine inter Regnum electivum & successivum.*

(4) Primogenitus. De jure & privilegiis primogenitorum apud Hebræos videantur post alios passim obvios, Cœlestinus *lib. I. Clav. Dav. Obs. XXVII. fol.* 94. Heideggerus *in Histor. Patriarch. Exerc. I.* §. *XVIII. seqq. p. 22. seqq.*

(5) Quemadmodum ergo. Vide Dn. Osiandrum *ad Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 7. th. XIII. p. 834. seqq.* qui commentarii vices in hæc Schikardi præstabit.

(6) Portionem duplam. De dupla portione primogenito debita ex professo egit Seldenus *de successionib. in bona c. V. VI. VII. fol. 21. seqq.* adde Anth. Cregutum *in Revelat. Arcanor. c. XIII. p.* 536. 537.

(7) Theor. IV. supra *pag.* 77.

(8) Ad tempus. Hunc R. Majemonides *in citatis hic verbis* Regnum Davidicum & Israeliticum illi contradistinctum duratione differre, atque illud perpetuo duraturum, hoc autem aliquando ab una domo cessaturum inque aliam transferendum fuisse, ait. Quod sine dubio non intellexit R. Abraham ben David, dum *in hassagos ad h. l.* Maimonidem contradictionis arguitur: א"א זה סותר מה שאמר למעלה ולא המלכות בלבד וכו' אלא ודאי כן הוא אלו חיה ירבעם מלך כשר ובניו כשרים לא היתה מלכות פוסקת מזרעו אבל היתה שניה למלכות בית דוד כגון קיסר ופלגי קיסר: *Animadverto*, inquit, *hæc contradicere iis, quæ paulo superius scripserat, non Regnum Davidicum duntaxat, sed omnia officia in Israele ad filios horumque posteros hæreditaria esse. At vero hoc manifestum sic est: Jerobeam fuisset Rex legitimus, & filii ejus legitimi, non cessaturum fuisset regnum a semine ejus, sed instar secundarii se habuisset ad regnum Davidicum, quale est Cæsaris & vice-Cæsaris.* Recte igitur Rab. Joseph Karo *in Ceseph Mischneh* Maimonidem adversus hanc Abrahami reprehensionem, quam verbotenus repetierat vindicat: ואני אומר שאין כאן סתירה שלמעלה אמר שאי זה"מינוי שיהיה ירושה לבני בניו ואין בית דין ממנין אחר תחתיו וכאן אמר שה"בה מעמיד מלכי בית דוד לעולם אבל משאר ישראל לא כתר: legendum כרת, sphalma manifestum est,) לו ברית שיעמידנו לעולם *Imo vero*, inquit, *dico ego, nullam plane in his esse contradictionem ad præcedentia illa, siquidem hoc regnum* (Israeliticum in specie dictum) *non erat constitutum, ut hæreditarium esset ad filios & nepotes; neque Synedrium successorem ordinabat. Sic ergo dixerat Rabbi*, Deum *confirmare Reges domus Davidici in æternum; cum Rege vero Regni Israelitici nullum pepigisse fœdus, quod confirmare ipsum vellet in æternum.*

(9) Messia. Habes hic ad finem usque libri elegans compendium doctrinæ de Messia quatuor constans capitibus, quorum 1. est de τῷ ὅτι, & ostendit, esse apud Judæos articulum fidei fundamentalem. 2. de Messiæ persona & officio, & describit, qualem ipsi Messiam expectent, & quibus signis atque criteriis ille certe agnoscendus? 3. est κατασκευαστικὸν, & tempus Messiæ destinatum transiisse ipsumque adeo jam venisse & frustra expectari alium argumentis utrinque confessis adstruit. 4. est ἀνασκευαστικὸν, & duo præcipua Judæorum argumenta, quibus Jesum Nazarenum Messiam esse impugnant, solvit. Amplissima dicendi materia, & digna sane, quæ ex professo discutiatur, neque saltem laciniæ instar assuatur huic alterius argumenti scripto. Sed ea saltem persequi volebat beatus Auctor noster, quæ R. Majemonides, cujus vestigia legebat, duobus ultimis Capitibus, XI. & XII. obtulit, cætera

ra (uti ipse *num. marg.* 184. monet,) in aliud tempus & locum consulto reservans. Quare nec a nobis in animadversionibus hisce plura aliunde advocanda quisquam expectet. Non quæ possunt, sed quæ debent dici, tradenda. Qui integrum apparatum hujus doctrinæ cupiat, conferat Raymundum Martini *in Pugione fidei part. II.* & *partis III. distinct. III.* hujusque expilatorem Petrum Galatinum *in Arcanis Cathol. Veritatis*. Buxtorfium *in Synagog. Judaic. cap. XXXVI.* & in recenter aucta editione *Cap. L.* & *in Lexic. Talmud. fol.* 1268. Guil. Postellum *lib. IV. de Orbis concordia*, *potissimum a fol.* 354. *seqq.* Hieronymus de Sancta Fide *in Hebræomastyge*, Nicolaum de Lira *in probat. Adventus Christi per Scripturas a Judæis receptas*. Paulum Weidnerum *in locis fidei Christianæ tract. II. & III.* Christianum Gerson *in Talm. Jud. part. II. c. III. usque ad XII.* Ernestum Ferdinandum Hessen *in flagello Judæor. part. I.* Fridericum Ragstatium de Weile *in Theatro lucido, verum Messiam J. C. exhibente*. Jo: Mullerum *in Judaismo, toto lib. I.* Michaelem Havemannum im Wegeleuchte der Jüdischen Finsterniß. Antonium Hulsium *in Theolog. Judaic. part. I. de Messia*, (quæ etiam sola, quantum recordamur, prodiit.) Jo. Hornbekium, *de Convincendis & convertendis Judæis lib. II. & III.* Davidem Christiani *in Disputationibus de Messia junctim editis*. Christophorum Helvicum *in Elenchis Judaicis*, (qui & seorsim prostant, & Tomo IV. Dispp. Giessensium inserti sunt.) Jacobum Martini *de tribus Elohim*. Jacobum Altingium *in Schilo.* Jo: Coccejum *in Consideratione Judaicar. Respons. & quæst. c. X. p.* 178. *seqq.* Gisbertum Voetium *part. II. Dispp. Selectar. p.* 52. *seqq.* Jo: Henric. Hottingerum *in Compend. Theol. Judaic. C. IV. sect. XV.* Simonem Episcopium *lib. III. Institut. Theolog. Sect. IX.* Jo: Rhombergium *in Dissert. de adventu Messiæ contra Judæos*. Jo: Salomonem *in Demonstrationibus anti-Judaicis*.

(10) Symbolo suæ Religionis. Auctor hujus symboli est R. Moses Majemonides, qui illud primus scripto comprehendit. Etsi enim religionem suam semper his articulis fundatam, eosque adeo ab omni ævo a Judæis creditos dicunt; non tamen eo ordine & numero, in quem Maimonides postea redegit antea dispositos habebant, unde Drusius *lib. IV. de Sect. Jud. c. XXIII. p.* 202. aliis numerari XIII. aliis XXVI. a quibusdam vero tantum VI. poni articulos, testatur. Imo R. Josephus Albo *in libro Hikkarim*, plurima adversus hunc Maimonidis ordinem & numerum movet dubia, atque omnes hos articulos, ad tres contrahit, (quot & in nostro Christianorum Symbolo Apostolico numeramus,) quorum primus est de מציאות השם *existentia Dei*, secundus de תורה מן השמים *lege divina*, tertius de שכר ועונש *præmio & pœna*. Sed & R. Chasdai *in libro Or Adonai*, alia ratione articulos constituit, & plurima adversus Maimonidem movet. Quæ omnia collatis aliis collegit, & sub examen revocavit R. If. Abarbanel libro integro, quem *Rosch Amanah* h. e. *de Capite fidei* inscripsit, in quo, ut habet titulus, שרשי וראשי האמינות *fundamenta & principia religionis* ex instituto exposuit. Editus est Venetiis Anno superioris sæculi XLV. sed nostro demum, anno XXXVIII. Amstelodami per Guilielmum Vorstium Latine prodiit. Obtinuit vero apud Judæos, jam pro Symbolo & catholica confessione recepta, Majemonidis articulorum distributio, qua XIII. constituuntur articuli, quorum I. est de *Deo*, rerum omnium Creatore. II. de *Dei* unitate. III. de *Dei* incorporeitate. IV. de *Dei* æternitate. V. de *Dei* adoratione. VI. de Prophetia in genere. VII. de prophetia Mosis VIII. de Lege Mosis IX. de Legis immutabilitate. X. de Scientia *Dei*. XI. de præmiis bonorum & malorum. XII. de Messia. XIII. de resurrectione mortuorum. Qui propterea non in Catechismo tantum R. Abrahami Jeggeli, *Lekac tobh* inscripto, pueris Hebræis inculcantur atque ediscendi proponuntur, sed & passim in omnibus precum Judaicarum libellis repeti solent, ne unquam memoria excidant. Quare & *in libro Adam Sichli*, qui varia præcepta & exhortationes ad vitam sancte instituendam ex sacris petitas atque tum literaliter, tum Cabalistice & mystice explicatas continet, ne quicquam ibi desit, paulo fusius recitantur, e quo speciminis, & exercitii loco exscripsit Hottingerus *in Gramm. Chaldæo-Syriac. append. III. pag.* 212. *seqq.* Extant quoque integri in symbolum scripti Commentarii, qualis R. Davidis Vidal *Michtam Ledavid*, *anno superioris sæculi XLVI. Venetiis impressus*, pluresque alii Buxtorfio *in Biblioth. Rabb. p.* 309. 438. 462. 469. & Hottingero *in Biblioth. Orient. c. I. class. III. p.* 20. 21. memorati. Propria eorum sedes est in Cmmentario R. Majemonidis *ad Caput Chelek*, cujus hanc pericopam Arabice, prout ab ipso Auctore scripta est, cum versione latina recensuit Pocokius *in Porta Mosis p.* 133. *seqq.* Hebraica Versio R. Samuelis aben Tibbon operi Talmudico inserta habetur *ad Massech Sanhedr. fol. CXX. & CXXI.* & passim in iis Mischnarum editionibus quæ Commentarios Maimonidis & Bartenoræ simul exhibent. Cæterum Latine a plurimis conscripti sunt, viderique cum aliis huc spectantibus queunt apud Buxtorfium *in Synagog. Judaic. c. I. p.* 1. *seqq.* & in novissima editione *c. III. p.* 10. *seqq.* Hottingerum *lib. I. Thes. Philol. c. II. sect. I. p.* 76. *seqq.* Menassen ben Israel *probl. I. de Creat. p.* 1. *seqq.* & *in Dedicatione libri I. de resurrect. mortuor.* Joh. Coccejum *ad Sanhedrin. p.* 88. & *in considerat. quæst. & respons. Judaic. c. XIV. p.* 216. *seqq.* Jo. Hornbeckium *lib. I. de convertend. Judæis c. III. p.* 110. 111. &c.

(11) Triumphator R. Matthias. Ejusdem meminit noster *in præfat. sui Bechinath happeruschim*, additque cœptam esse a se pridem illius refutationem, quam continuare per literas jusserit Buxtorfius, qui & in operis subsidium miserit alterum Nizzachon R. Lipmanni, membrana exaratum, quod exemplar Tremellius secum ex Italia detulerit. Sunt enim plures omnino, qui superbo titulo Christianos oppugnantes libros emiserunt, quos cum hoc ipso Schikardi Osiandrino Codice commemorantem vide Haksp anium *in tractatu suæ Lipmanni editioni subjuncto pag.* 216. *seqq.* & adde si placet, quæ *in dissertatione de Asino Messiæ* §. *IX. p.* 13. notavimus. Merebatur vero promissus ille Schikardi nostri *Triumphator vapulans*, ut prodiret tandem, spesque ejus indipiscendi nuperrime erudito orbi facta est denuo in Cl. Spizelii *templo honoris reserato p.* 342. 343. sed vereor, ne ἀνέκδοτα omnia ibi laudata cum suo auctore interciderint.

(12) Hisce Rhythmis. Placet vero ipsum potius audire Majemonidem, qui primus concepit ἀῤῥύθμως *in Comment. ad Sanhedr.* (prout habetur in ipso Talmudis opere) *fol. CXXI. col.* 1. & in Rivensi editione Bartenorio junctus *fol. CXCII. col.* 2. היסוד שנים עשר ימות המשיח והוא להאמין ולאמת שיבא ולא יחשב שיתאחר אם יתמהמה חכה לו ולא ישים לו זמן ולא יעשה לו סברות במקראות להוציא זמן ביאתו והחכמים אומרים תפח רוחן של מחשבי קצין ושיאמין שיהיה לו יתרון ומעלה וכבוד על כל המלכים שהיו מעולם כפי מה שנבאו עליו כל הנביאים ממשה רבנו ע״ה עד מלאכי עליו השלום ומי שהסתפק בו או נתמעט אצלו מעלתו כפר בתורה שיעד בו בתורה בפי׳ בפרשת בלעם ופר׳ ואתם נצבים ומכלל יסוד זה שאין מלך לישראל אלא מבית דוד ומזרע שלמה בלבד וכל החולק על המשפחה הזאת כפר בשם הש״י ובדברי נביאיו: *Fundamentum duodecimum est de tempore Messiæ, nempe ut credamus firmiter, quod certo venturus sit, neque quis existimet, eum tardare, quin, si tardaverit, expecta eum,* juxta Habb. II. 3. *Sed neque quisquam ei tempus præscribat, nec sibi varias in Scripturæ lectione opiniones fingat, ad eliciendum hinc tempus adventus ejus, memor illius sapientum, qui dicunt:* Rumpatur spiritus supputantium terminos. *Porro credendum, quod ejus sit Excellentia, & Majestas, & gloria supra omnes Reges, qui unquam a sæculo fuerunt, prout de eo vaticinati sunt prophetæ omnes inde a Mose Magistro nostro, qui in pace quiescat, usque ad Malachiam beatæ memoriæ. Quisquis vero de eo dubitaverit, aut saltem apud semet ipsum spreverit Majestatem ejus; is legem abnegat, utpote quæ eum apertissime promisit in Parscha Bileam* (Num. XXII.) *& Nizzabhim* (Deut. XXIX. XXX.) *Tandem ad hunc articulum pertinet,* ut credamus, *quod non sit Rex Israeli, nisi de domo Davidis, & ex semine quidem Salomonis tantum. Quisquis ergo se huic familiæ oppo-*

posuerit, is apostata est, & Deum pariter atque verba Prophetarum abnegat.

(13) Qui de hoc dubitat &c. Ita quidem Maimonides ejusque sequaces; sed R. Joseph Albo id diserte negat, multumque occupatus est in hoc, ut demonstret, שאין אמנת ביאת המשיח עקר שהמכחיש ביאתו יקרא כופר בעקר: *fidem de Messiæ adventu non esse fundamentum, ut, qui negaverit adventum ejus, dicendus sit apostata.* Cujus controversiæ historiam, & argumenta, quibus Maimonidem R. Albo impugnat, latissime jam exposuit Ant. Hulsius *part.* I. *Theol. Judaic. p.* 8. *& seqq.* quem huc omnino confer. Majemonidem vero rursus defendit, atque ad R. Albonis argumenta respondet R. Abarbanel *in Rosch amanah cap. XIV.* quem vide in Vorstiana editione *pag.* 62. *seqq.*

(14) Quicunque. Vide Jos. de Voisin *Observ. in Proœm. Pug. fol.* 122. *col.* 2.

(15) In universo propemodum orbe. Faciunt huc ea, quæ Philippus Mornæus & Hugo Grotius *in libb. de veritate religionis Christianæ* passim observarunt, quibuscum conferatur Noster *in Tarich inde a p.* 79. *usque ad* 100. uti & Hottingerus *lib. I. Hist. Orient. c. III. p.* 104. 105.

(16) Præcursorem. Hunc omnes ex *Mal. IV.* 5. Eliam dicunt, Judæi tamen communiter eundem illum Thisbiten, qui vivus in cœlum raptus est; sed Christiani alium Eliæ spiritu armatum, de quo *Matth. XVII.* 10. *seqq.* Quanquam nec inter ipsosmet Judæos convenit, sicuti recte verbis R. Maimonidæ hic citatis, (in quibus *esse inter sapientes*, ait, *qui ipsummet Eliam ante Messiam præmittendum credant*,) Schikardus colligit: *Ergo id non omnes credunt.* Neque enim ipse Maimonides credidit, verum censuit alium fore, נשיא ונביא *Principem & prophetam*, qui in eodem cum Elia gradu prophetiæ constitutus, similem *Dei* cognitionem, parilemque zelum habiturus sit. Unde illi sapientum sententiæ a se memoratæ, quasi minus certe subjungit, וכל אלו הדברים וכיוצא לא ידע אדם היאך יהיו עד שיהיו סתומים הם אצל הנביאים: *Verum hæc omnia & alia id genus nemo hominum novit, quomodo futura sint, donec extiterint: quia res istæ occultæ sunt apud Prophetas.* Id quod Noster in fine totius libri hujus protulit; sed de verbis citatis non desecandum erat. Habet enim usum adversum Judæorum vulgum alteri sententiæ fortiter inhærentem, sed denuo aliter aliterque persuasum. R. Dav. Kim. de sola Eliæ anima novo corpori, cum mittendus erit, infundenda accepit, siquidem illud corpus, quod olim ante raptum in cœlum habuit, in suprema aeris regione fuerit absumtum. En verba ejus ex ipsius *Commentario ad Malach. IV.* 5. *fol DCXCV. col.* 2. אשלח לכם את אליהו הנביא הטעם שישיב נשמתו שעלתה לשמים אל גוף נברא כגופו הראשון כי גופו הראשון שב אל הארץ בעלותו כל יסוד אל יסודו. ואחר שיחיה אותו בגוף ישלחנו לישראל לפני יום המשפט והוא יום יום הגדול והנורא והוא יזהיר האבות והבנים יחדיו לשוב בכל לב אל השם והשבים ינצלו מיום המשפט וזהו שאמר והשיב לב אבות על בנים כמו עם בנים וכן לב בנים על אבותם כמו עם אבותם כלומר האבות והבנים יחדיו: *Cum Deus ait*, Mittam vobis Eliam Prophetam, *sensus est, quod sit jussurus, reverti ejus animam, quæ pridem in cœlum ascenderat, in corpus noviter tunc creandum instar corporis ejus primi, siquidem primum ejus corpus in terram rediit, cum ascenderet*, singulis partibus in sua *elementa e quibus constitit, resolutis. Postquam vero* Deus *ipsum vivere jusserit in corpore, mittet eum ad Israelitas ante diem judicii, qui dies Domini erit magnus & terribilis. Tunc admonebit ille patres pariter & liberos, ut sese toto corde ad* Deum *convertant, conversique a die judicii liberentur. Hoc est, quod textus ait: Et reducet cor patrum* על *id est* עם *cum filiis, & cor filiorum* על *id est* עם *cum patribus suis, hoc est, patres pariter atque filios simul.* Contra vero R. Moses bar Nachman, & R. Aben Esra, & plerique alii corpore atque anima in paradiso superstitem, indeque uti sæpius his in terris apparere, sic aliquando cum Messia adventurum credunt, non autem novo tunc corpore donatum iri. Quod & R. Abarbanel *Comm. ad* 2. *Reg. II.* cum de Eliæ raptu agit, latius probat, aitque per turbinem humores corporis ejus penitus fuisse dissolutos, ipsum autem corpus per *Dei* gratiam miraculose exsiccatum & durabile factum, promtumque ut ubivis apparere posset, vel ut ipse loquitur, נצחיי וקיים כאחד מן הגשמים השמימיים ולכן היה קל להראות בכל מקום ולא היה מגביל מקום ולא מצטרך למאכל ולמשקה ולשאר הדברים הצריכים והכרחיים להי לפי שנעשה גשמו מתכונה רוחניית על דרך נס: *æternum & stabile instar alicujus cœlestium corporum, quod propterea & leve sit ad apparendum in quolibet loco, neque sit circumscriptum loco, nec opus habeat cibo ac potu, ceterisque rebus, viventi necessariis, eo quod corpus ejus factum sit naturæ spiritualis per miraculum.* At cum *in Comm. ad Mal. IV. f. CCCI. col.* 2. ejusdem reditum ibi promissum explicat, dubius quasi, alternative dicit: הראשון אשר יקום בתחיה יהיה אליהו הנביא אם שיהיה כמותם אם היה שכלה גופו בהלקחו כדעת קצת מן האחרונים ואם שהוא עומד על דרך הפלא בגוף ונפש קיים בגן עדן אשר בארץ כדעת חכמים ז"ל: *Primus qui in resurrectione* (adventui Messiæ contigua) *resurget, erit Elias Propheta, sive ceterorum instar reviviscat, corpus ejus siquidem, cum hinc tolleretur, consumtum fuit, juxta sententiam quorundam citeriorum,* (qualis erat etiam R. Davidis Kimchii,) *sive etiamnum corpore atque anima superstit in paradiso terrestri, juxta sententiam veterum sapientum faustæ memoriæ.* Quicquid tamen hujus sit, inter certa Messiæ venientis signa adventus ejus ponitur, & in Abhkath Rochel *lib. I. fol. III. col.* 3. *edit. Arimenens. anni* 1526. ubi signa & prodigia Messiæ adventum antecedentia memorantur, locus ei octavus tribuitur. Vide jam Ant. Hulsium *lib. I. Theol. Judaic. part. I. p.* 83. *seqq.* Jac. Altingium *lib. V. Schilo toto Cap. XI. pag.* 385. *seqq.* Ed. Procockium *not. Miscell. ad port. Mos. c. V. p.* 218. *seqq.* Jo. Ligtfootum *not. Hebr. in Matth. XVII.* 10. *p.* 205. *seqq.* Jos. de Voisin *Observ. ad proœm. pugion. fol.* 127. Jo. Buxtorfium *Diss. de Raptu Eliæ. c. II. q. IV.* Gisb. Voetium *part. II. Dispp. Select. p.* 141. Jo. Hoornbeckium *lib. II. de Convincend. Judæis c. I. p.* 204. *seqq.* & *lib. VIII. cap. V. pag.* 559. *seq.*

(17) Bellum Gog & Magog. Conf. Raim. Martini *part. II. pug. Fid. c. XIV. f.* 358. *seqq.* Hulsium *part. I. Theol. Jud. p.* 503. *seqq.* Hoornbeck *lib.* III. *de convertend. Judæis c.* II. *p.* 255. *seqq.* Vorstium *animadvers. ad Pirke Elies. p.* 202. *seqq.* Graserum *Exerc.* III. *in Dan.* IX. *p.* 270.

(18) Mundanus Rex. In vulgus nota hæc Judæorum persuasio, vel ex *Matth.* XX. 21. *Act.* I. 6. aliisque Novi Fœderis locis, neque adeo testimoniis indiga. Jungemus tamen allato ex Maimonide aliud ejusdem Auctoris, quod hoc illustret, & habetur *in Comm. ad Sanhedr. fol. CXX. col.* 1. prout Talmudi inferitur, & in editione Rivensi *fol.* CXCI. *col.* 4. המשיח הוא זמן שתשוב המלכות לישראל ויחזרו לארץ ישראל ויהיה אותו המלך גדול מאד ובית מלכותו בציון יגדל שמו וזכרו יהיה מלא הגוים יותר מן המלך שלמה וישלימו אותו כל אומות ויעבדוהו כל הארצות לצדקו הגדול ולנפלאות שיהיו על ידו וכל מי שיקום עליו יאבדהו השם יתעלה וימסור אותו בידו וכל פסוקי המקרא מעידין על הצלחתו והצלחתנו עמו ולא ישתנה במציאות שום דבר ממה שהוא עתה אלא שהמלכות תחזור לישראל וזהו לשון החכמים אין בין העולם הזה לימות המשיח אלא שעבוד מלכיות בלבד ויהיו בימין עשירים ואביונים גבורים וחלשים כנגד זולתם אבל באותם הימים יהיה נקל מאד על בני האדם למצוא מחית' על שבעמל מעט שיעמל אדם יגיע להועלת גדול וזהו שאמרו עתידה ארץ ישראל להוציא גלוסקאות וכלי מילת לפי שבני אדם אומרים כשימצא אדם דבר מוכן ומזומן פלוני מצא פת אפוי ותבשיל מבושל והראיה על זה מה שנאמר ובני נכר אכריכם וכורמיכם להודיע שיש שם זרע וקציר: *Dies Messiæ sunt tempus illud quo Regnum Israelitis restituetur, omnesque in terram Israeliticam redibunt, ubi Messias Rex magnus valde futurus, suamque regiam in Zione habiturus est. Crescet nomen ejus, & fama pervagabitur gentes magis quam Regis Salomonis, pacemque cum eo colent omnes populi, omnesque terræ ei propter summam ejus justitiam & miracula manu ipsius patranda servient. Quicunque vero se ei opposuerit, illum supremum Numen perdet, in ipsiusmet manus traditum. De hac ejus simulque nostra felicitate omnes scripturæ textus testimonium perhibent. Ce-*

te-

rerum quoad substantiam nihil quicquam de eo, quod nunc est, immutabitur, nisi quod regnum Israelitis restituendum sit, & hoc sibi vult illud sapientum, quo nihil differre hoc præsens sæculum a futuris Messiæ diebus asserunt, nisi quod non amplius regnis cæteris servituri sint. Divites & pauperes, fortes & imbelles juxta sese illo tempore erunt, sed facile tamen fuerit admodum cuivis hominum, habere unde vivat, quippe exiguo labore, quem quis tulerit, magnum sibi paraturus commodum. Et hoc est, quod dicere solent, terram Israeliticam placentas vestesque sericas, producturam, siquidem ita communiter de eo, qui rem aliquam jam paratam facile invenerit, dicere solent: invenit bucellam panis pistam & cibum coctum, (plane uti nos Germani, es fleucht eine gebratene Taube ins Maul.) *Id quod confirmatur ex eo, quod* Jes. LXI. 5. *dicitur:* Et erunt alienigenæ Agricolæ vestri & vinitores vestri, *quo indicatur, sementem & messem tunc ibi parata fore*. Plura in hanc rem ibidem reperies.

(19) Genealogias renovet. De hoc Messiæ officio ex instituto egit Jac. Alting. *lib.* IV. *Schilo*, *toto Cap.* II. *p.* 211. *seqq.*

(20) Postquam Familiæ ita sunt commersæ. Hebraice: שמשפחה הנטמעה נטמעה quod sic potius reddo: *quia familia obscura etiam tunc obscura manebit*. In meo Codice verba Maimonidis clariora sunt: שהדין הוא שמשפחה שנטמעה נטמעה h. e. *siquidem hæc ratio tunc obtinebit, ut familia, quæ obscura est, obscura maneat*.

(21) Aureum sæculum. Huc convivium illud Messiæ, in quo taurus Behemoth & piscis Leviathan uterque monstruosæ magnitudinis, & illa avis maxima bar Juchne, itemque vinum in paradiso plantatum atque eousque in Adami cella asservatum apponetur, præmissis ludis, quod certamen tauri & piscis illius inter se in arena, antequam mactentur, committendorum exhibebit: quod late descriptum dedit Buxtorfius *in Synagog. Judaic. cap. ult.* sed parabolice accipiendum monuit Menasse ben Israel *lib.* II. *de Resurrect. Mort. c.* XIX. *pag.* 225. de quo alibi.

(22) ויהיו וכו׳ Tunc &c. Hæc, quæ sequuntur, in meo Codice paulo aliter sonant: ולפיכך יהיו חכמים גדולים ויודעים דברים הסתומים וישיגו דעת בוראם כפי כח האדם שנאמר כי מלאה הארץ דעה את ה׳ כמים לים מכסים׃ *Et propterea omnium sapientissimi erunt, & cognoscent res absconditas, ipsumque Creatoris sui scientiam attingent, quantum humanæ vires patiuntur, quia dictum est* Jes. XI. 9. *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ mare operientes*.

(23) Signis est criteriis. Alia tamen, quam ex Majemonide hic afferuntur, prævio Jesaia *cap.* XI. 1. *seqq.* explicat R. Abarbanel *Comm. in illum locum f.* XXVII. *c.* 1. *seqq.* quem sic orditur: זכר הנביא בנבואה הזאת עשרה תוארים שימצאו במלך המשיח והם תנאים הכרחיים במלכותו ובגאולה העתידה שמבלתם אי אפשר שיהיה הוא משיח ולא שתקרא גאולתו גאולה אמתית׃ *Meminit propheta in vaticinio hoc decem attributorum, quæ reperientur in Rege Messia: & illa quidem erunt conditiones necessariæ in regno ejus & in redemtione per ipsum futura, ut absque iis impossibile sit, ut Messias, aut ut redemtio ejus dicatur vera redemtio*. Ipsa postmodum signa & attributa late persequitur, quæ annis superioribus, si recte memini, CL. Frischmuthus in Academia Jenensi aliquot Dissertationibus exhibere decreverat; nescio tamen, an successerit institutum, neque enim ulla earum, dum hæc scribimus, ad manum est. Si prodierint, non sine commodo consulentur: solet enim vir celeberrimus accurate Abarbanelis vestigia legere. Nos summa capita huc excerpemus, prout ab ipso R. Abarbanele monstrantur. 1. האחד בייחוסו ומשפחתו שיהיה מזרע דוד מגזע ישי החסי׳ ונצר משרשיו השלמים דוד ושלמה׃ *Primum criterium est in genealogia & familia ejus, ut sit ex semine Davidis, ex trunco Isai sancti, & surculus e radicibus ejus perfectis, Davide & Salomone*. 2. התואר והתנאי הב׳ הוא במדרגת נבואתו שתהיה בעליונה שבמדרגות הנבואה׃ *Proprietas & conditio secunda consistit in excellentiori gradu prophetiæ, quippe quæ erit in supremo omnium prophetiæ graduum*. 3. התואר והתנאי הג׳ בחכמתו כלו שאמר רוח חכמה ובינה וגו׳׃ *Qualitas & conditio tertia est in ipsius sapientia, de qua Propheta ait: Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, &c.* eam autem postea prorsus miraculosam describit, jungique in textu ait חכמה *sapientiam* & בינה *intelligentiam*, ut innuatur, eum tam בתבונה בשכל העיוני *in intellectu speculativo*, quam המעשית *in prudentia practica* perfectum fore, adeoque ut ipse addit, בחכמה העיונית ובמעשית יחד *in sapientia speculativa & practica simul*. 4. התואר והתנאי הרביעי שימצא במלך המשיח הוא היותו כובש את יצרו ונבדל ונפרש מכלל תאוות הגשמיות׃ *Proprietas & conditio quarta, quæ in Rege Messia reperietur, hæc est, ut subigat concupiscentiam suam, atque remotus & separatus sit a quibuslibet cupiditatibus corporalibus*. 5. התואר והתנאי החמישי הוא בענין המשפט שיהיה מלך המשיח רודף צדקה ומשפט׃ *Quinta Conditio est in negotio judicii, ut Rex Messias justitiam & judicium sectetur*. 6. התואר והתנאי הששי הוא בענין הנסים והנפלאות שיעשה מלך המשיח כנגד הטבע כי מפני דבקותו בש״ית יעשה אותות ומופתים בשמים ובארץ׃ *Sexta consistit in mircaulis & prodigiis, ut Rex Messias præter naturæ ordinarium cursum agat: cum enim* Deo *tam arcte adhæsurus sit, faciet signa & prodigia in cælo pariter & terra*. 7. התואר והתנאי השביעי הוא ברוב השלום שהיה בימיו בכל הארץ׃ *Septima est in multitudine pacis, quæ ejus tempore in universa terra futura est*. 8. התואר והתנאי השמיני שימצא במלך המשיח הוא שאליו גוים ידרשו והיתה מנוחתו כבוד ר״ל שלא בלבד יכנעו אליו בני ישראל אבל גם שאר האומות יהיו נכנעים תחתיו׃ *Octavum signum, quo Rex Messias agnoscetur, hoc est, quod ipsum gentes inquisituræ sint, ejusque requies futura sit gloria, hoc est, quod non tantum Israelitæ, sed & cæteræ nationes sub eo sese humliaturi sint*. 9. התואר והתנאי הט׳ שימצא במלך המשיח ובימיו הוא שיקבץ הק״בה נפוצותיו ויביא נדחי ישראל והם עשרת השבטים שהגלה מלך אשור ולא שבו עד הנה וג״כ נפוצות יהודה שנפוצו בחרבן בית ראשון ובחרבן בית שני יקבצם וימלוך עליהם יחד׃ *Criterium & conditio nona, quæ in rege Messia ejusque diebus erit, consistit in hoc, ut* Deus *optimus maximus dispersos suos congreget, reducatque depulsos Israelis, hoc est, decem tribus a Rege Assyriæ abductas, neque hactenus reversas, similiterque dispersos Judæ, qui tum in primi, tum secundi templi devastatione hinc inde per orbem dispersi sunt; hos inquam congreget, & super illis conjunctim regnet*. 10. התואר והתנאי העשירי שימצא למלך המשיח ויהיה בזמן הגאולה הוא שיעשה הק״בה על ידו נס דומה לקריעת ים סוף שעשה על ידי משה ביציאת מצרים׃ *Decima denique proprietas Messiæ, redemtionis tempore observanda hæc est, ut* Deus *ipsius opera specialiter patret miraculum, illi maris divisioni simile, quam opera Mosis in exitu ex Ægypto præstitit*. Hoc innuere putat Prophetam *vers.* 15. ubi לשון ים מצרים *lingua maris Ægyptiaca* designet נילוס הנכנס בארץ מצרים בים *Nilum in Ægypto se in mare exonerantem*, unde a figura nomen לשון *lingua* etiam sortiatur. Hæc sunt criteria Messiæ secundum Abarbanelem ductu scripturæ proposita, quæ tamen sic explicat, ut in singulis ostendat, nec Hiskiam, quem nonnulli Messiam dixerant, nec alium, qui tempore secundi templi vixerit, pro Messia agnoscendum, sed Messiam, cui ista conveniant, adhuc expectandum esse.

(24) Legisperitissimus. Hinc illæ disputationes inter Rabbinos de quæstione, uter majori cognitione præditus, Moses Legislator, an Messias? Et quanquam Majemonides Mosaicam sapientiam anteponit, proximam tamen ei Messianam facit, adeo ut & Salomoneam antecellat, *in Hilkoth tschubha c.* IX. §. 2. *fol.* L. *col.* 2. המלך שיעמוד מזרע דוד בעל חכמה יהיה יתר משלמה ונביא גדול הוא קרוב למשה רבינו ולפיכך ילמד כל העם ויורה אותן דרך השם ויבואו כל הגוים לשומעו שנאמר והיה באחרית הימים נכון יהיה הר בית יי׳ בראש ההרים׃ *Rex ille Messias, qui exsurget e semine Davidis, majori sapientia præditus erit, quam Salomo, & maximus propheta Mosi Doctori nostro proximus: atque ideo omnem populum docebit, iisque ostendet viam Domini, & venient omnes ethnici ad audiendum ipsum, prout dicitur* Jesa. XI. 2. *Et erit in fine dierum, ut firmus sit mons templi Domini in capite montium*. Alii vero ipsi etiam Mosaicæ cognitioni Messianam anteponunt, & huc accommodant

illud

illud *Jesa LII. 13. Excelsus, & elatus, & altus erit*, in illo veterum R. Abarbaneli *Comm. ad h. l. fol. LXXVIII. col.* 1. memorato : ירום מאברהם ונשא ממשה וגבה ממלאכי השרת : *Excelsus erit præ Abrahamo, elatus præ Mose, altus præ angelis administratoriis*. Quod & pridem *ad Jesa. XI.* 3.4. *fol. XXVII. col.* 1. ubi ex professo de hoc Messiæ criterio agit, ad asserendum illud applicuerat.

(25) Bellicosus. Hinc passim illa R. Davidis Kimchii adversus *Jesum* nostrum ingeminant : איה המלחמות שנלחם ישו ואיה המלכים אשר נצח : *Quænam sunt bella, quæ gessit Jesus? & ubinam sunt Reges, quos vicit?* Quanquam illa Kimchius, κατ᾽ ἄνθρωπον protulit *in Responsionibus suis contra Christianos editioni ejus in Psalmos Isnensi additis ad Ps. CX.* ut ostenderet ex *v.* 5. psalmum non agere de Messia. Ipse enim non bellicosum, sed pacificum fore, existimat, plane uti R. Abarbanelem inter criteria ejus *num. VII.* רוב השלים *moltitudinem pacis*, nulla belli mentione facta, numerare modo vidimus. Iterum R. Kimchi *ad Ps. LXXII. 6.* בימי של מלך המשיח יהיה ישראל בהבטחה גדולה ובשלום איך כמוהו : *Sub Regis Messiæ regno Israelitæ in summa erunt securitate & pace, cui nulla alia similis est*. Et paulo post *ad v. 7.* cum abundantia pacis futura dicitur, donec non sit luna : על מלך המשיח הוא כמשמעו שבכל ימי עולם יהיה שלום : *De Rege Messiâ*, inquit, *hæc literaliter accipienda sunt, siquidem per ipsum omnibus mundi diebus pax erit*. Similia idem habet *ad Mich. V.* 5. Cur ergo Messias gladio cingendus *Psal. XLV.* 3. Respondet idem Rabbi *ad eum locum* : אע׳פי שימי המשיח יהיה שלום כמו שהתנבאו הנביאים בתחילת מלכותו תהיה מלחמת גוג ומגוג : *Etsi Messiæ diebus omnimoda pax futura est, sicuti Prophetæ vaticinati sunt; initio tamen regni ejus erit bellum Gog & Magog*. Ut ut Parentis quoque sui expositionem improbet, qui metaphorice gladium de gloria & majestate acceperit. Sane enim ambigui hic sunt Rabbini, dum non pauci Messiam plane non præliaturum, sed in pace & tranquillitate universum terrarum orbem imperio suo moderaturum putant, atque ideo citatus Kimchi ipsum asino vehendum *Zach. IX. 9.* introduci scribit *in Comm. ad h. l.* להורות כי לא יצטרכו ישראל לסוסים ולרכב לפיכך אמר אחריו והכרתי רכב מאפרים וסוס מירושלים : *ut doceatur, non opus habere Israelitas equis & curru; propterea etiam statim sequi: Et exscindam currum ex Ephraim & equum ex Jerusalem*. Multum quidem de bello fabulantur, in quo Armillus succumbet, verum non Messiæ virtute, aut belli robore, sed *Dei* ignem cœlitus demittentis potentia interiturum ajunt. Sic enim fabulam enarrat Rabbi Mechir *Abkat Rochel lib. I. part. I. fol. III. col.* 3.4. יבא משיח בן דוד ואליהו הנביא עם הצדיקים ששבו ממדבר יהודה ועם כל ישראל הנקבצים ויבא לירושלים ויעלה במעלות בית הנשארת וישב שם וישמע ארמילוס שעמד מלך לישראל ויאמר עד אנה האומה הבזויה והשפלה הזאת עושין כן מיד יקבוץ כל חיילי אומות העולם ויבא להלחם עם משיח יי׳ ואז הק״בה אינו מצריכו למלחמה אלא אומר לו שב לימיני והוא אומר לישראל התיצבו וראו את ישועת ה׳ אשר יעשה לכם היום מיד הק״בה נלחם בהם שנאמר ויצא יי׳ ונלחם בגוים ההם כיום הלחמו ביום קרב · והק״בה מוריד אש ונפרית מן השמים שנאמר ונשפטתי אתו בדבר ובדם וגשם שוטף ואבני אלגביש וגו׳ מיד ארמילוס הרשע ימות הוא וכל חילו. ואדום הרשעה שהחריבו בית אלהינו והגלונו מארצנו. ובאותה שעה יעשו בהם ישראל נקמות גדולות שנאמר והיה בית יעקב אש ובית יוסף להבה ובית עשו לקש וגו׳ : *Veniet Messias Davidis filius Elias propheta cum justis e deserto Judæ revocatis, cumque omnibus Israelitis undecunque collectis, & Jerosolymam intrabunt. Ipse autem palatium quondam derelictum gloriosus conscendet, ibidemque residebit. Audiet hoc Armillus, quod Regem acceperint Israelitæ, & quousque tandem, inquiet, populus ille spretus contemtusque sic procedit? Statim igitur omnes gentium mundi exercitus convocabit, venietque cum Messia præliaturus. At Deus tunc efficiet, ne opus ille habeat in bellum egrediendi, sed dicet ei potius e* Ps. CX. 1. Sede ad dextram meam. *Ille ergo ad Israelitas suos conversus* : Consistite *saltem, inquiet, & intuemini salutem* Domini, *quam vobis hodie præstabit. Tunc absque mora* Deus *adversum eos ipse pugnabit, prout dictum est*. Zach. XIV. 3. Et exibit Dominus pugnaturus cum gentibus illis, sicut tunc cum pugnaret die conflictus. *Demittet autem* Deus *e cœlo ignem & sulphur, juxta illud* Ezech. XXXVIII. 22. Contendam cum eo peste & sanguine, atque imbrem inundantem, & lapides grandinis, itemque & sulphur demittam super eum. *Hinc statim Armillus impius morietur, ipse inquam, & totus ejus exercitus, & Romani impii, qui templum* Dei *nostri desolarunt, nosque e regione nostra exules abduxerunt. Sic illa hora egregiam de suis hostibus vindictam sument Israelitæ, implebiturque illud quod* Obad. vers. 18. *scriptum est*: Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau stipula, &c.

(26) Nullius Miraculi patrator. Ecce vero, ut hic quoque varient! Nam sextum Messiæ criterium R. Abarbanel : בענין הנסים והנפלאות *in miraculis & prodigiis ab eo edendis* reponebat, ipsique Targumistæ eum thaumaturgum fore observarunt *Psal. XVIII. 32. Mich. V.* 18. & alibi. Consulant Auditores nostri, quæ de miraculis Messiæ olim pro lectione publica ex professo diximus cæteri conferant Hottingerum *append. I. Gramm. Chald. Syriac. pag.* 161. *seqq.* & Vorstium *not. ad Majem. de fundam. Legis pag.* 109. *seqq.*

(27) Nec mortalis. Videtur Schikardus mentem Majemonidis, cujus solius auctoritate hic nititur, non satis penetrasse. Non enim simpliciter Rabbi negat, mortalem fore Messiam; sed negat saltem in bello succubiturum & interficiendum, sicuti Ben-Cosba occisus est, quem naturaliter moriturum, rebus Messiæ bene gestis credebant. Sic enim diserte Majemonides de eodem, (de quo hic *in Hilck. Melachim* agit,) Messia scribit *in Comm. ad Sanhedr. fol. CXX. col.* 1. והמשיח ימות וימלוך בנו תחתיו וכן בנו באר הנביא את מיתתו לא יכהה ולא ירוץ עד ישים בארץ משפט ויארך מלכות ימים רבים עד מאד וארכו חיי בני האדם גם כן לפי שבשיסורו הדאגות והיגונות יארכו ימי אדם : *Cæterum Messias morietur, & regnabit post ipsum filius ejus, hinc* isto quoque demortuo *nepos*, & sic porro secuturi posteri. *Jam pridem vero mortalitatem ejus exposuit Propheta*, Jesa XLII. 4. Non caligabit, nec frangetur, donec ponat in terra judicium. *Ipsum autem Regnum ejus temporibus longe plurimis durabit, similiterque vita hominum erit longæva, siquidem cum mœrores animi & molestiæ removentur, dies hominis prolongari solent*. Alias hæc vulgi Judæorum fides est, Messiam Davidis filium, de quo solo hic agitur, fore immortalem; Alterum vero, qui prior aderit, quem filium Josephi vocant, omnino mortalem & violenta quidem morte periturum credunt. Et de hoc Josephi filio intelligendus est R. Mechir *in Abhkat Rochel f. III. col.* 2. יהרג משיח ה׳ ובאין מלכי השרת ונוטלין אותו ומטמונים אותו עם אבות העולם : *Interficietur Messias Domini, & aderunt angeli administratorii eumque ablatum apud patriarchas tumulabunt*. Et quibusdam interpositis : מיד יברחו כל ישראל במדברות וכל מי שלבו מסופק בדינו הוזר על אומות העולם ואומרים זו הגאולה שאנו מחכים לה שהמשיח נהרג : *Tunc omnes Israelitæ in deserta confugient, & quicunque in religione sua hæsitaverit, ad ipsas mundi gentes relabetur. Dicent autem : Hæccine est redemptio, quam nos expectabamus, siquidem ipse Messias trucidatus est?* Similis fere querela illi discipulorum Emauntem pergentium *Luc. XXIV.* 20. 21. quem locum non male hic illustraveris, si præsertim a priscis Hebræorum, figmento hoc de duplici Messia, delineatum supponas duplicem Messiæ statum, exinanitionis & exaltationis, quod postea recentiores in mera deliria converterunt : quam sententiam prolixe refert Matth. Flacius *part. II. Clav. tr. IV. fol.* 407. *seqq.* non improbatam Hackspanio *cap. II. de script. Rabb. ad Lipmann. pag.* 352. cujus discipulus Sebald. Snellius aperte tuetur *in Exam. Comm. R. Abarban. ad Obad. thes. CLXI. p.* 124.

(28) Desiderant. Huc forte non incommode referas auream Judæorum simiam, quam ipsi sic vocant, quæ animum addit, & spem adimplendi desiderii confirmat : h. e. promissionem illam *Levit. XXVI.* 41. *seqq.* in qua non sine emphasi vocula אף quæ Germanis *simiam* sonat, aliquoties repetitur. Conf. Ant. Margarit. *in relig. Judaic. p.*

2. Helvicum *Append.* IV. *Elenchor. Jud. Tom.* IV. *Dispp. Giess. p.* 378. Glassium *lib.* III. *Philol. S. p.* 592. (805.) Waltherum *in Spong. Mosaic. p.* 864. *seqq.* Gerhardum *LL. Th. de extremo Judicio* §. 110. Havemannum Begeleuchte *part.* I. *c.* 3. *p.* 23. Mullerum *lib.* I. *Judaism. c.* XVII. *p.* 528.

(29) Formulam. Eadem in *Seder. tphillos p. m.* 7. *a.* precibus matutinis inserta est, & passim ibi id genus formulæ sequuntur v. g. את צמח דוד עבדך מהרה תצמיח וקרנו תרום בישועתך כי לישועתך קוינו כל היום ברוך אתה יי׳ מצמיח קרן ישועה: *Germen Davidis servi tui cito progerminare jubeas, & cornu ejus exaltes cum salute tua. Nam in salutem tuam speramus quotidie. Benedictus esto o* Domine, *qui progerminare jubes salutem.* Item: הרחמן הוא ישבור עול גוים מעל צוארינו והוא יוליכנו לארצנו: *Misericors ille confringat jugum gentium de cervicibus nostris, & reducat nos in terram nostram.* Alia: נגילה ונשמחה בישועתך והביאנו לשלום קבץ קווך מארבע כנפות הארץ: *Nos exultabimus & lætabimur de salute tua; tu autem perducito nos ad pacem, congrega expectantes tuos ex quatuor terræ plagis,* &c. Solent vero etiam subinde has formulas inspergere, quoties vel templi, vel rituum non alibi, quam in templo usitatorum aliqua mentio incidit ut cum R. Salomo ben Wirga *in Schebhet Juda f.* LXXIII. *col.* 1. paschalis victimæ meminisset, mox istud suspirium annectit: האל יזכני לראות בבנין בית קדשנו ותפארתנו ועבודת אלהינו כימי עולם וכשנים קדמוניות אמן: *Utinam Deus me dignum habeat, ut videam structuram templi sanctitatis nostræ, & decoris nostri, & cultus divini, qualis olim, & annis superioribus fuit! Amen!* Idem videas in editione Hebræo-Germanica *fol.* LXVI. *col.* 1. Georg. Genzius *in Histor. Judaic. p.* 388. 389. sic formulam exprimit: *Faxit* Deus Optimus Maximus, *ut mihi videre aliquando contigat fabricam sanctissimæ & gloriosissimæ urbis, Deique nostri cultum, qualis ille olim florente imperio nostro viguisse dicitur, hoc opto, hoc voveo, tu maxime* Deus, *fac me hujus voti compotem.* Conf. supra *pag.* 300.

(30) Solius Sapientiæ, non voluptatis causa. Hoc idem Majemonides alibi sæpius inculcat. Hal. Tschubba *cap.* IX. §. 2. *fol. L. col.* 1. מפני זה נתאוו כל ישראל נביאיהם וחכמיהם ימות המשיח כדי שינוחו ממלכיות שאינם מניחות להן לעסוק בתורה ובמצות כהוגן וימצאו להם מרגוע וירבו בחכמה כדי שיזכו לחיי העה״ב לפי שבאותן הימים תרבה הדעה והחכמה והאמת: *Propterea omnes Israelitæ & Prophetæ ac sapientes eorum, dies Messiæ desiderarunt, ut quiescant a regnis, quæ ipsis nullam hic quietem concedunt ad vacandum legis studio & præceptorum observationi, prout decet: utque requiem sic impetrati sapientiæ incrementa sumant, qua digni fiant vita futuri sæculi: siquidem illis diebus scientia, & sapientia, & veritas multiplicabitur.* Clarius adhuc *in Comm. ad Sanh. f.* CXX. *c.* 1. אין אנו מתאוים ומקוים לימות המשיח לרוב התבואות והעושר ולא שנרכב על סוסים ולא לשתות יין במיני הזמר כמו שמחשבים מבולבלי הדעת אבל התאוו הנביאים והחסידים ימות המשיח ורבתה התשוקתם אליו למה שיהיה בו מקבוץ הצדיקים והנהג׳ הטובה והחכמה וצדק המלך ורוב יושרו והפלגת חכמתו וקרבותו אל האלהים כמו שנ׳ ה׳ אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך ועשיית כל מצות תורת משה רבינו עליו השלום מאין התרשלות ועצלה ולא אונס כמו שנאמר ולא ילמדו עוד איש אל אחיו ואיש אל רעהו כלם ידעו אותי מקטנם ועד גדולם וגו׳: *Non desideramus aut expectamus dies Messiæ ob amplitudinem proventuum & divitiarum, neque ut magnatum instar vehamur equis, aut bacchanalia vivamus inter varia musicæ oblectamenta; sicuti confusi intellectu existimant; sed Prophetæ aliique viri sancti adventum Messiæ ideo maximo desiderio votisque ardentissimis anhelarunt, quod scirent tunc futuram congregationem justorum, adeoque optimam cum iis conversationem, & sapientiam, ac Regem fore justum, & æquitate amplissimum, & sapientia incomparabilem, & Deo ipsi cognatione proximum, teste Scriptura* Psal. II. 7. Dixit Dominus ad me, Filius meus es, hodie te ego genui. *Fore præterea accuratam observationem omnium præceptorum Legis Mosaicæ, absque intermissione & negligentia, & sine omni coactione, prout dicitur* Jer. XXXI. 34. *Nemo docebit fratrem aut proximum suum, sed omnes me cognoscent a minimo inde usque ad maximum, &c.*

(31) Hanc opinionem ipsis eripiendam. Atqui dubitat Antonius Margarita *in Religion. Judaic. pag.* R. *col.* 2. posse hanc opinionem Judæis ullis argumentis eripi. Audi verba sat dura in Judæos: Wenn alle Himmel und Erdreich Pergamen / und alle Wasser auff Erden mit sampt dem Mer Dinten / und alle Hölher Schreibefedern / und alle Einwohner des Erdreichs Schreiber weren / und schrieben alle Tage und Nacht / auf das allerfreundlichst / und brauchten eitel / wahre / klare / helle Schrifft wider die Jüden und ihre verstockte Hertzen / und probirten in solchem Schreiben den wahren Christlichen Glauben / daß der Moschiach kommen were / der aller Menschen Sünde auf sich genommen hat / würde man dennoch nicht einen Jüden zum Christlichen Glauben bewegen. Ne vero quis insolentia formularum offendatur, sciendum, hunc proselytum (in Judaismo enim natus educatusque postea ad Christum conversus, & meus jam ante sæculum in professione Hebræa antecessor fuit,) cum Talmude loqui, in cujus Massech. Scabbath *fol. XI. col.* 1. eadem formula exaggerandi: אם יהיו כל הימים דיו ואגמים קולמוסים ושמים יריעות וכל בני אדם לבלרין אין מספיקין לכתוב חללה של רשות: *si omnia maria atramentum, & omnes junci calami, & universum cœlum membrana, & omnes homines scribæ essent; non tamen sufficerent ad scribenda Rerumpublicarum arcana.* Unde passim ad alia atque alia exaggeranda applicant.

(32) Reservans. Reservarat ea Triumphatori suo vapulanti, quem tunc ab eo doctissimi quique efflagitabant. Sed mors præpopera illum nobis invidit, neque spes ea, quæ mediatus jam fuerat, impetrandi superest. Eundem postea laborem in Belgio susceperat Nobilissimus Constantinus L'Empereur ab Oppyck; sed eadem hunc cum Schikardiano fata manserunt.

(33) Primo. Hoc argumentum a regimine Judæorum ablato, itidem urgent Raimund. Martini *part.* II. *Pug. Fid. Cap.* IV. *f.* 250. *seqq.* Galatinus *lib.* III. *de Arc. Cath. Ver. c.* IV. V. VI. VII. VIII. *fol.* 139. *seqq.* Jac. Altingius *libris quinque Schilo inscripti passim*, & quotquot fere Disputationibus Anti-Judaicis ad vaticinium Jacobæum *Gen. XLIX.* 10. deferuntur ubi laudata hic testimonia Talmudico-Rabbinica sæpius repetita videas.

(34) Domus Congregationis Scholasticæ fiet Lupanar. Conferas hoc *Christi* verba, quibus profanationem Templi ex *Jes.* LVI. 7. & *Jer.* VII. 11. Judæis exprobrat *Matth.* XXI. 13. Non minus enim בית הועד ה׳ *Domus conventus* Domini templum, quam Synagogam notat. Quanquam ibi Glossa Talmudica: בית הועד מקום שתלמידי חכמים מתוועדים שם ללמוד תורה: *Domus conventus h. l. significat locum, ubi studiosi conveniunt ad discendum legem.* Solent enim Judæi hoc Talmudicorum dictum de summa vastitate postremis hujus præsentis captivitatis temporibus, imminente Messiæ adventu, futura interpretari, quam veteres tantam fore prædixerint, ut Synagogæ passim inter Christianos aliosque gentiles ab ipsis erectæ lupanaria fiant.

(35) Fluvius Galil exsiccabitur. Male. Textus Hebræus habet: והגליל יחרב quod est: *& Galilæa vastabitur.* Secutus est Schikardus Christianum Gersonem, & ab eo ita seductus, quippe qui prior *in Chelek p.* 103. sic reddiderat: Und das Wasser *Galil* wird austrucken / sola verbi חרב ambiguitate, (siquidem utrumque, & *exsiccari* & *desolari* notat) deceptus. Quis vero fluvius Galil? Atqui גליל *Galilæa* est, in qua tempore *Christi* maxima clades facta, ut non male hæc referre queas ad *Luc.* XIII. 1. & *Act.* V. *vers.* 37.

(36) Locusque Gablan. Coccejus *in Excerptis p.* 344. הגבלן reddit *Gabalene*. Glossa Talmudica: הגבלן מקום ששמו כך *Gablan est locus hoc nomine insignitus.* Hanc sequitur Gerson *l. c.* und der ort Gablan wird wüste werden / & eum noster. Obiter nota, in editione Talmudis Amstelodamensi glossam istam pro הגבלן habere הגליל, quod lectorem minus attentum facile seducet. Spalma esse, apparet ex Beth Israel *part.* II. *fol.* CXCIV. *col.* 4.

(37) Viri Limitum. Quinam illi? Glossa Talmudica binas expositiones adfert: אנשי גבול אנשי גבול ארץ ישראל ל״א אנשי סנהדרין: *Viri limitum sunt, qui limites terræ Israeliticæ incolunt; alii vero dicunt, esse Synedriales.* Noster utramque jungit. Sed cur Synedriales dicerentur viri limitum? altum hic omnes, quos vidi, silent. Crederem, אנשי גבול dici incolas illius loci, qui modo גבלן vocabatur, Rabbinis, æque ac viri illi, ignotus. *Gablan* autem a Gemaristis vocari regionem Jerosolymitanam, Arabica voce, quasi *montanam*, (Arabibus enim جبل *mons* est,) prout Straboni Solymorum regio *καβαλαΐς Cabalais*, & Solymi *Caballenses* nominantur, Σολύμυς δ' εἶναι φασὶ τὺς καβαλεῖς, *Solymos autem*, inquit, *Caballenses esse dicunt*. Etsi enim Solyma hæc Strabonis, quorum etiam Homerus meminit, alia sunt a Jerosolymis; communis tamen error auctorum, ipsiusque Josephi fuit, eadem esse Solyma, quod latius deduxit Bochartus *part.* II. *Geogr. S. Chanaan. lib.* 1. *cap.* VI. *fol.* 379. Videtur ergo mens Gemaristarum esse, *Templum* profanatum, & *Galilæam* devastatum, atque *Regionem Jerosolymitanam* desolatum iri, denique *hujus incolas* oppidatim circumituros.

(38) Jabne. R. Benjamin Tudelensis *in itinerario pag.* 51. משם ג׳ פרסאות לאיבלין היא יבנה ועדין נקראה מקום המורש ואין בה יהודים: *Exinde* (ab urbe *Gapha*, olim *Joppe* dicta) *tria milliaria sunt ab Ebalin, quæ olim Jabne dicebatur, ubi adhuc vestigia Synagogæ conspiciuntur, sed nulli amplius Judæi adsunt.*

(39) Ibi ordinavit Samuel orationem Hæreticorum. De ea vide omnino Buxtorfium *in Lex. Talmud. f.* 1201. & denuo *fol.* 2442. & Jac. Alting. *lib.* IV. *Schilo. toto c.* XXVI. *p.* 321. ubi late de occasione, qua ordinata est, de ejus auctore, de loco ubi concepta, agit, & ipsam denique orationem ex variis editionibus (nam metu Christianorum in ea subinde aliquid mutarunt) exhibet. Ejus præterea singularis opinio est, quam *toto capite sequente XXVII. p.* 327. confirmat, hunc Samuelem virulentæ hujus adversus Christi discipulos & omnes in universum Christianos precationis auctorem, non alium esse, quam Paulum Apostolum, Gamalielis discipulum, qui præceptoris hujus sui jussu illas preces conceperit. Conf. Ant. Margaritam *in Relig. Judaic. p.* 𝔖. 2. & iterum Buxtorfium *in Synagog. Judaic. c.* V. *p.* 160. *seqq.* & edit. auct. *c. X. p.* 209. *seqq.* præprimis autem R. Abrah. Sachuthum *in Juchasin fol. XXI. col.* 1.

(40) Templi portæ sua sponte sunt apertæ. Idem legitur in Gemara Massech. Joma *fol.* XXXIX. *col.* 2. ad cujus auctoritatem R. Gansius quoque hic provocat verbis a Schikardo omissis: putatque Buxtorfius *in recensione Operis Talmud p.* 218. *seqq.* miraculum innui, quod tempore passionis *Christi* contigit, cum templi velum sponte duas partes scinderetur *Matth.* XXVII. 51. *Luc.* XXIII. 45. quam conjecturam probat Casaubonus *in Anti-Baronianis, Exerc.* XVI. *num.* XCI. *p.* 571. reclamantibus licet omnibus, quæ utrobique occurrunt, circumstantiis. Aliud omnino prodigium videtur, descriptum cum primis a Josepho *lib.* VII. *de Bello Judaic. c.* XII. Porta nempe orientalis erat interioris templi, ænea eoque gravissima, quæ sub vesperam vix a viginti viris claudebatur, serisque ferro vinctis obserabatur, & pessulos altos habebat in saxeum limen, uno perpetuo lapide fabricatum demissos. Hæc media noctis hora sponte patuit, cumque res curriculo per templi custodes magistratui nunciaretur, adscendit ille, & vix claudere eam potuit.

(41) Quas increpavit Raban Johannes. Hebraice: וגער בהן רבן יוחנן quod vix aliter vertere queas, quam sicuti ab Auctore translatum est, id enim proprie sonant verba; ut mirer, quid in mentem venerit Guil. Vorstio, cum *in latina sua editione Chronologia hujus p.* 89. reddidit: *atque inter eas periit Rabban Jochanan*, quem tamen linea mox insequente, post quadraginta annos, quam hoc miraculum contigit, videt pro Zadoko apud Vespasianum intercessisse, ut medicorum suorum curam ipsi indulgeret. Atque evolvisset modo Vorstius Talmudicam Gemaram, quam cum Auctore suo, David Gansio, ipse allegat: כתאיתא ביומא פרק טרף *sicuti est in Joma, capite* (non *Thereb*, ut vitiosissime scribit Vorstius, sed) *Taraph*, quod est quartum hujus Massichtæ, *fol.* XXXIX. *col.* 2. offendisset Rabban Johannem, non pereuntem certe inter apertas templi portas, sed eas omnino increpantem. Memorabilis locus est, quare integrum recensebo. תנו רבנן ארבעים שנה קודם חורבן הבית לא היה גורל עולה בימין ולא היה לשון של זהורית מלבין ולא היה נר מערבי דולק והיו דלתות ההיכל נפתחות מאליהן עד שגער בהן רבן יוחנן בן זכאי אמר לו היכל היכל מפני מה אתה מבעית עצמך יודע אני בך שסופך עתיד ליחרב וכבר נתנבא עליך זכריה בן עדוא פתח לבנון דלתיך ותאכל אש בארזיך: *Tradiderunt Rabbini nostri, quadraginta annis ante templi devastationem sortem,* (quæ Divino nomine signata erat,) *non adscendisse in dextram,* (ad quam Principem Sacerdotum stabat,) *neque linguam coccineam* (ad caput hirci emissarii in die expiationis alligatam) *dealbatam fuisse: neque arsisse lucernam vespertinam; portas autem templi aperuisse se sua sponte,* (nec claudi potuisse,) *usque dum Rabban Johannes ben Saccai eas increparet, his verbis templum affatus: o templum, templum! quam ob caussam teipsum cum terrore commoves? novi ego de te, quod finis tuus futurus adsit, ut desoleris, cum pridem Zacharias filius Hiddo de te vaticinatus sit Cap.* XI. 1. Aperi, o libanon, portas tuas, ut consumat ignis Cedros tuas.

(42) Tunc etiam &c. Hunc locum neque Schikardus, neque Latinus Ganzii interpres Vorstius recte intellexisse videntur, quorum ille de phthisi morbo accepit, quo tot annos excruciatus sit Zadokus, eumque velut omen contabescentis Judaismi Judæis objicit; hic vero de alio gravioris morbi genere, delirio, in quod per illud prodigium inciderit, atque ita vertit: *ab illo tempore incepit R. Tzadok affligi* 40. *annis subsecutis, & fuit veluti mente captus.* Verum neutrum in Hebræo textu comparet. Verba hæc sunt: ומעת ההיא התחיל ר׳ צדוק להתענות מ׳ שנים רצופים והיה כחוש עד שרי״בז בקש וכו׳: quæ sic planissime ut sonant, transfero: *Atque ab eo tempore incepit R. Zadok jejunare quadraginta annos continuos, factusque est summopere macilentus, donec R. Johannes ben Saccai petiisset &c.* Et hoc voluisse R. Ganzium, patet e Juchasin *fol.* XXVI. *c.* 2. ubi eadem dilucidius proponuntur. נראה לי לפרש למה התענה רבי צדוק ארבעה שנה קודם חרבן הבית כדי שלא תחרב מהיכן ידע זה משום דאמרינן בגמרא דיומא כי מ׳ שנה וכו׳: *Visum mihi est, exponere hoc loco, quare R. Zadok totos quadraginta annos ante desolationem templi jejunio sese macerarit? Fecit nempe hoc ideo, ut desolationem averteret. At unde hoc novit, quod vastatio instaret? Inde, quod in Gemara Massech. Joma referunt, quadraginta annis, &c.* sequitur narratio illa totidem verbis, quibus eam modo e Gemara adduximus postea subjicitur: שהוא אות שיחרב הבית וכן בסנהדרין ובריש מסכת עבודה זרה כי ארבעים שנה קודם שנחרב הבית גלתה סנהדרין וישבה לה בחנות משום דנפישי רוצחים ולא דנו דיני נפשות: ומיד התחיל להתענות והיה כחוש עד כי רבן יוחנן בן זכאי בקש מאספיינוס שהרופאים שלו ירפאוהו וכו׳: *Hoc ipsum certissimum erat, vastatum iri templum. Similiter in Massech. Sanhedrin, & initio Massecheth Abhodah Sarah habetur, quod annis quadraginta, antequam templum destrueretur, synedriales migrarint e consueto loco, & in tabernis convenerint, ubi multiplicatis licet homicidis, non tamen judicia capitalia exercebant. Hinc statim ille incepit jejunare, factusque est summopere macilentus, usque dum Rabban Johannes ben Saccai a Vespasiano peteret, ut concederet ipsum a suis Medicis curari, &c.*

(43) Ad Pag. 100. quæ in hac editione numerus marginalis est, *pag.* 252.

(44) Secundo. Argumentum hoc ab imperio Romano, vide apud Raymund. Martini *part.* II. *Pugion. fidei, Cap.* IX. *fol.* 310. & Pet. Galatinum *lib.* IV. *de Arc. Cath. Verit. c.* XXV. *f.* 280. *seqq.*

(45) Nemo Judæus negare ausit. Imo diserta glossa R. Salomonis *ad h. l.* citante Raimundo *loc. cit.* מלכות הרשעה היא רומי *Regnum malignum est Romanum*; quam tamen in impressis reperire haud potui, metu Christianorum sine dubio omissam. Si-

mili astutia in Beth Israel *part.* II. *fol.* CXCVII. *col.* I. *editionis Veronensis*, cum ipsum illud Talmudicum dictum recensetur, ipsum nomen מלכות omissum est, quasi non de regno vel imperio aliquo, sed Judæorum impietate sermo esset: אין בן דוד בא עד שתפשט רשעה על ישראל וכו׳: *Non venit filius Davidis, donec malitia extendatur super Israel &c.* exigua interim circumspectione; siquidem ea vox in textu omissa, in glossa ibidem compareat.

(46) Edomiticum. Sic Romanum imperium & Christianos passim a Judæis vocari, manifestum est; de causa autem appellationis ipsimet inter se Rabbini non conveniunt, unde prolixam de ea Dissertationem scripsit R. Abarbanel nobis jam superius *pag.* 50. 51. memoratam, ubi plura in hanc rem videas, addasque auctoribus ibi allegatis Guil Vorstium *animadv. ad Pirke R. Elies. p.* 205.

(47) Subsumo. Subsumere vero porro liceat ex eodem Zæm. Dav. *eod. fol. col.* 2. pro Jesu nostro: ישוע נוצרי נולד בבית לחם יהודה פרסה ומחצה מירושלים בשנת נ׳ אלפים ותש״סא ליצירה והיא שנת מ״ב לקיסר אגושטו ולפי חשבון זה היה לדתו בימי ר׳ שמעון בן הלל ובימי ר׳ יוחנן בן זכאי וכו׳: *Jesus Nazarenus natus est Bethlemi Judææ, in urbe sesqui milleari distante Jerosolymis, anno termillesimo septingentesimo sexagesimo primo a creatione, qui ipse annus quadragesimus secundus est Cæsaris Augusti. Atque secundum hanc supputationem nativitas ejus in tempora R. Simeonis ben Hillelis & R. Johannis ben Saccai incidisset, &c.*

(48) Tertio. Argumentum hoc a Chronologia, habes apud Raim. Martini *par. II. Pug. fid. cap. X. f. 315. seqq.* Galatinum *lib. IV. de Arc. Cath. Verit. c. XX. f. 254. seqq.* Jo. Mullerum *lib. I. Judaism. c. XVI. pag. 497. seqq.*

(49) Traditio Elianorum. Tædet referre auctorum centurias, qui hujus traditionis meminerunt: ita nullus fere est, qui literaturam aut res Hebræorum attingit, qui non chronologia ista de sexies mille annis durationis mundi commemoret. Quod cum a Christianis toties repetetur, non mirum a Judæis sæpius inculcari, quorum tamen mira est circa duos postremos Messiæ millenarios interpretatio, quod illos jam propemodum præterlapsos conspiciant. Unum hoc notabimus, forte non ubivis obvium, quod Cabbalisticus Scriptor Baal hatturim initio statim Bibliorum Targumico-Rabbinicorum Basileensium *ad Gen. I.* 1. habet, e quo loco sex istos millenarios suo more, h. e. cabbalistice exsculpit, collatisque postea aliis scripturæ dictis dispecit. ו׳ אלפין יש בפסוק בראשית כנגד ששת אלפים שנה שהעולם הווה. וכן בפסוק אני יי׳ ראשון ואת אחרונים אני הוא ששה אלפין ובפסוק והארץ היתה תהו ובהו ב׳ אלפין כנגד ב׳ אלפים תהו. ובפסוק יי׳ קנני ראשית דרכו קדם מפעליו מאז יש שני אלפין בנגד ב׳ אלפי תורה. ובפסוק ויאמר אלהים יהי אור ויהי אור ד׳ אלפים כנגד ד׳ אלפי׳ ימי תורה וימי משיח שהם ימי אורה: *Sexies*, inquit, *occurrit litera Aleph in hoc versiculo, qui a voce* בראשית *incipit, juxta sex millia annorum*, (nam אלף Aleph *mille* sonat) *quibus mundus existit, similiter in dicto* Jesa XLI. 4. *Ego primus & cum ultimis ego sum, itidem litera Aleph* in Hebræo textu) *sexies reperitur. Porro in sequente* hujus Capitis I. Geneseos *versiculo* 2. qui incipit: *Et terra erat inanis & vacua, τὸ Aleph bis legitur, respiciturque eo ad duos millenarios, qui dicuntur Tohu*, quibus mundus absque lege scripta fuit. *Iterum in illo versiculo* Prov. VIII. 22. *Dominus possedit me initio viæ suæ, ante opera sua ex eo tempore; τὸ Aleph similiter bis extat, ad designanda duo millenaria Legis. Denique in versiculo tertio* Genes. I. *Et dixit* Deus, *fiat Lux, & facta est Lux; τὸ Aleph quater conspicitur, & respondet quatuor illis millenariis dierum Legis & Messiæ, quippe omnes sunt dies lucis.*

(50) Raf. Ketina. De hoc dicto Raf Ketinæ: שית אלפים שני הוי עלמא וחד חריב: *Sexies mille annos durabit mundus, & uno vastabitur*, diximus prolixe, cum doctrina Hebræorum de Consummatione sæculi pro lectione publica exponeremus.

(51) Ut perperam vulgo existimant. Imo ex ipsis Judæis Lusitanum *in Colloq. Mittelburg. MSC. fol. L.* id statuere, ostendit B. Mullerus *in Judaismo lib. I. cap. XVI. pag.* 498.

(52) Verba sonant. Præmittitur immediate in Gemara, alia huic similis traditio R. Chaninæ: א״ר חנינא אחר ארבע מאות לחורבן הבית אם יאמר אדם לך קח שדה שוה אלף דינרים בדינר אחד אל תקח: *Dixit R. Chania, si tibi elapsis a vastatione templi quadringentis* annis *qui diceret, eme hunc agrum, mille denariis valentem, uno denario ne emas.*

(53) Sin & iste &c. Testimonia hæc habes in Cocceji *excerptis pag.* 347.

(54) Raf inquit. Coccejus *in Excerpt. Sanh. pagin.* 351.

(55) A Pœnitentia & bonis operibus. Tantum non unicum hoc est modernorum Judæorum effugium, quod totidem verbis expressit R. Menass. ben Israel *lib. III. de Resur. mortuor. c. III. p.* 268. cum Talmudicum istum post temporum supputationem, quæ tempus Messiæ adventui destinatum præteriisse dictabat, in lamentationes & quærelas, quibus populi peccata sufflaminis tardati Messiæ adventus incusarentur, erupisse direxisset: *Et profecto verissimum est*, inquit, *si israelitæ serio factorum suorum pœnitentiam egissent, Messiæ adventus non fuisset procrastinatus; at nunc quia profunde immersi jacent hærentque defixi in vitiis & peccatis suis, hinc est, quod differatur beatitudo illa usque ad finem dierum.* Quin imo huc illud *Cant. V.* 2. Aperi mihi Soror mea: in antiquo Schir haschirim Rabba *fol. XXVIII. col.* 4. accommodatur: רבי יסא אמר אמר הק״בא לישראל בני פתחו לי פתח אחד של תשובה כחודה של מחט ואני פותח לכם פתחים שיהיו עגלות וקרניות נכנסות בו (potius בהן). ר׳ תנחומא ור׳ הונאי ור׳ אבהו בשם ר״ל כתיב הרפו ודעו כי אנכי אלהים וגו׳. אמר הק״בה לישראל הרפו ממעשיכם הרשעים ודעו כי אנכי אלהים׃ ר׳ לוי אמר אלו היו ישראל עושין תשובה אפילו יום א׳ מיד הם נגאלין ומיד בן דוד בא. מה טעם כי הוא אלהינו ואנחנו עמו וצאן מרעיתו היום אם בקולי תשמעו: *Rabbi Jose tradidit, dixisse* Deum *ad Israelitas: o Filii mei, aperite mihi portam saltem unicam pœnitentiæ, quantum foramen acus patet, & ego vobis portas apertam, per quas currus & carpensa ingrediantur. Tanchuma, & R. Chunai, & R. Abbu nomine Resch Lakisch illud* Psalmi XLVI. 11. Remittite & cognoscite, quod ego Deus sim, *singulariter attenderunt, dixisse nempe* Deum *ad Israelitas: Remittite ab operibus vestris malis, & cognoscite, quod sim* Deus. *Addit R. Levi: si Israelitæ pœnitentiam agerent, vel unico duntaxat die, confestim redimerentur, & absque mora veniret Messias Davidis filius. Ubi hujus, inquias, asserti probatio? Resp. in illo* Psalmi XCV. vers. 7. *Nam ille est* Deus *noster, & nos sumus populus ejus, & grex pascui ejus, hodie si vocem ejus audiveritis.* Similiter vide in Abkath Rochel *lib. I. part. II. fol. IV. col.* 2. & apud Hulsium *in Theol. Judaic. p.* 235.

(56) Huc pertinet. Est hoc quartum argumentum, a propria confessione petitum, quod ex parte habes in Raimundi *Pugione part. II. cap. VI. fol.* 281. Adde Ligtfootum *Hor. Hebr. in Matth. II.* 1. *p.* 23. *seqq.* ubi insigne Gemaristarum Jerosolymitanorum pro Messia jam olim nato testimonium, simulque alia, quæ præcedentia illustrant.

(57) R. Jehosua Fil. Levi. Coccejus *in Excerpt. Sanh. p.* 355. 356. Gerson *in Chelek. p.* 120. 121.

(58) Scripsisse. Vide Buxtorf. *de abbrev. Hebr. in* רש״בי *pag.* 190. *seqq.* ubi ista late e Talmude ipso refert.

(59) R. Josua vivus illuc transvolavit? Sic est omnino juxta Rabbinos, prout habetur in Gemara Babilon. Massech. Ketubhoth *fol. LXXVII. col.* 2. & extat præterea prolixa narratio de hoc R. Josuæ in paradisum ingressu, mantissæ loco subjuncta libro Schebhile halleket *fol. LV. col.* 1. *seqq. edit. Venet. de anno 306. i. e. CHR.* 1546. e qua hæc pauca accipe: כששמע רבי יהושע כך אמר לו מבקש אני ממך שתראני מקומי בגן עדן אמר לו לך עמי ואראהו לך אמר לו רבי יהושע תן לי החרב שלך שלא תבהילני בו מיד נתן לו החרב והלכו שניהם עד שבאו אצל חומות גן וכשבאו אצל חומות גן עדן חוץ לחומה לקח מלאך המות את רבי יהושע והגביהו והניחו על חומות גן עדן אמר לו ראה מקומך בגן מיד קפץ ר׳ יהושע בן לוי מן החומה ונפל בגן עדן ואחז מלאך המות בכנף מעילו אמר לו צא משם בשבע רבי יהושע בשם שאינו יוצא מכאן דלא היה רשות למלאך ליכנס שם

שם וכו׳ : *Cum audiret R. Josua* ex mortis angelo ad ipsum misso, quod moriendum sibi esset, *ita ad eum: Rogo te, inquit, ut ostendas mihi locum meum post mortem mihi in paradiso paratum. Cui ille: veni mecum, & ostendam tibi. Sed R. Josua ad eum: da mihi, inquit, gladium tuum, ne me forte illo terreas. Dedit ergo & hunc illi, atque sic ambo processerunt, donec ad muros paradisi pervenirent. Cum autem eo pervenissent, & extra murum adhuc consisterent, sumit angelus mortis R. Josuam, eumque in altum tollit, & muro imponit paradisi: Vide nunc, inquiens, locum tuum in hoc horto. Statim subsiliit R. Josua ben Levi de muro, & in paradisum cecidit; & apprehendit quidem angelus mortis oram pallis ejus, atque: exi inde; sed jurabat R. Josua per* Deum, *quod non esset inde exiturus, neque tamen angelo mortis illuc ingredi licitum erat, &c.* Ibi ergo R. Josua omnem paradisi conditionem, & cuncta ejus conclavia perlustrabat. In primo offendebat proselytos justitiæ, sub præfectura Obadiæ justi: in secundo peccatores per pœnitentiam conversos sub præfectura Manassis filii Hiskiæ: in tertio Abrahamum, Isaacum, Jacobum, omnesque Israelitas, qui olim ex Ægypto exierant, quique in deserto obierant, & omnes Davidis liberos excepto Absalomo, Davidem ipsum & Salomonem atque omnes Reges Juda, præter Manassen Hiskiæ filium, utpote pœnitentibus in secundo conclavi præfectum; præerat autem his Moses & Aharon. In quarto conclavi reperit perfecte justos & fideles: in quinto omnium splendidissimo Messiam filium Davidis & Eliam: in sexto mortuos in via præcepti: in septimo denique mortuos ægritudine propter Israelitarum iniquitates. Singula hæc conclavia operose describit, in primis quintum Messiæ & Eliæ proprium, cujus magnificentiam postquam mirifice deprædicasset, addit: ואליהו זכור לטוב נוטל ראשו של משיח ומניחו בחקו ואומר לו חחדש כי הקץ קרוב ואבורת העולם והשבטים כלם ומשה ואהרון ודוד ושלמה וכל מלך ומלך בישראל ומבית דוד כל שני וחמשי וכל שבת ויום טוב באים אליו ובוכים עמו ומחזיקים אותו ואומרים לי דום והשען בבוראך כי הקץ יקרוב ואף קרח ועדתו ודתן ואבירם ואבשלום באין אליו כל יום רביעי ושואלים אותו עד מתי קץ הפלאים ומתי תשוב תחיינו ומתהומות הארץ תשוב תעלינו והוא אומר להם לכו אצל אבותיכם ושאלו להם וכששומעין כך מתביישין ואינם שואלים אל האבורת : *Elias autem Messiæ caput blande apprehendens in sinum suum placide deponit, atque ad eum, bono, inquit, animo esto, nam terminus prope est. Patriarchæ etiam & omnes tribus, Mosesque & Aharon, & David atque Salomo, ac singuli denique Reges Israelitici & Davidici, quolibet die secundo & quinto, singulisque Sabbathis ac festis diebus ad eum veniunt, cumque eo flentes tandem animum addunt, sic eum affati: Quiesce modo,* o Messia, *& innitere creatori tuo, nam terminum* adventus tui *propinquus est. Quin etiam Korah & congregatio ejus, ac Dathan atque Abiram, & Absalom ad eum quolibet die* in hebdomada *quarto accedunt, & quærunt ex eo: quando nam erit terminus purgatorii nostri? & quando nos iterum vitæ restitues, atque ex his terræ abyssis reduces? quibus ille: abite, ait, ad patres vestros, eosque rogate; quo audito pudore suffusi, patres rogatum non accedunt.* Quid plura? וכשבאתי אצל משיח שאל אותי ואמר לי מה עושין ישראל בעולם שבאת משם אמרתי לו הם מחכים אותך בכל יום מיד הרים קולו בבכיה : *Ego autem*, inquit porro R. Josua, *cum pervenissem ad Messiam, quæsivit ex me atque ita dixit: quid faciunt Israelitæ in mundo, e quo huc advenisti: cui respondi: anxie te quotidie præstolantur; tunc ille statim in lacrymas & ejulatum solvebatur.*

(60) Hillel Christi coætaneus. Quod pace Schikardi dictum sit, non fuit *Christi* coætaneus Hillel ille, cui hoc dictum in Gemara tribuitur: eum enim absque *Rabbini* titulo simpliciter הלל *Hillelem*, vel הלל הזקן *Hillelem Senem* vocare consueverunt; sed fuit alius quidam minoris auctoritatis Rabbi, qui diu post ultimam urbis & templi devastationem vixit, ceu pridem *in Philologemate de Asino Messiæ* §. V. p. 8. notavimus. Ipsum autem hoc dictum R. Hillelis variis expositionibus & conciliationibus Rabbinorum obnoxium fuit, quas vide cum in Caphtor Vaphærach *Seder Nesik. Sermone XXXIV.* *fol. CXLIII. col.* 2. tum in Guil. Vorstii *notis ad R. Abarb. Rosch Amanah p.* 65. *seqq.* nam utrobique de eo agitur ex instituto. Adde Pocockium *not. Miscell. ad Portam Mosis cap. VI. p.* 111. & 112.

(61) Devorarunt illum. Similiter Gerson in *Chelek p.* 127. *R. Hillel* sagte/ Israel wird keinen *Messiam* bekommen/ denn sie haben ihn schon aufgefressen in den Tagen *Hiskia*. & denuo *p.* 130. denn sie haben ihn schon gefressen. Quid vero est: *devorarunt Messiam?* nempe radix אכל, quæ Hebræis est *comedere*, apud Talmudicos notionem *fruendi* & *potiundi* habet, quod aliis exemplis illustrat Coccejus *notis ad Excerpta pag.* 378. adeoque אכלוהו h. l. non est *comederunt illum*, sed *potiti sunt eo*.

(62) Calculum diris omnibus devoveant. Vide nostrum in Bechinath happeruschim *pag.* 104.

(63) א״ר יוחנן Dicere solitum R. Johannem. In ipso Codice Talmudico *fol. XCVII. col.* 2. lego: א״ר יונתן *dicere solitum R. Jonathanem*, eadem lectio & in Beth Israel *part. II. fol. CXCV. col.* 3. & in Cocceji *excerptis p.* 349. & in Voisinii *Observat. ad Pug. fol.* 212. *b.* neque ullibi *R. Johannem* invenio, nisi in Gersonis *Chelek p.* 110. *R. Samuel Bar Nachmeni* sprach/ R. Jochanan hatte gesagt/ die ienigen sollen geschwellen/ die das Ende rechnen/ ut plane suspicer, Gersonem αβλεψίᾳ lapsum, Nostrum seduxisse.

(64) Offendicula. Hujus generis objectione Judæorum contra Messiæ aventum promunt ac solvunt Raymundus *inde a Cap. XI. part. II. pugion. fol.* 323. *seqq.* & Galatinus *toto libro V. de Arcanis Cath. Ver. f.* 293. *seqq.*

(65) Melachim C. XI. §. 6. Totus hic locus, quem & Coccejus *in not. ad Excerpt. pag.* 365. & Altingius *lib. IV. Schilo c. XIV. p.* 268. produxerunt, in mea editione (quæ Venetiis Anno של״ד i. e. *Christi* 1574. in quatuor Tomos divisa prodiit,) plane non comparet; neque id mirum, cum totum hoc Caput XI. miris modis castratum sit, in iis etiam Codicibus, qui integri credebantur, quod Pocockius *in not. Miscell. ad Port. Mos. c. VIII. p.* 343. 344. observavit, huc in primis conferendus. Quo etiam doctore novimus, Genebrardum totum hoc caput cum sequenti duodecimo latine a se versum, seorsim edi curasse, ut enarrante Maimonide scirent Christiani, quid de Christo Judæi scriberent; e qua Genebrardi versione partem hujus testimonii adfert. Verum in ipsa ea, uti & in iis codicibus, quibus Schikardus, Coccejus & Altingius usi sunt, & iste locus Christianorum metu a Judæis editoribus mutilatus est. Utut enim non obscurum sit, loqui recutitum de Salvatore nostro, (quæ ratio quoque fuit, cur in meo Codice prorsus omitteretur,) expressius tamen ipse olim Maimonides scripserat, אף ישוע הנוצרי שדמה שיהיה משיח : *Etiam* Jesus *Nazarenus, quem putarunt esse Messiam*, pro eo, quod legitur hodie אף אותו שדמהו שיהי משיח : *Etiam de illo, quem putarunt esse Messiam*: quam lectionem e gemino Codice MSC. tum Hebraico, tum Arabico Pocockius *loc. cit.* restituit.

(66) Spretum & neglectum. Confer Const. L'Empereur *ad R. Abarbanel. Comm. in Jes. LIII. p.* 53. *seqq.*

(67) Pseudo-Messiis. De iis operose egit David Christiani *in Dissertationibus de Messia, tota Diss. III.* quæ est de Pseudo-Messiis variis, quas sæculis diversis Judæi cœci ac cervicosi commenti & Messiæ axiomate dignati sunt, *inde a p.* 113. *seqq.* Conferatur Gerson *lib. I. Talm. Judic. c. IX. p.* 344. *seq.* Hornbeckius *lib. III. de Convincend. Jud. c. I. pag.* 209. *seqq.* Altingius *lib. IV. Schilo c. XI. p.* 249. *seqq.* Mullerus *lib. I. Judaism. c. XVI. p.* 506. *seqq.* Frid. de Weile *in Theatro Lucido. pag.* 40. *seqq.*

(68) Bar-Cochab. Vide Juchasin *fol. XXXV. col.* 2. Zemach David *part. I. fol. XLI. col.* 1. & in versione Vorstiana *pag.* 101. *seqq.* & ipsum Vorstium *in animadvers. ad h. l. Zemach. p.* 290. 291. Schalscheleth hakkabala *fol. XXIX. col.* 2. *seqq.* Raymundum *part. II. Pug. fid. c. IV. f.* 256. & *part. III. Dist. III. c. XVI. f.* 679. Voisinium *ad Pug. part. II. c. II. f.* 212. Galatinum *lib. IV. de Arc.*

Arc. Cath. Ver. toto c. XXI. f. 260. seqq. Buxtorfium *in Synagog. Jud. c. XXVI. p.*441. & in edit. novissime aucta *c. L. p.* 719. & *in Lexic. Talm. fol.* 1027. Hottingerum *in Histor. Eccles. Sec. II. sect. III. p. 67. seqq.* Camerarium *Cent. III. horar. subcisiv. c. XI. p.* 37. & quotquot de Pseudo-Messiis conferendos modo laudavimus.

(69) Bethoron. Eandem urbem, ביתר dictam, de qua sonus clamosissimus in Talmudicis, Raymundus *part. II. Pug. c. IV. §. XXII. f.* 261. similiter suspicabatur *Bethoron* vel *Betsuran* esse; vulgo tamen *Bitter* vel *Bither*, tantum non in omnibus Christianorum scriptis effertur. Vide Buxtorf. *Lex. Talm. f.* 371. *seqq.* Ostendit autem doctissimus Ligtfootus *Centur. Chorograph. c. LII. p.* 98. *Be-Tar* vel *Beth-Tar*, aut *Beth-Tera* reddendum, quod in Talmude Jerosolymitano sæpicule in eadem pagella, *Massech. Tahanith fol. LXVIII. col.* 4. *fol. LXIX. col.* 1. recurrat ביתתר, legendum, ut ipsi videtur, בית-תר *Beth-Tar*, & abjecto ת primo (quod in voce תני usitatissimum) ביתר *Be-Tar*, quod *domum Inquisitoris* notat. Lege omnino Ligtfooti *excerpta Talmudica cit. loc.* & adde Const. L'Empereur Annotat. Jacchiad. *in Daniel. p.* 241.

(70) Tempore Majemonidis. Hunc impostorem Maimonidis tempore ortum R. Ganz in Zemach & R. Sal. Wirga in Schebheth Jehuda vocant *David El-David*. R. Benjamin Tudelensis autem in itinerario suo *David Al-Rot*. Multa autem ac varia de eo referunt, quæ e Schebhet Jehuda Hebræo-Germanice Buxtorfius *ad finem Thesaur. Gramm. p.* 683. *seqq.* Latine Vorstius *in Observ. ad Chronolog. Ganz. p.* 300. *seqq.* recensent. Benjamini Tudelensis autem narratio legi potest in editione L'Empereuriana *p.* 91. *seqq.* & denuo Davidis Ganzii in Georgii Genzii *Historia Judaica pag.* 162. *seqq.*

(71) Epist. ad Judæos Massil. Extat hæc Epistola integra in Buxtorfii *Instit. in Append. Ep. XX. p.* 444. & illa ejus pars, quæ de hoc impostore Davide El David agit, in ejusdem *Thesauro Gramm. pag.* 689. quam Latio a Jo. Isaaco Levita Coloniæ Anno 1555. donatam Vorstius, observationibus suis ad Chronologiam Ganzii inseruit *p.* 292. 293.

(72) R. Læmlin. Vid. Vorstius *in Chronolog. Ganz. p.* 150. & quos de Pseudo-Messiis paulo superius citavimus, quippe qui omnes hunc quoque describunt.

(73) Vel tandem. Imo vero, ne ullo sæculo non seducti sint, neve vel tandem agnoscere velle videantur, frustrari sese spe venturi sui Messiæ, surrexit nostra hac ætate famosus ille *Sabbath Tzebbi*, cujus totam historiam nuperrime paulo plenius dedit Fridericus Ragstat de Weile, recens e Judaismo Christianus *in Theatro lucido p.* 30. & 42. *seqq.* planissime ob omnium oculos imposturam statuens, cujus tamen occasione Jo. de La Badiæ Ecclesiæ Gallicanæ Medioburgi tunc minister, jam novæ secte Altenoa surgentis choragus, judicium amoris & justitiæ super præsentem Judæorum statum, Messiam ipsorum concernens scripsit, novaque hac methodo universalem Judæorum conversionem, quam confitetur, promovere allaboravit.





R. ISAACI ABARBANELIS DISSERTATIO DE STATU ET JURE REGIO.

EXCERPTA EX EJUS COMMENTARIO

Ad Deuter. cap. XVII. *verf.* 14. 20. & *ad* 1. *Sam. cap.* VIII.

Ex Hebraico Latine reddita

A JOHANNE BUXTORFIO FILIO.

עתה ידבר הכתוב מהמדרגה השלישית
שהיא היותר עליונה שבמדרגו׳ המנהגה
האנישית והיא מדרגת המלך · וכבר חשבו
אנשים שהיתה ההנהגה הזאת מחודשת
ושלא נזכרה במה שעבר. אבל אני כבר
זכרתי שהמלך הוא מין ממיני השופטים
ועליון במדרגותיהם · ולכן גם הוא נכלל
באמרו עד האלהים יבא דבר שניהם .
וגם נזכר באמרו אלהים לא תקלל · וכן
דרשוהו רבותינו ז״ל על הורדוס המלך בריש
ב״ב. והנה נרמזה שיפת המלך באמרו כי יד
על כס יה מלחמה ליי׳ בעמלק מדור דור ·
וכתב עליו הרמ״בן ז״ל · והענין כי כשיהיה

DEuter. cap. XVII. a verſ. 14. ad fin. loquitur Scriptura de Tertio & ſupremo Regiminis humani gradu, qui eſt *Status Regius*. Exiſtimant multi, illud præceptum hic de novo plane eſſe traditum, neque antea ejus mentionem factam eſſe. Ego vero alibi dixi, Regem eſſe ſpeciem Judicum, illorumque Summum. Unde & Rex comprehenditur, quando dicitur, עד האלהים יבוא דבר שניהם *Ad Deos*, [h. e. ad Judices] *veniet cauſa amborum illorum*, *Ex.* 22. 8. Item, אלהים לא תקלל Diis [Judicibus] *non maledices*; *Ibid. verſ.* 27. quod Rabbini noſtri explicarunt de Herode Rege, in principio Bava baſra. Conſtitutio Regis quoque deſignata fuit quando dicitur; כי יד על כס יה מלחמה ליי׳

מלך בישראל יושב על כסא יי'. כמו שכתוב וישב שלמה על כסא יי' למלך. ילחם בעמלק. והוא רמז לשאול וכן מדור אל דור. לומר שכל מלך בישראל חייב להלחם בעמלק. ועל דרך הפשט נכון הוא. וגם זה דרך מדרש בגמרא שאמרו כשהוא אומר כי יד על כס יה מלחמה ליי' בעמלק הוא להעמוד להם מלך תחלה. ואין כס יי' אלא מלך שנאמר וישב שלמה על כסא יי' למלך כדאיתא בסנהדרין בפרק כהן גדול והוא פשט נכון במקרא הזה עד כאן לשון הרב. והתבאר מזה אם כפי המדרש ואם כפי דעת הרב על פי הפשט שאמרו כי יד על כס יה הוא רמז להקמת המלך. ולפי שנזכרה המצוה שמה ברמז ובקצור. הוצרך משה רבינו ע״ה לבאר כאן במצוה הזאת הדברים שיבאו בפרשה. ולפי שראיתי לחכמינו הקדושי' הראשוני' והאחרונים התקוטטו בזה. בענין המצוה הזאת לתת הטעם אם היתה שאלת המלך מצות עשה. איך חרה אף שמואל הנביא על ישראל בשאלם המלך ובעיני השם יתברך רע. ראיתי להרחיב בו הדבור ברוש הזה והתר הספק העשירי. כי בלעדיו לא נוכל לפרם כאשר עם לבבי. ועם היות שחבר כתבתי עליו בהרחבה רבה בפירושי לספר שמואל. הנה טבע הדרוש מחייב שיזכר בללותו במקום הזה. ואומר שבענין הזה נמצאו לחכמינו ז״ל ולמפרשים ד' דעות:

הדעת הראשון הוא לחכמינו ז״ל בספרי אמרו לא בקשו ישראל מלך אלא להעבודה לע״ם. שנאמר והיינו גם אנחנו ככל הגוים. ואומר מיום העלותי אותם מארץ מצרים עד היום הזה ויעזבוני ויעבדו לאלהים אחרים וגו'. והדעת הזה רחוק אצלי מאד לפי שאם

ליי' בעמלק מדור דור *Cum erit manus super thronum Jah, bellum Jehovæ cum Amalek, a generatione in generationem*, Exod. 17. 16. Ad quæ verba sic scripsit Rabi Moses ben Nachman: *Sensus est quod, quando futurus est Rex in Israele, sedens super throno Jah seu Domini*, (*sicut scriptum est;* Seditque Salomon super solio Jehovæ Rex pro Davide patre suo, 1. Chronic. 26. 23.) *pugnaturus sit contra Amalekitas; Quod intelligitur de Saule: & sic deinceps de generatione in generationem futurum; hoc est, omnes inposterum Reges in Israele debere pugnare contra Amalekitas. Et sic juxta sensum literalem exponi convenienter potest. Sed & per Medrasch ita explicatur in Gemara, quando ajunt; Quod dicitur;* Quum manus super thronum Jah, bellum Jehovæ cum Amalek; *id accipiendum de prima constitutione Regis. Nam* Solium, vel Thronus Jah, *nihil est aliud quam* Rex, *sicut dicitur;* Et sedit Salomon super solio Jehovæ in Regem; *uti hæc legere est in Tractatu Sanhedrin, in capite* כהן גדול fol. 20. 2. Et *hæc est expositio recta hujus loci*. Hactenus Nachmanides. Ex quibus patet, verba; *Quum manus super thronum Jah;* tam secundum sensum literalem, quam secundum allegoricum, loqui de Constitutione Regis. Quia vero præceptum hoc illic obscurius & brevius est propositum, idcirco necessarium judicavit Moses, hic illud clarius & fusius exponere. Et quia magnas apud nostros Doctores, tam veteres quam recentiores, vidi contentiones de Sensu Præcepti hujus; *An videlicet Petitio Regis fuerit Præceptum Legis Affirmativum*? h. e. Præcepto Divino Israelitis injuncta? (si enim hoc fuit, qua de causa Samuel Propheta ita exarsit contra Israelitas, cum petiissent Regem? quomodo item hoc in oculis quoque Domini malum fuit?) ideo paulo latius hic de ista Quæstione agere mihi proposui. Quamvis autem jam fuse eadem de re scripserim in Commentario in Samuelem; præsens tamen textus flagitat, ut hic quoque de ea agatur. Dico ergo, de hac re inveniri apud nostros Sapientes, & Bibliorum Expositores, *Quatuor Sententias*.

Prima sententia est Sapientum nostrorum in libro Siphre, ubi ajunt; *Non petierunt Israelitæ Regem, nisi ut doceret eos Cultum Idololatricum, sicut dicitur;* Et erimus nos quoque sicut omnes aliæ gentes: *Item;* Juxta omnia opera quæ fecerunt a die qua eduxi eos ex Ægypto, usque ad diem hanc, dereliquerunt me, & fervierunt diis alienis &c.

1. *Sam.*

היה כן לא היה הקרוש ברוך הוא ממלא שאלתם. ולא היה מספיק בידיהם ולא יאמר בערת מחר אשלח אליך איש מארץ בנימין ומשחתו לנגיד על עמי ישראל והושע את עמי מיד פלשתים כי ראיתי את עמי כי באה צעקתו אלי וגומר. יורה שהיתה ממלכתו הכרחית ומועילה לתשועת העם. ועוד כי כאשר אמר יתברך ועתה שמע בקולם אך העד תעיד בהם והגדת לכם משפט המלך. איך לא זכר דבר מהעכום אשר יעבדון. וזה ממה שי יורה שלא כוונו לעניז עכום חלילה. ומה שאמר והיינו גם אנחנו ככל הגוים לא אמרוהו לעניז עכום. כי אם לעניז המשפט והמלחמות כמו שאמרו מיד באמרם ושפטנו מלכנו ויצא לפנינו ונלחם מלחמותינו ומה שאמר ככל המעשי' אשר עשו לא היה להגיד שכוונו בזה לעכום. כי אם להודיע שהיו עוברים הנהגת שמואל. ושאין לתמוה על זה כי גם כן עזבו אבותיהם ההנהגה האלרים וילכו לעבוד אלרים אחרים שהיה הדבר יותר קשה.

והדעת הב׳ הוא גם כן לחז״ל בתוספתא דמסכת סנהדרין אמרו. זקנים שבדור כהוגן שאלו שנא׳ שומה לנו מלך לשופטנו ככל הגוים ועמי הארץ שבהם קלקלו שנאמר והיינו גם אנחנו ככל הגוים. מורה שהיה דעתם שלא חטאו בענם השאלה כי אם באופן הדברים אשר שאלוה וידמה על זה כוון הרמ״בם בספר שופטים הלכות מלכים פא. באמרו שהיה חטאם לפי ששאלו זו בתרעומת שלא לשם מצוה כי אם מפני שקנו בהנהגת שמואל וכו׳. וגם זה איננו שוה לי. לפי שהתורה כשצותה נשאלת המלך אמרת אשימה עלי מלך ככל הגוים אשר סביבותי. ואם ישראל דברו כדברי התורה מה פשעם ומה חטאתם. ועוד שב׳ הפסוקים שנויים בענינם. ר״ל הראשון שיחסו לזקנים שבהם.

1\. *Sam.* 8. 8. Hæc vero ſententia mihi valde videtur abſurda. Si enim ita fuiſſet, Deus neque impleviſſet petitionem ipſorum, neque facultatem hanc illis conceſſiſſet, neque dixiſſet; *Hoc ipſo tempore cras mittam ad te virum de terra Binjamin, quem unges in ducem ſuper populum meum Iſraelem, & ſalvum faciet populum meum de manu Philiſtæorum; reſpexi enim populum meum, quia venit clamor ejus ad me &c.* 1. *Sam.* 9. 16. His quippe verbis docet, Conſtitutionem ejus fuiſſe neceſſariam, & utilem ad ſalutem populi. Præterea, quando Deus dixit; *Nunc ergo audi vocem eorum: veruntamen, quando conteſtando conteſtatus fueris contra eos, & indicaris eis* משפט המלך *Jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos*; cur nullam mentionem facit Idololatriæ, cui ſe addicturi erant? Hoc ſane docet, illorum intentionem non fuiſſe Idololatriam. Quod dixerunt; *Et erimus nos quoque ut cæteræ gentes*, non intellexerunt de Idololatria, ſed de Judicio, & Bellis, unde continuo ajunt; *Et judicabit nos Rex noſter, pugnabitque bella noſtra*, 1. *Sam.* 8. 20. 21. Quod porro dicitur; *Juxta omnia opera quæ fecerunt*; non hoc vult; quaſi reſpexiſſent ad Idololatriam; ſed ad indicandum, quod averſati fuerint Gubernationem Samuelis, & quod hoc non mirandum ſit; cum etiam rejecerint patres ipſorum Gubernationem Divinam, & ſervierint Diis aliis, quod longe fuit gravius.

Secunda ſententia eſt quoque Sapientum noſtrorum in Toſaphta, ſeu Additionibus Tractatus Sanhedrin, ubi ajunt; *Seniores illius ſæculi Regem rite petierunt, ſicut dicitur*; Conſtitue nobis Regem, ad judicandum nos ſicut omnes gentes; *ſed Plebs & Vulgus eorum male petierunt*; ſicut dicitur; Et erimus nos quoque ut univerſæ gentes. *Hoc enim docet, illos non peccaſſe in ipſa petitione, ſed in modo rerum, quas petierunt*. Et ad hoc videtur reſpexiſſe Rambam in הלכות מלכים cap. 1. ubi ſcribit, *Ipſorum peccatum fuiſſe, quod petierint cum murmuratione & Indignatione; non ratione præcepti, ſed propterea quod faſtidierint regimen Samuelis* &c. Sed neque hoc mihi rectum videtur. Lex enim ipſa, præcipiens de petitione Regis, dicit; *Si dixeris, Conſtituam ſuper me Regem, ut omnes gentes, quæ ſunt in circuitibus meis*. Quod ſi enim Iſraelitæ loquuti ſunt ſecundum verba Legis, quæ fuit ipſorum prævaricatio, quod peccatum? Imo ambo illi verſus quos allegant, eundem ſenſum habent; *primus* eſt ille, quem adſcribunt Senioribus; *Conſtitue ſuper*

nos

והוא שימה לנו מלך לשפטנו ככל הגוים. ושב׳ שייחסו לעמי הארץ והיינו גם אנחנו ככל הגוים. ומה הקלקול שמצאו בפסוק הב׳ שלא יהיה בראשון שאמרו ששאלו בו כהוגן. ועוד כי הנה בשמואל אמר וירע הדבר בעיני שמואל כאשר אמרו תנה לנו מלך וגו׳. והוא ע״ה נהוכיחו אותם אמר ודעו וראו כי רעתכם רבה אשר עשיתם בעיני יי׳ לשאול לכם מלך. הנה לא אמר ככל הגוים ולא ששאלוהו בתרעומת כי אם בשאלת מלך סתם. והוא המורה שבאותה השאלה היה החטא:

והדעת הג׳ הוא להרמב״ן כפי׳ לא יסור שבט מיהודה. שאמר שהיה החטא במה ששאלוהו בימי שמואל והיה בזה אליו קלון וחרפה רבה והיותו שופט ונביא הש״י. והיו מואסים בהנהגתו ובוחרים בהנהגת אחר בחייו.

והדעת הד׳ הוא להר״ן שכתב שכפי השירה היה דבר המשפט התמידי מסור לשופטים, וענין המלחמות מסור למלכים ושישראל חטאו במה ששלו מלך לשפוט. כי אילו שאלוהו סתם או להלחם. לא היה רע בעיני יי׳ גם בעיני שמואל. ומדברי הרב רלב״ג לקחו. אבל הדעות האלו מהרמב״ן ומהרב רלב״ג והרב ר״ן הם בלתי נכונים אצלי. לפי שעם היות שבשאלת ישראל מלך. זכרו ענין המשפט. לא היתה כונת׳ כפי האמה שיהיה למלך המשפט המסור לשופטי׳ כי היה בלתי אפשר שישב המלך לשפוט בין דם לדם בין דין לדין דברי ריבות כל ישראל. אבל ממשפט המלוכה כמו שבא בקבלה האמתית בפרק כהן גדול היה המשפט שלא כדין כפי צורך השעה לתקון העולם ולשבור זרועות רשעים. כמו שהביא הרמב״ם פרק ג׳ מהלכות מלכים. לא שנאמר שהיה זה מיוחד במלך ולא ובב״ד הגדול. כי אם שהוה זה בבח בית דין

nos Regem ad judicandum nos, sicut ceteræ gentes; secundus, quem attribuunt Vulgo & Plebi; *Et erimus etiam nos ut ceteræ gentes*. Quid namque perversi quæso inveniunt in versu secundo, quod non sit in primo de, quo dicunt, quod in eo rite & recte petierint? Præterea in Samuele dicitur; *Displicuit autem sermo iste in oculis Samuelis, quod dixissent, Da nobis Regem* &c. Et ipse Samuel, cum eos redargueret, dicit *Et sciote & videte, quod malum vestrum magnum est, quod fecistis in oculis Jehovæ, petendo vobis Regem*, 1. Sam. 12. 17. Non dicit hic, *Ut reliquæ gentes*, neque quod petierint eum cum murmuratione, sed loquitur de Petitione Regis absolute. Quod sane docet, in ipsa petitione fuisse peccatum.

Tertia sententia est Rabbi Mosis Nachmanidis, ad; *Non recedet sceptrum de Jehudah*, Genes. 49. Dicit ibi, *peccatum in hoc fuisse, quod petierint eum in diebus Samuelis; Samueli enim probrosum & ignominiosum valde fuisse, ceu Judici, & Prophetæ Dei, quod regimen ejus spernerent; & regimen aliud, ipso vivente, quærerent*.

Quarta sententia, est Rabbenu Nissim; scribit ille; *de Jure, perpetuo Judicia pertinuisse ad Judices, Bella vero Regibus commissa fuisse. In hoc igitur peccasse Israelitas, quod Regem petiissent, qui eos judicaret*, seu, *Jus eis administraret. Nam si petiissent ablute, aut adgerenda bella, id non malum futurum fuisse in oculis Domini, vel Samuelis*. Hoc ex verbis R. Levi ben Gerson desumpsit. Verum sententiæ istæ, R. Mosis Nachmanidis, R. Levi ben Gerson, & Rabbi Nissim, mihi plane non videntur rectæ. Nam licet Israelitæ, Regem petentes, mentionem fecerint Judicii; non tamen fuit intentio eorum, ut Rex haberet illum Judicium, quod erat Judicum. Nam fieri non poterat, ut Rex ordinarie sederet ad judicandum inter sanguinem & sanguinem, aut inter lites singulas totius Israelis; sed Judicium Regis erat (ut per Cabalam acceptam traditur in Capite Talmndico כהן גדול) Judicium extraordinarium, quod, prout tempus exigebat, administrare poterat, ad Salutem Reipublicæ conservandam, & ad frangenda brachia impiorum, prout id etiam Majemonides adduxit in capite tertio de Regibus; non, quod istud Judicium esset proprium & peculiare Regis, & non etiam Domus judicii magni; sed quod hoc esset & penes Domum judicii magni, & penes Regem: Præterea vero ad officium Regis pertine-

הגדול וגם במלך וממנוי המלך גם כן היו המלחמות עם האויב מלחמת חובה ומלחמת רשות. ואם היה כל זה מחק המלוכה מה היה חטאם באמרם ושפטנו מלכנו ונלחם מלחמותינו. כי הם לא סרו בטחונם מהשי' בענין המלחמות עם היותם שואלים מלך שיצא לפניהם ויבא לפניהם. וכן בענין המשפט לא שללו משפט השופטים. ואם היה דעתם לסור מדרכי התורה בהנהגת המלך לא היו שואלים אותו לשמואל כי היו הם ממנים אותם לרצונם. והוא ממה שיורה שלא שאלו מלך כי אם כפי מה שזכרה התורה. אבל לפי שזקן שמואל והיו חסרי' מדבר המשפט המסור לבית דין ולשופט הגדול העומד במקום המלך. לכן היתה שאלתם מלך שישפטם מאותו משפט שלא כדין לצורך השעה המיוחד למלך. לא מהמשפט המסודר המסור לשופטי' מהפרי'. ועוד כי הנה בתוכחת שמואל. תמיד ייחס החטא על שאלת המלך בהחלט. לא על שאלתם אותו בחייו לא לשאלם אותו לדבר המשפט כדעת הרבנים האלה. אמר ודעו וראו כי רעתכם רבה אשר עשיתם בעיני יי' לשאל לכם מלך. ואמר והיום מאסתם את אלהיכם אשר הוא מושיע אתכם. ותאמרו לא כי מלך ימלוך עלינו. הנה יחס הגנות לעצם השאלה לא לדבר אחר. ומלבד כל הבטולים והספקות האלה אשר העירותי על כל אחד מהדעות האלה הנה עוד אקשה כנגדם יחד קושיא חזקה וספק עצום. כי אם היתה שאלת המלך בסתם דבר נאות ומצוה ממצות התורה ולא היה החטא כי אם באופן השאלה או תכליתה או זמנה או כונתה למה אם כן יהושע ושאר שופטי ישראל שבאו אחריו לא התעוררו להמליך מלך בישראל כיון שהיתה המצוה עליהם בהכנסתם לארץ. ואיך עברו כלם על זאת המצוה בהיותם בארץ אחרי הכבוש והחלוק. ואין אחד מהמפרשים שהתעורר בזה כלל. ובפירושי לספר שמואל פרשה רביעית זכרתי בזה הדרוש גם כן דעות חכמי האומות והקשיתי כנגדם. ואמנם דעתי בסתר הספק הזה וביאור פרשת המלך יתבאר אחרי שאניח שתי הקדמות.

nebant etiam Bella cum inimicis, tam necessaria, quam libera & arbitraria, Quod si ergo hæc omnia erant officii Regii, quodnam fuit peccatum ipsorum, dicentium; *Et judicabit nos Rex noster, & pugnabit bella nostra*? Non enim recesserunt ideo a fiducia in Deum collocanda in bellis, quamvis peterent Regem, qui eos duceret, sicut in Judicio non ademtum voluerunt jus suum Judicibus. Et si mens ipsorum fuisset recedere a viis Legis, per Regimen Regis, non petiissent illum a Samuele, sed constituissent eum pro suo lubitu & arbitratu. Hæc omnia docent, illos non petiisse Regem, nisi juxta præscriptum Legis. Quia vero Samuel consenuerat, & sic caruerant Judicio tradito Domui judicii & Sacerdoti magno, qui tum Regis vices agebat; ideo petitio ipsorum fuit de Rege, qui judicaret illos judicio extraordinario, & Regi peculiari, non Judicio ordinario, tradito judicibus civitatum. Ad hæc, in Redargutione Samuelis, semper attribuitur peccatum petitioni Regis absolute; non quod petiissent ad judicandum, ut Rabbini isti volunt. Dicit; *Et sciote, & videte, quod malum vestrum magnum est, quod fecistis in oculis Domini, petendo vobis Regem*: Item; *Vos autem hodie abjecistis Deum vestrum, qui servat vos* &c. *Dixistisque*; *Non, sed Regem pones super nos*, 1. Sam. 10. 19. Vides, illum attribuere peccatum ipsi petitioni, & nulli rei. insuper, præter jam adducta omnia, de singulis his sententiis, hanc adhuc addam contra ipsos Objectionem gravissimam, & Dubium fortissimum; Si petitio Regis absolute, fuit legitima, & præceptum Legis, & non peccatum fuit, nisi in modo petendi, vel in fine, tempore, aut intentione ejus; quare Josua, & cæteri Judices Israelis, ipsum sequuti, nunquam cogitarunt de Rege in Israele constituendo, cum hoc ipsis præceptum esset, quum ingrederentur terram? quomodo omnes transgressi sunt hoc præceptum, cum essent in terra, post ejus occupationem, & divisionem? Nullum hactenus Interpretum vidi, qui de hoc egerit, & ad hoc aliquid responderit. (*) Restat ergo, ut; *Quænam mea sit de Solutione hujus dubiæ quæstionis sententia*? & , *Quomodo explicanda sit ista pericopa de Rege*? explicem, ubi tamen prius *Duo* præmisero.

(*) His quatuor sententiis addo *Quintam*, (*Quinta in textu Hebraico non deprehenditur*) quæ est Pauli Burgensis Episcopi, & huc redit; Constitutionem Regum posse duobus modis fieri; *Vel*, ut Rex sit subjectus Judiciis Legis, & præceptorum; *Vel* ut Rex absolutam habeat potestatem ad facienda judicia & Leges pro lubitu suo, sicut fuerunt Reges Gentium a temporibus an-

antiquis, qui faciebant ſtatuta, & obſervabant ea pro ſuo arbitrio: *Primum* genus eſſe legitimum, & de eo præcipere Legem, quando dicit; *Et dices, conſtituam ſuper me Regem: Ponendo pones ſuper te Regem:* huic etiam præceptum eſſe obſervationem Legis & præceptorum, ſicut dicitur; *Et ſcribet ſibi exemplar Legis hujus &c. & leget in eo &c. ne elevetur cor ejus ſuper fratres ipſius, neque declinet a præcepto ad dextram, aut ad ſiniſtram: Secundum* vero genus eſſe perniciosum valde: Rex enim, cui tradita eſt poteſtas abſoluta, non obſervat juſtitiam & judicium verum in omnibus rebus, facit quodcunque lubuerit, nec eſt qui dicere poſſit ei: Quid facis?

Jam vero Iſraelitas, petentes Regem, non petiiſſe eum de Primo genere legitimo, ſed de Secundo pernicioſo: hoc eos ſibi velle, dum dicunt; *Et erimus nos quoque ſicut cæteræ gentes, & judicabit nos Rex noſter*, h. e. *Rex noſter poteſtatem habebit abſolutam, & faciet judicium, prout ipſi videbitur, ſicut Reges gentium, qui condunt Leges, jura, & ſtatuta*: Et quia hoc modo peculiari petierunt Regem, ideo exarſiſſe Samuelem ira contra eos; & hoc ſenſu Deum dixiſſe; *Non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt, ne regnem ſuper eos*; quia ſc. excutiebant a cervicibus ſuis jugum legis & præceptorum, regemque eligebant, qui jus diceret prout ipſi in mentem venerit: ideo etiam præcepiſſe Deum Samueli, ut indicaret populo Jus Regis abſoluti, quidnam poſſit facere Rex, qui nulli Legi eſt ſubjectus, quem Ariſtoteles in libro tertio Politices, vocat *Regem Impium, & Tyrannum*, h. e. *Oppreſſorem, Accipientem, & ad ſe trahentem omnia:* Jus vero hoc non competere in Regem Dei timentem: Et quia Iſraelitæ perſtiterint in via ſua mala, ideo illos ſuam petitionem denuo repetiiſſe & declaraſſe, etiam poſteaquam indicatum ipſis eſſet Jus Regis; dicendo; *Et erimus etiam nos ſicut cæteræ gentes, & judicabit nos Rex noſter;* innuentes, ſe omnibus modis velle Regem nulli Legi ſubjectum: Samuelem autem, cum eos poſtea redargueret, dixiſſe; *Nunc igitur, ecce Rex quem elegiſtis &c. Si timueriti Jehovam, & ſervieritis ei &c. eritis tum vos, tum Rex qui regnat ſuper vos, poſt Jehovam Deum veſtrum &c. 1. Sam.* 12. 13. 14. ad indicandum, bonum eſſe, ut tum ipſi, tum Rex ipſorum, ſe ſubjiciant Legi Moſis, & cuſtodiant judicia, ſtatuta, & Leges, ita ut Rex ſit de primo ordine utilis, non vero de ſecundo: &, ſi ſic facturi ſint, Deum fore cum eis; ſin minus, manum Domini fore in eos, ſicut fuit in patres ipſorum, qui dereliquerunt Deum, & abierunt ac ſervierunt diis aliis, unde, propter peccata ſua eos invenerint afflictiones multæ & graves.

Quod ſi quis quærat; *Si in petitione ſua peccaverunt, quare, cum egiſſent pœnitentiam, totuſque populus dixiſſet ad Samuelem;* Ora pro ſervis tuis ad Jehovam Deum tuum, ut non moriamur: addidimus enim omnibus peccatis noſtris peccatum hoc, ut peteremus nobis Regem; *quare, inquam, non expoſuerunt peccatum ſuum, quod fuit, Petitio Regis ad judicandum pro voluntate ſua? & cur non dereliquerunt peccatum, Regem, inquam, quem petierunt?* Sic egerunt pœnitentiam, ſine derelictione peccati, quod perinde eſt, ac ſi quis ob immunditiam ablutus, reptile retineret in manu ſua.

Ad hoc reſpondet commemoratus Burgenſis; Illos non dereliquiſſe Regem, eo quod jam unctus eſſet juxta verbum Domini, ac propterea non amplius tolli, vel retractari potuerit ejus Unctio & electio: quia item res hæc jam nota & divulgata fuerit in toto Iſraele, unde id in perpetuam & continuam ignominiam Sauli ceſſurum fuiſſet: quia etiam jam geſſerat bellum in Jabeſch Gilead, atque ita non par fuerit, ut ei malum retribueretur pro bono: quia denique jam innovatum fuit regnum ejus in Gilgal, ibique ſacrificarunt; itaque hæc omnia retractari non potuiſſe. Proinde cum dicit Samuel: *Et ſcitote & videte, quod malitia veſtra magna ſit in oculis Domini, petendo vobis Regem:* quod item illi dixerunt; *Addidimus omnibus peccatis noſtris malum hoc, ut peteremus nobis Regem;* hæc, inquam, dicta eſſe de Rege Secundi ordinis, & hic tacite atque implicite innui; quod id, quod jam dixerunt, & a petitione non deſtiterunt, in hoc fundarint, quod res jam eſſet publicata de Saule Rege conſtituto; non vero quod Rex per ſe malum eſſet, ſi fuerit ex primo genere. Utile enim & neceſſarium eſſe ejus Regimen ſecundum Legem naturalem, ſicuti Philoſophus ſupra nominatus docet in loco citato: non enim poſſe eſſe hominum congregationem ſine Rectore aliquo, ad quem omnia deferantur; Quod Cor eſt in Animantibus, & Deus in hoc Univerſo, id eſſe Regem in Republica: hoc etiam eſſe Præceptum Legis, ſicut dicitur; *Conſtituendo conſtitues ſuper te Regem:* ſed peccatum fuiſſe in modo Conſtitutionis Regis, quod eum petierint ex genere ſecundo exitioſo, non vero ex primo. Addit dictus Epiſcopus Burgenſis, huc reſpexiſſe Prophetam Hoſeam, quando dixit; *Dabo tibi Regem in ira mea*, cap. 13. verſ. 11. h. e. ex ſecundo ordine pernicioſo. *Hæc eſt ſententia Burgenſis de hac quæſtione.*

Ego vero ulterius hic cauſam ejus agam, & dico, poſſe ejus ſententiam adhuc confirmari inde, ſi dicamus, ideo non perpetuum fuiſſe regnum Saulis, quod fuerit ex ſecundo ordine Regum; volo dicere, quod fecerit omnia pro ſuo lubitu, neque ſe ſubjecerit Verbis Dei, & quod ad hoc alluſerit Samuel, quando dixit ei in Gilgal; *Stulte egiſti, quod non ſervaſti præceptum Jehovæ Dei tui, quod præcepit tibi &c. 1. Sam.* 13. 13. *Quæſivit ſibi Jehovah virum ſecundum cor ſuum, cui præcepit Jehovah, ut ſit dux ſuper populum ſuum, quia non ſervaſti quod præcepit Jehovah, verſ.* 14. Et in negotio Amalek, dicit; *Ut quid non paruiſti voci Jehovæ, abjecit te, ne ſis Rex, &c. verſ.* 23. Et per Pythoniſſam dixit ei etiam; *Quemadmodum non obediviſti voci Jehovæ &c. 1. Sam.* 28. 28. Et in Chronicis dicitur; *Mortuus eſt itaque Saul propter prævaricationem ſuam, qua prævaricatus fuerat contra Jehovam, h. e. contra verbum Jehovæ, quod non cuſtodivit &c. 1. Chron.* 10. 13. Quæ omnia videntur docere hanc ſententiam. Davidis autem regnum productum & continuatum fuit, domuſque ejus ſtabilis manſit in ſæculum, quia fuit de primo Regum ordine, Rex ſubjiciens ſe Legi Dei & præceptis ejus, & quia in omnibus & ſingulis negotiis bellicis, ut & in regimine populi, interrogavit Deum, atque in viis ejus ambulavit, ſicut dicitur; *A judiciis tuis non receſſi, quia tu docuiſti me, Pſalm.* 110.

110. 102. *Viam mandatorum tuorum curram &c. verf.* 32. Ideo cum præcepit Salomoni filio fuo, dixit, *Et cuftodi cuftodiam Jehovæ Dei tui, ut ambules in viis ejus, & obferves præcepta ejus, &c. Ut confirmet Jehovah verbum fuum*, 1. *Reg.* 2. 3. 4. Vult dicere, illum debere femper effe Regem Legi fubjectum, ex fpecie fc. prima laudabili: fic enim ftabilitum iri regnum ipfius. Ut alia innumera loca prætercam, quæ idem docent, ficut fufius id oftendam in fectione de Amalekitis, D. V.

Verum & hæc fententia plurima adhuc habet dubia:

Primo enim Scriptura ipfa deftruit eam; Dicit quippe Deus; *Non te, fed me fpreverunt, ne regnem fuper eos*; non adducens particularem aliquam circumftantiam de modo regnandi; fed quod per Regis conftitutionem dereliquerint Regimen Dei Benedicti. Et Samuel dicit; *Et dixiftis, Non: fed Rex regnabit fuper nos, quum Jehovah Deus nofter Rex vefter effet*; 1. *Sam.* 12. 12. Item in redargutione fua; *Et fcitote & videte, quod malum veftrum magnum eft, quod feciftis in oculis Jehovæ, petendo vobis Regem*, 1. *Sam.* 12. 17. Et ipfimet dicunt; *Addidimus omnibus peccatis noftris peccatum hoc, ut peteremus nobis Regem*, *verf.* 19. Ex quibus omnibus liquet, Regem quemcunque, & ex utrovis ordine abfolute, effe malum magnum, & iniquitatem infignem.

Secundo; Nullum eft dubium, quin petitionem hanc fecerint Seniores Ifraelis, & Principes ipforum: Caufa petendi fuit, quod filii Samuelis fectati fint avaritiam, munera acceperint, & jus perverterint: Quod fi illi jam hoc faftidierint & molefte tulerint, quomodo poffumus cogitare, illos petituros fuiffe Regem, qui abfolute omnia pro fuo lubitu faceret, nec judiciis Legis ullo modo fubjectus effet? Sic majus malum elegiffent, quam quod habebant a filiis Samuelis. Quis quæfo fibi fingat, Homines electuros Regem, aut Gubernatorem, illique dicturos, ut omnia faciat pro arbitratu fuo, neque adftrictus fit ad Leges & jufta judicia? Philofophus in Politicis fcribit, *Rectores effe duplices, vel Pios, vel Impios & Tyrannos. Pius* nullus alius eft, quam qui regit fecundum voluntatem eorum qui reguntur, & fecundum jus: *Impius & Tyrannus*, qui regit eos per coactionem, & fecundum voluntatem fuam. Quis animum inducere poffit, homines fapientes & prudentes petituros Regem, Moderarorem, Dominatorem aut Gubernatorem, qui eos male regat, & deflectat ab orbitis juftitiæ & æquitatis? Et quamvis fæpius accidat, ut Reges prævaricatores reperiantur, qui *Tyranni* vocantur; tales demum fiunt poftquam funt in poffeffione Regni fui; non vero ea conditione Reges electi funt, aut regnant. Hæc omnia iterum docent, non attribuendum effe Senioribus Ifraelis, quod Regem alium petierint, quam qui eos regeret fecundum juftitiam & æquitatem, quique fubjectus effet Legi Dei, in qua funt ftatuta & jura jufta. Adde, fi voluiffent Regem, qui non fubjectus effet judiciis Legis, conftituiffent eum ipfimet, neque venturi fuiffent ad Samuelem, & ab ipfo flagitaturi, ut ipfe adimeret ab humeris eorum jugum Legis & præceptorum: Propheta enim nunquam Regem conftituiffet aliquem ea conditione. Quomodo quæfo transgreffurus fuiffet Legem, & Regem alium conftituturus, quam Deus præceperat?

Tertio; Si conftitutio Regis ex primo genere eft utilis, bona, & præceptum Divinum, quare non Regem talem fecit Jofua dum viveret, vel, cum moreretur? Quomodo non cæteri Judices Ifraelitæ in diebus fuis? Qui ad hoc non excitati fuerunt? Quinimo ne nunc quidem petiiffent eum, nifi duæ caufæ concurriffent, & eos permoviffent; Senectus fc. Samuelis, & Improbitas filiorum ejus: quod fi Præceptum fuiffet, etiam his caufis non intervenientibus eum petere debuiffent. Verum fine dubio fententia hæc, utut elegans, veritati tamen non eft confentanea.

Neque eft quod dicamus, Ifraelitas peccaffe in eo, quod dixerunt; *Conftitue fuper nos Regem*; pro eo quod dicere debuiffent; *Pete a Domino, ut det nobis Regem*, ficut inveni apud quofdam ex Chriftianis.

Nam cum illi eum non conftituerint ex femetipfis, fed venerint ad Samuelem Prophetam, & ab eo illum petierint; conftat, illos juxta Verbum Dei caftrametatos, & juxta os ejus profectos fuiffe (*egiffe*), neque alia mente dixiffe, *Da nobis Regem*, quam ut id faceret juxta Prophetiæ fuæ munus a Domino.

Et fic expofui tibi hactenus Quinque de hac Quæftione fententias, quas omnes, foliis leviores caducis, ventus aufert propter varia abfurda quæ continent, & de quibus te monui.

ההקדמה האחת הנה ראוי שנדע אם
המלך הוא דבר הכרחי ומחוייב בעם חיוב
עצמו או אפשר בלתו. וכבר חשבו הפלוסופים
שהוא כן. ושרות המלך לעם בקביץ המדיני
כיחס הלב בגוף הבעל חי שיש לו לב.
וכיחס הסבה הראשונה אל העולם הכולל.
ואם המעיינים האלה יסברו שהמלכות יגזור
שלשה דברים. הראשין האחרות והעדר

Primum eft hoc; *Utrum Rex fit res neceffaria populo, neceffitate effentiali; aut an eo carere poffit? Philofophi* affirmant, dicentes, Principatum Regium in Politia fe habere ad populum, ut Cor ad Corpus animalis vivi, corde præditi, & ut fe habet Caufa prima ad Mundum univerfum. Quod fi Philofophi ifti exiftiment, Regnum tria requirere, 1. *Unitatem, fine communione & focietate*, 2. *Perpetuitatem & Immutabilitatem*, 3. *Poteftatem abfolutam*; fententia ipforum de Neceffitate Regis erit falfa. *Primo* enim non eft impoffibile, ut fint in Populo Rectores multi congregati, adunati, & fuf-

השתוף. והשני ההתמדה והעדר החלוף. והשלישי היכולת המוחלט. הנה תהיה באמת מחשבתם בחיוב המלך והכרחיותו כוזבת. לפי שאינו מהבטל שיהיו בעם מנהיגים רבים מתקבצים ומתאחדי׳ ומסכימים בעצה אחת ועל פיהם תהיה ההנהגה והמשפט וזהו כנגד התנאי הראשון. ולמה לא תהיינה הנהגותיהם משנה לשנה או לג׳ שנים בשני שכיר או פחות מזה. ובהגיע תור שופטים ושוטרי׳ אחרים יקומו תחתיהם ויחקרו אם פשעו הראשונים באמונתם ואשר ירשיעון ישלם כל אשר הרשיע לעשות וזהו כנגד התנאי הב׳. ולמה לא יהיה גם כן יכלתם מוגבל ומסודר כפי הדתות והנמוסים הדין נותן שיחיד ורבים הלכה כרבים. ושיומר קרוב להיות הפכע באדם אחד אם לסכלותו ואם לתקף יצרו או בעשו. כמו שאמר חמת מלך מלכי מות. משיחטאו אנשים רבים בהוסרם יחד בא האחר יטה מני דרך. ימחו האחרים בידו. ובהיות הנהגותים זמניות והם עתידים לתת את הדין אחרי ימים מועטים יהיה מורא בשר ודם עליהם. ומה לנו להביא על זה טענות שכליות והנה הנסיון גובר על ההקש. הביטו הארצות שהנהגתם על ידי המלכים. ותראו את שקוציהם ואת גלוליהם איש מהם כל הישר בעיניו יעשה כי מלאה הארץ חמס מפניהם. והיום הזה ראינו כמה ארצות שהנהגותיהם על׳ ידי השופטים ומושלים זמניים נבחרים ביניהם ומלך אלקום עמהם. משפט נבחרה להם בסדור מוגבל. והם הרודים בעם העושי׳ בעניני המלחמות לא יעמוד. אם לשבט אם לארצו. הלא ידעת

suffragia ferentes in Consilio uno, secundum quorum os Regimen & Jus administretur, respectu conditionis *Primæ*. *Secundo*; quare non esse queant Administrationes illorum, vel annuæ, vel certorum annorum, sicut anni mercenarii? Et, si vices eorum devolvantur ad judices & moderatores alios, qui iis succedant cur non hi inquirere poterunt, an priores illi prævaricati fuerint in fidelitate sua, & pronuntiare, ut is, quem condemnaverint, luat, quicquid male egerit, vel ab officio removeatur? Et hoc opponitur conditioni *Secundæ*. *Tertio*, quare non potest esse potestas ipsorum determinata & limitata juxta Leges & jura? Æquum utique est, ut cum suffragia sunt Plurium, & Unius, sententia feratur juxta Plures. Magis enim proclive est, ut error & prævaricatio committatur ab uno, vel ob ejus ignorantiam, vel ob iram, & alios affectus & passiones ejus, (sicut dicitur; *Ira Regis est nuntius mortis*, Prov. 16. 14.) quam ut errent multi simul consultantes. Nam, si unus aberrat a via; multi eum vel impedient, vel revocabunt. Et si administrationes ipsorum fuerint temporariæ, ipsique rationem cogantur reddere post breve tempus, terrebuntur metu hominum. Quid vero opus est Rationes ex Intellectu depromtas in hanc rem afferre? Experientia ipsa hic validior est omni Ratione. Aspicite & videte terras, quæ per Reges reguntur, & videbitis abominationes illarum, quisque quod sibi bonum videtur, facit: *Repleta est terra iniquitate a facie illorum*, Genes. 6. 13. Quot e contra hodie videmus terras, quæ reguntur per Judices & Dominatores temporarios, quos eligunt, absque Rege, apud quos judicium administratur ordine optimo & convenientissimo? Hi dominantur populo, & gerunt bella, ut nemo coram ipsis subsistere queat, vel illis aut terræ illorum se opponere. An nescis, vel nunquam audivisti, Urbem illam magnam, quæ olim imperabat toti Orbi, omnes terras subegisse, conculcasse & contrivisse, cum regeretur a Consulibus prudentibus iisque pluribus, & regimine temporario; posteaquam vero Cæsar regimen obtinuit, factam fuisse tributariam? Sic hodieque Venetia illa celeberrima, populosissima, & urbium princeps: Florentia item florentissima, & regna alia magna & parva, nullum habent Regem, sed reguntur per Rectores, qui certis annis eliguntur; & tamen sunt Regna selectissima, in quibus nihil est distorti & perversi, nec quisquam impune audet at-

אם לא שמעת כי ארץ רבה שהית' מושלת
בכל העולם אכלה כל ארעא חרושינה
ותדוקינה בהיות הנהגתה על ידי הקונשולי"ש
שלמים וכן רבים ובהנהגות זמניות. אמנם
אחר שמלך קיסר היתה למס. ועוד היום
שררת ויניציאה הגברת רבתי בגוים שרתי
במדינות. ומלכות פלורינציאה נני היא לכל
הארצות ומלכיו' אחרות גדולות וקטנות אין
מלך בהם. והם מתנהגים על פי מנהיגים
נבחרים לימים קצבים. והנה המלכיות
הנבחרות אשר אין בהם נפתל ועקש לא
ירים איש את ידו ואת רגלו על כל דבר'
פסע. והמה כובשות ארצות לא להם
בחכמה בתבונה ובדעת. וזה כלו ממה מיור'
שמציאות המלך בעם אינו הכרחי כא מזיק
וסכנה רבה. וכמו שהזכיר הרב המורה
הסכנות העצומות בהרכבת הימים ובעבודת
המלכים. מפני ההדמות שיש ביניהם
באפשרות הסכנה הקרובה לבא. והדמות
שניהם אל רוח סערה בים ורוח המושל.
והתימה מבעלי הדעת הזה המדומה
שהמשילו אחדות המלך הבחירי ברשות
האנשים ורצונם לאחדות הסבה הראשונה
יתברך הקדמון ההכרחי. ואמנם בגוף הב"ח
כבר בחנו החכמים שבו ג' אברים ראשיים
בהנהגתו. ואף לדעת ראש הפלוסופים
שהלב לבדו הוא הראשיי. הנה יהיה זה
בהולדת הרוח אבל לא יכחישו הנהגת הגוף
בכחות הנפשיות היותח מהמוח והטבעיות
מהכבד. סוף דבר הענינים אשר בטבע אי
אפשר שלא יהיה כן. ואש' מפועל הרצון
הם מחמר האפשר מה לתבן את הבר.
ואין לה קשות ממאמר בפשע ארץ רבים
שריה כי שם מן השרים דבר לא מהמנהיגים
והשופטים: ואנחנו איך נסכל המפורסם בכל
כי אם היו המנהיגים טובים מוטב שיהיו

attollere manum suam, aut pedem suum, ad ullam rem malam; alias etiam terras occupant prudentia & sapientia magna. Hæc omnia docent. Non esse necessarium, ut sit Rex in populo, sed esse perniciosum & periculosum populo, ut sit in manu & potestate Regis, exscindere, occidere, perdere, prout ipsi placuerit. Ideo Majemonides in libro More, par. 3. cap. pro exemplis de quibus dicit, *quod sibi videantur esse valde affines; Mare*, inquam, & *Rex*, eo quod Iræ utriusque nullum sit remedium, & qui inter illa ambulat, parum intersit inter ipsum, & inter mortem. Etenim הרוח Ventus & Spiritus utriusque est periculosus, & exitiosus. Unde quemadmodum navigantes in mari perpetuo respiciunt ad Nubes & Ventos: sic Ministri Regum respiciunt eorum Faciem: *Nam in luce* (favore) *faciei Regis est vita: & benevolentia ejus est veluti Nubes, effundens pluviam serotinam, Prov.* 16. 15. Et, *Ira Regis est nuntius mortis, v.* 14. Et mirandum est, authores sententiæ hujus comparare Unitatem Regis, cujus electio est in potestate & voluntate hominum, cum Unitate & Æternitate causæ primæ, Dei sc. Benedicti, quæ existentiam habent necessariam, ut Theologi docent. Quantum attinet ad Corpus animalium, Medicorum filii tradunt, in eo esse Tria membra principalia ad gubernationem ejus. Et licet, ex sententia principis Philosophorum, *Cor* solum sit principale; id tamen tantum fit respectu generationis Spirituum. Interim non negant, corpus regi quoque per facultates Animales, quæ sunt a *Cerebro*, & Naturales, quæ sunt a *Jecore* (vel, *Hepate*). Summa: Res naturales non possunt aliter esse: quæ vero sunt voluntariæ, sunt ex materia possibili. Quid igitur paleæ cum frumento? Neque est quod hic objiciatur id quod dicit Salomon; *Propter prævaricationem Regionis, multi sunt Principes ejus*, Proverb. 28. 2. Ibi enim de Principibus est sermo, non de Rectoribus & Judicibus. Quomodo ignorabimus, quod omnes norunt, si Regentes fuerint boni, satius esse, ut eorum sint Multi, non Unus tantum? Unde & Synedrium Deus constituere jussit ex 70. Senioribus Israelis. Si vero Regentes sint mali, periculosior est Unus, absolutam potestatem pro lubitu suo faciendi habens, quam Multi. Quod si enim illorum unus quid ignoraverit, id sciet fortassis alter; si unus fuerit deditus quæstui, avaritiæ &c. alter ipsum reprimet; maxime cum singuli teneantur dictorum & factorum suorum

ra-

רבים ולא אחד. ואם היו רעים יותר משוכן האחד המשולח לתאותו מן הרבים: ולכן אחשוב שלא נעשו המלכים בראשונה בבחינת העם כ״א בחוזק וכל דאלים גבר. וכמו שכתוב נעלה ביהודה ונקיצנה ונמליך מלך בתוכה. וגם אלו לא נמנו כ״א בדרך אמונות לעבוד את העם. והם נעשו אדוני כאלו נתן השם יתברך להם את הארץ ומלואה ויורישוה לבניה׳ אחריהם ולבני בניהם עד עולם. כאלו היה קרקע שקנה בממונו. ונתפשטה הצרעת הממארת הזאת עד שיקום איש אחד ויעצור בעמו וינהגם כבהמות. וגם זה איננו שוה בכל המלכיות כי יש מהן שאין למלך כל כך יכולת בהנהגתם וטוב משניהם את אשר עדן לא היה. וזו היא ההקדמה הראשונה:

ההקדמה השנית היא שאף שנודה היות המלך דבר מועיל והכרחי בעם לתקן הקבוץ המדיני ושמירתו. מה שהוא בחלוף האמת. הנה בעם ישראל איננו כן. כי אינו צריך ולא הכרחי להם. וביאור זה הוא שצורך המלכים בעם הנה יוכלל בג׳ ענינים. הא׳ להעין המלחמות להושיע את העם מאויביה׳ ולהלחם בעד ארצם. והב׳ הוא לסדר הנמוסי׳ ולהניח התורות הצריכות לתקונם. והג׳ להכות ולהעניש פעמים שלא כדין כפי צורך השעה אשר זה יאות׳ לא היכולת האלהי המוחלט אשר לו. והנה הג׳ הענינים האלה האומה הישראלית לא תצטרך אליה׳ לא לענין המלחמו׳ ותשועתם מאויביהם לפי שישראל נושע בי״י והוא הנלחם להם. וכמ״ש אשריך ישראל מי כמוך עם נושע בי״י מגן עזרך ואשר חרב גאותך ויכחשו אויביך לך ואתה על במותימו תדרוך. גם כי השופט הזה יוצא ובא לפניהם במלחמו׳ כמו שמצינו ביהושע וגדעון ושמואל ושאר השופטי׳. וגב׳ לא היו צריכים למלך להנחת התורות והנמוסים כי תורת

rationem reddere. Hinc putarim ego, Reges ab initio non factos esse per liberam electionem, & voluntatem populi, sed per vim obtrusos fuisse (nam, מאן דאלים גבר Qui fortior est, prævalet), juxta id quod scriptum est: *Ascendamus in Jehudah, & tædio afficiamus eam, & regnare faciamus regem in medio ejus*, Esa. 7. 6. Quin & tum temporis non constituti fuerunt, nisi instar Ministrorum, ad serviendum populo, eumque gubernandum; tandem vero facti sunt Domini, ac si Deus ipsis dedisset terram & plenitudinem ejus, ipsique eam hæreditate relinquere deberent filiis & nepotibus suis in sæculum: perinde ut fundum, quem pro pecunia sua acquisiverunt. Et hæc lepra maledicta diffudit se, donec exsurgeret Vir unus, qui imperitaret populo, eosque regeret instar asinorum irrationalium. Hoc tamen etiam non æqualiter est in omnibus Regnis. Nam sunt, quorum Reges circumscriptam habent potentiam in regimine suo, ut in Arragonia: Alibi potentiam habent absolutam. Melior autem utriusque est, qui nunquam fuit. Et hoc est primum, quod præmittere volui.

Secundum est; *Licet fateremur, Regem esse utilem & necessarium populo ad constituendam & conservandam congregationem civilem; quod non est verum; tamen in Israele non ita se rem habere. Rex enim nec utilis, nec necessarius est ipsis.* Hoc ita declaro: Necessitas Regum comprehenditur tribus rebus; 1. *ut Bella gerant*, ad servandum populum ab inimicis ipsorum, & ad defendendum terram ipsorum: 2. *Ad ordinandas & constituendas Leges*, ad Reipublicæ conservationem & prosperitatem: 3. *Ad percutiendum & puniendum quandoque non secundum jus, sed temporis ratione sic exigente*. Hæc enim conveniunt potestati absolutæ. Atqui his tribus non indiget populus Israeliticus; 1. *Non ad bella & liberationem ab inimicis suis:* quia Israel servatur per Dominum, & Ipse pugnat pro eis, sicut dicitur; *Beatus es Israel, quis sicut tu popule, qui servaris per Jehovam scutum auxilii tui, & qui est gladius excellentiæ tuæ: humiliabuntur inimici tui, & tu super excelsa eorum calcabis*, Deut. 33. 29. Hic idem Judex egreditur & ingreditur ante ipsos in bellis, sicut invenimus de Josua, Gedeone, Samuele, & reliquis Judicibus. *Non habent opus Rege ad condendas ipsis Leges*: Nam, *Legem præcepit nobis Moses*, Deut. 33. 4. Deus ipse præcepit; *Non addetis ad verbum quod ego præcipio* vo-

צוה לנו משה וגו'. וצוה הוא ית' לא תוסיפו על הדבר וגו'. ראה למדתי אתכם חקים ומשפטים כאשר צוני יי' אלהי. ומי גוי גדול אשר לו אלהים קרובים וגו'. ומי גוי גדול אשר לו חקים ומשפטי' צדיקים וגו'. ולא היה ביד מלך ישראל לחדש דבר בתורה ולא לגרוע ממנה. וכמ֗ש עליו ולבלתי סור מן המצוה ימין ושמאל. וג֗כ לא היה המלך צריך בישראל להכות ולהעניש פעמים לצורך השעה. שזה מסרו הקב֗ה לב֗ד הגדול הם הסנהדרין כמו שפירשתי בפרש' כי יפלא. ומלבד זה הודיענו הש"י שאם השופט כפי המשפט הצודק והמסודר יפטור אדם רשע שהוא ית' יעניש את הרשע בדינו הגדול וכמ֗ש מדבר שקר תרחק ונקי וצדיק אל תהרוג כי לא אצדיק רשע. ר"ל מה שאתה לא תוכל להענישו כפי הדין אנכי אעניש הנה התבאר שג' הענינים האלה תשועת המלחמו' והנחת התורה והמצו' והענשהו. וההכאה פעמים שלא כדין כלם יעשה השי' לעמו. ולכן היה השי' מלכם ולא היה להם צורך למלך בשר ודם לשום דבר. כבר בא זה כתוב בתורה ושנוי בנביאים ומשולש בכתובים כי מרע֗ה אמר יי' ימלוך לעולם ועד. כי בא סוס פרעה וגו' ר"ל כיון שהב֗ה נלחם להם לישראל במצרים ועל הים שטבע אויביה' א֗כ הוא ימלוך לעולם ועד ואין להם צורך למלך אחר. בנביאים אמר ישעיהו כי יי' שופטנו יי' מחוקקנו יי' מלכנו והוא יושיענו. ובזה רמז אל ג' הענינים שיעשה המלך. אם כפנין המשפט לצורך השעה אמר יי' שופטנו. ואם לסדר החקים והנמוסים שכלם נקראים חק אמר יי' מחקקנו ר"ל מסדר את החקים לנו. וכנגד המלחמות אמר יי' מלכנו והוא יושיענו. ובכתובים אמר שאו שערים ראשיכם והנשאו פתחי עולם ויבא מלך הכבוד מי זה מלך הכבוד יי' עזוז וגבור יי' גבור מלחמה ר"ל שאין ראוי שיקרא מלך הכבוד אדם גשמי כ֗א הש"י שהוא עזוז וגבור מלחמה להלחם בעד עמו. הנה התבאר מכל זה שאף שגזרה יהיות

vobis, *Deut.* 4. 2. *Videte, docui vos statuta & judicia, quemadmodum præcepit mihi Jehovah Deus meus*, *vers.* 5. *Et quæ est gens ita magna, cui sint dii propinqui &c.* *vers.* 7. *Et quæ est gens ita magna, cui sint statuta & judicia justa &c.* *vers.* 8. Neque fuit in potestate Regis Israelis, innovare aliquid in ea, vel de ea detrahere, sicut dicitur de eo; *Neque declinet a præcepto ad dexteram aut sinistram*, *Deut.* 17. 20. 3. *Non etiam opus habuerunt Israelitæ Rege, ad percutiendum & puniendum quandoque pro necessitate temporis*: hoc enim tradidit Deus Domui judicii magni, sive Synedrio, sicut explicavi in sectione כי תשא. Et præter hoc significavit nobis Deus, si Judex secundum judicium legitimum & ordinarium dimiserit impunem hominem improbum, quod Ipse puniturus sit eum in judicio suo magno, sicut dicitur: *A sermone falso recedes, neque innocentem & justum occides, quia non justificabo impium*, Exod. 23. 7. Vult dicere; *Quem tu non punies secundum judicium, eum ego puniam*. Ex his apparet, tria ista Regis requisita, *Liberationem in Bellis*, *Legumlationem*, & *Punitionem extraordinariam*, non secundum judicium; tria, inquam, ista omnia facere Deum in populo suo; ac proinde Ipsum esse Regem illorum, neque opus ipsis esse Rege humano ad ullam rem. Res hæc scripta est in *Lege*, repetita in *Prophetis*, & iterata in *Hagiographis*. *Moses* dicit in Lege; *Dominus regnabit in sæculum & sempiternnm, quia ingressi sunt equi Pharao* &c. Exod. 15. 18. vult dicere; *Quia Deus pugnavit pro Israele in Ægypto, & in mari, dum submersit inimicos eorum; ideo ipse regnabit in sæculum & sempiternum, neque ulterius ipsis opus erit rege alio*. In *Prophetis* dicit Esaias; *Dominus est Judex noster, Dominus est Legislator noster, Dominus est Rex noster, & Ipse servabit nos*, c. 33. 22. Quibus verbis complectitur omnes tres partes officii Regis; *Judicii*; dum ait, *Judex noster*; *Legum & Statutorum lationem*; omnia enim vocantur חק *Statuta*; dum ait; *Legislator noster*, h. e. qui ordinet nobis statuta: De Bellis ait; *Rex noster, & ipse servabit nos*. In *Hagiographis* dicitur: *Attollite o portæ capita vestra, & elevate vos portæ seculi, ut introeat Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Jehovah fortis & potens, Jehovah potens in prælio*, Ps. 24. v. 7. 8. Vult dicere; Non æquum esse, ut *Rex gloriæ* vocetur Homo corporeus sed Deus Benedictus, qui est fortis & potens in bello, ad pugnandum pro populo suo. Ex his omnibus liquet, si ma-

ממלך מכרחי באומות לא יצדק באומה היישראלית כ״ש שכבר הורה הנסיון מלכי ישראל ומלכי יהודה שהמה היו במורדי אור. חמם הסבו לבב בני ישראל אחורנית כמו שידעת מירבע׳ בן נבט ושאר מלכי ישראל כלם ורוב מלכי יהודה עד שבסבתם גלתה יהודה מעוני ומרוב עכ״ום. לא כן אנחנו רואי׳ בשופטי ישראל ונביאיהם כלם אנשים אנשי חיל יראי אלהים אנשי אמת. ולא היה אחד מהשופטים שנטה לבבו מאחרו יי׳ לעבוד אלהים אחרי׳ בהפך המלכים שמי ומי מהם נצל מעכ״ום. וכל זה ממה שיעיר שהנהגת השופטים טובה. והנהגת המלכים רעה ומזקת ומסובנת מאד. וכאשר תדע זה תבין באמת כונת הנביא ע״ה באמרו אתן לך מלך באפי. שאינו כמו שפירשו הרמ״בן על מלכי ישראל לפי שלא היו מזרע בית דוד. אבל הוא בחלט. ראה קשור הפסוקים מלמעלה הלא הם יורוך יאמרו לך אמתת דעתי. אמר שחתך ישראל כי בי בעזרך אהי מלכך איפה ויושיעך בכל עריך ושופטיך אשר אמרת תנה לי מלך ושרים אתן לך מלך באפי ואקח בעברתי. רוצה לומר אתה ישראל שחת עצמך בשאלך מלך. כי בי היה עזרך ולא במלך. ואיה מלכך איפה אשר שאלת מלך להושיעך במלחמות ועתה איפה הוא שאינו מושיע את הערים והשופטים אשר בערים. וזהו אמרו ויושיעך בכל עריך ושופטיך שהמלך היה לו להושיע את הערי׳ ואנשי המשפט אשר בהם וזהו אמרו אשר אמרת תנה לי מלך ושרים. כי לא נתתי לך מלך להיותו הכרחי ולא מועיל כי אם בעבור הפצר שאלתך. ולכן אמרתי אתן לך מלך באפי שהוא שאול. וכן לקחתיו בעברתי במלחמת הפלשתים.

ואחרי ב׳ ההקדמות האלה שהקדמתי. שמע פי׳ פרשת המלך וענין המצוה כפי אמתתה. הנה באמרו כי תבאו אל הארץ אשר יי׳ אלהיך נותן לך וירישתה

maxime admittamus, Regem eſſe neceſſarium Gentibus, non tamen neceſſarium eſſe Iſraelitis; in primis cum experientia ipſa docuerit, de Regibus Iſraelis, & Regibus Jehudah, quod fuerint inter rebellantes Luci, h. e. Deo (ex Jobi 24. 13.) Ipſi converterunt corda Iſraelitarum retrorſum, ſicut conſtat de Jeroboamo filio Nebat, & cæteris Regibus Iſraelis omnibus, de multis item Regibus Jehudæ, ita ut hujus rei cauſa in exilium abductus fuerit Jehudah, propter iniquitates, & plurimas idololatrias ſuas. Id vero non ita obſervamus in *Judicibus* Iſraelis, & Prophetis ipſorum omnium, qui viri fuerunt ſtrenui, timentes Deum, veraces, adeo ut ne unus quidem ex Judicibus fuerit, cujus cor declinaverit a Jeovah, ad colendos Deos alios: Contra autem quam pauci ex Regibus fuerunt, qui immunes fuerint ab Idololatria? Omnia hæc evincunt, Regimen *Judicum* eſſe bonum; Regimen vero *Regum* malum, pernicioſum, & periculoſum. Hæc ſi expenderis, & ſciveris, facile intelliges, quæ Prophetæ mens fuerit, quando dixit; *Dabo ipſis Regem in ira mea*, *Hoſ.* 13. *verſ.* 11. Id enim non, ut R. Moſes Nachmanides voluit, intelligendum de Regibus Iſraelis; quia illi non fuerunt de ſemine domus Davidis; ſed de Rege abſolute. Cohærentia & ſeries verſuum præcedentium docebit te veritatem ſententiæ meæ; Dicit: שחתך ישראל כי בי בעזרך אהי מלכך איפה ויושיעך בכל עריך ושפטיך אשר אמרת תנה לי מלך ושרים אתן לך מלך באפי ואקח בעברתי Vult dicere; *Tu, o Iſrael, perdidiſti te ipſe, petendo Regem; nam in me fuit auxilium tuum, non in Rege. Et ubi eſt rex tuus, quem petiiſti ut ſervet te in bellis? ubi ille nunc eſt, quod non ſervat civitates & judices qui ſunt in civitatibus?* Hoc ſibi vult dum dicit; *Ut ſervet te in omnibus civitatibus tuis, & Judices tuos*: Nam Rex debuiſſet tueri civitates & judices qui ſunt in eis. Quod vero dicit; *Quia dixiſti, da mihi Regem & Principes*, ejus ſenſus eſt; *Non dedi tibi Regem, quod tibi eſſet neceſſarius vel utilis, ſed ad inſtantem petitione tuam*. Ideo dicit; *Dedi tibi regem in ira mea*, Saulem ſcilicet, atque etiam *in excandeſcentia mea abſtuli illum*; in bello ſc. Philiſtæorum.

Poſt præmiſſas has Duas propoſitiones, audi nunc meam *Expoſitionem Contextus Moſaici de Rege, & verum Præcepti illius ſenſum*. Quando dicitur Deuter. 17. ℣. 14. *Quum ingreſſus fueris in terram, quam Jehovah Deus tuus dat tibi, & poſſederis eam, & habitaveris in ea*, ac di-

וישבתכה ואמרת אשימה עלי מלך בכל
הגוים אשר סביבותי אין בזה מצוה כלל
כי לא צוה השי׳ שיאמרו זה וישאלו מלך.
אבל התה הוא הגדת העתיד. יאמר אחרי
היותכם בארץ הנבחרת. ואחרי הכבוש
והמלחמות כלם ואחרי החלוק וזהו אמרו
וירישתה וישבת בה אני ידעתי שתהיו
כפוים טובה כשתאמרו מעצמכם אשימה
עלי מלך לא מפני ההכרח להלחם עם
העממים ולכבוש את הארץ כי כבר היא
נכבשת לפניכם כי אם להשתות עם האומות
הממליכים עליהם מלכים. ובזה מהסכלות
כי היה לכם לשאול מלך בהכנסתכם לארץ
ללחום את מלחמותיכם שאז היה הזמן
הנאו׳ לצרכו לא אחרי הכבוש והחלוק
והישיבה בטח בדד בארץ. וזהו אמרו ואמר׳
אשימה עלי מלך ככל הגוים אשר סביבותי
רוצה לומר לא להכרח ולא לצורך כלל כי
אם לעשותכם כמעשה הגוים. וזכר שכאשר
יקרה זה לא ימליכו המלך ההוא כרצונם
כי אם אשר יבחר יי׳ בו מקרב אחיהם וזהו
עצם המצוה ואמתה. רוצה לומר שום תשים
עליך מלך מקרב אחיך לא שיצוה אותם
שישאלוהו. כי אם שכאשר ישאלו אותו
מרצונם שלא יבחרוהו מעצמם כי אם אשר
יבחר יי׳ מקרב אחיהם. ולפי זה יהיה ענין
המלך מצות עשה תלויה בדבר הרשות.
כאומר כאשר מרצה לעשות כן עם היותו
בלתי ראוי. אל תעשה אותו כי אם בזה
האופן. והוא דומה לפרשת כי תצא
למלחמה על אויביך וגומר וראית בשביה
שאינו מצוה שיחשוק בה ויבעלנה ולא
שיקחנה ויבעלנה כמו שהיא. אבל הוא דבר
הרשות ומפעל היצר הרע. והמצוה היא
אחרי הבעילה הראשונה ההיא. שאמר
והבאת אל תוך ביתך וכאש׳ זכרו חכמינו
ז״ל בקדושין פ״א ודומה לזה גם כן פרש׳
כי תוליד בנים ובני בנים ונושנתם בארץ
והשחתם ועשיתם וגומר. שאין זה מצוה
כי אם עון פלילי. אבל תלוי בו המצוה
שהיא ושבת עד יי׳ אלדיך שבאשה יהיו

dixeris; Constituam super me Regem, ut omnes gentes quæ sunt in circuitibus meis; nullum est in his verbis *Præceptum*; quia non præcepit Deus ut dicant hoc, & petant Regem: sed *Prædictio* ejus, quod futurum erat. Dicit *Posteaquam eritis in terra promissa, post ejus occupationem, & bella omnia, post divisionem item ejus, scio quod ingrati sitis futuri, a vobis ipsis dicentes*, Constituam super me Regem; *non quod necessarius ille sit ad gerenda bella cum illis populis, & ad terram occupandam: jam enim occupata erit, sed ut* æquales simus illis populis, *qui super se Reges constituunt. Qua in re magna est stultitia: nam debuissetis petere Regem antequam ingrederemini in terram illam, ad eam occupandam, & ad bella gerenda: tum enim eo opus fuisset, non post terræ occupationem, divisionem, & inhabitationem tranquillam.* Hoc est, quod dicit; *Et dixeris, Constituam super me Regem sicut omnes gentes, quæ sunt in circuitibus meis*; Vult dicere; *non ex necessitate ulla, sed ut faciatis sicut cæteræ gentes.* Postea dicitur, posteaquam hoc contigerit, illos Regem illum non constituere debere pro arbitrio suo, sed, *Quem elegerit Jehova Deus, e medio fratrum suorum.* Et hic est demum ipsum Præceptum. Vult enim dicere; *Constituendo constitues super te Regem e medio fratrum tuorum*; non præcipiens, ut petant eum, sed quando ipsi sponte sua petituri essent illum, ne eum eligant ex seipsis, sed *Quem elegerit Dominus, Deus, e medio fratrum ipsorum.* Ideo Regis constitutio Præceptum est affirmativum liberum & arbitrarium; ac si diceret; *Quando vis facere Regem, quamvis id non sit rectum, ne facias eum, nisi isto modo.* Et hoc simile est ei quod legitur Deuteron. 21. 11. *Si videris in captivitate mulierem pulchram forma* &c. ubi nullum est Præceptum, ut ludat cum ea, & ducat eam; neque etiam ut legitime ducat eam, & congrediatur cum ea; sed est res arbitraria, & opus concupiscentiæ malæ: Præceptum postea demum sequitur, quando dicit; *Et introduces eam in domum tuam*, ut Rabbini nostri scribunt in Kiddusch. cap. 1. Huic etiam simile est, quod legitur Deut. 4. 25. *Quum genueris filios, & nepotes, & senueritis in terra illa, corruperitis autem vos, & feceritis sculptile*, &c. hoc enim non est Præceptum, sed gravissima Iniquitas: dependet autem ab eo Præceptum, quod est; *Et convertes te ad Dominum Deum tuum, & parebis voci ejus*, ibid. ℣. 30. Prorsus ita comparatum est cum præsenti loco de Rege: Non enim

חטאים ישובו אל יי׳ וישמעו בקולו. וכן בעצמו ענין המלך שאין שאלתו מצוה כי אם רשות ומפעל היצר הרע עם היות שנתלית בו המצוה שישימו המלך ההוא בבחירת הש״י מקרב אחיו ולא באופן אחר. וכבר יורו על זה ה׳ דברים.

הא׳ כי איך יצוה הש״י לישראל שישאלו המלך אם לא היתה בחירתו בידיהם ומה צורך בשאלתם אותו ויותר היה ראוי שיצוה מה שהיה בידיהם לעשות שהוא לנהוג בו כבוד ושלא ימרו את פיו אבל הקמת המלך יהיה מפעל האל יתברך. והוא כענין הנביא שלא היה צריך לישראל שישאלו נביא כיון שאינו בידיהם אבל השם יתברך יקים אותו כרצונו.

והב׳ כי אם היה אמרו ואמרת אשימה עלי מלך מצוה. איך יאמר הכתוב ככל הגוים אשר סביבותי. והנה השאלה ראוי שתהיה מפני שצוה הקדוש ברוך הוא עליה לא להיות כן לגוי׳. הראית בלשון הזה בשאר המצות שיאמר עשו זה ככל הגוים אבל הוא בהפך שהזהירנו לא תעשה כמעשיהם.

והג׳ מאשר ר״ל במסכת סנהדרין פ׳ כהן גדול כשאמרו ג׳ מצות נצטוו ישראל בכניסתן לארץ. להעמיד להם מלך. ולהכרית זרעו של עמלק. ולבנות את בית הבחירה. לא סמכו מצות המלך אל ואמרת אשימה עלי מלך בהיותו הפסוק הראשון. אבל סמכו לשום תשים עליך מלך אשר יבחר יי׳ אלהיך בו. והוא המורה שאין הפסוק הראשון מצוה כי אם הגדת העתיד והמצוה היא בפסוק השני על הדרך שאמרתי. ויהיה כח המאמר שנצטוו ישראל בכניסתן לארץ שכאשר ישאלו ישראל מלך שאז ישימו מי שיבחר בו הש״י ושיהיה מקרב אחיהם. לא שימנו עליהם מלך בסתם. ולזה מה שאמר שם רבי נחמיה אומר לא נאמרה פרשה זו אלא כנגד תרעומתן של ישראל שנאמר ואמרת אשימה עלי מלך. הנה כוון החכם הזה לדעתי.

est præceptum de Rege petendo: hoc quippe est penes hominem, & concupiscentiæ malæ opus: est autem ei præceptum annexum, ut, si Regem habere velint, eum constituant per Dei electionem, & e fratribus suis, non aliter. Hanc Expositionem confirmo Quinque fundamentis:

I. Quomodo præcipiet Deus Israelitis, ut petant Regem, si electio ejus non fuit penes ipsos? Quæ necessitas petitionis ipsorum? Convenientius fuisset, ut præciperet id, quod in potestate ipsorum erat facere; veluti, Honorare eum, Ori ejus non rebellare: Regis autem constitutio futura erat Opus Dei Benedicti. Sic non fuit necessarium Israelitis, ut peterent Prophetam aliquem, quia non penes ipsos fuit ejus eligendi facultas; sed Deus Opt. Max. suscitaturus eum erat pro suo placito.

II. Si Præceptum est, quod dicitur: ואמרת & illud vertas; Et *dicito*; *constituam super me Regem*; quid sibi vult, quod porro dicitur, *Sicut omnes gentes, quæ in circuitibus meis*? Petitio merito fieri debuisset propter præceptum Dei, non propterea quod cæteræ gentes omnes Regem haberent. An tale quid invenitur in cæteris Præceptis, ut dicatur; *Facite hoc, ut aliæ gentes*? contrarium potius dicitur *Non facies juxta opera eorum*.

III. Ex eo quod Rabbini nostri dicunt in Tractatu Sanhedrin, capite כהן גדול. Dicunt ibi: *Tria præcepta data sunt Israelitis, cum ingrederentur in terram Canaan: Ut constituerent super se Regem: ut exscinderent semen Amalek: & ut ædificarent Templum*. Præceptum de Rege ibi non fundant in his verbis; *Et dices, Constituam super me regem*; sed in sequentibus; *Constituendo constitutes super te Regem, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Quod docet, Versum primum nullum continere Præceptum, sed Prædictionem ejus quod futurum erat: Præceptum autem esse in versu sequenti, eo modo quo dixi, ut sensus dicti illius Rabbinorum nostrorum sit, *Israelitas, cum ingressuri essent in terram Canaan, jussos fuisse, ut, si Regem petituri essent, eum constituant, quem Dominus Deus elegerit, & qui sit ex fratribus ipsorum, non vero ut absolute Regem constituant*. Ideo, quod illic dicitur, id R. Nehemias dicit; *Non dicta ista pericope de Rege, nisi respectu murmurationis Israelitarum, sicut dicitur*; Et dixeris, constituam super me Regem; atque ita iste Rabbi in meam sententiam inclinavit.

IV.

והר׳ כי אם היתה שאלת המלך מצוה בפני עצמה שישאלו אותו . יתחייב שתהיה מצוה שנית שישימו עליהם מלך אשר יבחר בו הש׳ מקרב אחיהם. שהם ב׳ מצות עשה מתחלפות. הא׳ שישאלו מלך : והב׳ שיהיה מקרב אחיהם אותו אשר יבחר הש׳. וזה לא קבל אחד ממוני מצות אלה . שהיא מצות עשה אחת לשים מלך מקרב אחיהם. וכן כתב הרמב״ם במצוה הזאת ז״ל מצות עשה למנות מלך מישראל . אבל לא אמר למנות מלך סתם . ומצות לא תעשה היא לא תוכל לתת עליך איש נכרי . הוא מה שיורה שהעשה הוא שישימו מלך מקרב אחיהם לא שישימו מלך בסתם.

וחה׳ שכאשר ישראל שאלו מלך לא שאלו אותו לשם מצות כי לא אמרו תנה לנו מלך כאשר צוה יי׳ את משה. אבל אמרו תנה לנו מלך לשפטנו ככל הגוים . וכאשר שמואל הוכיחם על זה איך לא השובוהו מה פשענו ומה חטאתינו הלא יי׳ צוה לעשותו . אם לא שהיה מקובל וידוע ביניהם ששאלת המלך איננה מצוה ושהם שאלוהו ליצרה הרע. וכאשר תדע זה תשיב אל הספק הי׳ הנזכר . שישראל לא נצטוו בתורה על שאלת המלך. ושלא היה המלך צריך ולא הכרחי להנהגת קבוציהם כמו שבא בהקדמה שנית. אבל היה המלך מזיק לכל אומה ולשון כמו שבא בהקדמה ראשונה . ומפני זה כאשר שאלו המלך שהיה מנהיג מסוכן וכל שכן בערכם שהיו בלתי צריכים אליו . לכן חרה אף יי׳ בעם ואמר לשמואל לא אותך מאסו כי אותי מאסו ממלוך עליהם: ומפני זה לא הקים יהושע מלך גם לא שאר השופטי׳ וראי יי׳ וחושבי שמו . להיותו דבר בלתי הגון אליה׳.

והנה לאומר שיאמר אם היתה שאלת המלך רעה ובלתי הגונה אם כן כאש׳ שבו ישר׳ בתשובה ואמרו כי יספנו על כל חטאתינו רעה לשאל לנו מלך . למה לא מזבו החטא וחזרו מהמלכת המלך . ומה הועילה תשובתם מבלתי עזיבת החטא והיות כטובל ושרץ בידו . גם האל יתברך

IV. Si Petitio Regis præceptum fuit per se, & ipsis mandatum, ut peterent Regem, sequitur secundum præceptum esse in his verbis; *Constituendo constitues super te Regem*, *quem elegerit Deus*, &c. atque ita duo distincta esse præcepta; *unum*, ut Regem petant; *alterum*, ut ille sit e medio fratrum ipsorum, quem Deus elegerit. Atqui est Præceptum unicum, ut constituant Regem e medio fratrum suorum. Sic enim scribit Majemon ad præceptum istud; *Præceptum affirmativum est*, *ut constituatur Rex ex Israelitis*; Non dicit, *Ut constituant Regem absolute*. Præceptum *negativum* est; *Non poteris constituere super te virum alienigenam*. Unde liquet, Affirmativum præceptum esse, Ut constituant Regem e medio fratrum suorum, non ut constituant Regem absolute.

V. Quando Israelitæ petierunt Regem, non petierunt eum Nomine præcepti (non fundarunt eam in Præcepto): non enim dixerunt: *Da nobis Regem*, *sicut Præcepit Moses*; sed dixerunt; *Da nobis Regem ad judicandum nos*, *ut omnes gentes*. Et cum Samuel eos hujus rei gratia redarguisset, cur non responderunt ei; *Quæ est prævaricatio nostra*, *& quod peccatum nostrum? annon Deus præcepit nobis*, *ut ita faciamus*? Nempe, quia nec traditum, nec cognitum inter ipsos fuit, petitionem Regis ullo præcepto niti, & quod petierint eum ex prava sua concupiscentia. Hoc ubi sciveris, respondebis ad Decimum Dubium, quod movi; Israelitas in Lege non jussos fuisse petere Regem neque regem fuisse necessarium ad regendos cœtus ipsorum, sicuti in propositione præmissa secunda ostensum: sed Regem fuisse perniciosum toti populo, uti visum in propositione prima. Ideo, cum petierunt Regem, quia petierunt Rectorem periculosum, maxime ipsis, qui eo non habebant opus, idcirco exarsit ira Dei in populum, & dixit Deus ad Samuelem; *Non te spreverunt*, *sed me spreverunt*, *ne regnem super ipsos*. Ideo etiam nec Josua, nec cæteri Judices timentes Deum, & venerantes nomen ejus constituerunt Regem; quod res hæc ipsis non conveniret.

Si quis dicat; *Si petitio Regis mala fuit*, *& inconveniens*, *quare cum Israelitæ egissent pœnitentiam*, *& dixissent*, Quia addidimus omnibus peccatis nostris etiam malum hoc, ut peteremus nobis Regem; *quare*, *inquam non dereliquerunt tum peccatum istud*, *& destiterunt a constitutione Regis? quid profuit ipsis pœnitentia*, *sine derelictione peccati? quare item Deus postea misit ad Da-*

למה שלח אחרי כן למשוח את דוד למלך על ישראל ונתן לו ולזרעו אחריו ברירת המלכות לעולם והיו אם כן תמיד בחטאם. אשיב ואומר שאם תהיה שאלת המלך חטא מפורסם שהזהירה התורה עליו יהיה התר זה ממה שיקשה. אבל אני לא אמרתי אלא שהיה הדבר דבר הרשות. ובהיותו כן לא צותה התורה עליו גם לא צותה על עזיבתו. לפי שדברה תורה בזה כנגד היצר הרע. והוא כענין היפת תואר שלא צותה התורה שיחשוק בה ויבעלנה בנדותה וכמו שהיא באמונת׳ בתוך המלחמה. ולא הזהירה גם כן שלא יעשה זה לפי שחששה ליצר הרע. ומפני זה אחר שנבעלה לא צוה שעזבנה. כי אם שיגיירה ויחזירנה יהודית. ולכן ארוננו דוד בחיר יי׳ עם היותו ירא אלהים וסר מרע. כאשר לקח במלחמה את מעכה בת תלמי מלך גשור שהותה יפת תאר לא עזבה אחרי כן. והיא היא הילדה לו תמר ואבשלום. ככה היה ענין המלך ששאלת ואינה מצוה ואיננה גם כן עברה נאסרת בתורה. ולכן אחרי ששאלו אותו ונמשח לא חזרו ממנו והיה די להם שיקיימו המצוה לשום להם אותו המלך מקרב אחיהם. ולזה מה שאמ׳ שמואל אליהם אל תיראו וגו׳. אך לא תסורו מאחרי יי׳. ר״ל אל תסורו כי אין הדבר אסור מצד עצמו. כי אם לא תסורו מאחריו יהיה המלך כלי ומשען להצלחתכם וטובכם. ואם לא תעשון כן גם אתם גם מלכם תספו. ולכן נמשחו המלכים ובחר יי׳ בדוד עברו ויקחהו ממלאות צאן. לפי שהיה גלוי לפניו ית׳ תהיה ירא אלהי׳. ובמצותיו חפץ מאד. הנה התבארה הפרשה הזאת והותר הספק הזה.

והנה אמר לא תוכל לתת עליך איש נכרי. להגיד שאם יעלה על רוחם להיות ממליך עליהם איש נכרי הנה לא יספיק הש״י בידם ולא יצלוחו בו ולכן לא יעשו כן אבל יהיה מקרב אחיהם אשר יבחר הש״י. והנה לא ראה הש״י למסור בחירת המלכי׳ ביד ההמון לג׳ סבות. הא׳ לפי שהמלך עניז מזיק מא׳ להמון העם כמו שזכרתי. ולכן אין ראוי שיובחר כ״א להכרח גדול ולפי

videm in Regem ungendum super Israelem, illique, & semini ejus post ipsum, confirmavit Regnum in seculum? Sic semper persliterunt in peccato suo. Ad hoc respondeo; Si Petitio Regis peccatum fuisset notorium, Lege prohibitum, solutionem fore difficilem; sed ego dico, nihil aliud fuisse, quam דבר הרשות *Rem permissam*, lege neque præceptam, neque etiam prohibitam: quia Lex loquuta est hac de re, rationem habens concupiscentiæ hominum malæ. Eadem est ejus ratio, quæ Mulieris formosæ in bello captæ, de qua Lex nuspiam præcepit, ut, qui captivam eam cepit, vel eam ducat, vel cum ea consuescat, uti solent facere in Bello; non etiam præcepit ne id fieret; quia indulsit concupiscentiæ malæ. Propterea, posteaquam compressa fuit, non præcepit, ut derelinquat eam, sed ut eam proselytam & Judæam faciat. Hinc David, electus Domini, quamvis timeret Deum, & vitaret malum, cum in bello cepisset, & duxisset Maacham, filiam Talmaj, Regis Geschur, quæ fuit forma præstans, nunquam postea eam deseruit. Et ea ipsa fuit, quæ ei peperit Thamarem & Absolomum. Eadem ratione Petitio Regis, nec fuit præcepta, nec etiam Lege prohibita. Hac de causa, postquam petierunt eum, & unctus fuit, non revocarunt, sed satis fuit ipsis, observare præceptum *de constituendo Rege e medio fratrum suorum*. Ideo quando dixit ad eos Samuel; *Ne timeatis* &c. *Tantummodo ne recedatis a Domino*, voluit dicere; *Ne timeatis: nam non est res per se prohibita; sed, si non recesseritis a Domino, erit Rex instrumentum & promotor prosperitatis vestræ, & boni vestri: quod si vero secus feceritis, tum vos, tum Rex vester, consumemini*. Ideo uncti fuerunt Reges, & elegit Dominus Davidem servum suum, accepitque eum a caulis ovium; quia fuit ipsi compertum, quod sit Timens Dei, & præceptis ejus delectetur. Sic iste versus est expositns, & dubium istud solutum.

Porro dicitur *vers.* 15. *Non poteris constituere super te virum Alienigenam;* ad indicandum, quod si in mentem ipsis venerit Regem constituere alienigenam, Deum non daturum ipsis per eum successum: ideo non sic debebant facere, sed assumere Regem e medio fratrum suorum, *quem Deus elegerit*. Noluit Deus largiri potestatem eligendi Regem arbitrio vulgi, ob tres causas. 1. Quia Rex est res detrimentosa valde communi populo, sicut dixi: ideo non debet eligi, nisi summa necessitate requirente: &

שהעם לא יבחין זמן ההכרח הזה כ״א הש״י. לכן לא היה ראוי להם לבחור מלך כ״א הש״י. והסבה הב׳ שאע״פ שהמון העם יבחר הזמן הראוי אל המלכת המלך. הנה אין ראוי שהעם יבחר בו לפי שהדבר קשה ועמוק להכיר את יצר לב האדם. ואע״פ שנגלהו נקי וזך וישר פעלו אולי בקרבו ישי׳ ארבו וכמאמר הנביא עקוב הלב מכל ואנ״ש הוא מי ידענו. ולפי שהיה ראוי למלוך מי שיהיה נקי המחשבות טהור הרעיוני׳ ורא חטא ושפל רוח כמו שאמר ולא ירבה לו סוסים ולא ירבה לו נשים לבלתי רום לבבו. לכן לא היה ראוי לעם שהם יבחרו בו כי הם לא ידעו ולא יבינו הזה יכשר. וכמאמר הש״י לנביא אל תביט אל מראהו וגו׳ כי לא את אשר יראה האדם. אבל אל הש״י היא הבחירה שהוא חוקר לב ובוחן כליות. והסבה הג׳ שאע״פ שהעם ידעו הכרח הזמן וצורך השעה להמליך עליה׳ מלך ויספיק שכלם לבחור בטוב ולמאוס ברע הנה עם כל זה אין ראוי להם לבחור המלך לפי שתהיה בחירת׳ אותו מחייבת דברי ריבות וקטטות עצומו׳ ביניהם באמור כל אחד ואחד אני אמלוך. אבל בהיות הבוחר הוא יתעלה מי יאמר לו מה תעשה. והנה מפני הסבות האלה צותה התורה אשר יבחר יי׳ אלדיך בו.

והנה הזכיר הש״י והזהיר רק לא ירבה לו סוסים ולא ירבה לו נשים וכסף וזהב לא ירבה לו מאד. לפי שהמלכים מהם שישימו חפצם ומאויים ברבוי הסוסים מפני המעלה והכבוד והצלחת המלחמות. ומהם שלא ירצו במלחמו׳ כי אם לשבת בבתיהם באהבה כתענוגים וירבו נשים למלאות תאותם ומהם שתהיה יגיעתם והשתדלותם לאסוק ממון. ולפי שהמלך אשר יבחר הש״י ראוי שיהיה מרוחק ומשולל מכל התאוות הגשמיות המדומות האלה הזהירו שישמר מנטות אחרי מחשבות מלכי האומות רעות ותאוותיהם. וכאלו אמר אך על פי שהיתה שאלתכם מלך ככל הגוים. לא ישים גבורתו בסוסים עע״כום כי תשועתו ותקותו תהיה

& quia populus nequit diſcernere tempus neceſſitatis hujus, ſed Deus ſolus, idcirco non debuerunt illi eligere Regem, ſed Deus. 2. Licet vulgus eligat tempus conveniens ad conſtitutionem Regis; non tamen convenit, ut eligat eum; quia grave & arduum eſt agnoſcere concupiſcentiam cordis humani. Licet enim extrinſecus ſit inculpatus, innocens, honeſtus, forte tamen interius latentem habet malitiam, ſicut Propheta dicit; *Profundum eſt cor hominis, præ omnibus, & perverſum, quis cognoſcet illud?* Jerem. 17. 9. Et quia dignus regno eſt, qui purus eſt in cogitationibus ſuis, timens peccatum, & humilis ſpiritu, ſicut dicitur; *Non multiplicabit ſibi equos & uxores, ne elevetur cor ejus*; idcirco non poteſt populus Regem eligere, quia nec ſciunt, neque agnoſcere poſſunt, an talis idoneus ſit futurus, ſicut etiam Propheta ait; *Ne reſpicias ad formam ejus*, &c. *nam non quod aſpicit homo* &c. 1. Sam. 16. 7. Sed apud Deum debet eſſe electio, quia ipſe ſcrutatur corda, & probat renes. 3. Quod licet populus ſciat neceſſitatem Temporis & horæ, ad conſtituendum ſuper ſe Regem, & intellectus ipſorum ſufficiat ad eligendum Bonum, & reprobandum Malum; tamen ideo quoque non e re eſt, ut ipſi eligant Regem; quia fieri non poteſt ut ſine contentionibus, rixis, & æmulationibus multis inter ſe, id faciant, dum unuſquiſque dicturus eſt; *Ego regnabo*. Quando vero Elector eſt Deus, quis dicet ei; *Quid facis?* Propter has cauſas dixit; *Quem elegerit Dominus Deus tuus.*

Poſt hæc ſequitur in Lege; *Tantum ne multiplicet ſibi equos, neque Uxores, neque Argentum & Aurum*. Quia Regum *aliqui* delectionem ſuam ſummam ponunt in multitudine *Equorum*, tum majeſtatis & honoris ſuæ cauſa, tum propter illorum neceſſitatem in Bellis gerendis; *alii* ſunt, qui non amant bella, ſed domi ſuæ reſidere malunt, & in Amore, & Voluptatibus dies ſuos transfigere, indeque ſibi uxores multiplicant, ad ſatisfaciendum ſuis cupiditatibus: *alii* laborant in magnis Divitiis & opibus colligendis; Rex autem, quem elegerit Dominus procul & immunis eſſe debet ab omnibus hujuſmodi cupiditatibus corporalibus vanis & imaginariis; idcirco hortatur Lex ut caveat ſibi, ne declinet ad cogitationes Regum Gentium malas, eorumque deſideria; quaſi dixiſſet; *Etiamſi petitio veſtra eo tendat, ut Regem habeatis ſicut omnes gentes; nolo tamen, ut potentiam & fiduciam ſuam ponat in equis; quia Salus, & ſpes ejus debet eſſe in Deo* vi-

באל חי ולא בגבורת הסוס יחפץ. וכבר בא בקבלה האמתית בפר׳ כ״ג ובספרו ולא ירבה לו סוסים אבל מרבה הוא לו כדי רכבו ופרשיו. וכאמרו ולא ישיב את העם מצרימה אין הכונ׳ בו שיאסור ללכת למצרי׳ להתעסק בסחורה. ולא לקנות סוסים כי הנה איסור ההליכה למצרים אינה כי אם לדור שמה כמו שבא בירושלמי בשלשי סנהדרין והביאו הרמ״בן. ולא יקשה אמרו ולא ישיב את העם מצרימה למען הרבות סוס כיון שקנין הסוסים סחורה היא ואין הסחורה אסורה למצרים אבל כוון הכתוב שהמלך לא ירבה לו סוסים מארצו ומיתר הארצות ולא יבטח על רכבו כי רב הוא. ועל פרסיו כי עצמו. אבל יהיה מבטחו בהש׳. ולפי שרבוי הסוסים והבטחון יביאם ללכת מצרים בעת צרה ולבטוח בהם. לזה אמר ולא ישיב את העם מצרימה. ר״ל לשאל ממצרים עזרה כמאמר הנביא וידעו כל יושבי מצרים כי אני יי׳ יען היותם משענת קנה לבית ישראל. ואפשר לומר עוד שיהיה זה סבה אל שישובו ישראל להיות גולים למצרים ועליו אמר גם כן ולא ישיב את העם מצרימה. והזהירו עוד בענין התפנוגים שלא יטה אליהם יותר מן הראוי. ולפי שעקרן הנשים אמר ולא ירבה לו נשים. ולפי שהתענוגים והנשי׳ יסירו הגבורה והשכל׳ כמאמר הנביא זנות יין ותירוש יקח לב. לכן אמר ולא יסור את לבבו. וכבר אמרו רבותינו ז״ל בסנהדרין פ״ב ששלמה המלך ע״ה טעה ועבר על המצות האלה. אם ברבוי הסוסים אמר ותעל ותצא מרכבה ממצרים. ואם בענין הנשי׳ אמר ויהי לעת זקנת שלמה נשיו הטו את לבבו. והזהירו עוד על ענין הממון ורדיפת העושר באמרו וכסף וזהב לא ירבה לו מאד. ובספרי שמרו לו הוא דאינו מרבה אבל מרבה הוא כדי

vivo, qui non delectatur fortitudine equi. Per Cabalam veracem accepimus in capite Talmudico כהן גדול, & in Siphre; Non multiplicabit *sibi* equos; *sed potest multiplicare pro curribus & satellitibus suis; sicut cum dicitur;* Et non redire faciet populum in Ægyptum; *ubi intentio non est prohibere, ire in Ægyptum negotiandi causa, & equos comparandi:* Prohibitio enim reditus in Ægyptum non est facta, nisi generationi Mosis, sicut legimus in Talmud Hierosolymitano in fine Sanhedrin, & id adductum est a R. Mose Nachmanide. Itaque non est, quod quis hic istum locum objiciat; *Et non redire faciet populum in Ægyptum, ut multiplicet equos;* quia Emptio equorum est negotiatio: negotiatio autem cum Ægyptis non fuit prohibita. Sensus itaque horum verborum est, *Regem non debere sibi multiplicare equos ex terra vel sua vel aliorum, neque confidere suæ multitudini & potentiæ, non equis & equitibus numerosis, sed unicam suam fiduciam debere esse Deum:* Et quia multiplicatio equorum, & fiducia in eis, poterat ipsum impellere ut iret ad Ægyptios tempore angustiæ, & illis confideret, ideo dicit; *Et non redire faciet populum in Ægyptum,* ad petendum sc. auxilium ab Ægyptiis, sicut Propheta dicit; *Et scient omnes habitatores Ægypti, quod ego Jeovah, quia fuerunt scipio arundineus domui Israelis,* Ezech. 29. 6. Ad hæc potest dici, quia hoc facile posset esse causa, ut Israelitæ iterum migrarent in Ægyptum; ideo dici; *Et non reverti faciet populum in Ægyptum.* Dehinc dehortatur Regem a *Voluptatibus,* ne magis quam par est, illis indulgeat: Harum præcipuum objectum cum sint *Mulieres,* ideo dicit; *Et non multiplicabit sibi uxores.* Et quia voluptates & mulieres auferunt potentiam & intellectum, ut Propheta dicit; *Scortatio, vinum, & mustum, auferunt cor,* Hos. 4. 11. ideo additur; *Ut non recedat cor ejus.* Et Rabbini nostri in Sanhedrin cap. 2. scripserunt, *Salomonem Regem errasse, & transgressum esse præcepta ista, tam multiplicatione equorum, sicut dicitur;* Cæterum ascendebat & egrediebatur currus ex Ægypto, 1. Reg. 10. 29. *quam multiplicatione uxorum, sicut, dicitur;* Et fuit tempore senectutis Salomonis, uxores ejus inclinaverunt cor ejus, 1. *Reg.* 11. 4. Post hæc præcipit etiam de *Divitiarum & Opum nimio studio ac desiderio,* dum dicit; *Neque argentum & aurum multiplicabit sibi valde.* Id in Siphre sic explicant; sibi, *seu,* pro se *non multiplicabit, sed multiplicabit, ad stipendia dan-*

ליתן אכסניא לאנשים לעבדים לחיילים ולפרשים. יאמר שלא ישים השתדלותו בעושר מפאר עצמו כי אם להצאר מלחמותיו ולעבודת השם ית׳ ולכבוד עמו. ואמנם הטעם בזה לא זכרו הכתוב להיותו מבואר שאם ירדוק אחר העושר יבא עניננו לקנותו שלא ברין בעשק ובחמס. והרמב״ם פ״ג מהלכות מלכים כתבזה את המלך או שיחרפהו יש למלך רשות להרגו אבל אין למלך רשות להרוג כי אם בסייף לבד. ויש לו לאסור ולבוות בשוטים לכבודו אבל לא להפקיר ממון והמפקיר ממון הרי זה גזל׳. ולפי שכח המלך גדול. ואיננו משועבד אל משפטי התורה כשופט. אמר שלא יחשוב מפני זה שיהיה פטור מן התורה אבל ישתדל מאד לירא את הש׳ ולבלתי סור מן המצוה. ולכן צוהו הש׳ שיכתוב לו את משנה התורה וירמה שיהיה ספר אלה הדברים שרוב גופי התורה תלויים בו והוא ספר קטן הכמות. שיוכל להביאו כמו קמיע. אבל חז״ל קבלו בסנהדרין פ׳ כ״ג שהוא הספר תורה כלו שהוא מצוה על כל ישראל להיות לו ספר תורה אחד. והמלך היה מחוייב להיות לו שנים. האחד להיות עמו בבית גנזיו והאחר להיות עמו תמיד. הוא יוצא למלחמה והוא עמו. יושב ברין והוא עמו. יושב בסעורה והוא עמו. ונתן בזה שתי תכליות. האחת אמרו למען ילמד ליראה את יי׳ אלדיו. והיה זה בלמדו החלק הראשון מן התורה. והוא מספורים הצפלאים ממנה. והשנית אמרו לשמור את כל דברי התורה הזאת. והיה זה בעיונו בחלק השני מהתורה שהיא במצות. וזכר למה הזהיר אותו כל כך ליראה את יי׳ ולשמור את כל דברי התורה עם היות זה כולל בכל ישראל. ואמר שהוא הזה על זה לבלתי רום לבבו מאחיו. רוצה לומר כי בהיותו מלך טבע השררה והמלכות יפתוהו להתגאות. ולזה הוצרך להזהיר אותו ולצוות עליו ביחוד ליראה את יי׳ אלדיו ולהשפיל את יצרו כדי שלא ירום לבבו מאחיו ולא יסנאה במלכותו

danda aliis, ministris, militibus, & equitibus: H. e. *non studebit divitiis propter se, sed pro usibus necessariis ad Bella, ad Cultum Dei, & Gloriam populi sui.* Verum Scriptura de hoc nihil commemorat; quod palam sit, si sectetur divitias certo futurum, ut eas comparet iniquis mediis, per violentiam & oppressionem subditorum. Rambam cap. 3. de Regibus scribit; *Quicunque spernit Regem, aut ignominia eum afficit, eum Rex potest occidere, sed nonnisi gladio: potest etiam eum in vincula conjicere & flagris cædere propter honorem suum, sed non potest liberas facere facultates ejus: quicunque enim liberas facit facultates alterius, is Raptor est.* Et quia potestas Regis magna est, neque subjectus est judiciis Legis, sicut Judex, ne cogitet, se plane exemtum a Lege esse, sed ut serio Deum timeat, neque a præceptis ejus recedat; ideo præcepit Deus, *ut scribat sibi* משנה *Duplum, Exemplar duplex Legis*, per quod videtur intelligi Liber *Deuteronomii*, (quia ille liber continet משנה *Repetitionem Legis*) in quo præcipua Legis capita continentur, & est liber quantitate parvus, ut secum eum instar Enchiridii portare possit. Sed Rabbini nostri in Sanhedrin tradiderunt, capite כהן גרול, esse *totum Librum Legis*; quia præceptum est, ut singuli Israelitæ habeant Librum Legis unum: Rex autem debebat habere Duos; *Unum* in archivis suis, & *alterum*, quem continue secum deferat; sive egrediatur in bellum, sive sedeat pro judicio, sive sit in prandio, semper eum ad manus debebat habere. Hujus rei duæ dantur causæ, seu duo fines. *Primus* indicatur, quando dicitur; *Ut discat timere Dominum Deum suum*; dum nimirum discit primam Legis partem, in qua habentur Historiæ admirandæ & insignes: *Secundus*, quando dicitur; *Ut custodiat omnia verba Legis hujus*, dum nempe studet in parte ejus altera, quæ Præcepta continet. Exinde commemoratur, quare tam serio moneatur, ut timeat Deum, & custodiat omnia verba Legis, quod commune erat omnibus Israelitis. Dicitur ergo id ideo fieri, *Ne elevetur cor ejus supra fratres ejus;* Vult nimirum dicere; *Quia Rex est, & ipsa Natura Principatus & Regni causatur ut se efferat, ideo opus esse ut in specie ei injungatur & præcipiatur, ut timeat Dominum Deum suum, & cupiditatem suam refrenet ac deprimat, ne cor suum efferatur supra fratres suos, neque superbiat ob regnum suum.* Eodem modo reddit rationem, quare in specie ipsi præcipiatur de-

ובזה הדרך עצמו נתן הסבה למה צוה ביחוד על שמירת התורה. ואמר שהיה זה לבלתי סור מן המצוה ימין ושמאל. רוצה לומר שאף על פי שאינו משועבד כל כך למשפטי התורה יהיה נזהר שלא יעבור ולא יסור ממנה ימין ושמאל. וכמאמר דוד שאמר גם עבדך נזהר בהם. ואמר שמלבד מה שראוי למלך לעשות הדברים האלה מצד עצמם להיות תכלית האדם שבעבורו נברא היראה והעבודה האלהית. הנה הוא ראוי שיעשה זה גם כן לתקות השכר והוא שבזה יאריך ימים על ממלכתו כי בהיות המלך עובד את אלהיו ומכבד עמו ומנהיגו בנחת מבלי גאוה יהיה אהוב למעלה ונחמד למטה ויאריך ימים על ממלכתו. ואמר הוא ובניו בקרב ישראל. לפי שבני המלך יורשים את ממלכתו.

ואפשר לפרש ולא ישיב את העם מצרימה שאיננו סבה לאסר ריבוי הסוסים. ולכן לא אמר למען לא ישיב שהוא הלשון המורה על הסבה אבל היה ענינו שלא ירבה לו סוסים ולא יצטרך להשיב את העם מצרימה למען הרבות סוס. רוצה לומר שלא ילכו מצרימה לבקש מהם עזרה ולהשען על סוסיהם. כמאמ' ישעיהו הוי היוצאים מצרים לעזרה ועל סוסים ישענו וגו'. וכן אמרו בנשים ולא יסור לבבו הוא נמשך ולא סבה. ואחרי שהזהירו מרבוי הסוסים והנשים וכסף וזהב וכתיבת משנה התורה והיותה עמו ונתן הסבה לכל מה שהזהירו עליו אם שלא ירבה לו סוסים כדי שלא ישען על סוסיו ועל פרשיו אבל יבטח ביי' ועל זה אמר למען ילמד ליראה את יי'. ואם שלא ירבה לו נשים כדי לשמור את כל דברי התורה ואת החקים האלה לעשותם. כי בהיותו כובש יצרו יקיים דברי התורה בעריות ובנדה ובשאר הדברים מה שלא יהיה בהייתו נרדף אחרי תאותיו. וכנגד מה שהזהירו וכסף וזהב לא ירבה לו מאד. אמר לבלתי רום לבבו מאחיו כי הכסף והזהב יביאוהו לגסות הרוח. וכדי להרבותו יסור מן המצוה ויהיה עושק וגוזל ונותן ברבית ושאר הדברים האסורים בתורה. וכנגד כתיבת ספר התורה והיותו עמו. אמר למען יאריך ימים

declinet ab ea ad dexteram, *aut ad sinistram*, sicut ait David; *Etiam servus tuus admonitus est de eis*, Ps. 19. 12. Denique additur; præterquam quod Rex hæc omnia per se merito observare de- Observatio Legis. Dicit id ideo fieri, *ne declinet a præcepto ad dexteram aut sinistram*; Vult dicere; *Etiamsi non adeo rigide sit subjectus judiciis Legis*; *monitus tamen erit*, *ne transgrediatur eam*, *neque* beat, eo quod hic sint finis hominis, propter quem est creatus, Timor, inquam, & Cultus Dei; insuper tamen Regem id facere debere proprer Mercedem ei promissam; Sic enim *prolongabit dies in regno suo*. Quando enim Rex servit Deo, & honorat populum suum, eumque placide, sine superbia, gubernat, Diis hominibusque charus est, & prolongabit die dies in Regno suo. Addit; *Ipse*, *& filii ejus in medio Israelis*: quia filii Regis hæredes sunt regni ejus.

Cæterum verba illa; ולא *Et non redire faciet populum in Ægyptum*; possunt etiam ita explicari, ut non sint causa cur prohibita fuerit multiplicatio equorum, (unde non dicitur; למען לא ישיב *Ut non redire faciat*, quæ causalis est loquutio), sed ita; *Non multiplicabit sibi equos*, *& non necesse habebit redire facere populum in Ægyptum ad multiplicandos equos*, h. e. *Non ibunt in Ægyptum petendi auxilii causa*, *nec equis ejus confident*, &c. Sic quod dicitur de Uxoribus vel Mulieribus, *Et non recedet cor ejus*, consequens denotat, non causam. Ita ergo postquam dehortatus est eum de equis, de mulieribus, de argento & auro, de describendo item exemplari Legis duplo; causam dehinc reddit omnium, de quibus eum monuit; *Ne* multiplicet sibi equos, ne iis vel equitibus suis confidat, sed fiduciam suam ponat in Domino. De hoc dicit: *Ut discat timere Dominum*: *Ne* multiplicet sibi uxores; *ut observet omnia verba Legis*, *& statuta ista*, *ad faciendum ea*: Refrænando enim suam concupiscentiam, observat verba Legis de concubitu & conjugiis prohibitis, de menstruata, & aliis, quod non facturus est, si indulgeat cupiditatibus suis. De eo quod monuit, *ne* multiplicet nimis argentum & aurum, dicit; *Ne efferatur cor ejus super fratres ejus*: Argenti enim & auri copia, inducit hominem ad superbiam & fastum unde si multiplicationi eorum studeat, recedet a præcepto, & fiet Oppressor, raptor, fœnerator, & alia aget prohibita in Lege. De descriptione libri Legis, & continua ejus circumgestatione, dicit; *Ut*

על ממלכתו הוא ובניו בקרב ישראל. הנה התבארו הכתובים והותרו הספקות הי״א וכ״ב.

וממה שזכרתי יתבאר לך. שהמלך מחויב בשמירת המצות יותר משאר אנשים והיה זה לג׳ סבות.

האחת לפי שהוא מראה מלוטשת לכל עמו שיביטו בו וילמדו ממעשיו לפי שההמון מטבעו להדמות אל גדולי המעלה בכל מה שיעשו כפי האפשר. הלא תראה שבהיות מלכי היודה טובים וישרי׳ בלבותם היה העם כלו מוזהר מפיהם ובהיותם רעים וחטאים לה׳ היו כלם רעים וחטאים נמשכים אחריהם וכבר אמר פלוסוף אחד. שהמלכות כל עוד שהיה יותר מיוחד יהיה יותר מעיין ומובט מכל האנשים. ולכן יהיו פעולותיו למוד כולל לכל עמו ומפני זה יאות למלכים יותר שמירת המצות ומדת היראה ושפלות הרוח. לפי שהם יהיו קל וחומר לכל העם וכל ישראל ישמעו וייראו וכל העם יתישר במעשיו.

וחסבה הב׳. שלהיות כתר המלכו׳ וכבוד מעלתו גדול מכל שאר האנשים וממשלתו גדולה ועצומה. היה ראוי שישתדל יותר בשמור המצוה משיעשו שאר האנשים שאין להם גדולה וממשלה כל כך וכבר זכר הפלוסוף כי כמו שהרעשו׳ הרוח יגברו יותר בעצים הרמים והנשאים מאשר יגברו בעשבי הארץ. ככה רוע הזמן או פעל המערכה. יהיה יותר עצום באנשים רבי המעלה והכבוד מאש׳ יהיה באנשים הפחותים והשפלים. וכמאמר הנביא ישעיהו ע״ה שאמר כי יום לי״ על כל נשא ורם ועל כל נשא ושפל. ולפי שהסבה המתמדת והשומרת לכל המעלות והממשלות היא התורה והמצות. לכן היה ראוי למלך שמעלתו וכבודו וממשלתו יותר רב שיהיה יותר זריז בזה כדי לשמירתו. וזהו אמרו למען יאריך ימים על ממלכתו ואמר דוד בצוותו לשלמה בנו משכים לזה. ושמרת את משמרת יי׳ אלהיך וגומר. למען יקים יי׳ את דברו אשר דבר וגומר.

Ut multiplicet dies in regno suo, ipse & filii ejus, in medio Israelis. Sic explicati sunt isti versus.

Ex iis autem, quæ hactenus a me dicta sunt, patet; *Regem obligatum esse observare præcepta, magis quam ulli alii homines*; idque ob *Tres* causas.

Primo; quia Rex est Speculi instar politicum toti populo suo, in eum oculos omnes conjiciunt, & ejus facta imitantur. Vulgus enim natura sua fertur ad assimilandum se magnatibus in omnibus, quoad fieri potest. Sic videmus, dum Reges Juda essent boni & recti in cordibus suis, populum totum ab ipsis dependisse, & moneri se passum esse; quando vero mali & peccatores erant, omnes fuerunt mali & peccatores, sequentes ipsos. Hinc dixit Philosophus quidam; *Regnum quo fuerit eminentius, tanto magis illud respicitur & observatur ab omnibus: Ideoque Regis actiones doctrinam esse generalem omni populo suo* (*Regis ad exemplar totus componitur orbis*). Hac de causa magis decet Reges, ut observent Præcepta, Timorem Dei, & Humilitatem spiritus; quia sic suppeditabunt argumentum a Majori ad minus, ut totus Israel Præceptis obediant, Deum timeant, & actiones suas omnes recte instituant.

Secundo; quia Corona Regia, & Majestas Regis, major est quam omnium reliquorum hominum; Dominiumque ejus majus & potentius; idcirco decet quoque, ut majori studio observet præcepta, quam alii qui non tantum habent imperium, tantamque potentiam. Hinc dixit Philosophus; *Sicut Concussiones Venti vehementius petunt arbores altas & proceras, quam herbas terræ: sic calamitates temporum, aut operationes Astrorum vim suam magis exerunt in hominibus in eminentia & dignitate constitutis, quam in vilibus & humilibus*. Sic dicit etiam Propheta; *Quia dies Domini exercituum veniet super omnem superbum & excelsum & super omnem elatum, & humiliabitur*. Esa. 2. 12. Et quia Causa conservatrix omnium dignitatum & imperiorum est Lex, & Præcepta Dei; idcirco requiritur, ut Rex, cujus imperium summum est, præ omnibus studeat observare ea. Hoc est quod dicitur; *Ut prolonget dies in Regno suo*. Hinc etiam David, cum præcepta daret filio suo, dicit in eundem sensum; *Et custodi custodiam Domini, ut ambules in viis ejus, & custodias decreta ejus, præcepta ejus, & judicia ejus, &c. ut prospera reddas quæcumque feceris, & omnia ad quæ veneris, ut confirmet Dominus verbum suum, quod loquutus est mihi, &c.* 1. Reg. 2. 3.

והסבה השלישי היא. כי כמו שראוי למלכים שישמרו הכבוד והמעלה שהם טובות מדומות. ככה ראוי אליהם שישתדלו יותר בקנין הטובות הנפשיות אשר יעשה אותם האדם וחי בהם עד אין קץ. כי בהיותו בעולם הזה נבחר וגדול על כל האנשים לא ישפיל עצמו ממעלתו בעולם הבא כיון שהעולם הזה כמו שאמרו במשנה דומה לפרוזדור בפני העולם הבא. ושם ימצאו הגדולה והכבוד לא יסורו ממנו לא כעולם התמורה וההפכפך הזה. וכמו שאמ' קטן וגדול שם הוא שרוצה לומ' כפי מה שפירשוהו ח״ל כי שם יהיה הגדול ולא יקטן עוד. והקטן יהיה תמיד קטן ולא יגדל עוד. ולפי שקנין הטובו' הנפשיות הוא בעולם הזה בשמירת התורה והמצות לכן היה ראוי למלך שמעלתו וגדולתו רבה שישתדל יותר עליו וכבר אמ' שינ״ק הפלוסוק שכל מלכות הוא תחת מלכות אחר גדול ממנו. ולכן ראוי שיחשוב המלך שכמו שיעשה הוא לעבדיו כן יעשה המלך אשר עליו עמו אשר הוא לו עבד עולם. ומפני הסבות השלש האלה הרבה הקדוש ברוך הוא להזהיר את המלך על היראה ושמירת המצות למען יאריך ימים על ממלכתו בעולם הזה ובע״ה. האמנם בהיות המלך רע ובליעל. צריך לחקור האם ראוי לעמו שימרדו בו ויסירוהו מהמלוכה. כיון שהוא אויב חרף יי' וחומס נפשו כי הנה לא ראינו בדברי חכמי עמנו בזה דבר.

וחכמי האומות חקרו ונשאו ונתנו בדרוש היה. וגזרו אומר שהוא ראוי לעם לעשותו כמו שעשו השבטי' לרחבעם. ואנו דברתי בדרוש הזה לפני מלכים עם חכמיהם. והוכחתי שאינו מהראוי. ושאין יכולת לעם למרוד במלכם ולהסיר ממשלתו ומלכותו. אף שירשיע על כל דבר פשע. ועשיתי על זה שלש טענו'.

האחת שהעם בהמליכם מלך כורתים לו ברית לשמור ולעשות דברו ומצותו. והברית והשבועה הזאת איננה בתנאי כי אם אמנה מוחלטת. ולכן היה המורד במלך חייב מיתה בין שיהיה המלך צדיק או שיהיה רשע. כי אין העם ממה שיבחין צדקתו או

Tertio, quia ficut Reges debent obfervantes effe fui honoris & fuæ dignitatis, quæ funt Bona Imaginaria: fic etiam debent multo magis operam dare ut comparent Bona animæ, per quæ homo, fi fecerit ea, vivet in æternum, Ezech. 20. Nam cum Rex in hoc mundo fit eminentiffimus, præftantiffimus & maximus omnium, non debet deprimere feipfum infra dignitatem fuam in mundo venturo; quia *Mundus* hic, ut in Mifchna dicunt, *eft veluti veftibulum mundi futuri*. Ibi invenient magnificentiam, & gloriam, quæ nunquam auferetur ab eis, contra quam eft in mundo hoc mutabili & incoftanti, ficut dicitur; *Parvus & magnus illic eft*, Job. 3. 18. h. e. ut Rabbini noftri explicant, *Ibi magnus magnus erit, & non parvus fiet amplius: & parvus perpetuo parvus manebit, nec unquam magnus fiet*. Quia ergo Bona animæ in hoc mundo acquiruntur per obfervationem Legis & Præceptorum, idcirco decet Regem, cujus majeftas & magnificentia eft maxima, magis de his effe folicitum. Hinc dixit Seneca; *Omne Regnum eft fub alio Regno majore*. Cogitabit itaque Rex, ficut ipfe facit erga fubditos fuos, fic Regem illum, qui fupra ipfum eft, facturum quoque erga ipfum, cujus fervus eft in perpetuum. His de caufis frequenter adhortatus eft Deus Regem ad Timorem fui, & ad Præceptorum obfervationem, ut prolonget dies in Regno fuo in fæculum, per ipfius gratiam. *Quando vero Rex malus eft & flagitiofus*, inveftigandum eft, *An liceat Rebellare ei, eumque a Regno removere, & deponere?* quia fc. eft inimicus, probris afficiens Dominum, & Tyrannus. De hoc nihil legimus apud Sapientes noftros.

Sapientes Chriftianorum multa de hac Quæftione fcripferunt, & difputarunt, tandemque concluferunt, illud licere, & poffe fieri, ficut fcilicet tribus Ifraeliticæ fecerunt Jeroboamo. Ego de hac quæftione loquutus fum coram Regibus cum Sapientibus ipforum, afferuique non licere, neque poteftatem aut jus habere populum, rebellandi Regi fuo, eumve regno deponere, etiamfi in fummo gradu impius fuerit: hujufque meæ affertionis tres reddo caufas;

Primo; quia Populus, dum Regem conftituit, fe obligat ad obfervandum & faciendum juffa & mandata ejus. Obligatioque, & juramentum hoc, non eft conditionale, fed abfolutum. Ideo, qui ribellis Regi eft, mortis reus fit, five fit Rex malus, five bonus. Populi enim non eft examinare juftitiam aut impietatem ejus. Ideo

רשעתו ולזה אמר יתברך ליהושע כל אשר ימרה את פיך יומת. והזה הצד מהשבועה והברית שהעם כורתים למלכים הם מחוייבי' בכבודו ואין בהם יכולת ליסרו ולא למרוד בו.

והטענה הב' היא. כי המלך בארץ הוא במקום הקב"ה בעולם. ולכן היה מסור אליו היכולת המוחלט להעניש גם שלא' כדין כפי צורך השעה ולבטל הנמוס הכללי כמו שהשי' לצורך השעה מבטל הטבע. ולכן היה יחיד במלכות כיחוד הקב"ה בעולמו. ומפני זה אז"ל מסכת ברכות פ' הרואה הרואה מלכי א"ה אומר ברוך שחלק מכבודו וכו'. והרואה מלכי ישראל אומר ברוך שחלק מכבודו ליריאיו. והנה במה שאמרו מכבודו. הודו שמלכי הארמה וכל שכן מלכי ישראל יש אתם מכבוד השי' ומעלתו על דרך הדמוי וההעברה. ולכן אין ראוי להמון העם שישלחו יד במלכם להסירו ממלוכה כי היה זה רב ידו לו כשולח ידו בכבוד אלהים וכבר העיד על זה דוד המלך עליו השלום שעם שהיה משוח מלחמה לא רצה לשלוח ידו בשאול להיותו מלך ישראל ואמר כי מי שלח ידו במשיח יי' ונקה.

וחטענה הג' מיוחדת לישר' והיא כי מי שאין בידו יכלת להמליך ולבחור מלך אין ראוי שיהיה בידו להסירו ממלוכה. ובהיות שבחירת המלך אינה ביד העם כי אם ביד השם יתברך כמו שנאמר שום תשים עליך מלך אשר יבחר יי' אלהיך בו. לכן לא היה ראוי שהם שלא נתנו לו המלוכה יסורוה ממנו. כי אם השי' שהוא מהקם מלכין. ולכן תמצא שאמר שמואל הנביא לישראל כי בהיות המלך איש ריב ואיש מדון לכל הארץ ופושע מבטן יצעקו אל השי' והוא אמרו וזעקתם ביום ההוא מלפני מלככם אשר בחרתם בו ולא יענה אתכם יי' ביום ההוא וגו. הנה לא נתן להם השי' רשות למרוד בו ולהסירו ממלוכה עם היותו בגבול הרשעה כי אם שיצעקו אל יי' די שליט עילאה במלכות אנשה למאן די יצבא יתנינה.

Ideo dicit Deus ad Joſuam; *Quicumque rebellaverit ori tuo, occidetur.* Hujus itaque Juramenti & fœderis q. reſpectu, quod populus init cum Regibus, tenentur illi eum honorare, neque poteſtatem habent eum caſtigandi, puniendi, aut ei rebellandi.

Secundo; quia Rex in Terra eſt idem quod Deus in Mundo; idcirco abſolutam habet poteſtatem puniendi, etiam non ſecundum jura & Leges, prout neceſſitas requirit, abrogare item Legem & conſuetudinem generalem. Unitas enim ejus in regno, eſt ſicut Unitas Dei in mundo. Hujus rei cauſa dicunt Rabbini noſtri in Tractatu Berachoth, capite הרואה: *Qui videt Reges gentilium, dicit*; Benedictus ſit qui impertivit de honore ſuo carni & ſanguini. *Et qui videt Reges Iſraelis, dicit*; Benedictus ſit qui impertivit de honore ſuo timentibus ipſum. Obſerva quod dicunt; *De honore ſuo*; quo vocabulo fatentur, Reges terræ, præſertim Reges Iſraelis, participare de honore Dei, & Majeſtate ejus, per metaphoram & ſimilitudinem: Ideo non licitum eſt plebi, manum injicere Regi ſuo, eumve deponere de regno, quia hoc perinde habetur ac ſi involarent in Honorem & gloriam Dei. Hoc obſervavit Rex David: Quamvis enim unctus eſſet ad bellum, noluit tamen manum immittere in Saulem, eo quod eſſet Rex Iſraelis, ſed dicit; *Quis extendit manum ſuam in unctum Domini, & innocens fuit, h. e. impune abiit?* 1. Samuel. *26. 9.*

Tertio ratio peculiariter reſpicit Iſraelitas; In cujus enim poteſtate non eſt Regem conſtituere & eligere, is neque poteſt eum Regno exuere & deponere. Cum ergo Electio Regis non fuerit in manu & poteſtate populi, ſed in manu Dei, ſicut dicitur; *Conſtituendo conſtitues ſuper te Regem, quem elegerit Dominus Deus tuus;* ideo illi etiam, qui regnum ipſi non dederunt, neque auferre illud ab eo poſſunt, ſed Deus ſolus, qui Reges conſtituit. Hinc Samuel Propheta dixit ad Iſraelem, quod ſi Rex futurus ſit contentioſus & litigioſus, prævaricator ab utero, ut *clament ad Dominum.* Hoc ſibi vult quum ait; *Et clamabitis in die illa a conſpectu Regis veſtri, quem elegiſtis, & non exaudiet vos Jehova die illa*, &c. 1. Sam. 8. 18. Vides hic non dari ipſis facultatem rebellandi Regi, eumve deponendi a regno, quamvis extreme ſit impius, ſed jubentur *Clamare ad Dominum*, quia *Supremus dominatur in Regno hominum, & cui ipſi placuerit, dat illud* Deus.

R. ISAACI ABARBANELIS

EXPLICATIO TEXTUS

1. *Sam. cap.* VIII. *verf.* 1.

DE STATU ET JURE REGIO.

EX HEBRAICO LATINE REDDITA

A JOHANNE BUXTORFIO FILIO.

ויתקבצו כל זקני ישראל וגו׳ זכר שזקני
ישראל נתקבצו ובאו אל שמואל הרמתה
כי שם ביתו ואמרו לו שהנה התחברו שני
דברים הא׳ זקנתו והשני שבניו ששם במקומו
לא הלכו בדרכיו ולכן ישים וימנה עליהם
מלך ושחרה אף שמואל בזה והתפלל אל
ה׳ שיריהו דרך זו. ילך בתשובת השאלה
הזאת שלא היה יודע מי ישיבם והנה בדרוש
הזה לא חרה אף ה׳ ובעיני שמואל דבר הרע
ויאמר ה׳ אל שמואל שמע בקול העם וגו׳
זכר שהאל ית׳ אמר אל שמואל שישמע
בקול העם לכל אשר יאמרו אליו להקים
מלך ושלא ימשוב שהיה זה למאסם
ובמשפטו כי את האל ית׳ מאסו ממלוך
עליהם ולכן בחרו מלך ואמר זה לפי שהיה
ענין המלך הכרחי לשאר האומות לפי שאין
להם ההנהגה האלהית אבל עם
ישראל שה׳ אלהיהם מלכם והוא הנלחם
להם והיא המסדר משפטיהם עפ׳ התורה
לא היו צריכין מלך ולכן אמר שמאסו
את ה׳ ממלוך עליהם כמו שאמרתי ואמר
ית׳ שאין זה אצלם דבר חדש לעזוב הנהגת
השם ית׳ ולקחת הנהגת המלך כי היה זה
ככל המעשים אשר יעשו מיום עלותם מארץ
מצרים שעזבוהו ויעבדוהו אלהים אחרים כן
המה עושים היום הזה שעוזבים את ה׳
ושואלים מלך ואמרו כן המה עושים גם

ET *congregati fuerunt omnes feniores Ifraelis*, &c.) Commemorat Scriptura, feniores Ifraelis congregatos, veniffe ad Samuelem Ramatham, ubi fuit domus ejus, eique dixiffe; Quia duo hoc tempore occurrant, primo ejus *Senectus*, fecundo, quod *Filii ejus*, quos in fuum locum fubftituit, non ambulent in viis ejus; fe petere ut eis conftituat Regem! quodque ira Samuelis ad hoc exarferit, Deumque oraverit, ut ipfe fibi fuggereret refponfionem ad propofitam hanc petitionem; fe enim ignorare, quidnam refpondere debeat: Ad hanc autem ejus petitionem non exarfiffe iram Domini; malam tamen fuiffe vifam in oculis Samuelis. v. 4. &c. *Et dixit Dominus ad Samuelem, Audi vocem populi*, &c. Dicitur; Deum Benedictum dixiffe Samueli, ut morem gereret populo in omnibus quæ dicturi fint ipfi de conftituendo Rege, nec ad animum revocet, quod hac ratione ipfum & judicium ejus fpernant; Illos enim, petendo Regem, *Rejicere Deum*, ne fuper eos regnet. Dicit autem hoc ideo, quia Rex neceffarius quidem erat cæteris populis; quia illi non habebant fpecialem gubernationem providentiæ Divinæ: Ifraelitæ vero, quorum Rex Deus erat, quique Ipfe pugnabat pro eis, & ipforum judicia dirigebat per Legem fuam, non opus habebant Rege. Ideo dicit, *quod fpreverint Deum ne fuper fe regnet*. Addit, hoc ipfis nihil effe novi, ut derelinquant gubernationem Dei, & fufcipiant gubernationem Regis; fieri enim hoc *fecundum omnia opera quæ faciebant inde ab eo tempore quo egreffi funt e terra Ægypti, quando femper eum dereliquerint, & diis aliis fervierint: fic ergo eos facere etiamnum, derelinquendo Deum, & petendo Regem*. Quod addit, *fic faciunt etiam tibi*, facit ad exaggerandum; quod fc. nunc fic faciant non fo-

לך הוא מרבה שכן הם עושים עתה נגד
השם ית׳ וגב׳ נגד שמואל שעוזבים הנהגתו
ושואלים מלך כי עשו לשמואל כאשר עשו
להשם יתברך וצרכו שעם היות שישמע
בקולם הנה העד יעיד בהם מה שקרא
אותם באחרית הימים ועוד יגיד להם
משפט המלך וגו׳ ולפ״ז יהיה אמרם ועתה
שמע בקולם אינו ציוו חדש שישמע בקולם כי
כבר צוהו על זה אבל כוונתו לומר ועתה
עם היות שתמנע בקולם הנה העד תעיד
בהם כלומר מה שיהיה בעתיד ממעשה
המלכים ותגיד להם משפט המלך ובמסכת
סנהדרין פרק כ״ג נחלקו הז״ל ר׳ יוסי אומר
כל האמור בפ׳ המלך מותר בו ר׳ יהודא
אומר לא נאמרה פרשה זו אלא לאיימם
ולבהלם והרמב״ם בספר שופטים בהלכות
מלכים פרק ראשון פסק הדין לדעת ר׳ יוסי
ופשט הכתובים לא יורה זה והוא מורה
באמת כי האמת כדברי ר׳ יהודא שאמר
זה לאיימם לפי שהתורה לא זכר דבר מזה
בפרשת המלך שהוא היה המקום הראוי
אליו אבל אמר לבלתי רום לבבו מן אחיו
ולבלתי סור אין המצוה ימין ושמא ואוה ממה
שיורה שהמלך כפי הדין וכפי התורה לא
היה מותר בו הדברים האלה שנאמרו בפרשת
המלך כאן ואם משה לא אמרו בתורה
הנה לא ניתנה מצוה חדשה אחרי מותו
ובאמרו אין נביא עוד רשאי לחדש בדבר
יאיך נאמר אפ׳ שהיה זה מצוה כוללת
למלכים ניתנה ע׳ שמואל וכן כתב רלב״ג
שאין המלך מותר בענינים האלה אבל
זכר שמואל מה שיעשה המלך כשיתחזק
על ממלכתו בכח זרועו ואני אחשיב שקרא
זה משפט המלך להגיד שהיה זה משפט
ודין אבל לפי שהם אמרו תנה לנו מלך
לשפטינו היה התשובה זה יהיה המשפט
המלך ר״ל המשפט אשר יעשה לכם הוא

solum erga Deum, sed & erga Samuelem, derelinquendo gubernationem ejus, & petendo Regem. Fecerunt enim Samueli, sicut fecerunt Deo. Postea præcipit Samueli, ut licet ipsis morem gerat, simul tamen contestetur, quid ipsis tandem sit eventurum, ac proinde ipsis etiam indicet judicium seu Jus Regis, &c. Ideo quod dicitur; *Et nunc ausculta voci eorum*, non est præceptum novum; jam enim de hoc præceperat; sed intentio & sensus ejus est; Nunc ergo, quamvis auscultes & pareas voci eorum, simul tamen etiam *Testando testaberis eis*, qui mores, quæ actiones illius sint futuræ, *& indicabis eis judicium Regis*. In Massecheth Sanhedrin capite גדול כהן dissentiunt de hoc dicto Rabbini nostri; *R. Jose dixit; Quicquid hic de Rege dicitur, id licitum fuit ei: R. Jehuda dixit; Ista* (de Jure & Judicio Regis) *non fuerunt dicta, nisi ad eos perterrefaciendos*. R. Moses ben Majemon in libro suo de Judicibus, ubi de Juribus Regum agit, cap. I. scribit; *Sententia pronunciatur juxta mentem R. Jose*. Verum sensus literalis Scripturæ hoc non docet, sed, quod vera sit explicatio R. Jehudæ, dictum sc. hoc esse ad eos perterrefaciendos: quia Lex nihil quicquam Deut. 18. dicit de hac re, ubi tamen locus conveniens fuisset; sed dicit; *Ne elevetur cor ejus supra fratres suos, & ne recedat a præcepto vel ad dexteram, vel ad sinistram*, quod nos docet, De jure, & secundum Legem, res istas ei non fuisse licitas & concessas, quæ hinc de jure Regis dicuntur. Quod si Moses nihil de eo dixit in Lege, non certe datum est præceptum novum post ejus mortem, sicut dicunt; *Nullus propheta facultatem habet in Lege aliquid innovandi*: Quomodo ergo dicemus, hoc fuisse Præceptum generale, de Regibus datum per Samuelem? Sic scripsit R. Levi ben Gerson; *Regi non permissa & licita fuisse ista: sed dicere tantum Samuelem, quid Rex facturus sit, ubi Regnum ejus potentia confirmatum & roboratum fuerit*. Et ego quoque existimo, vocari משפט המלך *Judicium* seu *Jus Regis*, non hoc sensu, quasi hoc esset ejus Jus; quia ipsi dixerunt, *Da nobis Regem, qui nos Judicet*; responsum fuit eis; *Bene* (*habebitis Regem*) *& hoc erit ejus judicium*, h. e. *hæc ratio judicandi, quam ille observaturus est erga vos; Rapiet omnia vestra*; idque ut intelligant; illum non exerciturum esse tale judicium, quale ipsi petant, sed omnia ipsorum ad se pro lubitu suo rapturum. Ideo non dicit absolute; *Et indicabis eis judicium Regis*, sed addit insu-

שיגול את כל אשר להם וזה להודיע שלא יעשה ביניהם המשפט אשר שאלו אבל יקח את כל אשר להם כפי העולה על רוחו ולזה לא אמר סתם והגדת להם משפט המלך אבל הוסיף לומר עוד אשר ימלוך ר״ל המלך אשר אתם שואלים ואשר ימלוך עליכם זה יהיה המשפט אשר יעשו ביניכם והוסיף שאמר שמואל את כל דברי ה׳ אל העם השואלים מאתו מלך ולא אמר לו זה על פרשת המלך שזכר בכאן כי אחרי זה בעת שהפיל הגורלת אמר וידבר שמואל אל העם את משפט המלוכה ויכתוב בספר אבל הכוונה בכאן לומר שהגיד שמואל אל העם את כל דברי ה׳ והם הדברי׳ שזכ׳ לא אותך מאסו וגו׳ ככל המעשים וגו׳ וכאשר הפיל הגורלות אז הודיעם משפטי המלוכה ר״ל המשפט שעושים המלכים בעם או המשפט שנכתב בתורה בענין המלך ומה שאמרו אל יהושע כל איש אשר ימרה את פיך יומת והותרה בזה השאלה הרביעית. ויאמר זה יהיה משפט המלך וגו׳ זכר שהמלך לא יעשה משפט וצדקה לכל עמו ושהמשפט אשר שאלו ואשר חשבו שיעשה להם הם הדברים הרעים והמגונים שיזכור וקרא זה משפט המלך על דרך סגי נהור וזכר בזה ששה דברים האחד את בניכ׳ יקח והם במרכבתו ובפרשיו ורצו וגו׳ ר״ל שיקח מבניהם להיות רצים רגלים לפני מרכבתו ולפני פרשיו וכן יקח מבניהם לשום לו שרי אלפים ושרי חמשים ועם היות זה כבוד אליהם הנה הנכבדים שבהם יברחו מהשררה ולא ירצו להתוורע לרשות אם לא מאימ׳ המלך כי יחדלו עם זה מעשות צרכיהם עם טורח ועמל המינוי והשררה וכמ״ש יותם בן גדעון במשליו החדלתי את דשני והלכתי לנוע על העצים וכמו שפירשתי בספר שופטים וכן יקחם לקצור קציר המלך

super, *qui regnabit super vos*, h. e. *Illius Regis*, quem *vos poscitis*, *& qui regnaturus est super vos*, *hoc erit judicium, quod inter vos exercebit*: postea subjungitur, *quod Samuel*, *populo Regem a se petenti*, *retulerit omnia verba Dei*: Hoc vero in Electione Regis non legitur, (1. Sam. 10.) sed posteaquam sortes projecisset, dicitur; *Et loquutus est Samuel ad populum Jus Regni*, *scripsitque in libro*, 1. Sam. 10. 25. Sensus itaque hujus loci est, Samuelem indicasse populo omnia verba Dei, hæc nimirum; *Non te spreverunt sed me spreverunt*, *ne regnem super eos*: *Juxta omnia opera eorum quæ fecerunt ab eo die*, *qua eduxi eos ex Ægypto*, *usque ad diem hanc*, (*dereliquerunt autem me*, *& servierunt diis alienis*) *sic ipsi faciunt etiam tibi*. Posteaquam vero projecisset sortes, significavit ipsis judicium Regis; h. e. judicium quod Reges exercere soleant in populo, aut quod scriptum est in Lege de Rege, & quod ipsimet dixerunt ad Josuam; *Quicumque rebellaverit ori tuo*, *occidetur*. V. 11. &c. *Et dixit*, *Hoc erit Judicium Regis*, &c.) Dicit, Regem non facturum Judicium & justitiam populo suo; sed Judicium, quod ipsi petierint, & quod illum facturum sibi persuadeant, esse res malas & turpes, quarum meminit. Vocat hoc *Judicium Regis* per Antiphrasin. Sex autem ejus partes memorat; I. *Filios vestros tollet*, *& ponet eos sibi in curribus suis*, *& equitibus suis*, *& current ante currum ejus*, h. e. Accipiet ex filiis vestris, ut pedes currant ante currus suos, & ante equites suos: sic, *Accipiet e filiis vestris*, *& constituet eos Tribunos*, *& Quinquagenarios*. Hoc quamvis honorificum ipsis erat futurum; tamen viri generosi & cordati fugiunt tale dominium, neque illud ambiunt aut acceptant, nisi forte ex veneratione aut metu Regis: præter laborem enim & molestiam maximam, quam istiusmodi officia pubblica secum trahunt, etiam eos avocant a cura rerum privatarum, sicut Jotham filius Gedeonis in parabola sua, sub persona Oleæ, dicit; *An ego deseram pinguedinem meam*, *& vadam*, *ut promovear super arbores*? Jud. 9. 9. ut ibi exposui. Sic accipiet eos ut *cogant & colligant messem Regis*, *& arent agros ejus*, *ut item faciant ipsi instrumenta & arma bellica*, *& currus suos*. Interpretes dicunt, illos hæc facturos fuisse pro mercede, non gratis; Regi tamen præ aliis omnibus id faciendum, ut qui eos præcedat. Et hoc favet sententiæ eorum qui dicunt; Hæc Regi fuisse concessa, & de ejus jure. Secundum meam autem expo-

ולחריש חרישו ולעשות כלי מלחמתו וכלי רכבו וזכרו המפרשים שהוא בשכר ולא בחים אלא שהמלך קודם לכל אדם וזהו לרעת האומר שהדברים האלה המלך מותר בהם ושהוא כפי הדין וכפי מה שפירשתי יהיו הדברים כפשוטם יאמר שיקח מבניהם אם לרוץ לפניו אנשי רגלי וזה הבחורים הראים אליו ואם להיותם שרים וזה הראוים אליו ואפי׳ עובדי האדמה שהיה ראוי שיהיו חפשים מעניני המלכות וכן הבעלי אומניות הנה המלך ג״כ יקחם אם לעבודתו ואם לעשות מלאכתו ואחר שזכר מהבנים זכר מהבנות ואמר ואת בנותיכם יקח לרקחות וגו׳ שהיה המנהג ביניהם שהנשים יעשו תבשילי מלכים וכל זה בלי ספק יהיה בחונם. השני הוא ואת שדותיכם ואת כרמיכם יקח וגו׳ ונתן לעבדיו והוא עושק יותר גדול שיקח קרקעותיהם לתת לעבדיו וגם זה יורה שאין זה דבר משפט כי אם עושק וגזל גדול כי אם היה כפי הדין איך לא לקח המלך אחאב הכרם אשר לנבו׳ היזחרעאלי והוצרכה להוציא עליו שברך אלהים ומלך כדי להמיתו ולקחת אותם אז ממנו אם היה שכפי הדין יוכל לקחת שדה וכרם וחכמים ז״ל פירשו לא שיקח השדות והכרמים אלא פירותיה׳ אם יצטרכו אותם עבדיו בשילכו למלחמה ופשטו על המקומות אם אין להם מה יאכלו ויתנו דמיהם וכבר זכרתי שמה שלאבא בכתוב אין ראוי לפרשו עליו על דרך הפשט ושזה כלו לדעת האומר שכל הכתוב בפ׳ המלך זוכה בו ולכן בעלי זה הדעת בקשו אבל כפי מה שאמרתי שהוא ספור פעולותיהם המגונות יהיה הדבר כמשמעו: השלישי וכרמיכם ועשר ר״ל שהמלך בשירצה ליקח מעשר מכל התבואות וזה יותר קשה שיתדמה בזה ללוים ולעניים ויעשה שלחנו כשולחן גבוה: הרביעי ואת

positionem, sensus literalis horum verborum est; Regem sumturum ex filiis eorum quosdam, ut Peditum loco serviant ad currendum ante ipsum; juvenes sc. ad hoc aptos & idoneos; alios, ut sint Principes; alios qui Terram ejus colant, immunes a negotiis regni: alios pro Artificibus & Opificibus. Posteaquam egit de Filiis, loquitur etiam de Filiabus, & dicit, Regem ex illis sumturum, pro Unguentariis, Coquinariis, & Panificis suis; Moris enim inter ipsos fuit, ut Edulia & cibos Regum Mulieres præpararent; idque, procul dubio, nulla accepta mercede, sed gratis. 2. *Agros insuper vestros, & vineas vestras, & oliveta vestra optima accipiet, dabitque servis suis.* Hæc, *inquit*, major adhuc est violentia, quod fundos vestros accipiet, & inter servos suos eos est distributurus. Istud iterum docet, quod non agatur hic de Jure & judicio, sed de Oppressione & violentia maxima. Nam si hoc juris fuit, cur non accepit Rex Achab vineam Nabothi Israelitæ? Cur Isabelem oportuit contra ipsum testari, quod maledixerit Deo, & Regi, ut morte afficeretur, & Achab vineam accipere posset, si de jure potuit accipere agros & vineas? Rabbini nostri scribunt, *non accipere potuisse ipsum vineas & agros ipsos, sed fructus illorum, si servi illius opus haberent iis, ad bellum proficiscentes, & per loca illa transeuntes, non haberent aliud quod comedant; attamen pro pretio.* Ego vero dico, quod non reperimus in Scriptura, de eo non posse eam explicari secundum sensum literalem: Item hæc omnia ex hac hypothesi dici, quasi ea Regi fuissent permissa, quæ hic dicuntur. Hinc, qui hanc sententiam sequuntur, omnia diverticula, omnesque vias quærunt, qua eam tueantur. Sed, ut dixi, continetur hic duntaxat turpium & vitiosarum actionum recensio, secundum sensum literalem. 3. *Et de seminibus vestris & vineis vestris capiet decimas*, & *dabit Eunuchis atque servis suis.* Vult dicere; Rex, uti voluerit, capiet decimas ab omnibus proventibus. Hoc adhuc prioribus gravius est. Sic enim assimilabitur Levitis & pauperibus, & faciet mensam suam, sicut mensam Altissimi. 4. *Servosque vestros, & ancillas vestras, juvenesque vestros optimos, asinosque vestros tollet, ut iis faciat opus suum.* Vult dicere; Aliud quoque jugum vobis imponet, videlicet, quod præter Decimas de proventibus, insuper servos, ancillas, asinos, & juvenes illorum, quibus ipsimet opus habent ad agriculturam, accepturus sit pro ministris & famulis suis;

עבדיכם ואת שפחותוכם ר״ל שגם יעשה
עול אחר והוא שהעבדים והשפחות והסחורים
והבחורים שיצטרכו להם לעבודת האדמה
עם היות שהמלך יקח מהתבואות המעשר
הנה עוד יקח מהם את משרתיהם ואת
חמוריהם באופן שלא יוכלו לעשות מלאכתם:
החמשי הוא צאנכם יעשר וגו׳ ר״ל שעם
היות המעשר לגבוה תלוי בגורן ויקב לבד
הנה הוא לא די שיקח מהם המעשר ההוא
בלוים אבל גם יקחוהו מהצאן והוא יותר יק
ובכלל הצאן נכלל הבקר: הששי הוא אמרו
ואתם תהיו לו לעבדים ר״ל אף גופותיכם
לא יהיו בני חורין כי ממלך ישתעבד מכם
כעבדים כנעניים בכל אשר ירצה וחכמים
ז״ל אמרו שיוכל להעיל מס עליהם כתיב
הכא לעבדים וכתיב התם יהיו לך למס
ועבדוך והכר שיהיו מעול והחמס שיעשה
המלך כל כך שתעזקו לפני ה׳ ואמר זה
לפי שאין יכולת בבני אדם למרוד במלכם
וכמ״ש דוד המלך ע״ה כי מי שלח ידו במשיח
ה׳ ונקה אבל יהיה בירם לזעוק לפני ה׳
מלפני מלכיהם ועם היות בקרוב לפני ה׳ לכל
קוראיו זכר שלא יענה ה׳ אותם ביום ההוא
לפי שכבר התרה בהם ולא שמעו וספר
הכתוב שלא אבו העם לשמוע בקול שמואל
ר״ל שכבדה אזנם משמוע וישיבו אותו דבר
לא כי מלך יהיה עלינו והיינוגם אנחנו ככל
הגוים וגו׳ וכוונתם לומר שעם כל הטענות
שזכר הנה יבחרו במלך ובענין העושק
והגזל שזכר יהיו ככל הגוים ויקבלו משא
מלך ושרים כהם ובזה יקבלו תועלת
שישפטם המלך ויצא לפניהם ונלחם
מלחמותיהם ואמרו זה להעיר ששמואל
לזקנתו וגם עלי שקדמהו עם היותם שופטים
לא היו יוצאים למלחמות לפני בני ישראל
והמלך יצא לפניהם ועם כוונו בזה שאע״פ
שיעשה המלך כל העושק והגזל אשר זכר

suis; ita ut non possint ipsi facere opus suum. 5. *De pecoribus vestris decimas capiet.* Vult dicere; Quamvis decimæ Altissimo soli debeantur ab iis quæ subeunt horreum & torcular, non contentus ille decimam Levitarum de his accipere, acipiet eas etiam de Pecoribus, quod est omnium durissimum. Sub Pecoribus autem etiam Boves comprehenduntur. 6. *Et vos eritis ei servi*: H. e. Etiam corpora vestra non erunt libera. Nam ex vobis mancipia faciet, & eritis sicut servi Cananæi. Rabbini nostri hoc explicant de Tributis, quæ ipsis sit impositurus, quia quod hic dicitur; *Et eritis ei servi*: id alibi dicitur; *Erunt tibi tributarii, servientque tibi*, Deut. 20. 11. Addit jugum & tyrannidem ejus ita violentam futuram, ut *Clamaturi sint ad Dominum*. Dicit hoc ideo, quia hominibus non licet rebbellare Regi suo, sicut David inquit; *Quis immittens manum suam in unctum Domini, innocens erit?* Possunt autem clamare ad Dominum sub tyrannide Regis ipsorum. Et quamvis Dominus propinquus sit omnibus invocantibus eum, tamen dicit; *Deum eos non exauditurum in die illa*; quod scilicet eos jam præmonuerat, ipsi vero ei non auscultarint. Sequitur; *Renuit vero populus audire vocem Samuelis*, h. e. Gravis fuit auris ipsorum, ne audirent, sed responderunt ei; *Nequaquam, sed Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut universæ gentes*, &c. Volunt dicere; Non obstantibus omnibus quas adduxit rationibus, se tamen velle Regem, & quoad Oppressionem & Expilationem interminatam, futuras ut universæ gentes, atque onus illud Regis & Principim, sicut illæ: hanc vero utilitatem ab eo accepturos, *ut eos judicet, ante eos exeat, & pugnet bella ipsorum*. Dicunt hoc ut innuant, Samuelem ob suam senectutem, Eli item, qui antecessor ejus fuit, quamvis essent Judices, non tamen processisse ad Bella ante filios Israelis. Regem vero processurum. Volunt ergo dicere; Quod licet Rex exerceat omnem istam tyrannidem & iniquitatem, quam dixit Samuel, sit tamen facturus inter eos judicium, & processurus in bellum; ac propterea æquum esse, ut patienter ferant jugum ejus, propter alias utilitates quas ab ipso sint percepturi: si accipiat & tollat de bonis ipsorum, eos tamen servaturus sit ab oppressoribus aliis, suo Judicio; & ab Inimicis, per sua Bella, atque ita utilitatem ejus fore generalem, damnum, particulare. Imo quicquid ab ipsis accepturus sit, non fore expilationem aut op-

הנה יעשה ביניהם משפט ויצא למלחמות
ולכך ראוי שיחכלו היזקו עם התועלת המגיע
ממנו ואם יקח מאשר להם הנה יצילם
מעושקים אחרים בענין המשפט וכהאויבים
במלחמות וא כו׳ יגבר בזה התועלת הכללי
מההיזק הפרטי וגם שכל מה שיקח מהם
אינו עושק כי אם משפט ודין שיהיה לו
חלף עבודתו וכהיותו משרת את העם ושופט
אותם ומצילם מאויביהם יקח מהם הדברים
הצריכים לו כי שכיר הוא בא בשכרו
ושמואל דבר באזני ה׳ כל זה ר״ל שהתפלל
ושאל מה ישיב לו אליהם ובאל י״ת השיבו
שמע בקולם והמלכת להם מלך ורצה בזה
דבר שישראל שאלו משמואל שיתנו להם
מלך ואכ׳ היו נותנים ענין ההמלכה בידו
ולזא׳ י״ת הבן ושמע דבריהם שתולים הכל
בידך ומודה להם בדבר ואמר אליהם שאתה
תמלוך עליהם ומזה למד שאמר שמואל אל
אנשי ישראל לכו איש לעירו ר״ל אני אמליך
עליהם המלך כמו שאמרתם מה לכם בזה
לכו לעריכם ואנכי אעשה כדבריכם והיתה
הכוונה כי האל י״ת בחר המלך כאשר ירצה
והוא יקראם ויאסוף את ישראל אחרי
שיודיעוהו האל י״ת המלך אשר ימלוך עליהם.

oppressionem; sed æquum & justum, pro servitio quod ipsis præstet. Quia enim sit minister & Judex populi, Liberatorque ipsorum ab hostibus, æquum esse, ut ab illis accipiat quæ sibi necessaria: Dignus enim est operarius mercede sua. Porro dicitur; *Samuelem dixisse omnia ista verba in auribus Jehovæ*; h. e. Orasse, & ex ipso quæsivisse, quidnam responsurus sit illis; Deum vero ei dixisse; *Audi vocem eorum, & constitue eis Regem*; His verbis significatur, Israelitas petiisse a Samuele, ut ipsis Regem daret, ac per consequens, Regis constituendi facultatem ei commisisse: ideo dicit Deus; *Observa & attende ad verba ipsorum, quod omnia tuæ fidei committant*, itaque morem illis gere, pro confesso accipe, & dic eis, te velle constituere eis Regem. Hoc intelligens Samuel, dixit ad populum, *Ite quisque in urbem suam*, h. e. Acquiescite, Constituam vobis Regem, sicut dixistis. Quid amplius vultis? Ite singuli in urbes vestras, & ego faciam secundum verba vestra: Intellexit autem, Deum electurum Regem quem voluerit, se vero convocaturum & congregaturum Israelem, posteaquam intellexerit a Deo quisnam Rex ipsorum futurus esset.



R. ISAACI ABARBANELIS DISSERTATIO DE JUDICUM ET REGUM

Differentia in V. T. *ex ejus Præfatione in Librum Josuæ excerpta*,

EX HEBRAICO LATINE REDDITA

A JOHANNE BUXTORFIO FILIO.

מצאתי השופטים והמלכים ישתתפו
בחמשה דברים יכללים ויובדלו ויתחלפו
גכ׳ בחמשה דברים אחרים. השיתוף הראשון
הוא שהשופטים והמעלים הם ממונים ע׳
ב״ד ויקבלו ישראל על עצמם. אם בשופטים
אמר הכתוב ויקם ה׳ שופטים וגו׳ והיה
לאיות ממונים על פי ב״ד אשר רוח ה׳ דבר
בם. ואם קבלת ישראל אותם מבואר שכן
הוא אומר בגדעון משול בנו גם אתה וגו
וביפתח נאמר והלכת עמנו ונלחמת בבני
עמון והיית לנו לראש ולקצין וגו׳ ואין ספק
שהשופטים היה מעירם ראשונה רוח ה׳ רוח
עצה וגבורה. ובראות ישראל ששם ה׳ נקרא
אליהם יבחרו בהם וימנו אותם לשבטים
עפ״ ב״ד ואמנם במלכים מבואר הדבר שאין
מושחין אותם כי אם ב״ד הגדול והנביא
ומלבד זה היו העם ממליכים אותם כמו שבא
בענין שאול ודוד ושלמה וזולתם ושני דברים
האלה זכרו התורה באמרה שום תשים עליך
מלך אשר יבחר ה׳ אלהיך בו. הנה שימת המלך
הוא הקמתו מהעם והבחירה האלהים
היתה ע׳ נביא באמצעות המשיחה. השיתוף
השני הוא שהשופטים הנזכרים בספר הזה
והמלכים אלה ואלה היו ממונים על
המלחמות לצאת ולבוא לפני העם וגב׳ על

EGO, re diligenter expensa, inveni *Judices & Reges convenire in quinque* rebus; & in *quinque* aliis a se invicem *distingui*. *Prima convenientia* est, quod tam Judices quam Reges, sint ordinati a Domo Judicii, & acceptati a Israele. *De Judicibus* enim ait Scriptura; *Et suscitavit Dominus Judices*, &c. quod intelligendum de Ordinatione eorum per Domum Judicii; De Acceptatione illorum ab Israelitis, clare idem invenitur; veluti cum ad Gedeonem dicunt; *Dominare nobis etiam tu*, &c. Judic. 8. 22. & ad Jephtam; *Et venies nobiscum, & pugnabis contra filios Ammon, & eris nobis dux & caput*, Judic. 11. 8. Nullum autem est dubium, quin Judices primo excitarit Spititus Domini, Spiritus consilii & fortitudinis. Cum ergo viderent Israelitæ Nomen Domini invocari super eis (i. e. eos Divinitus excitatos esse & instructos) eos elegerunt & in Judices ordinarunt per Domum Judicii. *De regibus* etiam res est evidens. Domus enim judicii magna (*Synedrium majus*) unxit eos, & Propheta: ac præterea Populus constituebat eos Reges, sicuti legitimus de Saule, Davide, Salomone, & aliis. Hæc duo indicat Scriptura, dum ait; *Ponendo pones super te Regem, quem elegerit Dominus Deus tuus* Deut. 17. 15. Hic enim per *Ponere regem*, intelligitur ejus Constitutio per populum; sed Electio Divina facta fuit per Prophetam, mediante Unctione. *Secunda convenientia* est, quod utrique, tam Judices quam Reges, fuerint præfecti *Bellis*, ut egrederentur & ingrederentur ante populum; deinde etiam *Judicis*. Ideo dicitur de Othniele filio Kedicis. *Et fuit super ipsum Spiritus Dominas*; *Et fuit super ipsum Spiritus Domini*,

דבר המשפט. ולזה נאמר בעתניאל בן קנז ותהי עליו רוח ה׳ וישפוט את ישראל ויצא במלחמה וגו׳ וכן יזכיר בשאר השופטים שהיו נלחמים מלחמות ה׳ ושהיו שופטים את ישראל. ועם היות שבקצת כשופטי׳ לא זכר ענין המלחמות כי אם ענין המשפט כתולע ויאיר ואבצן ואילון ועבדון ובקצתם זכר המלחמות ולא אמר ששפטו את ישראל כגדעון ואבימלך בנו הנה היה זה לפי שקצתם לא היו מתעסקים במלחמה ולא היתה מלחמה בימיהם ונתעסקו לבד במשפט ומהם היה בהפך. אבל מנוים בשני הדברים היה יחד ואמנם המלכים מבואר מעניניהם שתי הנהגות האלה כמו שאמרו ושראל בשאלם מלך ושפטנו מלכינו ויצא לפנינו ונלחם את מלחמותינו: השיתוף השלישי שהמלכים והשופטים כלם מכים ועונשים פעמים שלא כדין ושלא מן התורה כפי צורך השעה ומפני זה היו שופטי ישראל עושים דברים שלא כמשפט והלכה להיותם להוראת שעה הלא תראה שגדעון בעבור שאנשי סכות ואנשי פנואל לא נתנו לחם לאנשיו ברדפו אחרי זבח וצלמונע רש את בשר אנשי סכות בקוצי המדבר והרג את כל אנשי פנואל ואין זה עפ׳ התורה גם יפתח בכעסו על בני אפרים לפי שאמרו פליטי אפרים אתם וגו׳ לכד את מעברות ירדן והיה אומר לכל איש אפרים העבר אמור נא שבולת והיה אוחז בהם וישחטם אל מעברות הירדן האם היה זה כפי הדין ולכן אמרו חז״ל במסכת הסנהדרין פרק נגמר הדין תניא ר״א אומר שמעתי שב״ד מכין ועונשין שלא כדין ושלא מן התורה לא לעבור על דברי התורה כי אם לעשות סייג לתורה וכו׳ והביאו שם מעשים ועובדות מורות על זה ואמנם המלכים הענין מבואר בהם ולכן הרג דוד את איש העמלקי לפי שאמר שהרג את שאול עם היות שאין הורגים במקום שאין עדים והתראה ואין אדם משים את עצמו רשע: וכשמספר נתן הנביא ענין האיש העשיר שלקח כבשת האיש הרש אמר

ni, & judicavit Israelem, & egressus est in bellum, &c. Judic. 3. 10. Sic de cæteris quoque Judicibus dicitur, quod gesserint Bella Domini, & judicaverint Israelem. Quod autem de quibusdam Judicibus nihil legamus de Bellis, sed tantum de Judicio, sicut de Thola, Jair, Ibzan, Eleon, & Abhdon: de quibusdam, quod Bella gesserint, sed non quod judicaverint Israelem, ut de Gedeone, & Abimelecho filio ejus; id inde factum, quod nulla fuerint bella in diebus ipsorum, sed in Judicando tantum occupati fuerint: in quibusdam fuerit contrarium. Officium tamen illorum consistebat in utroque simul. De Regibus etiam, quod illorum gubernatio circa utrumque versata fuerit, res est clara, sicuti ex eo patet, quod Israelitæ dixerunt, cum Regem peterent; *Et judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos & geret bella nostra*, 1. Sam. 8. 20. *Tertia convenientia* est, quod Reges & Judices omnes, plecterent & punirent quandoque extraordinariis modis, non secundum Legem, prout sc. Res & Tempus requirere ipsis videatur. Hinc faciebant Judices Israelis multa contra normam Judicii & communes ritus seu consuetudines præscriptas, eo quod essent Temporarii. Sic legimus, Gideonem, eo quod Viri Succoth, & viri Penuel, viris ipsius non dederint panem, cum persequeretur Sebhach & Tzalmynnam, *triturarit carnem eorum spinis deserti & tribulis, occideritque omnes viros Penuel*, Judic. 8. quod non fuit secundum Legem. Sic Jephte, cum excanduisset contra filios Ephrajim, propter id quod dixerunt abjecti illi Ephraim, &c. Judic. 12. *vers.* 4. *Cepit vada Jardenis, & dicebat singulis transeuntibus Ephraimitis, Dic Schibboleth, apprehenditque illos, qui id non recte pronunciarent, eosque jugulavit in vadis Jardenis*. An hoc fuit secundum normam judicii? Ideo dixerunt Sapientes nostri in Massecheth Sanhedrin, cap. נגמר הדין; *Traditio est; R. Eliesserem dixisse, Audivi, quod domus judicii plectant & puniant quandoque præter normam judicii & Legis; non ut transgrediantur verba Legis, sed ad faciendam sepem Legi, &c.* Ibidem adducunt quasdam hujus rei historias & exempla. De Regibus idem quoque clarum est. Ideo enim occidit David Amalekitam, qui dixit quod occiderit Saulem, quamvis nemo occidi vel supplicio capitali affici debeat, ubi non adsunt testes; & nemo seipsum (propria confessione sc.) reum possit facere. Et cum Nathan Propheta narrasset historiam viri Divitis, accipientis

דוד חי ה׳ כי בן מות האיש העשה זאת וגו׳ וכל זה לצורך שעה היה: השיתוף הרביעי הוא שכלם מלכים והשופטים ישתתפו במורא וכבוד והממרה את פיהם חייב מיתה אם בענין השופט אמרה תורה והאיש אשר יעשה בזדון לבלתי שומע אל הכהן או אל השופט ומת האיש ההוא וגומר ומזה הצד נ״כ העניש גדעון את אנשי פנואל ואת אנשי סוכת שזכרתי לפי שדן אותם ממרים את פיו והיו חייבים מיתה על עברם את מצותו: אמנם במלכים חז״ל דרשוהו ממה שנאמר ביהושע כל אשר ימרה את פיך ולא ישמע את דבריך לכל אשר תצוונו יומת ודרשו בפ׳ נגמר הדין כל אשר ימרה את פיך יכול אף לדברי התורה ת״ל רק חזק ואמץ אמרו שהמקלל את המלך המלך רשאי להרגו כמו שעשה דוד לשמעון בן גרא כי הוא יהיה עמרה את פי המלך וחייב מיתה: השיתוף החמישי הוא המיכות משופטים בזמן והמשכם זה אחר זה כמו שמלכי ישראל נ״כ נמשכו זה אחר זה וכמו שלא היה זמן שמלך אין בישראל מעת שהתחילו המלכים כבר״ה לדעתי כל ימי השופטים לא היו ישראל זמן מה בלי שופט אם לא שביתיהם פעמים היו ישראל משועבדים לאויביהם ופעמים היו נושעים בהם ולכן היה נכללים שנות השיעבור בתוך שנות השפטים כמו שאבאר בנ״ה והיה זה כדי שמשמותם נרע ימות עולם שנות דור ודור כי אין לנו דרך לדעת מספר השנים אשר עברו בין דבר לדבר כי אם משנות השופטים והמלכים: ובאלה שמות רבה אמרו שהראה הקב״ה למשה בהר סיני ספרו של אדם הראשון שהיה כתובים בו כל הדורות שעתידים להיות דור ודור ומנהיגיהם דור ודור ומלכיהם וכו׳ הנה השוו ענין המנהיגים והשופטים למלכים שכלם נמשכים זה אחר זה בהמשך הדורות ומ״ש בסוף זה הספור בימים ההם אין מלך בישראל אפרשיהו במוקומו שאין הרצון שהיה ישראל בלא שופט כי אם שלא היה השופט אז בקרב

tis agniculam viri pauperis, dixit David; *Ut vivit Dominus, vir mortis est qui fecit hoc*; &c. Omnia hæc facta sunt necessitate temporis sic requirente. *Quarto conveniunt* Reges & Judices in Veneratione & Honore, utrisque debito, ut qui illis est rebellis, Mortis reus sit. De Judice ait Lex; *Vir autem qui fecerit per superbiam, ut non obediat Sacerdoti, aut Judici, morietur vir ille*, &c. Deuter. 17. 12. Hinc morte multavit Gideon viros Penuel, & viros Succoth; quia judicavit eos tanquam rebelles contra se, & mortem commeritos propterea, quod trangressi essent præceptum ejus. De Regibus autem Rabbini nostri concluserunt id ex eo, quod de Josua scriptum legimus; *Omnis vir qui rebellaverit ori tuo, & non obediverit verbis tuis, in omnibus quæ præcipies ei occidetur*; Jos. 1. vers. 18. Ad id scribunt in capite נגמר הדין; Omnis vir qui rebellaverit ori tuo; *Annon etiam occidendus, qui rebellaverit verbis Legis? Ad hoc responsum suppeditat quod dicitur*; Tantum roborare & fortis esto, *Jos.* 1. *vers.* 7. *Ideo dixerunt; Etiam qui maledicit Regi, eum potest Rex morte plectere, sicut David fecit Simei filio Geræ; qui, quod rebellis esset edicto regis, reus mortis fuit. Quinta convenientia* est, Successio continua temporis, tam Judicum, quam Regum. Quemadmodum enim nullum fuit tempus, quo nullus fuerit Rex in Israele, ab eo tempore quo Reges inceperunt: sic mea sententia, toto tempore Judicum, nullum fuit Israeli tempus sine Judice, nisi quod in diebus illorum quandoque Israelitæ mancipati fuerint inimicis suis, quandoque ab illis fuerint servati. Idcirco comprehenduntur anni servitutis sub annis Judicum, sicut explicabo D. V. Quod ideo factum, ut ex annis illorum sciremus Dies mundi, & singularum generationum. Non enim possumus aliter scire numerum annorum præteritorum, nisi ex annis Judicum & Regum. Hinc legimus in Schemoth rabba; *quod Deus monstraverit Mosi in monte Sinai librum Adami primi, in quo scriptæ fuerint omnes generationes futuræ singulis ætatibus, illarum Gubernatores & Reges &c.* In quibus ipsorum verbis notandum, quod æquarint Gubernatores & Judices Regibus, quia omnes continua successione se invicem consequuntur. Quod vero dicitur in fine istius libri; *Non erat Rex in Israele*; id explicabo suo loco. Non enim hoc vult dicere, Israelitas fuisse sine Judice, sed quod tum non fuerit Judex *in medio Israelis*: Judex enim tum erat Samson, sed eo tempore non fuit in

Israe-

ישראל כי הוא היה שמשון ולא היה בימים
ההם בישראל כי אם אסור בידי פלשתים
אלה הם החמשה שתופים אשר יכללו
השופטים והמלכים כלם: אמנם הברילהם
החמשה הם אלה שאזכור ההבדל הראשון
הוא מהמלכים בחירתם מהאל ית׳ הוא ע׳
משיחה ובמשיחה ראוי שתדע ענינים חמשה
מי יעשה ולמי ימשח יכמה ימשח ואיך ימשח
ובאיזה מקום ימשח וביאר זה מי ימשח
הוא הנביא לבד כי אין כהן גדול וארם
אחר יוכל למשוח מלך כי אם הנביא
שמואל שהמשח את שאול ואת דוד ונתן
משח את שלמה ואחי׳ שמשח את ירבעם
ולמי ימשח הוא למלך שנבחר ראשונה
כשאול ודוד וירבעם ויהוא ואין מושחין מלך
בן מלך לפי שכבר נמשח במשיחת אביו
הראשון אלא אם היה ישם יוחלוקת או
קטטה בירושת המלכות שאז מושחין בן
המלך לסלק הספק לפיכך משחו שלמה
מפני אדוניהו ומשחו יואש מפני עתליה
ויהאסו מפני יהויקם ובמה ימשח ביארו
חז״ל שלמלכי ב״ד מושחין בשמן המשחה
והכלי אשר יהיה בו יקרא קר׳ ולמלכי
שראל אין מושחון אלא בהיות שם מחלוקת
וגם אז לא ימשחו אותם אלא בשמן
אפרסמון ולזה נקרא הכלי אשר בו פך ואיך
ימשח ר״ל צורת המשיחה קבלו חז״ל שהיו
עושין צורת נזר במצח בין עיני המלך
ואחרי כן נותנין מהשמן על ראשו ומכאן
בא מנהג המשיחה למלכי צרפת בשמן
מיוחד ושאר מלכי אדום אינם נמשחם אבל
ישימו עטרת זהב על ראשם וגם זה דמות
העטרת אשר היו עושה מהשמן על מצחו
בין עיניו: ואמנם באיזה מקום ימשח למלכי
בית דוד שהם המלכים האמתיים קבלו ז״ל
שתהיה המשיחה בירושלים ועל המעין ומלכי
ישראל אינם נמשחים בירשלים ולא על
המעין כי אם בכל מקום אשר יהיה שם
המחלוקת הנה חמשת ענינים האלה נכללים
במשיחה כמו שהביאו חז״ל במסכת הוריות
ובמסכת כריתות והיה כל זה במשיחה אות

Israele, verum ligatus & captivus erat in manibus Philistæorum. *Hæc sunt Quinque illa, in qubus conveniunt Judices & Reges. Differentiæ quinque Judicum & Regum*, sunt sequentes; *Prima differentia est*; quod Regum Electio facta sit a Deo per Unctionem. De Unctione autem hæc quinque sunt tenenda, 1. Ungens, 2. Unctus. 3. Quo unctio facta fuerit? 4. Modus Unctionis, & 5. Locus Unctionis. *Qui unxit*, fuit Propheta tantum; Nam neque Sacerdos magnus, nec quivis alius homo, potest Ungere Regem, sed duntaxat Propheta, sicut Samuel unxit Saulem & Davidem; Nathan Salomonem; & Achijas Jeroboamum. *Qui unctus fuit*, fuit Rex, quem Deus primo elegit, ut Saulem, Davidem, Jeroboamum, Jehu. Non ungitur in Regem Filius Regis; quia jam unctus est per Unctionem Patris sui primam; nisi tamen fuerit controversia aut lis de hæreditate regni; hoc enim casu ungunt filium Regis, ad dubium tollendum. Ideo unxerunt Salomonem propter Adonijam, & Joasum propter Otoljam, & Jehoachasum propter Jehojakimum. *Quo autem unctus fuerit*, explicarunt Sapientes nostri, dicentes; *Reges domus Davidis ungunt oleo unctionis, & vas in quo oleum illud est, vocatur Cornu: Reges autem Israelis non ungunt, nisi illis fuerit controversia, & etiam sic non ungunt eos nisi oleo Balsami*. Ideo vocatur vas, in quo illud est, פך. *Quomodo unctus fuerit?* De Forma Unctionis tradiderunt, *quod fecerint figuram Coronæ in fronte, inter oculos Regis, deinde de illo oleo super caput ejus effuderint*. Unde orta est consuetudo Ungendi Reges Galliæ Oleo peculiari sancto, quod habent in fano S. Dionysii: Reliquos reges Edom, i. e. Christianorum, non ungunt, sed imponunt coronam auream capiti ipsorum, sicut & hic Coronæ figura fuit, quæ fiebat oleo in fronte inter oculos ipsius. *In quonam vero loco ungebatur?* Reges Jehudæ, qui veri fuerunt Reges, tradiderunt unctos fuisse Hierosolymis, & juxta Fontem (*ex* 1. *Reg.* 1. *vers.* 33. ubi David jubet filium suum Salomonem deducere ad Gichon fluvium, & ibi in Regem ungere, in signum, Regnum ejus instar fontis perrene fore:) Reges vero Israelis non unxerunt Hierosolymis, neque juxta Fontem, sed in omni loco, si ei controversia mota fuerit. Hæc quinque comprehenduntur sub Unctione, sicut adduxerunt Sapientes nostri in Tractatu הוריות, & כריתות. Omnia hæc fiebant in Unctione, quod ea signum proprium & peculiare fuerit Electio-

עצמי ומיוחד בבחירת האל י״ת במלך ולכן
קרא דוד את עצמו משיח אלהי יעקב ואמר
כי מי שלח ידו במשיח ה׳ ונקה אמנם
השופטים אין בהם משיחה כלל והוא ההבדל
הראשון ועוד ארחיב הדבור בשלימות רב
בענין המשיחה בפ׳ הראשונה מספר מלכים
במשיחת שלמה: ההבדל השני הוא שבח
המלך ועריו אינו בענין הדין ולשפוט בין
איש ובין רעהו ע״פ התורה אבל הוא לבד
הקבוץ המדיני להושי׳ את העם מאויביהם
ולפסוק הדין בדברים כפי הוראת השעה
וצורך העם לא בדרך דין צודק ואמנם
השופטים הם בחילוף זה שמוים בייחוד הוא
לדון בין אדם לחבירו ע״פ התורה ושפטו
את העם משפט צדק הלא תראה שהתורה
בפ׳ שופטים צוה על הב״ד הקטן שבכל עיר
ועיר כמ״ש שופטים ושוטרים תתן לך בכל
שעריך וגו׳ ובפרשת כי יפלא הזהיר על
הב״ד הגדול והם הסנהדרין אשר בירושלים
ועל השופט והוא הגדול שבכלם העומד
במקום אדונינו משה בזמן שהיה עומד
עם השבעים זקנים ועליהם אמר והגידו לך
את דבר המשפט ועשית ע״פ הדבר אשר
יגידו לך וגו׳ על פי התורה אשר יורוך
וגו׳ הנה א״כ הנהגתם בעצם וראשונה
בייחוד היה לדון כחי המשפט הצודק ולזה
נקראו שופטים ואם יוצינו שהשופטים
הנזכרים בספר הזה היו יוצאים למלחמות
והיה משור אליהם היכולת המוחלט לדון
כפי הוראת שעה ושלא ע״ד התורה לא
היה זה אליהם במה שהם שופטים כי
אם לפי שלא היה בישראל עדיין מלך והיה
להם כח השופט וכח המלך וכבר נפל על
זה הר׳ נסים ז״ל ולזה פעמים ע״ד ההעברה
נאמר בהם לשון מלכות אמר וימליכו את
אבימלך בשכם וגו׳ והוא היה שופט ואמר
בימים ההם אין מלך בישראל וגו׳ וכבר
העירו חז״ל אמרו ויהי בישרון מלך זה
משה שבמקום שאין מלך גדול הדור הרי
הוא כמלך הנה התבאר מזה שהשופט
מנויר לבד בעצם וייחוד הוא לענין המשפט

ctionis Divinæ in Regem. Ideo vocavit David seipsum משיח אלהי יעקב *Unctum Dei Jacobi*. Ideo etiam dicit; *Quis mittet manum suam in Unctum Domini, & innocens erit?* Judices autem non habuerunt Unctionem ullam. Et hæc est differentia prima. Fusius autem & perfecte hac de re agam in Sectione prima libri Regum, in Unctione Salomonis. *Secunda differentia* est Eminentia Regis; quod ejus Officium non adstrictum erat ad Judiciorum normam, & ad judicandum inter Virum & proximum ejus (inter privatos quosque) secundum ἀκρίβειαν Legis; sed tantum occupatum in conservatione salutis publicæ servando populum ab inimicis ejus, & decidendo judicium extraordinarie, prout Rerum & Temporis circumstantia requirebat, non per modum judicii congrui & accurati. Judices autem aliter; quia Officium illorum proprium erat, Judicare juxta præscriptum Legis, & Judicium legitimum. Annon enim vides, quod Lex in sectione שופטים præceperit, ut sit Domus judicii minoris (Synedrium minus) in unaquaque urbe, sicut dicitur; *Judices & Exactores constitues in omnibus portis tuis:* & in sectione כי יפלא, de Synedrio magno (quod erat Hierosolymis) & de Judice, qui est maximus inter omnes, vices agens Mosis Domini nostri, quum staret cum septuaginta senioribus, de quibus dicitur; *Et indicabunt tibi rem judicii, & facies juxta verbum quod indicabunt tibi &c.* Deut. 17. vers. 10. *juxta præscriptum Legis, quam docebunt te &c.* Ibid. vers. 11. Ita ut officii illorum proprie, primo, & peculiariter fuerit, Judicare secundum judicium justum & exactum, unde etiam vocati fuerunt *Judices*. Quod si legantur Judices quidam egressi esse ad Bella, & traditam esse ipsis potestatem absolutam ad judicandum pro ratione temporis, & non stricte secundum verba Legis; id non factum est ab eis, quatenus fuerunt Judices, sed quia tunc temporis nullus adhuc erat in Israele Rex, & sic utramque potestatem habebant, & Judicum, & Regum (quod etiam R. Nissim observavit;) ac proinde quandoque tropice ipsis Nomen *Regis* tributum fuit; ut, *Et Regem constituerunt Abimelechum in Sichem &c.* Judic. 9. 6. qui tamen Judex fuit. Hinc quoque est illud; *Et eo tempore nullus erat Rex in Israele*, Judic. 17. 6. & 28. 2. & 21. 25. De hoc etiam Rabbini nostri jam monuerunt, ad id quod scriptum est; *Et fuit in Israele Rex*, Deut. 93. 5. Dixerunt; *Hic est Moses: nam ubi non est Rex*, ma-

המסורר הצודק ואם היה עובר מורה אינו
בטה שהוא שופט כי אם בשיתן לו המלך
מכחו לעשות או להעדר המלך אין מנויו
בדבר המשפט הצודק כי אם ללחום את
המלחמות ולשפוט את הדברים כפי היכולת
המוחלט להוראת שעה ולכן אח"ז"ל שמלכי
ישראל לא דן ולא דנין אותו ומפני זה היה
בישראל שופט והמלך ומלך יוכל לבטל
משפט השופט ולא יתהפך זה והוא ההבדל
השני: ההבדל השלישי הוא במצות שהמלך
חייב בהם במה שהוא מלך ושופט פטור
מהם אם שלא ירבה לו נשים ואם שלא
ירבה לו סוסים ואם שכסף וזהב לא ירבה
לו מאד ואם שלא ישתכר מעשה שברות
שנ' אל למלכים נמואל אל למלכים שתה יין
ואם שיכתוב ספר תורה לעצמו יתר על
הספר שהניח לו אביו החיובים האלה וזולתם
שהזכירו חז"ל במלכים פטורים מהם השופטים
והסיב' בזה היא לפי שהם משועבדים למשפטי
התורה מאד יותר מהמלכים כמו שביארתי ולזה
הוצרכה התורה להזהר את המלך שלא יטה
אחרי התאוות ואחרי החמרה ואחרי הגאוה
והכריחו לכתוב ספר תורה לעצמו ושלא יזוז
מלפניו והתרה בו לבלתי רום לבבו מאחיו
ולבלתי סור מן המצוה ימין ושמאל וכל
זה לבל יחשיב המלך שאינו משועבד
למשפטי התורה ומצותיה אחרי שהוא מלך
אבל השופטים אינן צריכין לזה להיותם
משועבדים למשפטים והתורות והם פטורים
מזה ככל שאר ישראל והוא ההבדל
השלישי: ההבדל הרביעי הוא בדברים
שהמלך זוכה בהם כפי התורה שאין השופט
זוכה בהם אם בעניני כבודו שאין יושבים
על כסאו ואין רוכבין על סוסו ואין משהמשין
בשרביטו ולא בכל תשמישיו ואין נושאין
אלמנתו אינו חולץ ולא מיבם ולא חולצין
ולא מיבמין את אשתו אסור לראוהו ערום
וכשהוא בבית המרחץ וכשהוא מסתפר כל
איש מישראל ואפילו נביא עומד לפניו
ומשתחוה לו הנה כל המעלות האלה

maximus illius generationis est sicut Rex. Ex his apparet, Judicis officium tantum, proprie & per se, esse judicare judicium ordinarium & exactum secundum Leges: aut, si ultra hoc egerit, id fecisse, non ut Judicem, sed quatenus, vel a Rege id faciendi facultatem accepit, vel in defectu Regis ejus vices egit. Sed Regis officium non fuisse in administrando stricte Judicio; verum in bellis gerendis, & rebus dijudicandis potestate absoluta, prout res & necessitas requisivit. Idcirco dixerunt Sapientes nostri, *Reges Israelis nec judicare, nec judicari.* Hinc fuerunt in Israele Reges & Judices: & Rex potuit abrogare judicium Judicis, sed non vice versa. Et hæc est differentia secunda. *Tertia differentia* est in Præceptis, ad quæ Rex fuit obligatus, quatenus Rex; a quibus judex fuit liber. Veluti, ne multiplicet sibi uxores, ne multiplicet sibi equos, ne nimis multiplicet sibi argentum & aurum, ne se inebriet, sicut dicitur; *Non est Regum, o Lemuel, non est Regum bibere vinum, & principum non est potus inebrians*, Prov. 31. 3. Item, Describere pro se Librum Legis, præter eum librum, quem reliquerat ei pater ipsius; & alia, quorum meminerunt Rabbini nostri de Regibus, a quibus immunes erant Judices. Causa hujus rei est; quia Judices magis adstricti sunt judiciis Legis quam Reges; unde necessarium fuit, ut Lex moneret Regem, ne sectetur suas concupiscentias, ne indulgeat voluptatibus, avaritiæ, superbiæ, utque describeret librum Legis pro seipso, neque ab eo recedat: Item, ne cor suum se efferret supra fratres suos, & ne recederet a præceptis vel ad dexteram vel ad sinistram. Omnia hæc, ne Rex cogitet, se exemtum esse a Judiciis Legis, & præceptis ejus, eo quod sit Rex. Judices autem, quod subjecti essent judiciis & Legibus, ad illa non obstringebantur, sed ab eis immunes erant, ut reliqui Israelitæ omnes. Et hæc est differentia tertia. *Quarta differentia* est in Rebus quæ ad Dignitatem seu Majestatem Regis spectant secundum legem, quas Judices non habuerunt. Earum *quædam percinuerunt ad ipsius Honorem*; veluti, quod nemini fas erat sedere in solio ipsius, equo ejus vehi, sceptro, vel quoquam alio ornamento ejus, uti, ducere ipsius viduam, Leviri jus non præstabat, vel ejus causa calceum exuebat, nec vice versa, Leviratus jure uxorem ejus quisquam ducebat: prohibitum erat, a quoquam videri nudus, cum esset in balneo, vel quando tondebatur; omnes, Israe-

וזולתם שזכרו חז״ל המלך זוכה בהם ואין השופט זוכה בהם ואם בתועלתו וקניניו כבר אחז״ל כל הכתוב בפרשת המלך המלך זוכה בו ושם נאמר זיתיכם וברמיכם הטובים יקח וגו׳ וזרעיכם וכרמיכם יעשר וגו׳ ואף העבדים והשפחות בנים ובנות יקח ובסוף אמרו ואתם תהיו לו לעבדים ובספר שמואל אחקור עליו. וקבלו חז״ל שיש רשות למלך ביטול מס מהעם לצרכיו או לצרכי המלחמה וקוצב לו מכס ואסור לברוח מלפרו׳ מס אלו ויש לו לגזור שמי שיגנוב המכס יהרג וכל הרוגי המלך ממונם ונכסיהם למלך וכל הארץ שכובש בעצמו הרי היא שלו כל הדברים האלה וזולתם המלך זוכה בהם ואין השופט זוכה בהם והוא ההבדל הרביעי. ההבדל החמישי הוא שהמלך משנמשח זכה בכתר המלכות לו ולבניו עד עולם שהמלכות ירושה הוא לו שנ׳ למען יאריך ימים על ממלכתו הוא ובניו בקרב ישראל ובא בקבלה שאם הניח בן קטן משמריו לו את המלכות עד שיגדל כמו שעשה ישויהע ליואש וכל הקודם לנחלה קודם בירושת המלכים והבן גדול קודם לבן הקטן ואם מצינו שקרא השם את המלכות משאול ומשאר המלכים הרשעים היה זה בחטאם: אמנם השופטים לא היו יורשים שרותיהם לבניהם כי היה הדבר מיוחד להם בפרט כפי גבורתם להבנתם בחכמה וביראה ועם היות שאמרו ישראל אלג דעון משול בנו גם אתה גם בנך גם בן בנך וגו׳ היה זה מאהבתם אותו לא להיותם מחויבים עליו כפי הדין ולכן היתה תשובתו להם לא אמשול אני בכם ולא ימשלו בני בכם ה׳ ימשול בכם וגם הם חזרו מזה ולא המליכו לבניו: הנה התבאר מזה שהשופטים אין ענינם

Israelitæ, imo & Propheta, prosternebant se coram eo. Omnes istæ dignitates, & aliæ quas commemorant Sapientes nostri, indultæ fuerunt Regi, non itidem Judici. *Quædam* (illarum dignitatum) *pertinuerunt ad ipsius commoda & possessiones*. De his dixerunt Sapientes nostri, quod omnia ea, quæ scripta sunt in sectione Mosaica, ubi de Rege agitur, Regi concessa fuerint, ubi inter cætera dicitur; *Oleas & vineas vestras accipiet &c. Et sementem vestram, & Vineas vestras decimabit &c. Etiam pro servis & ancillis filios & filias vestra accipiet &c.* Et in fine; *Vos autem eritis ei in servos*; de quibus omnibus agam in libro Samuelis. Tradiderunt etiam Rabbini nostri, Regi fas fuisse, tollere tributa a populo, pro necessitatibus suis, aut pro necessitatibus belli, vectigalia exigere, nec licuisse cuiquam subterfugere, vel denegare illa: potuit etiam decernere, ut is, qui defraudarit vectigal, morte multetur, omnia etiam eorum, quos Rex morte plectebat, bona & facultates, erant Regis: omnes denique terræ, quas ipse subegit, ipsius erant. Omnes has & alias dignitates ac prærogativas habebat Rex, quas Judex non habebat. Et hæc est differentia quarta. *Quinta differentia est*, quod, ex quo unctus fuit Rex, Corona Regia ad ipsum & filios ejus pertinuerit in sæculum. Regnum quippe hæreditarium fuit ipsi, sicut dicitur; *Ut prolonget dies in regno suo, ipse & filii ejus, in medio Israelis*, Deut. 17. 20. Traditione etiam accepimus, quod si *filium minorennem reliquerit, Regnum ei servatum fuerit*, donec *adolesceret, & majorennis fieret*, sicut Jehojadah fecit Joaso; Et omnis qui prior est in Bonis, prior est in Hæreditate regni: & omnis filius natu major, præcedit minorem. Quod legimus, Deum transtulisse Regnum a Saule, & aliis Regibus impiis, id factum fuit propter peccata ipsorum. Judices autem non transmittebant hæreditario jure principatum suum ad filios suos. Fuit enim res ipsis peculiaris vel singularis in specie, propter ipsorum Fortitudinem, Prudentiam, & Pietatem. Et quamvis Israelitæ dixerint ad Gedeonem; *Dominare super nos, & tu, & filius tuus, & filius filii tui &c.* Judic. 8. 22. id factum est ex mero erga ipsum amore, non quod de jure ad id obligati essent. Unde hoc ab ipso responsum tulerunt; *Non dominabor ego super vos, neque filius meus dominabitur super vos, Dominus dominabitur vobis*. Quin & ipsi postea id retractarunt, neque regnare fecerunt filios ejus.

כעניז המלכים עם היורת שהשופטים הנזכרים בזה הספר להעדר המלכים היה בחם כח השופטים וכח המלכים.

ejus. Sic ergo explicatum est, non eandem fuisse rationem Judicum & Regum, quamvis Judices in hoc libro commemorati, ob defectum Regum, & Judicum, & Regum potestatem habuerint.

NICOLAI SERARII S. J.

HERODES.

QUem *Tribæresii Elenchum* inscripsit *Scaliger*, est is eorum fere, quæ in *Eusebianis* suis *Animadversionibus* & *Isagogicis canonibus* nuper effudit, conviciorum, variorumque ipsius erratorum Elenchus. Inter hæc, primo statim limine, ingens, veluti Cerberus, est insigne illud *de Herodia* a quibus & *Responsionis* suæ librum secundum inchoavit *Drusius*. De illis vero, dum quæ vult; dicit Scaliger, adjungit: *Herodiani qui sint, in Eusebianis ostendimus*. Statim ergo atque hæc prodierunt, ut de his quid *indictum* & *inauditum*, (prout qui ab eo *incomparabilis Vir* vocatur, vaticinatus est *Casaubonus*) doceret, cognoscerem, ea in manus sumsi, & de illis quidem pauciora, de ipso autem Herode plura sane nova, indicta, & inaudita, addo & priscis Patribus, piisque pæne Christianis omnibus invisa comperi. Et ea quidem potui cum ejusdem farinæ aliis in *Miscellaneo Rabbino* refellere: utilitatis tamen plus exiturum putavi, si singularius his daretur libellus. Sic enim, & quæ in novo Testamento de Herodibus pluribus tradita, lucis plus accipient. (*Multi*, ait S. Hieronymus, *lib.* 1. *in Matth. propter ignorantiam historiæ labuntur, putantes*, eosdem Herodes esse) Et in veteri, nobilissimæ illi prophetiæ. *Genes.* 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda*, dum ea quidem, Judæis revincendis, & ad *Christum* Dominum traducendis, explicatur, firmamenti & perspicuitatis adstruetur plurimum. In historiæ item Christianæ primis quasi lineis clarabuntur nonnulla, ob quæ videtur parum vere, parumque pudenter ac prudenter idem scripsisse Scaliger: *Certe Bellarminus satis ostendit, nullum gustum se habere scriptorum Josephi, ut neque conditor Annalium* (*Baronius*) *qui in rebus Herodis, & belli Judaici, maluit credere homini inaccurato Eusebio, quam Josepho scriptori vernaculo ex fide oculata, aut ex Actis Herodis omnia scribenti*.

CAPUT PRIMUM.

Herodes multi, eorumque nominis scriptio, interpretatio.

HErodes in scriptura semper ἡρώδης, itemque fere semper in Josepho, & scriptoribus aliis: interdum tamen ὁρώδης *Jos.* 185. *Apio. Parth. Just. l.* 42. & in Judæorum libris *Horodus*, *Thal. Juch. Chr.* 2. *tem.* in uno, quem viderim, Gorionide, *Erodus*, *l.* 5. in Syriaco *Hiraudes* appellatur. Quia vero Hebræis עור *hor* est pellis, *har* mons, *hod* honor, gloria & robur, ideo in Hebraicorum nominum libellis *Herodes App. Bib. Reg.* exponitur, *pellis gloria*, *pellibus glorians*, *mons gloriæ*, vel *arrogantiæ* Syriace vero *draco ignitus*. Posset a *jarad* etiam, quod est *descendere*, vel *har ad* seu *charad*, quod est *terrere*, arcessitus videri Herodes, quasi *descendere coactus*, aut *dejectus*, & *terribilis*. Sed quia primam pellis terrorisque literam respuere videtur Judaica scriptio, dicendum foret, hanc e Græcorum ac Latinorum consuetudine, non e primigenia vocis natura effictam. Quod sive sit, sive non sit, certe in eo, quo de agendum hic potissimum, *Herode*, nomen hoc, omen est. Inveniuntur autem plures in Parthia, Syria, & Attica *Herodes*, ut ex Josepho, *l.* 18. *c.* 3. Trebellio, *l. de* 30. *Tyr.* 14. 15. Appiano, *in Syriac. p.* 83. *Parth.* 92. Justino, *l.* 42. & Gellio *l.* 1. *Noct. c.* 2. perspicuum, sed in Palæstina maxime. Nam & *Tiberienses* quosdam recenset Josephus, *in vita sua* & unum Jadæorum Regem, a quo alii complures, de quibus postea. Ille autem dicitur quandoque *Herodes Tyrannus*,

Infanticida, *Magnus*, cujus posteri omnes *Herodiadæ*: filiorum vero unus *Herodes Antipas*, *Matth.* 2. qui *S. Joannem Baptistam* interemit; & *Christum* Dominum sua in passione tacentem sprevit ac irrisit: *Matth.* 11. 26. Nepotum vero unus *Herodes Agrippa*, qui *S. Jacobo* caput abscidit, *S. Petrum* in carcerem contrusit, *Act.* 12. sic ut in novo Testamento *tres* isti celebrentur *Herodes*, primus, ejus filius, ejusque nepos. *Primus* hoc in libello propositus est, præciseque deinceps *Herodes* nominatur: sed ita, ut horum, suo in loco, nulla sit oblivio.

CAPUT II.

An alienigena fuerit Herodes? veterum sententiæ.

QUI *alienigenam* aliquem vocat, is eum ab alia certa quapiam diversa gente, quam ea sit, de qua ipsi vel sermo vel cogitatus, ortum dicit. Cum ergo de Herode, sitne alienigena quæritur, nobis in mente est, Hebræa seu Israelitica gens, quæ ex Abrahæ, Isaac, & Jacob semine prognata, e qua qui non erat, *alienigena*, Græce ἀλλοεθνὴς, aut ἀλλόφυλος appellatur. *Joseph. lib.* 1. *Captiv.* 18. 2. 31. Sed hoc nominis in scriptura sumi solet bifariam 1. generatim, pro omni eo qui Israelis satu editus non est, sed ab alio quopiam origenem ducit populo. *Isa.* 2. *vers.* 6. *Pueris alienis adhæserunt*, τέκνα πολλὰ ἀλλόφυλα ἐγεννήθη αὐτοῖς. sicque Tertullianus, *lib. adver. Judæos cap.* 4. Nazianzenus *Orat.* 2., alii. 2. speciatim pro Philisthæis. Apud Isaiam eodem loco *cap.* 2. 6., ubi nos cum Hebræis legimus, *Augures habuerunt ut Philisthiim*, legunt 70. ἐνεπλήσθη ἡ χώρα αὐτῶν κληδονισμῶν, ὡς ἡ τῶν ἀλλοφύλων. Jeremiæ 47. ubi nos habemus *contra Philisthæos*, habent 70. ἐπὶ τοὺς ἀλλοφύλους τάδε λέγει κύριος, Et postea: *vastabuntur omnes Philisthæi*, τὰ ἀπολέσαι πάντας τοὺς ἀλλοφύλους. Ps. 97. *Mihi alienigenæ subditi sunt*. Ps. 107. *Mihi alienigenæ amici facti sunt*. Utrobique in Hebræo *Philisthæa* est: in 70. ἀλλόφυλοι. Unde S. Hieron. *in Is.* 1. *Pro Philisthiim semper* 70. ἀλλοφύλους *interpretati sunt, nomen commune proprio, quæ est hodie gens Palæstinorum quasi Philistinorum*. Et postea: *in c.* 10. *Philisthæos, ut supradiximus, Palæstinos significat, quos alienigenas vulgata scribit editio: cum hoc non gentis, sed omnium externarum gentium vocabulum sit*. Hic prior, ampliorque illa in Herode nobis jam quærirur notio. Unus olim fuit magnus Herodis hujus assentator, *Nicolaus Damascenus*, qui ut huic ægre admodum ferenti, se, ob gentem genusque suum, a Judæorum plerisque vel contemni, vel odio etiam haberi; gratificaretur ac placeret, scribere illo ipso tempore, cum mille ipsum mendacii testes convincerent, ausus est; Herodem a principibus Judæis, qui Babylone in Judæam rediissent, genus ducere. Notant hoc Josephi duo *Gorion. lib.* 3. *cap.* 17., sed ita ut Damasceno huic neuter assentiatur: quin vero fœdam ejus adulationem patefaciat, perstringatque senior, Flavius *lib.* 14. *cap.* 2., dum ait: ταῦτα δὲ λέγει ὁ Δαμασκηνὸς χαριζόμενος Ηρώδῃ. Cæteri vero, quidquid scriptorum est tam Judæorum, quam Christianorum, ἀλλόφυλον seu *alienigenam* eum, absque controversia, dubiove ullo testantur, ut citati Josephi, & Sederici *in Seder Zuta*, Thalmudicique Rabbini. Sed omnium maxime ac luculentissime veteres Christianorum Patres historici *Hegesippus junior* lib. 1. cap. 14. *Euthymius* in Matthæum cap. 21. *Theodoretus* in Danielem orat. 9. & dial. 1. *D. Ambrosius* in cap. 3. D. Lucæ *D. Hieronymus* in Mattheum cap. 22. *D. Epiphanius* hæres. 20. *Eusebius* lib. 1. hist. cap. 6. & 7. lib. 8. Demonstr. & in Chronico. *Origenes* homil. 17. in Gen. *Africanus* epist. ad Aristidem. *apud Eusebium lib.* 1. *Hist. Hegesippus senior*, *vicinus*, ut ait S. Hieronymus, *Apostolicorum temporum*. Si extarent hodie Tyberiadensis *Justi*, & *Ptolemæi Ascalonitæ* monumenta, plus forte de Herodis gente, gestisque omnibus verborum, sed veritatis haberemus minus. Nam ille sua illa Herodiadarum ultimo Agrippæ dedicavit, plurimaque in iis mentitus est, ut a Josepho & Photio notatum: iste vero quia *Ascalonita*, Herodem vel ad se rapere, vel ab se abigere procul voluit. Nam ab Ammonio tantum περὶ ἡρώδου βασιλέως scripsisse, non autem quid scripserit, indicatur. Ac istæ quidem generatim de Herodis gente veterum sententiæ.

CAPUT III.

Nova magnoque opere insolens Jo: Scaligeri de posita quæstione sententia.

ALienigenam *Herodem non esse* cœpit hisce diebus, contra citatos paulo ante veteres, contraque insitum Christianis omnibus dogma, vociferari Scaliger non

non quod, Damascenus Nicolaus, eum e Judæis majoribus prognatum dicat, sed quod illo quidem tempore; Idumæi omnes Judæi essent, jam inde ab Joanne Hircano, qui ad circumsionem, cæteraque Judaica instituta, Idumæam coegit gentem. Sunt hæc ipsius Scaligeri verba: *Herodes claro, & quæ est via maximi processus, præpotenti ac prædivite patre natus fuit: neque alienigeno, quod vult Eusebius, ut commento suo* (explicationi de 70. Danielis hebdomadibus) *viam muniat. Nam erat Idumæus, & Idumæis proselytis prognatus. Idumæi enim jamdudum pro veris Israelitis habebantur, ex quo tempore Joannes Hyrcanus illis debellatis permisit, accepta circumcisione, & ritibus Judaicis, Judæorum numero esse, & peccatis in suis sedibus manere.* Et postea: *Vides, a quo tempore Hyrcanus Idumæos subegit, non amplius Idumæos, sed Judæos vocatos, & pro veris Judæis habitos fuisse. Quis vetustissimos προσηλύτες unquam legit alienigenas vocari?* Rursus: *Frustra Eusebius alienigenam Herodem vocat, qui patre & avo Idumæis, & proinde Judæis prognatus erat.* Et alibi, maxime tamen in Eusebiani Chronici Prolegomenis, similia. *Tempore*, ait, *hujus* (qui Herodis pater) *Antipatri, nullum descrimen erat inter Judæos & Idumæos. Nam Idumæi tam Judæi dicebantur, quam veri κ̀ ἰθαγενε̃ς Judæi, ut in notis demonstravimus*, tandemque concludens, *Igitur*, ait, *Herodes neque προσήλυτος, neque ἀλλόφυλος fuit.* Ac de *proselyti* re ac nomine postea, nunc de isto ἀλλοφύλε seu *alienigenæ*.

CAPUT IV.

Possitne in docti prudentisque ullius viri animum Scaligerianæ hæc influere novitas?

EST quidem apud multos, hoc præsertim seculo, *novitas gratissima rerum*: nego tamen, docto prudentique ulli posse hanc de Herode Scaligerianam placere novitatem. Nam 1. quot & quantis auctoribus, *alienigenam*, ut visum est, asseverantibus, injuria fit? 2. Quæ, in historica re, temeritas & audacia est, id quod a nobis, tempore, locoque disiunctissimum est, & a nemine affirmatur, a quamplurimis & gravissimis negatur, affirmare? & quidem sine argumento, & ratione ulla, quæ momenti habeat aliquid? Nam sane *tertio*, nihil pro sua ista novitate affert Scaliger, quod non vel facillime dissolvatur, vel non ipsummet aut inscitiæ, aut imposturæ ac sycophantiæ convincat. Id patebit, cum singula paulo post proponentur. Accedit *quarto*, quod quemadmodum c. 2. monstratum, & post iterum cap. 8. & sequentibus monstrandum; cum veteribus & Christianis hac in re conspicerent veteres ac recentiores Judæi omnes. Videtur autem *quinto*, per nova istiusmodi, pto Herode, pro Rabbinis etiam non advertentibus, pro Judæisque pervicacibus omnibus, commenta, quasi per occultos quosdam cuniculos, id satagere ac moliri Satan, ut firmissima fidei nostræ compages quatiatur aliquantulum, &, fieri si potest, in minus attentorum, prudentiumque animis luxetur. Sed apud eos, quibus Homerica νεωτάτη ἀοιδὴ, acroama esse nunc solet jucundissimum, ne pili quidem, quæ jam dixi, fuerint, nisi Scaligeri dissipatissimas videant ratiunculas. Sic enim dictitabunt aliqui. Magnus vir est Scaliger. Multa videt, quæ vidit nemo unus antea. Putandus non est, absque justis, gravibusque causis, tanto tamque cano & venerando antiquitatis totius consensui reclamare, præsertim cum hoc & similia *in Prol. Euseb.* vocet *veterum* παροράματα, σφάλματα, κ̀ παρεγχειρήματα, *hallucinationes*, *errores*, *ac temerationes*. Sed quæ tanta Scaligeri magnitudo sit, quæ omnibus in rebus tam acuta oculorum acies, & quam justas veteribus repugnandi causas is habeat, sæpe quidem libris jam demonstratum aliis: at nunc res monstrabit ipsa.

CAPUT V.

Scaligerianæ contra veteres novitatis primum proponitur & confutatur argumentum.

IN toto isto de Judaica Herodis gentilitate contra veteres conatu ac pugna, tres tantummodo Scaligeri hastas video. Prima est: *Non vocavit Josephus Herodem ἀλλόφυλον, ut Eusebius.* At primo perqnam puerile est, ab uno unius silentio, tanti rem momenti concludere. Nonne alia plurima, quæ maxima & certissima, in altissimum silentii puteum demersit Josephus? Nonne totam illam immanissimam infantulorum carnificinam, quam Sanctus enunciavit Matthæus? adeo ut ipsemet scripserit Scaliger: *Mirum est tam belluinæ crudelitatis exemplum a Josepho præteritum esse.* Deinde vero tametsi non taceret, sed affirmaret Auctor hic, Herodem alienigenam non esse, nullo tamen modo contra tot tan-

tosque Patres, Christianosque Magistros audiendus foret, ut in *Rabbino* dictum *Miscellaneo*. Sed bene habet. Ea tertio dicit Josephus, ex quibus res huic ipsi ἀλλόφυλος subjecta voci colligitur, dum Herodis patrem, ipsumque Herodem, prout infra videbitur, partim *Idumæum*, partim vero *semijudæum* appellat idque spectans Origenes homilia in Genesin ultima; *Constat*, inquit, *usque ad nativitatem Christi non defecisse Principes ex genere Judæ, nec duces de femoribus ejus, usque ad Herodem Regem, qui secundum historiæ fidem, quam Josephus scribit, alienigena fuisse, & per ambitionem in regnum Judæorum dicit irrepsisse*. Hasta igitur hæc, stipula est.

CAPUT VI.

Novitatis ejusdem alterum expenditur argumentum, vel parencherema potius, & dolus.

HAstam vibrat Scaliger *alteram* sic: *Verissimum est quod Justinus ait*, Herodem ἐν γένει Ἰουδαίων *fuisse. Quamvis Ascalonita erat, tamen Judæum non fuisse, dicendum non erat. Hoc directo contra Eusebium facit, qui alienigenam eum vocat*. Sed sane hoc vel inscitiæ summæ *sphalma* & *error* est, vel incognitantiæ maximæ *parorama* & *hallucinatio*; vel denique impudentissimæ audaciæ *parencherema*, frausque plusquam sycophantica est. Cedo enim ubi Justinus ait Herodem a Judæis dici, *suo in genere* fuisse? Ubi scripsit eum ἐν γένει Ἰουδαίων fuisse? Citatur *Dialogus cum Tryphone* Judæo. Sumatur ergo in manus hic, & pagina Græca LXVI. aut Latina XXXVIII. inspiciatur, & invenietur, 1. quidem citari a S. Justino prophetiam illam, *Non auferetur sceptrum de Juda*. *Gen*. 49. 2. ab eodem ex ea confici *Christum* Dominum jam venisse. 3. ab eodem hanc adhiberi rationem: Antequam veniat *Christus* Dominus cessare in Judæorum gente non debet neque ἄρχων *princeps*, neque, ἡγούμενος *ductor* seu *dux*: Vos autem Judæi ultro fatemini, neque absque impudentia negare potestis, olim diu ante *Christi Jesu* ortum, & passionem, neutrum cessasse, sed statim post. Nam quoad ipsum ἄρχοντα, fatemini cessasse hunc in Herode, quem ipsi dicitis *Ascalonitam*, ideoque & *alienigenam*. Quoad τὸν ἡγούμενον vero, sive per hunc intelligatis *Prophetam*, sive *Pontificem maximum* (qui etiam *Propheta* quidam a vobis habetur) eum quidem Herodis illius tempore, ipsisque Jesu nascentis ac patientis diebus, in vestro genere esse dicitis, ἐν τῷ γένει ὑμῶν ὄντα λέγετε ἀρχιερέα; jam tamen templo, Hierosolymisque vastatis, ac in solitudinem redactis, non est amplius. Hæc argumenti, quo suo minimum tempore, post Hierosolymitanam Judaicamque ab Tito, & Adriano factam cladem, desiisse in Judæorum gente, tam *Reges* quam *Prophetas* & *Pontifices*, ideoque *Christum* jam advenisse probat Sanctus Martyr, summa, prout non ex uno vel altero divulso verbulo, sed ex toto contextu patet. Unde jam perspicue audacissimæ depravationis, fœdissimæque fraudis manifestus tenetur Scaliger, dum quæ de Judaico Pontificis genere dicuntur, ad Herodem Regem transfert: & duos in unum, (quod in *Rabbanim Simeonibus* frustra quiritatus, ut ostensum, Drusius) conflat homines, Regem ac Pontificem in uno eodemque Herode confundit. Nam primo fieri quomodo possit, ut duo hæc simul dixerint Judæi, Herodem *Ascalonitam esse*, & *e Judæo esse genere*? Omnis Ascalonita Philisthæus est. Nullus autem e Judæo genere Philisthæus est. Quis enim *Ascalonem* Philistææ urbem nescit? Et quisquis Philistæos omnium maxime ἀλλοφύλους vocatos ignorat? Ostensum id supra & a Theodoreto de Jeremia *cap*. 47. scriptum: *Vocat alienigenas eos qui Ascalonem, Gazam, Azotum, Get, & Accaron incolunt*. Quomodo igitur tam asystata duo copulassent Judæi? Quomodo Judæis hæc tribuenti Justino non restitisset, is, cum quo disserebat, Judæus *Trypho*? præsertim si, ut Drusio videtur, fuit iste, Rabbinus ille, qui apud S. Hieronymum *in Isa*. 5. *Tharpho* vocatur, apud Rabbinos *Tarphon*, *Sacerdos & ipsius R. Akibæ vel præceptor, vel Sodalis*, in *Juchasin* est. Secundo. Quomodo iisdem Judæis excidere unquam potuisset, *Herodem Ascalonitam* fuisse, κατὰ τὸν νόμον τοῦ Μωσέως, id est, *secundum Moysis legem*, Judæorum *Pontificem maximum*, victimasque ac sacrificia obtulisse, aliaque legitima custodiisse? An non contra legem creari Sacerdotem maximum, qui non modo e Levitica tribu familiaque Aaronica non esset, sed ab Philistæa etiam Ascalone, *Ascalonites* diceretur? An si se in sacrum hoc munus intrusisset ille, censeretur legitima custodiisse? Quomodo igitur Judæis hæc dici dixisset S. Martyr, aut si dixisset, dicenti os non obstruxisset dictus jam *Trypho*? Herodem ipsum summum Pontificem fuisse credere, *plane*, inquit ipsemet Scaliger, κτηνῶδης, (pecuina) *opinio est*, *neque tam absurdæ sententiæ vestigium ul-*

lum

lum extat in vetustissimis Judæorum *Digestis*, *licet plumbei sint* Judæi. Et tamen, ut novum suum delirium incautis, ejusque admiratione attonitis persuadeat Scaliger, *pecuniam* hanc opinionem a S. Justino ascribi Judæis, non veretur scribere. An sanctissimus ille doctissimusque Martyr, pecus? An *Trypho* plumbeus? Plusquam plumbei, & infra pecudes omnes habeamur merito, si tam falsa, tam absurda, inter seque pugnantia sensisse, dixisse ac scripsisse S. Justinum Philosophum, & Martyrem, ut Scaligerianis vehentem quadrigis novam hanc excipiamus *Doxam*, opinari velimus. Sed ex iis, quos non Scaligeri admiratio, sed veritatis amor in novas quandoque trahit opinatiunculas, dixerit aliquis, aliud ab eodem sancto ibidem videri Judæis tribui absurdum, illum videlicet Herodem, sub quo passus est Dominus, esse *Ascalonitam*, cum ut supra tangebam *Antipas* fuerit. Respondeo. 1. *Antipam* hunc vocari *Ascalonitam* ratione Patris & avi, qui Ascalonitæ vocati, quemadmodum si Josephus Scaliger vocaretur *Italus*, aut *Veronensis*, quia ejus pater & avus *Itali* fuere, ac, ut ipse quidem ait, *Veronenses*. 2. in Græco sic legi ἡρώδην ἀφ' ȣ̃ ἔπαθεν (ὁ κύριος) Ἀσκαλωνίτην γεγονέναι λέγοντες. Jam illud ἀφ' ȣ̃ licet exponere, *post quem*: ut sententia sit: *Herodem*, *post quem passus est*, Dn. Jesus, *Ascalonitam natum esse dicitis*, Nam ut significet, *sub quo*, vel *cujus tempore*, vel, ut in Perionio est, *quo regnante*, adeo insolens, durumque videtur, ut ipse Scaliger mutet, ac dicat ἐφ' ȣ̃; qui pariter, & evangelicæ historiæ accommodatius, mutare potuisset ἀφ' ȣ̃ ἔφυγεν, *a quo fugit Matth.* 2. Sed nulla opus mutatione. Sæpe apud Græcos ἀπὸ significat *post*, quemadmodum apud Latinos a & *ab*, ut ἀπὸ σάλπιγγος *post tubam*, *post auditum tubæ sonum*, apud Diodor. Siculum, *Plut. in Cat. & Oth.* sæpe ἀπὸ τȣ́των *post hæc*, apud Homerum *Iliad.* θ. ἀπὸ δείπνȣ *a cœna*, *post cœnam*, μετὰ τὸ δεῖπνον, inquit Scholiastes. Nec obest illa Grammatici Ammonii distinctio quod ἀπὸ inanimis jungatur, animatis vero παρὰ. Sæpe siquidem id non observari, testes cum alii tum ipsus idem Grammaticus. Possent & alia responderi: sed duo ista ut simplicissima ita & probabilissima, sicque hasta Scaligeri altera non confracta modo, sed in ipsius ferreum retorta pectus. In tertia priusquam simile quid moliar, transcribam e *Perionii* disertissimi versione citatum D. Justini locum. Post Jacobi ergo de sceptro Judæ vaticinium allatum, *Defuisse*, ait, *ac desiisse unquam in genere vestro prophetam, aut principem, ex quo principatum accepit, ad illud tempus, cum hic* Jesus Christus *& extitit, & mortem perpessus est, ne impudenter quidem dicere audebitis, aut potestis dicere. Etenim cum Herodem, quo regnante* (vel potius ut dixi) *post quem passus est*, *Ascalonitanum fuisse dicatis, tamen in genere vestro Pontificem fuisse dicitis. Ita cum vobis esset ex Mosis lege pontifex, sacrificiaque offerret, & cætera quæ lege sancita, Prophetæque successione ac serie quadam usque ad Johannem fuissent, ut etiam cum Babylonem populus Judæorum abductus est, tum cum regio vastata est, sacraque vasa sublata & direpta sunt, non desiit apud vos Propheta* (Sic ex Græco legendum, non *prophetia*) *qui populi vestri dominus, dux, & princeps erat. Spiritus enim sanctus, qui in Prophetis inerat, & Reges vobis unxit, & constituit. At vero postquam* Jesus Christus *noster apud vos visus est, & mortem pertulit, nusquam extitit, neque est Propheta: quin etiam proprio Regi parere desiistis: & præterea terra vestra deserta est, & pomorum custodiæ ac thecæ instar relicta.*

CAPUT VII.

Tertium Schaligerianæ novitatis explicatur sophisma.

HAsta Scaligeri tertia satis jam perspici antea potuit *cap.* 3. breviter tamen ac nervose intorqueri sic potest:

Nulli Judæi erant alienigenæ.

Omnes Idumæi, jam inde ab Johanne Hyrcano, id est, ab annis fere xc. *erant Judæi*. Ergo. Assumtio ex historia constat *lib.* 13. *cap.* 17. quia, ut scribit Josephus *lib.* 15. *cap.* 11. *Gorion. lib.* 4. *cap.* 4. subegit Idumæos Hyrcanus, eosque Judæorum circumcisionem, sacra, & ritus amplecti coegit. Laudat etiam Scaliger Ammonium, Strabonem, & Stephanum sed, absque Hyrcani nomine, rem ipsam refert Ammonius: Strabo vero *per seditionem Nabatæos ad Idumæos venisse*, tandemque *ad Judæorum instituta & leges accessisse*: Stephanus tantummodo ait, *Idumæos Hebræorum esse gentem* ab *adom*, *quod Hebræis rubrum est*, nominatam sicuti & ait S. Hieron. in Ezech. 25. Conceditur ergo hæc assumtio de Idumæis, qui in Idumæa ipsa subacta manere voluerunt. Si qui enim vel cum bello hanc fatigaret Hyrcanus, effugerunt, vel postea cum ei Mosaicæ jugum legis imponeret,

ex-

excesserunt (Id enim permiserat, Josepho teste *lib.* 13. *cap.* 17. Hyrcanus) ii, licet Idumæi essent, Judaismo tamen initiati non sunt. Sed ridiculum, quod *Ascalonitas* in hac etiam assumtione comprehensos velit Scaliger p. 150. dum ait: *Ostendimus in Judæis tunc censitos fuisse Idumæos & Ascalonitas.* Ubi vero id ostendit? num ab citatis jam auctoribus *Abscalonitæ* non Philistæi, sed Judæi appellantur? Sed propositio, quæ major dici amat, distinguenda est. *Judæus* enim non pro unius tantum Judææ tribus homine, sed generatim pro *Israelita* sumtus triplex est. Quidam *lib.* 1. *cap.* 1. 43. *lib.* 2. *cap.* 4. & gente & religione Judæus est, qui ex Abrahami scilicet, Isaaci, Jacobique ortus prosapia, Mosaicam legem ac religionem sectatur. Quidam gente sola, ut qui olim ab iis ad idolorum cultum desciscebant, prout in Machabæorum libris legimus. Quidam denique sola religione, ut qui e gentibus aliis *proselyti* fiebant, præputiumque ponebant. *Major* ergo de primis Judæis, & si libeat etiam de secundis vera est: non autem de tertiis. Quamvis enim religio eorundemque sacrorum communio maximum ad summam animorum conjunctionem mutuamque benevolentiam & societatem vinculum sit, non tamen quæ naturalia sunt, adimit, neque facit, ut qui e diversis nati sunt gentibus, ex eadem sint. Christiani sunt *Itali*, *Galli*, *Germani*, & *Hispani*: an tamen horum aliis alii non sunt *alienigenæ*? Et vero hanc distinctionem clare indicat S. Paulus *Gal.* 2. 15. dum ait: *Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores*: quasi diceret, Judæorum alii sunt τῇ φύσει, id est, natura, qui e Judæorum scilicet patriarcharum semine procreati: alii sunt τῇ θελήσει aut τῇ θρησκείᾳ tantum καὶ προσηλύσει, cum ex gentibus alioquin orti sint, idemque hoc significat laudatus ante Ammonius, vel potius, qui ab hoc citatur, Ptolemæus Ascalonites, dum alios esse ait Judæos τοὺς ἐξ ἀρχῆς φυσικοὺς, id est, *jam inde a principio naturales*, alios vero οὐκ ἀρχῆθεν *non a principio*, sicque Idumæi non natura, & ab ipso initio Judæi fuere, sed accessione; non gente, sed religione, id est, *semijudæi*, ut apud Josephum *l.* 14. *c.* 27. *p.* 446. interpretatur Antigonus. Herodi regnum dandum non esse ἰδιώτῃ τε ὄντι, καὶ Ἰδουμαίῳ τουτέστιν, ἡμιουδαίῳ, ut idcirco sua ista Judaici nominis amphibolia nequaquam probet Scaliger *alienigenas* ipsos non esse, quod & manifestius fiet postea, cum de *proselytis* dicetur. Interim cum de mutua benevolentia & ope agebant cum Idumæis Judæi, & contra, illis ob templum sacraque communia, dabantur omnia, uti moris, omnium caritatum nomina, sicque interdum vocantur ἔθνος ὁμόφυλον, qui κατ' ἀλλοφύλων communi templo, *communique patriæ* suppetias ferre debeant, prout in Judaici belli, apud Josephum, lib. 4. c. 16. legi potest, imo, antequam Mosaicæ sese legi subderent Idumæi, dicuntur in Deuteronomio Judæorum *fratres*, ob communem Patriarcham Isaac: & Amos 1. ubi etiam docet S. Hieronymus, & Theodoretur orat. 9. in Danielem.

CAPUT VIII.

An, post Hyrcanum, suo Idumæorum nomine spoliati Idumæi?

AB Johannis Hyrcani tempore Idumæos fuisse Judæos narrat Josephus: *l.* 3. *c.* 17. κἀκεῖνος αὐτοῖς χρόνος ὑπῆρχεν, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους. Et jam, quemadmodum non ortu, sed ritu, non gente, sed religione Judæi fuerint, explicatum. At Scaliger non modo simpliciter Judæos fuisse, ita ut gentis alterius haud essent, quod hactenus explosum, affirmat: sed etiam *Idumæorum* pristinum iis nomen detractum, ita ut *deinceps Idumæi vocati amplius non fuerint*. Adnumeravi ejus verba cap. 3. in quibus hæc: *Vides a quo tempore Hyrcanus Idumæos subegit*, non amplius Idumæos, *sed Judæos vocatos*. At sane, sic Judæorum illi tunc ex earundem cæremoniarum sanctitate nomen acceperunt, ut pristinum illud suum non abjicerent, vel omitterent. An qui vel *Gallorum*, *Lusitanorumque* armis domiti, rationibus adducti in Occidentali orbe novo, vel India, *Christi* Domini fidem acceperunt, sic vel *Galli*, vel *Hispani*, *Lusitanique* appellantur, ut propria gentium suarum deperdant nomina? Qui in Calviniani dogmatis lernam adducti populi, desinuntne suis antiquis vocari nominibus, *Angli*, *Hollandi*, *Frisii*? Ipse vero Josephus *lib.* 14. *Antiq. c.* 2. & *l.* 4. *bel. c.* 15. quoties, post Hyrcani tempora, *scapham scapham*, & *rastrum rastrum* appellat? In una Herodis ipsius historia, & in Hierosolymitano adversus Romanos bello quoties apud illum *Idumæi*? & quidem, ut clare de ipsis, non quasi Judæis, sed quasi de gente ab his alia loquatur, cum ait: θορυβῶδες καὶ ἄτακτον ἔθνος, ἀεί τε μετέωρον πρὸς τὰ κινήματα, καὶ μεταβολαῖς χαῖρον, πρὸς ὀλίγην δὲ κολακείαν τῶν δεομένων

τὰ

τὰ ὅπλα κινεῖν, καὶ καθάπερ εἰς τὰς παρατάξεις ἐπειγόμενον. *Gens tumultuosa, & ordinis impatiens, ad motus suspensa semper & mutationibus gaudens: ad modicam vero eorum, qui supplicant, adulationem, arma movens, & ad prælia, quasi ad festum properans.* Quin vero tantum abest, ut post Hyrcanum, *Idumæi* amplius vocati non fuerint, ut Idumæorum velut sibi longe inimicissimorum nomen ad Romanos etiam & Christianos transferre cœperint. In Threnorum Thargum pro *filia Edom*, posita est *Roma*. In Psal. *c.* 4. 7. 22. 107. pro Idumæa, *Constantinopolis Edom*, seu *Konstantina*, ut in *Methurgeman* etiam notatum. D. Hieronymus, *In hoc*, ait, *loco* (Joelis c. 3.) *Judæi gravissimo somno dormiunt: in ultimo tempore, quando non* Christum, *sed Antichristum suscepturi sunt, vindictam sui in Ægyptios, qui vicini sunt, & in Rombnos, quos interpretabantur Idumæos, spe vanissima confingentes.* Et paulo post: *Non possunt exponere, cur pro Idumæis intelligantur Romani, cum eadem licentia mentiendi e diverso possimus asserere, sub Idumæorum vocabulo vel Persas, vel Elamitas, vel Francos, Alamannos, gentesque alias significari.* Similia idem Hieron. alibi *Isa.* 21. *Vespasianum* etiam ac *Titum* pari tropo *Idumæos* fuisse iidem scriptitant Judæi, & in *Zeder zuta* dicitur eversorum a Tito Hierosolymorum annus 180. *leedom*, id est, *Idumeorum*, seu *Romanorum*. Nam & in quibusdam exemplaribus jam legitur *Leromiim*. Et Gentilium terræ dicuntur *artsoth Edom*, *viismael* in Juchasin fol. 162. b.

CAPUT IX.

Num Ascalonita fuerit Herodes?

MOdo ex Hebræa gente non fuerit Herodes, cujuscunque gentis alterius fuerit, *alienigena* semper contra Scaligerum intelligitur. Quia tamen sic hactenus actum, quasi *Idumæus* fuerit, & secus interdum dicere videntur nonnulli, enodandus breviter nodus hic. Opiniones igitur præcipuæ tres. 1. Josephi *lib.* 14. *cap.* 2. *lib.* 1. *cap.* 5. *Gorion. lib.* 2. *lib.* 17. & eorum, qui eum secuti, plurium, ipsiusque adeo Scaligeri, Herodem *Idumæum* fuisse. 2. Fuisse *Ascalonitam*, eaque opinio vetustissimorum fuit Judæorum *Juchas. f.* 139. *cap.* 6. ut supra retulit S. Justinus; & Christianorum his multo adhuc vetustiorum apud Africanum, & ex eo apud Eusebium *lib.* 1. *Hist. c.* 7. 3. S. Epiphanii *hæres.* 20. fuisse *tam Idumæum quam Ascaloniten*. Et hæc mihi complectenda merito videtur sententia. 1. Quia superiores duas, cum magnis eæ ornentur auctoribus, veras pronunciat. De priore, cum ab Scaligero approbetur ipsa nihil probare opus. Posteriorem vero tam Judæorum quam Christianorum & concordia & vetustas facit venerabilem, sed nobis præsertim, si quales hi Christiani fuerint, consideremus. Fuerunt, inquit apud Eusebium *lib.* 1. *Hist. cap.* 6. Africanus τοῦ σωτῆρος οἱ κατὰ σάρκα συγγενεῖς, ideoque vocati olim Δεσπόσυνοι. Fuerunt *cap.* 7. οἱ τὰ κατ' Ἡρώδην ἀκριβοῦντες. Fuerunt denique εἴτε φαντιῶντες, εἴθ' ἁπλῶς ἐκδιδάσκοντες, πάντως ἀληθεύοντες. 2. Quia modum, quo veræ simul esse queant, commonstrant. Nam *Ascalonita* erat, quia ejus pater Ascalonita fuit, Ascaloneque habitavit. Idumæus, quia cum Ascalone ab irruentibus Idumæis in Idumæam abductus esset pater, illic ex eo Herodes ipse natus, ibidemque educatus, & illorum moribus assuefactus fuit. Narrarunt hoc idem illi *apud Eus. l. c.* quos paulo ante a sanguinis cum Christo Domino propinquitate, a diligentia in Herodis rebus accurate pervestigandis, ab summo denique veritatis studio commendatos audiimus: & ex iis sanctus etiam Ambrosius lib. 3. in Lucam, qui addit: *Quod ideo ex Græcorum historiis putavimus transferendum, ut clareat, Herodem nullo affinem generi Judæorum, regnum adulterina fraude quæsisse.* At novus Herodis vel palpo, vel patronus, uno veteribus contradicendi, seque præ omnibus allis admirabilem ostentandi precio excitatus, Herodem *Judæorum generi affinem* maxime, nulloque modo *alienigenam* vult: ideoque & istam de Herodis patre in Idumæam Ascalone abducto negat historiam. Quis non miretur tantis tamque venerandis, non Patribus modo, sed & ipsius *Christi* propinquis, diligentissimis Herodianæ stirpis indagatoribus, summis veritatis amatoribus unum contradicere nunc audere homulum, qui *Christianus* tamen, & *sapiens* audire velit? At ei aliqua forte ratio est. Nulla certe, quæ gravem prudentemque rerum æstimatorem morari possit. *Duplex* tamen effertur. *Una* est a Josephi auctoritate, qui historiam hanc reticuit. *Quis*, ait, *post Josephum alia de hoc Antipatro, & ejus filio scire potuit, quæ Josepho ignorata fuerint?* Respondi jam supra in simili Josephi silentio cap. 5. Et sane multa de *Christo* Domino, & de sanctissimis ejus Apostolis non ignoravit, quæ tamen eloqui, Judaica nequitia, noluit: sicuti & ille, de quo supra, temporis ejusdem historiam

ſtoricus, *Juſtus* Tiberiadenſis, quemadmodum de ipſo conqueritur Photius. *Altera* vero ratio eſt, quia præpotentem Herodis patrem deſcribit idem Joſephus. Sed hoc non multo infra exponetur. Nam tribus hiſce ſententiis eo, quem oſtendi, modo & veris & concordibus minutiores adjungo alias. Una eſt Hebræi Judæorum Chronici de templo ſecundo, fuiſſe Herodis patrem *non ex ſtirpe filiorum Iſrael, ci immeromiim ſchenippelu hebadim biiad Iſrael*: id eſt, *ſed e Romanis, qui ceciderunt, ut ſervi eſſent Iſraelitarum*. Quibus in verbis I. quidem clare dicitur Herodis pater *alienigena*: deinde ſignificatur *Idumæus*. Quia enim ut ſuperiori dictum capite, ad *Romanos* transferunt Judæi ſæpe Idumæorum nomen, hinc e contrario poſuit Judæus liber hic *Romanos* pro *Idumæis*. Altera eſt libri Juchaſin dicentis: *Anno* 738. *regnavit Herodus baggelili*, id eſt, *Galilæus*. Galilæum ſcilicet vocat, non quod genere aut gente Galilæus eſſet: verum quod Galilææ, antequam Rex fieret, præpoſitus fuerit, & explicat libro 14. c. 17. Joſephus. Nam alioqui ſtatim adjungit idem Juchaſin *patrem* ejus *Edomi* fuiſſe, ſeu *Idumæum*. Cum ergo Herodes *Idumæus* ſit, & *Aſcalonites*, duplici ſane modo ἀλλόφυλος ſeu *alienigena* eſt. Nam, ſupra etiam dicebam, in Philiſthiim urbibus Aſcalon eſt, 1. Reg. 6. v. 17.

CAPUT X.

Herodis pater, avus, & patruus.

I. HErodis pater ab omnibus traditur *Antipater*, vel *Antipatrus*, qui alia etiam terminatione dicitur *Antipas*, & *Antipa*, prout innuit libro 14. capite 2. & Captivitatis lib. 2. in cap. 9. lemmate. II. Avus vero paternus Herodi eidem datur ab eodem Joſepho nominis ejuſdem *Antipater*, ita ut, diſtinctionis cauſa, prior ille ab eo vocetur ὁ νεώτερος Ἀντίπατρος. Ab Euſebio *l.* 1. *c.* 6. tamen ex Africano avus nominatur *Herodes Aſcalonita*. In hodiernis quidem Græcis legimus τοῦτον Ἀντίπατρον εἶναι πατέρα ἡρώδου τινὸς Ἀσκαλωνίτου: Sed pro πατέρα, legendum παῖδα oſtendit caput Euſebii ſequens, & S. Epiphanius *hæreſ.* 20. ita ut Euſebianus Interpres Chriſtophorſonus non *patrem*, ſed *filium* verterit, ne ut divini ſolent Grammatici, hoc ſe omnium primum animadvertiſſe ac monuiſſe glorietur Druſius. Et quia cœpi, monebo aliud, ante citata verba, ibi adhuc hærere mendum, ἀντιπάτρου pro ἀντίπατρον. Sic enim locus, alioqui perobſcurus, eluceſcit: φασὶν οἱ τὰ κατ' αὐτὸν ἀκριβοῦντες Ἀντίπατρον (τοῦτον δ' εἶναι παῖδα ἡρώδου τινὸς Ἀσκαλονίτου) τῶν περὶ τὸν νεὼ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱεροδούλων καλουμένων γεγονέναι. Videtur autem S. Epiphanius *hæreſ.* 20. hanc tollere diſſenſiunculam, dum ſignificat Herodis avum proximum *Herodem* fuiſſe, avum vero majorem, ſeu proavum, *Antipam*. Sed fieri facile potuit, ut quemadmodum unus idemque filiorum Herodis vocatus fuit, prout infra videbimus, *Herodes Antipas*: ita & avus fuerit, imo & ad ejus memoriam duplex hoc inditum filio nomen fuerit: propterea neceſſe haud fuerit, Africano contravenire Scaligerum *in Prol. Euſ.* ac ſcribere: *Avus Herodis Regis non Herodes, ſed Antipater*. III. Herodis patruus fuit *Phallion* quidam, ut eſt in Captivitatis libro 1. c. 5. de quo ſi plus quidam quæris, aſini, ut ajunt, vellus quæris.

CAPUT XI.

An Herodis pater & avus, præpotentes ac prædivites fuerint?

NEgat, quem quidem legerim, nemo ad ſummas opes ac potentiam perveniſſe tandem Herodis patrem, ſimplici, facili, minimeque attento & negotioſo Hyrcani Judæorum Pontificis ac Regis ingenio dextre, in rem ſuam, vel uſum vel abuſum. Id tota fere Hyrcani hujus cum Ariſtobulos fratre de regno concertantis docet apud Joſephum hiſtoria *l.* 14. *c.* 17. *Gorio. l.* 5. *c.* 3. & 4. *l.* 14. Sed an præpotens ac prædives ſemper is fuerit, ſive an tantæ hujus opulentiæ, potentiæque a ſuo ipſe patre acceperit hæreditatem: ſive, quod eodem revolvitur, An Herodis avus præpotens etiam, præpotens etiam, prædiveſque fuerit, habere videtur quæſtionis aliquid. Aſſeverat, ſolita alia ſua confidentia, Scaliger affirmatiſſime: *Antipas*, inquit, *Idumæus fuit vir acer, & militaris, quem propter uſum multarum rerum, Alexander Judæorum Rex, cognomine Jannæus, & Alexandra ejus uxor, quæ viro in regnum ſucceſſit, Idumææ præfecerunt, ut Arabum vicinorum, & Gazenſium animos Judæis conciliaret, eoſque in amicitia Alexandri & Alexandræ contineret. Hujus viri honorati & fortiſſimi filius fuit cognominis patri, qui poſtea maluit dici* Ἀντίπατρος, *quum tamen idem ſit* Ἀντίπατρος, καὶ Ἀντιπᾶς. *Hic quoque fuit inſignis vir, Dynaſtarum ac Regum amicus, manu ſtrenuus, rei bellicæ, & artium illarum, quæ*

homi-

homines ad rerum fastigia promovent, *peritissimus*. *Huic filius fuit Herodes*, *qui postea Rex*. Audin', Lector, egregiè laudatum Herodis genus? Nonne, cum Achille illo, beati hujus pater & avus, qui talem hodie nacti præconem? Et in Prolegomenis: *Avus Herodis Regis fuit vir ornatissimus*, *strenuus dux belli*. At Christianotum veterrimi apud Africanum, Eusebium, D. Epiphanium, D. Ambrosium, Herodis avum fuisse tradunt in Apollinis templo ad Ascalonem hierodulum: patrem captum, ut supra dixi, ab Idumæis in Idumæa servum fuisse: avum vero illum tenuem adeo ac egentem, ut suis istum facultatibus redimere non potuerit: sed ἐξ ἐρανοῦ τῶν πολιτῶν, inquit Epiphanius *hær.* 20., seu ex collatitio Ascalonitarum civium argento lytron collectum, sicque Antipatrum Herodis patrem cum Herode ipso ad sua suosque Ascalonem revertisse. Nunc quibus potissimum merito credamus? Scaligerianæ novitati, an Christianæ antiquitati? Imo dixerit forte quispiam, non est hæc ulla Scaligeriana novitas: sed narrationem hanc suam sicuti & junior Egesippus l. 1. c. 14. e Josephi fontibus hausit Scaliger. Ejus enim verba quæ omnium veluti probationem continent, sunt hæc: *Quis post Josephum*, *alia de hoc Antipatro*, *& ejus filio scire potuit*, *quæ Josepho ignorata fuerint*? Agnosco Scaligeri verba, quæ & jam supra semel ac iterum nonnihil excussa. Sed I. si quæ de Herodis patre ac avo tam splendida, tamque præclara, & insigni cum virtute ac dignitate conjuncta cecinit Scaliger, cecinisset ante ipsum Josephus omnia, illud tamen quod sedate solerterque ac prudenter secum expendat homo Christianus, ac pius, habet quilibet: Ecce Josephus Judæus illud affert: hoc vero S. Patres, veteresque Christianorum historici, imo ipsi *Desposyni*, seu *Christi* Domini propinqui, & ii quidem Herodianæ prosapiæ scrutatores diligentissimi, ut supra dictum, Utris me par potius credere? Cum ratio neque a Scaligero, neque ab alio ullo afferatur ulla, sed in sola vel Judæi unius, quem aut falsitatis ac mendacii, aut improbæ reticentiæ multis in rebus convinci certum est, vel in tota ac talium Christianorum auctoritate narrationis hujus credibilitas tota nitatur; potestne prudentia, veritatisque amor suadere ullus, ut Judæo illi potius, quam hisce tam laudatis ac sinceris Christianis assentiar? Ferat apud se, ac suæ in conscientiæ tribunali quam quisque volet sententiam? ego aliud certe apud me ipsum statuere non possum, quam Judæo illi hosce tot ac tales antestare Christianos, plusque his quam illi merito adhibendum fidei. Adde tamen II: non deesse adhuc alia, quæ ad Scaligerianam Herodiani avi laudationem, aures moneant obstruere. Nam quæ de avo isto refert Josephus, non refert velut certa, sibique comperta: neque, uti de patre loquutus erat, illa intrepide ac simpliciter loquitur: sed in uno λέγουσι, seu, *ajunt*, reponit omnia, quasi prudentibus innueret, se non omnino isthæc affirmare, sed tantum, quæ alii quidam, penes quos fides sit, narrarent, & inter hos forte non postremus erat Herodianus ille, de quo antea, Damascenus adulator, de quo & paulo ante dixerat: ταῦτα λέγει χαριζόμενος Ἡρώδῃ. III. Ne Josephus quidem, aliena etiam fide laudes illas, quas in avum istum congerit Scaliger, narrat omnes. Ubi in Josepho eum, quod primo statim procemio decantat hic, *virum* fuisse *acrem* & *militarem*? Ubi, *fortissimum* item fuisse, *ornatissimum*, *strenuum belli ducem*, neque ob causam aliam aliquam, quæ in honoribus opibusque dandis solet apud Principes non raro esse multiplex, sed *propter usum multarum rerum*, præfectura donatum? IV. Si avus ille toti fuisset Idumææ præfectus, aliquod alicubi ejus ea in provincia vel prædiorum, arcium ac opum, vel propinquitatum & affinitatum, vel amplarum illustriumque amicitiarum extaret in Josepho vestigium, sicuti de parente, cum ad meliorem ascendit fortunam, & vel in Arabiam legatus missus est, vel cum Antonio, aliisque Romanis ducibus arma tractavit, extant nonnulla. Quod vero, sive pater iste aliquid agat, sive filius Herodes uxores ducat, in Idumæam fugiat, cum Arabibus aut Idumæis contrahat, aludve operis moliatur quidpiam, ullumusquam vestigium? Tinnulæ igitur ac meræ asseverationum nimis quam audacium nugæ sunt ea, quibus Herodis avum ornat Scaliger, emblemata: nimiæ, quas vel ab ortu velut hæreditarias patri accenset opes, & dignitas: nimiæ utriusque laudes & *fortitudinis*, *acritatis*, *militarisque gloriæ* ornamenta.

CAPUT XII.

In Herodis genere alia Scaligeri sesquipedalia.

NON *quacunque manu victima cæsa litat*. Novatorem nova semper decent somnia: & quis Herodis stemma

ma illustrasset felicius, quam qui *Burdones* illustrissima Scaligerorum Principum luce tam feliciter donavit? *Itaque*, inquit, *Herodi clarum fuit genus ab avo usque*. Sed perobscurus & peregens fuit avus hic, Apollinis in Ascalonitano fano servus, ut supra dictum. Pergit tamen Scaliger: *Quo magis mirandum est, Africanum prodidisse, Antipatrum Herodis patrem ab Arabibus captum, propter penuriam rei domesticæ non potuisse redimi*. Magis vero mirandum potius, Christianum Christiano, tanto tamque gravi & cano testi non credere, alios præsertim se adhuc majores laudanti testes. Nec tamen is *ab Arabibus*, ut ait Scaliger; sed *ab Idumæis* captum illum dixit. Pergit Scaliger: *Quæ certe fabulæ sunt, in odium Herodis ab otiosis hominibus confictæ*. Fabulator ergo Africanus? fabulatores ii, a quibus id ille accepit, δεσπόσυνοι seu *Dominici*, id est, *Christi Jesu* Salvatoris ac Domini cognati? Neque *fabulatores* tantum, isti omnes, sed & *homines otiosi*? Male otio, male manu calamoque abutitur, qui, ut in Novatoribus emineat omnibus, talibus nitidissimas Christianorum primitias collutulare audet conviciis, Sed, *quomodo*, ait *Herodes potuisset regnum adipisci, nisi claro genere prognatus fuisset*? quasi obscurissimi, teterrimique nulli tyrannidem unquam occupassent. *Nisi & ab eo patre prognatus fuisset, quem non solum virtutes propriæ, sed etiam generis splendor aliquis commendaret*. Legatur vel unus ille, cujus videri voluit Scaliger testimonio confidere, Josephus, & invenietur, quemadmodum nullo unquam generis splendore, aut paterni avitive sanguinis commendatione, sed audacia, obsequiis, largitionibus, fraudibus, Regumque ac Regalium cædibus, ad regnum impius grassatus sit. Non utor etiam argumento, quod ipse idem *Josephus*, vel ipso teste Scaligero, *vocat eum* οἰκίας δημοτικῆς, καὶ γένους ἰδιωτικοῦ, *plebei generis, & privatæ domus*. Latius enim patent nomina hæc, quam ut solos complectantur *infimos* ac *vulgares*. Nec illud etiam urgeo; quod Herodiano generi δυσγένειαν exprobavit *Mariamme*, id est, *generis vilitatem* ac *ignobilitatem*. Hoc enim, etsi magnum, explicarit forte aliquis per comparationem ad genus aliquod præstantius. Sed illud in Scaligero non ferendum, quod vetustissimis optimisque antea citatis auctoribus unum affingit argumentum, quod, præter ipsum, nemo finxit unquam. *Herodes fuit crudelissimus: filios suos, uxorem, amicos interfecit: multa exempla sævitiæ edidit. Ergo fuit novus homo, ignobilis, vile mancipium. Sane consequentia non procedit*. Utique non procedit sed extra Scaligerum, eam ad hodiernam diem quis texuit? Subdit attamen adhuc: *Neque odium scriptorum unquam faciet, ut alius fuerit ab eo, qui fuit*. Quasi solo hominis odio, & non veritatis, quam illi semper antiquissimam habuerunt, amore, ista de Herodis avo ac stemmate scripserint antiqui. At profecto neque erga Herodem Scaligeri amor, neque in Veteres Patres odium unquam faciet, ut vel ille ab eo, qui fuit, vel hi ab iis, qui fuerunt, alii sint. Libet vero, quæ a Græcis mutuatum se fatetur S. Ambrosius, hic *l.* 3. *in Lucam* ascribere: *Fertur*, ait, *ab his, sive simpliciter docentes, sive, ut vere astruentes tradiderunt nobis, quia Idumæi latrones Ascalonem urbem Palæstinæ inglessi, de fano Apollinis, quod vicinum muris erat, Antipatrum Herodis cujusdam hieroduli filium inter alios abduxere captivum, quem in pater redimere propter paupertatem nequivit. Is igitur imbutus disciplinis & mysteriis Idumæorum* (Sic legendum) *Hyrcano Judææ Regi amicitia copulatur, quem pro se ad Pompejum Hyrcanus legatum direxit: & quia legationis fructu potitus est, per eam gratiam, partem regni affectavit*. Nullam, inquit Scaliger, *partem regni Antipatrus iste affectavit: neque illi sane Hyrcanus dedisset*. Multa multi affectant, quæ non ideo iis dantur sed tamen regni partem affectavit Antipater, dum suis effecit artibus ut pæne solo nomine Hyrcanus, ipse autem re Rex esset, quemadmodum in Josepho apparet lib. 14. c. 17. Quod autem legendum, *Idumæorum*, monebam, cum in editis sit, *Judæorum*, id cum ex historia ipsa, tum ex Eusebio intelligitur; apud quem ipse Antipater dicitur τοῖς τῶν Ἰδουμαίων συντραφεὶς ἤθεσι. Et simile in Ruffiniana Josephi versione, *l.* 5. *c.* 1. *p.* 124. inhæret mendum, ubi *superiorem Idumeam* pro τὴν καθύπερθεν Ἰουδαίαν legimus ita ut inde non liceat, quod voluit Drusius *Obs. l.* 14. *c.* 13. colligere, urbes ibidem recensitas esse *in Idumæa*, *Gazam* nimirum & *Ascalonem*; sicque qui *Ascalonita* esset, Herodem, posse idcirco & *Idumæum* appellari.

CA-

CAPUT XIII.

Judæorum tabularia, ut suam tegeret ignobilitatem, comburi jussit Herodes.

DE Alexandro Severo scribit Lampridius: *Volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici, maxime quod quodam tempore festo, ut solent, Antiochenses, Ægyptii, Alexandrini, lacessiverant eum convitiolis, Syrum Archisynagogum eum vocantes & Archierea.* Sic & Herodem vocari alienigenam ac ignobilem pudebat: ideoque genealogicas Judæorum tabulas Vulcano addicere, flammisque penitus delere instituit. *Eusebius l. 1. hist. c. 7.* Αναγράπτων δὲ εἰς τότε ἐν τοῖς ἀρχείοις ὄντων τῶν Εβραϊκῶν γενῶν, καὶ ἀχεὶ προσηλύτων ἀναφερομένων, ὡς Αχιὼρ τȣ̃ Αμμανίτȣ, καὶ Βȣ̀θ τῆς Μωαβίτιδος, τῶν τε ἀπ' Αιγύπτȣ συνεκπεσόντων ἐπιμίκτων, Ηρώδης ȣ̓δέν τι συμβαλλομένȣ τȣ̃ τῶν Ισραηλιτῶν γένȣς αὐτῷ, καὶ τῷ συνειδότι τῆς δυσγενείας κρȣόμενος, ἐνέπρησεν αὐτῶν τὰς ἀναγραφὰς τῶν γενῶν. οἰόμενος εὐγενὴς ἀναφανεῖσθαι, τῷ μηδ' ἄλλον ἔχειν ἐκ δημοσίȣ συγγραφῆς τὸ γένος ἀνάγειν ἐπὶ τȣ̀ς πατριάρχας ἢ προσηλύτȣς, τȣ̀ς τε καλȣμένȣς γειώρας, τȣ̀ς ἐπιμίκτȣς. Cujus historiæ veluti summam ita breviter & clare sanctus exposuit Ambrosius *l. 3. in Luc. Herodes conscius ignobilitatis suæ, ne qua posteris suis, vel de præscripto veteri, quæstio moveretur, scripturas eorum* Judæorum *incendit, existimans, quod si indicia de publico sustulisset, nullis aliis testimoniis clarere posset, quin de Patriarcharum vel proselytorum veterum genere emanaret.* Num & hunc, ut Herodis sui claritatem, generisque splendorem tueatur Scaliger, ignem obscurare, solitaque audacia, penitus extinguere audebit? Sed alium ipse novum, quo veterum, si queat, dogmata & narrationes concremet, hac in re ignem excitat, qui sequentibus jam relinquatur capitibus.

CAPUT XIV.

An ortus sui die octavo circumcisus Herodes ejusque pater?

HErodem, Herodisque patrem die ortus sui octavo circumcisos existimat Scaliger: idque non aliqua vel Josephi vel alius alicujus præeuntis ratione inductus: sed una sua tantum conjectura, quod ante annos pene 90. Idumæi circumcisionem legemque Mosaicam susceperint. Qui ergo Herodis majores tum vixere, ii circumcisi fuerunt, & alii deinceps eo tempore, quo præscribebat lex. In his autem fuit Herodes ipsiusque pater. *Ridiculum*, inquit, *a patre circumcisum fuisse, quum octavo die ab ortu suo, quemadmodum reliqui Judæi, circumcisus fuerit.* At si conjecturæ huic responderi commode possit, & aliunde bona quæpiam, quæ aliud ostendat, sese det auctoritas, nonne Scaligeriana illa recte contemnatur opinio? Nunc vero constitutum jam supra, Herodem ac Antipatrum, non proprie gente ipsa Idumæos, sed Philistæos esse *Ascalonitas* nimirum qui tamen apud Idumæos servitutem servierint: & vero apud eosdem natus etiam & enutritus Herodes. Non solebant vero alienigenæ ad circumcisionem cogi servi, sed & si voluntate illam sua exposcerent, in eos erat non indiligenter inquirendum, ut a me ostensum alibi, & magnum velut beneficium ea iis concedenda. Antipatrum vero, in illa servitute cum esset, circumcisionem neque sibi, neque suo Herodi petiisse, potest ex eo conjici, quod liberari, & ad suos redire optaret: ideoque & pecuniariæ ad ipsius redemptionem ab Philisthæis Ascalonitis missæ in Idumæam symbolæ sint, prout ante dictum, sicque Scaligeri conjectura cum facilime, tum clarissime tollitur. Auctoritas vero sese offert S. Epiphanii, qui Antipatrum, Herodemque ait circumcisos posteaquam Judææ procurator fuit ille constitutus. Fuit autem a cesare constitutus, posteaquam huic suam ad Pelusium operam probasset, ac e Syria discedentem prosequutus esset, ut in fine capitis XV. l. XIV. narrat Josephus: Καῖσαρ ὑρκανὸν μὲν ἀποδείκνυσιν ἀρχιερέα, Αντιπάτρῳ δὲ δίδωσι δυναστείαν, ἣν αὐτὸς προαιρεῖται. τότε ἐπ' αὐτῷ ποιησάμενος τὴν κρίσιν, ἐπίτροπον αὐτὸν ἀποδεικνὺς τῆς Ιȣδαίας. Et cap. XVI. ὡς Καίσαρα προπέμψας ἐκ τῆς Συρίας Αντίπατρος εἰς τὴν Ιȣδαίαν ὑπέστρεψεν. Erat autem tunc Herodes annorum XIV. vel XV. si lectio quæ in Josepho est, cap. sequ. 17. retineatur. Ei enim Galilæam tum gubernandam tradidit pater νέῳ παντάπασιν ὄντι, ιέ γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη, ita ut eadem pene cum circumciso Ismaele circumcisionem ceperit ætate. Dixi tamen, *si retineatur illa Josephi lectio*, quia qui eam, a Gorionide tamen Hebræo l. 5. c. 3. approbatam, solicitent, & 25. pro 15. annis reponant, vide e diligentibus ac eruditis temporum putatoribus nonnullos. Sed ut S. Epiphanii laudata præcipiatur auctoritas, æquum hic ejus adnumerari verba: ὕστερον (post re-

reditum ſcilicet e captivitate Idumæa in Philiſtæam Aſcalonem) ἐφιλιώθη Δημητρίῳ (ὑρκανῷ in Euſeb. *l.* 1. *hiſt. c.* 6. & 7. & Amb. *l.* 3. *in Lucam*) καὶ ἐπίτροπος κατέστη ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας. Ἐν γνώσει τε γέγονεν Αὐγούστῳ βασιλεῖ, καὶ ἀπὸ τοῦ ἐπιτροπεύειν, προσηλυτεύει: περιτέμνεταί τε καὶ αὐτός, καὶ περιτέμνει Ἡρώδην τὸν υἱόν. *Poſterius amicus factus eſt Demetrio* (Hyrcano) *& Judææ Procurator conſtitutus fuit. In cognitionem Auguſti Regis devenit: & poſteaquam procurationem eam adiiſſet, fit proſelytus, Circumciditur ipſe, & Herodem circumcidit filium.*

CAPUT XV.

An proſelytus Herodes? ejuſque pater, & avus?

FAtetur quidem Scaliger aliquos ex Herodis majoribus *proſelytos* fuiſſe, quando nimirum ab Hyrcano Idumæi ad Judaicos adacti ritus, ſed neque avum, neque Patrem, multoque ipſum Herodem minus *proſelytum* vocandum vult. *Neque*, ait, *recte Herodes* προσήλυτος *dicitur ab Epiphanio* 103. *quum ejus avum certum ſit proſelytum non fuiſſe, qui fuerit poſtquam ab Hyrcano Idumæi ſunt domiti, & fortaſſe ne proavus quidem fuit proſelytus, ſed circumciſo prognatus*. Et alibi: Προσήλυτον *Herodem quis fuiſſe concedat, quum, ut jam diximus, nullum diſcrimen eſſet Judæi & Idumæi?* Et poſtea *Prolegom.: Igitur Herodes neque* προσήλυτος, *neque* ἀλλόφυλος *fuit*. Rationes dum quæro, duas invenio. Una eſt illa ſuperius non ſemel iterata: Herodem Joſephus *nuſquam* προσήλυτον *aut* ἀλλόφυλον *vocat*. Altera: Proſelytorum filii non ſunt proſelyti. Nam nec libertinorum filii libertini. *Idumæi ſane*, ait, *illi, quos debellavit Hyrcanus, & legem Moſis accipere adegit, vere* προσήλυτοι *erant. Poſteritas eorum* προσήλυτοι *non potuerunt dici, quia* προσηλύτου *filius* προσήλυτος *aut* γειώρας, *nunquam vocatus fuit: quemadmodum Horatius libertino patre natus, ingenuus, non libertinus, dicebatur*. Dicam vero, res ut tota liqueat, ordine nonnulla.

I. Qui ex alia gente ad Judaiſmum accedebant, ejuſque myſteriis initiabantur ii, Græcis & Latinis, *proſelyti*, Hæbræis vero *gerim*, & in Rabbinorum libris, ut ait Elias, *gerurim* ac *meguierim*, *mithgajerim* & *mithiehudim* appellati. Ab Hebræo aut *ger* & Rabbinico *gaiir* factum Chaldæum *giior* & *giiora*: hinc vero apud 70. Exod. 12. verſ. 19. γειώρας, licet paulo ſtrictius videantur interdum γειῶραι ii tantum Euſebio eſſe, *lib.* 1. *hiſt. cap.* 7. qui ex Ægypto cum Iſraelitis exierunt, proſelyti.

II. Herodis *avum* ac *proavum non fuiſſe proſelytos dicit Scaliger, dico & ego* ſed diverſiſſima nobis ambobus ratio. Ille ſiquidem proſelytos negat, quia proſelytorum filii ac poſteri: ego autem, quia ut ſupra oſtenſum, illi Philiſtæi & in Aſcalonitano Apollinis templo Gentiles hieroduli.

III. *Antipater, ejuſque filius Herodes proſelyti ambo fuerunt*, quia uterque poſt vitæ ſuæ annos aliquot ex aliena gente ad Moſaicos ritus, ipſamque circumciſionem venit, ut monſtratum capite ſuperiori.

IV. *Falſum eſt, proſelytorum filios ac nepotes, ſeu poſteros aliquos vocari nunquam poſſe proſelytos*. Licet enim quoad religionem & ſacra omnia non nepotes modo & filii, ſed ipſi etiam primum circumciſi, Judæi jam eſſent, neque inter Judæos natos & factos, in his, diſcrimen eſſet, prout *Num.* 15. *v.* 13. 14. 15. ſæpius traditur: in aliis tamen, quæ ad connubia, dignitates, aliaque ſimilia intererat aliquandiu non parum, eſſetne aliquis ex Abrahæ, Iſaac, & Jacob ſemine, an vero a patre, vel avo, ac proavo, cui alia quidem gens, aliuſque divinus cultus fuiſſet, ad Judaicum tamen ſeſe cultum tranſtuliſſet. *Deut.* 23. *v.* 7. 8. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt: nec Ægyptium, quia advena fuiſti in terra ejus. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in Eccleſiam Domini*. Etiamſi, ait eum in locum Raſchi, Ægyptiorum majores Iſraeliticos in aquas projecerint infantulos, qui ex his tamen orti fuerint, Judaicæque ſeſe religioni dederint, ii in Iſraelitici populi Eccleſiam recipiendi erunt, non prima ſtatim generatione, vel ſecunda, ſed tertia, idque, propter Judæorum in Ægyptia terra peregrinationem, privilegio ſingulari. Sed jam de *ger* aut *proſelyti* nomine prout inſtitui, probemus. I. Juſſit David Rex 1. Paral. 22. ad cæduam ædificandi templi materiam, omnes e toto Iſraele convocari *proſelytos*, certe non patres tantum & avos, ſed & horum filios ac nepotes, qui per ætatem, corporumque vires ad opus apti erant. II. Numeravit Salomon omnes, qui in terra Iſrael erant proſelytos, 2. Paral. 2. & inventi ſunt 1053600. An vero in cenſu ac ſumma iſta ſoli patres, non eorum & filii & Nepotes, Pronepotes etiam fortaſſis, & abnepotes conſummantur? III. Cum qui Pentecoſtes die, Apoſtolos linguis variis lo-

loquentes audiebant, se dicerent Parthos, Medos, Elamitas, aliosque aliis ex Gentibus Israelitas, adiecerunt etiam Judæos & Proselytos. Quinam isti? an qui circumcisione primum insigniti erant? an Patres quidem ad proselytos, filii vero & Nepotes ad Judæos spectabant? IV. *In Pirke Avoth* Commentario, dicitur: *Coram proselyto, in decimam usque generationem, ne Aramæum contemnas*, id est, coram eo, qui etiam a decima suorum majorum generatione proselytus est. V. Si proselyti filius, eo ipso quod proselyti filius erat, nullo amplius modo vel proselytus, vel alienigena fuit, ad quam e XII. tribubus tribum spectabat? VI. Non dicam de his proselytorum filiis quid Judæi quidam ajant, sed, ut omnis tergiversandi Scaligero præcidatur ansa, illud dico, non deesse qui & Herodem, & eos, qui ab ipso prosati, Herodiadas, ejus nimirum patris nepotes & pronepotes *gerim* seu *proselytos* nominent: In *Juchasin* certe dicitur, *in diebus Hillelis fuisse quidem Judæorum Regem Herodum: non tamen recte, neque uti oportebat schebaiah ger o bebed* id est, *quia fuit proselytus aut servus*. In Hebræo templi secundi Chronico, de Antipatro, ejusque filiis post Idumæos ab Hyrcano devictos, additur, *hem gerim bilbad, ve lo bene chorim*, id est, *Hi erant proselyti tantum, non filii ingenuorum*: seu *non ingenui*. In Seder Zuta: *In anno* 103. *lemalcuth baggerim* (id est, regni eorum qui *garim* erant) *is est templi secundi ædificati annus* 440. *mundi conditi annus* 3558. *venit Vespasianus, & vastavit templum, & in captivitatem abduxit Israelem*. Quinam vero isti *gerim*? Nonne *proselyti*? Nonne ipsius filii, atque ad Hierosolymorum excidium usque, posteri? Temporis profecto, narrationisque series id monstrat, & clarissime *Seder Rabba*, in quo hic idem annus 103. dicitur *annus regni Herodis*. In *Leketh Katsir lesod habibur* ubi annorum Epochæ ponuntur, est inter alias etiam hæc: *A mundo condito, had malcuth baggerim, anni* 3726. id est, *usque ad regnum eorum, qui gerim*. Quinam isti *gerim*? Vertit quidem in *Emendatione temporum*, verba illa Scaliger sic: *Ad regnum Hagarenorum*, & sic *Agarenos* in superiore *Sederis* loco verterat pridem Munsterus. At vero *Agareni* seu *Hagareni* Arabes sunt ab *Hagar* Abrahæ ancilla, ipsorum matre: *quorum arx*, inquit Scaliger, *munitissima Petra*? quorum mentio, 1. Paral. 5. & Psalm. 83. dum dicitur: *Moab & Agareni, Gebal & Amalek*. Num istos isti volunt his in locis intelligi? In *Sedere Zuta*, ut intelligantur, fieri non posse, jam ostensum: in hoc ipsius *Leketh* similiter haud posse, ostenditur I. quia sic a Scaligero diceretur Herodes *Arabs* esse. II. quia multo ante hoc descriptum tempus, erat Arabum Regnum, & apud eos erant *Aretæ*, *Malki* & *Phylarchi*. III. quia immediate ante hoc eorum, qui *gerim*, regnum, dicitur sic: *Ad regnum familiæ Chasmonæorum seu Macchabæorum anni* 3623. immediate vero post: *Had minian bannotsriim*, id est, *ad calculum Nazaræorum seu Christianorum*. At inter *Chasmonæorum* regnum, & *Christianorum* calculum & epocham, quid aliud in Judæos interiectum quam *Herodis* ac *Herodiadarum* regnum? Ideoque non legendum Hebraice *Hagrim* id est, *Agareni*, sed *Haggerim*, id est, *Proselyti*, qui sunt, ut planum jam feci, Herodes, ejusque filii ac nepotes. Quod ita certum ac verum, ut de hoc ipso istorum *haggerim* regno ipsemet scripserit Scaliger: *Recte olim interpretati sumus regnum Herodis*. Et paulo post: *Suspicio nostra confirmata est, ex magno Computo Judæorum Germanensium. Nam annus* 3726. *perspicue est initium Herodis a captis a Sosio Hierosolymis*. Atque hinc falsa cernitur tota secunda Scaligeri ratio: Prior vero, cum a Josephi solo petatur silentio, aliquoties exturbata jam est; & veterum, quos, nimio novitatis cacoethe, semper culpitat Scaliger, manet sententia, *Herodem esse proselytum*, etiamsi cum patre provectiore adolescentior, quod probatum tamen, circumcisus ipse non fuisset. Ad *Libertinorum* vero similitudinem dico duo. I. hæc & jura & nomina ex instituto esse. Alibi & alibi alia & alia esse hæc posse. II. etiam apud Romanos, quandoque iis, qui *e Libertinis* essent, datum *Libertinorum* nomen, ut in Claudio notat cap. 24. Svetonius. Certe *Libertinos, nunquam in equestrem locum redegit* Alexander Severus, *asserens seminarium Senatorum, equestrem locum esse*, prout scribit Lampridius *in Alex.*

CAPUT XVI.

Herodis mater, quæ & qualis?

CYprus ab Josepho *l.* 14. *c.* 12. nominatur Herodis mater: ab Eusebio, Cedreno, Georgio Syncello, Tzetze, aliis *Cyprine*, aut *Cypris*. Hanc istorum ab Josepho in una litterula vel syllaba discessionem reprehendit, qui in rebus tam multis & magnis licenter a veteribus quoties libitum, discedit Scaliger. At

At quid in omnibus pene linguis usitatius, quam nomina, præsertim propria, pauxillulum quandoque mutationis accipere? Veneris quidem, a qua Judæi abhorrebant, cognomen *Cypris* est, sed num Judæa nata Herodis mater? Nonne ab Scaligero ipso, uti mox dicendum, Arabici dicitur generis? *Certum* vero *est*, inquit ipse alibi, *Venerem præcipuum illius gentis numen fuisse*, prout S. etiam testantur Hieronymus *in S. Hilar.*, & nupera Saracenicorum Sylburgiana editio. Et quis scit, an a Cypridis moribus valde abhorruerit, *Cyprus* hæc? Quod si vero mutationem in voce omnem respuit Scaliger, vocanda certe fuerit hæc non *Cypros* aut *Cyprus*, sed *Copher*, ut, unde hoc arcessit ille nomen, in Canticis Hebraice scribitur. A Gorionide lib. 4. cap. 17. *Kiparon* eadem vocatur.

II. Eandem *Idumæam* idem scribit Gorionides: *Arabissam* vero Josephus alter, uterque *illustri* apud suos loco natam, & quidem Gorionides ille *regio*. Sed volunt Judæi isti ne nimium suus ille Rex vilis videatur, ejus aliquo illustrare modo familiam. At quemadmodum supra dixi, nullum illustris, regiæque hujus aut propinquitatis aut affinitatis extat uspiam symbolum. Et quomodo Apollineum mancipium, in servitutem abreptum illustrem regalemque uxorem duxisset? cum ea in servitute, donec emendicato veluti pretio redimeretur, mansisset, eaque Herodem sustulisset? Sed ex hisce tamen illud habetur auctoribus exteram alienigenamque mulierem hanc fuisse, ut, parentis utriusque ratione, ἀλλόφυλος semper extiterit Herodes.

III. Imo, inquit Scaliger, *Herodis matrem, quanquam Arabissam, tamen Judæam fuisse dicimus, quia acceperat ritus Judaicos*. At hoc efficit eam religione duntaxat, non gente Judæam tandem factam. Arenam tamen arenæ inædificat ille, cum subdit: *Aliter homini Judeo nubere non potuisset*, quia uxorem alienigenam ducere vetuerat non *Moyses* modo & *Nehemias*: sed *Hasmonæi* etiam. Sed I. illam cum duxit Herodis pater nondum erat, ut supra conclusum, Judæus. II. etiamsi Judæus fuisset, an non quæ vetita essent, multa faciebant Judæi? istis præsertim extremis Hierosolymitani regni temporibus, quando prolapsissimi privatim ac publice mores erant, quando ut loquitur Comicus. *Trin.*

> *Leges miseræ ad parietem erant fixæ clavis ferreis.*
> *Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius?*

Alienigenas uxores nonne sacerdotum etiam multi & magni duxerunt? *Nehem.* 13. *Numquid non in hujusmodi peccavit Salomon Rex Israel?* Nonne, ut Scaligeriana loquitur affirmatio, *Judæi, progressu temporis, deteriores facti, id sibi tacito consensu permiserant?* III. Et in omni Judaicarum legum violatione majorem in Proselytis, (ejusmodi erat Antipater) notarunt Rabbini licentiam, dum Judæos ab eorum exemplo suos deterent. *Vade*, inquiunt, *& vide ac disce, quid in aurei vituli adoratione, quid in sepulchris concupiscentiæ acciderit Exod.* 32. *n.* 11. Omnia enim hæc a Proselytis mala.

CAPUT XVII.

Herodis fratres cum sorore,

EX *Antipatro* & *Cypro*, filii a Josephis ex templi secundi Chronico traduntur quatuor unaque soror. I. natuque maximus *Phasaelus*, apud Gorionidem *Gor. l. 4. cap. 17. f. 95. Phasea* vel *Phaseas*, in Chronico *Phaselus*, quem, ut antea dixi, & diserte admonent citati Josephi, facili, segni, & incauto Hyrcani abusus ingenio, Hierosolymis, locisque circumiacentibus præfecit Antipater. II. *Herodes*, quem, si, ut supra dicebam, nihil ægrotat Josephi numerus *l. 14. c. 17. Gor. l. 5. c. 3. sup. c. 14.* annos natum duntaxat xv. Galilææ præposuit pater. Uterque vero ab Antonio *Tetrarcha* factus, *lib. 14. Jos. cap. 23. p. 440.* & ille a Parthis captus postea, & interfectus, eodem *lib. c. 25. p. 443.* III. *Pheroras* seu *Pherora*, qui in Hebræis paulo ante citatis e nota sæpeque a D. Hieron. *in Isa. c.* 8. 38. 44. notata literarum duarum ד & ר similitudine, scriptus mendose *Pheroda* IV. *Joseph*, quem superiori tamen anteponit *l. 14. c. 12.* Josephus, imo eum templi secundi Acta *primogenitum* nominant, eique secundum faciunt *Phasaelum*, tertium *Herodem*, quartum denique *Pheroram*. Sororis eorum nomen fuit *Salome*, in Hebræo *Schelomith*: sed falsum nomen. Fuit enim mulier turbarum dissensionumque machinatrix & consarcinatrix pessima: Herodi fratri ut carissima, ita & eo dignissima. Viris ea nupsit tribus. *Primus* fuit *Josephus* quidam, quem interfecit Herodes, Josepho teste *l. 15. c. 4. & c. 11. & l. 1. capt. c. 16. pag. 700. Secundus Costobarus*, Idumæus e majoribus, qui *Coze* Idumæi Dei sacerdotio

tio functi, quem Idumææ Gazæque principem initio fecit Herodes jam Rex: ipsa postea Salome repudiavit: demum vero etiam interfecit ille idem Herodes, ut eodem loco refert Josephus, ubi *notanda duo*. *Unum* est, hanc omnium primam apud Judæos inveniri mulierem, quæ viro discidii libellum dare ausa fuerit: Ἀνδρὶ μὲν γὰρ inquit Josephus, ἔξεστι παρ᾽ ἡμῖν τοῦτο ποιεῖν: γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ᾽ αὑτὴν γαμηθῆναι, μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος. *Viro enim apud nos id fas facere. Mulieri vero, etiamsi separata sit, ne licet quidem suo arbitratu nubere, nisi concedente viro.* Et hanc alia una Magistram egregia sequuta est discipula Herodias, de qua S. Matthæus *c.* 14. S. Marcus *6*. S. Lucas *9*. Josephus *lib.* 18. *c.* 8. *Alterum*, negari a Scaligero id, Costobarum hunc ab Herode, uti dicebam, interemtum. *Iste*, inquit, *Costobarus, qui primus in Judæa dimissus est ab uxore, soluto matrimonio abivit: neque illum Herodes necavit, ut commentus est Eusebius*. Et paulo post: *Unde pateat patrocinium commento Eusebii, non video*. Si solus hoc narraret Eusebius, non deceret absque ratione, honestaque causa, *commentum* ei, mendaciumque ascribere. Nunc de Scaligero quid censeam? Prorsus omnem ejus vel memoriæ vel menti ac linguæ sanitatem ademit insania priscis contradicendi, novaque & indicta prius ac inaudita comminiscendi rabies. Non enim nullam modo rationem causamque cur vanitatis Eusebium accersat, affert: sed contra ipsum etiam, quem hactenus tanti fecit, cujus unius, in illum, veteresque Christianos, auctoritate præceps fertur, Josephum *lib.* 15. *c.* 11. *p.* 472. istud effutit ac deblaterat. Nam de Herode, φονεύει, ait ille, καὶ τοὺς ἀναγκαιοτάτους αὐτοῦ φίλους ΚΟΣΤΌΒΑΡΟΝ, καὶ Λυσίμαχον, καὶ τὸν Γαδίαν καλούμενον Ἀντίπατρον. *Interficit & sibi maxime necessarios amicos*, Costobarum, *& Lysimachum, & Gadian, vocatum Antipatrum*. An hic ad novitatem omnem expassis Scaligeri faucibus non obstruat lapis? *Tertius* demum Salomes vir fuit *Alexas*, apud Josephum *lib.* 17. *cap.* 1. *&* 8. Ea vero tandem post Herodem fratrem moriens, legavit testamento Augusti uxori, Tiberii matri, *Juliæ*, Jamniam, Phasælidem, & Archelaidem, ubi palmarum proventus optimi. *Jos. lib.* 18. *c.* 3.

CAPUT XVIII.

Herodis uxores decem.

EA multis opinio est, *novem* solummodo Herodi uxores fuisse, quia id asserere videtur Josephus *lib.* 1. *Capt. cap.* 18. & Gorionides *lib.* 5. *cap.* 32. At loquuntur isti de uxoribus, quas Rex jam factus vel duxit, vel habuit ac retinuit Herodes, a quibus prima, de qua mox, exclusa. Et hoc ista illius verba significant, ἦσαν δὴ τῷ βασιλεῖ γυναῖκες μὲν ἐννέα. Est autem earum ex eodem Josepho catalogus hic:

I. *Doris*, lib. 1. Capt. cap. 17. & 18. seu *Dore* lib. 14. Antiquit. cap. 21. quæ in Gorionide passim *Dositheah*, ut lib. 5. cap. 27. 32. &c. Δημότις eodem illo *lib.* 14. vocatur, id est, plebeia, quam cum ἰδιώτης adhuc seu privatus esset, Herodes duxerat *lib.* 1. *capt.* 17. ἣ γένος ἦν ἐξ Ἱεροσολύμων, *quæ genere erat ex Hierosolymis*, ideoque ἐκ τοῦ ἔθνους *lib.* 14. *c.* 21. id est, *e gente*, quæ, per excellentiam, intelligitur Judaica, ut male vertunt, qui uxorem illum sibi adjunxisse vertunt *e suis popularibus*, vel qui *Doren* ab *Dora* Palæstinæ urbe vocatam existimant, licet nec illud, quod innuere videtur Gorionides, allubeat, dictam videri quasi δῶρον ἴα quæ sit δόσις, seu *donum* τοῦ θεοῦ, *Dei* aut *Deæ*. Hanc vero uxorem, quia plebeia, ut dixi, erat, posteaquam regni capessiit solium, repudiavit Herodes illico, *lib.* 1. *Capt.* 16. quamvis magno ejus ardens amore, ipsam adhuc postea, cum eam, quæ jamjam sequitur, interemisset, revocarit *lib.* 16. *cap.* 6.

II. *Mariamme*, quæ aliquo cum mendulo passim *Miriamne*, sicuti & cum *Jamnæus* dicitur, qui Alexander *Jannæus* Rex, Hyrcani filius, cumque illa sit, quæ apud Hebræos *Miriam*, aut *Mariam*, apud nos *Maria* dici solet, ita in Hebræo suo eam potius vocare debuit Gorionides quam *Marimen* aut *Marimin*, sicuti & *Mariamen* vocavit Ruffinus, cujus ille non rarus imitator. Alexandro autem, cujus jamiam meminit, *Jannæo* duo fuere filii *Hyrcanus* & *Aristobulus*, qui cum, vario eventu, de regno inter se digladiati sunt, Herodi tandem ad regnum viam straverunt. Sed Hyrcano illi sese adjunxerunt *Antipater*, ipseque hujus filius *Herodes*, eidemque & ipsius filiis ac posteris Cæsar, Senatusque Romanus ethnarchiam & Pontificatum confirmarant. *Joseph. lib.* 14. *c.* 16. quem ipse demum necavit Herodes *l.* 15. *c.* 9.

Ejus

Ejus vero filia fuit *Alexandra* quæ Aristobuli filio nupsit *Alexandro*, qui cum Romanis manum etiam conserere ausus fuit, *lib.* 14. *cap.* 10. & 11. tandemque a Scipione plexus est capite Antiochiæ, *ibid. c.* 13. *l.* 1. *c.* 7. Pontifexque appellatur *lib.* 1. *c.* 10. & 18. Et hic ex Alexandra illa sua, Hyrcani patrui filia, suscepit cum liberos alios, de quibus *l.* 14. *cap.* 13. tum *Mariammen* istam, & *Aristobulum* (Sic enim videtur legendum) quem ætate, (annos natum XVIII.) aliisque corporis ac ingenii dotibus magnis efflorescentem nequissime postea sustulit e medio Herodes *l.* 15. *c.* 3. Fuisse autem *Alexandram* Hyrcani *filiam* ostendit Josephus *lib.* 14. *cap.* 21. *lib.* 15. *cap.* 9. & 11. Gorionides *l.* 4. *cap.* 9. *l.* 5. *c.* 15. & 16. At objicies, *Mariammen* ipsam vocari quandoque Hyrcani *filiam*. Respondeo, *filiam*, scripturæ more, vocari etiam *neptim*, & sic ille nominatur ὁ πάππως, ipsa vero υἱωνὴ *l.* 1. *cap.* 17. & θυγατειδὴ ibidem *cap.* 10. *l.* 14. *c.* 21. & 25. ac 26. ubi *Alexander* fratris Mariammes, ideoque & ipsius Mariammes, *avus maternus* Hyrcanus, *avus paternus* Aristobulus narratur, dum non sibi scilicet, sed huic Aristobulo regnum Romæ petiit Herodes, & *l.* 15. *c.* 3. Eodemque modo Aristobulus dicitur ab Eusebio Hyrcani Pontificis filius in Chron. *p.* 156. quod a Scaligero miror, solita temeritate, non flagellatum: sed nova potius phrasi auctum, Anim. *pag.* 158. cum Hyrcanum ait Herodis *socerum*, cum proprie Hyrcani gener, *Alexander* Herodis socer fuerit. Hanc autem sicuti & ejus avum *Hyrcanum l.* 15. *cap.* 9. ac matrem *Alexandram* ibid. fratremque *Aristobulum* Pontificem *l.* 15. *c.* 3. trucidavit Herodes *l.* 15. *c.* 11. cum eam tamen arderet, ac deperiret unice. *lib.* 15. *cap.* 4. θερμῶς αἰεὶ καὶ λίαν ἐρωτικῶς τὴν Μαριάμμην ἔχων: &c.

III. *Malthace* Samaritana lib. 1. Capt. 18. quæ in Gorionide *lib.* 5. *cap.* 32. *Malthaces*.

IV. *Cleopatra* Hierosolymitana *lib.* 1. *cap.* 18.

V. *Pallas*. ibid.

VI. *Phædra*. ibid.

VII. *Elpis*. ibid.

VIII. *Consobrina*, seu ἀνεψιά. ibid.

IX. *Fratris filia*, ἀδελφιδῆ. ibid.

Ex quibus unam facit Gorionides *l.* 5. *cap.* 32. quæ vocata fuerit *Ærodiphilos*, quasi Herodis φίλη & propinqua, non ut in Munsteri versione *Adraphilos*.

X. *Mariamme altera*, Simonis (mendose *pag.* 557. τίμωνος) filia, qui *Simon* Boethi Alexandrini filius erat, simplexque Hierosolymitanus sacerdos. Sed ut ejus esset honoratior filia cum efflictim amare hanc cœpisset Herodes, fecit illum Pontificem Maximum *l.* 10. *c.* 7. *l.* 19. *c.* 5. ubi *Cantheras* cognomento dicitur: fratresque duo cum patre, ab Agrippa, narrantur facti Pontifices. Ex his vero tot uxoribus fuere ἄτεκνοι, seu *absque liberis* duæ, *octava* nimirum & *nona*, quæ ipsius propinquæ, ita ut in eo etiam a Gorionide nonnihil delictum sit, quod suæ illi *Ærodiphilo* ascribat liberos, qui e *6.* & *7.* sunt. Aliis vero uxoribus omnibus proles fuit, prout secuturo jam constabit capite: in quo reliquarum octo recensebuntur ordine filii ac filiæ.

CAPUT XIX.

Herodis filii ac filiæ, secundum Josephum.

I. E Prima, plebejaque uxore Doride natus Herodi filius unus, *Antipater*. l. 1. capt. 17. 18. l. 14. Antiq. 21. huicque Samaritanus *Antipater* datus moderator l. 17. c. 6.

II. E secunda, eaque nobilissima & regali, Mariamme Hyrcanea, filii tres.

1. *Alexander* }
2. *Aristobulus* } educati Romæ l. *16*. c. 1.

3. ὁ νεώτατος, qui Romæ mortuus: & videtur esse ille, qui *lib.* 1. *Capt.* 18. ἥρωδης vocatur. Nam & hoc testatur Gorionides *l.* 5. *cap.* 32.

Ex eadem *filiæ duæ*. 1. Salampsio }
2. Cyprus } l. 18. c. 7.

III. E tertia, Malthace Samaritana, duo filii.

1. *Archelaus* de quo Matth. 2. 22. & ab Dione *lib.* 55. vocatur *Herodes Palæstinus*, uti recte *Baronius* tom. 1. & cum aliqua dubitatiuncula Jo: Keplerus Syl. Chron. *pag.* 10. In Seder scribitur *Arkilos*, vel *Arkilaos*.

2. *Antipas*, lib. 17. cap. 13. & filiorum Herodis ὁ νεώτατος seu natu minimus dicitur *lib.* 17. *cap.* 8. qui simpliciter *Herodes* aliquando dicitur *lib.* 2. *Capt.* 9. in titul. *lib.* 18. *c.* 3. Gorion. *lib.* 5. *cap.* 46.

Filia una Olympias, quæ in Gorion. Olympiadas, *l.* 5. *c.* 3.

IV. E quarta, Cleopatra, filii duo.

1. *Herodes* }
2. *Philippus* } l. 1. Capt. c. 18. Gor. 5. c. 32.

Quomodo igitur *l.* 17. *c.* 10. ab Josepho dicti γνήσιοι ἀδελφοὶ Archelaus & Philippus?

V. E quinta, Pallade, filius unus, *Phasælus*. l. 18. cap. 7.

VI.

VI. E ſexta, Phædra, *filia una* Roxane ibid.

VII. E ſeptima, Elpide, *una item filia*, Salome ibid.

VIII. E decima, Mariamme Simeonia, *Herodes*, lib. 18. cap. 7. ubi datur ei ὁμοπάτελος, non ὁμομήτελος, *Herodes* item nomine, Tetrarcha Galilææ, cui relicto Herode illo priore vivo adhuc marito, nupſerit Herodias: eumque regio Agrippæ fratris ſplendore incitata perpulerit, ut Romam regni aucupandi gratia, proficiſceretur, *lib.* 18. *cap.* 18.

Omnes ergo hic recenſiti liberi *16.* filii 11. filiæ 5. ac forte alii fuerunt, ut infra innuetur. Certe ab Euſebio in Chronico *Lyſias* quidam numeratur inter Herodis filios tetrarchas, qui in Græco λυσανίας vocatus, ſicuti & hoc nomen legitur *Luc.* 3. *v.* 1. Fuit apud Joſephum *l.* 15. *c.* 4. *Lyſanias*, accuſatu rogatuque Cleopatræ, ipſius ditionem aucupantis, ab Antonio interfectus, prout etiam refert Dio, ſed is ibi Ptolemæi F. dicitur. Et Scaliger hunc quidem *Herodis filium negat, duos tamen ſtatuit Lyſanias*. Unum quem Ituræ principem interemit Antonius: alterum, cujus meminit S. Lucas *c.* 3. Sed cur non queat & *tertium* adjicere aliquis? quamquam ut adjiciat, nulla quam quidem norim, cogit res.

CAPUT XX.

De Herodis nepotibus ex eodem Joſepho.

NUmeroſiſſimi e tot filiis ac filiabus, per varia connubia, Herodi extitere nepotes, de quibus quæ in Joſepho notare jam potui, adnotabo. Ac 1. *Alexander* Herodis F. *lib.* 16. *c.* 2. ex Mariamme primus duxit *Glaphyram* Archelai Cappadocum Regis filiam, e qua filii duo.

1. *Tigranes* Armeniæ Rex, qui, ob ſui accuſationes Romæ factas, mortuus ἄπαις.
2. *Tigranes alter*, a Nerone Rex etiam Armeniæ conſtitutus cui filius Alexander, Leſidis Rex in Cilicia conſtitutus a Veſpaſiano & huic nupta Jotape Antiochi Comagenorum Regis filia. ibid.

Hi autem duo Tigranes Judaiſmo ab infantia fuere initiati, ſed ad Gentiliſmum poſtea deſciverunt *lib.* 17. *c.* 7. At *lib.* 2. *cap.* 19. tantum notantur Armeniæ magnæ Reges fuiſſe, ac eorum poſteriorem omittit Gorion. *lib.* 5. *cap.* 32.

II. *Ariſtobulus* duxit Coſtobari Arabis, de quo ſupra, & Salomes Herodianæ ſororis filiam *Berenicen lib.* 16. 2. & 11. *lib.* 18. 7. unde filii tres, & filia una.

1. Filius, *Agrippa Rex*, qui ſæpe *Agrippa magnus* aut *major* appellatur *l.* 18. *cap.* 7. Fuit enim Herodis magni regno (licet non toto, neque ipſa etiam Judæa, quæ poſt Archelaum, Romana facta erat provincia) & Trachonitidis, Gaulanitiſque tetrarchia, denique ipſo etiam Lyſaniæ regno donatus, *lib.* 2. *c.* 18. *p.* 734. Uxor ei *Cyprus*, de qua paulo poſt: & ex ea filii duo & filiæ tres *lib.* 18. *c.* 7. *l.* 2. *cap.* 19. *p.* 724. Filius 1.

I. *Agrippa junior*. Romæ apud Claudium educatus, & morienti patri ſuperſtes annum agens XVII. *lib.* 19. *cap.* ultim. *lib.* 20. *cap.* 1. *Druſo*, ejuſque uxori Antoniæ gratiſſimus *lib.* 18. *cap.* 8. factus Rex tetrarchiæ Philippi *lib.* 18. *cap.* 8. *p.* 565. Rex Chalcidis a Claudio poſt Herodis patrui mortem *lib.* 2. *cap.* 19. Ejuſque regno adjecit Nero toparchias & urbes quatuor 1. *Abilam*, 2. *Juliadem*, 3. *Tarichæas*, 4. *Tiberiadem lib.* 2. *cap.* 22. Et a bello contra Romanos longa oratione avocare ſtuduit Judæos, præſente ſorore ſua *Berenice*, *lib.* 2. *cap.* 22. variaque tum & tulit & fecit, expulſus ab illis Hieroſolyma *c.* 29. incenſiſque ipſius, & ſororis palatiis *cap.* 31. Et de hoc S. Lucas Act. 25. ſimulque de eadem ejus ſorore Berenice, *v.* 23. Superſtes fuit Hieroſolymorum excidio, & quidem uſque ad annum Trajani tertium, ut in Tiberiadenſi Juſto antea citato refert Photius, licet Chriſtianorum Judæorumque nonnulli videantur eum in urbis illius cineribus omnino ſepelire, quia nimirum Judæorum tunc metropolis & gloria concidit. Fuit autem, ut ab eodem ibidem Photio dicitur, Herodiadarum Regum ultimus.

1. *Druſus* ante pubertatem mortuus *lib.* 18. *cap.* 7. filiarum prima eſt *Berenice* nupta Herodi patruo, quæ annorum erat 16. cum moreretur pater *lib.* 19. *cap. ult.* & vocatur *Regina l.* 2. de bello *cap.* 26. ubi, nudipedalia cum ageret, Florum pro Judæis nudipes oravit.

2. *Mariamme* annorum 10. cum moreretur pater, a quo ſponſa erat *Julio Archelao* filio Chelciæ, *lib.* 18. 7.

3. *Druſilla*, quæ moriente Patre annorum erat *6.* & ab eo ſponſa erat Epiphani F. Regis Commagenorum ibidem. Nupſit autem *Felici* Præſidi. *Act.* 24. *v.* 24. Sed poſtea ſignificatur *Rex Chalcidis*, penes quem, ejuſque poſteros jus ſtolæ, ac dandi pontificatus uſque ad tem-

templi excidium *lib.* 2. *cap.* 18. *lib.* 19. *cap.* 7.

Eſt autem *major Agrippa* hic *Herodes ille*, qui *Act.* 12. *S. Jacobum* Apoſtolum capite truncavit, *S. Petrum* in carcerem conjecit.

Ariſtobuli filius fuit *Herodes lib.* 19. *cap. ult. lib.* 20. *cap.* 1. ubi *Rex* dicitur, mendoſeque in Joſepho *lib.* 18. *cap.* 8. *filius Agrippæ* legitur, pro *fratre*, ut ex *lib.* 2. *cap.* 19. *p.* 754. patet. Sicque ibi recte poſuit *fratrem* Gelenius. Uxores duas habuit. Unam *Mariammen*, quæ filia fuit Olympiadis filiæ Joſephi fratris Herodis Magni *l.* 18. *c.* 8. Ex hac ei filii duo *Herodes* & *Ariſtobulus lib.* 18. *cap.* 7. *Ariſtobulus Salomen* duxit filiam *Herodiadis*, & Herodis, qui Herodis Magni filius: & factus idem *Ariſtobulus* a Nerone minoris Armeniæ Rex *lib.* 2. *cap.* 22. Ex eadem uxore, una etiam filia *Berenice*. Uxor altera fuit *Berenice* filia fratris ſui, e qua ei *Bernicianus*, & *Hyrcanus*. De hoc autem Herode, vel ejus fratre Agrippa majore nummum interpretatur Scaliger, in quo, ἡρώδης βασιλεὺς φιλοκλαύδιος, ex Joſepho *l.* 20. *cap.* 1.

3. Ariſtobuli filius, *Ariſtobulus*, ὁ νεώτερος *lib.* 20 2. 1. qui privatus ſeu ἰδιώτης vixit *lib.* 2. *cap.* 19. ducta *Sampſigerani* Emeſenorum Regis filia *Jotape*, unde & ipſi filia *Jotape lib.* 18. *cap.* 7. Et iſti omnes a moriente parente relicti νήπιοι *lib.* 18. *cap.* 7.

Filia vero illa Ariſtobuli una, quæ trium iſtorum fratrum ſoror, fuit *Herodias*, quæ Herodi Herodis M. & Mariammes alterius, ſeu Simoniæ filio nupſit, & filiam genuit *Salomon*, eaque in lucem edita vivum illum ſuum deſeruit maritum, & ſe fratri ejus ὁμοπατρίῳ junxit *Herodi*, Galilææ tetrarchæ *lib.* 18. *cap.* 7. Illa vero filia *Salome* nupta *Philippo* tetrarchæ Trachonitidis: ſed cum hic ἄπαις e vivis exceſſiſſet, matrimonium iniit illa cum *Ariſtobulo* filio Herodis illius, qui Agrippæ frater, & ex eo matrimonio nati filii tres, *Herodes*, *Agrippa*, & *Ariſtobulus*.

III. *Salampſio* nupſit *Phaſaelo* ἀνεψιῷ ſeu patrueli ſuo, filio Phaſaeli fratris Herodis M. unde filii 5. filiæ 2. *lib.* 18. *cap.* 7.

I. *Antipater*, qui duxit *Cyprum* filiam Herodis M. & Mariammes prioris, ex eaque ſuſcepit filiam matri cognominem Cyprum, quam ſibi connubio junxit *Alexas* Selcios, filius Alexæ indeque rurſum *Cyprus* alia.

2. *Herodes* }
3. *Alexander*. } ἄτεκνοι lib. 18. cap. 7.

filiæ. 1. *Alexandra*, quæ Cyprio cuidam honoratiſſimo juncta, fuit etiam ἄτεκνος c. b. d.

2. *Cyprus*, quæ *Agrippæ filio* Ariſtobuli nupſit.

unde filii 2. & filiæ 3. in Agrippa jam ſupra memoratæ.

IV. *Cyprus* nupta filio Salampſionis & Phaſaelis *Antipatro*, ut ſupra.

V. *Archelaus* duas habuit uxores. Unam, *Mariammem*, quam ejecit, *lib.* 17. *cap. ult.* Alteram, *Glaphyram* fratris ſui Alexandri antea uxorem, e qua cum proſeviſſet hic liberos, prout ante vidimus, fas Archelao non erat, eam ſibi copulare, quemadmodum ipſemet notat, *lib.* 17. *cap. ult.* Joſephus. Ea vero, antequam ad Archelai nuptias accederet, ſeſe poſt Alexandri mortem, *Jobæ* ſeu *Jubæ* Libyæ Regi, qui a Gorionide *lib.* 5. *cap.* 44. *Jobab* dicitur, conjunxerat. Unde, cum Hieroſolymæ in Archelai thoro jam eſſet, ei ejuſcemodi ſomnium refert indicato loco Gorionides objectum: *Videbat quaſi ſibi aſtaret Alexander primus maritus, quem cum cuperet amplecti, repulſam paſſa eſt ab eo dicente ſibi: Deſine a me & noli me tangere. An non erubeſcis me tangere, quæ, poſt me, nupſiſti Jobab Regi Libyæ? Sed nec hoc ſatis fuit tibi, niſi & maritum acciperes Archelaum fratrem meum, in cujus domum ingreſſa es in confuſionem meam. Et jurans dixit: Non feram opprobrium iſtud, donec ultionem ſumſero de te, & de Archelao fratre meo, qui hanc ſtultitiam tecum egit. Evigilans deinde mulier, retulit ſomnium puellis ſuis, vivenſque biduo, poſt ſomnium ſuum, mortua eſt.* Subditur & ipſius Archelai ſomnium, quo per *ſpicas novem*, quas bos depaſceretur, ſignificabantur novem tantum regni ejus anni. Sed Joſephus *lib.* 17. *cap.* 15. *ſpicas* ait *decem*, ſomniique interpretem nominat Simonem Eſſæum. Deſignatus autem teſtamento fuerat a moriente patre Herode M. Rex *lib.* 17. *c.* 10. ſed initio non niſi tetrarcha decretus ab Auguſto, poſtea vero etiam Rex *ibid. cap.* 13. Tandem vero *Viennam Galliæ* Βίεννα πόλιν τῆς Γαλατίας pulſus in exilium *lib.* 17. *cap.* 15. Euſeb. in Chron. Mendoſe autem in S. Hieron. Matth. 1. *Archelaum Tiberius Cæſar Lugdunum, quæ Galliarum civitas eſt, relegavit.* Pro *Lugduno*, de quo in Antipa mox, lege *Viennam*.

VI. *Antipas*, qui & *Herodes Antipas* lib. 18. cap. 3. filiorum Herodis natu qui-

quidem erat minimus, a Patre initio successor in regno constitutus erat *lib.* 17. *cap.* 8. sed mutatus postea, factusque Galilææ & Perææ tetrarcha *cap.* 10. confirmatusque ab Augusto *cap.* 13. Ædificavit *Sephorim*, *Juliadem* & in *Tiberii*, cui erat amicissimus, honorem, *Tiberiadem* lib. 18. cap. 3. Vitellium ducem Romanum, & Artabanum Parthorum Regem, cum pax inter eos sancita est, regifico apparatu epuloque accepit fixis in medio Euphratis fluvii alveo tentoriis *lib.* 18. *cap.* 6. Uxorem habuit geminam. Unam Aretæ Regis Arabum filiam *lib.* 18. *cap.* 7. *Herodiadem* alteram *lib.* 18. *cap.* 9. ob quam S. Johan. Baptistæ caput abscidit *Matth.* 14. de qua rursum paulo post. Armorum ingentem habuit apparatum *lib.* 18. *cap.* 9. & ab Imp. Cajo Caligula tandem exilio mulctatus: ipsiusque tetrarchia data ejus accusatori Agrippæ. Exilii vero locus *lib.* 2. belli *cap.* 16. tam in titulo, quam in capite dicitur *Hispania*, in libro autem Antiq. 18. *cap.* 9. λέγδουνον πόλις τῆς Γαλλίας, & utrumque in locum ei sua illa Herodias sponte comitata est. Sed nimirum ut capitum istorum verba innuunt, ei ab Cajo decretum quidem *Lugdunum* οἰκητήριον: sed illinc ulterius in Hispaniam profugit, ubi & mortuus, ἡρώδης μὲν ἐκ Ἱσπανίας συμφυγούσης αὐτῷ τῆς γυναικὸς τελευτᾷ. ita ut *in Hispaniam* proprie *missus exul* non sit, licet ita dicat Scaliger: & pro *Lugduno* legenda sit apud S. Hieronymum Matth. 1. *Vienna*, ut supra dictum.

VII. *Olympias* nupta *Josepho* fratri Herodis M. *lib.* 18. *cap.* 7. unde filia *Mariamme*, quam, ut supra dictum, duxit *Herodes Agrippæ* F. unde filius natus *Aristobulus* ibid.

VIII. *Herodes* Galilææ tetrarcha duxit Aristobuli & Berenices filiæ illius, quæ Herodi M. soror, Salomes, *filiam Herodiadem*, dum reliquisset hæc superstitem hujus fratrem Herodem *lib.* 18. *cap.* 7. Sed nonne hoc *Herodi Antipæ*, ut paulo ante factum, tribui necesse? Prorsus id sacra postulant Evangelia, *Matth.* 14. *Marc.* 6. *Luc.* 3. & 9.

IX. *Philippus* duxit *Salomen* filiam Herodis hujus & Herodiadis: sed ἄπαις mortuus *lib.* 18. *cap.* 7. Vir placidus & justus *lib.* 18. *cap.* 6. Tetrarcha Gaulonitidis, Trachonitidis, Batanææ, Paneadis, ubi ædificavit *Cæsaream*, quæ ab eo *Julias*, quæ ante *Bethsaida* vocata *lib.* 17. *cap.* 10. & 13. *lib.* 18. *cap.* 3. Sed cur *Herodiadis*, quam ei manifeste tribuunt Evangelistæ, uxoris nullam facit Josephus mentionem? Non omnia, ut videri vult Scaliger, semper loquitur auctor hic: neque dum loquitur, semper vere ac perspicue. Sic ut *hallucinationis* eum etiam idem accuset Scaliger.

X. *Roxane* } ἄτεκνοι, lib. 18. 7.
XI. *Salome* }

XII. De *Phasaelo*, sicuti & de Antipatro Herodis filiorum primo, nihil.

CAPUT XXI.

In Herodiano isto genere difficultates, & notationes de ipsius exitio, infanticidio, appellatione.

HÆC illa numerosa Tyranni Herodis soboles, seu, ut loquitur Josephus, *lib.* 1. *capt.* 18. πολυπρόσωπος γενεά, in qua, ob Josephi, ut dixi, vel importunum silentium, vel inconstantem, impeditamque narrationem, interdum & propter errata quædam Typographica, insunt nonnullæ difficultates. *Vetustissimos errores multos*, ait Scaliger, *in Josepho deprehendimus, etiam ante Ruffini ævum in ejus codicem receptos*. Sed alia nunc obiter notanda. 1. Tantum hoc, tamque diffusum, & inter se contextum, connexumque Herodianum genus totum pene, ita ut vel nulli, vel certe, de quibus constet, fere nulli superstitarent, intra centum annos, & quod excurrit, deletum esse funditus. Atque hinc divinam intelligere Nemesin, miramque humanarum rerum gubernationem consentaneum, prout *lib.* 18. *cap.* 7. *pag.* 557. admonet Josephus: ὡς οὐδὲν ὠφελεῖ πλῆθος, οὐδ' ἄλλη τις ἀλκὴ τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐπιτετευγμένων, δίχα τῆς πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβείων. 2. Eum ipsum ipsum, qui tantam hanc maxime plantasse, firmasseque ac exornasse sylvam videbatur, Herodem fuisse, qui secures in eam recidendam omnium primus impegerit. Audivimus enim quemadmodum sororis suæ Salomes maritos sustulerit, uxoris Mariammes avum & fratrem, addo ettiam matrem Alexandram, socrum suam *Jos. l.* 15. *c.* 11. E filiis vero suis primo duos omnium nobilissimos, atque florentissimos e nobilissima illa *Mariamme* progenitos, Roma reduces *Alexandrum* & *Aristobulum* interemit *lib.* 16. *cap.* 17. deinde *Antipatrum*, quem prima ei uxor *Doris* pepererat, *lib.* 17. *cap.* 7. & 9. cum quibus alium etiam aliquem reor conjungendum, quem una cum innocentum, quos, ut Mundi natum Regem ac Salvatorem perderet, sævissime perdidit, infantulorum aliorum nece necarit. De hoc enim ita loquitur l. 2. Saturn. *cap.* 4. Macrobius: *Quum* au-

audisset Augustus, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum *intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quam filium*. Quisnam vero filius hic? *Antipatrum* ajunt quidam: *Suslygad de ort. sal. p.* 14. *& seq.* duos vero illos *Alexandrum & Aristobulum* Jo: *Kep. Syl. p.* 33. alii. Sed cur horum neutris, quos utrosque tamen colo, minus essentiar libenter, hæ mihi causæ 1. De *uno* tantum loquuntur *filio* Macrobius & Augustus. Quomodo igitur *duo* accipiantur? 2. Illum unum, qui interfectus est, significat Macrobius in eorum fuisse numero, qui *intra bimatum* essent. At dictorum trium Herodis filiorum quilibet longe supra bimatum erat, cum & duorum supra jam commemorati sint filii ac filiæ, Antipatri vero ætas magnis jam vel in fratres odiis & calumniis, vel Romanis profectionibus, vel contra ipsum patrem insidiis, regiique fastigii ambitu, & vinculis exercita *lib.* 17. *cap.* 7. *&* 9. Tertia denique causa est, quod horum quilibet Augusti ipsius judicio, voluntate, annutuque ab Herode interfectus, uti a Josepho scriptum *lib.* 15. *cap.* 16. *&* 17. *lib.* 16. *cap.* 9. Quæ postrema causa ipsum etiam Scaligerum ab trium istorum, in Macrobii Augustique verbis, cæde prorsus avocat. *Filios*, inquit, *damnare potuit capitis Herodes jure tam patriæ potestatis, quam regiæ: sed & hanc quoque rem judicio Cæsaris subjecit. Eundem honorem habuit & Cæsari, quum Antipater filius ejus capitis a Varo damnatus est. Quamvis enim ipse jure patrio & regio hoc facere potuisset, tamen maluit ad declinandam facti invidiam, judicium Varo committere, qui qui quamvis Antipatrum insidiarum in patrem convictum capitis damnasset, tamen prius Romam literas de hac re, & homines misit, qui viva voce Augustum docerent & de crimine, & de sententia capitis in reum lata. Itaque hic filios suos Herodes ex sententia Cæsaris interfecit. Quo magis miror, apud Macrobium, Augusto dictum hoc excidisse, præstare porcum Herodis esse quam filium, tanquam nescius hujus judicii hoc pronunciarit, quum tamen sententiam capitis in tres filios Herodis ipse judicio suo comprobatam confirmarit*. Hæc ille. Censuerim igitur potius, Herodis filium hunc, qui ab eo, cum aliis *intra bimatum* puerulis occisus est, nescio prorsus inconsultoque Augusto, & occisum, & ab Josepho in eodem silentii tumulo, quo totum ipsum infanticidium (rem adeo magnam, calamitosam, Hierosolymis ac in Judæa tota, imo & Romæ pervulgatam ac deploratam) sepultum. Etsi enim tale, tamque immane ac luctuosum Herodis facinus, ejus in literas non retulere laudatores & adulatores Ptolemæus Ascalonita, & Nicolaus Damascenus, an illud Josepho tamen inauditum ac incompertum esse potuit? An auditum & compertum, omnem ipse posteritatem celare debuit?

III. Notandum, tam Herodem, quam omnes ejus istos filios ac nepotes recte *Proselytos* appellari, ut probatum supra *cap.* 15.

CAPUT XXII.

Herodis regnum, acta, templum, vitia & tempus.

SI Herodem totum persequi esset animus, multa sane adhuc tractanda essent. Sed in primis multiplex ejus ad *regnum evectio*, ac *tempus*: *jus* item ad illud: *gesta* ejus varia, & maxime *templi*, quæ ipsi a Josepho *lib.* 15. *cap. ult.* & Judæis tribuitur, *ædificatio*: *vita* denique tota, & *mors* longe teterrima. Et in *vita* quidem veri Machiavellistæ, hominisque paganismum cum Judaismo, veram cum falsa religionem confundentis, corporis ac ingenii dotes maximas, industriam, vafritiem, omniaque ad vanam mundi hujus felicitatem & gloriam referentis facies retegenda: plurimaque ejusdem *vitia* & scelera carbone atro depingenda, impietas, ambitio, Sodomia, sævitia, tyrrannis. Sed mihi jam tantummodo propositum fuit de ipsius gente ac genere illa, quæ in veteribus culpavit Scaliger, tueri, atque, ad nonulla scripturæ, veterisque memoriæ loca commodius inteligenda, explicare. *De varia* vero ejus *ad regnum evectione* legi potest Reverendissimus & Illustrissimus *Baronii* Apparatus; *de tempore* tum idem, tum alii, qui de hoc ipso neque paucas, neque faciles commovent quæstiones. Sic enim se in temporum disputationibus habet res, ut qui chordam unam tangit, alias moveat simul complures. At ego, in tam festina properaque scriptiuncula, Chronologicum agere fidicinem nullo modo institui, sed inter adeo claros nobilesque Musicos, ut prisca bonaque voce loquuntur ipsi, *pausare* potis. De *regni jure* alibi alias: cum hoc Herodi quam Hasamunæis seu Machabæis melius ac justius dicat Scaliger Anim. Euseb. *p.* 150. *Templum* vero ea ratione, magnitudine magnificentia, celeritate, miraculorumque divinorum accessione, prout hæc vel a Jo-

a Josepho ſcribuntur, vel a pleriſque intelliguntur, negavi, annis ab hinc XX. Herodem ædificaſſe, neque meam hanc negationem meo in animo deſtruere ac evertere potui hactenus, ſed & non parum nuper gaviſus ſum, cum aſtrui, & confirmari eam vidi, in nobiliſſima illa Ezechielici templi architectura, quam excitarunt e noſtris doctiſſimi, diligentiſſimique duo, *Pradus* & *Villalpandus*. Alia in Joſepho (etſi, ut ſupra jam aliquoties innutum, e laudatoriis ac aſſentatoriis Herodianorum encomiaſtarum aretalogiis ſua fere depromſit ille) inveniri poſſunt nimis multa, quorum compendiarium veluti epicedium ab iis, quibus tyrannico terrore ac vi os vivus oppilarat, ſtatim poſt ejus mortem cantatum hoc modo, prout refert *l.* 5. *c.* 4. Gorionides: *Fuit Herodes homo importunus ac improbus, qui vexationem jugumque ſuum aggravavit ſuper nos vehementer: & crudelitatem, qua ſuberbus & crudelis populum vexavit, non autem regnavit, adeo ut in cana etiam ſenectute ſua quoſdam interficeret. Detraxit ipſi populo tegumentum ac veſtem: nulli divitiarum aliquid reliquit, propter exactiones, quibus nos preſſit, graviſſimas. Alienigenas ditavit, & Judæos pauperavit, ipſe in templum ſimulachra induxit, & ſanctuarium polluit, ut beatus ſit qui ante mortuus eſt, & non ſenſit crudelitatem Herodis in paucis illis annis, qui fluxerunt a tribulatione illa, quæ fuit in captivitate in terra inimicorum noſtrorum, quando regnaverunt ſuper nos Reges Babyloniæ. Quoniam Herodes iſte afflixit nos in terra noſtra gravius quam experti ſimus in ipſa ceptivitate, & terra inimicorum noſtrorum, in diebus Medorum & Perſarum. Darius enim & Artaxerxes emiſerunt nos de captivitate in terram noſtram. At iſte Rex Herodes plurimos tranſtulit de terra noſtra, & fecit eos tributarios ſibi & aliis multis populis. Nam fuit Herodes multo crudelior Dario, jactantior Artaxerxe, & avarior Medis. Expectavimus propterea diem mortis ejus, ut egrederemur in libertatem. Ipſe enim redegit nos in ſervitutem, & ſubſtituit in locum ſuum Archelaum Regem, in omne malum, quod fecit pater ejus: & adjecit adhuc nova.* Hæc & alia illi plura, quæ non in Judæa tantum, ſed & Romæ, ut apud eundem ſcriptorem eſt, dictitabant. Sed, ut unde ſuum *Elenchum* fœdo cum paroramate, vel parencheremate cœpit Scaliger, ſecundum vero ſuum *Reſponſionis* librum Druſius, ibi meus hic terminetur libellus; eſto ultimum *de Herodianis* caput.

CAPUT XXIII.

De Herodianis.

HErodiani, ait Scaliger, *qui ſint in Euſebianis oſtendimus*. Euſebiana ergo hæc adii, & quod ea ferant, referam ego paulo poſt. Druſius vero ſuæ Reſponſionis libro alteri hoc dedit initium: *Hactenus mihi res fuit cum ſycophanta: poſt hæc diſputatio erit cum homine propoſiti ſui, errorumque tenaciſſimo.* Me *ſycophantam* quod vocet is, ejus veniam do iracundiæ. Magiſter meus & *Samaritanus* & *Beelzebubi* dæmoniorumque omnium amicus vocatus eſt. De erroribus videamus. Quam in Novatorum erroribus improbo pertinaciam, in meipſo, abſit, reſidere velim. Perplacet S. Auguſtinus *l.* 1. *de Trin. cap.* 2. & 3. cum ait: *Nec pigebit me, ſicubi hæſito, quærere, neque pudebit ſicubi erro, diſcere. Proinde quiſquis hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum: ubi pariter hæſitat, quærat mecum: ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me: ubi meum, revocet me.* Incipe igitur, Druſi: & quidem uti monet Libanius, ἀπὸ τῶν ἰσχυροτάτων, refert primo ſtatim libri tui loco errorem meum aliquem inſignem, luculentum, craſſum, cujus ſi tenax ſim pertinax merito audiam. Scribis enim te tantum in me *præcipua* notaſſe, e quibus *veteratoriam* meam *calliditatem*, & *in tuendis erroribus inſignem pertinaciam* liceat cognoſcere. Incipe. *Igitur primum locus occurit de Herodianis, quos ait Serarius ante Chriſti Dn. tempora non fuiſſe. Hoc affirmare temeritatis eſt.* Ita Druſius; quem, ſat ſcio, non temeritatis, ſed vel improbitatis, vel certe ſtoliditatis condemnabit quiſquis meum hac de re, quem idcirco ille auſus non eſt indicare, locum vel uno, ut ajunt, oculo inſpexerit. Mea enim illic verba ſunt hæc: *Hoc volo; Ante iſta Herodis, Chriſtique Dn. tempora, Herodianos non fuiſſe: non jam ſcrupuloſe annos examinando.* Quid iſtud, *non jam ſcrupuloſe annos examinando*? Nonne ſatis, quomodo ante *Chriſti* Domini tempora fuiſſe, aut non fuiſſe, dici queat, indico? Sunt profecto certa tria hæc: 1. *Herodianos ab Herodum hactenus memoratorum aliquo vocatos.* 2. *Herodes tres fuiſſe Chriſti Domini tempore.* Magnum, ſeu *Tyrannum*, ejus filium *Antipam*, ejuſdemque nepotem *Agrippam*, ſed *primum* quidem, nativitatis ejus infantiæque particula: *ſecundum* tota prædicationis parte: *poſtremum* & hac eadem parte vixiſſe, aliquotque dein-

ceps

ceps annis, quoad ab Angelo percussus est Actor. 12. 3. *Herodianorum in solis Evangeliis mentionem diserte factam*: & quidem tantummodo illa vitæ *Christi* Domini parte, quam in regni cœlorum evangelismo posuit. Si ergo *scrupulosus annorum calculus* non ineatur, ut in quotidiano fit sermone quam sæpissime, quid vetat, Herodianos ante *Christum* Dominum haud fuisse, dicere? At monui disertissime, *scrupulosum* annorum examen illic a me præteritum. Ubi ullus ergo *error*? ubi *temeritas*? ubi *pertinacia*? Si calumniari haud vellet Grammaticus, meo sane illo contentus responso fuisset. Ab omni enim disputatione, cui, ut debet, proposita veritas, abesse oportet omnem alterius verba sinistre malitioseque interpretandi scabiem. Quia calumniari tamen vult Drusius, probare, quod necesse nihil erat, nititur, Herodianos, si scrupulose agatur, ante *Christum* Dominum fuisse, sed ita hoc insubide inepteque probat, ut non quidem scrupulosus, sed imprudens, omninoque temerarius ratiocinator appareat. Nam *Christus* inquit, *natus fuit sub finem regni Herodis, a quo Herodiani nomen accepisse putantur*. Quid, *putantur*? Ex uno, *putantur*, audes hominum ulli errorem impingere maximum, veteratoriam calliditatem, pertinaciam insignem? Sed largiamur istud *putantur*, putentur ab Herode Tyranno Herodiani, quid inde? *Credibilius ergo paulo ante Christum fuisse*. At unde hoc & quomodo *Credibilius*? Cur *paulo ante*? Quod tamen *paulo ante* dum dicis, manifestum, tuis etiam ingratiis, facies, verum esse, quod a me dictum: *si scrupulosior absit annorum arithmetica* posse dici, non *ante*, sed *simul*. Verum quia non sempliciter *ante*, sed *paulo ante* vis, dic, sodes, paulum hoc temporis, quantulum? *Sane*, inquit, *si cœperunt Herodiani, anno Herodis X. aut XX. aut etiam XXX. recte dicuntur ante Christum fuisse*. Bene dixti, *si cœperunt*. Sed quid *si non cœperunt*? Potesne vel uno argumentulo firmare, cœpisse illos, Herodis *anno* X. XX. vel etiam XXX.? At (in eodem *Herode* adhuc hærendo) non minus probaliter asserere liceat, cœpisse anno XXXI. XXXII., vel aliis, ad illius mortem usque, secutis, ac idcirco, scrupulosa etiam ratione disputando, recte dici, ante *Christum* illos non fuisse: imo etiamsi anno Herodis illius XXX. cœpisse illos hariolari, magnorumque in *Christi* Domini anno natali hominum amplecti calculum liberet. Cum igitur, si ante *Christi* Domini ortum, ut calumniator vult, fuissent illi, vix uno, alterove anno ante fuissent; tam vero certum sit eos nullo etiam momento ante fuisse, quam uno alterove anno fuisse, quis ille tandem Serarii error, dum dixit, scrupulose annorum minutias non excutiendo, Herodianos ante *Christi* Domini tempora non fuisse? An cum de aliquorum temporiribus agitur, nulla unquam scrupula, imo & horas, & dies, bebdomadas & menses, imo annos etiam totos præterire fas? *Hoc non raro*, inquit Scaliger, *veteres faciunt, ut parvam summam dissimulent, contenti millenarios aut centenarios ponere*. Quis ergo error, si, hoc veterum more non modo loquatur quis, sed ita etiam loqui se indicet? Quasi tamen in Archimedeo rem totam descripsisset pulvere, penitusque ὀφθαλμοφανῶς demonstrasset, vitulatur, & subdit: *Hoc excusandum non erat. Incerta pro certis affirmare turpe est*. At hoc, mi homo, non ego, qui in re nondum satis perspecta definite nihil affirmare volui, sed tutte facis ipse, qui pro certo, quod incertissimum, ut partim jam vidimus, partim adhuc manifestius paulo post videbimus, affirmas, Herodianos videlicet ante *Christum* Dominum fuisse. Atque hæc ita dixi hactenus, quasi ab Herode Magno appellati essent Herodiani, prout non quidem probat, sed præsumit, & quasi Mathematicum postulatum accipit Drusius: *Quum de Herode*, ait, *loquor intelligi Herodem magnum*. Sed si quis tamen id negaret, quo se miser verteret? Quem vel sensum vel mentem in auxilium vocaret? Nam se ad Patres conferre si velit, faciet primo quidem contra Novationis genium; deinde ab iis forte, quos ut *cap. 1. Miscellanei Rabbini* visum, castigare potius quam audire vult, repelletur. Hisce igitur, pro Novatorum jure ac more, dimissis, quam vel unicam pro suo isto Herodianorum, ante *Christi* Domini natalitia, exortu ratiunculam afferre potest? Si non potest, ut vere non potest, quomodo *errorem* ac *pertinaciam* vocare audet, si quis dissentiar, & ita dissentiat, ut se ἐν πλάτει, non autem ad scrupulosissimum calculum, loqui testetur imo ut isto modo, ne dissentiat quidem, sed idipsum, quod ab illo asseritur, velut verum non reiiciat, sed suum obtinere locum sinat, & interim quemadmodum, ne dissentire videatur, verba intelligi sua velit, aperiat? Crucem crucem in libri sui principio calumniæ suæ figit Drusius, dum insignitissimo, primoque loco velut maximum, crassissimumque errorem statuit id, quod vel, si accurate scrupuloseque agatur, verissimum: vel

vel si minus accurate scrupuloseque modestissimum. Atque hic ego jam adjungerem, nisi ut ab omnibus perspici res tota, ipseque in supputariis digitorum suorum gesticulis juvari possit Drusius, operæ videretur precium, variarum de Herodianis sententiarum aliquam veluti Logisticam attexere tabellam. Quidam igitur opinantur *Herodianos* esse.

1. Ab *Herode Agrippa* nominatos, ut *Philastrius l.* de hæres. non autem, prout, per memoriæ vacillationem, Pamelio in Tertulliani Præscriptiones num. 299. excidit, *Damascenus*.

2. *Ab Herodo Antipa*, ut illi, qui Herodis tum, cum in Evangelio Herodiani appellantur, viventis domesticos, aulicosque intelligunt, ut *Syriacum Testamentum novum*: Tremellius, & Beza.

3. *Ab Herode M. seu tyranno*, ut alii plerique, & ab hisce tribus opinionibus variæ rursum causæ afferuntur, cur ab Herodibus istis nomen hoc procusum.

I. quod *Herodis palatini* atque, ut dicebam, *domestici* essent. *Expensis*, ait Beza, *omnibus placet mihi Syrus interpres*, *qui Herodianos interpretatur* דביה הרודס *Debeth Hiraudis*, *id est*, *Herodis domesticos*, *sive aulicos*.

II. quod *Herodis milites*, ut olim dicti *Pompejani* & *Cæsariani*. D. Hieronimus in Matt. 22. & Victor Antioch. in Marc. Et sic apud Josephum *lib.* 2. *cap.* 31. dicti οἱ βασιλικοί.

III. quod *Gentiles*. Auctor operis imperf. homil. 24. in Matth. Sed possunt hi dupliciter intelligi, vel ut essent Gentiles *sub Herodis imperio* ac *ditione*: vel qui essent *gerim* ac *Proselyti* sicut Herodes, ut suora dictum. Prioris interpretationis auctor Maldonatus, posterior ab Operis illius textu & magna verisimilitudine haud aliena.

IV. quod *Saducæi*. *Illud* enim, ait Beza, *facile coniici potest*, *si quis conferat Matth.* 16. 6. *cum Marc.* 8. 15. *Saducæorum opinionibus favisse Herodem cum suis*. Et ita etiam Casaub. in Notis Test.

V. Quod, ad Herodis mentem, *negarent Cæsari dandum tributum*. *Probabile est*, inquit idem Beza, *eos qui tributum Cæsari dandum non esse defendebant* (*quorum sectæ princeps fuerat Judas Gaulonites*, & *Sadducus quidam Pharisæus*, *ut scribit Josephus* lib. Antiq. 18. 2.) *ab Herode* & *aulicis assentatoribus*, *sub publicæ libertatis specie*, *fuisse defensos*, *quantum id quidem tuto facere poterant*, *quum videlicet paterno regno se fuisse magna ex parte a Romanis spoliatos ægerrime paterentur magni illius Herodis liberi*. *Hinc illud fermentum Herodis*, Marc. 8. 15. & *fortassis illæ simultates*, *quarum fit mentio* Luc. 23. 12. *quæ huc tandem devenerunt*, *ut Herodes Antipas proditionis accusatus*, *Lugdunum deportaretur*.

VI. Quod, e contrario, ad Herodis mentem, *contenderent Cæsari tributum dandum*, vel quia tributis colligendis fuisset a Romanis præpositus Herodes: vel quia Imperatorum isto modo gratiam aucuparetur. Illud prius abs se nunquam lectum ait Beza, sed sane id significat Josephus *lib.* 15. *cap.* 5. *p.* 462. ubi *justus in tributis* fuisse dicitur, Appianus *lib.* 5. τῶν ἐμφ. *p.* 371. Et vero ad persolvenda tributa istiusmodi Judæos cohortatus est *Agrippa* junior *lib.* 2. *Capt. cap.* 28. Istaque de Herodianis opinio est Origenis *tract.* 21. in *Matth.* Cyrilli Alexand. *lib.* 2. in *Isa.* & *Maldon.* in *Matth. cap.* 22.

VII. Quod essent homines Herodis instar, *profani*, *qui novam quandam*, inquit Beza, *religionem ex Judaismo* & *paganismo conflabant*. *Nec dubium est*, inquit idem, *quin Herodes Antipas*, & *reliqui illius liberi paterna vestigia sequerentur*. Et hujusmodi hodie vocari consueverunt *Machiavellistæ* aut *Politici*, contra quos ego alibi.

VIII. Quod Græci essent ab Herode inhabitata terra foti, cum e deserto ipsos adduxisset, qui sectam novam fecerint, & a loco unde abducti, vocentur in Talmud, *Dorsiothitæ*, aut *Dorsiani*. Ita ipse Drusius, prout quidem in Beza legi, qui superioris opinionis hanc esse arbitratur confirmationem: sic tamen, ut valde *incertam* esse subjungat.

IX. Quod Herodem *Messiam* Gen. 49. 10. promissum seu *Christum* existimarent. Tertul. Præscr. *cap.* 46. S. Epiph. hæres. 20. in Matth. 12. D. Hieronymus contra Lucif. Victor Antioch. in Marc. Theophylactus, Damascenus de hæres. qui & Euthymium in *Matth.* 22. *citat.* Vetus Persii Interpres *Satyr.* 5.

X. Quod non modo ipsis persuasum esset, Herodem esse *Christum*, sed *ita etiam iis persuasum esse vellet Herodes*: essentque *non solum hæresis quædam hominum*, *sed* & *corpus instar earum Societatum*, *quæ vulgo Confratriæ vocantur*. Est Scaligeri opinatio hæc, qui addit: *Multa enim*, *ut in gratiam vivi*, *sic in honorem mortui faciebant*, & *quotannis ejus natalem sacrificiis* & *honoribus prosequebantur*. *Durabat adhuc sub Nerone hoc genus*. *Persius*: *Herodis venere dies*. Denique, *Erant*, inquit, *Herodiani homines*, *qui non solum Herodem pro Messia habebant*, *ut Ismaelitæ Muhammedem pro summo Propheta*: *sed etiam*, *qui socie-*

cietatem coirent , & sumtus ad sacrificia in honorem Herodis obeunda, & ejus natalem colendum faciebant.

Mihi vero in tanta dissidentium varietate opinionum , quid videatur , nihil jam interest, ut dicam. Satis est, ex iis clare perspici hæc. 1. quanta , in erroribus Serario impingendis, Drusii temeritas & calumnia sit, cum & res ista usque adeo incerta sit: & in ea, quia non exigebat usus , nihil accurate aut dissertare , aut definire , sed modeste tantum omni remoto exiliore calculo, seipsum interpretari voluerit Serarius. Cum etiam complures non nisi post *Christum* natum , *Herodianos* cœpisse censeant : & quidem in his ipse Drusii amicus & præco summus Beza, prout ex ejus neque semel, neque in una tantum sententia , citatis verbis patuit: cum ipsius quoque Drusii opinio ab eodem Beza velus *incerta*, relinquatur: & aliis aliquot posthabeatur, cum ipsius denique Scaligeri, quem non sociennum modo, sed & fratrem suum videri vult; a me contra illum magna ex parte stet. Cum enim dicit Scaliger 1. Herodem voluisse hominibus *persuasum se Messiam esse*, sane id , si verum esset, non potuit oportuniore ullo tempore fieri, quam cum magnas aliquas res & cum admirabilitate nonnulla conjuncta fecisse , magnamque sibi ac suis opulentiam , & felicitatem peperisse, imperitis quibusdam , & cum æquo plus vel admirantibus , vel palpo nimio demulcentibus visus est , id est , non multo ante *Christi* Domini tempora: si non qualecunque falsi hujus splendoris , celebritatis ac faustitatis principium, sed ipse veluti apex & colophon spectetur. Deinde vult Scaliger in ejus jam mortui honorem instituta sodalitia, factaque sacrificia, celebratas epulas. At num *ante Christi Domini tempora* mortuus erat Herodes? Erroris igitur & pertinaciæ non Bezam modo & Casaubonum, sed suum etiam Scaligerum istum accersat, & ilico experietur, an,

Non eadem sentire bonos de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitia.

Quanquam ego certe Herodianas istas Scaligeri societates, impendia, sacrificia, festosque anniversarios non alio habere possum loco, quam alia ejusdem commenta & logos meros. Nam quo ex auctore ista tam multa, tam nova & magna, divinaque promit, Patresne aliquos affert? Hos vix pili facit. *Persium* laudat , ejusque *glossas veteres* , sed istæ , neque sodalitates, neque communes sumtus, neque sacrificia in Herodis honorem ulla memorant : ille vero tantum ait: *Sat.* 5.

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vemuere lucernæ
Portantes violas , rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni , tumet alia fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque sabbatha palles.

At in hisce versibus num ista , quæ jam dicta, narrantur sodalitia, ærarium commune, saerificia, & in Herodis memoriam ac honorem , Natales festique dies ulli? Longe aliud est, *Herodis dies*, & aliud, *dies in Herodis honorem*. Nam illud a Persio dicitur, istud non. Per illos intelligere licet omnia Judæorum sabbatha & festa , *Scenopegiorum* præsertim & *Purim* seu *Esteris*, quæ dicantur *Herodis dies*, quod Judæorum Rex & quidem notus fuisset Herodes , sicuti & de pluribus eorundem Regibus plurative Juvenali : *Sat. 6.*

Observant ubi fasta mero pede sabbabatha Reges.

Imo posset etiam *Herodes* ille ibi accipi , qui eo ipso supererat tempore , *Agrippa* nimirum, qui in magna apud Cajum & Neronem erat gratia . Certe non erant , ex ipsius etiam Scaligeri mente, Judæi omnes Herodiani : & tamen iis omnibus, priva quadam lege ab Romanis conceduntur σύνδειπνα καὶ θίασοι, &, has in res , pecuniarum collectio , apud Josephum *lib.* 14. *cap.* 17. Facessant ergo Scaligeriani tam *Herodes*, quam *Herodiani*: & illi, qui natus.

Non eripit mortalia:
Sed regna dat cœlestia.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, S. e in p. & n. & S. & in SS. Amen.

JOHANNIS HARDUINI

S. J.

PROLUSIO

DE NUMMIS HERODIADUM.

VEtus adagium est, aptiorem quam in sua quemque causa patronum esse neminem: quod nuper intellexi esse longe verissimum. Inventus enim est, qui pro Eumenio ad Norisium, mox & ad Valentem scriberet: sed ea primum stili vehementia, quam ab Eumenii indole ac moribus esse alienam, ipse professus est: deinde deflectente etiam ab Eumenio ipso alicubi ac discorde sententia. Ex quo gemino, opinionum scilicet stilique discrimine, tametsi ille frequens auditor Eumenii est, tamen longe alium Eumenium esse ab eo, qui Eumenii Hyperaspisten egit, mox erit, opinor, omnibus persuasum. Itaque quod ille, sive obscurius paulo, sive pressius quam par fuit, de Cæsarea Herodianique generis descriptione perstrinxit, nunc demum juvat ex ipsius Eumenii, hoc est, ex nostra sententia promere: excerptis ex majore nostro opere, digestisque per annos singulos nummis antiquis, qui ad illam historiæ partem adtinent. Nam cum universam Chronologiam moliamur ex nummis veteribus & marmoribus illustrare, quorum subsidio nihil esse certius deprehendimus, tum ad veritatem historiæ detegendam, tum ad judicium ferendum de plurimis veterum monumentis: fas nobis esse arbitramur, priusquam in lucem publicam integrum opus emanet, de quibusdam capitibus paulo abstrusioribus, quale istud est, quod hodierno die proponimus, eruditorum sensa ac judicia explorare, ex iisdemque proficere. Herodiadum ætatis delineatio est, tam sacris codicibus, nummis antiquis, lapidibusque consentanea, quam videbitur eadem a Josepho, aliisque annalibus, dispar ac dissentiens. Quæ ætas ut postea a nobis copiosius, si res ita ferat, conjuncteque cum historia Augusta, veluti cum integro corpore, tractabitur: ita nunc ab eo divulsa, in brevi quasi tabella seorsim strictimque repræsentatur.

Anni ab Urbe condita.

718 Caput Antonii Triumviri nudum, sine epigraphe.

SOSIUS IMP. Trophæum. Infra, captivi duo, manibus post terga vinctis: ob captam Judæam, & Herodem ei forte simul Ethnarcham impositum. Est e gaza Regia nummus argenteus.

ΗΡΩΔΟΥ. Uva, symbolum agri vini feracis, *in vineis Engaddi*, Cant. I. 13. Plinius, lib. v. sect. xv. *Engadda oppidum secundum ab Hierosolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus: nunc alterum bustum.*

ΕΘΝΑΡΧΟΥ. Ex eadem gaxa, æris minimi. Herodi priori Spanhemius quoque hunc nummum merito adjudicat. Nemo certe post hunc Herodem Herodes alter Ethnarcha fuit, hoc est, Princeps Judææ ac Samariæ. Nummi aream occupat, non galea, ut quibusdam visum est: sed flos rubentis lilii, qualis a Plinio describitur, libro xxi. sect. xi. *Foris striati, & ab angustiis in latitunem sese laxantis effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo & semine, stantibus in medio crocis, calice diversi coloris. Laudatissimum esse in Antiochia, & Laodicea Syriæ, mox in Phaselide Judææ*, testis est idem. Ethnarcham Judææ tantum fuisse Herodem utraque nummi area indicat.

719 In Fastis triumphalibus: C. SOSIUS. C. F. T. N. PROCOS. EX. JUDÆA. AN. DCCXIX. III. NONAS. SEPTEBR. Romæ triumphavit.

720

721

722

723 Caput Octaviani Cæsaris nudum sine laurea. L. ΒΠΣ. Annus 282. Græcorum, autumno anni hujus iniens. Post caput Octaviani, ΝΓ aliæque literæ exesæ, ut quidem oculi referunt. In quem annum Græcorum in-

incurrat Octaviani victoria de Asia recepta, hic nummus Zenodori notat,

ΖΗΝΟΔΩΡΟΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗ ΓΗ... Sic enim detritæ sunt literæ istæ duæ postremæ, ut fugiant propemodum aciem oculorum. Caput Zenodori nudum sine diademate: quoniam tetrarcha tantum, non βασιλεὺς fuit. Nummus perrarus, in Cimelio Illustrissimi Domini *Faucault*, ex ære minimæ fere molis.

Caput Octaviani Cæsaris nudum, ut supra. L..... ΠΣ. Annus, ut conjicimus, idem qui in priore nummo.

ΖΗΝΟΔΩΡΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ...... Caput nudum, sine diademate. E Cimelio D. *Dron*: ejusdem molis & metalli.

724 Annus primus æræ, ut dicitur, Augustanæ, post Asiam nempe receptam: ab autumno anni superioris iniens: cum & Actiaca victoria ab Octaviano Cæsare est relata. Quam vere Judæam ab Augusto captam hoc anno retulerit vetus scriptor in Isaiam lib. 2. tom. I. amplius considerandum est.

725

726

727 Sebaste ab Herode hoc anno condita. Æra in nummis primum apparet anno Christi 82. Augusti nomen, Græce Σεβαςὸ, Octavianus hoc anno accepit, non superiore, ut Norisio visum est, pag. 444. ipsius invitis testibus quos allegat.

728

729

730

731

732

733 Cæsarea Augusta Palæstinæ circa hoc tempus condita est ab Herode. Plinius, lib. v. sect. XIV. *Stratonis turris, eadem Cæsarea, ab Herode rege condita.* Certe hic annus est undecimus æræ Augustanæ, autumno iniens, qui designari videtur in nummo, quem Patinus affert in Svetonium, *pag.* III. ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, capite Augusti laureato.) (Fortuna stat, cum ancora, & palma, & cornucopiæ: quæ sunt annonæ uberrimæ in portu Cæsareæ Palæstinæ symbola. L. ΙΑ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. Sicut in nummo Claudii, anno Christi 54. scriptum est, ΕΤΟΥΣ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΙΓ. Nam ea civitas, ut aliȩ quȩdam, nunc L. nunc ΕΤΟΥΣ, in suis nummis scripsit. Alter ibidem, parte antica similis: in postica, ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙΣΑΡΙΑΣ. Hinc lilium Phaselidis olim *lilium convallium*. Cant. 2. 1. Dea rupi insidet, spicas dextra gerens, fluvio ad pedes emergente: de quo amne in Antirrethico diximus.

ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Ara cum igne, ob vota suscepta pro Cæsare.

ΣΕΒΑΣΤΗ in corona laurea. E gaza Regia, æris minimi. *Cæsarea Augusta* Palæstinæ.

734 Herodes templum Hierosolymitanum instaurari jussit, si Josepho credimus.

735

736 Laudat hoc anno, ut apparet, *Herodis palmeta pinguia* Horatius, *lib.* 2. *epist.* 2. *vers.* 184.

737 In Judæa *Herodium toparchia* fuit una *ex decem, cum oppido illustri ejusdem nominis*, teste Plinio *lib.* v. *sect.* XV. De anno natali hujus oppidi, nihil certi & explorati est.

738

739

740 Phaselis, si Stephano fides, urbs est Judææ ab Herode priore condita: Plinio convallis Judææ est, palmetis inclyta, *lib.* XIII. *sect.* IX. de nomine conjugis Herodis, ut videtur: sicut Livias ibidem, de nomine Liviæ Augusti.

741

742

743

744 Dedicatio Cæsareæ ab Herode, si Josephum audimus.

745 Si Josepho fides habenda esset, *lib.* XVI. *cap.* IX. ajenti agrum Phaseliticum cognominatum fuisse & coli cœptum post annum V. C. 744. consectarium ex eo foret, non ante annum istum fuisse percussum nummum ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ, quem attulimus anno 718. Nam in Phaseliticum lilium repræsentat.

746

747

748 Herodes Herodis F. Galilææ: simul Philippus ejusdem tetrarchæ frater, Ituræ & Trachonitidis regionis tetrarchiam obtinet. Anno certe 752. quo conceptus est Johannes Baptista, solam Herodes prior Judæam cum Samaria tenebat, teste Luca: hoc est, annis quatuor ante excessum e vita: neque unquam extra hos fines regnavit, ut dicemus in Notis.

749

750

751

Au-

752 Augusti caput. Nummus a Spanhemio descriptus, ad Juliani Cæsares, *pag.* 34.
ΙΟΥΛΙΟΣ ΘΕΟΣ. *Divus Julius.* ΚΑΙΣΑΡΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ ΝΕΩΚΟΡ. Hunc nummum, si est genuinus, ante annum 754. cusum fuisse oportet, cum Cæsarea Palæstinæ tantum Augusta diceretur nondum Prima Augusta: quod nomen non antea gessit, quam altera condita est Paneade Cæsarea Augusta.

753 ΛΕΥΚΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Lucii Cæsaris Augusti F. caput nudum.
ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. Capricornus cum Cornucopia, qui typus in Cęsariensium nummis passim occurit. Est nummus gazę Regię, ex ęre minimo. Caper ille in piscem desinens, abundantiam annonę terra marique indicat. Ex quo intelligere promtum est, Cęsaream hic designari, quę sit litori maris apposita, atque adeo Cęsaream Palęstinę. Neque aliud in nummis pariter Augusti Capricornus significat: tametsi Antiquarii de natali Augusti accipiunt, de quo disceptant inter se frustra, a Svetonio decepti, ut alias dicemus.

Anni æræ Christianæ.

1 Primus hic annus est ęrę Christianę, nato Domino sub exitum anni superioris, *in diebus Herodis regis.*

V. C.
754. Philippus Herodis F. tetrarchę frater, Cęsaream Augustam alteram Cęsari Augusto donat. Ea dicitur Cęsarea Philippi in Evangelio: Cęsarea Paneas apud Plinium, & in nummis.

2

3 Herodes prior diem obit, cęsis antea infantibus *a bimatu* post Christum natum. Archelaus F. *in Judæa regnat pro Herode patre suo.* Matth. 2. 22. Nummus Archelai nullus exstat, qui sit sincerus.

4 De nomine Archelai regis, Archelais Judææ convallis, palmetorum nemoribus clara, apud Plinium, *lib.* XIII. *sect.* IX.

5

6

7 Caput Augusti laureatum. E Regia gaza, ęre mediocri.
ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Capricornus. ΛΗ. Annus XXXVIII. ab Asia recepta, autumno iniens. A Cęsariensibus Palęstinę percussus: qui more Gręco Σεβαςὸν dixere, non, ut Judęi, Καίσαρα tantum.

8 Archelaus hoc anno obit: Judęa fit Augusti provincia.
ΚΑΙCΑΡΟC. Spica, fertilitatis agri Judaici symbolum. ΛΘ. Palma. Annus XXXIX. Asię receptę. Vide Notas.

9

10

11

12

13

14 ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Augustus Augusti F.* capite laureato. (Augusti finis Tiberii initium mense Aug.)
Intra coronam lauream, A. *primus* Tiberii annus. Inferius, ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΜ. *Sub Silano* Præside Syriæ, *Antiochensium annus* XLV. ab Asia recepta, autumno iniens, idemque incidens in primum Tiberii principatus annum. Est e gaza Regia, & apud Illustriss. LAMONIUM, ex ære magno: apud D. *Dron*, ex ære mediocri. At in Lamoniano legitur ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, capite nudo.

15

16

17

18 ΤΙΒΕΡΙΑΣ in corona.
ΠΕΡΙΟΔΟΥ ΤΕΤΑΡΤ. Palma. E thesauro Mauroceni, apud Patinum, ex ære, *pag.* 112. Significat Tiberiadem ædificatam de nomine Tiberii fuisse, currente anno imperii quarto. Nam ea vis est hujus vocis περιόδε in numinis, ut annum currentem exprimat: id quod duobus aliis exemplis liquet. Ergo ut Augusto vivente Cæsaream Augustam Herodes prior, & alteram Philippus F. condidere: ita Tiberii jussu, cui Claudii de patre nomen fuit, antequam insereretur in gentem Juliam, Claudia Tiberias in Galilæa ab Herode altero condita est. Quo ille argumento Claudiæ familiæ devotus, & jam tum Φιλοκλαύδιος existimari voluit. Hinc fit, ut nummi ΚΛΑΥΔΙΟ ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ & ΤΙΒΕΡΙΟ ΚΛΑΥΔΙΩΝ, sub Trajano & Hadriano percussi, æræ suæ initium ab hoc anno repetant: quasi æque priscam incolæ credi vellent Claudiæ atque Tiberiadis appellationem. Fuit Tiberias oppidum, ab occidente lacus Genesaræ, aquis calidis salubre, teste Plinio, *lib.* v. *sect.* xv.

20

21

22

23 Julias oppidum, in honorem Juliæ Augustæ Tiberii conjugis, ab Herode tetrarcha conditur circa hoc tempus: sita ab oriente lacus Genesaræ, teste Plinio, loco jam citato.

24
25
26
27
28

29 Prædicatio Johannis Baptistæ, *anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræa*, &c. Lucæ cap. III.

30 Baptismus Christi Domini. *Et ipse* Jesus *erat incipiens quasi annorum triginta*.

31
32 Sub Pascha, *Herodes tetrarcha* Johannem Baptistam jubet securi percuti. *Matt.* XIV. I. & *Luc.* IX. 7. Idem Marci VI. 14. *rex Herodes* appellatur, quia qui primum tetrarcha, postea idem rex fuit, ut dicemus. Itaque κατὰ πρόληψιν a Marco rex appellatur, quia supremo vitæ anno rex fuit: quo tempore & a Luca vicissim in iisdem Actis *cap.* XIII. tetrarcha nuncupatur, quem *cap.* XII. regem dixerat: quia & prius ille & diutius tetrarchæ nomen, quam regis obtinuit: deinde ne priorem ibi Herodem aliquis intelligeret, qui statim Herodes ethnarcha, diutissime vero Herodes rex est appellatus.

33 Passio *Christi* Domini. Solam adhuc Galilæam Herodes tetrarcha regebat. Luc. XXIII. 6. *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit, si homo Galilæus esset. Et ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus*.

34
35
36
37 ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. L. ΜΓ. Palma.
Caii I. ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. in corona. E Cimelio Illustriss. D. Begon, ex ære minimo. Qui mos erat in Oriente regum ac civitatum, monet Herodes, in quem tetrarchiæ suæ annum primus Caii Cæsaris annus incurrat, nempe in XLIII.

38
39
40 Agrippa, si Josepho credimus, scribit ex urbe ipsa Romma ad Cajum Cæsarem pro Judæis.

41
Claudii I.
42 ΒΑΣΙΛΕΤΣ ΗΡΩΔΗΣ. Caput diadematum.
ΚΛΑΤΔΙΑ ΚΑΙΣΑΡΙΑ, in corona. E gaza Barberina, æris minimi, referente Holstenio in Stephan. *pag.* 154. Alteram Cæsareæ æram hic annus aperit, quo ei civitati Claudiæ & Germanicæ nomen ab Herode datum est. Quo ille officio se rursum sub Claudio principe, ut antea sub Tiberio, Claudiæ gentis amicum & clientem, φιλοκλαύδιον profitetur in nummo sequente. Hanc Cæsarienses æram alterumque nomen notarunt in nummo Commodi, ΚΑΙΣΑΙΡΕΩΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ ΡΛΘ.

43 ΒΑΣΙΛΕΤΣ ΗΡΩΔΗΣ φιλοκλα ΤΔΙΟΣ Caput Herodis diadematum. E gaza Regia.
ΚΛΑΤΔΙΩ ΚΑΙΣΑΣΙ ΣΕΒΑΣΤΩ. ΕΤ. Γ. in corona, hoc est, ἔτους γ'. *anno* Claudii *tertio*. Ultra quem annum cum nulli deinceps Herodis nummi appareant, hunc ipsum esse Herodem, ex eo recte conficitur, cujus obitum narrat hoc ipso anno Lucas in Actis *cap.* XII. Quod & Spanhemio V. Cl. *pag.* 444. olim placuisse animadvertimus.

44 Circiter hunc annum Felix Judææ Præses designatur.

45
46 Claudii caput laureatum.
ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΕΤΟΥΣ Ε. Dea rupi seu monti insidet, ut in nummo anni V. C. 733. & in altero ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ Annus quintus hic est æræ Cæsariensium. Nummus est nuper laudatus ab Antiquario.

47
48
49
50
51 Annus primus Agrippæ prioris, cui regnum patris ac patrui concessum est a Claudio, hoc est, Galilæa, cum Trachonitide. Unde ille se & Magnum Regem & φιλοκλαύδιον simul appellat in nummo vetere nuper edito.

52
53
54 ΚΛΑΤΔΙΟC ΚΑΙCΑΡ. capite laureato.
Claudii ult. Ner. I. ΕΤΟΤC ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΙΓ. *Anno Cæsariensium* Palæstinæ, non Claudii

dii Principis, *decimo tertio*. Caput turritum, in nummo Titi, COL. CÆSAREA. L. IB. ΦΛΑ. Ex ęre mediocri, apud D. *Dron*.

55

56 Act. xxv. 1. *Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Hierosolymam a Cæsarea*. Erat Judęa *provincia* Augusti fisco addicta, post obitum Archelai, ut diximus. Act. xxv. 13. *Agrippa rex & Berenice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum* Judęę pręsidem. Nusquam dicitur in Actis Agrippa rex Judęę, sed rex pręcise, vel Agrippam. Neque is Hierosolymis tunc fuit: alioqui Festum ibi salutasset. Descendit igitur a Galilęa Cęsaream, sedem Pręsidis Provincię.

57

58 ΝΕΡΩΝΟΣ, in corona.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. L. E. *annus quintus* Neronis. Spica, Judęę Symbolum. In thesauro Mauroceni, *pag.* 113. Judęa provincia sine rege, nisi Cęsare.

59

60

61 Agrippa junior Agrippę F. accepit ex Senatus consulto imperium rei militaris in Palęstina, ut ex nummo liquet anni 86.

62

63

64

65

66

67

68 (Neronis ult. Galbæ I.) ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ Caput diadematum Agrippæ senioris. Nummus nuper vulgatus, ex ære mediocri.

Μ...ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η ΠΡΟ Σ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ. Dea stat cum temone & cornucopiæ, uberis annonæ in portu Cæsariensi symbolum.

ΝΕΡΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput laureatum, adjecto solis sidere, quod est symbolum Orientis. Nummus Reg. ex ære mediocri.

Μ......ΙΑ Η ΠΡΟ Σ ΣΕΒΑΣΤΩΝ. Dea stat cum hasta, pede proræ navis imposito. Μητρόπολις Καισάρεια ἡ πρώτη Σεβαστὴ Σεβαστῶν, *prima Augusta Augustorum*, Augusti nimirum, & Claudii: quorum nominibus est appellata. Nam & Augusta dicta est in nummis, & Claudia: & O pro Ω in nummis scribi, tralatitium est. Ut in Latinis autem, C. A. C. *Colonia Augusta Cæsarea*, A. pro Augusta: ita solum Σ pro Σεβαστὴ in Græcis ponitur: quemadmodum in nummo Crispinæ Hyperaspistes adnotavit. In medio nummi area, L. ΙΔ. *Annus XIV*. Neronis, quo anno a Neronis partibus stetit Cæsarea. Eam ob caussam, ut videtur, ducta in partem civitatis anno sequente a Vespasiano colonia est.

ΝΕΡΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, ut supra, in eadem gaza.

Μ......ΙΑ. Η ΠΡΟ ΣΕΒΑΣΤΩΝ. Μητρόπολις Καισάρεια ἡ πρώτη Σεβαστῶν.

69 (Vespa. I.) Judæa rebellante jam ab anno superiore, Vespasianus cum liberis ad bellum se comparat.

ΔΟΜΙΤ...... Capite laureato.

ΕΤΟ. ΙΘ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. *Anno XIX. regis Agrippæ*. Triremis, Galilææ symbolum: quale in nummo Τιβεριέων cernitur sub Hadriano: cujus symboli vice in aliis Ejusdem civitatis, sub Trajano & Hadriano, nunc est ancora, nunc temo cum prora.

Cæsaream ducta a Vespabano colonia est, eademque Prima Flavia cognominata, teste Plinio, nummisque permultis. Æra coloniæ Flavianæ idcirco ab autumno incipit hujus anni.

70 Hoc anno Hierosolyma, ut Plinius ait, bustum Judææ efficitur. Nummi JUDÆA CAPTA inscripti, anno sequente Romæ cusi.

71 ΑΥΤΟΚΡ. ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. *Imp. T. Cæsar*, capite laureato.

ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ. *Judæa capta*. Victoria scribit in clypro palmæ arbori apposito. Est ex ære mediocri, e Cimelio Illustrissimi Domini FOUCAULT. Qui hunc nummum alias sic edidere, ut in altera superficie legeretur ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΑΣ, in altera ΚΑ. ΒΑ. ΑΓΡ. ii ex duobus nummis dissimilibus unum conflavere. Quod & e Constantini nummis duobus fecisse quemdam nuper in notis ad Lactantium, jam adnotatum est.

Domitiani nummus, ex ære mediocri, apud Patin. pag. 164.

ΕΤΟ. ΚΑ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Anno XXI. regis Agrippæ*. Victoria cum palma & corona.

72

73 Titi nummus, ex ære mediocri, apud Patin. pag. 151.

ΕΤΟ. ΚΥ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Anno XXIII. regis Agrippæ*. Victoria, ut supra.

ΔΟ-

74 ΔΟΜΕΤ. ΚΑΙΣΑΡ, capite laureato, Regius, ex ære mediocri. Eſt & in theſauro Mauroceni, pag. 116.
ΕΤΟ. ΚΖ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Anno XXIV. regis Agrippæ.* Victoria, ut ſupra.

75
76 ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, capite laureato.
ΕΤΟ. Κϛ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Anno XXVI. regis Agrippæ.* Victoria, ut ſupra. E Regia gaza, ære mediocri. Hic nummus eſt, opinor, quem Spanhemius pag. 864. ex Seguini Muſeo legit ΣΕΒΑΣΤΟΣ, & Veſpaſiano tribuit. Tamen & Occo habet pag. 158. e Cimelio Alb. Princ. nummum ſequentem.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΚΑΙϹΑΡΙ ϹΕΒΑϹΤΩ. capite Veſpaſiani laureato.
ΕΤΟ. Κϛ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠ. Dea ſtat cum cornu copiæ, ut in nummo Cæſaræ, anno 43. Exhibetur iſte & ab Erizzo, pag. 131.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ, capite laureato. Reg. æris minimi.
ΕΤΟ. Κϛ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Victoria ſiniſtro pede galeam premit, dextra ſcribit in clypæo.

77 ΑΥΤΟΚΡΑ. ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΩ ϹΕΒΑϹΤΩ. Caput laureatum.
ΕΤΟΥ. ΚΖ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Anno XXVII. regis Agrippæ.* Dea ſtans, dextra ſpicas, læva cornucopiæ gerit. Eſt Reg. ære mediocri.

ΔΟΜΙΤΙΥΝΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ, capite laureato. Reg. æris minimi.

78 ΕΤΟ. ΚΖ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Duplex cornucopiæ. *Annus 78. Poni debere e regione verſus a ſcriptura vacui: annus 79. ex adverſo nummi Veſpaſiane.*

79 Titi I. a menſe Julio. ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΩ ϹΕΒΑϹΤΩ. *Imp. Veſpaſiano Aug.* Caput laureatum. Eſt Reg. ære mediocri.
ΕΤΟ. ΚΘ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Anno XXIX. regis Agrippæ.* Dea ſtans, cum ſpicis & cornucopiæ.

Titi nummus, e gaza Medicea, referente Spanhemio.
ΕΤΟ. ΚΘ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Victoria cum palma & corona. Veſpaſiano adhuc ſuperſtite conflatus. Agrippæ autem nec triceſimus, nec deinceps alius in nummis annus occurrit. Id quod argumento eſt alium eſſe Agrippam illum, cujus poſt annos ſeptem annus præfecturæ viceſimus ſextus notatur in nummo Domitiani. Jedidæus Alexandrinus, ſed falſus teſtis, ut dicemus, annos XXX. nec plures huic Agrippæ tribuit, quem & poſtremum Agrippam, communi cum ſociis errore, nuncupat.

80 Titi nummus, COL. CÆSAREA. L. IB. ΦΛΑ. *Annus XII. Flaviorum*, autumno iniens. Æra Flaviorum adhuc conſignatur in nummo coloniæ Cæſaræ, anno primo Elagabali, ut in ejuſdem chronologia dicturi ſumus.

81 Domitiani I. Annus primus Agrippæ alterius, ut colligi poſſe videtur, ex nummo anni 94.

82 IMP. DOMIT. CÆSAR. Capite laureato. Reg. ære mediocri.
ϹΕΒΑϹΤΗΝΩΝ. Jupiter ſtans dextra haſtam, læva victoriolam tenet. L. ΘΡ. Mos fuit Syriæ civitatum, ut diximus, in nummis adnotare, in quem æræ ſuæ annum primus Auguſtorum annus incideret. Itaque hic annus eſt CIX. æræ Sebaſtenæ, incurrens in annum Domitiani primum, a verno tempore etiamnum iniens, vetuſto Judææ ac Samariæ more. Nam in Galilæa annus autumno cœptus eſt, more Græco, quem in urbe Sebaſtena quoque receptum poſtea fuiſſe veriſimile eſt. Æram Sebaſtenam videri biennio a Noriſio retardari dicetur in Notis.

83
84
85 ΒΑϹΙΛωϹ ΑΓΡΙΠΑ. Tabernaculum: de quo dicemus in Notis.
L. E. *Annus quintus*, ex quo imperium rei militaris in Judæa gerit, quale jam in Palæſtina gerebat. Tres ſpicæ ex uno ſurculo emicant, ubertatis Judaicæ ſymbolum. E Muſæo noſtro, ære minimo.

86 ΒΑϹΙΛΕωϹ ΑΓΡΙΠΑ. Tabernaculum.
L. ϛ. *Annus ſextus.* Tres ſpicæ, ut ſupra. Apud D. DRON, ære minimo.

IM. CA. D. VES. F. DOM. AV. GER. COS. XII. *Im. Cæſar. Divi Veſpaſiani Filius, Domitianus Auguſtus, Germanicus, Conſul XII.* capite laureato.
ΕΠΙ ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κϛ. S. C. *Sub rege Agrippa, anno XXVI. Senatus conſulto.* Caduceus inſertus gemino cornucopiæ: pacis, & abundantiæ ſymbolum. E Regia gaza, ære minimo. Ex quo rex Agrippa imperium in Palæſtina rei militaris accepit ex S. C. annus hic eſt ſextus ac viceſimus.

IM. CA. D. VES. F. DOM. AV. GER. COS. XII. SALUTI. AVGUST. S. C.

S. C. Ara ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κς. Vota suscepta toto imperio pro salute Domitiani Aug. ab anno 84. quo Romæ percussus alter iste nummus est ex ære mediocri, apud D. DRON, IMP. CÆS. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. X. DC. SALUTI AVG. Ara. Infra, S. C. At prior ille e Cimelio est Illustriss. D. BEGON, Cæsareæ Palæstinæ percussus.

87
88
89 ΒΑCΙΛΕΩC ΑΓΡΙΠΠΑ. Tabernaculum.

L. Θ. *Annus nonus*. Tres spicę, ut supra. Apud D. DRON, ęre minimo.

90
91 ΑΥΤΟΚ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ, capite laureato.

ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠ. ΣΑΜΑ. L. ΑΙ. *Flavia Neapolis Samariæ*, anno XI. Sunt eæ voces in corona laurea, cum gemino cornucopię. E regia gaza, ęre mediocri. Alter e Cimelio Droniano: ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑ. L. ΑΙ. cum palma. *Annus XI.* Verius tamen ad annum Domitiani primum, quam ad istum, hi nummi pertinent, ut dicemus in Notis.

92
93
94 ΚΑΙCΑΡ. Δ..... Caput Domitiani laureatum.

L. ΙΔ. ΒΑCΙ. ΑΓΡΙΠ. Victoria scribit in clypeo. Annus est XIV. regis Agrippę: qui annus in eadem idcirco nummi area cum nomine Agrippę conjungitur autumno iniens. Pulsos in Oriente Arabas Parthosque a diversis Domitiani ducibus vel legatis, quorum haud postremus Agrippa rex fuerit, hic nummus insignis docet, qui est in Cimelio Droniano, ex ęre mediocri Cęsareę pariter in Palęstina conflatus. Hoc anno, qui Domitiani quoque XIV. est, gratulantur Cęsari victoriam alię similiter Palęstinę civitates: ut Raphia, cujus ęram Norisius biennio remoratur: & Ascalo. Item Cęsarea Cappadocię, in nummo ex ęre mediocri Cimelii Droniani: ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙCΑ. ΕΤ ΔΙ. cum Argęo monte. In antica parte caput est Domitiani laureatum, detrita epigraphe.

95
96 IMP. NERVA CÆS. AVG. P. M. TR. P. COS. II. P. P. capite laureato.
Nervæ I.

FISCI JUDAICI CALUMNIA SUBLATA. S. C. Palma, Judęę symbolum. E. gaza Regia, & Cimelio Droniano, ex ęre magno. Judęa fisco Augusti addicta, non fuit ante hunc annum Senatui Populoque Romano reddita. Unde & balsamum Judaicum *fiscus* Principis serebat, vendebatque, teste Plinio, libro sect. LIV.

79
98 Trajani Imp. annus primus.

N O T Æ.

Ad annum Urbis Romæ DCCXVIII.

I. *Quo anno principatus Herodi fuerit adsignatus.*

VICTORIAM a Sosio relatam fuisse nummus hoc anno allatus docet, cum imperium rei militaris in Syria sub Antonio Triumviro gereret. Triumphavit de Judæa Romæ Sosius anno sequente, ut Fasti docent, quos retulimus. Hoc igitur anno capta sunt Hierosolyma, eodemque Herodes impositus Ethnarcha Judææ a Sosio, Antonii & Octaviani jussu. Neque enim ultra annum post rem strenue feliciterque gestam differri triumphum illo ævo mos fuit. Itaque a Josepho, qui Herodis initium, & illud quidem, ut volunt, alterum, anno superiore statuit, non sine causa discedimus: ut & ab auctore brevis Chronologiæ, *Seder Holam Zuta*, qui regnum Proselitorum, ut appellat, in Judæa, hoc est, Herodiadum, annis centum ac tribus usque ad Urbis excidium circumscribit, ejusque proinde initium conjicit in annum Urbis Romæ DCCXXI. Tamen hunc sequuntur calculum hodieque Judæi in suis Kalendariis: sed Europæi tantum, a vafro admodum genere hominum delusi, abhinc annos vix dum quingentos. *Occisus est autem Antigonus*, inquit ille, pag. 60. *anno centesimo tertio regni posteritatis Machabæorum. In ejus vicem substitutus est Herodes filius Antipatri, Machabæorum servus, qui rebellans totam familiam dominorum suorum trucidavit. Regnavit autem annis duobus:* nempe, opinor, ut Herodis pessimi principis typus fuisse Saul credatur, duo pariter duntaxat Herodis anni commemorantur. Et pag. 61. *Anno centesimo tertio regni Proselytorum, qui est annus* CCCCXX. *a templo restaurato, ter millesimus* DCCCXXVIII. *ab orbe condito, venit, Vespasianus, &*

solo

solo æquavit ædem. Fabulam præterea de Herode ac puella Machabæa describit ex Talmude Bartoloccius, tomo tertio Bibliothecæ Rabbinicæ, pag. 556. quam si quis conferat cum tragœdia de Mariamne aqud Josephum, plus in ista fortasse concinnitatis atque artis, nihilo certe plus veritatis, quam in priore deprehendat.

Agebat Herodes ætatis annum xv. si vere prodidit auctor Antiquitatum Judaicarum, quisquis est, anno V. C. DCCVIII. Galilæam Herodi commissam fuisse, *νέῳ παντάπασιν ὄντι, ιέ γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη*, *cum esset omnino juvenis*, *annos duntaxat quindecim natus*. Atqui, ut recte Salianus admonuit, si Herodes circiter LXX. annum de vita exiit, quod istius testificationi passim creditur, septimum supra vicesimum tunc annum agebat, non quintum decimum. Sed vanus scriptor fortassis nihil aliud eo loci spectabat, quam ut ex Herode priore herois magni speciem informaret, atque imaginem principis Cyro Xenophontis nihilo inferiorem effingeret, ne desideraretur in egregio opere splendida quoque istiusmodi fabula. Itaque in puero generosam indolem, occasionem peropportune oblatam promendæ virtutis, denique jam tum in eo excelsa omnia supra ætatem commentum est: idemque postea priorum quæ scripsisset oblitus, senectutem illi quidem, ut erat propositum, heroe dignam impertiit: sed cum præteritorum annorum serie minime congruentem. Nam qui κέ pro ιέ, hoc est, xxv. pro xv. reponunt, nec verum assequuntur, nec Josephi mentem: siquidem & κζ' scribi oportuisse, & auctorem ιέ revera scripsisse, Salianus erudite probat. Quodsi fidem atque auctoritatem conciliare operi volunt, qui sic corrigunt: quique alibi similiter, ne secum pugnare videatur architectus Originum bellorumque Judaicorum, δευτέρȣ μηνὸς pro δύςρȣ rescribunt, rursumque ςαδίȣς σ' pro ςαδίȣς ή, hoc est, ςαδίȣς διακοσίȣς pro σταδίȣς ὀκτώ, sexcentaque similia: ecquod erit, amabo, monumentum tam spurium, tam falsum, cui non demum accedat auctoritas ac veri opinio, si perperam adscripti emendentur anni mensesque, ceteraque ἀντιλογίας ac νοθείας certissima indicia expungantur?

II. *Quo casu Principatus Herodi datus*.

Anno Urbis conditæ DCXCI. Cn. Pompejus Hierosolyma cepit, & *victor ex illo fano nihil attigit*, inquit Cicero, in Oratione pro Flacco. Cetera tamen Judææ oppida vel castella munita non cepit, sed in unis Hierosolymis acquievit, sive desiderio Urbis ac triumphi revocatus, sive expugnandi difficultate deterritus. Quamobrem & per jocum fortassis *Hierosolymarius* a Tullio, *lib.* 2. ad Atticum, epist. 9. nuncupatur: & in titulo triumphorum ejus, quem Plinius describit, *lib.* VII. *sect.* XXVII. non de Judæa, sed *de Judæis* legitur triumphasse: quos nimirum ex parte tantummodo superasset. *Ex Asia*, *Ponto*, *Armenia* ... *Cilicia*, *Syria*, *Scythis*, *Judæis*, *Albanis* .... *Mithridate atque Tigrane Triumphavit*. Itaque non potuit tunc fieri provincia Populi Romani Judæa, sed tantum ex parte stipendiaria. At postquam Sosius *de Judæa* triumphavit, potuit provincia effici: tamen facta non est: sed Herodi data est titulo regio, hanc, uti nunc videtur, ob causam. Erat Julius Cæsar Dictator in magno ære alieno Herodis, uti conjicere est ex illa Tullii voce ad Atticum, *lib.* VI. *epist.* I. scripta anno DCCIV. *Sed heu tu! Jamne a Cæsare per Herodem talenta Attica quinquaginta extorsistis?* Quæ summa est 120000. librarum, ut ut dicimus, Gallicarum: nam singula talenta Attica efficiunt libras 2400. Ex eo conjici potest similes Cæsari pecuniæ summas Herodem fœnori dedisse. Itaque cum Octavianum Cæsarem affinitas & successio, Antonium vetus necessitudo cum Cæsare Dictatore cogerent omne illius æs alienum suscipere, & quoquo modo dissolvere, sic visum est ambobus hoc nomen explicare: si pro sorte nimirum & usuris, creditori, vel si magis ita placet, creditoris filio, Judææ cum Samaria principatum adsignarent. Quod beneficium, pretiumve, postea Augustus Divi Julii F. eadem de causa Archelao Herodis filio prorogavit. At eo extincto, cum idem Augustus solutionem idoneam censeret esse factam paterni nominis, & careret liberis Archelaus, regnum Judææ quasi postliminio recepit, ac sibi suoque fisco adseruit. Hæc probabilis una nunc quidem videtur causa fuisse tum Herodiani in Judæa regni, neglectis Josephi fabulis: tum Judææ post Archelaum e vivis sublatum in Augusti provinciam redactæ.

III. *Quæ ditio Herodi fuerit adsignata*.

Ethnarchiam Herodis regiamque potestatem ad Judęam tantummodo cum Samaria pertinuisse, Hyperaspistę assenti-

timur. Neque enim existimandum est a sacro Scriptore Luca, *cap.* III. tetrarchias quatuor enumerari eo consilio, ut olim sub Herode priore in unum corpus fuisse conjunctas, tunc vero distractas atque divulsas, posteri crederent: cum nec ibi Herodem priorem spectari ullo modo a sacro Scriptore oportuerit, nec usquam sacrę literę tantam illi potentiam adscribant: sed quod ineunte Domino Christo Servatore prędicandi munus, *ad oves quæ perierant domus Israel*, ęquum & par fuit consignari tempus prędicationis illius, appellatis principibus, qui in utroque regno, Juda nimirum & Israele, principatum, magistratumve sub Principe, obtinerent. At Ethnarchę regisque jure ac titulo Herodem sola Judęa, Samariaque potitum fuisse, non item Galilęa, certissimo argumento est, quod obsides clientelę ac fidei suę pro utraque illa ditione, Samaria scilicet ac Judęa, atque in eo solo duntaxat, conditę ab illo fuere civitates duę, Cęsarea & Sebaste: in Galilęa, & Trachonitide, ditione tanto ampliore, nulla, nisi postquam utraque ethnarchia in potestatem liberorum Herodis venit.

Deinde hęc utraque sane sola ditio, Judęam dico & Samariam, ac ne tunc integra quidem Samaria, ἔθνος τῶν Ἰουδαίων in libro I. Machab. c. XI. nuncupatur. Hęc ergo intelligi pariter debet Herodis ethnarchia: eoque sensu *rex Judææ* tantum appellatur, *Luc.* I. 5. quo & Archelaus filius, *Matth.* 2. 23. Nam & in sacris Novi Testamenti literis, librisque Machabęorum, ut nunc de ceteris sileam, tam intelligitur extra Judęam appellatur, quam est extra Normanniam Britannia minor: & Archelaum pręterea totum adiisse regnum paternum sacer scriptor indicat, cum ipsum ait *regnasse in Judæa pro Herode patre suo*: ut in libris Regum hęc forma loquendi obvia, *& regnavit filius ejus pro eo*, integram hęreditatem, quam moriens pater reliquisset, ad filium pertinuisse significat. Sriptoribus sacris, quibus in loquendo nihil esse diligentius accuratiusve potest, Plinius quoque adstipulatur. Nam is Joppen oppidum nunc Samarię adscribit, *lib.* V. *sect.* XIV. nunc Judeę, *sect.* XV. & *lib.* IX. *sect.* IV. Quid ita? quoniam utraque regio uni sive ethnarchę, sive regi, sive denique pręsidi obtemperaret: cui ditioni cum a nobiliore parte Judęę sæpissime nomen adhæresceret, sive Rex Judææ quispiam appellaretur, sive Judææ & Samariæ, nihil intererat.

Argumento postremum accedat, si ita lubet, præter nummum Herodis ethnarchæ, quem exposuimus ad annum DCCXVIII. nummus Zenodori tetrarchæ, qui Herodi æqualis fuit. Nam cur in Zenodori nummo insculpta vultus effigies est, Herodis e diverso nummus omnino nullus occurrit, cum ejusdem vultus effigie? nisi quod iste in Judæa tantum proprie dicta, hoc est in regno ac tribu Juda regnavit: ubi subditorum fere nemo, quia Judæi plerique omnes, monetam aliquo vultu impressam admitteret: ille extra hoc regnum, Galilææ præfuit vel Trachonitidi, ubi haud plures Judæi, quam Græci, forent. Quodsi angustis adeo finibus circumscriptum Herodis regnum fuit, si Judææ ille solum ac Samariæ præfuit: annon aperte cum sacris scriptoribus pugnat Josephus, sive cum Galilæam quoque, aliasque tetrarchias ei liberaliter donat, eoque nomine ex regulo facit Herodem Magnum? sive cum testamento, alteri e liberis Judæam, Galilæam alteri: illi Trachonitidem, Jamniam isti cum Azoto, dividentem inducit?

At istum quidem rerum Judaicarum scriptorem cum insigniter obcœcavit Herodiani regni amplificandi desiderium, tum parum fida, qualem plerique mendaces habent, memoria impulit, ut in illo quoque argumento secum pugnantia de more scriberet. Nam *lib.* XV. *cap.* 531. narrat Herodem, ubi primum capessivit regni administrationem, τὴν βασιλείαν παραλαβών, Idumææ & Gazæ dedisse Costobaro præfecturam: hoc est, ipsius calculo, anno V. C. DCCXIV. cum tamen idem asseveret, eodem illo *cap.* XI. *pag.* 529. Gazam Herodi ipsi traditam fuisse a Cæsare, post decennium tantum, anno DCCXXIV. exeunte.

IV. *Unde Ethnarchæ titulum Herodes acceperit.*

Anno V.C.DCXI. Simon summus Pontifex, idemque simul totius gentis Judæorum Ethnarcha factus est, ita prodente scriptore sacro, I. *Mach.* 41. & XIV. 41. 47. *Judæi & sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum & summum sacerdotam ..... Et suscepit Simon, & placuit ei, ut summo sacerdotio fungeretur, & esset dux &* Princeps gentis *Judæorum & sacerdotum, & præesset omnibus:* ΕΘΝΑΡΧΗΣ τῶν Ἰουδαίων καὶ ἱερέων, καὶ τοῦ προστατῆσαι πάντων. Anno DCXIX. factus est Johannes Simonis F. *princeps sacerdotum post patrem suum*, ac proinde cum *bella* gereret, pari jure ἐθνάρχης,

Centum omnino post annos, anno V. C. DCCXVIII. Qui Herodem ethnarcham in nummis viderit appellari, nec sit ille admodum in conjiciendo hebes, quid aliud ex eo colligat, quam toto illo tempore interjecto ethnarchas in Judæa fuisse, quorum in locum ac nomen & possessionem immissus Herodes fuerit, ethnarchiæ titulo tunc primum sejuncto ab honore summi sacerdotii, sive principis sacerdotum? Quod si verum est, ut sane videtur, an primum temere arbitrabimur huncce nummum ei latuisse, qui Judaicas Origines condidit: quippe qui Herodem ab Antonio primum tetrarcham, ab eodem postea & ab Octaviano Cæsare regem fuisse renunciatum scribat, *lib.* XIV. *cap.* XXIII. nusquam appellet ethnarcham? Archelaum contra, qui statim rex fuit *pro patre suo*, ut Matthæus admonet, ethnarcham semel atque iterum faciat, *lib.* XVII. *cap.* XIII. & XV. eoque nomine ab Augusto donatum referat: neget autem regem fuisse? Quid deinde illa fabula fiet, quæ circumfertur de Alexandro, si Strabonem audimus, *lib.* XVI, *pag.* 762. vel si Josepho potior fides, *lib.* XIII. *cap.* XIX. de Aristobulo Alexandri fratre ac decessore, qui primus pro sacerdote se regem accepto diademate fecerit: quibus demortuis disceptantes de regno fratres, Hyrcanum & Aristobulum Pompejus superveniens dejecerit?

Verum haud multo post principatus initia Herodem donatum fuisse regis titulo, testis est scriptura cum Plinio, & vetusto lapide, quem inferius describemus. Et Plinius certe jam tum fuisse regem innuit, cum Cæsaream conderet. Sed non alio jure hunc titulum sive gessit Herodes, sive in Archelaum transfugit, quam quo ipse prius Ἐθνάρχης fuit: hoc est, sub Clientelæ professione: ut Archelao absque liberis e vita demigrante, rediret ad fiscum Augusti provincia, ut dicemus, vel ad Senatum populumque Romanum. Nunc de altero significatu vocis ἐθνάρχης, 2. *Cor.* XI. 32. dicere supersedemus, ne longius digredi videamur ab instituto nostro.

Ad annum V. C. DCCXXIII.

De Zenodoro tetrarcha.

Viderunt hunc Zenodori nummum Josephus & Dio. Et ab illo quidem, *lib.* XV. *Antiq. cap.* XIII. ab isto, *lib.* LIV. *pag.* 602. dicitur Ζηνόδωρός τις, quoniam erat ex æquo utrique ignotus: id quod de Josepho profecto mirum est, ut creditur, illius tractus atque ævi scriptor. Ait uterque hujus tetrarchiam Herodi fuisse ab Augusto donatam: cum alterutri potius e liberis Herodis dici oportuerit. Et Dio quidem donatam refert anno DCCXXXIV. Quod enim illum ex nummo intelligebat hoc anno DCCXXIII. tetrarcham fuisse, in annos undecim ei imperium prorogavit. At Josephus tantum in annos novem: & tetrarchiam ei Trachonitidis attribuit, *lib.* XVI. *cap.* XIII. *pag.* 570. quanquam idem a seipso pro more diffidens, *lib.* XV. *cap.* XIII. *pag.* 541. Paneados extra Trachonitidem tetrarcham Zenodorum facit. Verum eo inclinat animus ut credam, Galilææ simul tetrarcham fuisse, ac Trachonitidis & Ituræ. Alterutrum certe ex Herodis liberis, Herodem aut Philippum, post mortem ei suffectum fuisse, ex apta nummorum serie intelligitur: vel potius utrumque. Nam Galilæam alter, alter Trachonitidem adeptus videtur alio jure ac titulo, quam Judæam pater: nempe ob aliquam cum Zenodoro affinitatem, in quam illi se callide insinuassent, tametsi ea nunc sit obscura. Vixisse autem Zenodorum tetrarcham, usque ad initia Herodis & Philippi tetrarcharum, probabili argumento est, quod non ante id tempus conditæ sunt in Trachonitide & Galilæa urbes, quæ forent sub præsidio Romanorum, velut pignora fidei Principis, ejusdemque clientelæ. Primum a Philippo Herodis F. Cæsarea Paneados in Trachonitidis confinio absoluta est anno DCCLIV. Serius ab Herode tetrarcha Tiberias, perfecta demum anno Tiberii quarto currente. Ab Zenodoro, cujus ætate Asia ab Octaviano Cæsare est recepta, quoniam avito suo regno potiretur, ac se sponte clientelæ Cæsaris submisisset, & careret prole mascula, nihil causæ fuit, quamobrem ita caveretur. Itaque tunc demum vivere desiisse satis quidem probabiliter creditur, cum ea pignora a tetrarchis Herode ac Philippo Cæsar exegit, cujus præter spem ac voluntatem affinitatem illi cum Zenodoro contraxissent. Nam ex ea conjunctione hereditatem, in quam ipse Cæsar se involuturum Zenodoro mortuo spe præcepisset, avertebant a Cæsare, atque in se derivabant.

Annus interim in nummo Zenodori notatus, L. ΒΠΣ. est *annus* Græcorum CCLXXXII. sic enim longe accuratius locutus est sacer scriptor, quam vulgo soleant eruditi, qui Seleucidarum annos appellant, ut alias dicemus. Eandem æram Græcorum his ipsis temporibus exhi-

hibet nummus Tyriorum, ante annos tres, quam iste Zenodori, percussus, e gaza Medicea, & e Cimelio D. DRON. ΘΟΣ, id est, annus CCLXXIX. TYP. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Quem Norisius *pag.* 333. ex epoca commentitia refert ad annum V. C. DCCCCVI. æræ Christianæ CLIII. quæ sunt Antonini Pii tempora: cum ipse character literæ Σ monere debuerit, nummi fabricam multo esse vetustiorem. Ducentis itaque fere annis, non in isto tantum, sed & in aliis quatuor similibus nummis aberrat. Erroris autem causa Norisio duplex fuit: altera quod Tyrum metropolim factam fuisse Hadriani principatu Suidæ falso testi credidit: altera, quod Tyriorum epocham in Chronico vetere allatam, esse genuinam, nobis ipsis, nam est fatendum ingenue, præeuntibus, existimavit. At nullam Tyriorum æram fuisse, nisi quæ Græcorum fuit, usque ad Asiam receptam ab Octaviano Cæsare, ex quo accepere Augustanam, in Chronologia Augusti docebimus.

Ad annum V. C. DCCXXXIII.

De quibusdam nummis Cæsareæ Palæstinæ.

QUI vel ævo isto metropolim fuisse Cæsaream Palæstinæ inficiantur, vel æram computasse ab his fere temporibus, hoc est, sive ab Asia recepta, ut Tyrus fecit, aliæque Syriæ civitates: sive a suis ipsius encæniis, quod forte verius aliquibus videri possit: (alterutro certe ex capite ducat æra ista initium, Augustana non immerito nuncupatur) ii vel Patinum falsi convincant, penes quem scilicet horum nummorum fidem esse volumus: vel ad Cæsaream Palæstinæ probent illum in primis minime pertinere, in quo palma insculpta cum ancora est: vel denique Mazacam Cappadociæ jam ab anno isto Cæsaream dictam fuisse, quam alii veterum sub Claudio, alii sub Tiberio nomine isto donatam perhibent, recte an secus, nihil ad nos in præsenti.

Ad annum V. C. DCCXXXIV.

De Templo novo, quod Hierosolymis, ut creditur, Herodes exstruxit.

HErodem jussisse templum novum exstrui, vetere a fundamentis diruto, regni sui anno XVIII. auctor est Josephus, *lib.* XV. *Antiq. cap.* XIV. At *lib.* I. de bello, *cap.* XVI. anno XV. πεντεκαιδεκάτῳ dixit, tum memoriæ lapsu, tum oblivione veteris parœmiæ, *Mendaces esse memores oportere*. Est enim fictarum rerum memoria haud paulo difficilior quam verarum: atque hoc certissime indicio deprehenduntur mendaciorum architecti, cum obliti priorum quæ dixerint, posterius diversa scribunt, ac secum ipsi fœde pugnant. De Templo Herodis marmoreo Talmudistæ loquuntur *Ord.* 2. Moed, *cod.* 9. Succa, *cap.* 5. Hachalil. Quo tempore autem hanc illi fabulam concinnarint, alias Deo dante aperiemus. Fictam certe ac refertam fabulis esse Josephi narrationem, de renovatione ædis ab Herode, & pugnare omnino cum sacris paginis illam a fundamentis ædificationem, jamdudum *Salianus* noster edocuit, ad annum mundi 4035. Nec fortassis temere aliquis affirmarit, nihilo magis Herodem Hierosolymitano templo operam impendisse, quam Capitolino: confictamque illam esse publicæ magnificentię prędicationem in exstructione sacrarum etiam ædium, ne non omni ex parte Herodis Magni titulum implesse videretur.

Ad annum V. C. DCCXLIV.

De anno natali & situ Cæsareæ Palæstinæ, ex Josepho.

CÆsaream Palestinæ ab Herode exædificatam fuisse *anno decimo*, narrat Josephus, *lib.* XVI. *cap.* IX. *duodecimo* dixerat, *lib.* XV. *cap.* XIII.) Olympiade CXCII. cujus hic annus quartus est, ex vulgari falsoque calculo: ex Pliniano & vero, annus secundus Olympiadis CXCV. Sic idem *lib.* XIV. *Antiq. cap.* XXVI. scribit Herodem accepisse regnum a Senatu, Olympiade CLXXXIV. Cajo (pro Cnejo) Domitio Calvino II. & C. Asinio Pollione Coss. qui fuit annus Urbis DCCXIV. At a recepto & vulgari Olympiadum calculo dissidet: ex quo horum Consulatus incidit in annum secundum Olympiadis CLXXXV. A Pliniano autem veroque calculo annis duodecim discrepat. Nam fuit annus ille quartus Olympiadis CLXXXVII. Similis alibi error non unus. Qui porro homini Judæo venit in mentem Olympiadas computare, aut has omnino commemorare, in rebus Palæstinæ ac Judææ describendis? Id enim perinde esse videtur, ac si quis natalem urbis alicujus, in Gallia Hispaniave hoc ævo conditæ, annis Hegiræ definiat.

Quis autem hunc miretur in adsignando Cæsareæ Palæstinæ anno natali incertum fluctuasse, qui situm urbis penitus igno-

ignorarit? Nam ille Palæstinæ, ut creditur, incola, unus omnium Cæsaream Palæstinæ, egregius finium regundorum magister, e Palæstina transmigrare jubet in Phœnicen, *lib.* XV. *Antiq. cap.* XIII. *Sita est*, inquit, *hæc urbs in Phœnice, qua in Ægyptum præternavigatur, Dora inter & Joppen, litorales urbeculas*. Geographicum ille nimirum Plinii opus tunc habuit ante oculos, in quo hæc illius oræ maritimæ oppida isto ordine recensentur, lib. V. sect. XIV. *Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt.... Inde Apollonia, Stratonis turris, eadem Cæsarea ab Herode rege condita.... Finis Palæstinæ, deinde Phœnice*. Et sect. XVIII. *Hinc redeundum est ad oram, atque Phœnicen. Fuit oppidum Crocodilon.... Doron, Sycaminon*. Ex hoc loco objectus error est homini imperito: qui cum Cæsaream cerneret appellari inter Joppen Phœnicum, & Dora Phœnices, pariter Phœniciæ adscribendam esse censuit Cæsaream, quippe mediam inter utrumque oppidum. Nec vidit homo acutus, Joppen Phœnicum a Plinio dici, non quod urbs ea Phœnices esset, sed quod a Phœnicibus condita, sicut Massilia Græcorum Phocæensium, Istropolis Milesiorum, aliæque multæ apud Plinium. An justa deinde vel hoc uno argumento suspicio est, Palæstinam huic homini, nisi in Pliniano opere, non esse conspectam? nec fidem usquam mereri, qui visam a se nihilominus contestetur?

Ad annum I. æræ Christianæ.

I. *De anno natali Christi Domini.*

QUibus inducti argumentis mutemus sententiam de anno Christi natali, æramque nunc arbitremur illam, quæ vulgo recepta est, unam esse verissimam, suo tempore, si Christus faverit, ostendemus. Quamquam statim poterit magna ex parte decisa videri ea controversia. Nam de anno obitus Herodis, qui cardo hujus æræ videtur esse, quis auctori Antiquitatum Judaicarum abrogari fidem miretur, qui præter alios errores eundem in descriptione Herodiani generis, quod erit mox forte perspicuum, hallucinatum esse fateatur?

II. *De Cæsarea Paneade*.

Nummi Cæsareæ Paneados nulli occurrunt ante annum Christi CLXXII. Nemo enim peritus, opinor, alteram censeat designari Cæsaream in nummis ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ, alteram in nummis ΚΑΙΣΑΡΙΑ inscriptis, ut quidam nuper somniavit: illam ajens esse Cæsaream Paneados, istam Palæstinæ. Hoc enim perinde est, ac si quis geminam fingat Ephesum, eo quod alii nummi ΕΦΕΣΟΣ, alii ΕΦΕΣΙΩΝ exhibeant. Longe cautior Norisius fuit, qui nullum Cæsareæ Philippi nummum certo adseruit, nisi in quo vel Πανιάδος regionis, vel Πανέας mentio fit. Quod quidem Πάνειον, non montis nomen, ut eidem Norisio visum est, sed fani fuit. Πάνειον enim, ut Σαράπειον, templum sonat: non Cæsari, ut vult Josephus, *lib.* XV. *cap.* XIII. sed Pani dicatum. Unde ΚΑΙΣΑΡΙΑ ΥΠ. ΠΑΝΕΙΩ cum dicitur, *Cæsarea sub Panium*, vel *prope Panium*, ut ὑπὸ Τροίῃ apud Homerum, sum Trojam, vel ad Trojam est. Neque ullus profecto nummus Cæsareæ Paneados montis effigiem habet, sed vel Pana tantum, vel Panos fistulam. Plinio certe fontis nomen est, lib. V. sect. XV. *Fons Paneas, qui cognomen dedit Cæsareæ*. Et sect. XVI. *Paneas regio, in qua Cæsarea cum supra dicto fonte*. Montem vero pro fonte qui scriptores obtrudunt, cur omnes præ uno Plinio posthabendi sint, alias planum fiet.

Jam qui duo nummi præsertim Deam exhibent monti seu rupi insidentem, quorum alter inscriptus ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΕΤΟΥΣ Ε, anno sexto Claudii: sub Commodo alter, ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ: ad unam eamdem Cæsaream pertinent. Neuter igitur ad Paneadem: sed uterque ad Cæsaream Palæstinæ: nisi forte quis Cæsareæ Paneados cognomen Germanicæ solo arbitratu ac sine teste vindicet. Cur autem Cæsariensium annus in priore quintus notatur, si nulla Cæsariensium æra fuit, ut præter Norisium, qui in Epochis Syriæ ac Palæstinæ Cæsaream prætermisit, quidam nuper dixere Antiquariorum antesignani? Neque enim Claudii principis, sed Cæsariensium annus iste dicitur, ut liquidius altero patet in nummo anni LIV. Cæsareæ autem Paneados annus esse non potest: quod, ut cetera sileam argumenta, ceteri omnes ejusdem civitatis nummi sub Marco & Commodo, æræ caput repetunt ab anno Christi primo. Est igitur iste nummus Cæsareæ Palæstinæ, non Paneadi, adscribendus: & est aliqua Cæsareæ Palæstinæ æra primum a nobis deprehensa.

De situ Cæsareæ Paneados dicere haud satis fortasse tutum est. Nam Plinius quidem, unus omnium certissimus auctor, aperte extra Phœnicen collocat, in Deca-

capolitana regione, libro v. sect. XIII. XVI. & XVII. Et est profecto Phœnice ora Syriæ maritima, quæ Syria circumfunditur, in primisque Decapolitana regione, in qua Damascus est, cum Paneade Cęsarea ad fontem cognominem sita, e quo Jordanis amnis oritur. Decapolitanam autem regionem, & superpositam Syriam Cœlen a Phœnice, ut ab Hispania Galliam, disterminant vallantque perpetua montium juga. At Phœniciæ nihilominus Cæsaream Paneadem quot monumenta tribuunt? Et quod permirum est, Damascum quoque ex Decapolitana, ex Syria Cœle Hemesam & Laodiceam Libano appositam, & quę multo magis in Orientem recedit Palmyram Phœnicię, adscribunt secundę. Atqui si quis cum Norisio credat ab Hadriano Imp. factam fuisse divisionem imperii, in qua Decapolitana regio cum suis tetrarchiis, & Syria Cœle, & Palmyrena ditio Phœnicia altera appellata sit, quod nemo de Hadriano etiam fictus testis prodidit: credet is quoque, opinor sub aliquo e Francorum regibus divisionem imperii ita fuisse institutam, ut Britannia minor mutato nomine diceretur Normannia secunda, aut versa vice. Si quis tamen hoc uno argumento atque indicio tot monumentis fidem detrahat vetustatis, quot sunt quę Phonicię Cęsaream istam, & partem Syrię Cœles, & Palmyram adjudicant, videbitur ille fortassis iniquum postulare.

Ad annum Christi II.

De cæde infantium a Josepho prætermissa.

CÆDEM infantium ab Herode factam consulto auctor Judaicarum Antiquitatum silentio pręterivit, tum ne legisse sacras Novi Testamenti literas videretur: tum vero ne tam immani scelere adversus insontes, & ab omni suspicione criminis alienos, principatum commaculasse crederetur is, cujus historiam ad effigiem Magni Principis foris admirandi, domi tantum calamitosi, confingebat. Cogeretur enim causam tantę stragis, tantique in Herode pavoris ac furoris, aut veram prodere, aut falsam comminisci: quorum alterum ab ea persona quam sustinebat Judęi scriptoris alienum erat: alterum obnoxiam reprehensioni.

Ad annum Christi III.

De testamento & successore Herodis.

CUM ab Herode in testamento suo legatum quiddam fuisse Julię Augusti conjugi, narrat Josephus libro XVII. cap. 10. annon ille se prodit recentioris ęvi scriptorem? Julię enim numquam ei nomen fuit, sed Liviæ tantum, ut nummi docent, de quibus erit in Chronologia Augusti disserendi locus. A ceteris certe sodalibus suis discrepat, qui ante Augustiobitum negant Julię nomen ei fuisse.

Seder Holam Zuta, pag. 60. Post mortem Herodis Magni, ut vocant, *regnavit deinde Agrippa Herodis filius, cui successit Munabaz filius ejus*. Has nugas aniles otiose conscripsisse de industria aliquis videri potest, ut iisdem posteri offensi fidem huic opellę statim denegarent, omnemque transferrent potius in Josephum. Nam is libro XX. cap. 2. Munabazum facit Adiabenorum regem, lepidamque de eo narrat fabellam.

Archelaum autem Herodis F. ac successorem, in nummo adulterino quis ferat cum capite diademato ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΘΝΑΡΧΟΥ inscribi: cum nec vultum insculpi in nummis Judęa ferret: & tam sit inconcinna duarum istarum vocum junctura βασιλεὺς ἐθνάρχης, quam est istarum, βασιλεὺς τετράρχης?

Ad annum Christi VIII.

I. *De anno obitus Archelai.*

HUNC porro brevis ævi sive imperii fuisse colligimus, ex eo primum, quod Christus Dominus dicitur ante annum ætatis duodecim, singulis annis templum frequentasse: id quod post annum ætatis fere octavum intelligendum videtur: ut saltem per annos quatuor ante id tempus in templum se contulisse credatur, quo adire, Archelao vivo, quem fugerat, noluisset. Deinde nummus admonet, e Cimelio D. DRON, Museoque nostro, æris minimi: Qui in Judæa hoc anno sub autumnum, vel anni sequentis initio cusus, non Archelai nomen, sed Cæsaris tantum præfert: ΚΑΙϹΑΡΟϹ, cum spica, quod fertilitatis agri Judaici symbolum est: in altera parte, Palma, cum litteris ΛΘ, hoc est, anno XXXIX. Asiæ receptæ & imperii Augusti, qui annus autumno hujus anni octavi incipit. Hic nummus, inquam, Archelaum regem e vi-

vivis excessisse hoc anno, ni fallimur: docet: cum moneta Græca usu recepta hoc anno in Judęa non Archelai nomen referat, sed Cæsaris tantum, hoc est, Augusti: Judæa enim semper Cæsarem dixit pro Augusto. Unde illa sunt in sacris literis: *Dicunt ei, Cæsaris*. Et, *Non habemus regem, nisi Cæsarem*. Et, *Cæsarem appello*. Est igitur hic regni Archelai annus postremus: idemque sextus, non decimus, ut Josepho placuit, inchoatus.

II. *De vaticinio Jacob.*

Post Archelai obitum ablatum est sceptrum de Juda: deinceps præsides habuit ea provincia, seu magistratus inferiores Cæsari subjectos: regem non habuit nisi Cæsarem. Quod non est ita accipiendum, quasi rex Judææ Cæsar esset, tametsi vetaret alium dici Judææ regem, præter se: eo quod omnem in Judæa potestatem regiam in se vellet credi derivatam. Sicuti neque se Britannię minoris Ducem, aut Lantgravium Alsatię in titulis Rex Francorum inscribit: tametsi crimen majestatis sit, si quis alius hęc sibi nomina arroget, quoniam utraque illa potestas in regia continetur. Suam enimvero imperitiam veteres quidam scriptores, & forte νοθέων, eo indicio produnt, quod Imperatores Romanos βασιλεῖς, atque eorum potestatem βασιλείαν vocant: neque quisquam dubitavit prudens ęstimator, quin sit adulterinus Antonini, ut vocant, Caracallę nummus, qui BA. habet, ut quidem ad nos relatum est, hoc est, βασιλεύς, pro ΑΥΤΟΚΡΑΤ. tametsi isto βασιλέως nomine donat eumdem Augustum nonnemo ex illis scriptoribus, qui antiqui putantur, aliosque alii, quos apud Spanhemium videre est. Antoninum dici βασιλέα non magis profecto tulisset illo ęvo Senatus P. Q. R. quam hodie sineret aut Venetia aut Genua ducem suum regium nomen sibi sumere: nec si hunc titulum vel affectasset, vel sibi tribui passus esset, Antonini magni appellationem post obitum, quod tempus est minime suspectę laudis, ex Senatus consulto adeptus foret. Nisi forte importuna adulatio unius alicujus privati illud invexit: qui in Oriente, longeque ab oculis Senatus P. Q. R. semotus, pari audacia, atque olim, ut Tullius ait, *Antonius collegæ* Cęsari Dictatori *diadema imposuit*, parique successu, id semel impune, si verum est, admittere posse putarit, vel invidię Magno Principi conflandę causa malitiose confinxerit, quod nemo ante ipsum, nemo postea non reformidarit.

In recentioribus autem aberrat a vero Grotius, qui hęc verba Apostoli Petri, in epistola 1. cap. 2. v. 14. *sive regi, quasi præcellenti*: & v. 17. *Regem honorificate*, de Romano Imperatore accipit: cum scribat Apostolus ad *advenas dispersionis Ponti Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*, quo in tractu fuit illo ęvo rex Polemon, amicus & socius Populi Romani, ut dicemus in Chronologia Claudii & Neronis.

Sed ut ad propositum revertamur, unde digredi nos cogit interdum amplitudo materię, nulla veluti caduca provincia, cujusmodi Judęa hoc anno fuit, in jus Augusti semel devoluta, ad regiam postea rediit potestatem. Sic ea quę dicitur in nummo Trajani DACIA AUGUSTI PROVINCIA, nullos deinceps reges vidit, dum stetit imperium Romanum. Ita nec ulli posthac proprio regi, vel duci, aut judici, ut prius, Juda & Jerusalem paruit: hoc est, dilecta illa prę ceteris *una tribus & Jerusalem*, ut dicitur III. Reg. XI. 32. Ubi δύο σκῆπτρα quibus auctoribus Gręce legatur, invito textu Hebręo & vulgata, alias dicemus Deo juvante.

Ablatum est tunc igitur, iterum repeto, *sceptrum de Juda & de femore ejus*: hoc est; in ea tribu rex esse desiit, quę *ex Juda* prodiit & *femore ejus*: sicuti in Britannia minore desiisse sceptrum dici potest, quando facta est provincia imperii Gallici. Sceptum de Juda, inquam, non de Israele proprie ac speciatim dicto. Nam & gemina ea ditio fuit ac discreta: & cum sciscitarentur Magi, *ubi est, qui natus est rex Judæorum*, de solo Judæ regno intellexere, non simul de Israelitico. Quare post Herodis obitum in terra Juda, timuit Joseph cum puero *illo ire*: quoniam perinde Archelaus, ac pater ipsius Herodes, ex oraculo intelligeret sibi esse de adventu Messię metuendum: quod oraculum de rege Judęorum & regno seu tribu Juda loqueretur: regem tollendum esse, nec fore diu in ea tribu regem, cum Messias advenisset. Secessit igitur Joseph in Galilęam, sive in regnum Israelis: de quo sibi auferendo Herodes tetrarcha ex fama publica noverat ab oraculo sacro nihil portendi.

Quodsi cui autem duriuscule interpretata vox ea videtur, *de femore*, pro eo quod est de tribu, quę prognata ex femore sit, meminerit is in vaticinio parem verborum perspicuitatem, atque in historica narratione immerito desiderari: & ta-

& tamen, quod eſt ei locutioni affine, apud Tobiam, VII. 3. legi *Ex tribu Nephtali ſumus, de captivitate Ninive*, pro eo, quod dicitur Dan. V. 13. de filiis captivitatis Judę: & Iſrael paſſim, ut ait vetus auctor in Iſaiam, pag. 376. pro his qui orti ſunt ex ſanguine Iſrael & Juda denique in hoc ipſo oraculo, pro his qui orti ſunt ex Juda. Quid ergo mirum, ſi dicatur & *de femore Juda*, pro eo quod eſt de iis, qui ſunt ex femore ejus? itaque *de Juda & de femore ejus*, eſt ἓν διὰ δυοῖν, eodem uno ſignificatu gemina vox poſita: hoc eſt, de tribu, quę ex femore Juda prodiit.

Prerogativa porro tribus Judę prę reliquis in eo fuit ſingularis, quod habuit ſemper reges, vel judices, ac duces, *ſicut habebant omnes per circuitum nationes*: & quidem, uſque ad Herodis tempora, *non alterius gentis hominem, qui non eſſet frater ſuus*, hoc eſt, ex genere Iſrael, ut eſt in lege ſcriptum, Deut. XVII. 14. 15. Reliquę autem tribus aut nullos, aut inferiores tantum magiſtratus plurimis omnino ſeculis habuere, a quibus provocatio eſſet ad ſuperiorem, eumque ſive Judeę, ſive alterius gentis principem. Quare & vaticinii tempus adeſſe in foribus Judęi ſuſpicabantur, cum Herodes in regnum irrepſit, quem non ipſi *elegiſſent de numero fratrum ſuorum*. Sed regem pręciſe, atque adeo etiam inſititium, quamque is ex gente foret, vaticinium dixerat, quod iſti minime advertebant.

III. *De Fiſco Judaico.*

Facta eodem anno deſcriptio Judęorum altera eſt per capita tributi imperandi cauſa: cujus quidem tributi meminere ſacri ſcriptores: Matth. XXII. *Licet cenſum dare Cæſari, annon?* ubi cenſus tributum eſt, Luca exponente, cap. XX. *Licet nobis tributum dare Cæſari, annon?* Item Act. V. 37. *Judas Galilæus in diebus profeſſionis*, id eſt, cenſus hoc anno in Judęa acti, *avertit populum poſt ſe & ipſe periit* &c. Id vero factum fuiſſe oportet, cum Judęa in provinciam Auguſti redacta eſt, & per magiſtratus Romanos, Præſides enim ſæpius appellantur in ſacris paginis: nec ſatis cauſæ, ut Procuratores appellentur, in his Lucæ verbis eſſe videtur, *procurante Pontio Pilato Judæam*. Hic fiſcus ille Judaicus eſt, cujus calumniam a Nerva ſublatam fuiſſe nummi teſtantur. Nam Judæi viritim *numiſma cenſus* cum *imagine & inſcriptione Cæſaris*, Cæſari penſitabant: quod Senatus Cæſari potius ſolvi, quam ærario publico, ægre ferebat.

Anno ſuperiore ante autumnum, ſive XXXVII. poſt Actiacam victoriam, cenſum hunc peractum fuiſſe a Quirinio ait Joſephus, libro XVIII. Antiqu. c. III. Nam quo Jure, quoque conſilio nomen Herodis alterius in Agrippam convertit, ut poſtea videbimus, eodem jure atque conſilio Quirinii Magiſtratus annum mutavit: quem Syriæ Præſidem fuiſſe anno Chriſti Domini natali Lucas admonuit. Nempe ut ſacer ſcriptor non tam rerum geſtarum hiſtoricam veritatem, quam allegoriam, in propriis etiam nominibus ſecutus eſſe exiſtimetur, excogitata hæc ab iſto diſcrepantia eſt. Nam ita credi, nempe dictum fuiſſe a ſacris ſcriptoribus Quirinium pro Saturnino, & alibi Nabuchodonoſorem pro Cambyſe, & pro Agrippa Herodem, myſtico intellectu, ob ſimilitudinem morum, aliamve cauſam affinem, ut quidem mihi non nemo nuper ajebat, eorum intererat, qui veteres pleraſque hiſtorias concinnarunt. Itaque ſedulo ii operam dedere, ut numquam cum ſacro Scriptore congruerent tempora & narrationes Joſephi annalium: id quod nonnullis eorum minus ſagacibus ac minus cautis fraudi fuit: qui apud Joſephum deinde, multo poſt Herodis prioris obitum, Quirinium nacti cenſus Judaici curatorem: ſub uno eodemque Herode, poſteriore nimirum, Chriſti Servatoris ortum obitumque collocandum eſſe cenſuerunt. Has iſtorum artes atque hæc conſilia eruditi viri minime ſubodorati multo labore atque inani diutiſſime deſudarunt, atque etiamnum deſudant, ut æram Chriſtianam, quæ a ſacris ſcriptoribus duxit ortum, & cum iis mirifice conſentit, ad Joſephi potius & aſſectatorum fidem emendent.

Ad annum Chriſti XVIII.

Quam ob cauſam Tiberias condita ab Herode tetrarcha fuerit.

INfelix Caii Cæſaris Auguſti F. in Oriente, mox & Germanici in Syria exitus, vicina quoque Galilææ & Trachonitidis cum hoſtibus populi Romani, Parthis atque Arabibus, perpulere Senatum P. Q. R. ut perquam moderate & clementer ageret cum tetrarchis Herode & Philippo, in limite imperii poſitis, ſupremis Auguſti annis. Et ille nihilominus ægre ferebat, non adjectam fuiſſe imperio Galilæam cum Trachonitide, poſt exceſſum Zenodori: quod & tota Aſia, hoc eſt, Syria præſertim per Augu-

gustum recepta, juris esse Romani videbatur: & pars Judææ præterea olim Galilæa fuerat, ipso teste Plinio: & pactæ cum Zenodoro conditiones ita poscere videbantur, si quid ei humanitus accidisset. Quamborem Augusti Cæsaris demerendi causa, Philippus quidem statim illius se clientem professus est, data ultro utbe Cæsarea Paneade in suæ fidei oppignerationem. At Herodes Galilææ tetrarcha nullam Augusto dedit: quod se, opinor, nollet esse deteriori jure quam Zenodorum decessorem: quem Cæsaris & Imperii socium ac fœderatum fuisse, non clientem vel subditum, admonet æra Græcorum in nummo ipsius expressa, non Augustana. Nam ea causa & Damasceni, Romanorum quidem socii ac fœderati, non subdicti aut vectigales, sed Aretæ regi obnoxii, ut Paulus admonet, 2. Cor. XI. 32. sub Augusto & Tiberio æram Græcorum servavere: quod de Hemesa quoque & Tripoli statuendum, ut alias dicturi sumus. At quæ civitatis jugum Romanum subiere, Antiochia, Tyrus, aliæque plurimę, ęram signavere Romanam. Sic Herodes ipse tetrarcha annum Caii Cæsaris primum, tertiumque Claudii rexidem signavit, æra Græcorum derelicta, postquam se clientem Cæsarum professus est: sed non ante Tiberii principatum, cui Tiberiadem demum, ut diximus, seu sponte, seu metu condidit, dediditque. Quare φιλοκλαύδιος seu φιλοτιβέριος dici iste maluit, quam φιλοϊούλιος. Sic Judææ ac Samariæ veluti claustra duo, fidei suæ pignora, Cæsaream Palæstinæ & Sebasten, Herodes pater Augusto Cæsari dederat, a quo præsidiariæ cohortes ibi sunt collocatę: nam Cornelius Centurio de Cęsarea testis est in Actis. De Sebaste dicemus inferius. Nisi quis forte adeo principum ingenia & mores ignorat, ut eorum quemquam arbitretur posse in animum inducere, vicini principis honori ac nomini in suo solo oppidum ędificare, nisi qua vel clientelę vel fidei ratio cogat. Quodsi id honori tantum Augusti ac Tiberii datum est, cur Occidente toto, ubi major esse provinciarum erga Prncipem adulatio debuit, Tiberias nulla prorsus fuit, Cęsaręa Augusta nulla, pręter coloniam unam Cęsaraugustam, quam in devictam a se Hispaniam deduxit Augustus, *ubi* Oppidum *antea vocabatur Salduba*, teste Plinio lib. III. sect. IV. nulla denique civitas Augusta, pręter colonias quasdam in oppida dudum antea condita deductas.

Ad Annum Christi XXIX.

De annis imperii Tiberii Cæsaris.

VEtat ratio credi annos imperii Tiberii Cęsaris sancto Luca aliter computatos fuisse, quam consuetudo ferret toto orbe Romano recepta: sed & nummi vetant: tum ille nimirum, quem in Galilęa conflatum attulimus anno XVIII. tum vero in primis, & illi qui primum Tiberii consignant annum, ut diximus, Antiochię conflati: & iste Seleucię, qui tertium, e Cimelio Illustriss. Præsidis BIGNONII: Γ. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. hoc est, *sub Silano* Syrię Pręside, *tertius* Tiberii annus incurrens in annum *Seleucensium* XLVII. Ergo cum tota Syria annos imperii Tiberii ab excessu Augusti numerari mos fuerit: quis sanctum Lucam existimet alium in Tiberii annis tenuisse calculum, si pręsertim, ut dicitur in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, cap. VII. Antiochenus fuit? Et vero orbi Romano Græcoque potissimum Lucas indicabat Romani Principis annum, in quem initium incideret Baptistæ prædicationis. Vel Romano igitur, vel Græco more loqui eum oportuit, non alio quodam insolito, quem nostra ætate excogitarunt viri ingeniosi: quem & nos olim secuti sumus, fraudem in antiquitatibus Judaicis nullam suspicati, nummisque veteribus haud adhuc satis diligenter exploratis. Mos autem Romæ fuit in Principibus annos numerare Tribuniciæ Potestatis: in Oriente semper fere annos Principatus: Tribuniciæ autem potestatis annos, perraro. Hinc apud Josephum, libro 2. de bello, cap. VIII. ubi Augustum ait rebus præfuisse, *ἀφηγησάμενον τῶν πραγμάτων*, (quod e Gallico redditum potius existimes, *conduire les affaires*, quam ab homine Græco profectum) annis septem, & quinquaginta, mensibus sex, diebus duobus: ibi, inquam, non illa modo affectata diligentia in mense ac die notando, quæ haud levem habet adjunctam suspicionem falsi: verum etiam ille modus numerandi annos Augusti, fidem auctori detrahit, & *νοθείας* suspicionem injicit. Geminus enim fuit modus omnino annos Augusti Cæsaris computandi: alter in Oriente, in Occidente alter usurpari solitus, ut nummi aperte docent: illic ab Asia recepta, sive, ut vulgo loquuntur, a victoria Actiaca: istic per annos Tribuniciæ Potestatis. Hanc autem Potestatem ille gessit annis tantummodo sex & triginta: obiit ante annum post Asiam receptam quadragesimum inchoatum:

tum: nec ulla regio annos Octaviani Cæsaris computavit a Triumviratu: a quo etiamsi initium Octaviani duxerit, tamen aberrat a vero Josephus annis duobus, ac tribus fere mensibus, ut Salianus admonuit.

Ad annum Christi XXXVII.

I. *De Herode tetrarcha.*

HErodis tetrarchæ honori posita inscriptio hæc fuit olim, quam in insula Co repertam descripsit Sponius in Miscellaneis *pag.* 338.

ΗΡΩΔΗΝ ΗΡΩΔΟΥ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΟΝ ΤΕΤΡΑΡΧΗΝ ΦΙΛΩΝ ΑΓΛΑΟΥ ΦΥΣΕΙ ΔΕ ΝΙΚΩΝΟΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΥ ΞΕΝΟΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΝ.

Herodem Herodis Regis Filium Tetrarcham, *Philon Aglai* adoptione filius, *natura vero Niconis*, *hospitem suum & amicum* colit. Duo in primis hic lapis docet, observatu digna. Alterum est, nusquam in nummis lapidibusve Antipæ cognomen occurrere, quod Herodi sequenti Josephus affinxit. Alterum, nec Magnum Regem appellari priorem Herodem: qua de re rursum inferius.

II. *Quo primum anno tetrarchiam obtinuerit.*

Porro nummum Herodis tetrarchæ huic anno necesse est adscribi: quod in more positum fuit, ut diximus, regibus ac tetrarchis Syriæ annum suæ potestatis in suo nummo signare, in quem Cæsarum primordia incurrerent. Sic Zenodorum tetrarcham, quo anno Græcorum Asia recepta ab Octaviano fuerit, & ipse cum eo fidem fœdere devinxerit, in suo nummo expressisse vidimus. Hanc enim nimirum ab illis veluti suæ fidei tesseram dari Cæsaribus oportuit in auspiciis imperii sive principatus, suamque vel sic probari clientelam, aut conjunctionem. Primum igitur Caii Cæsaris annum non possumus hoc loco non interpretari, ubi nullus est expresse signatus: præsertim cum si annus alter, tertiusve aut quartus foret, perinde notaretur in nummo, atque annus tetrarchæ quadragesimus tertius. Sic enim idem Herodes vice versa in nummo anni æræ Christianæ 42. qui Claudii Imp. honori dicatus est, sub eadem plane formula, annum Claudii tertium adnotavit: quotus autem regni sui esset, non expressit: quod vellet intelligi, & in isto suum esse illum regni, βασιλέως, primum, nondum expletum, in quem Claudii tertius incurreret: & in nummo priore si alium a primo Caii annum vellet accipi, æque se expressurum in Caio fuisse, atque in Claudio. Juvat in conspectu legentium repræsentare hoc loco rursum utriusque nummi epigraphen:

1. ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. L. ΜΓ. ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ.
2. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Γ.

Hic, opinor, videre est, quod diximus, illud Herodem in utroque nummo ex æquo servasse, ut ubi annum non adjecit, ibi sive Caii in principatu, sive suum post regii tituli adoptionem, vellet annum primum intelligi. Hæc autem in nummis istis observatio ut debet apud harum rerum peritos in confesso esse, & pro certa atque indubitata haberi: ita primum Herodis tetrarchæ annum fuisse necesse est eum, quem adsignavimus, Urbis conditæ CCXLVIII. ante biennium quam possit obitus Herodis prioris ex Josepho colligi: re autem ipsa ante annos octo quam iste e vita decesserit. In priore porro numismate a Cajo receptum Herodem fuisse in amicitiam & clientelam apparet: in altero, regis titulum a Claudio impetratum: quem, ut Herodes pater diu postquam Ethnarcha tantum fuisset, sic Herodes tetrarcha sub autumnum duntaxat anni XLII. æræ Christianæ adeptus est: cum & Cæsaream jussit Claudiam appellari, ut nummus ille docet suo loco descriptus a nobis: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ. ϽϹ ΚΛΑΥΔΙΑ ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Nec vero ante annum XLIII. æræ Christianæ a S. Luca Herodes rex appellatur. Itaque non anno amplius uno potitus eo insigni est.

Ad annum Christi XL.

Quæ hoc anno Josephus de Herode & Agrippa prodidit.

HErodem Antipam ablegatum in exsilium fuisse, sive Lugdunum in Gallias, sive in Hispaniam, (nam utrumque hoc anno Josephus parum memor diversis locis prodidit) concessamque ejusdem tetrarchiam fuisse Herodi Agrippæ regi, nemo credet, cui persuasum erit, uti mox fore speramus, eumdem esse Herodem, qui Antipas cognominatus est

est a Josepho, & eum qui major Agrippa. Caii Cęsaris similiter expeditionem in Gallias, Agrippa comite, quis credat: cum titulum IMP. ne Cajus ipse quidem in sua pecunia aurea atque argentea usurparit, nec Senatus in ęrea ei detulerit, nec Gręci in Oriente, nec Herodes ipse tetrarcha, ut dicemus uberius in Caii & Claudii Chronologia? Denique legatio ad Cajum principem pro Judęis, & Agrippę apud eumdem oratio de eodem argumento, quam fidem meretur, cum hujus tragœdię scriptores non magis cum veritate quam secum ipsi pugnent? Nam, ut omittam cetera, qui verisimile sit eum se pro Deo ac Jove haberi voluisse, qui ne Imperator quidem ex SC. esse potuerit? Ac Josephus quidem, *lib.* XVIII. *cap.* XI. & Philo in libro de legatione, scripsisse referunt de ea re Petronium Syrię Pręsidem ad Cajum, ut ajunt, Imperatorem: cum nec αὐτοκράτωρ Cajus fuerit, sed Cęsar & Princeps tantum: nec Petronius ante primum Claudii annum gesserit Syrię Pręsidatum, si mutati sunt magistratus post mortem Caii, ut simile veri videtur. At Josephus autumno scriptas esse literas perhibet, cum essent agri serendi: Philo, cum essent maturę segetes: quodsi nescivit in Judęa sub Pascha accidere, non ut in Gallia, sub autumnum: quo is loco pariter ac pretio habendus est? Aut si revera sub Pascha intellexit, duplici capite dissidet a Josepho: qui & autumnum adsignat, ut necesse est, ne tota narratio non sibi constet: & satos anno isto agros fuisse, oportet ut neget: quoniam, ut ipse *lib.* XV. *cap.* I. prodidit, annus Urbis Romę DCCXCII. quo capta fuisse existimat Hierosolyma a Sosio & Herode, Sabbaticus fuit: atque adeo & istum XL. ęrę Christianę, Urbis Romę DCCXCIII. consectarium est pariter autumno fuisse sabbaticum. Ita cum Philone Josephus, & secum ipse pugnat.

Ad annum Christi XLI.

Quæ hoc anno Josephus de Agrippa narrat.

AGrippam regem, cum venisset casu in Senatum, fuisse delegatum a Patribus ad Claudium, ut hominem deterreret ab Imperio capessendo: universo autem Senatu Romano callidiorem unum Agrippam fuisse, atque auctorem e contrario exstitisse Claudio, virum ut se pręberet, & Rempublicam occuparet, scribit Josephus *lib.* XIX. *Antiq. cap.* III. At idem *lib.* 2. de bello, *cap.* XVIII. ait Agrippam accitum a Senatu & Claudio, ad Claudium prius se contulisse, mox Claudii nomine ad Senatum. Quę duę narrationes nec similitudinem veri pręseferunt: nam quis credat peregrinum, ditionis barbarę & satis quidem exiguæ regulum, consiliorum Senatus arbitrum, ac veluti mentem Reipublicæ fuisse? Sed ambæ narrationes tragœdiæ instar habent, quæ & adeo pugnant inter se, ut unicus atque ejusdem cerebri partum esse vix ambas existimes.

Ad annum Christi XLII.

I. *Eundem esse Herodem, qui tetrarcha & Antipas, & qui Agrippa senior vulgo cognominatur.*

HErodem istum vulgo Agrippam majorem appellant: eumque diversum ab Herode tetrarcha, cui Antipæ nomen fecere. Verum quem sacræ paginæ Herodem vocant, numquam Agrippam, vel Antipam: quis me reprehendendum putet, si neque ego hunc Agrippam vel Antipam ausim vocare: sed Herodem vocem: atque a sacro scriptore verbo vel uno dissidere religioni hapeam? Nam si fuit alter ex iis Agrippa, alter Antipas, cur non Agrippam & Antipam scriptura sacra nominavit, sicut Archeluum, sicut Agrippam alterum? Si filium Archelaum a patre discriminavit: cur non & alterum similiter a patre filium, & ab avo nepotem? At unum eundemque Herodem esse, qui Antipas ac tetrarcha, & qui Agrippa senior falsis cognominibus nuncupatur, si fictis probare testibus juvat, Jedidæus Alexandrinus, (sic enim libuit jocosis hominibus Philonis Judæi nomen occultare Hebraica dialecto: nam φίλος & φίλων Judaice ידידי est) Is, inquam, in libello de Temporibus, non alium facit Herodem tetrarcham ab eo quem Antipam, nec ab eo quem Agrippam seniorem, patrem Agrippæ junioris, vulgo eruditi vocant. *Hic autem Herodes Ascalonita*, inquit, *vi regnavit XXXI. annis: atque ex beneplacito Judæorum adhuc sex annis. Post ipsum Archelaus filius ejus, novem annis. Post hunc Herodes tetrarcha, XXIV. annis. Ego vero Jedidæus Alexandrinus, anno XXI. regni ejus, missus sum Alexandria adhuc juvenis, ut oratorem agerem pro fratribus meis Judæis. Post Herodem hunc imperavit Agrippas ultimus XXX. annis, usque ad annum hunc ultimum senectutis meæ*. Sed ist-

isthæc quoque opella trium vel quatuor paginarum, partus esse creditur, ut quidem nuper didici, improbæ factionis: in quo cum ea tantummodo regum nomina repræsentaret, quæ in sacris paginis continentur, admiscuit simul fabulas & ἀναχρονισμοὺς, quibus & statim hic libellus fidem amitteret, nec satis esse subsidii in sacris literis, absque Josephi ope, crederetur, ad seriem regum Herodianæ familiæ, usque ad urbis & ædis excidium, perdiscendam.

Majoris ergo nominis ac ponderis testem alium proferamus, quippe quem tirones ipsi quoque vel appellato operis titulo se credant agnoscere. Is igitur in dialogo cum Triphone, *pag.* 258. Herodem tetrarcham Herodis prioris filium, regem Judæorum, βασιλέα τῶν Ἰουδαίων, ex successione post Archelaum appellat, illum ipsum Herodem, ad quem Pilatus Christum misit. At in Judæa post Archelaum nemini quidquam regia potestate licuisse proditum est, nisi ei quem Agrippam Josephus, Lucas in Actis Herodem vocat. Ergo quem Lucas in Actis Herodem, & quem Josephus Agrippam cognominant, qui prius tetrarcha, postea rex fuit: scilicet si tanti nominis testem audimus; qui Josephum tamen a se lectum fuisse sæpe dicit in Exhortatione ad Græcos: tametsi num idem auctor sit utriusque operis, dubitant eruditi. Æque notum omnibus Panarium est, in quo semel iterumque Herodes Agrippa Magnus appellatur is, cujus anno vicesimo Christus obierit. Piget nihilominus eo teste uti, qui hunc Herodem Agrippam Archelai filium fuisse simul affirmet, vicesimumque adsignet annum pro tricesimo nono. fied de hac Herodiana controversia certioribus vestigiis, quid veri statuendum sit, mox inquiremus.

An error ille autem proxime memoratus, ex eo profectus est, quod primi Judaicarum Originum similiumque Annalium conditores, cum sacri libri sola præcise Herodiadum nomina suppeditarent, ubi statuendum fuit, qui quave essent inter se cognatione conjuncti, in diversas abiere sententias: eo consilio, ut quidquid posteri de ea re statuerent, id ante occupasse ex eo grege aliquis videretur? Hi sunt enim omnino, quos sacræ literæ commemorant.

Herodes, sub quo Christus est natus.

Archelaus, qui pro patre suo Herode regnavit.

Herodes tetrarcha Galilææ.

Herodes, qui Jacobum occidit gladio, ut Acta referunt, Claudii principatu.

Agrippa, qui Paulnm perorantem audiit, sub Nerone.

De Herode & Archelao res erat perspicua & expedita. Herodem vero tetrarcham, quoniam ex sacris literis non liquido apparet, cujus sit filius, (nam id ex lapide, nummoque uno constare potest, quorum illi neutrum viderunt) Archelao alii, alii Herode priore genitum esse censuerunt. Jam Herodem, de quo in Actis mentio est, pars eumdem esse cum Herode tetrarcha pronunciavit: pars istum ab illo discriminavit: verita fortassis, ne si eumdem esse poneret, justo longius ei vitam imperiumque produceret. Quam isti ob causam Aristobulo Herodis F. prognatum istum esse finxere: eo quod adsignari pro patre istius alius ex Herodis liberis commode nemo posset. Agemus inferius de Agrippa.

II. *Herodem regem, quem Agrippam seniorem vocant, nec regem Judææ fuisse, nec Judæum.*

Ceterum Herodes iste, quem dicimus qui olim tetrarcha, tandem regio donatus est titulo a Claudio Imp. cum jam ab obitu Philippi fratris Ituræam cum Trachonitide adjuxisset Galilææ atque ob ingentem illam ditionis ac cessionem Manus Rex meruit appellari, in vetere inscriptione inferius recitanda. Nec regio tamen jure tenuit idcirco Judæam, quæ provincia Augusti fuit, ut diximus. Nam & Agrippa Herodis ejusdem in regno successor, tum in eodem lapide, tum in antiquo numismate Magnus Rex paritet ac preterea in isto similiter Φιλοκλαύδιος nuncupatur: quem nihilominus sacrę litterę negant in Judęa regnasse: siquidem Pręsides Judęę, ipso regnante, felicem & Festum appellant. Neque Herodem igitur ratio cogit ulla credi, eo nomine Magnum Regem fuisse appellatum, quod Judęam titulo regio obtineret. Deinde censum a Judęis exactum fuisse pro fisco Principis sub Pręsidibus, Augusti, & Tiberii ęvo, annisque saltem decem Claudii postremis, in confesso est: nec fisci hujusce calumniam ante Nervę principatum fuisse sublatam. Herodem hunc igitur Judęa regem non habuit: cum si regem habuisset, non fisco Principis isto anno censum, sed vel regi suo, vel nullum omnino penderet: remissumque a

Claudio fisci jus vel Plinius commemoraret, vel nummi docerent.

At a sancto Luca in Actis cap. XII. regia dici videtur Hierosolymis potestate usus, ubi res gestæ anno sequente commemorantur. *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia*, Hierosolimitana scilicet. *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum..... Postea descendens a Judæa in Cæsaream, ibi commoratus est*. Næ si ex illa oratione, ut nuper quidam affirmabat, occasionem Josephus arripuit confingendi regnum Herodis, sive Agrippæ majoris, ut appellat, in Judæa, næ sua illum egregie frustrata conjectio est. Neque enim jus Herodi fuisse in cives Hierosolymitanos sanctus Lucas innuit, sed tantum in *quosdam de Ecclesia*: nempe in Petrum, Jacobum, aliosque similes, suæ ditionis homines, Galilæos. Quo utique jure ad eumdem, cum tetrarcha tantum esset, & *Hierosolymis* pariter commoraretur *illis diebus*, *remisit* Christum Dominum Pilatus, *ut cognovit, quod de Herodis potestate esset*: testatusque postea est ab Herode *nihil dignum morte actum esse ei*: quod jus illi vitæ ac necis in Galilæos esse intelligebat, ubicumque terrarum forent. Ex eo igitur capite, quod Hierosolimis Herodes rex *afflixerit quosdam de Ecclesia*, perperam confictum est Hierosolimis Herodem regnasse: cum præterea, ut dictum est ad annum 8. nulla provincia semel in jus Augusti devoluta, regiæ postea fuerit obnoxia potestati.

Nec proselytum autem similiter illum fuisse, nec Judæum, Lucas aperte declarat: qui eum non studio propriæ religionis impulsum, sed *quia placeret Judæis*, vulpem callidam, ut a Servatore nuncupatur, bellum Christianis indixisse narrat. Sicuti enim ut placeret Cæsari, se Φιλοκλαύδιον cognominavit: ut placeret Pilato Præsidi, qui *nullum invenisset in Christo causam*, *nihil* quoque *dignum morte egit ei*, quem prius voluerat *occidere*: sic ut *placeret Judæis*, alios ex Apostolis interemit, alios contrusit in carcerem.

Argumento præterea est vox illa Joannis Baptistæ ad Herodem tetrarcham: *Non licet tibi habere uxorem* fratris *tui*, defuncti scilicet, quamvis Josepho secus sentiente. Nam γυναῖκα fratris, Levit. XVIII., 16. dici in Lege eam, quæ non sit amplius viro subjecta, eruditi in sacris litteris norunt: & e palatio atque ipso toro regali invitis maritis regibus abduci principes fœminas incredibile est, ac fere ἀδύνατον. Quod non liceret ei igitur uti prærogativa legis, Deut. XXV. 5. nec habere uxorem fratris sui Philippi, causa est facilis & expedita: quod solos ea nimirum exceptio Judæos spectaret, non item gentiles: cum, Baptista idoneo interprete, omnes mortales, ipsique post Evangelium prædicatum Judæi, absque legitima dispensatione, lege tenerentur allata, Levit. XVIII. 16.

Quorsum ergo, inquiet aliquis, Hierosolyma sub Pascha singulis annis Herodes tetrarcha se conferre solitus est, si Judæus non fuit, aut proselytus? Nam eo statis illis diebus ventitasse ex sacris litteris haud obscure colligitur. Illud nimirum in causa fuit, quod est in sacris ipsis monumentis proditum. Multi *gentiles ascendebant* in Jerusalem, *ut adorarent in die festo* Paschæ, quod Joannes in Evangelio testatus est, cap. XII. 20. Fuisse autem illos e Galilæa præsertim, recte vidit Græcus Commentator in Joannem, pag. 700. sive illi Platonicæ, sive alteri sectæ essent addicti: qui nempe μοναρχίαν, ut verbo ejusdem utar, hoc est, unum Deum singularem colerent, tametsi ethnicis adhuc superstitionibus erroribusque impliciti. Enimvero *ex his quidam accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ*, nempe ad Galilæum hominem conterraneum Galilæi. Ex eo igitur numero qui Hierosolymam tunc venirent, fuisse Herodem, Lucas est auctor, cum in Evangelio, tum in actis: religionis autem vel obtentu, vel minime ficto officio id fecisse, idem Lucas cum Joanne compositus docet: nam ille adventum Herodis in urbem feriis Paschalibus, iste quæ tunc causa foret gentilium adventus in urbem sacram, perspicue aperit.

Hominis denique totiusque Herodianæ familiæ superstitionem haud obscure prodit illa commoratio in urbe Cæsarea, *in prætorio Herodis* cognominato, atque adeo in paterno ac suo domicilio, extra Judæam: sed & in eo oppido, quod Herodes pater, in confinio regni sui, hoc est, Samariæ, solo a Romanis adsignato, condiderat, ut ibi collocaretur statio præsidiaria militum Romanorum, Act. x. 1. & tribunal Præsidis Provinciæ, Act. XXIII. 24. XXV. 6. Quod si ex domo quæ domini religio sit, minime fallax aut dubia conjectatio est: quis de Herodis superstitione ambigat, qui norit Cæsariensis civitas quantopere esset falsorum numinum addicta cultui, ut & nummi testantur, & illa civium adulatio, de qua sacræ literæ prodidere, dum Herodes concionaretur pro tribunali, populum acclamasse, *Dei voces & non hominis*?

Ad

Ad Annum Christi XLIII.

I. *De obitu Herodis, quem Aggrippam vocant.*

HUjus exitum refert Lucas in Actis cap. XII. 10. his verbis: *Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali .... Confestim autem percussit eum Angelus Domini ...... & consumtus a vermibus exspiravit.* Longe aliter a Josepho res ea narratur: quo consilio, satis indicavimus ad annum Christi VIII. nempe ut sacer scriptor non historicam veritatem, sed allegoricum secutus scribendi genus credatur.

II. *De Herode Chalcidico.*

Ut Φιλοκλαύδιος nescio quis Herodes Chalcidicus appelletur, quæ vel ratio vel auctoritas cogat, non satis apparet. Neque enim hujus rei testis omnino ullus nullum idoneum documentum, nulla causa prorsus afferri potest. At Herodi illi, qui tetrarcha primum, deinde rex fuit, hunc titulum adserunt ea, quæ in descriptione nummorum attulimus, argumenta. Quid si autem non tantum nullus Herodes Chalcidicus, sed neque regnum Chaldis ullum fuit? Nam *regio* quidem *fertilissima Syriæ Chalcidene* a Plinio nuncupatur, nempe in Syria Cœle, supra Decapolitanam regionem & Damascum: situ nunc tamen obscuro & ignoto. Plinius enim certe regiones ac populos Syriæ Cœles elementorum ordine recenset, lib. V. sect. XIX. ceteri vero scriptores, etiam ii qui Plinio vetustiores volgo creduntur; cum in illis quidem Plinii verbis allatis idoneum sibi visi sint tractum reperisse regno statuendo, iidem tamen inter se de situ Chalcidis adeo discrepant, ut conciliari posse, nisi geminam poneret Chalcidem, Norisius non putarit, quamvis unicam singuli eorum agnoscant.

Ad annum Christi XLIX.

De Felice Præside.

JAM ab hoc anno Felicem Judeę Pręsidem sive Judicem fuisse statuimus hoc uno argumento, quod Paulus in Actis cap. XXIV. 10. sic eum compellat anno æræ Christianæ LIV. Ex Multis annis *te esse judicem huic genti sciens*, &c. Ac si Josepho credimus, Pilatus annis decem gessit hunc magistratum. Decennium igitur pariter Felici ante illum annum, adducti his Apostoli verbis, haud temere adsignamus. Neque enim ille profecto post tres dumtaxat annos elapsos diceret, *ex multis annis*. Tamen Chronicon vetus Felicem Judææ Procuratorem, *statuit anno* 50. *Tacitus anno* 52. *ac simul Procuratorem Galilææ*, Ventidium Cumanum, libro XII. Annalium, cap. LIV. At Josephus, tum lib. XX. Antiq. cap. V. tum libro 2. da bello Judaico, cap. XXI. Ventidium facit Galilææ ac Samariæ cum Judæa procuratorem, cui in exsilium deportato Felix successerit anno 52. Certe si ambo simul, diviso inter se magistratu in eo tractu fuere: hoc est, si alter Judææ ac Samariæ impositus fuit, nempe Felix: Galilææ alter eodem tempore, nempe Ventidius Cumanus, ut Tacitus refert: tota Josephi narratio, quæ est prolixa admodum locis allatis, fabulis adnumeranda est. Utri autem potior habenda fides est, an verius neutri? cum uterque & sacris codicibus refragetur, ubi Felicis in Judæa magistratum angustiore temporis spatio circumscribit: & cum ratione pugnet usuque civili, ubi Galilæorum nationem paruisse Cumano, Romano magistratui, refert, quę uni suo regi Agrippæ debuit esse obnoxia.

Ad annum Christi LI.

I. *Herodem, de quo in Actis sermo est, falso Agrippam cognominari.*

NUmmum quidam nuper edidit ita inscriptum: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, capite diademato. ɔc ΚΑΣΑΡΙΑ Η ΠΡΟΣ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ Μ. Hoc est, ipso interprete: Καισάρεια ἡ πρὸς τῷ Σεβαστῶν μεγάλη, *Cæsarea ab Augustis Magna.* Et nummum ille refert ad Herodem, ut appellat, Agrippam, cujus exitum narrat sanctus Lucas in Actis, *cap.* XII. hoc est, anno Claudii Imp. tertio. At sapiens nemo, mea quidem sententia, animum induxerit, ut credat a sacro scriptore Herodem regem appellari potuisse, ut diximus, quem nummi Agrippam regem vocarent. Nam usitatiore ac notiore vocabulo designatum ab ipso fuisse principem, nemo sanus ambigat: usitatius autem ac notius illud nomen est, ni fallimur, quod nummi repræsentant. Quem igitur sacræ paginæ Herodem vocant, istum alio quam Herodis nomine designatum quoque in nummis, nemo nisi temere existimaverit.

Eccur autem aliter a sancto Luca, a Josepho aliter nuncupatur? Afferam hoc loco

loco non inanis quidem ſemper conjectoris, ſed nunc tamen plus juſto fortaſſis ſuſpicioſi, ingenioque nimium indulgentis hominis conjecturam. Accipiet quiſque, ut volet. (*) Deprehendit ille, ut quidem muſſitabat nuper nobiſcum, cœtum certorum hominum ante ſæcula neſcio quot extitiſſe, qui hiſtoriæ veteris concinnandæ partes ſuſcepiſſent, qualem nunc habemus, cum nulla tunc exſtaret: ſibi probe notam illorum ætatem atque officinam eſſe: inque eam rem iſtis ſubſidio fuiſſe Tullium, Plinium, Maronis Georgica, Flacci ſermones & epiſtolas: nam hæc ille ſola cenſet, quod vereor ut cuiquam ſuadeat, ex omni Latina antiquitate ſincera eſſe monumenta, præter inſcriptiones admodum paucas, Faſtoſque nonnullos. E ceteris ſcriptis monumentis, qui hodie valde ſudant, ut conciliatis quanta licet ingenii vi ſententiis, inter ſe plerumque diffidentibus, hiſtoriæ corpus unum integrum repræſentent, eos ſibi videri ajebat ex pluribus fabulis novam alteram velle fabricari ac ſcite concinnare, ſecum omni ex parte aptius cohærentem. Addebat illis annalium architectis majori fuiſſe adjumento magnam nummorum antiquorum, quam diligentiſſime congeſſerant, ſupellectilem. Horum poteſtatem in primis fuiſſe penes totius conſilii principem ac primarium operis architectum: cui, propterea quod ut theſaurum draco, ſic ille nummos in arca incredibili ſolicitudine cuſtodiret: nec niſi parce admodum eorumdem uſum conſpectumve ceteris impertiret, jocoſe ſodales, geminum *Severi Archontii* nomen fecere: alterum Latinæ conſuetudinis, a moroſitate: Græcum alterum ab eo, quem inter eoſdem gereret, veluti magiſtratu. Tamen illis artificibus multo minorem numiſmatum veterum copiam, quam noſtræ huic ætati fuiſſe ajebat, Græcorum præſertim: & Latinos, quos in manibus habuit, ut in prępopero opere uſuvenit, prępoſtere ſæpenumero intellexiſſe. An enim, exempli gratia, ſi Joſephus vidiſſet nummum ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ cum lilio Phaſelitico, diceret agrum Phaſeliticum coli cœptum fuiſſe poſt annum V. C. DCCXLIV. ut diximus ſuo loco: cum prius dixiſſet anno V. C. DCCXIV. tetrarcham Herodem dici deſiiſſe, ut rex deinceps appellaretur? Minime ſane. Videret enim cum Phaſelitico lilio adhuc ethnarcham vocari. Itaque nec anno uno tetrarcham Herodem exhiberet, ſed aliquot annis ethnarcham: nec Phaſeliticum agrum primo excultum referret, tanto poſt tempore quam rex eſt ſalutatus. Uno verbo ἀναχρονισμὸν annorum fere viginti vitaret. Similia eſſe ſexcenta iſtorum hominum σφάλματα, ajebat ille ex penuria nummorum Græcorum orta: nec pauciora autem ex iis, quos in manibus habuere perperam intellectis. Atque hujus dicti in Agrippa ponebat exemplum. Nam cum illos vel una nummorum, qui Agrippæ nomen ferunt, diſſimilitudo admoneret Agrippam geminum exſtitiſſe: & utrumque ſtatuerent ante excidium Urbis eſſe collocandum, quoniam urbe exciſa regnum Judæorum defeciſſe, quod Agrippæ detulerant, credi vellent: fingi oportuit, Herodi, de quo ſermo in Actis, cognomen Agrippæ fuiſſe: atque ita finxere. Nam ab anno Claudii quarto, quo & priorem Agrippam obiiſſe, & ſucceſſiſſe ponunt alterum juniorem Agrippam, uſque ad urbis cladem, plane ſunt anni ſex & viginti, quot omnino in vetere Chronico Agrippa poſterior regnaſſe perhibetur. In quo diſſidet a Joſepho, qui quoniam ultra annum XXI. ΕΤ. ΚΑ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. nummos Agrippæ nullos haberet, finem illius quidem, ut iſte, circa everſionem urbis, ſed primordia maluit anno tantum XXI. antea eam exciſionem figere: quæ res poſteris crucem fixit, decertantibus inter ſe, utrius ſtandum ſententia ſit, de Agrippæ initiis. Nam de fine inter veteres adeo convenit, nemo ut unus poſt urbem deletam, nec Joſephus ipſe, vel quiſquam alius Agrippæ annos aut facta ulla commemoret, præter Juſtum Tiberienſem unum: qui, ſi fuit, annos Agrippæ uſque ad initia Trajani protraxit. Sed effecere ipſi, nemo ut e poſteris non hunc hominem φιλοψευδῆ ac nullius præ Joſepho fidei eſſe ſtatueret, a quo ſcilicet tantopere diſcreparet. Ea cauſa eſſe inter ceteras huic quem dixi homini videbatur, quamobrem quem ſanctus Lucas ſemper Herodem, numquam Agrippam vocat: hunc vice verſa Joſephus, ut vel idem gemini nominis fuiſſe, vel Lucas erraſſe crederetur, ſemper Agrippam, ac ne ſemel quidem Herodem appellet. Annum enimvero ex eo cœtu, pergebat idem rogare, cenſendus ille eſt, qui cum paulo poſterius ſcriberet, & animadverteret hanc ſuorum cum ſancto Luca pugnam atque

αν-

(*) Vide hæc deliramenta egregie confutata a *Matur. Veiſſ. la Croze* in libro, cui titulus: *Diſſertations Hiſtoriques ſur divers ſujets*. Roterdam 1707. Et in altero ejuſdem opere, cui titulus. *Vindiciæ veterum Codicum contra Johannem Harduinum* 1708. Et a *Thoma Ittigio* in opere, quod inſcribitur: *Obſervationes miſcellaneæ ad hiſtoriam Eccleſiaſticam, & Patrologiam ſpectantes*: Et ab aliis quamplurimis.

ἀντιλογίαν, difficilemque præterea, ac ſine exemplo, illis præſertim temporibus, duorum iſtorum nominum in uno homine conſociationem: idcirco pari audacia atque improbitate ſacrum verius ſcriptorem, quam Joſephum ſocioſque, venire pronunciavit in ſuſpicionem erroris? Ἢ ἐν διαφωνίᾳ, inquit, τοῦ ὀνόματος ἐνταῦθα τὸ λέγειν ἀντὶ Ἀγρίππα Ἡρώδην, ἢ κατάσφαλμα. ὡς εἰκὸς, γραφικὸν γέγονεν. ἢ κατὰ διωνυμίαν εἴρηκεν. Certe quidem Herodes Agrippa tam dici illo ævo quiſpiam potuiſſe videtur, quam Alexander Philippus, vel Ptolemæus Demoſthenes.

Sed ſuas ſibi habeat noſter ille conjectationes: eaſque, cum volet, viderit, quomodo ſit defenſurus: nobis enimvero alia nunc argumenta ſuppetunt: nec valde refert in præſenti noſſe, ſive qui ſint fraudis iſtius architecti, dum de fraude interim, vel errore, conſtet: ſive an illa cauſa fuerit Herodis Agrippæ cognominandi, an verius altera, quam indicavimus ad annum Chriſti octavum: an ambæ conjunctim. Quid quod enim, ſi Herodi Chalcidico tribui nummum oporteat inſcriptum, ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, hoc ipſum argumento eſt haud improbabili, non eſſe Agrippam ſeniorem eum, qui ΑΓΡΙΠΠΑϹ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟϹ in altero inſcribitur? Nam cum eadem ætate reperire non ſit duos in nummis reges ΦΙΛΕΛΛΗΝΑΣ aut ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥΣ: quo quis documento fidem faciat exſtitiſſe ſimul duos φιλοκλαυδίους? cum præſertim arrogans ac ſuperba nimis ea appellatio videatur, in Chalcidis, hoc eſt, in agri perexigui regulo, ſi quis fuit. Certe Spanhemius, ceterique viri eruditi, qui nummos inſcriptos ΗΡΩΔΗΣ ΒΑϹΙΛΕΥΣ & ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟϹ Agrippæ ſeniori tribuunt, numquam alterum hunc Agrippæ nummum, ΑΓΡΙΠΠΑϹ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟϹ, eidem Herodi adſcribent. Quid ita? quoniam nullo ſuaderi poteſt exemplo, ut quiſquam in nummis nomine nunc uno, nunc altero, ſit appellatus. Geminum ei nomen ſi fuit: non alterutrum pro arbitratu, ſed vel utrumque: vel, ſi alterum ex his unum, ſemper idem apparet. Severus Pertinax, exempli gratia, numquam ſolo Pertinacis nomine deſignatur: ſed vel utroque, vel ſolo Severi. Herodes igitur, qui ſemel dictus in nummo ſit, dici Agrippa in altero non debuit, ſed Herodes tantum, vel Herodes Agrippa.

II. *De regis Magni cognomine, in Agrippæ nummo.*

At Agrippa Magnus, inquit is, qui nummum vulgavit, ut in nummo, ſic etiam a Joſepho appellatur. Prior igitur intelligi debet is, quem Lucas Herodem nuncupat, non ſequens. A Joſepho autem? quo loco? Nempe *lib.* XVI. *cap.* VII. ubi mentio Herodiadis. Ἀγρίππου δὲ, inquit, ἀδελφῆς τοῦ μεγάλου. Taceo nunc quidem de Joſephi ac ſodalium ſolœco, Ἀγρίππου, quod etiam in codicibus MSS. legitur, pro Ἀγρίππα, ut nummi exhibent ipſius Agrippæ, quicum vixiſſe vult videri. Quid ſi magnum Agrippam dixit ille, ut ex eo grege alii, quo ſenſu nos Galli dicimus interdum, *le grand Agrippa*, pro majore natu e duobus? Certe eo ſignificatu μέγαν in nummo ſcribi nemo ſobrius dixerit. Et eſt niſi ſub Gallico cœlo didicerit, aſpergatque idcirco ſermoni Græco ſubinde Gallicæ nonnihil dialecti. Sed tamen ille capite ſubſequente ita eſt de Druſo majore locutus: Ἀντωνίᾳ τοῦ Δρούσου τοῦ μεγάλου γυναικί. Quid ſi igitur quem Hebraice neſciviſſe, cum ſe Hebræum profiteatur, *Salianus* noſter oſtendit, Græce idem haud multo peritior fuit? Alia quidem ſententia mox idem ſubjicit, φύσει δὲ μέγας ὢν Ἀγρίππας, καὶ δωρεῖσθαι πολυτελής. Sed neque iſtud prodeſt ad Magni cognomen: quodſi Agrippa geſſit, poſtponi nomini oportuit, non præponi: ut eſſet Ἀγρίππας μέγας, quemadmodum Pompejus Magnus, non μέγας Ἀγρίππας. Sed ſcriptum eſt in nummo rectiſſime Βασιλεὺς μέγας, ut ſit Rex Magnus, non Magnus Agrippa. Nam intereſt plurimum, quo vox ea loco ponatur, ut recte intelligatur, quæ vis ei poteſtaſque ſubſit. Alia Regis Magni, alia Agrippæ magni appellatio eſt. Illa enimvero a perampla ditione peti ſolet, iſta a rebus præclare geſtis. Rex Magnus Agrippa, perinde atque deceſſor Herodes fuit, ob geminam ditionem, qua pariter potitus eſt, Galilæa ſcilicet ac Philippi tetrarchia: ſed idem Agrippa Magnus cur dicatur, nihil cauſæ eſt. Et ille quidem perturbata ſupremo Neronis anno Republica, atque ex turbidis imperii rebus majores aſſumens ſpiritus, monetam ſuo vultu ac nomine impreſſam ſignare, quod ipſius pater Herodes reformidaſſet, abſque Cæſaris vultu vel nomine, auſus eſt: in qua ſe ille Magnum Regem appellaret. Sed brevi repreſſa ea audacia eſt. Nam a Veſpaſiano ita redactus eſt in poteſtatem, ut non aliam ſin-

singulis annis, quam Flaviorum nomine ac vultu impressam monetam cudere ei fas esset, suo vero dumtaxat nomine in area nummi aversa, non etiam vultu: quod est haud leve minimeque obscurum indicium imminutæ pariter potestatis. Atque hæc e summo honoris gradu dejectio, quantum ad jus monetæ spectat, perseveravit in filio, Agrippa juniore: quantum ad regnum attinet, major fuit. Fuere autem Judaicæ historiæ scriptori hæc omnia penitus ignota.

III. *De titulis Cæsareæ in Agrippæ nummo.*

Sed de antica parte nummi hactenus, quid de postica? *Cæsarea ab Augustis Magna*, Latinæ aures non ferunt: quanto Græce minus, *ἡ πρὸς Σεβαστῶν μεγάλη* At *subauditur*, inquit, *appellata*. Sic nuper Valens in quodam, Augusti nummo, CONS. S. C. OB. R. P. CONS. quod est, *Conservatori suo coronam ob Rempublicam conservatam*: legit, *consecrata Senatus consulto*; *subauditur*, *statua*. Quod cum ei objectum est, modeste siluit. Tales subaudiri voces nemo alterutrius linguę peritus, aut in nummis lapidibusque versatus dixerit. In tam paucis certe vocibus eam esse vim voculę *πρὸς*, ut significet Latine *ab*, quo quis exemplo adstruat? Non *πρὸς* Gręcis profecto, sed *παρὰ* scribant. Quid deinde fiet nummo alteri simillimo sub Nerone, in quo non *πρὸς* sed *πρὸ* tantum legitur: ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η ΠΡΟ ΣΕΒΑΣΤΩΝ. L. ΙΔ. Num loco *πρὸς* in nummo scribi *πρὸ* quisquam putet posse? Quorsum deinde ab Augustis Magna appelletur? Amplitudo enim civitatis, non voluntas aut gratia Principum, hoc nomen adserit. Et ab Augustis profecto potius dicatur Augusta, *παρὰ σεβαστῶν σεβαστή*. Nam illud nomen habet in nummis quamplurimis: Magnę contra appellatio nusquam apparet, cum sint nummi Cęsareę permulti obvii: in quibus & Augusta, & Flavia & Felix cognominatur: Magna ne semel quidem, vel in nummo, vel in lapide, vel apud ullum scriptorem etiam fictum. Statimne ut accepit, Magnę nomen amisit? Si *ab Augustis* accepit, cur nullus ante Neronem nummus Augustorum, nullus post ipsum Magnam appellat? Hyperaspistę crede, qui Prima Cęsarea cur sit appellata, primus aperuit: qui & Samariam epochamque Samarię ex simili nummo ablegandam, reponendamque Cęsaream admonitu nostro primus edocuit. Prima Cęsarea Augusta igitur dicta est, quod ante alias civitates Cęsareę Augustę nomen habuit: sicuti postea eadem Prima Flavia, quod ea colonia prima Flavię cognomen obtinuit.

Primatum Judææ, ut loqueris, quisquis es, cum Palæstinæ primæ potius dici oportuerit, si habuit a Vespasiano: dic, amabo, quid aliud ille primatus ibi fuit, præter honorem metropoleos? Metropolim appello, sedem Præsidis Provinciæ. Quæ tunc autem civitas posset de primatu Judææ cum Cæsarea contendere? An Hierosolyma? quæ funditus eventus eversa. An Cæsarea Paneados? quæ longissime dissita in Decapolitana regione. Atqui multo antea apud Cæsaream Palæstinæ sedem fuisse ac *tribunal* præsidis Judææ, constat ex Actis cap. XXV. verso 1. & 6. aliisque locis. De primatu quod narras urbes inter se disceptasse, profer ejusmodi litium, si tamen fuere, vel unum in omni Syria exemplum: nullum est. At metropoleos vocabulum in multis Cæsariensium nummis omittitur. Primum, at & in multis apparet: cur non sit & in isto? cum prima vocis litera integram vocem aut exstitisse, aut intelligi deberi admoneat. Fac ablatam fuisse a Vespasiano, quod temere affirmatur, metropoleos prærogativam, eamque sero restitutam: fruebatur ergo prius eo honore civitas: haberi enim necesse est, quod aufertur. Denique nummi Τιβεελέων & Σεπφορηνῶν in eodem tractu carent ea voce: quam tamen utramque civitatem Galilææ metropolim Josephus ille tuus appellat: cur non & de Cæsariensium nummis idem statuatur?

At certe non in una parte civitatis coloni fuere Romani, qui Latine: in altera indigenæ, qui nummos Græce cuderent, ut Hyperaspistes adjecit: & *quod de distinctione indigenarum fingit Eumenius, nugæ*. Strabonem tu forte pluris, quam ego, facis: at ille tamen tuo judicio nugator, qui discrimen illud colonorum & indigenarum disertis verbis prodidit, de Heraclea & Sinope, lib. XII. pag. 542. & 546. Neque enim angustiæ hujus loci sinunt, ut ex nummis Καπιτωλιέων, aliisque, nunc ea res multo certius comprobetur: quod in Chronologia Severi fiet. Si Narbone positam inscriptionem, quæ describitur a Grutero, pag. CCXIX. sinceram putas, dic nugatos pariter fuisse Narbonenses illius ævi, qui colonos ibi ad incolis septies secernunt ac separant. Nolim hic ego tamen tale patrocinium opponere, cumprobe norim spuriam illam ac recentem inscriptionem esse, cujus Generis esse quamplurimas qui nesciunt, quam inani se labore vexant, cum in iisdem illustrandis multum tempo-

poris, operæ, chartæque consumunt? Nam quod est, exempli gratia, operæ pretium in Cenotaphia Pisana grande volumen elucubrare, si sunt ea Cenotaphia ab aliquo sat strenuo artifice conficta: ut certis argumentis in Chronologia Augusti ex nummis, Deo donante, docebimus? In hanc primum partem eruditionis, quam κριτικὴν Græci vocant, incumbere par est eos, qui prodesse sibi sua studia ac ceteris velint. Incredibile enim ac simile portenti est, quantam falsorum scriptorum segetem, de rebus tum sacris tum profanis, exsecranda & detestabilis una quædam, ut ceteras sileam, ante annos fere quingentos, officina effuderit: quanta sit e diverso, ut auri ac gemmarum, ita genuinorum operum paucitas. Aurum igitur a stipula plumbove secernere, hoc opus, hic labor est. Sed de hac re alias copiosior erit atque opportunior, si Deus dederit, disputandi locus.

Ad annum Christi LXVIII.

Cur nummi Ascalonis & Gazæ, quæ sunt oppida Palæstinæ, a nobis fuerint prætermissi.

HOC anno, qui quartus decimus Neronis est, ab autumno anni superioris, ut in gemino Neronis nummo notatur, quem ad hunc annum descripsimus, Ascalonitæ perinde atque Cæsarienses Neronis partes secuti nummum cuderunt, in quo annum æræ suæ CLXXI. apposuere, ab autumno superiore pariter ineuntem: in altera nummi area vultum Neronis laureati, cum sola voce ΣΕΒΑΣΤΟΣ, ut peculiaris mos fuit illius civitatis, absque Neronis nomine. Sed istum Ascalonis nummum, aliosque ibidem sub Augusto & Domitiano percussos in hac lucubratione consulto prętermisimus, quod in titulo Nummos duntaxat Herodiadum pollicici sumus: ad Herodianum autem regnum Ascalo numquam pertinuit. Fuit enim teste Plinio, *oppidum Ascalo liberum*, sociumque Populi Romani, jam ab anno V. C. DCL. sub autumnum, vel DCLI. ineunte. Atque hęc causa illius ęrę fuit, ut dicemus, vel in Augusti, vel in superiorum temporum Chronologia: non quam Norisius attulit, levibus admodum conjecturis, pag. 435. & 436. Salomæ quidem (non *Salomi*, ut dixit Norisius σολοικίζων, pag. 437.) Cæsar largitus esse dicitur Ascalone palatium, Καῖσαρ χαρίζεται καὶ τὴν ἐν Ἀσκάλωνι βασίλειον οἴκησιν, apud Josephum, *lib.* XVII. Antiq. *cap.* XVII. τὰ ἐν Ἀσκάλωνι βασίλεια, *lib.* 2. de bello, *cap.* IV. Regiam istam autem in eo oppido fuisse ab Herode ædificatam Norisius auguratur, sed sine teste. Nam ipse Josephus libro I. de bello, cap. XVI. Rufino, ut ajunt, interprete: *Apud Ascalonem vero*, inquit, *Nymphæa, sive lacus ornatissimos, & balneas, item peristylia tam opere quam magnitudine miranda constituit*. De regiis ædibus verbum nullum facit. Amicam Herodi civitatem idem Norisius fuisse asseverat, qui Ascalonitam Herodem existimat: nec meminit a Josepho dici eam civitatem fuisse usque ad Vespasiani tempora Judæis semper invisam, libro III. de bello, cap. I. ἀεὶ διὰ μίσους Ἰουδαίοις γεγενημένην. Verius, neglecto Josepho, βασίλειον Ascalone nullum Salomæ datum: neque in civitate libera ac socia populi Romani quidquam donare Cæsar cuiquam potuit. Merito igitur dilati sunt a nobis in aliud tempus nummi Ascalonis. Tamen de symbolis, quæ in nummis occurrunt sub Augusto, Nerone, & Domitiano percussis, nunc dicemus obiter cursimque, quoniam & aliquid habent affine cum Herodiano nummo anni V. C. DCCXVIII. & eadem conatus exponere Norisius, affert dumtaxat ex Diodoro Siculo fabulam: sed nihil ad rem. Nec vero fere Diodorus ipse nisi somnia narrat. In Ascalonitico igitur nummo Dea turrito capite Genius est civitatis, ut omnes norunt: dextra hastam puram tenet, symbolum potestatis, seu jurisdictionis: sinistra arbusculam Cypron, cujus e semine confectum fuisse oleum, Ascalone præsertim, maximæ commendationis ac famæ, Plinius auctor est, libro XII. sect. LI. *Cypros in Ægypto est arbor Zizyphi foliis, semine coriandri, candido, odorato. Coquitur hoc in oleo, premiturque postea, quod Cyprus vocatur. Optimum habetur e Canopica, in ripis Nili nata: secundum* Ascalone Judęę: *tertium Cypro insula, odoris suavitate*. Sic in Herodis ethnarchę nummo lilium Phaseliticum deprehendimus, cum uva ex agro Engaddi. Sic Cyrenenses, quod nemo ignorat, silphium in suis nummis sculpsere: sic alii alios frutices, qui essent apud se in pretio. Ara lateri dextro Deę apposita, vota significat pro salute Augusti suscepta: columba denique, prędidem Ascalonis Deam, Venerem Cypriam indicat: quod numen ibi fortassis in honore, ob cyprum, quę ibi in pretio fuit.

De Gazensium nummis cur hic sileremus, major etiam quam de Ascalone causa fuit: nulli enim Gazenses hac ętate occurrunt quam describimus, ut neque Καπιτωλιέων, quos esse Hierosolymita-

tanos, Norisio nequicquam refragante, docebimus in Severo: neque Raphiensium. Nummos Gazenses igitur in Hadriani potissimum Chronologia repręsentabimus: ubi illius oppidi ęram, a nobis recte positam fuisse anno V. C. DCXCI. a Norisio perperam reprehendi, & in annum DCXCIII. male conjici, defendemus. De Gaza interim taciti pręterire ac sine censura non possumus, quod ait Josephus, uti jam indicavimus, traditam Herodi ab Augusto Cęsare fuisse eam civitatem. Daret Cæsar Herodi civitatem liberam? Liberam enim suique juris Gazam fuisse, non Josepho, sed nummis credimus, qui Gazensium libertatem societatemque cum Populo Romano atque ejusdem societatis annos a Pompeii victoria, & M. Tullii Consulatu, etiam sub Antonino Pio, oculis nostris exhibent. Daret Cæsar civitatem non a se expugnatam? sociam jamdudum populi Romani inconsulto Senatu P. Q. R. civitatem daret? An istud ille auderet primo ipso sui principatus anno? an Senatus ferret? Perinde quasi ea largitio in potestate Cæsaris foret: cui non magis licuit donare vel unum, sive conjunctum fœdere ac societate oppidum, sive stipendiarium, aliove nexu jam Populo Romano obnoxium, quam hac nostra ætate istud licet aut Reipublicæ Venetæ Duci, aut Principi Belgii fœderati, injussu Senatus, vel Ordinum. Neque enim Cæsares fuere illis præsertim temporibus veluti dynastæ, dominique imperii: sed Imperatores tantum & Augusti: hoc est, summi Administratores belli gerendi, & Principes Senatus.

Ad annum Christi LXIX.

Πάρεργον. *In re nummaria quis censeri debeat eruditus.*

Spanhemius *pag.* 864. ex Seguini Museo hunc ipsum Domitiani nummum affert, & Tito adjudicat. Hic si quis Viro Clarissimo ac pereruditio litem moveat, eumque imperitiæ arguat, aut nummum illum, de quo pronuciat, neget contrectasse, quod in vultu aberrarit, neque epigraphen ΔOMIT. oculis perspexerit, quæ nobis conspicua fuit: næ ille omnium judicio ineptissimus sit. Neque enim peritus ille habendus est in re nummaria, qui bene literas nummo insculptas legit, sed qui lectas bene intelligit. Tu rectius forte legis in tuo nummo, quam ego in meo: Dos hæc est, vix fortassis oculorum, nedum ingenii tui: sed vel dioptræ, vel nummi ipsius, qui magis integer & magis conspicuus ad te pervenit. Ergo inter peritos rei nummariæ eodem tu esto loco & gradu, quo inter eruditionis magistros censeri fas est bibliopolas complures: qui quos libros divendunt, horum legere titulos norunt, intelligere non norunt. Quodsi vel Spanhemius, vel similis Spanhemio alter in paucis quibusdam legendis nummis aberret, de his autem quos probe legerit, disserat erudite ac scite: tu interim nullum intelligas, etiam cujus literas omnes conspicuas syllabasque videris: uter amborum, quæso, peritior? Quodsi alius similis tui Samariticos characteres, non quidem per se ipse legerit, (nam est perinde atque ego sum, quamquam Hebraica docui publice, in Samariticis ἀναλφάβητος) sed si alio præeunte Samariticos in nummis characteres quidem legerit: ignarus interim, nam ita palam profitebatur, qua causa nummi Samaritice essent inscripti: alter vero statim aperuerit istud arcanum brevi pagina, in qua lectum a se aut omnino conspectum nusquam nummum ait, sed tantum intellectum: uter, amabo, peritior? Hic locus admonet, ut de me ipso ac pro me aliquid dicam: nam in eadem esse me navi sentio. Prodiit nuperrime epistolium *Ad totius Europæ Antiquarios* inscriptum, proposita quæstione, *Utrum laurea Eumenio Pacato sit concedenda?* Avertendum scilicet omni ope ac nisu tantum dedecus fuit, ostensis palam Eumenii erroribus duodecim: selectis, ut credibile est, gravissimis. In quibus, ne singulos fastidiosius enucleem, si se fateatur, quod humanum est, errasse Eumenius, primo quidem arbitrabitur sibi fas esse ridere cum vate, quodam, *lib.* VII. *Epigram.* LXXX.

> *Triginta toto mala sunt epigrammata libro:*
> *Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.*

Nam & plura multo esse in eo libro, quæ laudari possint, ipsi fortassis Norisio affirmanti fides habebitur: & eumdem librum auctor hujus epistolii refert ad totius orbis Antiquarios pervenisse, libri fama, ut quidem ponit iste, permotos. Quid si deinde Eumenius excipiat hos omnes esse lapsus oculorum, nullum ingenii vel judicii: ac ne oculorum quidem, sed nummorum potius, qui cum essent evanidi, aciem legentis fefellerunt? Addet ejus generis nummos istos esse, de quibus intenta lis est, ut & perparum intersit ad veram eruditionem

nem rectene an secus legantur, & in his cuique liceat esse negligenti. Dicet eosdem omnes esse e primo Eumenii conatu decerptos, nullum ex Antirrhetico posterius exarato: profitebiturque: *conari se, ut ex eorum numero sit, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt*, ut quidam ajebat epist. VII. multoque verius scripta sua, quam Concilia, priora posterioribus emendari. Subjiciet etiam haud satis bonæ fidei in adversariis videri posse, quod aliquot lapsus ex illis duodecim, nunc iterum tertiove objiciunt, quoniam alii desunt scilicet: quamvis Eumenius ipse tres priores ante triennium in Antirrhetico, quem legisse isti se profitentur, aperte revocaverit, *pag.* 59. & 56. & 53. In nummis reliquis novem, quos per se videre Eumenius non potuerat, nam quis videre possit omnes? secutum se fuisse vel Patini fidem, viri utique in hoc genere non aspernandi: vel indicem gazæ Regiæ, quem Antiquariorum coryphæus Valens ipse confecisset, Eumenius vero sæpe emendaret. De quinto, qui annum Hadriani XXII. notat, quam merito tunc dubitarit, quam nihil in eo quisquam adhuc viderit, alias dicemus. Ad septimum quod attinet, in quo oppidum legisse Eumenius arguit pro viri nomine, iniqua prorsus criminatio est. Nam in nummo evanido ac fugientibus literis, ubi Τερεβεντίνων cum Tristano, viro pereruditο, *tom.* 2. *pag.* 401. legeret, an ibi viri nomen esse non temere crederet? si dioptræ ope ac subsidio Τερεβεντίνε felicius legis, sit illa oculorum aliqua, ingenii certe vel eruditionis laus nulla est. An Τεθεβεντίνε autem ac Magistratus, an Τερεβεντίνων, Terebinti insulæ civium nomen ibi sit, quid rei literariæ interest? quid inde ad historiam, ad Chronologiam, ad Geographiam lucis aut subsidii speres? plane nihil. Nam qui insulam esse prope Byzantium negant Terebinthum, ii Zonaram se negant legisse, *lib.* XVI. *cap.* XX. & Nicetam in Alexio Comneno, *num.* XV. quos in Plinianis notis olim indicavimus.

Itaque ex tot argumentis Eumenius efficiet, nihil fuisse causæ, quamobrem Antiquaria ξυνωρὶς conjunctis operis epistolam scriberet, plenam acceptis de trivio maledictis, quæ Eumenius præter alias causas idcirco negligit, quod eo libello palam ambo fecerint minime se dignos esse, qui inter judices sedeant, *utrum laurea Eumenio Pacato sit concedenda*. Quod si iste Eumenii hostis geminus Norisium hallucinantem in Cærasiensi nummo excusat, eo nemine, quod nummum non contrectarit: sed sibi Θ pro O referenti fidem habuerit: Eumenium autem accusat, quod indicem alterius amborum secutus sit: quid istud, obsecro, aliud est, quam ex eodem ore, ut ajunt, calidum frigidumque efflare?

Quid si quis e novissimo libro Valentis duodecim pariter errores, prout sese primum nullo delectu facto obtulerint, Antiquariorum Senatui repræsentet? *Primum* pag. 41. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ legit, pro ΘΕΟΣΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Divus Augustus*: hoc est, vivum facit ex mortuo: in altera autem nummi superficie, ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. L. ΙΔ. ad Tribuniciam potestatem refert: cum Tribunicia potestas in nummis numquam signetur cum L. vel ET. nec sine vocibus ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. nec denique Tiberius Augustus Σεβαστὸς fuerit, cum Tribuniciam gereret potestatem XIV. sed XVI. dumtaxat.

Secundum: Pag. 254. inter Constantis nummos hunc refert, VOT. XXX. MULT. XL. quem de Constantino accipit: cum neque Constantini sit, neque Constantis, sed Constantii.

Tertium: Pag. 71. nummos tres, ΕΤΟΥΣ ΙΗ. ΕΤΟΥΣ ΚΓ. ΕΤΟΥΣ ΚΔ. de rege Polemone accipit, cum sit anni æræ Claudianæ: sintque idcirco in ea nummi area appositi, sive quæ Tiberii Claudii vultum exhibet, cum ΕΤΟΥΣ ΙΑ. sive quæ Neronis Claudii, cum numeris proxime adnotatis.

Quartum: Pag. 68. & 69. in nummis duobus, altero qui ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, altero qui ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ inscribitur, Claudii caput nunc radiatum, nunc laureatum agnoscit: cum in utroque sit Augustus: nec Claudius esse possit: qui nec *Divus Augustus* unquam, nec *Divi F.* dici potuit. Sic vice versa in libro de Coloniis, *pag.* 46. Augustum fecit ex Cajo principe, quem vulgo, ut alias dicemus, sed falso Caligulam vocant.

Quintum: Pag. 43. Cossum Lentulum in nummo aureo Consulem facit, cum sit tantum Monetæ Trium-Vir.

Sextum: Pag. 158. Tres Amisi fingit æras, cum sint dumtaxat duæ.

Septimum: Pag. 212. JOVI. PRÆ. ORBIS, mavult *Jovi Præfecto Orbis* legere, quam nobiscum *Præsidi*: quamvis nemo præfectus Latine dici possit, nisi quem alius præfecerit.

Octavum: Pag. 211. In nummo Commodi, TR. P. XIII. IMP. VII. pro IMP.

IMP. VIII. & pag. 212. TR. P. IV. IMP. VI. pro IMP. III.

Nonum: Pag. 213. sub titulo, M. COMMODUS ANT. PIUS FELIX AUG. BRIT. ponit in aversa parte, P. M. TR. P. VII. IMP. V. cum ille nec Britannicus, nec Felix dicatur in nummis ante TR. P. X. IMP. VI.

Decimum: Pag. 216. TR. P. XI. COS. VI. pro COS. V.

Undecimum: Pag. 240. in Gallieno, TR. P. X. COS. II. pro COS. V.

Duodecimum: Pag. 77. in Antonino Pio, LIBERALITAS AUG. VII. IMP. VIII. COS. III. cum Antoninus non sæpius quam IMP. II. in nummis occurrat, & legi COS. IV. oporteat. Pluribus nunc supersedeo: nam quis finis, si quis recensere lapsus velit omnes? Mitto festivam illam interpretationem nummi Volusiani Imp. ATT. K. ΓΑ. ΦΙΝ. ΓΑΛ. ΟΤΕΝΔ. ΟΤΟΛΟϹΙΑΝΟϹ. Nam ubi Valens veluti quatuor auctum triumphis, Vandalicum, Finnicum, Galendicum, Vendenicum, Volusianum cognominavit: ac nomina Augusti quatuor transformavit in totidem gentium nomina, quo Romana numquam arma penetravere: quorum postremum etiam fictum est & antehac inauditum: ibi legi oportuit, *Imp. Cæsar Galerius Finius Gallus Vindex Volusianus*, ut Hyperaspistes admonuit, & in Chronologia Volusiani dicturi sumus. Sunt autem hi lapsus partim hominis prave legentis, sed plerumque perverse intelligentis: quod utrumque vitium in Antiquariorum primipilo venia omni caret; præsertim cum historiæ plurimum & Chronologicæ rei intersit non in istis labi. Tamen si quis etiam post longam ejusmodi erratorum seriem exclamet. *O hominis impudentiam, qui nec nummos contrectarit, sed ex ingenio cuncta fabricat!* Post errores fere ducentos ab Antirrhetici auctore indicatos, *jam istum docere velle, laterem lavare esset, & Æthiopem dealbare. O egregium epocharum scrutatorem & artificem! Quid infelicius pro milite glorioso? Antiquariorum cymbalum vult haberi: bulla ventosior*: similesque multas verborum blanditias si quis effundat, quis vir frugi approbet? Longe humanius certe ruri, atque ipso foro lites geruntur. Est quidem hoc jurgium πάρεργος λόγος, ut inscripsimus, præterque propositum: tamen attingi a nobis potuisse, dummodo fieret moderate, nemo, ut spero, negabit.

Ad annum Christi LXXI.

De annis Agrippæ, ex Josepho.

HIC nummus Domitiani, cum epigraphe ETO. KA. BA. ΑΓΡΙΠΠΑ, quem repræsentamus ex Patino, æque ac duo Regiæ Gazæ, quos anno LXIX. retulimus, Agrippæ anno XIX. quos cum aliis in hoc opere laudatis diligenter otioseque exploravimus, ostendente perhumaniter, ut solet, Viro Clariss. *Oudineto*, Regii Cimelii Custode: nummi, inquam, isti Josephum non unius, sed perpetui cujusdam erroris arguunt, qui Agrippæ initia anno uno ubique antevertat. Nam is, exempli causa, *lib.* 2. de bello Jud. *cap.* XXV. Neronis annum XII. Mense Majo, cum XVII. Agrippæ in Judæa anno componit. Quod si verum esset, annum hunc oporteret esse alterum ac vicesimum Agrippæ regis.

Ad annum Christi LXXVI.

Non fuisse Agrippam religione Judæum.

IN nummo quem Erizzo descripsit, Dea habet emicantem in summa fronte Lunæ crescentis effigiem: quod est symbolum Veneris Genetricis, de qua alias. Ergo regem ethnicum, non Judæum, ni fallimur, ea numinis effigies probat. Didicerat ille quidem Judaicas consuetudines atque quæstiones: credebat, id quod sæpe audierat, vaticinatos esse de Christo rege venturo prophetas, ut ex Paulo discimus in Actis, *cap.* XXVI. 3.27. Nam Apostolus ibi hominem acriter perurget, ut quod animo clausum tenebat, hoc lingua promeret. Gentiles enim vero plerique in eo tractu atque illis temporibus, cum numen divinum colerent, templumque frequentarent statis anni diebus: iidem oracula prophetarum a Judæis edocti de rege propediem nascituro, exspectatione eventus, perinde atque ipsi Judæi, suspensi pendebant: nec Judaicos interim ritus amplexi, quos nullius esse momenti crederent: nec dantes Christo Servatori nomina, crucem perosi. Itaque illi palam in avita superstitione perstabant, præter *Deum Ignotum*, ut ajebant, alia quoque numina venerati. Ex eo fuit Agrippa numero, ut nummi docent: quos qui non habuere, vel non satis diligenter inspexere, ex hoc uno Actorum loco perperam intellecto Judæum fuisse Agrippam collegerunt.

Ad

Ad annum Christi LXXX.

De æra Flaviana, & similibus.

IN nummo Titi, COL. CÆSAREA. L. IB. ΦΛΑ. qui coloniam liberam legunt, quam graviter ii fallantur, in Antirrhetico docuimus, *pag.* 54. Cæsaream nummi nulli neque Latini liberam, neque Græci prædicant αὐτονόμον: cum sint nummi tamen illius civitatis obvii. Qui Flavianam illic æram nolunt agnoscere, iidem fortassis neque in nummis Commodi Alexandriæ percussis Aurelianam agnoscere potuerunt, quæ a primo M. Aurelii Antonini anno ad ultimum usque M. Aurelii Commodi annum perducta est, in quo stirps Aureliana desiit. At inventus est ante biennium nonnemo, cujus nunc nomini parcimus, qui hos annos in nummis Commodi secus acciperet. Nam is annum XX. L. K. quoniam in annum Commodi primum incidit, vicesimum ætatis Commodi annum, cæterosque deinceps usque ad XXXII. similiter interpretatus est: quo dici nihil alienius a vero potuit. Nam, ut cetera nunc prætermittam argumenta, an potest vicesimus ætatis Commodi annus, & XXI. & XXII. idem esse cum XX. XXI. & XXII. Faustinæ Commodi matris anno? Fieri certe non potest. Atqui hujus Faustinæ tamen pariter nummos tres e Thesauro Mauroceni *pag.* 125. Patinus exhibet, similiter notatos, L. K. L. KA. L. KB. Non magis in illis igitur anni Commodi, quam in istis Faustinæ ætatis anni signantur. Adde quartum ejusdem Faustinæ nummum e Cimelio *D. Dron*, in quo annus XIX. alterumque L. Veri perrarum maximæ formæ, e locupletissima gaza Illustriss. *D. Foucault*, summi rei æerariæ, judiciariæ, ac civilis in inferiore Normannia Præfecti: qui nummus eumdem annum XIX. *Ennea* ΚΔ. exhibet, nempe æræ M. Aurelii, qui tunc rerum potiebatur: non autem vel Faustinæ, nam Principum fœminarum annos notari solitos fuisse nemo dixerit: vel L. Veri, quem & supremum diem ante annos decem obiisse alii nummi docent: & novis hoc anno decimo nono auctum honoribus ab Achæis Asiæ minoris, nummus hic fidem facit. Qua de re alias uberius dicemus. Nescis, amice, morem hunc olim usurpari solitum in Oriente, ut in nummis consignaretur æra familiæ illius, cui se tuendam Respublica commisisset: Juliana, Augustana, Claudiana, Flaviana, Aureliana, Severiana, Diocletiana: quemadmodum si Lutetia notasset in nummis olim æram Valesiorum a Philippo Valesio, & nunc similiter regum Borboniorum æram consignaret, ab Henrico Magno. Et illi quidem nummi tres Faustinæ, quos diximus, non inanem modo conjecturam ostendunt de ætate Commodi in nummis signata: verum etiam cum haud mediocri pondere auctoritatis accedunt ad cetara argumenta, quibus historiæ Augustæ scriptores de Faustinæ obitu falsi convincuntur, atque adeo νοθέιας.

Ad annum Christi LXXXII.

De Sebaste Samariæ, & æra Sebastenorum.

EX quo excisa est urbs Samariæ a Salmanassare, oppidi deinceps nomen Samaria non fuit, sed regionis: in qua post Neapolim secundum locum, Plinio ita prodente, Sebaste obtinuit. Hanc ab Herode conditam fuisse initio posuimus, ut aliquid saltem semel feliciter conjecisse Josephum daremus. At nunc pœnitet hujus indulgentiæ. Nam vellicat aurem Plinius: qui postquam Cæsaream dixit conceptis verbis ab Herode rege conditam fuisse, de Sebaste, quam statim subjicit, nihil tale refert. Et vero potuit æque Augusti Cæsaris atque Herodis jussu arx ea in monte, ut ait Plinius, continendis Judæis haud impar exstrui.

Nemo enim ignorat, opinor, hoc esse in more principum, ut in extremo regno arces de suo nomine exstruant, tum ad tutandos fines suos, tum ad hostes subditosque in officio continendos. Neque quemquam profecto e posteris ulla ratio in dubitationem adducet, Arcemne Ludovici, exempli gratia, *le Fort Louis*, aut Caroloregium, *Chalerei*, similesque munitiones, alius exstrui jusserit, quam cujus unaquæque nomen præfert. Et Sebasten igitur a Σεβαστῷ, hoc est, ab Augusto conditam pariter fuisse, maximam similitudinem veri habet. Ut ut est autem, alteruter haud dubie in animo habuit, multo vero magis Augustus, si conditor ipse Sebastes fuit, annum consignare, quo Augusti sive Σεβαστȣ nomen accepit: cum ea civitas in nummis suis & natalem suum, & honorem simul nominis Augusto delati, orbi publicaret. Josephum itaque nunc nihil moramur, qui *lib.* XV. *cap.* XI. Norisio subscribente, ad annum V. C. DCCXXIX. quem Herodis annum XIII. appellat, Sebastes ædificationem refert. Ac, nisi fallimur, hæc æra *Augustorum* est,

est sive *Augustana*, quam auctor libri de die Natali, sub nomine Censorini, ab eo ipso anno repetit, quem diximus Sebastes esse natalem, V. C. DCCXXVII. Consulatu Augusti VII. & Agrippæ III. quamque æram ex his ipsis nummis aut lectis perperam, aut perverse intellectis collegisse potest videri, L. ΘΡ. ΣΕΒΑΣ. ΤΩΝ, *annum* CIX. *Augustorum* imperite interpretatus. Certe quantumvis licet ille asseveret nomen annorum Augustanorum ad suam usque memoriam permanere, atque in Ægypto biennio prius quam in orbe reliquo numerari: tamen in nullo prorsus scripto sculptove monumento æra ista Augustorum consignata apparet, si Sebastenorum nummos exceperis. Norisius *pag.* 446. ait *in Chronico Eusebii* (quod alii Hieronymianum vocant) *natalem Sebastes septennio tardius statui, & non tantum quadriennio, uti scribit in Notis Scaliger: ita nummorum ope insignium scriptorum anachronismos emendari*. Huic censuræ ultro subscribimus, ut modo pro septennio novennium reponat. Sic Tiberiadis natalem decennio retardavit auctor ejusdem chronici: Cæsareæ Paneados, annis quatuor & viginti. Sed hunc isthic *divinare, ut solet*, Scaliger jamdudum admonuit in iisdem Notis, ad annum MMXLI.

Hujus autem oppidi Sebasteni in sacris Novi Testamenti literis mentio nulla est, eam ob causam, opinor, quod urbs esset tota Græcorum atque Gentilium, perinde atque Cæsarea Palęstinæ: & Romano utraque munita præsidio. Fuit autem illud Christi Domini mandatum de his civitatibus similibusque, Gaza, Ascalone, Tiberiade, Juliade, & Cæsarea Philippi, *Matth.* 5. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Nam ęque gentes, de quibus hic sermo est, ac Samaritani, intra Palęstinę fines fuere. Neque hic discipulos Dominus Palęstina vetat excedere: quibus haud tantum animi tunc fuisse videtur, ut deserere patriam auderent. Certe in urbem Cęsaream inferre postea pedem Petrus memor istius pręcepti veritus est, usque dum cœlesti edoctus oraculo, vocem illam Domini ad solum vitæ suæ tempus in terris pertinuisse, jussus est eo se conferre, Act. X. & XI. Et de gentili quidem Cæsariensium superstitione sat diximus. Sebasten autem falsorum similiter deorum cultui addictam fuisse, Jupiter in nummo sculptus admonet. Ab Herode Magno templum ibi Augusto dicatum fuisse Josephus est auctor, *lib.* XV. Antiq. *cap.* XI. & *lib.* I. de bello *cap.* XVI. At non ego credulus: qui probe noverim, ne Romæ quidem erga Cæsarem Augustum, ullumve Principum, usque ad dedicanda templa adulationem processisse, ut in Chronologia Augusti dicemus.

Ad annum Christi LXXXVI.

De nummo Agrippæ junioris, ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κϛ. SC.

NUmmi omnes Agrippæ junioris eo conspirant atque consentiunt, ut doceant ei commissum ex Senatus consulto imperium rei militaris in Palæstina: sive illud officium, quod Ducis Palęstinæ multo recentior notitia Dignitatum appellat, sect. XXI. Hujus sub disputatione ibi dicuntur fuisse, si tamen fidem liber meretur, equites Æliæ positi, hoc est, Hierosolymis: cohortes aliæ juxta Jordanem, aliæ inter Æliam & Hiericunta, aliæ alibi copiæ plurimæ. Nam ΕΠΙ. ΒΑ. non *rege*, sed *sub rege*, sic accipiendum est, ut ea formula conflatum esse nummum admoneat, non in ea ditione, quam ille regia potestate, sed in provincia, quam Cæsaris ac S. P. Q. R. vice, vel Pręsidis ritu administraret, vel tamquam legatus armis defenderet: Itaque hunc Ducatum in Palæstina quidem hic nummus significat Cæsareæ percussus: in Galilæa autem & Judæa, ut dicemus postea, tabernaculum sive tentorium, in omnibus fere nummis hujus Agrippæ cum spicis insculptum: quasi omnis illius regiæ potestatis usus in castris ad tutandum Galileæ ac Judeæ limitem rite locandis ac permutandis: cujus rei symbolum tentorium est.

Ad annum Christi XCI.

De æra & nominibus Neapoleos Samariæ.

NUmmus similem priori e duobus, quos hoc anno descripsimus, Spanhemius *pag.* 769. e Gaza Regia, Tito adscribit, cum Domitiani sit: legitque ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ. pro ΣΑΜΑΡΕ. L. ΑΙ. hoc est, Σαμαρέιας, *anno* XI. At nos hoc loco duos non ea mente exhibuimus, ut anno isto percussos fuisse suaderemus: sed ut quisque intelligeret ex nostra præsenti animadversione, quam ibi spopondimus, quam sunt in nummis diligenter investiganda prius singula, quam de his pronuncies. Ne Domitiani enim annum illum esse undecimum affirmaremus, tametsi prima

ma ſpecie nemo non ita exiſtimet, ac ne cuiquam etiamnum affirmanti credamus, nummi prohibent ejuſdem civitatis, Neapoleos Samariæ, quatuor vel quinque, Antonini Pii temporibus percuſſi: in quibus ęra notatur Flaviana, ſeu potius Neapolitana: neque enim ducit initium ex quo Flavii rerum potiti, ſed ex quo Flavię nomen Neapolis Palęſtinę obtinuit. Nam cur in Flavii Domitiani nummo aliam exiſtimabimus ęram ſignari, quam Neapolitanam ab accepto Flavię prenomine, cum ipſius quoque Antonini Pii principatu non alia appareat in nummis illius civitatis, quam hęc ipſa Neapolitana, ex quo illud Flavię prenomen accepit? Quo argumento duplex ęra ſtatuatur in nummis unius civitatis ubi ſatis ſit unam intelligi? Deinde cum illo eodem ęvo atque tractu terrarum, ut vidimus, ſimiliter Sebaſteni ſuam ęram cum anno Domitiani primo, Herodes tetrarcha ſuam pariter cum anno Caji principis primo, uti ſuam Zenodorus cum primo Aſię receptę Auguſtique imperii anno, conjunxerit: nec poſt annum illum Sebaſtenorum alius ſub Domitiano nummus magis appareat quam Neapolitanorum, aut ſub Auguſto Zenodori, aut Herodis tetrarchæ ſub Cajo principe: quis non intelligit ad primum Domitiani annum æque referri oportere Neapolitanorum huncce nummum, quam Sebaſtenorum? moremque illius ævi fuiſſe, ut reges, tetrarchæ, & civitates, cum æra ſua componerent annum præſertim primum Principum Romanorum? Admonet & litera Σ, in hiſce Neapolitanorum nummis nondum lunata effigie conformata: quod argumentum eſt, ut periti norunt, exorientis adhuc Domitiani principatus. Ex his porro intelligere eſt, primum Neapoleos Samariæ annum ſtatui oportere, LXXI. æræ Chriſtianæ, autumno ineuntem. Nova enim civitas in anni ſui initio figendo Græcum ſtatim morem ſecuta fuiſſe videtur, neglecta vetere Judæorum ac Samaritarum conſuetudine a verno tempore anni inchoandi. Noriſius in Epocha Neapoleos, de nummis iſtis duobus tribuſve differere, quos attulimus, quoniam vel ſciens prudenſque refugit, vel imprudenter omiſit, certo definire initium æræ Neapoleos non potuit.

Hæc æra perſeverat, ut diximus, ſub Antonino Pio, in nummis ipſius Pii, & Aurelii Cæſaris, & Fauſtinæ junioris. Ubi vero Neapolis ad Flaviæ appellationem in nummis ſuis Aureliæ prænomen adjecit, ΑΥΡ. ΦΛ. ΝΕΑC. ΠΟΛΕΩC. CΥΡ. ΠΑΛ. & ΑΥΡ. ΦΛ. ΝΕΑC. ΠΟΛΕΩΣ CAM. nempe ſub M. Aurelio Antonino, deſiit hæc æra deinceps apponi: quoniam annus unus & idem eſſe non potuit, ex quo utrumque prænomen adepta civitas fuerat. Noriſium interim miror, qui *pag.* 449. de M. Aurelii Antonini Caracallæ nomine Aureliam Neapolim in nummis cognominatam velit. Nam de iſtius Antonini nomine, nonniſi Antoninianæ dictæ ſunt civitates in nummis, ut Amaſia, Ancyra, Tarſus. Quæcumque dicta Aurelia eſt, id nomen habuit a M. Aurelio Commodi patre: a quo & *colonia Aurelia Carrhenorum & Colonia Aurelia Karthago Kommodiana Pia Felix.* inſcribitur: non *Carrhenorum Commagene*, ut a quibuſdam perperam interpretatum fuiſſe monuimus, in priore noſtra de Nummis antiquis lucubratione, *pag.* 116. Et quæ apud Spanhemium, *pag.* 776. in nummo Caracallæ, *Colonia Aurelia Antoniniana Alexandria* vocatur, nempe Troas, geminum prænomen a gemino Auguſto, M. Aurelio nimirum, & Antonino Caracalla, ut vocant: ſicuti Neapolis a duobus Auguſtis, Aurelio & Flavio, geminum Aureliæ & Flaviæ prænomen traxit. Una ex omnibus, opinor, *Colonia Aurelia Pia Sidon* ab uno Imperatore M. Aurelio Antonino Pio, quem Elagabalum vocant, geminum nomen tulit: alterum a nomine Aurelii, a Pii cognomine alterum: quod ſingularis cujuſdam artificii fuit, ut ex utroque conjunctim nomine planum eſſet, ex Aureliis qui plurimi ſunt, a quo ſe deductam colonia Sidon agnoſceret.

Quod ſupereſt denique de Neapoli dicendum, vetus illius nomen *Mamortha* fuit, teſte Plinio: tametſi Joſephus *lib.* v. de bello *cap.* IV. Μαβαρθὰ vocat, nimirum ut in Samaritico nomine efferendo Joſephi admonitu poſteri crederent lapſum eſſe Plinium: cujus viri auctoritatem ut imminueret factio antea indicata, quot & quas artes adhibuerit, alias Deo juvante patefaciemus. Sed & alio ex capite Joſephus a Plinio diſſidet. Nam iſte prius oppidi nomen repudiatum atque e medio ſublatum admonet, Neapoleos in illius vicem inducto vocabulo: *Oppidum Samariæ Neapolis*, inquit, *quod* Antea *Mamortha dicebatur.* Ille ſimul a Græcis Neapolim, ab indigenis *Mabartha* appellatam refert, τὴν Νεάπολιν καλεμένην, Μαβαρθὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων. Et Neapolim ille quidem jam tum ſub Nerone appellatam fuiſſe innuit: cum ipſa quidem vox Νέας πόλεως & æra in nummis ejus impreſſa, videatur æque recentem indicare Neapoleos ac

Fla-

Flaviæ appellationem: Pliniana vero oratio, quæ est accuratissimæ brevitatis, haud obscure significet, pulsis inde Samaritis a Vespasiano, rejectoque simul vetere Samaritico vocabulo, novos incolas, nempe Græcos, inductos in eam civitatem, nova, ut fit, munitionum accessione firmatam, novum Neapoleos nomen adscivisse. Quam porro dubia est illius scriptoris patria, qui Νεάπολιν more latino scribit, pro Νέαν πόλιν? Et hæc suspicio cadit in omnes, qui simili errore tenentur. Nam Græco sub cœlo nati, ut Thucydides: & quorum scripta constat perinde atque istius esse genuina, Νέαν πόλιν scribunt. Palæstinos certe Νέαν πόλιν dixisse testes nummi sunt, ΝΕΑϹ ΠΟΛΕΩϹ inscripti. An Palæstinus ergo censeri debet, auctor Originum Judaicarum, qui ab eo more discedit? Nam *Act.* XVI. 11. si Νεάπολιν hodie legitur, id eorum inscitiæ tribuendum, qui Græcos sacræ scripturæ codices a suis sodalibus interpolatos descripserunt: quamquam codex Alexandrinus eo loci Νέαν πόλιν retinet. Sed & vox Μιθειδάτης, quæ apud Josephum sociosque occurrit, pro Μιθραδάτης, ut nummi habent, parem oris Latini suspicionem efficit. Qua de re nos alias fortassis dicturi sumus.

Ad annum Christi XCIV.

De formæ dissimilitudine in nummis Herodiadum.

IN nummis Herodiadum, diversos Principes vel una indicat dispar forma nummorum. Herodes prior usus est gignendi casu, ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ. Herodes alter recto casu, ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, aut ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Agrippa prior similiter, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ, sed supremo tantum Neronis anno: sub Vespasianis, numquam sine aliquo vultu Flaviorum in priore parte, rejecto in aversam aream solo Agrippæ nomine absque vultus effigie: ΕΤΟ. ΙΘ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. anno XIX. vel alio *regis Agrippæ*. Susceperat ille Neronis partes anno istius supremo, cum sua Cæsarea, ut simillimi admonent Neronis & Agrippæ nummi, in eadem illa civitate anno ipso conflati. Eam ob rem, ut Cæsarea, deducta mox eo a Vespasiano colonia, pœnas persolvit Reipublicæ violatæ: sic iste ab eodem multatus est Magni Regis appellatione, atque adeo, ut apparet, Philippi tetrarchia. Hoc illa una nummorum Agrippæ discrepantia subjicere oculis pene ipsis videtur. Denique alter Agrippa scripsit, ΒΑϹΙΛΕωϹ ΑΓΡΙΠΑ L. Θ. cum tabernaculo, seu papilione, *une tente, un pavillon*: quo significetur Judæam ab Agrippa rege, non regio jure aut potestate administratam, sed tantum Rectoris sive Imperatoris titulo, hoc est, Ducis copiarum Romanarum in illo imperii limite constitutarum. Est enim Imperatoris adsignare, ubi tentoria ponenda, castra locanda, quove transferenda sint. Quare una eademque nummi area regis Agrippæ nomen exhibet, & tentorium. Nam Scenopegiæ festum in nummo quærere: aut in spicis, quas area nummi altera repræsentat, festa gemina Azymorum & Pentecostes, puerile est: nisi forte quis existimet Cæsarienses quoque Cappadociæ eadem festa celebrasse: eo quod in Cimelii Droniani nummo, Alexandri Severi principatu, tres spicæ similiter emicant, cum epigraphe, ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙϹ. ΕΤ. Ε. Functus eodem Ducis seu Rectoris munere multo post, is qui in nummo Aureliani Imp. appellatur *Vabalathus Ucrimor*, hoc est, *vice Cæsaris Rector Imperii Orientis:* vel potius, siquidem, ut admonuit *D. Dron*, in nitidiore nummo apparet *Ucrimpr. vice Cęsaris Rector Imperii Romani.*

Jam symbolum Judęę in nummis Agrippę senioris nullum est, sed Galilęę tantum. In nummis junioris Agrippę vicissim qui supersunt, nullum peculiare Galilęę symbolum est: in Judęa Samariave percussos fuisse, forma nummi & fabrica admonet, qualis in nummo ΚΑΙϹΑΡΟϹ. ΛΘ. anno Christi octavo. Hinc haud temere conjicere est, post mortem Agrippę prioris, Galilęę regnum ereptum Agrippę filio a Domitiano fuisse, solo regis titulo ei relicto, cum exigua, quæcumque ea fuerit, regni portione: & pręfectura rei militaris in limite Arabię & Palęstinę: quam ille ob causam nec Magnus Rex, ut pater & avi frater, sed rex tantummodo appellatur in lapide Sponiano. Verum a Trajano Reginæ Magnæ Berenicæ Galilæam cum Ituræa fuisse restitutam ex eodem lapide, ut apparet, efficitur.

Ad annum Christi XCVIII.

Vera descriptio Herodianæ gentis ex sacris literis, nummisque, & marmoribus.

INscriptio a Sponio descripta Athenis, ab Hyperaspiste nuper laudata, Trajani principatu posita videtur: certe postquam Agrippæ patri defuncto filia Berenice successerat. Est autem hujusmodi.

H BOY-

Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΥ ΠΑΓΟΥ
ΚΑΙ Η ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ Χ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΙΟΥΛΙΑΝ ΒΕΡΕΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΜΕΓΑΛΗΝ
ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΘΥΓΑΤΕΡΑ
ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΝ
ΔΙΑ ΤΗΣ ΠΡΟΝΟΙΑΣ ΤΟΥ ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ
ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΘΕΟΓΕΝΟΥΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.

Senatus Areopagi, & Senatus Millevirorum, & Populus, Juliam Berenicem Reginam Magnam, Julii Agrippæ Regis Filiam, & Magnorum Regum Benefactorum Urbis Neptem, procurante Urbis Ædile Tiberio Claudio Theogene Pæaniensi, venerantur. Huic voci ἔκγονος, quæ vis ac potestas subsit, intelligere est ex inscriptionibus ab Hyperaspiste indicatis: Gruteri, *pag.* CCLV. 4. Sponii, *pag.* 112. & 329. & 354. Nunc igitur, quod unum denique potest hoc loco desiderari, quæ sit Herodiani generis descriptio ex isto lapide, & nummis antiquis, ac sacris codicibus, breviter repræsentamus: ac simul alteram ex Josepho e regione opponimus: ut quam sint ambæ inter se dispares, oculi statim ipsi faciant fidem.

Ex sacris literis, & nummis, ac lapidibus.

HERODES Ethnarcha primum Judææ ac Samariæ, deinde Rex

ARCHELAUS Rex Judææ ac Samariæ: *Matt.* 2. 22. ubi *regnasse* dicitur *in Judæa pro patre suo*, hoc est, regnum obtinuisse paternum cum titulo regio.	PHILIPPUS Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis. Uxor Herodias.	HERODES Tetrarcha primum Galilææ: deinde Magnus Rex, adjecta Ituræa & Trachonitide.

(ex Philippo et Herodias:)

AGRIPPA, Magnus Rex Galilææ, & Ituræ cum Trachonitide: cujus ætate capta sunt Hierosolyma.	Uxor Berenice, *Act.* XXV.

JULIUS AGRIPPA, Rex, vice Cæsaris Præfectus rei militari in Judæa & Palæstina, usque ad suprema fere Domitiani tempora.

JULIA BERENICE, Regina Magna.

Ex Josepho.

HERODES MAGNUS, Rex Judææ, Idumææ, & Galilææ.

- Herodes ignotus
  - Salome uxor Philippi.
- ARCHELAUS Ethnarcha, non Rex.
- HERODES Tetrarcha Galilææ.
- Aristobulus
  - Herodias primum uxor ignoti Herodis, Herodis M. filii: postea & Herodis tetrarchæ.
  - AGRIPPA, rex Judææ & Galilææ, qui anno Claudii tertio obiit.
    - Berenice.
    - AGRIPPA, sub quo capta sunt Hierosolyma: quem usque ad tertium Trajani annum vixisse Justus Tiberiensis, ut ajunt, prodidit: longe prius obiisse alii ex Josepho utcumque colligunt.
  - HERODES Chalcidis Rex.
- PHILIPPUS tetrarcha Trachonitidis.

Reliquam Herodis progeniem, quam Josephus recenset, lib. XVIII. *Antiq.* cap. VII. *consulto prætermittimus, quoniam neque ad eam refellendam nummi antiqui juvant: neque ipsa vicissim ad nummos illustrandos.*

I. *De gemino Agrippa.*

Multa se hic offerunt haud leviter consideranda. Primum est de Agrippa gemino. Agrippæ Magni Regis filiam Berenicen fuisse Josephus ait, negat lapis descriptus a Sponio, dum Regis filiam solum vocat, non Magni Regis: & idem eos solummodo, quorum illa ἔκγονος fuit, hoc est, neptis proneptisque, Magnos Reges appellat, avum ac proavi fratrem: Agrippam priorem scilicet, & Herodem tetrarcham. Agrippa igitur geminus fuit, si Josepho neglecto, lapidi uni nummoque credimus: alter, quem Regem Magnum fuisse nummus prædicat: alter, quem & Regem Magnum fuisse lapis negat, & eundem facit patrem Berenices: nummus autem alter eximius Cimelii Droniani, annum XIV. post patris obitum egisse docet sub Domitiano.

II. *De Julii prænomine.*

Deinde si Julii nomen Agrippa tulit, & Juliæ Berenice, datum illud procul dubio ei familiæ est, quæ sub Augusto vixit: ut & Sauromatæ regi, cujus apud V. Cl. D. BAUDELOT nummus exstat ex ære mediocri ΙΟΥΛΙΟΥ ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. Sic & Abgarus rex Septimii Severi prænomen a Severo Imp. accepit, ut testis est nummus ejusdem Musei geminus, ex ære minimo: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΙΛ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ ΑΒΓΑΡΟΣ. & ΒΑϹ. Λ. ΑΙΛ. ϹΕΠ. ΑΒΓΑΡΟϹ. Ergo & Agrippæ istius pater Julius Agrippa pariter fuit: & avus quoque Julius: quo de nomine tamen nullum apud Josephum vestigium est. Familia gentis Herodum altera, quæ mansit Athenis, Tiberii Claudii similiter postea nomen accepit, ut lapides testantur, quos alias appellabimus.

Quid si avus autem Agrippæ junioris ex eo fuisse potius Philippus tetrarcha agnoscitur, quam Herodes alter? Nam Philippus certe potius ab Augusto Cæsare, cui Cæsaream Paneados ultro dediderat, in Julii nomen videri debet adscitus, quam Herodes tetrarcha, qui neque ullo numismate se φιλόϊσλιον professus est, aut clientem vel socium Augusti, neque ullo ei dato in oppignerationem fidei oppido suæ ditionis. Fuit igitur Philippi filius Agrippa prior, non Herodis. Nam si Philippum apparet Julium fuisse, Herodem autem plane liquet Julium non fuisse: extra controversiam debet videri, Julii Philippi potius filium fuisse Julium Agrippam, qui Julius non fue-

fuerit. Agrippæ igitur, quod consectarium ex eo videtur esse, (conjecturas enim quidem aliquas subinde hic adspergimus: sed quas viri prudentes, uti remur, intellecturi sint, non habere modo per se plurimum probabilitatis, verum etiam cum iis, quæ ex sacris literis, nummis ac lapidibus certa esse posuimus, necessario apta esse atque connexa:) Agrippæ igitur priori, inquam, tunc adhuc infanti, cum Philippus pater e vivis abiret, anno Christi XXXII. non licuit per ætatem adire patrias possessiones. Quæ causa permovit Herodem tetrarcham patruum, ut fratris uxorem duceret, gereretque se vulpes astuta, pro tutore pupilli, ac tutelæ specie alienam quoque tetrarchiam administraret cum potestate. Verum eo ipso post annos decem pariter exstincto, necdum Agrippa pubertatis annos egresso, dilata ei in annum usque Christi LI. ætatis suæ fere XXV. utraque possessio est, tetrarchia nempe gemina, patris ac patrui, Claudio annuente: ex quo Agrippa Magnus Rex, idemque φιλοκλαύδιος est appellatus, professus se clientem pariter familiæ Claudiæ sub Claudio & Nerone privigno. Itaque Berenice cum ἔκγονος fuisse dicitur Magnorum Regum, intelligi Magnos Reges duos oportet, avum Agrippam, & proavi fratrem Herodem: illius quidem ut neptis fuerit, istius autem ex fratre proneptis: nam utriusque ditio ad eam hereditate venit.

III. *De patria Herodis*.

Tertia de Herodis patria disquisitio est. Ævo Marci Tullii Herodum familiam Athenis in primis nobilem fuisse, ex epistolis ad Atticum intelligimus, ut antea dictum est. At Josephus nihilominus, *lib.* XX. *cap.* VI. Herodem priorem genere Judæum facit: idemque parum sibi de more constans, *lib.* XIV. *cap.* 2. Nicolaum Damascenum (quem sibi finxisse adversarium videtur, ne veniret in suspicionem, si solus exstraret ex his, qui de Herodianis rebus scripsissent) hunc, inquam, mendacii arguit, qui Judæum Herodem faciat pro Idumæo. Strabo tamen ἀνέρα ἐπιχώριον vocat. Nec Judæum autem, nec Idumæum, sed Palæstinum, id est, Ascalonitam, vetus auctor ait fuisse Herodem Tetrarcham, sub quo Christus est natus: sic enim loquitur libro VII. Γλαφυρῶν in Genesim, *pag.* 223. negatque ἐξ αἵματος Ἰσραὴλ fuisse: cum prius idem *lib.* X. de adoratione in spiritu & veritate, *pag.* 345. Herodem tetrarcham ἐξ αἵματος Ἰσραὴλ fuisse affirmarit: qui locus conferri præterea potest cum *lib.* 2. Γλαφυρῶν, aliisque locis plurimis, ubi vox ea rursum occurrit. Nemo interim, opinor, me jure culpet, quod veterum quorumdam more auctorem de nomine non appellem: cum illud venia multo justiore fiat, quam quod ipse sacrorum librorum scriptores similiter tacito nomine indicat: nunc ea formula usus, κατὰ τὸ ὑπό τοῦ καλῶς εἰρημένον, *ut est pulcre dictum a quodam*, cum Sapientiam Salomonis: nunc ista, ὥσπερ τις τῶν ἀρχαιοτέρων, cum Amos prophetam intelligat, dialogo VII. de S. Trinit. *pag.* 649. Nec aliud existimaret ipse, ut arbitror, aliive, quorum similiter nomina dissimulamus, nisi vicem nunc sibi quamdam rependi. Sed ad propositum revertamur.

Ascalonitam pariter vocant Herodem, sub quo passus est Christus, Judæi in Dialogo cum Tryphone, *pag.* 211. Quorsum autem homo Ascalonita, vel Idumæus, vel Judæus, aut ejusdem liberi ac nepotes, Atheniensium illo ævo εὐεργέται forent, cum ad tutelam regni Judaici licita una esset cum Romanis societas & amicitia, Atheniensium opera inutili? In promtu autem e diverso causa est hujus εὐεργεσίας, si Atticus Herodes fuit. Nam erga patriam esse aliquem beneficum & liberalem, ac memorem originis suæ, & est in laude ponendum, nec est præter morem. An igitur Atticus Herodes ut existimetur, satis argumenti est in hoc lapide Sponiano? Nam is Josepho ac sociis latuit, ut videtur. Ἀναθήματα quædam certe Josephus, *lib.* I. de bello, *cap.* XVI. Atheniensibus aliisque collata commemorat: sed quæ vix titulum εὐεργέτου mereri videantur: neque immerito ficta existimari possint ad effigiem principis munificentissimi: tum quod nulla causa satis idonea afferri potest adeo effusæ largitionis erga tot civitates, quot ibi recensentur: tum quod in hoc lapide soli Magni Reges εὐεργέται Atheniensium fuisse dicantur: nec appelletur autem Rex Magnus Herodes prior in altero lapide antea laudato, nec reipsa fuerit, ut diximus: cum Judæam tantum obtineret, ut sacri duo scriptores docent, Matthæus & Lucas: Neque enim arbitramur, posse quemquam sine scelere affirmare, minus accurate locutos fuisse: ac regem Judææ Herodem dixisse tantummodo, quamvis rex esset totius Israelis, aliarumque ditionum. Hoc esset enim dicere, tam parum considerate locutos, quam si quis rem aliquam nuper gestam sub rege Hispaniarum scriptis proditurus, narrationem exor-

diretur ab his verbis, *Fuit in diebus Caroli Regis Murciæ*: si quidem Judææ vocabulum quo ævo scriberent, tum iisdem ipsis, tum aliis testibus, tribum unam & alteram dumtaxat complectebatur, cum parte Samariæ: non Galilæam & reliquas ditiones, quas Herodi suo Magno Josephus adsignat: ac ne Jerusalem quidem ipsam in Evangelio Joannis, *cap.* III. 22. Sed si profecta sunt aliqua ab Herode munera ad Athenienses, cur beneficia Herodis alterius, & Agrippæ prioris erga eosdem Josephus prætermisit, cum istorum ætas multo ipsi propior fuerit, debueritque esse idcirco notior?

IV. *De Berenice*.

Quarta esse potest de Berenice quæstio, quamobrem Magna Regina Berenice in Sponiano lapide nuncupetur. Quoniam, opinor, geminæ ditionis, Galilææ nimirum, & Trachonitidis cum Ituræa, sceptrum obtineret. At silent historici. Sane: silent enim & de tetrarcha, qui anno Christi CLXXII. Ituræam tenebat, & Trachonitidem regionem: cum illius effigies in nummo Cæsareæ Paneados, sive Cæsaræa Philippi, cernatur, e Cimelio Viri Clariss. *D. Dron*, capite diademato, absque epigraphe. Absit enim ut quisquam suspicetur cum Norisio, *pag.* 376. Commodi Cæsaris caput esse. Nam quis vel Cæsaris vel Augusti diadematum caput in nummis vidit, aut gemmatum, ante Constantium, annumque CCCXXV.? Itaque silentibus tum de Berenice, tum de illo principe historicis, lapides & nummi loquuntur.

V. *De Herodianis*.

De Herodianis similiter loquuntur sacri scriptores, de quibus altum apud Josephum silentium est. Cur autem de his silet? Res enim alicujus certe momenti fuit, eoque nomine etiam a nobis hoc loco perstringenda, quod intelligimus a nemine adhuc de ea dictum satis apposite. Horum mentio primum occurrit apud Matthæum, *cap.* XXII. 16. ubi Pharisæi *cum Herodianis*, hoc est, Judæi qui se immunes a tributo esse optarent cum ethinicis φιλοχλωδίοις qui Cęsari pendi cributum vellent: Christum tentantes, *ut caperent eum in sermone*, sciscitantur ab eo, *licet censum dare Cæsari, an non*? Nam si affirmaret, Judęi illum quidem pro Christo non agnoscerent: qui non modo non libertatem, qualem ipsi sperabant, Judęis afferret, sed duram sub gentilibus principibus servitutem pensionemque tributi gravissimam approbaret. Si negaret autem, Gręci *traderent illum principatui & potestati præsidis*, ut ait Lucas, cap. XX. 20. tamquam auctorem rerum novarum adversus Cęsarem, ac lęsę majestatis reum. Monet deinde Christus, Marci VIII. 15. uti caveatur *a fermento Pharisæorum & fermento Herodis*: quod Matthęus sic retulit. *Cavete a fermento Pharisæorum & Sadducæorum*: subjecitque interpretationem fermenti, perversitatem doctrinæ. Illis enim temporibus in Judæa & Galilæa, ac multo antea, nempe ex quo fere in eas regiones Græcanica se peregrinitas infudit, ingens de resurrectione disceptatio fuit: Pharisæis *resurrectionem futuram justorum & iniquorum* prædicantibus, negantibus Sadducæis. Testis est Paulus in Actis, *cap.* XXIII. 6. *Ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum judicor*. Et Lucas v. 8. *Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum. Pharisæi autem utraque confitentur*. Ut prius apud Matth. XXII. 23. *Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt, non esse resurrectionem*.

Apud Marcum pro Ἡρώδου, quidam dicuntur codices Ἡρωδιανῶν habere, quod eodem recidit. Sunt igitur, ipso Domino præmonente, Herodiani eadem infecti labe, qua Sadducæi, ac vice versa. Neque enim testes alios, si qui secus sentire videantur, in præsenti moramur: sive quod piget post Deum audire mortales: sive quod isti ætatis incertæ fortassis, ac per se dubiæ fidei sunt: sive denique quod neque inter ipsos de Herodianis convenit: neque cogit ulla ratio, ut alterum præ altero audiamus. Quanto autem satius est uni Domini ac magistri voci adhærescere, neque eam ullius conjecturæ fuco adulterare, aut tricis infringere? Grecanica igitur ea superstitio fuit, quæ neque resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, hoc est, neque Angelum, neque Deum ipsum, resurrectionis magistrum ac doctorem agnoscebat: est enim orationis ascensus, ab Angelo ad Deum, & est πνεῦμα Deus. Quemadmodum Christus ipse dixit, Joan. IV. 24. πνεῦμα ὁ Θεός, *Spiritus est Deus*. Illam profecto ibi Pauli fidem ac Pharisæorum esse, cum Sadducæorum placitis pugnantem, ex his verbis conficitur, quę post prius allata statim subjiciuntur, verso 9. *Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine isto. Quid si*

Spi-

Spiritus locutus est ei, aut Angelus? Spiritus haud dubie idem in hoc versu, qui & in proxime superiore, cum Angelo consociatur, ut apparet: quoniam per se vel per Angelum loqui Deus homini possit ac soleat. Nam qui Pharisei in versu priore dicuntur *utraque confiteri*, Angelum, & Spiritum: iidem ipsi in subsequente Spiritum & Angelum commemorant: eumdemque proinde in utraque sententia Spiritum, nec diversum.

Est aliud πνεῦμα in sacris codicibus, aliud τὸ πνεῦμα: tametsi leve ac subtile istarum vocum discrimen est, cum de Deo agitur. Nam istud quidem τὸ πνεῦμα per se Spiritum sanctum, ex consequenti vero naturam divinam significat, cui vis operandi inest: operationemque ab ea profectam, quę *per appropriationem*, ut schola loquitur, Spiritui tribuitur. Πνεῦμα autem, divinam per se naturam; nam *Spiritus est Deus*: ex consequenti vero, personam divinitatis eam, cui operatio tribuitur: sunt enim, ut ejusdem scholę verbis utamur, actiones suppositorum, quantum ad denominationem attinet. Pugnat porro cum catholica veritate Grotii interpretatio in hunc locum, ubi nomine πνεύματος jubet intelligi *quemdam afflatum, qui animum miro modo penetret, quem Græci ἐπίνοιαν vocant*. Est enim Socinianę pestis, quam ille in suis Notis ad libros sacros singulis non dico paginis, sed pęne versibus callidissime occultissimeque ingerit, illud primarium placitum, ne τὸ πνεῦμα quidem Spiritus sancti personam usquam significare: sed huc dumtaxat afflatum quem diximus. Quare in Notis ad hunc locum, monet alia simili sensu loca accipi oportere, tametsi in his omnibus τὸ πνεῦμα legitur Act. x. 19. xi. 12. 28. xvi. 7. xx. 23. Cujus autem imperitię, sive potius malitię est, hoc loco non agnoscere perinde Spiritum atque Angelum, intelligentem substantiam declarari, cum uterque ex ęquo, Spiritus atque Angelus, & ęque uterque proprie loqui dicatur? τὸ εἰ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, ἢ ἄγγελος, Hanc enim vim esse vocis tum Gręcę λαλεῖν, tum Latinę *loqui*, ut in substantiam tantum cadat mente ac ratione prędıtam, tum pueri norunt, tum tercenta Novi Testamenti exempla confirmant. Tamen a malitia Grotius non discedens, ad locum Johannis xvi. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis...... quæcumque audiet loquetur*, ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, ne personam Spiritus sancti agnoscat, illi afflatui quem prędicat, personam legati dicit affingi per prosopopœiam, & λαλεῖν ait *Spiritus sancti esse*, hoc est, Grotiani afflatus *insinuare* sive irrepere *animis*. Et Johannes igitur fere sexagies, & tricies Lucas, hoc est, ubique constantissime, proprio significatu vocis illius usi sunt: semel tantum uterque, sui perpetui moris oblitus, improprio & metaphorico: neque usquam alibi, quam ubi propria vocis acceptio dogmati Sociniano officit? Quis istud autem, nisi e Socini castris aliquis, fieri potuisse existimet? Ne Deum autem hoc loco Grotius agnosceret, causa hęc fuit: (nam alios alię causę perpulere) at is verebatur, ne si Sadducęos Herodianosve fateretur Deum aut nullum verum, aut corporeum coluisse, eoque nomine a sacris scriptoribus repudiatos, atque ab ipsa Synagoga rejectos, se quoque jam tum in illis fuisse prædamnatum fateri cogeretur. Nam ipse corporeum Deum coluit, qualem grex Socini.

Angelum igitur ac Spiritum negavere Sadducæi, hoc est, & Angelum, & Spiritum sustulere, qualem Paulus cum Pharisæis, & nos cum Paulo animis informamus: substantiam nimirum omnis expertem corporis, omniumque affectionum quæ corporis propriæ sunt: quæ non tenuitate solum, aut vi motus celerrima, sed toto substantiæ genere a corpore discrepet. *Pharisæi autem utraque confitentur*, hoc est, geminum resurrectionis magistrum: nempe & Angelum, & Spiritum, sive Deum: quorum ab alterutro edoceri Paulum potuisse iidem suspicantur. *Quid si*, ajunt, *Spiritus locutus est ei, aut Angelus?* Afflatum, sive ἐπίνοιαν Grotianam an in Mose saltem, quem prophetæ loco ipsi quoque habuere, Sadducæi negarent? Minime sane. Sed hunc afflatum esse a Deo Spiritu, quæ vocis istius acceptio est apud Catholicos Doctores, æque atque Grotius, pernegarunt: sive Deum illi corporeum, ut Sociniani: sive, quod multo est verius, naturam illi tantum pro Numine haberent, & Deo Ignoto: cujus μοναρχίαν qualemcumque agnoscerent in res omnes, hoc est, in substantiam corpoream. Nam τὸ πᾶν esse corporeum statuebant, cujus partes inferiores a superioribus certa ratione ac lege regantur. Hoc est autem Angelum ac Spiritum, sive Deum reipsa tollere.

De Angelis quidem ait iste Sadducæos id statuisse, *quod Judæorum nonnullos sua quoque ætate sensisse Justinus affirmat*, ἀτμήτους καὶ ἀχωρίστους Θεοῦ δυνάμεις, ἃς ὁ Θεὸς ὅταν βούληται, προπηδᾶν ποιεῖ, καὶ πάλιν ἀναστέλλει πρὸς ἑαυτὸν, nempe in Dialogo cum Tryphone, *pag.* 280. At illa non Judæorum, sed quorumdam ex his, qui

qui Christo nomen dedissent, opinio fuisse ibi dicitur: qui de Verbo similiter ac de Angelis pronunciarent, ipsum esse Virtutem, quæ ab rerum omnium parte subinde prosiliret, ad eumque peracto opere remearet: nunc Verbum appellari, cum Patris mandata defert ad mortales: nunc gloriam Patris, cum admirabiles quasdam de Deo ἐπινοίας animis nostris injicit: nunc aliis nominibus insigniri. Qui si hæretici tunc fuere, præivisse Marcello Ancyrano possunt videri, cui similis de Verbo deliratio tribuitur, *lib.* 2. hæreticarum fabularum, *cap.* x. Idem objectum olim Origenii fuisse refert Anonymus in Bibliotheca Photii, *cod.* CXVII. ὅτι τὰ χερουβὶμ ἐπίνοιαι τοῦ υἱοῦ εἰσίν. Quæ sunt profecta haud dubie, ut illa priora ex Dialogo descripta, ab impio dogmate de Deo aut Verbo corporeo. Quod si æque conficta aut temere credita illa in Dialogo hæresis est, atque ista Origeni per calumniam impacta creditur ab Illustrissimo *Huetio* Abrincensium Episcopo: id quod aliquando certis rationibus se persuasurum aliquis pollicitus est: quid erit deinde Grotio relictum, quo non suum potius, qui verus error est, in sacris codicibus damnatum defendat, quam istum alterum, qui nec Judæorum fuit, ut ostendimus, nec fortassis ullius sectæ inter Christianos? Quod si qui Angelos somniarunt, ut quidem ipse vult, esse ἀτμήτους καὶ ἀχωρίστους Θεοῦ δυνάμεις, iddem, ut de Origene creditum est, censuere esse ἐπινοίας τοῦ υἱοῦ, quod idem prorsus valet aut eodem certe recidit: qui fieri potest, ut Sadducæi Spiritum negarent, si nomine πνεύματος intelligi necesse est hanc ipsam ἐπίνοιαν, sive afflatum Grotianum?

Quoniam vero quæ Angelorum, eadem omnino humanorum spirituum conditio atque ratio est, quantum ad secretionem ab omni corpore: de natura similiter atque origine animæ visum est auctori Antiquitatum Judaicarum, Grotioque, & Wolzogenio, Sadducæorum hæresim in eo statuere, quod affirmarent animam esse dumtaxat quamdam corporis humorumque κρᾶσιν, sive temperationem, quæ cum corpore evanesceret atque interiret. Nisi enim ita Sadducæi crederent, non potuit alia eorum esse de animæ natura hæræsis, quam quæ ἀρχαιολόγου, Grotiique, ac Socini fuit: tenuem esse substantiam, quæ pro sua tenuitate dici incorporea & spiritalis jure possit, divinæ particulam auræ, spiritum natura sua corruptionis expertem, ex æthere vel anima mundi, alioye simili fonte, decerptum: qui non ut quod, sed ut quo vivat: hoc est, qui per se non vivat, sed vitam cum corpore conjunctus efficiat. Ne hic igitur confixus error in sacris literis crederetur, alium isti longeque diversum Sadducæis affinxere, quem diximus. Tametsi in diversas ipsi quoque partes abiere. Nam ille quidem ἀρχαιολόγος discedere ex hac vita animum cum quodam perpetuo corpore aut vehiculo, ut Trismegistus, aliique, censuit: qui Catholicorum sensa ac voces cum vellent imitari, vitam hoc modo sensumque animis a corpore sejunctis dedere. Isti alterum in corpore corpus perosi prorsus hæc adimunt, ac vivere animos nostros a corpore separatos plane negant: tametsi eosdem subsistere nihilominus, hoc est, non interire asseverant. Quare quod est a Salomone pronunciatum, Eccl. XII. 7. *Revertitur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redit ad Deum, qui dedit illum*, pro eo positum est, si Grotium audimus, quod Euripides cecinit, Τὸ σῶμα δ' ἐς γῆν, πνεῦμα δὲ πρὸς αἰθέρα, *redire spiritum ad æthera*. Est enim æther Grotio fons animarum: quem fontem etiam Aristoteli placuisse vetus scriptor prodidit, *lib.* IV. contra Celsum, *pag.* 202. In priorem illam autem de corpore aut vehiculo animę hęresim (nunc enim certe Catholici omnes sic appellant) quo sive casu, sive consilio vel errore, veterum quidam impegerint, alterius erit loci exponere, ne uno omnia tempore dicamus, longiusque a proposito evagemur. Posterior, quę Grotiana, quam nihil ab Herodiana Sadducęaque distet, de origine animę, nunc est aperiendum: de exitu enim ac fine quanto sit illa pejor, & ii intelligunt vel me tacente, qui Socinianę doctrinę corpus integrum callent: idemque Grotii virus esse ex libris ipsius didicerunt: & nos ipsi satis aperte pro instituto nunc indicavimus.

An vero decerptam ex æthere, quintave substantia, sive anima mundi, animam humanam Sadducæi negarent, cum id Platonici non negarent? An Angelos minime subsistere, animosque similiter interire cum corporibus, atque in nihilum redire Sadducæi docerent, cum Platonici e contrario permanere contenderent? Nam ut Herodianos a Sadducæis nihil differre Christus admonuit, in hac parte doctrinæ: ita nihil illos a Platonicis in eadem diffidere, maxime probabilis ratio persuadet. An enim Herodes Atticus aliam, quam Platonis Attici sectam sequeretur? aut quæ alia, quam Platonis vel similium dogmata, cum se Græ-

Græca peregrinitas in Asiam infudit, secum invexisse existimanda est? Atqui & Platonis ipsius, & Aristotelis, & ipsius Pythagoræ sententiæ, *spem* Tullio *afferunt*, 1. Tusc. XXIV. *posse animos*, *cum e corporibus excesserunt*, *in cœlum quasi in domicilium pervenire*. Quod fieri utique non potest, si animus non ὑφίσαται. Et vero *nullum esse sensum post mortem*, *& cum corporibus simul animas interire*, *atque omnia morte deleri*, *minuti* tantum *quidam philosophi censent*, inquit idem, in fine libri de Senectute, & in Lælio *num.* XV. Pythagorica autem παλιγγενεσία post aliquot sæcula, Platonicaque μετενσωμάτωσις statim post exitum, quam hodieque ab Orientalibus permultis retineri ajunt, permansionem pariter animorum tamquam certam ac minime controversam ponit. Nam Democriti, Empedoclis, Aristoxeni, aut Dicæarchi deliria, quæ Tullius refert, & quæ sunt eorum simillima, ea quæ Sadducæis a Grotio tribuuntur, nulla gens nisi barbara, nulla certe quamvis exigua in orbe Romano amplexa est.

Animum igitur humanum dici ab Herodianis Sadducæisque oportuit, tenuem esse, decertamque ex æthere substantiam, quæ pro sua tenuitate præ corpore concreto, quod sub tactum vel sensum cadit, & spiritus appellationem, apud eos, qui proprie spiritum negant, καταχρηστικῶς obtineat: & incorporeæ substantiæ. Quo sensu fortassis Græcus auctor εἰς τὴν ἁγίαν ἑορτὴν τῶν βαΐων, *pag.* 402. Christum dixit post ascensionem nunc esse ἐν τοῖς ἀσωμάτοις χωρίοις ἐνσώματον. Hujusmodi deinde spirituum humanorum nullam futuram esse cum prioribus suis corporibus novam conjunctionem: nullam, quod idem est, corporum ἀνάστασιν: sed vel permixtionem animorum cum æthere, unde sunt delapsi: vel post pœnas persolutas μετενσωμάτωσιν, cum incipient in corpora velle reverti, non priora quidem, sed quæ tunc se offerent, diversa a prioribus. Nam ita Plato, *lib.* x. de Republica, & in Phædone. Quod si ita futurum est, *vana*, ut Paulus ait, *& inanis est fides nostra*. His igitur placitis affinia Sadducæi si docuere cum Herodianis: quæ potest esse Grotii vel Socini defensio, ne se prædamnatos cum istis intelligant ac sentiant? Ἀνάστασιν quidem Grotius cum suis admittit: quamquam qualem istam, & quorum? sed careat sane utcumque hac parte Sadducæorum Herodianorumque labe: alteram de origine animę ut a se depellat, quo demum effugio consequetur?

Ex Sadducęis igitur discimus qui sint Herodiani: ex Herodianis vicissim qui sint Sadducęi. Nam ex Sadducęis Herodianos colligimus resurrectionem, Angelum, & spiritum negasse: ex Herodianis autem, ecquod genus spiritus in homine, (est autem eadem de Angelo ratio) repudiarent. Nempe illud quod extra corpus positum vere ac per se vivat, nec conjunctim tantum cum corpore, cui motum ac vitam imprimat: quod & sine adminiculo corporis actu intelligat, ametque vel oderit, gaudeat, doleatve, pro eo ut in pręmio scilicet, vel pœna fuerit: ac proinde quod appetat atque deposcat resurrectionem, hoc est, reversionem in prius corporis sui domicilium. Nam animi, nisi ita vivunt, ut diximus, pręoptare sua priora corpora non possunt, atque adeo neque veram ἀνάστασιν, seu proprie dictam resurrectionem: sed in quodcumque illi corpus inciderint, erit ex ęquo gratum & jucundum. Quare adversus Sadduceos Herodianosque vera fides duobus istis quasi connexis invicem atque indivulsis capitibus continebatur: quorum alterum si proferretur, intelligi ex eo alterum necesse esset: & spiritus nimirum separatos vivere: & veram priorum corporum resurrectionem ipsis nobisque in expectatione esse. Ex quo gemino dogmate, si tamen geminum est, consequitur pro iisdem spiritibus humanis exorare, sanctam esse salubremque cogitationem, ut a peccatis solvantur, alii citius, serius alii, omnes certe ante resurrectionem: quę ratiocinatio est sacri scriptoris, 2. *Machab.* XII. 43. jam tum illo grassante in Judęa pestifero errore, quem eo Gręci rerum potiti invexerant.

Rectam hanc fidem de generali mortuorum ad vitam reditu, Pharisæi obfirmatis animis tenuere contra Sadducæos, teste Paulo, qui se Pharisæorum, ut diximus, filium ea causa vocat. Tametsi istud displicuit olim certo hominum gregi, qui inter pestifera sectæ suæ placita, Christum apparuisse posuere, eo tantum consilio ac fine, ut resurrectionem doceret: non ut pro alienis peccatis satisfaceret: quamvis illi Christum agnoscerent, quod Sociniani negant, ἀληθέα καὶ φύσει Θεόν. Resurrectionem igitur si Pharisæi jam olim tenerent eodem quo Paulus sensu atque intellectu, quid Christi adventus mortalium generi profuisset? Hic isti deformandum primo Pharisæorum de resurrectione dogma censuere: quod ἀρχαιολόγος faciendum suscepit, *lib.* 2. de bello *cap.* VII. deinde in loco Actorum proxime laudato, υἱὸς Φαρισαίων, Paulo ipso invito, & Luca scripto-

ptore, spretoque vulgato interprete, vel mutandum in Φαελσταὶς, quod nunc plerique codices habent, interpolati ab ea factione scilicet: vel sive Φαελσταίων, sive Φαελσταὶς legeretur, non tam filium instituto ac fide, quam genere atque ortu, monuerunt intelligi oportere.

Ut est autem timidus ac suspiciosus error, præsertim in re sua: Herodes tetrarcha, tametsi veram ἀνάστασιν cum Sadducæis Herodianisque suis negaret, tamen diffidens saltem semel opinioni suæ, ubi *audivit famam* Jesu, *ait pueris suis: Hic est Johannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in illo*. Matth. XIV. 1. Hæc ille autem non de suo sensu, sed injecta ab aliorum Judæorum sermonibus suspicione loquebatur, teste Luca, *cap.* IX. 7. *Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: &* Hæsitabat, eo quod diceretur a quibusdam. *Quia Johannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero, quia Elias apparuit: ab aliis autem, quia Propheta unus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Johannem ego decollavi: Quis est iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum*. Negabat enim ille ἀνάστασιν cum Sadducæis: tunc vero eorum quæ adiebat novitate perculsus *hæsitabat* an potior illorum esset veriorque sententia, qui diceret Johannem esse e mortuis suscitatum: uti ab Elia & Elisæo quosdam fuisse revocatos ad vitam libri sacri prodebant. Nam cum fuisset Christus Dominus ante illum fere annum plerisque ignotus, non alium existimabant esse qui verbum Dei prædicaret ac miracula ederet, quam quem eo fungentem munere paulo ante audiebat, ab Herode nuperrime capite damnatum, priusquam de Jesu fama exisset ad Johannem, ut putabant, redivivum, omnia referebant: alii ad unum ex prophetis, quem, si Jeremias vel alius foret, surrexisse suspicabatur: si Elias, rediisse.

Quot erant igitur Hierosolimis Sadducæi, Herodiani totidem fuere: sed & multo plures: quoniam prçter Sadducços, qui se Mosaicç legi cçteroqui profitentur addictos, Grçci ibi fuere plurimi ab ea lege immunes: quibus Herodianornm inditum nomen est, quod invecta jam dudum hçc falsa opinio e Grçcia in terram Israel, novum ab Herode priore in Judça, ac forte ibi tunc primum, robur accepit: nomenque inde sub Herode quoque altero prioris filio perseveravit. Cur autem hçc a Josepho neglecta sunt ac prçtermissa? An sociis quinam Herodiani essent inter se disceptantibus, noluit afferre prçjudicium, ne tota fere cohors sequi ducem invita cogeretur? Cui enim religio non foret, in re tali, quam ille scilicet oculis usurpasset, ab ejusdem decedere sententia? Quamquam alioqui non debet mirum videri, Herodianos ab eo fuisse prçtermissos, qui de rebus ab Herode tetrarcha Galilçç gestis per annos saltem XLIII. nihil plane prodiderit: perinde quasi ad Judaicam historiam nihil pertinerent: nec de eo fere aliud retulerit, quam incestas nuptias, quas ex sacris libris hausit, exitumque qualem ipse finxit.

VI. *De Philippo, & altero Herode, præter tetrarcham, Herodis Magni liberis, ex Josepho.*

Quid aliud denique, nisi & ardens studium texendi progeniem Herodi numerosam, & intemperans illa cupiditas adversandi sacris scripturis, de qua ad annum Christi octavum diximus, Josephum impulit, ut Herodem plane ignotum, Herodis Magni filium, nec ulla tamen vel exigua regni portione donatum a patre, fingeret: cujus uxorem Herodiadem, marito adhuc superstite, frater ejusdem Herodes tetrarcha duxerit: & Philippum ab isto diversum statueret, quem decessisse sine liberis ait, relicta uxore Salome ficti illius Herodis filia, *lib.* XVIII. Antiq. *cap.* VII. ubi dedita opera universam describit gentis Herodianæ familiam? Cum scriptor sacer non Herodis, sed Philippi uxorem fuisse Herodiadem diserte affirmet, eamque Herodi tetrarchç post obitum mariti nupsisse: eo quod afferret nimirum veluti pro dote, sub tutelç specie ac titulo, tetrarchiam Trachonitidis & Iturçç. Adde quod narrat idem *cap.* VI. Philippum obiisse anno XX. Tiberii, tetrarchiç suæ XXXVII. cum dicere debuerit, si secum ipse constare vellet, anno *Tiberii* XXII. *tetrarchiæ suæ* XXXVIII. ut est a Petavio animadversum. Quis hunc deinde aberrasse miretur in anno obitus Herodis prioris notando, qui in Philippi obitu, in Herodis tetrarchæ scelere, & probro dumus Herodianæ describendo, tantopere hallucinatus sit: quæ XXX. fere annis ab ejus ætate propius absfuere: quæ discere eum ab Agrippa rege oportuit? Nam ille quidem libros de bello Judaico prius exaratos, legit comprobavitque epistolis duabus ac sexaginta, si Josepho fides ita narranti in vita sua, *pag.* 1026. Heu! quot fabulæ comparatæ, tamquam destinæ, fabulis fulciendis? Num igitur adeo parum cognita sua Agrippç amita fuit? num uterque avi sui frater ignotus adeo,

adeo, ut connubia inter ipsos affinitatesque permutaret? An illius ergo ævi, quod præ se fert, Josephus existimandus est, post tot & tam insignes errores in Herodiana historia, sexcentosque alios in reliquo opere, a Saliano & aliis adnotatos: & quod caput est, post tot cognationes confictas post tot contrarias sacræ scripturæ narrationes? Putidum est enim, quod Grotius comminiscitur, ut Josephi honori ac pudori consulat: quem scilicet Herodem Josephus, Marcus ac forte Matthæus Philippum appellant, dictum videri Philippum Herodem, Herodis tetrarchæ fratrem, ab altero Philippo ejusdem pariter Herodis tetrarchæ fratre, & ipso, ut Lucas ait, tetrarcha, diversum. Sicuti nimirum quem Agrippam Josephus, Lucas Herodem vocat, videri cognominatum fuisse Herodem Agrippam multi dixere. Nam quæ vel tam discors ac dissentiens a vero narratio, vel quæ similiter tam discrepantes sententiæ esse possunt, quæ non hac via facile componantur? aut quis tam supposititius scriptor erit, cui non concilietur fides, si talibus effugiis & commentis locus absque teste vel idoneo argumento datur?

Hæc tamen de cunscriptis Josephi nomine libris, aliisque capitibus, quæ attigimus, non tamquam totidem effata, planeque decisa ἀξιώματα accipi volumus: quantumvis pro oratorio dicendi genere, quo subinde utimur, secus videri possit nonnullis. Nodi sunt, quos solvendos erudito cuique ac φιλαλήθει proponimus: quos si quis salvis Antiquitatibus expediri putet posse, laudabimus ingenium ac felicitatem. Sed novis criminationibus deinde utemur in ἀρχαιολόγον. Indicabimus enim quam pravo ille consilio ab Hebraici codicis calculo discesserit, carmina Sibyllina descripserit, historiam Judithæ Tobiæque omiserit, de probatica piscina siluerit: Straboni quædam de Antigono, aliaque, quæ in Strabone non exstant, adscripserit: fati necessitatem induxerit: fato ad singula movente, manere in nobis nihilominus bene aut male agendi potestatem pluribus locis docuerit: fatum a faciendo tamquam homo Latinus derivat, secutus definitionem, qualis habetur *lib.* v. de Civitate Dei, *cap.* VIII. notationemque Latini nomis potius quam Græci, quod & Salianus noster animadvertit: aliaque non pauca ejusdem generis: ex quibus fortassis & totius conscelerati gregis agnoscatur ætas: & si de Sadducæorum hæresi recte conjecimus, novorum Sadducæorum nefaria consilia retegantur. Nemo interim in hisce capitibus, quæ sacrorum codicum, nummorumque, & marmorum auctoritate adstruimus, scriptores quoscunque opponat, qui Josepho patrocinari, vel ejusdem operi videri possint fidem adserere vetustis: sive eorum ipsorum αὐθεντία, ac forte γνησιότης venire possit in controversiam, sive pro genuinis ab omnibus vulgo habeantur. Nam quid primum in eo genere quisquam afferat, quod non sit tritum ac pervulgatum? aut quid aliud in præsenti sciscitamur ab eruditis, nisi an Josephus, in his capitibus quæ nunc proponimus, cum sacris codicibus, nummisque, quos testes attulimus nostrarum sententiarum, probe consentiat? Nam horum auctoritati scilicet scripta quæcumque testimonia concedere jus & ratio postulat.



ABRAHAMI CALOVII DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA DE STATU JUDÆORUM ECCLESIASTICO ET POLITICO

Ab Anno primo Nativitatis Christi, usque ad excidium Hierosolymæ.

I. GEntem *Hebræam* ab initio *Patres* habuere. Namque artata familiis natio; & ipsi vetustissimi mortalium nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus agebant. Non fascibus itaque, non securi opus, cum honesta suopte ingenio peterentur, aut si quod obreperet vitium, id emendaret statim ac tolleret suffectura auctoritas Patrum. Mox in immensum crescere Israelitę, & Regibus (*Ex.* I. 9. 10.) etiam formidabiles esse. Una quoque vitia suboriri. Quorum fœcunda multitudo irritamentis mutuis, & spe fallendi, an quia fiducia sui, arrogantiam induit & temeritatem. Conceptis vero improspere erroribus, vires & robur Ægyptii dabant, ignavissimi mortales (*v. Cun. de Rep. Hebr. l.* I. *c.* 15.) & quorum non alia fere quam pecorum vita, quę natura prona & ventri obedientia finxit. Diu istis hospitibus Hebręi usi, cum longa sterilitas, & agrorum ingratitudo, (*Genes.* XLVI.) peregrinas in terras ipsos expulisset.

II. Posteaquam triumphata *Ægypto* *Ex.* VII. *ad* XIV. excederent iterum, capessituri destinatas sibi fato sedes, adstrictior paulatim disciplina inducta. Latis ad populum Legibus, quę modum delictis, civibus formam vivendi darent. Regimen vero a Senioribus *Ex.* IV. 29. *Bertram. R. E. cap.* 5. in *Mosen* translatum, qui auctor ductorque migrationis, nunc Rempublicam condebat, quam nec Democratiam Monarchiamve, aut Oligarchiam apte satis, rectissime θεόκρατειαν *Jos. contr. Apion. lib.* II. *v. Cun. loc. lib.* I. *cap.* dixeris, ubi præses rectorque solus Deus. Namque ad istum Moses omnia referre, hinc responsa petere, & rebus agendis capere modum. Sed cum unus tantis negotiis impar esset, auctore Socero (*Ex.* XVIII. 21. 22. *Bertr. loc. cit. cap.* 6.) Præfectos quosdam instituit, qui per decurias centuriasque, & majores plebis numeros, caussarum levium, aut quæ minus impeditæ essent, cognitionem exciperent, solverentque, dubias atque ancipites sibi integras remitterent. Sic levata quidem in præsens oneris pars, non sufficiebat tamen, quominus iterum caussatus molem, (*num.* XI. 12. 16.) deprecaretur nimias jam atque urgentes curas, proinde in corpore tot præclaris viris subnixo, non ad unum omnia deferret, plures facilius munia Reip. sociatis laboribus executuros. Annuit Deus, etque ex omni numero LXX. viros eligi jubet, qui administri curarum, Præsidem consessus haberent *Mosen*. Atque hæc sanctissimi istius Senatus initia, qui summa auctoritate diu viguit, Regum etiam cupiditatibus (*v. Schick.* מט *cap.* 2. *th.* 7.) modum statuens, donec Herodes obtemperandi rudis; an quia submotis omnibus unde periculum aut metus esset, vim legum, munia magistratuum in se unum trahebat; variis artibus illum (*Cun. l. c. lib.* I. *cap.* 16.) aggressus primum est, ac mox delevit.

III. Hæc forma imperii erat, cui nullam conferre queas, Omnia ex legibus fieri. Non ambitioni, non precibus locus. Nec vis, aut potentia timebantur. Etenim *Moses*, & qui hunc excepit *Josua*, nullum ex functione sua dominatum sibi, non opes, neque honores, inciviles quæsivere. Raro inter mortales exemplo, quibus insita imperii cupido quædam, eaque vetus admodum, & cunctis affectibus flagrantior, quam ut

ut ego existimo, nunquam abjicere potuissent, nisi interesse & præesse rebus gerundis *Deum* vidissent, cum quo in societatem regni venire, extrema dementia. Itaque passim boni mores colebantur. Unicum inter cives de pietate, modestia, innocentia certamen. Semper operi faciundo intenti, otium & mollitiem propulsabant. Cultura agri, & pecudum pastio frugalem vitam, non avaritia aut malæ artes tuebantur. Singulę tribus gentem ęquabant, nihil uti adversus eas vis hostilis bellorumve tempestates possent, quamdiu mutua concordia, & communibus consiliis omnium saluti prospicerent.

IV. Sed ut nihil perpetuum est; ita extinctis, qui tot miraculorum testes parsque fuerant, sequior posteritas, & cœli immemor successit. Quasi pigeret eos virtutum suarum, aut bene gesta male cederent, subito pravi atque pręcipites, *Deum* cujus beneficia hactenus senserant, provocabant. Nimirum felicitate corrumpebantur, quę fere acrioribus stimulis animum explorat. Itaque nunc Syris expositi, modo omnium pejoribus Cananęis, aliquando Midianitis atque Arabibus in prędam & contumelias patebant. Tam cœca & corrupta Hebręorum mens assuetudine scelerum erat, ut (*Supl. Sever. lib.* I. *cap.* 40.) *secundis in rebus idolis supplicarent, adversis Deo*. Turpi in posteros memoria, *populum tot beneficiis obligatum, tot cladibus cum peccaret coercitum, expertumque & misericordiam & severitatem Dei, nequaquam emendatum, & cum semper erroris veniam acciperet, semper post veniam peccasse*.

V. Frequens alias peritis rerum suarum victoribus, ut ipsum Reip. in quo maxime nititur, statum convellant, abolitisque veteribus & consuetis, inusitatam & novam formam, alios Magistratus inducant, quo Principatum armis quęsitum, firment sibi, & tanto arctius obstringant. Alia Cananęis mens, alia consiliorum ratio fuit. Namque ignavia & ruditate, an bono Hebręorum fato, summa rerum contenti, tributorum modo exactionibus vacabant. In leges & jura Israelitarum inquirere onus videbatur. Haberent ipsi municipales ritus, & suis rebus consulerent, siquidem salvas illas vellent. Perstitit itaque prisca Reip. facies, nisi quod tam vario atque ancipiti temporum statu, evocati interdum, qui publicam assererent libertatem. Hos *Judicum* titulo sacri annales insigniunt, qui pręeundo edicendoque, *Prætores* nobis, *Dictatoresque* dici possunt. Flavius ratione haud multum diversa μονάρχας vocavit, quod nomen etiam Sullę ac Mario Gręci dedere. Plane enim, uti apud Romanos Magistratus iste, ad vindicandam maximis periculis Remp. pręsentioris imperii viribus, usurpabatur, *ultimum* (Liv. dec. I. *lib.* 4.) *quasi in rebus trepidis consilium*: Ita & Gedeon Othonielque, Ehud item ac Jephta, cæterique, bellicis potissimum usibus fuere destinati. Hic opera eorum & auctoritas maxime valuit. Namque ubi confecissent bella, restituissent libertatem, (*Bertr. loc. cit. cap.* 9.) nullum illis amplius in fortunas & vitam populi imperium, privati agebant. Fuit tamen etiam, cum iidem *Cun. loc. cit. cap.* 12. rebus civilibus intenti essent, caussasque audirent, sed graviores.

VI. Ultimus ex isto ordine *Samuel*, unicum seculi decus, qui fusis secundo prælio hostibus, (I. *Sam.* VII. 9. 10. II.) revocata pace, in id incubuit maxime, ut sua legibus vis, judiciis auctoritas, Senatui majestas redderetur. Ipse judicia & domi (*vers.* 15. 16. 17.) & publice summa integritate obeundo, pristinum Reip. asseruerat decus; quamdiu ætas illi & vires suppetiere. Namque defecto corpore, cum Filios (*cap.* VIII. 55.) dicundo juri præfecisset, illi nihil minus, quam Patrem referre, ambitione, captandis muneribus, rapinis, sanctum officii nomen traducere, eoque novis rebus ansam dare. Etenim populus insolens istarum fraudium, & judicum pertæsus, circumsistere Samuelem, exposcere, ac denique *Regem* (*vers.* 5.) flagitare, qui belli, pacisque munia in posterum moderaretur. Ita enim est natura ingeniumque hominum, illam Orbis partem qui habitant, pauci libertatem, pars magna Justos dominos volunt. Nec vane apud Tacitum *Hist.* IV. *cap.* 17. Claudius Civilis ad Batavos suos ait, *servire Syriam Asiamque, & suetum Regibus Orientem*. Æque frustra obstinatis dominatio regia, superbum imperium, libertas, servitus exponebantur. Ne denunciatione quidem divinæ iræ, quod homines mente corrupti, Deum regem habentes, regem sibi ex hominibus poscerent, acquiescebant. Donec is nihil, adversum se petentibus, negandum respondit.

VII. Sequitur ergo mascula Reip. hujus ætas, eademque mox in languorem, senium, mortem declinans. Inter prima quidem initia nihil præcipue atrox aut tragicum fuit. Nam & capacissimus Saulis (I. *Sam.* IX. *seq.*) animus, virtutibus suis, inter hostes ut plurimum invidos &

& infestos, molem imperii implere: & postquam degener (I. *Sam.* XV. II.) *seq.* exosusque Numini, regno pariter vitaque excidit, *David* (I. *Sam.* XVI. 13.) aderat, omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem. Qui exercita in agro prima juventute, postea in montibus ac ferarum lustris, fugam suam, metus ac spes regni, diu vagus atque exul circumtraxit. Semper superior hostibus, immania bella, non dominandi libidinem, quod seculi nostri vitium est, sed jussa legum caussam habens, confecit. Etiam exorti sub Absolone (II. *Sam.* XV. *seq.*) & Seba (II. *Sam.* XX.) intestini motus, summa illius prudentia & severitate compositi. Exinde sacris honor, securitas hominibus, legibus vigor, cultus agris redibat. Nec quisquam temere in tanta rerum felicitate erat, qui ipso Principe magis justus & bonus, & temperans videretur. Ab hoc uno exempla vitæ petiit quisque, & tulit, tantoque se propius ad illius magnitudinem accedere singuli, quanto meliores essent, judicabant.

VIII. Qui hunc excepit *Salomon*, (I. *Reg.* I. *seq.*) velut in compendio quodam repræsentavit, quicquid ubique esset magnum & invidendum. Converterat ejus persona totum in se terrarum orbem, & pene homine major habebatur. Sacrum Salomonis os videre, oracula audire, inter vota sua maximi Reges numerabant. Tutæ tranquillæque in vicino, atque etiam procul amici erant. Felix, nisi quæ talium conditio est, hominem se inter tot prospera oblitus, subito pravus & præceps, & sui immemor, pulcherrimam vitæ fabulam, extremo in actu corrupisset. Hinc omnia in pejus ruere, & summa incessere rerum conversio. Statim enim *Hieroboamus* (I. *Reg.* XII.) quispiam exortus est, cui spes opesque omnes in discordiis civilibus positæ. Homo acer, subdolus, & vasto animo: quem post excessum Salomonis libido maxima invaserat Reip. capiundæ. Hic convocata concione, statum publicum, temporumque acerbitates, & principis acta incusavit apud plebem, cui inesse semper malignum quiddam, & querulum adversus impetrantes sciret. Ipse interim libertatem, & alia id genus speciosa nomina prætexuit; cum nihil nisi alienum servitium, & dominatum sibi concupisceret. Totisque adeo decem tribubus ad se traductis, Remp. quandam seorsim sibi constituit, cujus arx atque caput *Samaria* mox fuit. Et auxit malum stolida atque improvida *Rehabeami* (I. *Reg.* XII.) juventus, qui rudis adhuc regnandi, quos aliqua remissione demereri potuisset, asperitate accendit, & implacabiles fecit. Ex hinc seditiones, & motus civiles extitere, quibus interire ferme ac mutari, vetustissima regna atque maximæ Resp. solent. Nunquam in gratiam redire illas contigit. Namque ut æterno dissidio, una nuper gens, & tot connexa vinculis sejungeretur, idem ille improbissimus callida quadam ratione invenit. Veterem enim, rectamque religionem, (*vers.* 26. *seq.*) futili superstitione interpolavit. Ita cum commentum suum facunda oratione populo socordi & curis vacuo obruisset: jam ex eo non pro libertate opibusque, sed pro sacris & pro aris facta dimicatio.

IX. Quare jam haud una profecto, sed duæ Resp. erant. Quarum altera, quæ *Israelitica*, & decem tribuum dicebatur, ad breve oppido tempus duravit. Quppe defessa mutuis cladibus atque exanguis, nationibus exteris præda facta est, victoremque Salmanassarem (II. *Reg.* XVII. 6. 23.) secuta, in eas terras abiit, ubi hodieque vel ignoratur, vel frustra quæritur. Usque adeo se nefario impietatis crimine obstrinxerat, uti placare Numinis iram longa dies, revolutusque seculorum ordo nequiverit. Altera vero, quæ *Judæorum* fuit, postquam diu satis patientiam Numinis fatigasset, & ipsa denique peregrinam in regionem avecta, (II. *Reg.* XXV.) non tamen graves adeo, uti prior, nec nimis longas pœnas pertulit. In exilio enim miti facilique, tanquam in patriis sedibus vixit, ac deinde circumacto LXV. ann. orbe, Palæstinæ reddita, (*Esr.* I. 55.) ex patriis cineribus parvam initio, mox validam Remp. instauravit.

X. Hic vero status rerum longe alius, quam ante fuit. Etenim imperium quod in Davidis familia quondam steterat, nunc *Pontifices* usurpavere, nullo Principis aut Regis nomine assumto. Apud hos omnis gratia, potentia, honos, divitiæ erant, cæteri omnes strenui, boni, nobiles, ignobiles, vulgus fuere, sine gratia, sine auctoritate. Ea vero materies omnium malorum esse. Avidos enim fecit ostensa felicitas, nec tam temperatæ cupiditates fuere, ut non alii quoque ex Levitis appeterent tanti muneris decus, quibus per legem tamen illud affectare non licuit. Hinc insidiæ inter eos, doli, artesque patriciæ, & nulla modestia votorum. Ex qua enim tempestate pulchrum sibi duxerunt supra Remp. stare, qua via illuc pervenirent, dum pervenirent modo, nihil pensi habebant.

Ipsi

Ipsi vero Pontifices, malis plerunque artibus imperium adepti, retinere illud justitia atque æquitate nequibant. Etenim etsi ipsi suopte ingenio haud pravi forent, tamen profecto necesse fuit, ut non ea tantum fierent, quæ volebant ipsi, sed ut illorum etiam gratiæ multa darent, quorum beneficio auxilioque ad tantum instar erant evecti. Alii, quamvis rite illud, atque ex lege accepissent, ex magna potestate, nihil nisi licentiam usurpabant. Fidem, innocentiam, cæterasque, quas optimus quisque colit virtutes, inter privatorum bona numerabant, ne si his quoque legibus devincti essent, summum Sacerdotium precario tenere viderentur. Viguit itaque diu, crevitque suis momentis Pontificum improbitas, & in *Onia* IV. (*Jos. A. J. lib.* XII. *cap.* 6.) tandem quasi maturuit. Ultra quo procederet, non inveniebat. Et profecto ostendit iste, quid ultimum consummatumque in sceleribus esset. Nam cum præclarus hic Pontifex imparem se Jasonis factioni cerneret, in gratiam Antiochi Epiphanis, quo defensore egebat, Leges Mosaicas ejuravit, pro quibus religiones & ritus suscepit Græcorum. Etiam circumcisionis notam gestare in corpore amplius noluit, & medica arte reduxit præputium, suisque omnibus, idem ut facerent, auctor fuit. Demum Antiochus ministro hoc Pontifice, omnia Judæorum instituta pervertit.

XI. Jamque passim Judæi in gloriosa martyria, vel infamem defectionem ruebant. Cum *Matthias Hasmonæus*, (I. *Mac.* II. I. *seq.*) magnus rerum restaurator, armis sumtis, leges suas civibus reddidit, remque publicam *Principis* nomine sub imperium accepit. Idem honor in Filium translatus. Sed vis tamen magna, auctoritasque in Pontifice. Donec demoto Onia, (diffidebat enim illi Antiochus Eupator, quod pendere ex illo populum & rerum momenta cerneret) suffectum quoque in locum ejus Alcimum, atrocia molientem, mors occupavit. Tum *Judas Maccabæus*, (*Jos. A. J. lib.* XII. *cap.* 17.) omnium primus *Summum Sacerdotium*, populo deferente, cum *Principatu* conjunxit. Hoc idem post eum Jonathas, Simon & Jannes fecere. Donec *Aristobulus* (*lib.* XIII. *cap.* 19.) gliscente fastu & fœdis adulationibus, posito Principis nomine *Regem* se tulit. Nec vero abnuere posteri insignia & tanti nominis splendorem. In hoc tamen falsi, quod cæde potius & libidine, quam virtutibus regium nomen impleri putabant. Nihil turpius cogitari potest, quam quod nulla domi concordia, ipsi invicem vires suas atterebant, ut tanto apertius scilicet succumberent hostibus, quos potentissimos circa se, & tum vel maxime in hæc certamina intentos, habuere. Ne Fratres quidem inter se pro sanguinis necessitudine videbant. Quo factum tandem, ut dum ulcisci potius, quam componere contentiones student, consilia iniverint, quorum Judæos publice, ipsos privatim mox pœniteret.

XII. Quid attinebat enim, peregrina accersere auxilia, evocareque Pompejum, (*Jos. A. J. lib.* XIV. *cap.* 5. *seq.*) victrices tum copias ex Asia circumagentem? An ignotæ illis Romanæ artes, & illa propagandi imperii efficacissima ratio? Ut vere dixerit Marcus Tullius; *eos defendendis sociis, terrarum omnium dominos factos*. Quippe dum aut suppetias laborantibus ferebant, aut dissidiorum erant arbitri, omnia late subegerunt; & ubi solitudinem fecissent, pacem appellabant. Itaque captis impetu Hierosolymis, Romanum arbitrium, indigna omni libertate gens, abnuere deinceps juste haud poterat. Captus Aristobulus, homo inquietus, & nunquam bene pactis stans, atque in triumpho ductus, documento fuit, certissima ruentis imperii signa esse, fratrum cognatorumque cruentas dissensiones. Firmatur *Hyrcano* Pontificatus, *Procurator* Judææ *Antipater* quidam Ascalonita a Pompejo imponitur. Siquidem *Eusebii*, *Sulpitiique Severi & Sigonii* auctoritatibus id dandum. *Josephus* nihil istius rei habet, factum id tamen aliquanto post a Julio Cæsare annotavit, *A. J. lib.* 14. *cap.* 15. Sed gravius mox malum, ex repetita improspere libertate ortum. Namque Aristobulus elusit custodibus, pestifero civibus suis reditu, Judæam iterum in spes novas erexit, daturam ingentes turbas, nisi Gabinius & M. Antonius ivissent contra, ac restinxissent incendium, quo arsura mox videbatur nobilissima Romani orbis pars. Aristobulus in vincula recidit. Iterum tamen exolutus (*Jos. B. J. lib.* I. *cap.* 7.) a C. Cæsare est, postquam victo Pharsalica acie Pompejo, omnia iste pro lubitu ordinaret. Cæterum prævento Pompejanis fraudibus, vetus repetere imperium non licuit. Nec mitius fatum filium Alexandrum rebus humanis exemit. Etenim ingentes turbas ciens, eundem Gabinium vindicem expertus, & securi percussus est. Cum interea florentissimum quondam regnum, accisis opibus, nunc Crassi avaritiæ, aut violentiæ Cassii, & quorumvis libidinibus impune pateret. Quod dum *Antigonus*, (*Jos. A. J. lib.* XIV. *cap.* 21. 24. 25.)

Ale-

Alexandri frater, Ptolomæo ſocero, & Fabio Damaſci duce, ac Tyrio item Marione, (quorum illum quidem pecunia, hunc odium adverſæ partis Antigono conciliaverat) adjutus repetit, ab Herode prælio victus, excluditur. Felicius res proceſſere, ubi Parthorum ſubſidia invocaſſet. Horum enim opibus, & ſeſe imperio redditum, & captum Hyrcanum Phaſelumque, acto in fugam Herode, vidit. Ac Phaſelus quidem victorum ludibrio vivere haud ultra ſuſtinens, alliſo ad ſaxum capite vitam abrupit. Hyrcano amputatis auribus, omnis una recuperandæ dignitatis ſpes præciſa. Quæ ubi Romam nunciata, deſerente Herode, hoſtis Antigonus a Senatu judicatus, brevi temeritatis pœnas luit. Fuſus enim a Soſio, & Urbe exutus, in poteſtatem Antonii pervenit. Qui captivum Regem triumpho deſtinans, poſtea tamen, novarum rerum metu, (urgebat id potiſſimum Herodes, quod vereretur, ne Antigonus Romam delatus, de jure regni ſecum diſputaret) ſupplicio affecit. Virgis cæſum, illigatumque cruci, ac ſecuri percuſſum *Dio* ſcribit; *ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν ῥωμαίων ἐπεπόνθη* Regnum Herodes tenuit, jam ante *Dio*, (*lib.* XLIX.) in id faſtigium Antonii Octaviique favore evectus, & comprobatus publico SCto.

XIII. Hic ille *Herodes* eſt, qui inuſitato ante hunc diem exemplo, non regia ſtirpe, neque ſacerdotali familia ortus, inſititius Judęus (*v. Spanh. D. E. p.* II. *d.* XVI.) ad regnum pervaſit, manifeſto fatalium temporum indicio, non eſſe porro ultra *Chriſtum* aliquid expectandum. Et quoniam ſæpe in hoc ſcripto mentionem Herodis fieri neceſſe eſt, pauca de genere ejus, deque vitæ inſtitutis, lectorem præveniemus. Gente Idumæus fuit. Iſti autem non vere Judæi erant, ſed habiti modo appellatique tales ſunt, ex qua tempeſtate eos Hyrcanus, religiones ceremoniaſque ſuſcipere veri Numinis coegit; cum antea Deum neſcio quem, Coſan colerent, cujus ſacra ſemper cuſtodierat, illuſtris in illa natione, Coſtobarorum domus. Patrem Antipatrum habuit, quem Præſidem Judææ, uti id a nobis dictum ſupra eſt, Cn. Pompejus, & poſthunc C. Julius inſtituere. Ingenium ei agile atque exertum, & fati ingentis, quo tum res agitabantur, capax. Auctoritas, prudentia, ex juvene etiam elucebant. Validus ideo in animo vulgi, quem comitate præterea, modeſtia, liberalitate, veris an fictis in ſpeciem virtutibus illexerat. Nam quæ deinceps geſſit, animum varium, audacem, ſubdolum, immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupientem, aperte arguunt. Ivit enim poſtea in præceps, abruptaque & inhumana maluit, quam laudata & tranquilla. Cauſſa rei ambitio, & ſumma regnorum licentia, quæ convellendis mutandiſque animis valida, memoriam virtutis obſcurat ante, mox ejicit.

XIV. Primum excelſioris indolis experimentum, ordinata Galilæa dedit. Hyrcanus enim ubique inferior tanto nomine, & titulum modo, cæteraque innania trahens, facile permiſit, uti Antipater ipſam imperii vim teneret. Quare ne ignavia Regis, in contemtum & peccandi licentiam verteret; Urbi quidem vetuſtiſſimum liberorum (*Joſ. A. J. lib.* XIV. *cap.* 17.) Phaſelum, at proximum natu Heroden Galilææ præfecit. Sedatum illius ingenium, civilibus negotiis componendis acquieſcebat. Hic vero moræ impatiens, primum omnium nobili aliquo facto inclareſcere feſtinabat. Itaque latronum injurias, qui duce Ezechia quodam, Syriam infeſtam habebant, vindicare aggreſſus, maximam partem interemit. Quod factum laudare alii, & hoſtes communes juſte exciſos dicere. Cæteri in diverſa ire, & legum ſacrarum, quæ indemnatum necari prohibent, violatorem vocare Heroden, cum revera anxios illos, atque ideo iniquos haberet aliena virtus. Mox ubi tracto in judicium dicenda cauſſa eſſet, ſiſtere quidem ſeſe, una vero præſidia diſponere, quæ vim arcerent, Judicibus in metum converſis, præſertim, ubi Sexti quoqne Cæſaris literę pręlectę, ita ab eo compoſitę, ut abſolvi quidem reum peteret, abnuentibus tamen palam ultionem minaretur. Celebrata eſt *Sameæ* vaticinatio, qui Heroden Judęis regem datum iri, ſed in pœnam peſtemque multo ante prędixerat. Neque profecto aliter cecidit. Statim enim Idumęus iſte, primum Cœle-Syrię ducatu, a Caſſio & M. Antonio auctus eſt, ac paulo poſt, uti diximus, dejecto Antigono regnum occupavit. Ariſtobulum (*Joſ. loco citato lib.* XV. *cap.* 3.) deinde Pontificem, admodum adoleſcentem; mox ſocerum Hyrcanum (*loc. cit. cap.* 9.) per ſpeciem gratitudinis ex Parthia allectum, poſtremo, quicquid de Haſmonęorum ſanguine ſupererat, extinxit ſuſtulitque. Neque melius actum cum LXX. Senibus eſt, qui Aſſeſſores magni concilii erant, quod Sanhedrin appellitant. Scilicet omne eximium dominanti periculoſum, & intutus ſibi peſſimus quiſque videtur inter meliores. Itaque proculcatis omnibus aut

ja-

jacentibus, nihil erectum tulit, nihil erigi aut surgere passus est, preter absolutam dominationem. Quę ut altissima radices ageret, quicquid usquam liberum occurrebat aut ingenuum, premere cœpit, & exhaurire. Ne a domo quidem, aut sanguine suo sibi temperans, Uxorem Mariamnen, (*loc. cit. cap.* XI.) veneficii in maritum incusatam, re quidem vera, Zelotypia & Salomes calumniis incensus, sustulit. Nec Filiis deinde, Alexandro atque Aristobulo, *lib.* XVI. *cap.* 6. *seq.* mitior, instigante iterum Sorore, quę juvenes, cędis maternę a se procuratę vindices, metuebat. Itaque crimina illis intendere, prono ad asperiora Herode, qui ultra modum anxius & suspicax, nusquam sibi sine oppressione aliorum satisfacere videbatur. Arreptum ad Cęsarem iter: Filiorum accusatio a Patre orsa: & reditum auctore Augusto in gratiam: postquam objecta sibi Adolescentes, precibus, lacrymis, innocentia facile diluissent. Sed recruduit paulo post male dissimulatum odium, Eutyclis cujusdam Lacedęmonii artibus: Hinc Alexandro quidem, atque Aristobulo in vincula conjectis, acerbę in amicos eorum quęstiones habitę, quibus tamen nihil exprimi ultra, aut reperiri scelerum potuit, nisi improvidi quidam Juvenum sermones, sęvum Patrem, delatoribus pronum, ac gravem sibi Antipatrum fratrem querentium, inde consilium inter eos, cedendi his malis fuga ad Archelaum Cappadocum regem, socerum Alexandri, destinata. Graves tamen atque urgentes infesto Patri caussæ, uti filios, impetrata ab Augusto statuendi de illis potestate, laqueo (*Jos. A. J. lib.* XVI. *cap.* 17.) quam primum perimi juberet. Postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore ac metu, suo tantum ingenio utebatur. Quæ recensenda deinceps sunt. Jam enim prope est terminus, unde initium ut sumeret nostra dissertatio, sederat quidem animo. Res ipsa tamen hortari videbatur, supra repetere, ac paucis initia Reip. istius, incrementaque, ac motus, & conversiones, atque ut paulatim immutata, ex pulcherimma, pessima ac flagitiosissima facta sit, exponere. Non insolens id bonis scriptoribus, itaque hos duces secutis nobis, nihil ultra, quam prolixitas excusanda.

XV. Elegimus autem principium instituti nostri ponere *Nativitatem Christi*. Atque ab ea per seriem temporum progressi, tradere in posterum, quæ per hæc XVI. *&* *amplius secula*, *fata Judæorum*, *quis status Ecclesiæ ac Reipublicæ* fuerit, tristis semper, atque infractus, & penitus miser. Neque sane pœnam ipsi deprecati sunt, cum illud dicerent. (*Matt.* XXVII. 25.) *Sanguis ejus super nos sit*, *&* *super filios nostros*. Hinc abdicati spretique a Numine, etiam nunc hodie lentem edunt; & amissam deflent primogenituram.

XVI. Sit itaque hic ille annus, (*A. M.* 3947. *Ann. nati Christi*) quo circumactis spaciis natus *Messias*, quem cœlo demissum iri, ut expiaret mortale genus, antiqua carmina cecinerant. Modum Nativitatis atque ordinem, & quis locus nascentem exceperit, ceu nota vulgo, non repetimus. Adsignaturi potius *Annum*, siquidem hic definiri exacte ulla auctoritate posset. οὐδ' Ἐξηκεστίδης ἂν εὕροι τὴν λιθίων ὁδόν. Ita salebrosa omnia, perplexa atque incerta sunt, quæ super hoc argumento vel disputantur vel definiuntur. Caussa ejus rei præcipua est, ex tardiori Æræ Christianę institutione. quæ nec a Constantini quidem M. ætate, pubblico semper atque constanti in usu cum tempora sua Christiani, aliquando cum Græcis, ab Alexandro M. aut Olympiadibus: interdum cum Romanis, a Coss. ab annis Augustalibus, Actiacis, Diocletianis, ab Indictionibus, & aliis id genus radicibus profanis notarent. Non Synodi, non Concilia, augustissima post sacram Scripturam Christianorum monumenta, alias Epochas, quam humanas habent. Idem Ambrosius, & Epiphanius, pluresque ex Patribus admisere. Divus Imperator, Edicto, quod de notatione temporum, & consignatione Actorum publicorum statuit, neque meminit Æræ Christianæ, tantum abest, ut imperaverit ejus usum (*Novell. const.* XLVII.) *Sancimus*, inquit, *eos quicumque gestis ministrant*, *sive in judiciis*, *seu ubicumque conficiuntur Acta & Tabelliones*, *qui omnino qualibet forma documenta conscribunt: in hac magna civitate*, *sive in aliis gentibus omnibus*, *quibus nos præsidere dedit Deus*, *hoc modo incipere in documentis: Imperii illius sacratissimi Augusti*, *imperatoris anno &c.* & post illa inferre *Consulis* appellationem, qui in illo anno est, & tertio loco *indictionem*, *mensem*, & *diem*. Addit quidem Glossa, *annum Dominicæ Incarnationis apponendum*, *etsi hac lege*, *vel alia non caveatur*, *esse enim de consuetudine*. Sed ea tamen tempore Justiniani nulla erat. Quare si dicendum id quod res est, minus hic aliquanto Imperator, de amplianda Majestate divina, fuit solicitus, quanquam iste suam alibi pietatem luculentissimis exemplis prodiderit. Ut jam pro-

profecto in gloriam vertendum sit, cavillum *Procopii*, querentis: *Imperatorem, omissa re bellica, intra palatii cubiculum reclusum cum sacrificulis, omnes bonas horas consumere, in articulorum fidei minutiis secernendis*. Id satis constat, auctorem Æræ Christianæ, quæ vulgo obtinet, esse *Dionysium Scytham*, cognomento *Exiguum*, *Abbatem Romanum*, qui primus abolita annorum Diocletiani Epocha, fastu & edicto Tyranni introducta, & annis Actiacis substituta, noluit cyclos suos Paschales, ab impii Principis annis computare, sed magis elegit ab Incarnatione Domini nostri *Jesu Christi* annorum seriem prænotare, ut inquit *Beda*, *lib.* de rat. comp. *cap.* XVII. Quod gestum est Imp. Justiniano, circa annnm *Christi*. D. XXXII. quem Dionysius ita numerandum ostendit, loco anni Diocletiani CC. XLVIII. Alii tamen a Carolo Martello, Franciæ Duce: quidam a Carolo M. aut Ludovico Cæsare Filio, initia hujus Æræ arcessunt.

XVII. Dici ergo credive vix potest, quantopere a se invicem discedant Chronologi, in fingendo Æræ illius principio, quum passim alii aliorum placita refigant, sicuti de Philosophis olim Basilius scripsit: ὐδὲ εἷς παρ' αὐτοῖς λόγος ἕστηκεν ἀσάλευτος καὶ ἀκίνητος, ἀεὶ τῦ δευτέρυ τὸν πρὸ αὐτῦ καταβάλλοντος. Difficile & operosum esset, in tanta sententiarum varietate, vel singulas enumerare, vel statuere, quæ potissima sit ex omnibus. Neque vacat etiam nobis, quibus alia exequenda in præsens sunt. *Fr. Spanhemius* (*Dub. Ev. par.* II. *dist.* I.) insignis auctor, cum *Harvillæi*, *Petaviique*, & *Jac. Christ. manni*, atque *Antonii Capelli*, *Keppl erique* & *Pauli Forosemproniensis*, *Sulpitii* item *Severi*, ac *Suslygæ* & *Dekerii*, *Georgiique Syncelli*, tum *Græcorum* denique, atque *Æthiopum* computos recensuisset: duas quasdam, ex variis istis opinionibus, præcipuas esse scribit, sive suffragiorum numerum, sive auctoritatem illorum spectemus, a quibus feruntur. Prima *Biennium* communi Æræ addit. ut ita, in A. M. 3947. Period. Jul. 4711. Olympiadis CXCIV. secundo, qui Iphiteus DCCLXXIV. U. C. DCCL. secundum Palilia Catoniana; aut Varroniana juxta, DCCLI. Nabon. DCCXLV. vel DCCXLVI. Juliano XLIII. Coss. Cornelio Lentulo & M. Valerio Messala, cyclo Solis VII. Lunæ XVIII. lit. F. Actiaco a prælio XXVIII. Alexandria capta XXVII. Augustali, a cæde Cæsaris XLI. a primo Cos. XL. ab appellatione Augusti XXV. Nativitas *Christi* inciderit. In quam sententiam ex veteribus quidem *Irenæum*, *Tertull. Cassiod. Maximum Monachum*, *Prosperum*, *Georgium Cedrenum*, *Sigebert. Cuspinianum*: ex recentioribus *Josephum Scaligerum*, *Perer. Baron. Calvis. Torniell. Helvic. Alstedium &c.* adduxit. Altera statuit, peccatum esse in Epocha communi μετὰ χρονισμῶ anni *Unius*: & *Christum* natum esse A. M. 3948. &c. id quod ex antiquioribus iterum *Epiphanius*, *August. Hieron. Oros. Mariamnus Scotas*, *Uspergensis &c.* ex junioribus *Onuphrius*, *Buntig. Montacutius &c.* sensere: Etiam illa Spanhemii verba adscribi hoc loco merentur. *Libere profiteor*, inquit, *si Josephi auctoritate res definienda foret*, *iisquæ de annis Herodis*, *& Archelai ac Philippi successorum ejus*, *ab illo consignantur*, *studiose expensis*, *& cum Dione*, *ac scriptoribus aliis collatis*, *maxime probabile mihi videri*, *Christum natum ante ann.* XLIII. *Julianum*, *adeoque Æram Dionysiacam*, *qua hodie utimur*, μετὰ χρονισμῶ Triennii *ad minimum peccare*. *Utrum vero* XLII. *Juliano*, *an.* XLI. *natus fuerit Servator noster*, *id nullis indiciis solidis ex historia veteri*, *erui posse*, *adeoque non inter* δύσπορα *tantum*, *sed* ἄπορα *prorsus referendum censeo*, *&c.*

XVIII. Nihil hoc loco Scriptura sacra definit. Nam qui reperiuntur natalis *Christi* characteres, *Matth.* II. I. *Luc.* II. I. 2. 6. 7. III. I. 23. communes sunt, uti id prolixe exposuit Spanhemius. (*loc. cit. dub.* II. III. & X.) Ideo forte, ut constaret, nec fidei, nec salutis cardinem in scrupulosa temporum supputatione verti. Sufficit Scriptoribus s. ea annotasse temporum indicia, quæ vatum oraculis responderent directe, admirandumque V. & NT. consensum ostenderent. Dixerant illi, (*Genes.* XLIX. 10.) venturum *Messiam* everso pene Judæorum regno, & quidem (*Es.* XI. I.) e trunco arido Isai, radicibus ejus fere succisis. Confer jam designationem regni Herodis, & mentionem census in Judæa exacti, a Præside Romano, imperante Augusto; & notationem imperii Tiberiani: illico exactam vaticinorum periodum, & manifesto deprehendes. Non est profecto nostrum, uti definiamus Chronologorum lites. Nec sapientis est exigere, quæ neque peti debent, nec præstari possunt. Sed enimvero præstat tamen aliquem sequi, quam omnino nullum. Atque idcirco *Scaligerum* eligimus, virum in hoc literarum genere facile principem, cujus calculum apposuimus supra. §. 17.

XIX. Inspicienda jam propius facies Judaismi nobis est, qualem se tulerit ista sub adventum Messiæ, deformis oppido, &

& parum ex priſtino nitore retinens, ſive *Eccleſiam* ſpectes, aut *Scholas*, vel *Publicæ rei* ſtatum. Id eventurum ita multo ante prædixerant veteres, eoque cordatiores Talmudici. Unde in *Gem. Sanh. cap.* 11. *S.* 26. (*v. Hotting. Hiſt. Eccleſiaſtica par.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 1.) ſcriptum extat: *Tempore quo venturus eſt Meſſias filius Davidis, diſcipulorum magna erit paucitas, cæterorumque oculi in angore & gemitu contabeſcent. Ingruent calamitates, decreta graviſſima conſicientur.* Et in *Sota* cap. ult. *Filius ignominia afficiet patrem, filia inſurget contra matrem, nurus contra ſocrum, & inimici cujuslibet viri ſunt proprii domeſtici.* Haud aliter profecto ipſe *Chriſtus*, *Matth.* x. 35. 36. *Luc.* xii. 53. Quod ut eluderet *Abarbanel*, mendicabulum hominis, inaudiviſſe ea Chriſtianos a Judæis nugatur.

XX. Jam primum *Eccleſiam* invaſerat Legum ſacratiſſimarum deformis neglectus inde oblivio, & mox contemtus. Invalidum Legum auxilium, quęvi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur. Cur ergo ſtudio non profuturo vacarent? Aliis artibus inclareſcendum eſſe. Ita labentibus paulatim honeſtiſſimis occupationibus, ruere etiam pietas, diſciplina. Mores quoque deſidere primum, mox magis magiſque labi, ac demum præcipites ire, donec in prava omnia ac fœda evaderent. Quod ſi qui eſſent vero, quibus curæ hoc ſtudium, illi tamen variis interpretationibus ſacri codicis, diſſenſionibuſque de religione deque rebus divinis inter ſe pugnabant. Quare aliud malum, non leve profecto, ortum tunc eſt, ſectæ hæreſeſque. In partes enim ſe diviſere varias, homines male curioſi: atque uno ex errore infiniti, diverſi omnes, & contrarii nati ſunt. Non tempero mihi, quin illuſtriſſima P. *Cunæi* (*loc. cit. lib.* 11. *cap.* xvii.) verba, quibus rationem iſtius rei ac cauſſam videtur expedire, huc tranſcribam. Veniam mihi dignitas rei dabit, quæ multum præterea ad pernoſcendam conditionem illius ævi Eccleſiæ faciet. *Enimvero*, inquit, *qua tempeſtate Vates verba cum Numine commutabant, aut alio pacto cœlitus ea accipiebant, quæ publicanda mortalium generi erant; nullæ diſceptationes controverſiæque oriri de ſacrorum curatione, deque legibus & præceptionibus divinis poterant, propterea quod erant in medio, qui mortalium ineptas hæſitationes & diſputandi intemperiem reſecarent. Auctoritate enim pluſquam humana armati vates, legum ſacrarum, atque ipſius Numinis voluntatem proloquebantur. Quare qui illis auſcultare recuſabant, profecto quoniam infirmitate judicii, aut errore vel ignorantia, labi in pravos ſenſus nequibant; neceſſe fuit, ut refractarii contumaceſque fierent, & excuſſa pietate, ad idolorum cultum deſciſcerent. Nihil medium erat: capeſſunda vatum imperia, aut ponenda Numinis reverentia fuit. At ſub templo poſteriori, cum Prophetas major vis, afflatuſque divinus non ageret, omnia hæc ſecus fuere. Quoniam enim jam nuſquam erant ſacrarum legum, cœleſtiumque arcanorum conſulti, in quorum verbis ineſſet plena fides, continuo dehinc mortales, non contenti ſcire, quæ ab illis acceperant, ardorem mentium ultra ad rimandum omnia tulere, & ſuis ſe tenebris involvit humana imbecillitas. Quare controverſias & quæſtiones, ex ſacris literis eruere, morbus eſſe cepit deterioris ævi. Ad quam rem cum eruditi ingenium ſuum advocarent, natæ diſputationes, ſententiæque contrariæ ſunt. Et cum pertinax ſtudium pravaque ambitio accederet, ſectæ atque hæreſes extiterunt.*

XXI. Famoſiſſimi ea tempeſtate *Phariſæi* erant. Proles vel *Naziræorum*, juxta Eliam, vel *Haſidæorum*, ex Scaligeri *El.* (*Trib. cap.* 22.) ſententia. Dicti ita, quod *ſeparati* ab aliis eſſent. Hoc (*v. Druſ. de tribus ſectis lib.* 2. *cap.* 2. & 3.) *Epiphanius* nos docet: φαρισαῖοι διὰ τὸ ἀφωρισμένυς εἶναι αὐτὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων, διὰ τὴν ἐθελοπερισσοθρησκείαν παρ' αὐτοῖς νενομισμένην. φάρες γὰρ, κατὰ τὴν ἑβραΐδα, ἑρμηνεύεται ἀφορισμός. Gemina his *Origenes* atque *Ambroſius* habent. *Theophilatus* ἀποκεκομμένυς vertit. Quo forte reſpexit Apoſtolus, cum ſe ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον dicit. Rom. 1. 1. nam ante ἀφωρισμένος εἰς τὸν νόμον, hoc eſt, Phariſæus fuerat. Quid autem voluerit ſibi iſthæc ſeparatio, *Suidas* exponit. Φαρισαῖοι οἱ ἑρμηνευόμενοι ἀφωρισμένοι. παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτὺς τῶν ἄλλων ἁπάντων, εἴς δὲ τὸ καθαρώτατον τῦ βίυ, καὶ ἀκριβέστατον, καὶ ἐς τὰ τῦ νόμυ ἐντάλματα. Non definimus præciſe, quando ceperit hoc hominum genus, obſcurum enim eſt. *Joſephus* illos jam tempore *Jonathæ*, fratris Maccabæi, extitiſſe aſſerit. *A.* J. *lib.* 13. *cap.* 9. & *lib.* 18. *cap.* 2. *antiquiſſimum* eorun *inſtitutum* vocat. Id certo conſtat, tum demum illos ortos, cum vates ſacri ſub templo poſteriori nulli eſſent. Vide quæ in hanc rem paulo ante notavimus §. 20. Docebant vero ſeorſim, Verbum Dei ἄγραφον, ἐγγράφῳ non æquandum duntaxat, ſed antehabendum quoque eſſe. Jam porro juſtum appellabant, qui pleraque Legis mandata obſervaret, utut tranſgrederetur quædam.

dam. Contra disertam Scripturam, *Deut.* XXVII. 26. *Rom.* III. 12. *Jac.* II. 10. Etiam in eo inepti, quod sacras literas, & vatum oracula, cumprimis ubi de Messia agebant, literaliter semper explicarent, de secretiori & vero illorum sensu parum soliciti. Cum tamen alibi, sana & sobria literali Scripturæ interpretatione rejecta, ad insanas & monstrosas delapsi sint hyperbolas, quibus maxima Talmudis pars expletur. Quid de commentis denique dicendum, quibus legem divinam multo latius, quam summus Moses voluit, extenderunt? Hinc crebræ illæ anxiæque manuum, poculorum, lectorumque lotiones, *Marc.* VII. 3. 4. quin corporis etiam, ubi a foro reversi essent. *Drus.* & decimatio olerum, *Luc.* XVIII. 23. productio κρασπέδων, (*Num.* XV. 28.) & φυλακτηρίων (*Ex.* XIII. 16.) dilatatio *Matth.* XXIII. 5. stata item jejunia, *Matth.* IX. 14. *Luc.* V. 33. XVIII. 12. & preces in ostentationem compositæ, *Matth.* XXIII. 14. ludicraque juramentorum, *Matth.* XII. 5. 8. Hæc tamen ἐπίμετρα legis, has δευτερώσεις suas ita urgebant, ut expressa legis divinæ mandata iis cedere debuerint.

XXII. Sed hoc quidem sequioris seculi vitium fuit. Ubi devotio primum, & circumspectior pietas, paulatim in anxias quasque superstitiones degenerarunt. Omnia mala exempla ex bonis initiis orta sunt. Ast ubi eadem res ad ineptos, aut minus bonos pervenit, peccari varie, & diversa plerumque induci videas. Sic Pharisæi initio ob virtutem in honore esse, & grande *Sapientum* (*Hotting. loc. cit. pag.* 33. *Drus. loc. cit. lib.* II. *cap.* 18.) nomen circumferre. Dehinc, cum in arrogantiam verterent, intolerabiles (*Jos. loc. cit. lib.* XVIII. *c.* 3.) & supra modum astuti, pessima vitia unius simulatione sanctitatis obtegebant. Quæ ut non fugerent viros cordatos, ita vulgo tamen applausum merebantur & admirationem. Haud abs re erit, citare hoc loco *Epiphanium*, qui adstrictum vitæ genus, & severissimam Pharisæorum disciplinam prolixius exposuit: Τινὲς μὲν γὰρ αὐτῶν, ὅτε ἤσκυν, ὥριζον δεκαετίαν ἢ ὀκταετίαν ἢ τετραετίαν. ὁμοίως παρθενίας ἢ ἐγκρατείας συνεχῶς εὐχόμενοι, πυκνότερον ἀγῶνα τοῦτον ἐνίσαντο, διὰ τὸ δήθεν μὴ σωματικόν τι παθεῖν, ἢ κλαπῆναι δι᾽ ὀνειράτων, αἰνδῆ τε εἰσιν σώματος ἀπεργαζομένην. καὶ οἱ μὲν σανίδας ἑαυτοῖς ἐφιλοκάλουν σπιθαμῆς μόνης τὸ πλάτος, καὶ ἐπὶ ταύτην ἑαυτοὺς ἐπίθεσαν, καὶ τὴν ἑσπέραν, ἵνα εἰ ὑπνώσειέν τις, καὶ καταπέσοι εἰς τοὔδαφος, αὖθις ἐγείρηται εἰς εὐχήν. διὰ τὸ ἄγρυπνον ἔχειν τὸν βίον κατὰ τὸ δυνατόν. ἄλλοι δὲ κάχληκας συλλέγοντες ἑαυτοῖς ὑπεστρώννυν, εἰς τὸ τυπτομένους μὴ ὕπνῳ βαθεῖ φέρεσθαι, ἀλλὰ βιάζεσθαι γρήγορσιν ἑαυτοῖς προσαποιεῖσθαι ἄλλοι δὲ καὶ ἀκάνθας στρωμνὴν εἶχον, διὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν. &c. in Panar. lib. I. pag. 20.

XXIII. Sequitur nunc altrerum quoddam sectæ genus, quod *Saducæi* constituebant. Orti circa tempora Simonis, Oniæ filii, summi sacerdotis, Ptolomæo Evergete Ægypti, Seleuco Callinico Syriæ regibus, circa Annum Mundi 3720. Per Jul. 4484. V. C. 523. A. C. N. 226. annis circiter. v. Spanhem. D. E. p. 3. d. 29. Dicti, ita, non a justitia, quæ quidem *Epiphanii*, *Isidori & Lyrani* mens est. Hanc enim procul habebant isti homines. Et constat præterea, hæresin illam ex verbis quibusdam *Antigoni* Præceptoris, commode dictis, sed in malum sensum, a *Zadocho* & *Baithoso* commilitonibus, detortis, natam esse. Sermo Antigoni extat in Pirke Aboth. cap. I. אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא הוו כעבדים המשמשין את הרב שלא על מנת לקבל פרס ויהי מורא שמים עליכם: hoc est, *ne estote sicuti servi, qui serviunt domino propter mercedem, ut nempe accipiant præmium: Sed estote sicut qui ministrant Principi suo, hac conditione, ne accipiant præmium; & sit Dei timor super vos.* Hinc jam vesana opinio eos tenuit, esse animas ut corpora mortales, neque post vitam præmia aut pœnas, bonos malosve sequi. Sic omnem una providentiam divinam negavere. Quod *Josephus* ostendit, cum de Saducæis notat: τὸν θεὸν ἔξω τοῦ δρᾷν τι κακὸν, ἢ ἐφορᾷν τίθενται B. J. l. II. cap. 7. atque ibidem, τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιροῦσι. Nihil enim fataliter evenire hominibus putabant, quin omnia in nostra potestate esse; *ut tam felicitatis nobis ipsi auctores simus, quam infortunii, si deteriora consilia fuerimus secuti*, verba ejusdem *Flavii* A. J. lib. 13. cap. 9. Illud etiam asserebant, μὴ εἶναι πνεῦμα *Act.* XXIII. 8. ubi *Spiritum S.* aliqui capiunt, non multum diverso *Epiphanio*, qui *hær.* 14. de *Saduc.* πνεῦμα δὲ ἅγιον, inquit, οὐκ ἔστασιν, οὐ γάρ εἰσι τοῦ τοῦ ἠξιωμένοι. Alii *animam* intelligunt, quam Saducæi nihil aliud quam κρᾶσιν, seu temperaturam quandam humorum censuerint. Aut *Angelos* etiam tum bonos, tum malos. Quod notatum a *Theodoro*, qui etiam nunc hodie, esse inter Judæos quosdam ait, quos dicere haud pudeat, Angelos esse caussas naturales, Dei jussu, vel bona vel mala effecta producentes. *Liranus* in genere illos

los *Spiritum* negaſſe ſcribit. *Scaliger* (El. Trih. cap. 16.) ita: *tantum abeſt ut Angelum credant, ut ne Spiritum quidem ullum.* (v. Druſ. loc. cit. lib. 3. cap. 12.)

XXIV. Cæterum ἄγελοι & ἀπηνεῖς, (*Joſ. de B. J. lib. 2. cap. 7.*) atque exoſiſſimi ſemper Phariſæis fuere, cum aliis ex rebus, tum l. præcipue, quod rejectis illorum δευτερώσεσι, ſolam Scripturam ſacram agnoſcebant ſequendam. An totam illam receperint, controverſia profecto haud caret. *Hieronymus* hunc honorem Pentateucho duntaxat delatum, Prophetas rejectos eſſe ait. Idem & *Zacharias Epiſcopus Chryſopolitanus*, *&* *Tertullianus* affirmant. Atque hinc adeo eſſe, quod Chriſtus (*Matth.* XXII. 32.) reſurrectionem contra Saducæos aſſerturus, ex Moſe diſputet. *Stultum enim fuiſſet*, inquit Hieronymus, *inde proferre teſtimonia, cujus auctoritatem non recipiebant.* At vero, cum nihil hac de re Lucas, imo Joſephus diſerte Saducæos παντα τὰ γεγραμμένα amplexos ſcribat, atque aliæ etiam cauſſæ ſint, quæ id ipſum ſvadeant, ideo *Scaliger*, (loc. cit. 16.) *Spanhemius*, (loc. cit. p. 3. diſt. 29.) *Coccejus*, (Sanh. pag. 306.) *Hakſpan.* (de uſu ſcript. Jud. in Th. pag. 229.) *&c.* omnia tria volumina ſacri codicis, Pentateuchum, Hagiographa, & Vatum oracula ſuſcepiſſe Saducæos exiſtimant. Male enim Saducæos cum *Samaritanis*, (*Cun. loc. cit. lib.* 11. *cap.* 6.) quorum error in confeſſo eſt, confundi. Abit tamen hic in contrarium Dionyſius Petavius, Animadv. in Epiphan. ad tom. 1. lib. 1. hær. XIV. ac priorem ſententiam propugnat. Neque vero iſte ſolum, ſed & Theologorum noſtratium Scholæ, id plerumque docent. In eo autem Saducæi turpiter ſe dabant, quod literalem Scripturæ S. ſenſum, & rigidiſſime, & ſemper urgerent. Unde קראים h. e. *Scripturarii* ſeu *Textuales* dicti. Quale genus hominum & nunc quoque in Oriente, atque alibi durat, cæteris tamtn ſectis inviſiſſimum, quod ſpretis hominum placitis, Talmudica præcepta pro nugamentis habeant, & nihil admittant, niſi ſacri codicis contextum. Itaque cum ſint oppido pauci; ſed ad unum omnes ditiſſimi, filias ſuas cum dote ſumma, vix dare nuptum queunt. Addunt prætera & hoc, ſi accideret, ut Chriſtianus & Karaita demergerentur una, pari utriuſque ſalvandi poteſtate, pontem ſe effecturos corpore Karaimi, ad eximendum periculo Chriſtianum. IV. *Poſtell. Alphab.* XII. LL. *Cun. loc. cit.* III. *cap.* 8.)

XXV. *Eſſæi* vero religionum ſactimoniam omnem, paulo magis ſcrupulatim, ad anxias quaſdam ſuperſtitiones exegerunt. Origo vocabuli Hebræis ignota, (unde vulgo Græcorum more איסיאי ſcribunt) Chriſtianis dubia. (*v. Druſ. loc. cit. lib.* 4. *cap.* 5. *Scal. loc. cit. cap.* 17. *&* 26.) Maxime omnium probabilis videtur iſta, quam *Fullerus* (*M. S. lib.* IV. *cap.* 4.) adducit: derivari hanc vocem a טסי vel חסה quod *Mercerus* in locum aliquem ſe recipere vertit: ita ut Eſſæi ſint a *latitando* dicti. Fere enim in ſolitariis, atque ab hominum cultu remotis locis agebant. Quale inſtitutum a Maccabæorum (*1. Macch.* 1. 56.) temporibus forte repetendum, cum Antiochus Epiphanes, quavis tempeſtate violentior, Judæis incumberet, atque

> *Poſt enormem ſanctorum ſtragem.* (*Em. Theſ. in Patriarch. p.* 189.)
> *Solitudine in Civitatem ingreſſa, in ſolitudinem fugiſſent cives,*
> *Qua nulla infelicibus felicior patria.*

Etiam *Plinius* (*H. N. lib.* V. *cap.* 17.) eorum meminit. Cæterum vita Eſſenorum (*Hott. Th. Ph. pag.* 38. *H. E. pag.* 1. *cap.* 1. *ſ.* 1. Theoretica plane fuit, (unde nihil illis cum Chriſto, aut Apoſtolis negotii) & non abſimilis admodum, veterum Monachorum Chriſtianorum inſtitutis. Quod ipſum *Euſebio* (*H. E. lib.* 2. *cap.* 27.) impoſuit, ut Monachatus initia longiſſime arceſſeret, pugnantibus contra *Scaligero* (*loc. cit. cap.* 27.) & *Fullero* (*loc. cit. lib.* 11. *cap.* 3.) *&c.* At vero, quæ dogmata eorum, qui ritus ac ceremoniæ fuerint: id ex *Philone*, *Joſepho*, atque *Origene*: *Druſius*, (*lib.* IV. *cap.* 22.) *Scaliger*, (*loc. cit. cap.* 28.) *Myllerus* (*Rabbin. pag.* 69.) *&* *Martinius*, (*Lex Ph. voc. Eſſenus*) aliique ante nos recenſuere.

XXVI. Diximus hactenus de principibus tribus inter Judæos ſectis. Eas *Fl. Joſephus*, ſuæ ipſius vitæ luculentus ſcriptor, ſe perambulaſſe omnes, tentaſſeque ſingulas ait, uti quid in quaque probandum maxime eſſet, exquireret. Recenſet idem & alias, de quibus diſſerere longa mora eſſet. Sed perſtringendæ tamen ſunt. *Samaritani* ſeorſim integram gentem abſolvunt. Poſtquam enim deſtructum penitus, everſumque X. tribuum imperium, a Salmanaſſare Aſſyrio, traductaque in Mediam & Perſiam tota illa gens eſt; novi quidam coloni in Samariæ agros deducti. Quemadmodum mos regibus ferme eſt, gentes pro libidine huc illuc transferre, pecudum

in morem, quas Pastores, nunc in hibernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt. Ita enim ingenia populorum emolliuntur, mutanturque, & qui in suo solo quidlibet audent, placidi quietique in alieno sunt. Illi gentilia singuli sacra habuere. Ea enim arte usus est Esar Chaddon, ne in commune consulere eos religionum sineret diversitas. Deinde, ubi afflictis varie, sacerdotem quendam Israeliticum indulsisset, veterum illi indigenarum ceremonias hoc magistro didicere, quamquam avitas superstitiones sero demum penitus abdicaverint. Hoc tamen nomine & tunc vitiosi, quod solo Pentateucho recepto, cætera tanquam leviora, atque ab hominum ingeniis profecta, aspernarentur. Quod item sacra sua, non in Templo Hierosolymitano, sed in alia quadam æde peragerent, quam Sanaballetes in monte Garizin, magni Alexandri permissu extruxerat, uti generum suum Manassen, Pontificem videret. Non vacat nobis plura de institutis Samaritanorum, deque odio, quod capitale inter istos ac Judæos intercessit, exponere. Videantur *Hottingerus*, (*Th. Ph. pag.* 44. *seq.* I. *S.* I. *it. Exercit. Antiq. Morin.*) *Drusius*, (*loc. cit. lib.* III. *cap.* 10.) *Buxtorfius*, (*Lex. T. p.* 370.) *Cunæus* (*Cun. loc. cit. lib.* I. *cap.* 15. *lib.* II. *cap.* 16.) *&c.* Nunc de *Herodianis* agendum. Quos *Zonaras* explicat τὰς τὰ ἡρώδου φρονοῦντας. Syrus *domesticos Herodis*, alii *Satellites* vocant. Aut certe isti Heroden pro Messia habuere, quæ *Epiphanii* sententia. Vid. *Grotius* de *Verit. relig. lib.* 5. *Baron. app. pag.* 4. *Spanhem.* D. E. pag. 2. d. 16. *Casaubonus* (Exerc. I. n. 5.) *Sodalitatem* vocat *in honorem Herodis institutam*. Quales apud Romanos *Sodales Augustales*, *Flavii*, *Hadrianales*, *Æliani*, *Antonini* fuere. In hoc diversi tamen, quod hi post mortem demum Cæsarum, isti vivo Herode instituebantur. *Gaulonitas* hoc loco, *Zelotasque*, & *Theudam* impostorem taciti præterimus, cum & sequentibus demum annis extiterint, &, quod religionis obtentu, honestisque vocabulis, summa Reipublicæ, atque ea quæ imperii erant, tentarent, factiones potius conjurationesque quam sectæ dici mereantur. Facturi tamen singularum mentionem, ubi fatale motuum istorum tempus advenerit.

XXVII. Illud intolerabile est, inter tot, & tam diversa, diversarum sectarum dogmata, ne unum quidem repertum esse, quod de *Messia* ageret. Adeo tenebris & longa quadam nocte jacebat involuta doctrina illa, quæ tamen una extare merebatur in animis hominum, dignitate rerum. Enimvero frigidam suffundere somnolentis poterat, inexplicabilis fatorum vis, quibus tum urgebantur. Excitaverantque ista *Hillelem*, (*Schick.* הס *cap.* VI. *th.* 20.) virum summum. Animadvertebat præstitutum tempus jam effluxisse. Quid ageret? An *Jesu* Nazareno hunc honorem deferret? contemtior videbatur. Itaque vatum oracula, jam olim in *Hiskia* impleta fuisse contendit. Quo nomine tamen contribulibus suis vehementer vapulat. In *Talmud.* enim, *cap. ult. Sanh.* ita inquiunt: *R. Hillel ait, Israelitæ non habebunt alium Messiam, quia pridem devorarunt illum in diebus Hiskiæ. Contra hunc R. Joseph inquit: condonet hoc Hilleli Dominus, qui dixit, quæ non vera sunt. Quandonam vixit Hiskias? nunquid sub templo priori? At Zacharias prophetavit in domo posteriori: Exulta Sion, venit Rex tuus &c.* Enim vero Danielis oraculo, (*cap.* IX.) quid unquam illustrius fuit? Docet namque, quo tempore sit venturus Messias, & Regum edisserit sequentum seriem, annosque numerat; & ne quid desit, etiam prænuntia addit signa. Quæ omnia ejusmodi sunt, uti *Porphyrius*, cui studium fuit isthæc eludere, nesciverit quo se verteret, quippe arguebat eum manifesta rerum fides, igitur ad calumniandum redactus est, quod ipsum adeo frigide fecit, uti cordatis hominibus gravedinem moverit & tussim.

XXVIII. Hic status *Ecclesiæ*, hæc foeditas vitiorum fuit, quæ ex pulcherrima sanctissimaque, turpem illam & pessimam fecerunt. Equidem *Joazarus* P. M. ex legum sancito tenebatur, videre ne quid Religio detrimenti caperet. Sed præsidium inde nullum. Namque Herodes, cum pauca ex honesto & bono, pleraque autem contra leges & mores majorum gereret, creabat Pontifices amovebatque, tanta lubidine & licentia, ut Principatus ejus VIII. omnino illorum viderit, dum hic quasi per scenam introduceretur, ille educeretur vero, & rerum humanarum spectaculum præberet. Quid agerent itaque straminei proceres, cum lex omnium quæ fierent, ac finis voluntas unius. Quæ sæva semper atque atrox, & omnis boni moris excidium meditans, infringere monstratos virtute, aut qui improbitati suæ remoram injicerent, inter artes habebat. Neque etiam a Senatu summo quicquam opis, cujus vis oppugnata varie, deinde expugnata, postremo subversa jacebat ac proculcata. Id quod inferius exponendum est, cum ad Rempublicam fuerit deventum. Itaque omnia in pejus ruere, & retro subla-

lapsa ferri. Postquam ambitio Heroden, & demerendi Cæsares studium eo protraxarant, uti immutatis veteribus Judæorum institutis, nova inveheret, multaque admitteret passim, quæ vim legibus & fraudem faciebant. De qua re sic loquentem audire (*A. J. lib.* xv. *cap.* 11.) libet: ξενικοῖς ἐπιτηδεύμασιν ὑποδιέφθειρε τὴν πάλαι κατάστασιν, ἀπαρεγχείρητον οὖσαν, ἐξ ὧν οὐ μικρὰ καὶ πρὸς τὸν αὖθις χρόνον ἠδικήθημεν, ἀμεληθέντων, ὅσα πρότερον ἐπὶ τὴν εὐσέβειαν ἦγε τοὺς ὄχλους. Profecto nihil jam ultra prisci integrique moris supererat. Est enim hæc conditio imperantium, ut quicquid faciant præcipere videantur. Libenter enim imitamur quæ animos nostros magnis auctoribus subeunt. Igitur vitia non solum ipsi Principes concipiunt sed etiam infundunt in subditos, & plus exemplo, quam peccato nocent.

XXIX. Haud absurdum videtur propositi operis regulæ, paucis percurrere, quinam illa tempestate *Professores Scholas* Judaicas illustraverint, rexerintque. De *Hillele* (*v. Schik.* כה ח *dist.* 11. §. 3. *Drus. loc. cit. lib.* 11. *cap.* 10. *Cun. loc. cit. lib.* 1. *cap.* 12.) id constat, floruisse eum circa, l. paulo ante Christum. Vir alioqui vita famaque celeberrimus, atque od id ad summos honores evectus, Præses enim magni concilii fuit: & per XL. annos in Academia Hierosolymitana Doctor; atque iterum per alios totidem. 480. collegiorum ejusdem Academiæ Rector. A discipulis quam maxime clarus, de quibus *Talmud. lib. Bav. Bathr. cap.* 8. *pag.* 143. *f. art. Tradunt Magistri nostri, quod* LXXX. *discpuli fuerint Hilleli seni.* XXX. *ex illis digni, ut habitaret super eos Spitus S. sicut supra Mosen Præceptorem nostrum, qui est in pace. Et* XXX. *ex illis digni, ut stet ipsis Sol, sicut Josuæ filio Nun.* XX. *mediocres. Maximus inter omnes Jonatham ben Uziel*, (auctor hic est Targum in Prophetas) *minimus Rabban Jochanam, filius* Zaccai. Atque isti sunt, quos *Justinus Martyr* Dial. cum Tryph. ἑλληνικῶς dicit, unius literæ mutatione pro ἠλληλικῶς. Quæ lectio & Scaligerum torsit, *Et Trib. cap.* 3. Nostrum non est omnia exequi. Itaque ad *Epiphanium*, (*adv. Hæret. lib.* 1.) *P. Galatinum* (*de A. C. V. lib.* 1. *cap.* 2.) & *Buxtorfium* (*L. T. p.* 617. *Abbr. Eb. pag.* 48.) lectorem remittimus.

XXX. Coævum & æmulum *Sameam* habuit, hominem truculentum atque ambitiosum, cujus Sectatores, cum paulo post contra discipulos Hillelis insurrexissent, tantis studiis animos hominum concivere, pene uti totus populus pertractus in partes fit. Talmudicorum illud est, octodecim res esse, de quibus contentio fuit, inter familiam Hillelis & Sameæ, quas ne Elias quidem expedire possit. Profecto hoc est ad desperationem desipere. Adeo enim nodosa atque intricata commenti sunt, duo illi dissidentium factarum duces; ut ne vatem quidem, aut cœleste oraculum ferre opem potuisse autument. Quæ res in apertas deinde erupit factiones, cum a verbis ad verbera descenderent malesani Auditores, & usque in cœdes mutuas sævirerur. Vid. *Justin. Martyr*, loc. cit. *Buxtorfius* L. T. pag. 2440. *Hakspan*, *de usu Rabb.* pag. 288. seq. *Coccejus Sanh.* pag. 298. *Cun.* loc. cit. *lib.* 1. *cap.* 12. *lib.* 2. *cap.* 17.

XXXI. Sequitur *Simeon*, Hillelis F. cognomento *Justus*. An hic forte ille est, cujus *Lucas cap.* 11. 25. meminit? Asserunt *Galatinus* de A. C. V. *lib.* 1. *cap.* 2. *Postellus de Orb. concord. lib.* 1. *pag.* 24. *Schik.* כה *cap.* 6. th. 19. כה ח d. 2. §. 3. *Buxt. abbr. pag.* 175. Dubitat *Herm. Lætmat.* de instaur. relig. *lib.* 8. *cap.* 7. Negat L. *Capellus orat. de nom.* יו pag. 162. Quod idem faciunt *Eutychius Patriarcha Alexandr.* atque *Elmakinus* histor. Arab. pag. 159. dum Simeonem hunc in LXX. Interpretum numero recensent. Verba *Eutychiis* hæc: *Fuit autem quidam ex* LXX. *viris, Simeon Justus, qui excepit ulnis Dominum nostrum Christum in templo. Cumque Legem explicuisset, & scripta Prophetarum ex Ebræo in Græcum transtulisset; accidit, quotiescunque Prophetiam de Domino Christo invenit, corde suo meditatus dixerit: hoc non eveniet. Et produxit Deus terminum vitæ ejus, ut viveret ann.* 350. *usque dum nempe vidit Dominum Christum. Cumque eum oculis suis usurpasset, dixit: Nunc dimitte servum tuum &c.* Ineas numerum, & duobus seculis Filium Patre majorem reperies. Hillel enim, si Judæis fides danda, CXX. ann. vivendo explevit, (*Hott. Th. Ph. pag.* 309.) & C. ann. ante excidium urbis præsidere cœpit, adeoque Nativitas Christi in annum Hillelis CX. incideret. Quare mittimus ea, atque ut magis probabilis evadat prima opinio, id quoque addimus, Filium Simeonis & Successorem *Gamalielem*, inusitato Ebræis more, *Nepotem* ubique *Hillelis*, nusquam Filium Simeonis dici, non aliam temere ob caussam, quam quia Judæis de Christianismo suspectus. (*Schik. & Buxt. loc. cit.* Hic ille *Gamaliel* est, cujus oratio pro Discipulis Christi, non inclemens admodum, Actis Apostolicis inserta est *cap.* v. 34. Eo etiam nomine celebris, quod ἀνατεθραμμένος παρὰ τοὺς πόδας γαμα-

λιὴλ

λιὴλ (*Act.* XXII. 3.) Paulus fuerit. Quem modum loquendi *Scaliger*, (*loc. cit. cap.* 5.) & qui hunc ſequitur *Lud. de Dieu* in comment. *Heinſius* item, *ac Druſius* ad loc. cit. *Buxtorfiuſque* (*Syn. Jud. cap.* III.) de *ritu veteri*, capiunt, quo diſcentes ad Præceptorum pedes ſederint. Aliter *Petitus*, atque ex ea J. *Tob. Major*, (*Exeg. loc. cit. diff.* πρ.) qui hoc inferri ſtatuunt: *Paulum fuiſſe educatum Hieroſolymis, in contubernio Gamalielis, & cum eo quotidie cibum cepiſſe, eodemque in lecto tricliniari, ad inſtar Filii accubuiſſe*. Quibus vero rationibus Scaligerum impugnaverit, vide ibidem prolixius. Obiit Gamaliel (*Schik.* מ״ה *diſt.* 2. §. 2.) annis ante excidium Urbis XVIII.

XXXII. Nimium eſſet brevitatem profeſſi exponore, quis *Joſephus ben Gorion*, aut R. *Aquiba* forte, vel *Chanina* fuerint, quidve egerint iſti homines. Hoc addimus, Profeſſores illos, uti inter ſe invicem variis opinionibus diſtractos, ita eximie tamen in *Chriſtum*, ejuſque DIſcipulos conſenſiſſe. Ineptos prope diceremus omnes, niſi *Jonathan ben Uziel*, atque *Onkelos*, multa quidem ad eundem modum, ſed aliqua tamen egregie ſcripſiſſent, hic, dum in *Pentateuchum*, ille in *Prophetas*, *Targumim* (*Schik.* ה״ב *diſt.* 2. *Helvic. de Targum.*) adornavere.

XXXIII. Sic Eccleſia ſeſe, ſic Scholæ habuerunt. Jam porro *Rempublicam* luſtrabimus, quæ talis omnino illa tempeſtate deprehenditur, qualem futuram prædixerant ſancti vates, id eſt, quaſſata atque convulſa, & tantum non penitus jacens. Judæa *Romanis* ſuberat; quod jugum ipſi primus *Pompejus* M. impoſuit. Occaſionem & rei geſtæ modum enarravimus ſupra §. 12. Exhinc ademta libertate Reges accipiebant, quos Romani darent. Tributa ſine modo exacta, religio varie violata, tum vel maxime, cum Pompejus, (*A.* J. *lib.* XIV. *cap.* 8.) intimos templi receſſus (quos præter ſummum Sacerdotem, idque ſemel tantum per annum, videbat nemo) penetraret. *Ex illo tempore vulgatum eſt*, inquit Tacitus, (*Hiſt.* V. *cap.* 9.) *vacuam eſſe ſedem, & inania arcana*. Enimvero tenuerat antea mortales opinio, eſſe intus numen aliquod, Apin, Ammonemve aut Anubin, cujus nomen inter ipſos modo notum, pronuntiari apud exteros profanoſque fas haud eſſet. At poſtquam Pompejus jure victoriæ adyta reſeravit, palam omnibus factum eſt, de nihilo eſſe, tot ſacra, totque ceremonias, ſiquidem nullum Deum præcipue colerent. Illuſtria ſunt, quæ ad hunc *Taciti* de Judæis locum, obiter notavit *P. Cunæus*, loc. cit. *lib.* 3. *cap.* 6. Videatur iſte. Nos in ordinem revertimur, *Flaviumque* audimus querentem: τότε τῦ πάθυς Ἱεροσολύμοις αἴτιοι κατέστησαν Ὑρκανός καὶ Ἀριστόβυλος, πρὸς ἀλλήλυς στασιάσαντες. τήν τε γὰρ ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν, καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν &c. loc. cit. Nimirum diſcordiæ civium ſunt, quæ hoſtibus maximarum rerum præbent occaſionem. Quare quæ res Judæorum imperium tantopere attrivit, hæc ea ipſa eſt, quæ aliarum quoque gentium florentiſſima regna evertit. Multa in eam rem afferri exempla poſſent, quibus pleni annales, ſed non eſt hic longæ recitationi locus. Ipſa illa terrarum Dea gentiumque Roma, quam peſte totius Orbis eſſe conditam, Mithridates ajebat, diſſidiis civium, & factionibus procerum fatiſcens, libertatem amiſit, accepitque dominum.

XXXIV. Hic *primus* (*Hotting. H. E. par.* I. *cap.* I. *ſect.* I. *pag.* 16. *ſeq.*) Judaicæ ruinæ gradus. Addimus *alterum* ſtatim, qui in ſubverſione ſummi Senatus conſiſtit. Inter artes firmandi principatus non extrrema eſt, infringere id, in quo maxime nititur robur eorum, quos timemus, ubi aperta vis haud procedit, aſtu tentanda res eſt, diſtrahendaque ab invicem, quæ conjuncta, ſtabilitatem Reip. ac vim eximiam adferunt. Noverat iſtam rem apprime victor gentium populus. Igitur cum Judæam quoque in poteſtatem ſuam redegiſſet, multa ille poſtea mutavit refixitque, non libidine aut ſævitia, ſed retinendæ dominationis. Imprimis *Gabinius* Syriæ Proconſul, cum ſtabilitas Reip. multo maxime in conſeſſu Sanhedrin eſſet, diſſipandam ejus vim plura per oppida exiſtimavit. Quare pari poteſtate quinque Synedria (*Joſ. A.* J. *lib.* XIV. *cap.* 10. *B.* J. *lib.* I. *cap.* 6.) *Gadaris*, *Amathunte*, *Hierichunte & Sephoris* conſtituit, quinta ſedes *Hieroſolima* erat, quæ jam pars ſui & acceſſio fuit. Qui vero hunc ſecutus eſt Herodes, multo atrociora & peſſima orſus, non jam per intervalla, ac ſpiramenta temporum, ſed continuo, ac velut uno ictu Senatum exhauſit. Omnibus enim excepto uno Samea (*Schik.* ה״ב *cap.* 2. *theor.* 7.) e medio ſublatis, ipſe a Davidis familia dignitatem ad obſcuriores quoſdam tranſtulit, quibus nervi inciſi, manus alligatæ, animi depreſſi, ex arte & præſcripto, ut iniquo, ita pridem recepto, impotentiæ regnatricis. Ne convocari quidem concilium, Rege inſcio, poterat. Ubi conveniſſet denique, ſedebant in Senatu non ampliſſimi viri, & majeſtate ſua exteris timendi,

di, ſuis venerandi: ſed unius ſervi, ex vultu & nutu Domini ambitioſe pendentes, cenſebant, non quid Reip. quid foro ac judiciis conduceret, ſed quid unus, his perdendis mutandiſque natus, fieri vellet.

XXXV. Sed nondum tamen in formulam provinciæ redacta Judæa erat. *Neque enim ſola tributi impoſitio provinciam efficit; cum id multis ſit, etiam Italicis & exteris, imperatum, qui tamen in provinciæ formam relati haud fuere: ſed legum domeſticarum, & patriæ libertatis ademtio, & Prætoris, qui eos regat inſtitutio.* Verba *Sigonii lib.* I. de *ant. jure Ital. cap.* 26. it. de *antiquo jure provinc. lib.* I. *cap.* I. Judæam vero Pompejus M. Hyrcano Pontifici, cum poteſtate ſumma addixerat. Quem excepit deinde, ex Octavii Antoniique ordinatione, Herodes; uſque dum Archelao Viennam relegato, alia omnino rerum facies ſurrexit. Non Scaurus, neque Gabinius aut Craſſus, vel Caſſius Bibuluſque, Syriæ Præſides, illam ceu provinciam adminiſtrarunt. Quod vero immiſcuerint ſeſe haud raro, id inde factum, quod Judæa nondum ſatis compoſita, curam eorum expoſceret.

XXXVI. De *utroque Magiſtratu* dicenda quædam ſunt. Et quis *Romæ ſummus*, quiſque *Hieroſolymis minor* præſederit, anno *Chriſti* natali. *Inferior Herodes* erat, ſenex tum, quem Auguſtus primum ad regnum Judaicum evexerat, (ſociis Antonio & Meſſala, atque Atratino) & deinceps, cum ob adjutum Antonium dignitate excidiſſet, reſtituerat iterum firmaveratque. Non perdat nobiliſſimi facti gloriam Herodes, qui generoſe admodum & regie ſe geſſit, cum victorem Antonii Auguſtum Rhodi conveniret. Nihil abjecte, aut quod dignitatem ſui faſtigii minueret, locutus: (*Joſ. A. J. lib.* XV. *cap.* 10.) οὔτ' εἰς ἱκεσίας, ὡς εἰκὸς ἐπὶ τοιούτοις, τραπόμενος, οὔτε δέησίν τινα προτείνων, ὡς ἐφ' ἁμαρτήμασιν, ἀποδοὺς δὲ τὸν λογισμὸν τῶν πεπραγμένων. Ultro confeſſus, maximam ſibi cum Antonio amicitiam fuiſſe. Magna in ſe Antonii merita, gratiam itaque factis ſe præſtitiſſe, & nihil intermiſiſſe earum rerum, quibus ad ſummam potentiam hic eniteretur. Bello ſe nunquam implicitum, quippe Arabicis armis tunc diſtentum. Conſilio tamen hominem juviſſe. Quibus ſi obtemperaſſet Antonius, ſtaret adhuc eadem dignitate, neque iram Cæſaris provocaſſet. Cleopatram tanti mali cauſſam. Necem illius, ſæpe ſe & ſerio non optaſſe tantum, ſed & ſuaſiſſe Antonio. Non ſe fortunæ, ſed hominibus ſolere eſſe amicum. Fidem ergo Antonio inviolabilem præſtitiſſe, qua quia exolutus nunc ſit, ideo Auguſto eam deferre. Experiretur Heroden. Firmiſſimum Cæſaris amicum fore illum, qui conſtans fuiſſet inimicus. Plane in hoc Themiſtoclem (C. *Nep.* II. 9. 4.) aliquem, aut Lyſandrum (*id.* VI. 2. 2.) ſe gerens. Placide hunc ſermonem Cæſar excepit. Itaque vetus regnum, novis etiam acceſſionibus auctum, Herodi ſtabilivit.

XXXVII. Cæterum Herodis hiſtoriam *Flavius*, *Euſebiuſque* & *Dio*, atque *Appianus* deſcripſere. Etiam nos quædam de hoc viro præoccupavimus ſupra §. 13. 14. Nunc deſignandus eſſet iſte imperii annus, quo Chriſtus natus. Sed tota temporum *Herodis* ſupputatio, intricata admodum, atque incerta eſt, ſicuti id *Joſ. Scaligeri*, *Baronii*, *Calviſii*, *Caſauboni*, *Montac. Suslygæ Keppl. Tornielli*, *Petavii &c.* conflictus docent. Nihil iterum ſacræ literæ definiunt, utut meminerint Herodis, *Matth.* II. I. 19. *Luc.* I. 5. *Flavio* palma in hoc negotio deferenda, homini quidem Judæo, *Hiſtorico tamen eximiæ & raræ tum diligentiæ tum fidei, & cui major adhuc æſtimatio deberetur, ſiquidem temporum & librariorum injuriis, minus obnoxius fuiſſet, & purus atque integer ad manus noſtras perveniſſet*, judicium *Spanhemii* loc. cit. d. II. §. 2. Hic ergo auctor, duplicem regni Herodis Epocham ſtatuit, utramque veriſſimam. *Primam* ab eo tempore arceſſit, cum regnum Judaicum Herodi SCto conferretur, id quod factum notat Cn. Domitio Calvino II. & C. Aſinio Pollione Coſſ. Olymp. CLXXXIV. Quanquam vero Conſulatus iſte in ann. I. Olym. CLXXXV. incidat: habita tamen ratione initii Olympiadum, quod uti notum, media æſtate incipit; dici poteſt, Coſſ. illum concurrere cum fine anni I. Olymp. CLXXXV. Connectitur autem iſte cum Per. Jul. 4674. Mundi 3910. U. C. Capitolino DCCXIII. Varron. DCCXIV. Juliano VI. Auguſtali, a cæde Cæſaris IV. a primo Coſ. Octavii III. Cyclo Solis XXVI. Lunæ XIX. Lit. C. Triennium vero cum Antigono & Parthis colluctatus Herodes eſt, antequam in plenam imperii poſſeſſionem immitteretur. Hic autem annus, quo captæ Hieroſymæ, *alterius* Epochæ initium nobis ſuppeditat. Expugnata urbs Vipſ. Agrippa, & L. Caninio Gallo Coſſ. Olymp. CLXXXV. ſub finem tertii anni, & quarti initium. Qui alligatur A. M. 3913. Per. Jul. 4677. U. C. Cap. DCCXVI. Varron. DCCXVII. Julian. IX. Auguſt. a cæde Cæſ. VII. a I. Coſ. Octavii VI. Cyclo Solis I. Lunæ III. Lit. G. F. Atque

que hoc pacto Flavius sibi satis constat, dummodo XXXIV. modo XXXVII.] ann. imperio Herodis assignavit. Non moramur *Eusebium*, *Cyrillum Hieros. Epiphan. Sulpit. Onuphr. Bedam &c.* ex quibus alii mitius, gravius alii impingunt. Pessime omnium *Baronius*, cujus errorem detexit ac refutavit *Spanhem. loc. cit. n.* 10. *seq.* Illud difficillimum longe expeditu est, quomodo asseri possit, Heroden VII. tantum & XXX. annos regnasse, & *Christum* tamen durante illius imperio editum. Laborarunt hactenus *Scaliger*, *Calvis. Torniell. Montacutius*, atque alii viri summi, uti solverent hunc nodum. Quam vero frustra id fuerit, docet per partes *Spanh. loc. cit. num.* 13. additque una, quo pacto expediri hoc negotium probabiliter possit: Si vel in Josepho mendum fateamur; aut, quod necesse omnino est, Æram Dionysiacam extendamus. *num.* 14. *seq.* Res tota eo redit denique, ut dicamus, Natalem *Christi* incidere in ultima Herodis tempora, cum post mortem Herodis, *Christus* ex Ægypto redux, adhuc ut παιδίον describatur, *Matth.* II. 20. atque mors Regis, immediate velut θεήλατος subnectatur, non diu dilata scilicet, post insidias *Christo* structas, & crudelitatem in infantes Bethlehemiticos exercitam.

XXXVIII. Optimum factu est, uti sub unum ambitum omnia ea referamus, quæ postremis Herodis M. annis, aut mensibus contigere, cum per momenta dispescere nobis haud liceat. Produxerat hactenus vitam suam, septuagenario propior. Casus a prima juventute ancipites: nec vita semper eadem & sibi constans. Egregius, dum privatus, & sub arbitrio Patris vixit. Mox insolescre, atque ex imperio licentiam usurpare cœpit. Videlicet arduum atque immensum opus est, sui modum tenere, & eluctari ad verum decus, per tot bonæ mentis impedimenta, quæ principibus viris objiciuntur. Occultus tamen ac subdolus fingendis virtutibus, donec Hasmonæi, & gravissimi quique Senatorum superfuere. Etiam Antonii atque Cleopatræ, & postremo Augusti qualiscunque reverentia, impetus ejus sæpe tardavere. Hi demerendi precibus erant, promtissimisque officiis, & muneribus expugnandi, ne repeterent, quod male collocaverant. Sane Augustus (*Jos. A.* J. *lib.* XVI. *cap.* 15.) rescripsit aliquando: *Se illo ut amico antehac usum, post usurum ut subdito*. Acer, magnificus, & summi animi; sed ferox idem atque astutus. Et cum ultra modum suspicax esset, in crudelitatem sæpe dilabebatur. Quæ aucta deinceps in majus sunt, cum præter senium, etiam inexpugnabilis morbi atrocissimi vis illi incumberet. Nullius unquam domus tot luctibus funestata est. Adeo nec a conjuge Mariamne, nec a filiis duobus florentissimis Alexandro, atque Aristobulo manum abstinuit, maritus & pater. Inductus alter quidam Dora natus, cui *Antipatro* (*loc. cit. cap.* 6. *lib.* XVII. *cap.* I. *seq.*) nomen. Hic vero cum optimis artibus inclarescere posset, abrupta maluit, & cum periculo potius summa, quam tuto humilia sequi. Patrem habebat indulgentem, amicum Cæsarem. Sed festinatio juvenem extimulabat, dum æquales, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat. Igitur subversis fratribus, solus Antipater apud Herodem gratia valebat, destinatus successor. Sed parum egisse homo pessimus sibi videbatur, nisi iisdem artibus, quibus fratres oppresserat, Patrem quoque petiisset. Adeo difficilis est hominibus utcunque conceptæ spei mora. Assumitur in conscientiam Pheroras. Neque tamen latere facinus perspicacissimum Regem diu potuit. Quod veritus Antipater, commeatum ab eo amicorum ope impetrat, uti Romam concederet, munera Augusto, & tabulas, quibus regni hęres, & post illum cognominis Patri Herodes scribebatur, perlaturus. Dum abest peregre, rem omnem Herodes, & penitus rescivit. Revocatur subitis literis, sed dissimulata ira, hanc saltem prætexebat caussam Pater, quod extrema sibi instarent. Redit Antipater, & Sebasten delatus, nec acclamationibus excipitur, nec solito aulicorum confluxu. Ominosum id visum Antipatro; sed & illud, amicis introitum in regiam negari, sibi soli concedi. Mox ut Herodis conspectum subiit, a complexu ejus repellitur, & reus peragitur, non fratricidii tantum, sed & parricidii. Et Q. Varus Syriæ Præses ad caussæ cognitionem invitatur. Instrumentis proditionis excussis, Antipater crimen sibi impactum strenue negare, benevolentiam Patris, beneficia, detectas fratrum insidias, spem hæreditatis, Cæsaris literas, confessiones per tormenta expressas, opponere. Quæ tamen omnia gravi Nic. Damasceni oratione repressa, & delatorum indiciis revicta: postremo Antipatri etiam confusione evanuerunt. Igitur in carcerem compingitur, asservandus ibi, dum interea Herodes voluntatem Cæsaris per literas exquisivisset.

XXXIX. Atrox deinc valetudo Regis incidit. Quæ cum percrebuisset, subito im-

improvidi quidam Doctores, *Judas & Matthias*, in ſpem ingentem vindicandi patrii moris erecti, incitant Auditores, uti dejicerent *Aquilam auream*, quam Herodes ſupra majorem Templi portam ſuſpenderat. Quod factum ipſa meridie, auctoribus quidem cauſſam exitii fecit, cæteris libertatis initium non præbuit. Vincti enim infelices adoleſcentuli, cumque Præceptoribus ſuis Hierichuntem tranſmiſſi ſunt, quo primores etiam Ju-Judæorum evocati. Herodes lectica in concionem delatus, merita ſua in totam gentem, labores exhauſtos, & Templi ſtructuram, opus a nullo Haſmonæorum tentatum, commemorat. Ingratitudinem proinde, atque injuriam ſibi illatam, acerbe queſtus. Cenſerent Patres, quid dignum temeritate iſta, quid æquum contumelia ſit, quæ in ipſum Cæſarem redundet. Damnant optimates Juvenum facinus, metu potius, quam judicio, atque uſtulandos igni reos decernunt, nec diu dilata executio. Pene fidem ſuperat inhumana illa tot *parvulorum cædes*, niſi hanc Matthæus proderet cap. II. *16*. Equidem mirari ſubit, cur *Joſephus*, qui crudeliſſima quæque Tyranni facta, ſingulari libertate & fide perſcripſit, hujus tamen lanienæ nuſquam meminerit. Humani aliquid paſſus hic eſt diligentiſſimus auctor, aut certe gravibus de cauſſis, ignotis tamen, illam reticuit. Quæ res fraudi nobis cur ſit? Utique *Macrobius Saturn. 2. cap. 4.* quendam Auguſti jocum refert: *Quum audiſſet*, inquit, *Cæſar*, *inter pueros*, *quos in Syria Herodes Rex Judæorum*, *intra bimatum juſſit interfici*, *filium quoque ejus occiſum*, *ait*: *melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium*. Nos exiſtimamus, rem quidem tenuiſſe Macrobium, etſi confuderit Antipatri jam in viros tranſcripti necem, cum bimulorum miſerabili ſtrage. Nam ſeptuagenario Herodi, filium iſtius ætatis fuiſſe; & Bethlehemi, ignobili vico altum; vel interemtum denique, ob deſtinatum fatis imperium, (cum neque metus ipſi a tenello, neque ægre ferre poſſet, filium rerum ſuarum potiri,) veriſimile haud eſt. Numerum occiſorum Scriptura tacet, nam nec ſcire ea noſtrum magnopere interfuit. Magnum fuiſſe ſatis conſtat, cum non in Bethlehem tantum, ſed & ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, atque ἀπὸ διετοῦς interemti infantes ſint. Extento in majus tempore, ne vel ætatis, vel ſtaturæ beneficio, mortem iſte evaderet, quem Tyrannus unice petebat. (*v. Spanh. loc. cit. d. 25. 26. 77. 78.*)

XL. Cæterum Heroden jam corpus, jam vires, nondum crudelitas deſerebat. (*Joſeph. A. J. lib.* XVII. *cap.* 8.) Lenta febris & bulimia, exulceratio inteſtinorum, doloreſque colici, tum pedum tumor, inguinumque putredo, quæ vermiculis ſcatebant, tentigo & frætor gravis, ſpaſmus denique & dyſpnœa hominem exquiſitiſſime excruciabant. Judicii divini illa, non naturæ deficientis & effœtæ ſigna, a Judæis æſtimata. Omnes medicorum artes, & thermas omnes, pertinax morbi vis eludebat. Itaque abjecta revaleſcendi ſpe, donativum militibus, munera amicis deſtinat, & reverſus Hierichuntem, extremum facinus, multoque peſſimum molitur. Accitis enim minaci edicto Judæorum nobiliſſimis, inque Hippodromum concluſis, Salomen & maritum illius Alexam, in hæc verba affatur: Non mortem ſibi gravem, quæ naturæ debitum. Illud vero intolerabile, ſine regio, hoc eſt, publico luctu efferri. Hunc tamen, non niſi ſontica cauſſa, exprimi poſſe genti pervicaci. Redderent itaque ſibi ſupremum pietatis opus, atque obſeptis illis, ſtatim ubi defeciſſet, militem immitterent. Sic totam gentem in luctu, & funus ſuum ſolemnius fore. Excerpta Tyranni juſſa ficto in ſpeciem aſſenſu, nam dimiſſi poſtea ſunt. Interea literæ Cæſaris redduntur, quibus integrum cauſſæ Antipatri judicium, Herodi deferebat. Pars infelicitatis erat Patri Cæſaris beneficium. Nec dubium eſt, quin ad dolores corporis, altus mæror acceſſerit, ex quo deſperatio, atque infelix ſeipſum jugulandi conatus, quem brevi poſt arrepto cultello ſumſit. Adeo continui in animo tyranni ictus, nec intervalla doloris aut ſpiramenta, & ſæviores quotidie, quam cuiquam ipſe inferre poterat, mortes, ſingulaque jam flagitia in carnifices, in plicia auctori ſuo verterant. Prævenit tamen ictum Achiabus nepos. Cæterum trepidatio, & luctus, & clamor ingens regiam perſonabat: quem Antipater leſſum ratus, cum cuſtode carceris de miſſione cœpit agere. Neque tamen ingentibus promiſſis inducere hominem potuit, impenetrabilem fide, & qui Herodi iſta ſtatim deferret. Illico igitur abripi nefarium, interimique, & obſcuro funere in caſtello Hyrcanio condi jubet. Hunc finem habuit, homo ex dolis & ſceleribus conſutus, & publici odii victima. Nec alio exitu manibus Fratrum, per flagitia oppreſſorum, litari potuit. Fxinde teſtamentum Herodis interpolatum. Antipas, quem antea, iratus Antipatro, hęredem ſcripſerat, iterum expunctus. Regnum *Archelao* aſſignatum.

Antipas Galilææ, Philippus Trachonitidis, Bataneæ & Paneadis Tetrarchæ instituti &c. Ultimum hunc Tyranni actum, excepit tandem supremus vitæ dies, quintus ab Antipatri cæde. De anno disputatum a nobis supra est.

XLI. Romanum Orbem *Augustus* moderabatur. Qui Bruto Cassioque cæsis, Pompejo apud Siciliam oppresso, exuto Lepido, Antonioque interfecto, posita Triumviri appellatione, *Principis* (*Tac. d.* I. *cap.* I.) aut *Tribuni* nomine, (III. *cap.* 56.) cuncta discordiis civilibus fessa, sub imperium acceperat. Regium titulum extreme aversatus. Etiam (*Suet. Aug. cap.* LII.) Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est. Consilium Augusti *Dio* (*lib.* LIV.) declarat: τήν τε γὰρ ἐξουσίαν καὶ τὴν τιμὴν, καὶ ὑπὲρ τοὺς δικτάτωρας ἔχων, ὀρθῶς τὸ, τε ἐπίφθονον καὶ τὸ μισετὸν τῆς ἐπικλήσεως αὐτῶν ἐφυλάξατο. Nempe Tarquiniorum tyrannis Reges invisos fecerat. Dictatores Sullana ac Juliana dominatio. Regnum Valerius, (*Liv. d.* I. *lib.* 2.) Antonius Dictaturam (*Plutarch. Ant.*) ex Rep. legibus latis ejecerant. Itaque Augustus reipsa contentus fuit, nomen, quod ex superbia in invidiam verterat, remisit. Sic Libertatis ac Reip. simulacrum improvidis objecit, vim Principatus interim complexus est. Est enim omnis dominationis novæ arcanum, simulatio antiquæ. Initium vero Monarchiæ, diem Actiaci prælii dicimus: ὅτι τότε πρῶτον ὁ Καῖσαρ τὸ κράτος πᾶν μόνος ἔχειν, ὥστε καὶ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν τῆς μοναρχίας αὐτοῦ ἐτῶν, ἀπ᾽ ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι. Libr. LI. Neque dissentiunt a nobis, qui a reditu Augusti in Urbem illud arcessunt. Nam cætera nihil aliud, quam consummatio hujus victoriæ fuere. Illustria sunt, quæ *Dio* iterum sub principium *lib.* LII. annotavit: ταῦτα μὲν ἔντε βασιλείᾳ, καὶ ἐν τῇ δημοκρατίᾳ, ταῖς τε δυναστείαις, πέντε καὶ εἴκοσι καὶ ἑπτακοσίοις ἔτεσι, καὶ ἔπραξαν οἱ ῥωμαῖοι, καὶ ἔπαθον, ἐκ δὲ τούτου μοναρχεῖσθαι αὖθις ἀκριβῶς ἤρξαντο. Scilicet hoc tempus, & post libertatem, tantum δυναστείας seu Dominationes agnoscit, iisque Julii etiam Principatum accenset, qui neque diuturnus fuit, & & mox repetita, quamvis improspere libertate sublatus est. Itaque non *Dio* tantum, sed & *Herodianus præf. op.* atque *Aurel. Victor. in Cæss.* & *epit.* I. Augusto primi Monarchæ decus conferunt, quanquam non invideri debeat Julio Cæs. honor primi inter Romanos Imp. loci. Namque, quod de Philippo atque Alexandro M. *Justinus* (*lib.* IX. *cap.* 8.) indicat: *Orbis imperii fundamenta Pater jecit, operis totius gloriam Filius consummavit*, id de Julio quoque atque Octaviano dicere licitum. Non ista omnia eum in finem adduximus, uti pateat, quam egregie iterum fides sua oraculo Danielis (*cap.* 11. 44. 45.) constet, qua is nasciturum sub IV. Monarchia Messiam, multo ante prædixerat. Illud nos multo pessime habet, quod nullis argumentis definire eum Augusti annum possimus, quo Messias editus in lucem est. Vaga nimis atque indefinita imperii Augusti designatio, & inter LVII. annorum amplitudinem, quibus vel ut heres Julii ac Successor, sive ut Consul, vel Triumvir aut Monarcha denique rebus Romanis præfuit. Quare ad alia pergimus.

XLII. Atque offert se illico ἀπογραφὴ πάσης τῆς οἰκουμένης (*Luc.* II. 1. 2.) instituta ab Augusto, partim ex altioribus caussis, providentia scilicet divina, uti subserviret hoc ipso τῷ ἐν Βηθλεὲμ τόκῳ verba *Chrysostomi hom.* VIII. *in Mat.* quam tamen Cæsar haud intendit, cum curiositate atque ambitione ageretur, quod ostentaret vim Romanam, & majestatem Imperii in immensum porrecti. Sic securitati una cavebatur, cum perscriptum extaret, quæ opes publicæ, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia ac largitiones: Hinc sciri poterat, quæ in provinciis pubes, & quantum expediret illas vel premi milite, aut nudari: ne vires nimiæ fastidium servitutis, impares contemtum, utraque studium novandi crearent. Per πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, *Orbis Romanus* innuitur. Quis enim unquam omnem imperio suo terram complexus est? Habuere Monarchiæ fatales suos terminos, (*Chr. Matth. prol. in Theatr. Hist.*) quos transgredi non est datum. Assyriaca Hellespontum; Persica non hunc tantum, sed Tanain præterea fluvium, & montem Caucasum; Græca eosdem Septentrionales populos; & Romana hæc denique Euphraten. Ultra progressis; aut festinatum exitium, aut successus instabiles, majore mox damno eluendi. Id quod Antonii ac M. Crassi, Trajanique & Cari atque Valeriani expeditiones testantur. Juvat sententiam nostram *Syrus* interpres, qui *universum populum imperii ejus* reddidit.

LXIII. At vero cur *Prima* illa ἀπογραφὴ dicitur. Annon enim Judæi a Pompejo M. vectigales redditi, (*Jos. A. J. lib.* 14.) Scaurum deinceps atque Gabinium, Crassumque; tum Bibulum denique,

que, & cæteros, graves exactores habuere? Dicendum igitur, aut respectu Cyrenii talem appellari, & quod alteram etiam, Archelao relegato, Judæaque in formulam provinciæ redacta, idem Quirinius instituerit, de qua *Lucas* Actor. v. *Jos.* A. J. lib. XVIII. cap. I. Aut certe aliam hujus formam, novum etiam mereri nomen, cum non ordinarii census, nec consueta tributi exactio, sed descriptio extraordinaria fuerit, tabulis censualibus in eam rem confectis, & censitore cum imperio peculiari ad hoc negotium instructo. Describentem *Lucas* (cap. II. 2.) Κυρήνιον, *Tacitus Quirinium*, (A. 3. cap. 22. 23. 48.) *Suetonius* in *Tib.* (*cap.* 49.) & cum eo *Onuphrius Quirinum*, Syrus *Kurinum* vocant. Hic a *Josepho* (*A. J. lib.* XVII. I.) ἀνὴρ ὑπατικὸς, τὰς δὲ ἄλλας ἀρχὰς ἐπιτετελεκὼς, καὶ διὰ πασῶν ὁδεύσας, ὕπατος γενέσθαι, τάτε ἄλλα ἀξιώματι μέγας dicitur. *Tacitus* illum ut *impigrum militiæ, & acribus ministeriis Consulatum sub D. Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptum, datumque rectorem C. Cæsari Armeniam obtinenti* laudat, perstringit tamen propter *obscurissimam domum, intenta Conjugi Lepidæ pericula, dictum ei repudium, sordidamque & præpotentem sectam*. Idem scriptor ait: *Mors ejus publicis exequiis frequentata auctore Tiberio, quem is Rhodi agentem coluerat: quod tunc patefecit Imperator in Senatu, laudatis in se officiis, & incusato M. Lollio, quem auctorem C. Cæsari pravitatis & discordiarum arguebat*. Consulatum cum M. Velerio Messala, A. U. C. Varron. DCCXLII. Juliano XVXIV. gessit. Quo exacto Ciliciam petiit. Non Syriæ ergo præfuit. Neque in Syriam missus est, præterquam relegato Archelao. Jul. LI. Adde C. Cæsarem in Armeniam profectum Jul. XLIX. Augusto Cæs. XIII. & Plautio Sylvano Coss. Moderator juventæ ejus M. *Lollius* (*Vell. lib.* II. *cap.* 102. primum datus, hic vero mortem obiit, Jul. XLVI. fortuitam an voluntariam dubium, quem tum demum *Quirinius* (*Tac. A.* III. *cap.* 48.) excepit. Res intricata admodum est, & difficilis expeditu. Præsertim, cum & illud constet, *Sentium Saturninum* circa ultima Herodis tempora Syriæ præfuisse. Coram hoc enim in Concilio Beryti coacto, caussa Alexandri atque Aristobuli, filiorum Herodis, disceptata est, anno Jul. XLI. Et Saturnino immediate *Quintilius Varus* successit, amissis dehinc in Germania legionibus notus. Argute de eo Vellejus. (*lib.* II. *cap.* 117.) *pecuniæ vero quam non contemtor, Syria cui præfuerat declaravit, quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit*. Res manifesta est. Diserte enim *Josephus* (Jos. A. J. lib. XVII. cap. 7.) ἐτύγχανε δὲ, inquit, ἐν Ἱεροσολύμοις καὶ τοῦτον τὸν καιρὸν Οὔαρος Κυϊντίλλιος, διάδοχος μὲν Σατορνίνῳ, τῆς ἐν Συρίᾳ ἀρχῆς, ἀπεσταλμένος, quem etiam Herodes ἀκροατὴν καὶ δικαστὴν molitionum Antipatri esse voluit. Quæ circa XLII. Jul. non ita diu ante obitum Herodis patefactæ atque oppressæ. Huic demum Varo *Quirinium* submissum, idem *Flavius* auctor est, sub finem XVII. & initium XVIII. lib. Superstes enim Herodi Quintilius fuit, quod ex composita seditione, quam sub Archelao Judæi adversus Sabinum ἐπίτροπον agitaverant, liquet. v. *Joseph.* A. J. lib. XVII. cap. 12. *Tac. Hist.* lib. V. cap. 9.

XLIV. *Beza* atque alii, per *librariorum errorem* κυρηνίε vocabulum, pro κυϊντιλλίε irrepsisse autumant. Nos veterum Codicum fidem, & Syri interpretis antiquissimorumque Patrum auctoritatem, ac religionem denique illis opponimus, quæ nihil induci temere, vel expungi permittunt. Ea etiam sententia maximis urgetur incommodis, qua descriptio illa πρώτη dicitur, hoc est, προτέρα, aut πρότερον ἢ ἡγεμονεύειν Κυρήνιον, positiva voce pro comparativa, vel nomine pro adverbio acceptis. Subtilem magis quam solidam Spanhemius judicat. Unde rationibus & auctoritatibus illam refellit, loc. cit. Dub. v. n. 6. Itaque cum varias variorum conciliationes adduxisset, totam denique rem duobus modis expediri posse autumat: *Si cum Kepplero dicamus, Quirinium bis præfuisse Syriæ*: primo circa Jul. XXXVI. post Titium, (seu Titum, qui M. Vips. Agrippæ per unum alterumve annum successerat) in qua præfectura universalis descriptio conclusa ac destinata, post tria bella intra non multos annos feliciter confecta, Pannonicum a Tiberio, Germanicum a Druso, & Thracium a Pisone. Tum enim SCto Janus Geminus clausus est, & Augustus consilium istud cepit, de quo actum a nobi supra est. §. 42. Forte itaque Quiriniur, vel eo ipso anno XXXVI. Jul. Vel sequenti XXXVII. edicto Principis describere provinciam, cui præerat, jussus est, quo dein promulgato, professionem Josephus & Maria maturarunt. Forte itidem negotium dilatum, cum Dacia, Galliaque & Dalmatia, ac Sicambri, onera tributorum atque exactiones armis excutere niterentur. Auctura enim malum videbatur, nova hæc servitutis professio. Igitur intermissa tantis-

tisper est, ne Judæi præsentinm tædio, cæteri futurorum metu, sumerent arma, atque ancipitis belli initium præberent. Compositis provinciis, nihilominus urgeri illa potuit per Saturninum, tum alibi, tum in Judæa. Hæc ergo verborum Lucæ exegesis esset: *αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη μὲν ἐγένετο, Κυρηνίου τῆς Συρίας ἡγεμονεύοντος, ἀλλ' οὐκ ἠδυνήθη διατελεῖσθαι τότε, ἀποςάντων τῶν ἐθνῶν, ἕως Σατορνίνου ἡγεμονεύοντος, τότε δὴ καὶ ἀνεκαινήσατο ὑπ' Αὐγούςου, καὶ διεπράχθη*. Altera illa Quirinii Præfectura satis recte se habet, obtigit enim ipsi, postquam Archelaus in exilium pulsus, Judæa vero provincia facta esset. (*Jos. A. J. lib.* XVII. *cap.* 5.)

XLV. Hæc prima solutio est. *Alteram Baronius* subindicat. *Scaliger* vero, & *Casaubonus*, *Petaviusque* & *Montacutius*, explicant illam præterea, atque illustrant. Uno scilicet ac eodem tempore Sentium Saturninum, & post hunc Quintilium Varum, *Præsides ordinarios;* Quirinium *Legatum Cæsaris* cum extraordinaria potestate; & Sabinum *ἐπίτροπον* s. *Procuratorem* in Syria egisse. Nihil hic officit, quod *ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου*, facta descriptio dicitur. Nam de quovis imperio verbum hoc usurpari satis constat, tum ex sacris literis, Luc. III. 1. ubi *ἡγεμονία* Tiberio, *ἡγεμονεύειν* Tiberio, *ἡγεμονεύειν* Pilato tribuitur, inter quos immane descrimen: tum ex *Flavio* etiam, aliisque Scriptoribus vetustis. Id ergo infertur: directione, ductu atque auspicio Cyrenii censum in Syria peractum. Ita *Jac. Usserius Armachanus*, (*Ann. As. p.* 530.) ita infiniti alii statuunt: quos recensere prolixius, id vero nostrum non est. Eadem ad *Tertulliani* auctoritatem, qui (*lib.* IV. *adv. Marcion.*) *Sentio Saturnino ἀπογραφὴν*, sub qua *Christus* natus est, adscribit, reponenda sunt. Aut, quod Lucas meminerit Quirinii, a quo cœpta: Tertullianus Saturnini, a quo continuata atque perafecta. Aut quod extraordinarium Censitorem Lucas, Tertullianus vero ordinarium ejus temporis Syriæ Præsidem nominet (*v. Spanb. D. E. pag.* II. *d.* 6.)

XLVI. Quid vero interea Herodes, cur non ipse descripsit populum? quippe Rex Judææ. Certe hic majestatis actus. Quæ quomodo perstitit illæsa, si Præsidi Romano obnoxium ejus regnum? Sed quid ageret precarius Rex, qui nutum etiam Domini anxie observare teneretur. Concessum ipsi a Romanis imperium, sed *ἐπὶ φόροι τεταγμένοι* (*Appian. lib.* V.) Licebat ab Herode ad Antonium atque Augustum provocare. Ipse Herodes, filios Alexandrum atque Aristobulum reos apud Cæsarem peregit, neque quicquam de iis, nisi consulto Augusto statuit. Similis postea cum Antipatro processus. Idem Herodes Laodiceæ coram Antonio, Rhodi coram Augusto caussam dicit. Increpitus quoque duriter a Cæsare est, cum Syllæus eum detulisset. Nec testamentum illius ratum nisi indulgente Octavio. Archelaus ab Herode successor regni scriptus erat, illud tamen aperte haud adiit prius, quam Cæsaris voluntatem explorasset. Regnum deinde Archelai in *ἐθναρχίαν* (*v. inf.* §. 55.) conversum. Sunt hæc talia profecto, quæ summum Romanorum jus in Judaicam gentem, & Regem quoque illius manifeste arguunt. Id magis nos suspensos tenet, quod neque *Josephus*, aut *Dio*, vel *Tacitus Svetoniusque*, ac *Vellejus Paterculus* meminerint universalis istius, atque ideo in vulgus notæ descriptionis. Est quidem Christianis omnium instar unius auctoritas Lucæ: Sed profanorum quoque cavillis occurrendum, qui mire sibi argutiis istis placent. Quare *Spanhemius* (*loc. cit. D.* VIII.) præclaram operam in eruendis hujus rei vestigiis posuit, ostenditque, & e monumento Ancyrano, rerum gestarum Augusti indice, (*Lips. Auctar. Casaub. not. ad Sveton. Aug.*) cumprimis ex serie ejus secunda, atque ex *Tacito*, (*A.* I. *cap.* 2.) consimilique *Dionis* (*lib.* LVI.) ac *Svetonii* (*Aug. cap.* 28.) loco: potissimum vero ex *Josepho* id colligi, A. J. *lib.* XVII. *cap.* 3. Ubi sub exitum prope Herodis totam gentem novo sacramento adactam narrat, uti fidem inviolabilem Cæsari atque Herodi præstaret. Quæ res profecto a descriptione non admodum aliena. Addit vero supra sex milia Pharisæorum illud juramentum detrectasse. Fama forte, aut jam editi Judęorum Regis, aut certe propediem nasciturі. Jam enim revolutus erat seculorum ordo, quem sancti Vates adventui *Messiæ* definiverant. Imo iidem Pharisæi finem Herodi instare, regnumque ejus in aliam stirpem transferendum aperte denunciabant. Refert id quidem *Flavius* ad *Pheroræ liberos*, sed proculdubio varii jam rumores de venturo novo Rege percrebuerant passim. Unde obstupuit Herodes (*Matt.* II. 3.) ad Magorum desideria. Secutaque prædictiones istas, apud Josephum, cædes & vatum illorum & complicum: addamus nos, cum Evangelista, (*Matt.* II. 16.) infanticidium Bethlehemiticum. Illustriora adhuc videntur, quæ *Suidas* habet, voce *ἀπογραφῆς*. Memorat ibi Augustum emisisse XX. viros *τοὺς ἀρίςους τὸν τρόπον, ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων, δι'*

ὧν

ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων, καὶ τῶν οὐσιῶν &c. Explicant profecto ista insigniter Lucam. Et qua quæso fronte *Tertullianus*, in scripto præsertim eristico adversus hominem vafrum, ad archivum Romanum, & tabulas censuales, actaque publica, quæ in forulis paganorum extabant, provocasset, nisi certa re atque explorata? Idem de *Justino Martyre* dicendum, qui *Apol.* II. *ad Antoninum Pium Imp.* & S. P. Q. R. pescripta: item, *Dial. cum Tryph.* census istius mentionem injecit. Sed enimvero, demus id ita esse, & nihil tamen inde caussæ nostræ decedet. Multa Dioni, plurima Tacito, innumera Svetonio solis affirmantibus credimus. Quis fidem Lucæ deroget? Scriptori gravi, candido, incorrupto, & æquali illorum temporum, quibus descriptio isthæc contigit. Quod si superessent omnium auctorum monumenta, proculdubio ea occurreret. Nunc crebris Italiæ devastationibus, ingens damnum & Historia quoque passa est.

XLVII. Hęc publica servitutis professio, & tessera obsequii erat, quod debebatur Principi extero. Et demonstrabat adeo, advenisse fatale tempus, quo Messias nasci debuit, & *lapis sine manibus e monte exscindi. Gen.* XLIX. 10. *Dan.* II. 44. Reservata autem descriptio in hunc annum fuit, ut via sterneretur complemento vaticinii Prophetici *Mich.* v. 2. *Joh.* VII. 42. Non exequimur omnia illa, que Theologi h. l. pręclare annotant, quam non fortuito illud τὸ ἐγένετο, (*Luc.* II. I.) sed ex certo consilio Numinis ac directione acciderit, quo Imperator potentissimus, Prophetę minister, Dei pręco, & metator *Christi* esset, documento insigni, etiam Principum majestatem Deo obnoxiam, eorumque consilia & actiones majori auspicio dirigi, ut quamvis in alia omnia ipsi eant, prę stent tamen atque expediant inscii, quod divinum arbitrium fieri destinavit. Neque illam etiam disputationem de mense & die natalitio adducimus. Crescet in immensum dissertatio nostra, nisi in posterum magis presse insistamus lineę.

XLVIII. Sed enimvero manum properantibus injicit illustre oraculum, quod *Gen.* XLIX. 9. perscriptum extat. Digna res est, in qua industriam nostram exerceamus. Quare ante omnia sensum vaticinii ostendemus: dehinc ulterius progressi, constituti pariter atque excussi sceptri terminum designabimus. Id vero ita se habet: *Non recedet sceptrum ex Juda, & Legislator e pedibus ejus, donec veniat Silo*. Non hic persona Judę, sed posteritas ejus a Jacobo innuitur. Imo ne hęc quidem stricte adeo, & cęteris quibuscunque tribubus exclusis. Nam Judęorum Reges cum Zedekia defecisse satis liquet. Post Templi vero Urbisque restaurationem Levitę imperium, quod penes Davidis posteros quondam fuerat, vario quidem illi, & diverso modo identidem, sed tamen Levitę usurparunt. Nam quod Viterbiensis Annius potestatem νομοθετικὴν in Zorobabele restitutam, inque Johanne Hyrcano, postremo Judęorum ex familia Davidis Duce, iterum extinctam scribit: id minus forte se nobis probat. Ac tutius proinde Flavium Josephum, (*A.* J. *lib.* XI. *cap.* 4. *seq.*) sequimur, scriptorem accuratissimum, qui Judęos ista tempestate πολιτείᾳ ἀριστοκρατικῇ μετ' ὀλιγαρχίας usos ait. Et eodem auctore οἱ ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων, ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσσαμοναίους συνέβη βασιλεύειν. Enimvero, cum brevi post Zorobabelem, Alexander M. commeatum a Judęis, & socia arma, Tyrum oppugnans peteret, Pontifici *Jaddo* literas suas inscripsit. Penes hunc enim summa imperii erat. Etiam hoc divinus vates indicat, sacrum imperii sceptrum, nonnisi futuris demum seculis, tribui Juda inferendum esse, quod ubi firmatum semel sit, non remotum iri penitus, donec Silo adsit. Jam porro notabile est, quod non regii tantum nominis, sed & מחקק seu ἡγουμένου, uti LXX. Int. habent, hoc est, *legislatoris* meminerit, quo ipso diversos status, & varias gubernandi formas subditorum populum Judaicum prędicit. Et revera id ita factum est. Siquidem ostendimus sub initium dissertationis, quomodo ex eo tempore Judæi, Regibus modo Ducibusque, tum Pontificibus denique, ac Regibus iterum obtemperaverint. Postremo & illud meminerit lector, in oraculis haud supputari anxie temporum momenta oportere. Pleraque enim interpretanda latissime sunt. Itaque per עד כי יבא tempus quidem adventui Messiano præscribitur: non præcise tamen, & qua annum, sed saltem confuse, qua annorum quorundam complexum, circa quos certo certius esset expectandus.

XLIX. *Initium sceptri* in *Juda* instituti ad *Davidem* referimus. Neque enim *Eusebius* (*Demonstr. Evang. lib.* VIII. *dem.* I.) se nobis probat, dum jam inde a Mosis tempestate datum id huic tribui asserit. Propterea; quod tribus Juda inter cæteras singulari dignitate semper excelluit, locumque tenuit honoratiorem, tam castris, quam in eorum ordine, qui munera in Templo offerebant. Nos argumentum illud non magis movet, quam si Romæ aut Athenis quispiam,

piam, ſceptri majeſtatem non apud populum Romanum aut Athenienſem, ſed apud unam dicat tribum fuiſſe, quæ cæteris nobilior florentiorque erat. Itaque ea omnia quædam veluti ſceptri prę-ludia fuere, non ſceptrum ipsum. *P. Cunæus* profundiſſimi judicii vir, *Roboamum* mavult. Scribit enim: *Equidem ego ſceptrum eſſe nihil aliud niſi majeſtatem imperii opinor, eam nempe, quæ ipſi Reip. aſſidet. Quare quorum Reſpublica eſt, eorum & Sceptrum dici debet. Reſpublica autem Hebræa, a Moſis ſeculo aduſque Roboami regnum, non* Judæorum, *ſed duodecim tribuum fuit. Ex quo efficitur etiam, ſceptrum per ea tempora omnium fuiſſe Iſraelitarum. Cæterum de hoc ſceptro, quod diu commune* XII. *tribuum fuit, non locutus eſt divinus Patriarcha in celeberrimo oraculo. Seros enim annos, & ventura ſpectavit ſecula, cum tribus* Juda, *ſciſſo in contrarias partes populo, ſuam ſibi Remp. habere ſeorſim ab Iſraelitis cepit, quam probavit dilexitque Deus, atque appellari de ſolo* Judæ *nomine* Judaicam *voluit, donec is mortalium datus cœtibus eſſet, cui imperium deſtinabatur, non* Judæorum *modo, ſed gentium omnium*, de *Rep. Hebr. lib.* I. *cap.* 9. Atqui in genere divinus ſenex tribum Juda imperio potituram: atque ἀξίωμα ἀρχικὸν non plane ab ea removendum, ante tempora Meſſiæ exhibendi, aſſerit. Factum id primum, poſtquam David obſcurus opilio, Rex declaratus eſſet, Saule ob negligentiam in officio reprobato. Hic radix illius dignitatis, quæ CCCCLXVI. minimum annis in eadem domo perſtitit. Atque hinc eſt profecto, quod repetitis ſolenniter promiſſionibus (II. *Sam.* VII. 12. *ſeq.*) fides Davidi data, orituri ex lumbis ejus Meſſiæ, (is enim eſt Silo iſte) cujus regnum omnino finis expers. Sane Roboamus non niſi hęreditario jure regnum accepit. Et tantum abeſt, uti intulerit Judę excellentiam quandam, cum imminuerit illam potius. Nam quę tribus cęteris omnibus antea imperitaverat, nunc Bejaminitis ſolis Levitiſque jacturum ſuam ſolabatur. (*Spanh. loc. cit. diſt.* XVII.)

L. Atque hanc quidem ſceptri majeſtatem, ex quo tempore ſemel eſſe Judęorum cœpit, manſiſſe eorundem dicimus: etſi mutatus interdum Reip. ſtatus ſit, ac penes Optimates modo Pontificeſque, modo penes Reges aut Principes ſumma fuerit imperii. Nimis inepte faciunt, qui hic in arctum deſiliunt, & nominis hujus honorem non pertinere niſi ad Reges autumant. Quicunque enim populus ſua quadam Republica, ſuiſque legibus utitur, is recte gloriari de imperio deque ſceptro poteſt. Memorię proditum eſt, Hieroſolymis etiam eo tempore, cum populum non Principes, ſed Optimates regerent, in medio magni Concilii, quod Sanhedrin vocant, ſceptrum pependiſſe, quę res fuit profecto inſigne illius majeſtatiş, quam Marcus Tullius (*Partic. Orat.*) *eſſe magnitudinem quandam populi*, ait, *in ejus poteſtate ac jure retinendo, quæ vertitur in imperio, atque omni populi dignitate*. Quamvis vero per annos ſane multos regnum tenuerint Levitę Haſmonęi, fuit tamen nihilominus Reſp. Judęi populi. Sociaverant ſe Judæis Benjaminitæ & Levitę, cum ſcinderetur in diverſas partes Hebręorum imperium. Quia autem pauciores tenuioreſque erant, nihil niſi acceſſio habiti ſunt. Itaque nec Reſp. ab illis appellationem accepit, & ipſi pene nomen ſuum amiſere, dicti enim tandem communiter Judęi ſunt. Id quod & Flavius annotavit, dum ait: ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησαν ἐκ Βαβυλῶνος, ἀπὸ τῆς Ἰȣδα αὐτοί τε καὶ ἡ χώρα προσηγορίας μετέλαβον. Atque hactenus quidem oraculo ſua fides conſtat. Quod ſi vero probari poſſet, concilium Sanhedrin ex ſolis poſteris Davidis, vel ſaltem Judęis ſtricte dictis conſtitiſſe, utique ἀξίωμα aliquod conveniens oraculo Judę adhuc relictum fuiſſet, quippe quod non de ſceptro duntaxat, ſed & de מחקקים vaticinatur. Sane Philo, & Seder Olam, Zemachque David, & Talmud *lib.* I. Sanhedrin, non hoc ſaltem, ſed & illud prĕterea aſſerunt, Prĕſidem illius Conſiſtorii ſemper aliquem ex poſteris Davidis fuiſſe. Non inquiremus moroſe in fidem iſtius narrationis: ſed dabimus id ita eſſe: & jam tum tamen periodus a Jacobo deſignata expiravit. Quę enim fata Sanhedrin, & miſera ſors illa tempeſtate fuerit, id expoſuimus ſupra. Non vacat nobis *Origenis*, *Epiphanii*, *Cyrilli Alex. Auguſtini* & cęterorum improvidas ſententias prolixius exequi, qui ſtatuerunt, promitti ibi Judęis, quandam perpetuam Regum ex eadem tribu, atque per idem genus ſucceſſionem, uſque ad tempora Meſſię. Quę qui amplexi ſunt, ii profecto in multas ſalebras inciderunt, neſciebant enim quid dicerent, aut quo ſe verterent, cum cernebant, a Sedechię quidem morte uſque ad Ariſtobuli tempora, regnum Judęorum nullum fuiſſe, poſtea autem uſque ad Herodis tyrannidem ſolos Levitas Haſmonæos regnum tenuiſſe. Equidem iſtorum ex tribu Juda origo quoad genus maternum, tum commentitia eſt, tum inutilis, cum ratio illius nulla habeatur. Mirum ergo

Ba-

Baronio hoc commentum placuisse. Intolerabilis autem *Genebrardi* (*A. M.* 3922.) temeritas est, qui Hasmonæos in tribum Juda & stirpem regiam, etiam quod genus paternum infarcire audet. Contra fidem non Josephi tantum, sed & *Scriptoris Maccabæorum* (I. *Macc.* II. I. *conf.* I. *Par.* XXIII.) qui Mathathiam Hasmonæorum principem, *ἱερέα ἐκ τῶν υἱῶν Ἰωαρὶβ* vocat. Quare vel auctor canonicus, talis enim Romano-Catholicis est, vel Genebrardus impegit. Quod posterius indubium habemus.

LI. Sic prima initia sese, sic continuatio Sceptri Judaici habuere. Nunc illud denique expediendum restat, *quando impletum oraculum* fuerit, dignitate rursus tribui adempta. Quam frustra hoc loco Cn. Pompejus nominetur, id ex supra dictis (§. 12. 35.) liquet. Quanquam enim acerba multa passa ibi fuerit gens Judaica, nondum tamen recessit imperium vel *αὐτονομίας* omnis a Juda, Pompejo restituente *τὴν ἀρχιερωσύνην ἄνωθεν*, quod Josephus notat *lib.* XIV. Ant. *cap.* VIII. Et sic penes Hasmonæos, qui *Hebræi ex Hebræis*, adeoque Judæi *φύσει*, aliqua imperii forma ad Heroden usque mansit. Neque illud etiam valet, quod ex Justino *Casaubonus* (*Exerc. Anti Bar. ad num. Appar.* IV. XV.) objicit, *non videri oraculum adimpletum*, *antequam excisa urbe*, *omnis una magistratus civilis*, *atque omnis ordo hierarchicus fuerit deletus*. Nam Jacobus ibi non de *πολιτείᾳ* gentis, quæ tum demum contigit, postquam eversa Urbe deletoque Templo, Rempublicam aliquam habere suam, seque suis regere legibus desivere, sed tantum de ablatione sceptri & *νομοθεσίας* prædicit. Ea tum contigit, cum Herodes *non Hebræus ex Hebræis*, imperium tamen in Hebræos exercuit & מחוקקים quoque, hoc est, *Senatum summum* astute ac violenter infregit. Enimvero non uno momento Reip. Judaicæ ruina absolvitur. Gradus (*vers.* §. 34.) certi, & diversa dantur tempora, quibus vel cepit illa, vel promota est, ac tandem consummata. Non erat necesse, uti eo ipso anno, quo Herodes regnum adiit, Silo nasceretur. Etenim cum latitudine aliqua formulam עד כי sumendam esse, supra (*vers.* §. 38.) demonstravimus. Imo cum excussio dignitatis adventum ejus indicare deberet; magis in rem erat, antecedere illam annis aliquot nativitatem *Christi*, quo fatalis periodus tanto manifestius a Judæis deprehendi posset. Sed cœci illorum oculi erant, cum animus alias res ageret, & videre illa recusaret, quæ posita in medio extabant. Tanta vecordię vis eos pervaserat. Quare *Torniellum* quoque in ordinem redigimus, qui ad A. M. 4052. notat, vaticinium Jacobæum cepisse demum impleri, quando Archelaus Herodis M. filius non regnum, sed mediam tantum ejus partem: nec regium, sed Ethnarchę titulum ab Augusto impetraverit, quamvis Herodes illum regni successorem tabulis ultimis scripsisset. Ab eo enim tempore ita fuisse ablatum sceptrum a Juda, ut nunquam postea fuerit restitutum vel instauratum. Etenim hoc pacto Messias indicem adventus sui ipse pręvertisset: haberentque Judęi, qui tum vixere, aliquam illius spreti caussam sive prętextum. Ingens adhuc dignitas Archelao constabat, utut ampliori spe depulsus esset. Neque enim propterea quisquam, nisi ineptus conjicere aut sperare poterat, sceptrum Judęo alicui restituendum. Nunquam profecto id contigit. Namque Archelao diu ante Viennam relegato, Herodi Agrippæ, Magni illius ex Aristobulo Filio Nepoti, regnum deinde & regium titulum, Cajus Caligula (*vers. infr.* §. 75.) indulsit. Postremo & Filius ejus, junior Agrippa, Chalcidensium Rex a Claudio Cęsare declaratus est. Auctus deinceps ab eodem Philippi Patrui & Lysaniæ ditionibus: a Nerone vero, præter Tiberiadem, etiam parte Galilææ, & præfecturis aliis. Mansitque ad III. usque Trajani annum, qui ab excidio Urbis XXXmus erat, superstes. Sed definimus aliquando, ne quis nos credat accuratum opus moliri, qui nihil nisi tumultuarias commentationes extrudimus.

LII. Postquam Herodes M. fato concesserat, literæ militibus relectæ (*Jos. A. J. lib.* XVII. *cap.* 10.) quibus iste, collaudata cohortium fide, auctor una erat, uti eandem filio Archelao designato Regi incorruptam servarent. Testamentum deinde illarum Ptolomæus recitavit, quo imperii hęres scriptus erat, siquidem id Augustus probaret: Hic vero cum inter faustas acclamationes Rex salutaretur, deprecari invidiosum nomen, atque Octavii voluntatem caussari, & modestiam suam obtendere, cum rem interea ipsam avide complecteretur ambitiosissimus mortalis. Ex throno aureo benigne plebem alloqui, spondere clementiam, opem, cætera Regis erant. Ortoque mox tumultu, Archelaus illum, cum alia ratione haud posset, vi compescuit immisso equite, qui tria seditiosorum millia obtrivit. Romam dehinc cum amicis properat, occupandæ Cæsaris gratiæ & firmandæ potestati. Idem

&

& Antipas molitur, quem prioribus tabulis pater Heredem dixerat. Lite contestata coram Augusto, Antipater Salomes filius Archelaum reum peragit, usurpati regni, stragis factæ, solii regii conscensi, &c. & quod cætera omnia quæ regis sint, temere sibi arrogasset. Cæsarem ab Archelao ante spretum, adhuc illudi, dum suffragium peteret, regni jam occupati. Æstimaret inde ingenium hominis subdolum ac ferox. Antipæ regnum deberi, quem sponte sua, & judicio Pater hęredem instituerit. Archelaum ab ægro (*vers. supra* §. 40.) & moribundo sene suppositum. Excipere hunc sermonem Damascenus, & crimina amoliri, odium in Antipatrum detorquere. Insistere enim Herodis voluntati, quæ suprema esset: & provocare denique ad prudentiam Cæsaris & favorem. Ipse vero Archelaus genua Cæsaris advolvi, & dignitatem gestu potius, quam verbis petere. Octavius erigit juvenem, & bonæ spei plenum, (dixerat enim illum regno non indignum, ac proinde commoda ejus & paternas tabulas sibi curæ fore) a se dimittit, caussæ judicium tamen in aliam diem differt.

LIII. Judæa interim, ita ut fit Domini ubi absunt, variis motibus (*A. J. lib.* XVII. *cap.* 12.) agitari, exasperatis civium animis & remedii impatientibus. Nimirum pertæsi crudelitatis gravissimique Herodis imperii, Filium dedignabantur. Eductum in domo regnatrice, per deterrimas artes, pessimo Doctore adolevisse. Jam specimen datum, occisis tot millibus, quorum non aliud crimen, nisi justus quidam dolor, & vindicandi patrii moris sancti conatus. Itaque arma & libertatem crepabant, re quidem vera servitutem sibi atque exitium concivere. Statim enim ex vicina Syria Varus cum exercitu adest, oppressisque auctoribus, & composita, ut videbatur, in præsens seditione, ipse quidem provinciam suam repetit, cæterum legionem unam Hierosolymis subsistere jubet, uti improbas studentium novis rebus spes retunderet. Sed mox recruduit vulnus male obductum *Sabini* impotentia. Hic Procurator Judęę, (*Jos. A. J. loc. cit.*) fretus copiarum numero, & suę quoquę avaritię libidinique dandum aliquid existimans, Arces & regiam suppellectilem intercipit, turpi quantum vix dici potest, & temerario studio. Etenim funestis tumultibus, & tot quę deinde per plures annos consecuta sunt malis, non alius majorem flagrantioremque, quam iste Sabinus, subjecit facem. Affluxere omnes undique ad Scenopegias festivitatem, non tam religione, quam ut expeterent ab homine pridem sibi inviso pœnas. Ad manus illico deventum, cęsi Judęi; mox tamen instauratis viribus acrius hostem impetebant. Itaque Hierosolyma misere affligi, totaque regio armis infesta esse, cum modo *Judas* (*Jos. loc. cit.*) aliquis, vel *Athorenges*, aut *Simon* reges se ferrent, stipati colluvie quadam inquietorum hominum, purgamentis urbium suarum, queisque ob egestatem & flagitia, maxima peccandi necessitudo erat, Hi ferro flammaque atroces, noxios atque insontes pariter habebant. Pollutę ceremonię, magna adulteria. Nobilitas, opes pro scelere, atque ob virtutes certissimum exitium. Crudelitas in omnes exercita, etiam in eos, quorum non aliud facinus, nisi quod mori possent.

LIV. Evocatur subito Quintilius, ne quid detrimenti caperet Legio, quam Hierosolymis relictam hostis premebat, unice securitati ejus cavente Sabino. Neque sustinuere advenientem Judæi, itaque dissipati passim sunt. Cum Varus interea Sephorim nullo obsistente captam, auctionatus incolas, igni exureret. Auxiliariæ cumprimis cohortes, quas ex Arabia Aretas miserat, per summam licentiam, omnia late incendiis, cædibus, libidine miscebant. Inde admoto Urbi exercitu, obsidionem Legionis solvit, atque acerbe cum civibus, ob turbatam publicam pacem, expostulat, contendentibus illis, non per se stetisse, quominus servaretnr ea, turbæ id peregrinæ dandum, quæ ad festum convenerit, hanc cæco impetu actam sumsisse infelicia arma, quorum nunc omnes pœniteat. Ergo conquisitis auctoribus, duo quidem millia eorum Varus in crucem egit, cæteros incolumes dimisit. Exercitum vero composita provincia in Syriam reduxit, postquam dum iter faceret, alium etiam consensionis globum disjecisset. Decem millia Judæorum erant. Quibus celeriter circumventis atque obseptis, vulgo venia facti data, auctores ad Cæsarem Octavium remissi.

LV. Hoc tractu temporum (*Jos. loc. cit. lib.* XVII. *cap.* 12. & 13.) Missi L. ex Judæa Romam veniunt, (assenserat enim Varus) petuntque ex Augusto, uti suis sibi legibus vivere liceat. Invisum sibi nomen regium, ob Herodis memoriam, qui avare pleraque & crudeliter gesserit. Eadem ab Archelao imminere, primum certe novi Principatus facinus sanguine maduisse. Adjungerentur itaque Syriæ, ut Romanis Legibus & Ma-

Magiſtratu æquius viverent, declaraturi factis, nullam gentem fide atque obſequio ſupra Judæos eſſe. Stipabat miſſos ingens popularium multitudo, VIII. M. numero, quæ Romæ tum agebat, negotiorum forte & lucri cauſa. Etiam hoc degenerantis Reip. indicium erat. Namque ignotæ olim Hebræis mercandi artes, auctore *Flavio*, qui lib. I. *contra Apion.* ἡμεῖς, inquit, οὔτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, οὔτε ἐμπορείαις χαίρωμεν, οὐ δὲ ταῖς διὰ τούτων πρὸς ἄλλους ἐπιμιξίαις. ἀλλ' εἰσὶν μὲν ἡμῶν αἱ πόλεις μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης ἀνῳκισμέναι, χώραν δὲ ἀγαθὴν νεμόμενοι, ταύτην ἐκπονοῦμεν. Enimvero cum diverſas gentes ita negotiatio ſociaverit, ut quod genitum eſt uſquam, id apud omnes natum eſſe videatur: ſoli Judæi intra terræ ſuæ fines iis contenti opibus, quas illic natura producebat, neque exteros viſebant, & ab his non viſebantur. Ex quo illud contigit, ut multa gulæ ac voluptatum irritamenta, peregrinos quoque mores, feliciter ignoraverint. Equidem hodie in diverſa omnia deſcitum eſt, poſtquam ob anxias negotiationes famoſi adeo facti ſunt, ut fraudolenti atque avari, & peſſimi quique inſtitores, vulgo *Judæi* audiant. Nos in ordinem revertimur. Facta illis poteſtas dicendi in æde Apollinis, quo Archelaus etiam cum Damaſceno advenere, uti expurgatis criminibus, irritos denique ſpei Judæos facerent. Cognita cauſſa, Cæſar Ethnarcham conſtituit Archelaum, Idumæamque & Judæam, atque Samariam ipſi ſubjecit, facta regii nominis ſpe, ubi dignum ſe tanto titulo præſtitiſſet. Antipæ Galilæa Peræaque, Philippo Trachonitis, Aurantiſque, & Batanæa cum parte quadam domus Zenodori ceſſere. Ita coercitam gentem liberi Herodis tripartito rexere.

LVI. Eodem anno (*Joſ. loc. cit. cap.* 14.) juvenis plebeii audacia, ni mature ſubventum foret, diſcordiis armiſque civilibus Rempublicam perculiſſet. Hic animo an temeritate majori, mentitus *Alexandrum* Herodis filium, (quem laqueo periiſſe ſupra memoravimus) cum ætate & forma haud diſſimili in eum eſſet. Itaque per idoneos, & ſecreti ejus conſcios crebreſcit, vivere Alexandrum, occultis primum ſermonibus, ut vetita ſolent, mox vago rumore apud imperitiſſimi cujuſque promtas aures, aut rurſum apud turbidos, eoque nova cupientes. Vulgabatur interim per Judæam, ſupereſſe Dei munere Alexandrum, ereptum cuſtodis beneficio, credebatur paſſim. Jamque Cretam invectum, turba ingens circumfluere. Idem in Mela inſula factum. Utrobique pecunia auctus, jam Principatum animo præcipiebat. Igitur Romam ad Cæſarem incredibili vecordia tendit, auctoritate illius imperio reſtituendus, quod primogenito ſibi debitum, Archelaus interea, & fratres attinerent. Advenientem hiſtrionem effuſi ad unum Judæi excipiunt. Cęſar vero ubi rem cognoviſſet, Celadum, quondam Adoleſcentibus familiarem eo miſit, uti accerſeret hominem. Neque fefellit Octavium, quid deprehenſa confeſſaque fraude, tenebrionem iſtum, quod valido corpore eſſet, Remigem ex Rege fecit. Auctor conſiliorum rebus humanis ſtatim exemtus eſt. Cæteros vero, qui ultra privatum modum, eum quaſi Regis filium detulerant, ſatis multatos eſſe pronunciavit Cæſar, quod ſuperfluis ſumtibus infinita diſpendia toleraviſſent. (*v. Egeſ. lib.* II. *cap.* 2.)

LVII. Reverſo in Judæam Archelao, ſubſedere quidem iſti motus; at *Joazarus* tamen Pontificatu excidit, (*Joſ. A.* J. XVII. *cap.* 15.) quod cum ſeditioſis feciſſe argueretur. Suffectus in locum ejus *Eleazar* eſt, frater Boethi, quo natus Joazarus. Sed neque hic cavere potuit, quominus dejiceretur iterum, *Jeſus* filio Siæ paulo poſt inducto. Summotus & iſte eſt *Joazaro* in integrum reſtituto. Uti id quidem Joſephus (*lib.* XVIII. *cap.* 3.) forte innuit, dum a Quirinio Pontificem illum, pulſo jam Archelao, deturbatum aſſerit. Ita abſolvebatur ſcilicet fides Auguſto data, qua ex æquo & bono præeſſe ſubditis debebat. Sed animus ejus inflatus temere ac inſolens, mature in prava omnia ac fœda deſcivit, falſo quæcunque poterat etiam licere ſibi exiſtimans. Intolerabile id Judæis viſum, & quam inviti Archelaum admiſerant, tam faſtidiebant hominem, & proni in contumeliam ejus ferebantur. Unde nono Ethnarchæ anno, eminentiſſimi quique civium Romam ablegati; uti illum perfidiæ in Cæſarem, impotentiſque dominationis convincerent. Citatur proinde in jus & cauſſa cadit. Denique ſub initium anni X. A. M. *3956.* A. C. *9.* Ær. Dion. *7.* Viennam Galliæ ab Auguſto relegatus eſt, id quod præter *Joſephum*, (A. J. *lib.* XVII. *cap. ult.*) *Dio* (*lib.* LV.) quoque & *Strabo* (*lib.* XVI. *pag.* *765.*) annotavere. Hujus mali prænuncium ſomnium Archelaus habuiſſe fertur. *Vidit enim per quietem, ſpicas novem plenas & magnas a bobus vorari. Cui quærenti reſpondit interpres Simon Eſſæus: novem ſpicis, totidem annos ſignari, quibus ampliſſima poteſtate ſit uſurus, nono itaque anno converſionem im-* pe-

perii portendi, *eò quod boves*, *qui arva ſoleant intervertere*, *mutationem ſignent laborioſam*, *quæ devoret atque abſorbeat merita ſuperiora*. Ita *Joſephus* loc. cit. atque ex eo *Egeſippus de Exc. Urb. lib.* II. *cap.* 3.

LVIII. Non operoſe nobis fata Eccleſiæ ſub Principatu iſto deſcribenda ſunt. Res ipſa id loquitur, acerba illa atque triſtia fuiſſe. Ecquis enim legibus & ceremoniis ſacrorum inter civilia arma locus? Vix artibus honeſtis pietas retinetur, nedum inter certamina vitiorum, religio & modeſtia, aut quicquam boni moris reſervaretur. Itaque graſſari paſſim vitia, & præter omnium oculos ire ac tranſvehi, velut in triumpho. Pontifices aliæ detinebant curæ. Unice contendentibus illis, uti claritudinem ſuam quibuſcunque obſequiis protegerent. Hinc adulatione erga Principem, in cæteros invidia, poſtremo ambitione, fraudibus & largitionibus quiſque Pontificem agebat. Vile jam atque ignavum devotionis ſtudium. Non precibus enim, neque ſuppliciis muliebribus magnum nomen parari. Vigilando, agendo proſpere omnia cedere. Quandoque & patricias artes advocandas, ſiquidem commode ſervire ſcenæ velint. Permanabat a palatio ad privatorum ædes contagio mali, & quanto quis audacia ac ſceleribus promtior, eo fovebatur magis, cum deterrima quæque præmiis attollerentur ac dignitatibus, ſolique perpetua felicitate gauderent, qui infelicitatis publicæ ſe miniſtros præbebant. Si quis inter hæc religionum ſolennibus vacaret, languide id plerumque, atque oſcitanter fieri, forte quod ita moris eſſet, an devotionis oſtentandæ. Nulla profecto feſtinatio C. *Cæſaris* mentionem tranſgredi debet. Hic ab Auguſto ad ordinandam Armeniam miſſus, & Judæam prætervehens, apud Hieroſolymas non ſupplicaverat. Placuit Numini, ut hoc, quod Adoleſcens ex principe domo deliquerat, tota Roma lueret: quippe inopia, fames, & ſumma annonæ caritas Urbem attrivit. Itaque errorem ſuum Octavius agnovit, qui nepotem Cajum collaudaverat. Certe admodum illuſtre pœnitentiæ documentum ab eo datum, ex Agrippæ Regis oratione ad Caligulam colligimus, quam *Philo* recitat in libro *de Legatione*. Ait ille, διετάξατο, ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων ἀναγεν\έσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὁλοκαύτους τῷ ΥΨΙΣΤΩ ΘΕΩ, καθ' ἑκάστην ἡμέραν, αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται. ἄρνες εἰσὶ δύο, καὶ ταῦρος τὰ ἱερεῖα, οἷς Καῖσαρ ἐφαίδρυνε τὸν βωμόν. Ita juſſerat is Princeps, uti quotidie Hieroſolymis, ſupremo Hebræorum Deo, ſacrificia fierent de ſuis reditibus, qui conſtantiſſime per omnem vitam averſatus (*Svet. Aug. cap.* XCIII.) peregrinas ceremonias eſt. Nimis ridicule faciunt, qui hic in dubium vocant Agrippæ fidem. Etenim profecto homo Judæus non impune tuliſſet tam futile mendacium, apud Cajum Caligulam, & in ea Urbe, ubi recens adhuc omnibus memoria Auguſti hærebat, vid. *not. Caſaub. ad Svet. loc. cit.*

LIX. *Archelao*, ſicuti diximus, ſummoto, Samaria, Idumæaque & Judæa in formulam provinciæ redactæ, Syriæque annexa, Procuratorem Roma *Coponium* (*Joſ. A. Joſ. lib.* XVIII. *cap.* I.) acceperunt. Datumque mox negotium Præſidi Syriæ *Quirinio*, ut cenſum ageret, τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος, & de Judæis præterea ἀποτιμησόμενος τὸ αὐτῶν τὰς οὐσίας, καὶ ἀποδωσόμενος τὰ Ἀρχελάου χρήματα. Scilicet æſtimandæ erant Archelai facultates, redigendæque in ærarium publicum. Dehinc præter Syros, etiam qui noviter acceſſerant Judæi, capite atque poſſeſſionibus cenſebantur. Horrebant Judæi deſcriptionis nomen. Itaque obnitebantur, daturi ingentes turbas, niſi Joazarus P. M. auctoritate interpoſita, mites illos atque tractabiles effeciſſet. Exortus tamen eſt *Judas* aliquis *Galilæus* (*v. Caſaub. Ex.* II. *num.* 19.) ex urbe *Gamala*, qui Judæos ad rebellionem incitabat cenſum a Romanis impoſitum nihil aliud eſſe, quam meram ſervitutem dictitans, eoque prætextu patriam gentem ad tuendam libertatem hortabatur. Pronis iſta auribus vulgo accipi. Etenim quæcunque vitia, ex conſuetudine licentiaque bellorum civilium, conceperant paulo ante turbida quædam ingenia, ea in plures hactenus infudere. Igitur quicunque impudicus, adulter, ganeo, ventre, manu, aut libidinibus patria bona laceraverat, quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret; poſtremo omnes, quos manus atque lingua, perjurio aut civili ſanguine, alere poſſe videbatur, ii confluere ad Gauloniten, hi proximi & familiares ejus eſſe. Quod ſi quis etiam a culpa vacuus in illam turbam inciderat, quotidiano uſu atque illecebris facile par ſimiliſque cæteris efficiebatur. Ortaque his initiis *Gaulonitarum* factio eſt, quæ non in præſens tantum turbavit Rempublicam, ſed & inſequentium malorum ſeminarium extitit. Ridiculum erat, quod pervicaciſſimæ pietatis homines, ut Cæſarem de cervicibus ſuis depellerent, ſolum Deum tenere regna jactabant. Cum revera nihil niſi latrocinia illi, & ſtu-

ſtupra, atque inviſorum ſibi cædes, & deprædationes exercerent. Atque illi tamen, ſicubi deprehenſis morte ſcelus eluendum erat, ultra modum obſtinati, peſſimos quoſque cruciatus tolerabant ante, quam ut ullum hominem Dominum ſuum faterentur.

LX. Idem annus Joazarum (*Joſ. A.J. lib.* XVIII. *cap.* I.) Pontificatu M. dejectum vidit. Factum id a Quirinio eſt, inque *Ananiam* colllata dignitas. Hujus etiam, vel ſequentis anni Paſchate, cum Sacerdotes ex more veteri Templum media nocte aperuiſſent, ſparſa occulte a Samaritanis per ſacram ædem oſſa humana, non parum temeravere loci ſanctitatem. Coponio deinde *M. Ambivius* (*Joſ. loc. cit. cap.* 3.) ſucceſſor datus. Quo etiam tempore *Salome* obiit, Herodis ſoror, ingentis animi fœmina, cujus mores perpetuo probavit ille, æſtimavit ſolertiam, non aſpernatus eſt conſilia. Et certe, quam ſupra ſexus ſui modum virilibus civiciſque curis præſtiterit, non citra memoriam ſingularis exempli proditum a Flavio eſt. Cæterum ſermonibus locum præbuit indulgentia fratris, qui ſororis ambitionem publicis intentam, intra obſequii limites parum coerceret, & perſuaſoriis ejus aſſertionibus facilem nimis aurem accommodaret. Hinc ipſius Regis domum, & genuinum Haſmonæorum ſanguinem peſſimis artibus peti, Rempualicam fœminæ ambitu premi, non obſcure homines querebantur. Liviam Auguſtam teſtamento hęredem ſcripſerat. Tertium denique Judææ Procuratorem *Annium Rufum* (*Joſ. loc. cit.*) Octavius miſit. Illud incertum eſt, quamdiu ſinguli rebus gerundis præfuerint. Joſephus id nuſpiam annotat. Forte tamen biennio quovis Magiſtratus finitus, cum ab inſtituto Coponio ad I. Tiberii Imp. annum, ſexennium modo, aut paulo plus intercedat.

LXI. Venitur ad tempus, quod fatale *Auguſto* fuit. Hic *Tiberium* filium (*Vell. lib.* II. *cap.* 123. *Tac. A.* I. *cap.* 5.) miſſurus in Illyricum, ad firmanda pace, quæ bello ſubegerat, ſimulque interſuturus athletarum certaminis ludicro, quod ejus honori ſacratum a Neapolitanis eſt, proceſſit in Campaniam, quanquam jam motus imbecillitatis, inclinatæque in deterius principia valetudinis ſenſerat; tamen obnitente vi animi proſecutus filium, digreſſuſque ab eo Beneventi, ipſe Nolam petiit. Graveſcere ibi valetudo Auguſti, & quidam ſcelus uxoris ſuſpectabant. Utcunque ſe ea res habuit, feſtinanter Tiberium mater revocat, neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum, an exanimem invenerit. Acribus namque cuſtodiis domum & vias ſepſerat Livia, lætique interdum nuncii vulgabantur, donec proviſis quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri *Tiberium Neronem*, fama eadem tulit. Acquievit A. M. 3963. Æræ Dionyſ. 14. exact. 16. U. C. Varr. DCCLXXVII. Jul. LIX. S. Pompejo, & S. Apulejo Coſſ. VI. & LXX. æt. anno XIV. Cal. Sept. quo ipſo primum Conſulatum inierat, annis ab hinc LVII. m. VI. d. 2. e quibus priores XIV. partim cum Lepido atque Antonio, ut Triumvir, partim cum Antonio ſolo exegit. IV. autem prope & XL. unius imperio ceſſere. Verſæ inde ad *Tiberium* preces, quem Auguſtus hęredem ſcripſerat. Et ille recuſare incipit Principem, Auguſti judicium deprecari, obtendere imperii molem, tenuitatem ſuam, ac modeſtiam. Donec feſſus clamore omnium, expoſtulatione ſingulorum, Patribus etiam per infimas obteſtationes ad genua ejus adfuſis, flexit paulatim, non ut fateretur ſuſpici a ſe imperium, ſed ut negare & rogari deſineret. Expoſuere Acciſmum iſtum *Tacitus lib.* I. *Ann. cap.* XI. & XII. *Sveton. Tib.* XXIV. XXV. *Dio* lib. LVII. *Boeclerus Diſſert. in Svet. Tib.* item in *Principatu Tiberiano*. Nobis in Judæam revertendum eſt.

LXII. *Annio Rufo* Tiberius Imp. *Valerum Gratum* (*Joſ. A.* J. *lib.* XVIII. *cap.* 3.) ſubrogat: qii per annos XI. provinciam adminiſtravit. Hic ademto Annæ ſeu Anano Sacerdotio, *Iſmaelem* Fabi F. juſſit eſſe Pontificem. Quo paulo poſt dejecto, in *Eleazarum* Anani F. honorem tranſtulit. Sed neque huic ultra annum dignitas perſtitit. Siquidem *Simoni* Camithi F. infula delata. Eoque iterum remoto, *Joſephus* ſubſtitutus, cognomento *Cajaphas*, Annæ ſeu Anani a Valerio prius Pontificatu exuti Gener. *Joh.* XVIII. 13. Scilicet in ſacra quoque jus ſibi aliquod Præſides Romani aſſerebant, creabantque Pontifices & amovebant, uti erat libitum. Factum id ex pleno majeſtatis jure, ac præterea inde, quod ſacram Pontificis veſtem penes ſe haberent. Eam Flavius (*A.* J. *lib.* XVIII. *cap.* 8.) dicit magna cura ſervatam in turri fortiſſima fuiſſe, quam in parte Templi Septentrionali olim ab Haſmonæis conditam, Herodes tandem *Antoniam* de Marci Antonii nomine appellaverat. Utique pergloriosum fuit iſtam ſtolam cuſtodire. Quare eum honorem Romani ſibi vendicaverunt, ac rurſus Ju-

Judæis eum, sed beneficii loco concessere. Per idem tempus provinciæ Syria atque Judæa, fessæ oneribus, diminutionem tributi orabant. Etiam Armenia turbata erat. Itaque Tiberius in Senatu disseruit: *Non posse motum Orientem nisi* Germanici *sapientia componi, nam suam ætatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse*. Re quidem vera amoliri Juvenem specie honoris statuit, struxitque caussas, aut forte oblatas arripuit. Metuebat enim, ne Germanicus, in cujus manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quam expectare mallet. Atque ille quidem, cum prospere omnia in provinciis ageret, unicum seculi decus, meritis in rem Romanam, fide in Tiberium invictus, tantarum rerum præmium invenit ac finem, odium & percussorem Principem. Non rudes post hoc scelus, non segnes ad omne facinus manus Tiberii esse poterant, tantumque jam sævitiæ adolescebat homini, quantum superstes Germanicus pridem formidinis ausuro injecerat. Sed nobis non licet omnia recitare. Satius erit allegasse *Tacitum*, qui accurate illa perscripsit. *Ann.* II. *cap.* XLIII. seq. Svet. Cal. cap. I.

LXIII. Marco deinde Silano, & L. Norbano Coss. A. M. 3968. A. C. 21. Ær. Dion. 19. Religio Judæorum male habita Romæ est. Actum enim de sacris Judaicis pellendis, factumque Senatus-consultum, (*Tac. A.* II. *cap.* 85. *Svet. Tib. cap.* 36.) ut quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta, queis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis, & si ob gravitatem cœli interissent, vile damnum. Cæteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent. *Superstitionem* Tacitus vocat, & *profanos ritus*, qui tamen alibi (*Hist.* V. *cap.* 5.) Judaicæ religioni honorificum testimonium dedit, cum ista scriberet: *Judæi mente sola unumque Numen* intelligunt, summum *illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum*. Non poterat grandius aliquid homo paganus dixisse. Habet hoc sacratissimæ religionis majestas. Ornamenta sua etiam ab illis capit, qui contemnunt. Inter cætera & illud est: *Judæi profanos credunt, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingunt*. Igitur *nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt*. Putes Tacitum dedita opera Romanos suæ stultitiæ damnare, adeo gravitatem asseverat, dum hæc dicit. Occasionem vero decreto impostor aliquis dedit, de quo *Josephus* lib. XVIII. cap. 5. *Erat*, inquit, *quidam Judæus, qui ne legibus pœnas daret, metu solum verterat, vir modis omnibus pessimus. Is Romæ agens, gerebat se pro Mosaicæ legis interprete, adscitis in societatem tribus aliis per omnia sibi similibus. His cum se in disciplinam didisset Fulvia mulier nobilis, amplexa legem Mosaicam, persuaserunt ei, ut purpuram & aurum in Hierosolymitanum Templum mitteret, quæ accepta in proprios usus verterunt, quod ante destinaverant. Id postquam Tiberius ex amico suo Saturnino, marito Fulviæ, de injuria conjugi facta questo, cognovit, jussit universos Judæos Urbe pelli. &c.* Sejani potissimum artibus id effectum, uti id *Philo* prodit, de *Legat. ad Cajum*: Ait enim, *Itidem jura sub Tiberio conservata sunt, licet Sejano res novas moliente in Italia. Cognovit enim ille, mox post necem insidiatoris, meras calumnias fuisse, delata de Judæis urbem incolentibus crimina, conficta a Sejano, ut gentem e medio tolleret, quam norat vel solam, vel præcipue repugnaturam conatibus impiis, & conspirationi caput Imperatoris petenti. Proinde mandavit omnibus Provinciarum Præsidibus, ut oppidatim huic genti parcerent, exceptis consciis paucis admodum: cæterum de ritibus illorum nihil novarent; sed commendatos haberent tum viros ipsos, ut pacis amantissimos: tum mores eorum legesque ut conferentes ad tranquillitatem publicam.*

LXIV. A. M. 3975. UC. Varr. 779. Jul. 71. Æræ Dion. 26. exact. 28. anno Tib. XII. Cn. Corn. Lentulo Getulico, & C. Calvisio Sabino Coss. Valerius Gratus successorem habuit *Pontium Pilatum* (*Flav. A. J. lib.* XVIII. *cap.* 3.) qui in eadem functione annis X. permansit, duro ac pertinaci ingenio invisus. Hujus temeritas ingentes prope motus dedit, dum per noctem imagines Tiberii (*Jos. loc. cit. cap.* 4. *de B. J. lib.* II. *cap.* 8. *Philo Leg. ad Calig.*) (Philo clypeos auratos vocat) Urbi infert. Sæpe infractam Judæorum admirati virtutem sumus, quos Romani compellere non potuerunt, uti statuam reciperent Cæsaris. Subegerat rerum dominus populus non Judæam modo, sed Asiam Africamque: & prolata jam tanti imperii reverentia ad illos quoque erat, qui alium solem, alia sidera intuebantur. Una Judæa aliquid negare ausa victoribus, qui auferre vi, quod non impetrant solent, quippe potestas non modo si invitet, sed etiam si supplicet cogi. Primum experimentum tenacissimi propositi datum hic est, quanquam id agere-

retur modo, ut in Urbe imagines Cæsaris locarentur. Indignatio passim & questus, & deprecatio pervicax, quæ neque jussis aut vi denique coerceri posset. Ibat cœlo clamor virorum. Desineret seditiones bellaque ciere, profligare pacem. Non honorari Imperatorem contumelia legum, non hunc injuriæ prætextum quærendum esse. Equidem per Tiberium intemeratos ritus suos stare, aut vero ostenderet edictum: & postremo permitteret, ut per legatos Dominus exoraretur. Exasperavit ea res hominem, veritum, ne si destinarentur missi, cætera quoque detegerent ejus crimina, venditas sententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, & crudelitatem in omnes exercitam. Quare destitit mox Præfectus, cum non poterat hoc, uti erat ceptum pertendere, simulabat tamen, nihil ex illis rebus, quas dedicasset semel, immutare sibi integrum. Summotæ igitur auctoritate Tiberii sunt, translatæque in Cæsaream maritimam, & dedicatæ in templo, quod sacratum Augusto erat. Ita honori Imperatoris pariter, & vetustissimis civitatis ritibus consultum.

LXV. Anno Tiberii XV. Junio Silano, & Silio Nerva Coss. Procuratoris Pilati III. *Factum est verbum Domini ad* Johannem *Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ &c. Luc.* III. I. Is simul & vatum ultimus extitit, & evangelizantium primus. Vatem certe fuisse significatum est verbis Cantici, quod apud Lucam (*cap.* I. 76.) pater grandius ore mortali sonat: *καὶ σὺ παιδίον προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ. προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου κυρίου, ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ.* Extat Malachiæ (*cap.* IV. 5. 6.) oraculum in hæc verba editum. *Mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies* Jehovæ *maximus & verendus. Eliam* illum, optimus oraculorum interpres *Messias*, non esse alium nisi Johannem indicavit. Est autem alteri alterius nomen commodatum a vate, propter summam, quæ inter utrosque est simiitudinem. Cinctura & vestis eadem fuit. Jesabelem ille, hic Herodiadem offendit libertate increpationis. Vasta ambo & inculta loca, procul a mortalium profana multitudine habitavere. Adde quod idem numinis afflatus, & eodem pacto utrumque inflammavit. Neque illud vane dictum ab Angelo est, *in virtute Eliæ venturum*. Messias quidem, cum in monte quodam discipulis coram, in cœlestem habitum se indueret, Eliam ad familiarem sermonem adhibuit, id quod apprime gloriosum erat. Cæterum, qui Johanni datus ab eodem honos est, haud minor fuit. Negat enim quenquam hominem natum esse, qui eum antecelleret, quod, quem cæteri vates venturum cognovere, ille digito monstravit coram, dixitque (*Joh.* I. 29.) *Hic est*. Vir alioqui vita innocentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quanta perfecta & natura & industria mortalis conditio recipit. Argumentum concionum ejus Lucas indicat loco allegato.

LXVI. Illud nos propius attinet, quod sacer auctor (*Luc.* 3. 2.) vocatum Johannem *ἐπ' Ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα* prodidit. Utique ab uno augustissimum munus obeundum erat. Idque perpetuus Judæorum in V. T. mos, & consuetudo eadem sub novo fœdere servata stabilit. Unus enim tantum *Cajaphas* P. M. tempore passionis *Christi* describitur, *Matth.* XXVI. 3. 51. 57. *Marc.* XIV. 47. 53. 54. 60. *Luc.* XXII. 54. *Joh.* XI. 49. XVIII. 10. *Act.* IV. 6. 17. nec aliter *Flavius* A. J. *lib.* XVIII. *cap.* 3. Dicendum itaque, aut ambiguum esse *ἀρχιερέως* vocabulum, & interdum stricte significare *summum Sacerdotem*, cui concredita erat *ἡ τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονία*, diciturque הכהן הגדול *ἱερεὺς μέγας*, item הראש הכהן quo pacto *unus* tantum esse debebat, typus *ἀρχιερρέως* istius mystici exhibendi *κατὰ τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου*. Quandoque vero late sumitur, & ראשי כהנים *capita familiarum sacerdotalium* denotat, quarum XXIV. David instituit, I. *Par.* XXIII. XXIV. Ex hoc ordine primorum Sacerdotum Pontificis *Vicarius* quotannis sub diem jejunii creatus est. De quo ita *Cunæus* (*lib.* II. *cap.* 6.) ex Maimonide: *Positum in more fuit*, inquit, *ut Pontifici constituerent quendam alterum Pontificem. Nam si quid ei contigisset, quo impuratus videretur; alter ille vice ejus rem sacram faciebat. Quamprimum autem dies Expiationum præteriisset, prior ille redibat ad munia sua; vicarius autem se abdicabat*. Et *Flavius* (*A. J. lib.* XVII. *cap.* 8.) Josephum quendam Ellemo prognatum refert, qui in unum diem functus Pontificatu sit, cum summus sacerdotum Matthias immundo visu se inquinavisset, illa ipsa nocte, quæ expiationis festum antecessit. Aut certe temporum istorum infelicitati tribuendum hoc omne est, cum sanctissimum Sacerdotii decus fœda nundinatione ad plures rediret, ac prope annuum redderetur. Unde eodem tempore colluvies quædam Ἀρχιερέων erat, talium scilicet, qui Pontificatum summum quondam gesse-

serant. Sicut apud Romanos viri Consulares dicebantur, qui Consulatu fuerant functi. Multa in hanc rem *Spanhemius* (*par.* II. *dist.* 37.) disseruit, & nos quoque aliqua indicavimus passim. Annam vero Cajaphæ Lucas præposuit, non uti Socerum modo, sed & quod summa illius apud populum esset auctoritas, *vers. Casaub. Ex.* XIII. *n.* 4. *&* 5.

LXVII. Sic itaque Pontifices Pontificibus, tamquam clavus clavo pellabantur, manifesto indicio, *ἀρχιερωσύνην* in summum sacerdotem *Jesum Christum* jam translatam esse. Crescente vero indies fama Johannis, nam omnes undique ad eum, quos vel devotio, aut conscius animus extimulabant, confluere, & pendere ab ore ejus. Ipse vero gravissimis concionibus vindicare doctrinam veterem, & pœnitentiam exigere, minitatus securitati pœnam, ac nunciare præsentem jam *Messiam*, abluereque una sacro ritu delicta confessos &c.) Senatus summus inquirendum censuit, ne forte fraus subesset, quæ vim religioni faceret, specioso sanctitatis prætextu. Nova omnia suspecta esse. Experiundo se didicisse, quantum malorum dederit audacia Doctorum quorundam, artesque improbæ. Mittit (*Joab.* I. 19. *seq.*) igitur, qui rationem factorum a Johanne exposcant, & quemnam se ferat denique, num forte *Christum*, aut *Eliam*, an *Prophetam*. Habemus confitentes reos. Nunc tandem ergo animos vestros hæc cura subiit, uti tot malis fessit atque exangues, recogitetis Messiam, sed oscitanter tamen, sicuti solent, qui gravi somno jacuere oppressi, atque expergiscuntur primum. Nimirum hic status Judaicarum rerum, hæc temporum acerbitas erat, uti non possent non deprehendere, revolutum jam esse seculorum ordinem, quo exhibendum Messiam prædixerat sanctus vates. (*Genes.* XLIX. 10.) At vero alia quoque Prophetarum oracula excutienda erant, quæ illum ex *tribu Juda*, *&* *familia Davidis Gen.* XLIX. 10. II. *Sam.* VII. 12. *Psalm.* LXXXIX. & CXXXII. ex *Virgine Es.* VII. 14. idque in *Bethlehem*, *Mich.* V. 2. &c. oriundum definiverant. Nihil hic istius rei. Siquidem Johannes progenitore Levi satus, genus suum ad Aaronem trahebat, *Luc.* I. 5. I. *Par.* XXV. 10. Mater ejus Elisabet, annosa Zachariæ conjux, ejusdemque cum marito stirpis, *Luc.* I. 5. naturæ ordine concepit hunc partum, *vers.* 13. 24. ediditque postea in montanis Juda, *vers.* 39. 65. Tantamne rem tam negligenter agere? Quid enim hoc pacto nisi salus ipsa despicitur? Johannes vero id diserto negat, *ὅτι ὀυκ ἐμὶ ἐγω χειςός*. *Joh.* I. 20. Poterant autem hoc Præceptore discere Judæi, quisnam *Christus* esset. Adeo luculentus est Johannes in describendo illo, mox etiam digito intento monstrat, *vers. seq.* Equidem *Eliam* se hoc loco Johannes negavit, ex Judæorum sensu, qui personam Vatis, non spiritum & Officium intendebant. Qua ratione nec *Propheta* dici vult, nempe unus aliquis ex veteribus redivivus.

LXVIII. Subnectit deinde Lucas historiam de *Baptismo Christi*, *vers.* 21. 22. atque una aliquam ætatis Christi designationem, *vers.* 23. *καὶ ἀυτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τελάκοντα ἀρχόμενος ὤν*. Habetur hic tertius anni Christi natalitii character, qui passim creditus *ἡράκλειον* quoddam *ἅμμα*, quo alligetur Epocha Christiana, & sistantur nutantes Chronologorum animi. *Fr. Spanhemius* (*par.* II. *dist.* X. *&* XI.) communem tantum & indefinitum illum, æque ac priores duos existimat. Idque ideo, quod gratis supponatur, designationem ætatis *Christi* connecti ibi cum anno XV. Tiberii. Ad Johannem Baptistam ea omnia spectare. Spatium ingens inter comma I. & XXIII. interjectum. Neque vero constare, quantum præcise temporis inter initium prędicationis Johanneę, ac Baptismum *Christi* intercesserit, dum VI. menses aliqui, alii IV. annos (*Jac. Uss. Armach. loc. cit. pag.* 567.) nominant. Illud etiam incertum, unde arcessat Lucas annos Tiberii, an ab ipso Juliano mense, quo imperium iniit, an ab antecedente Nisan, Autumno, uti Antiochenis mos erat. Ne initia quidem Principatus Tiberiani satis certa. Dum per biennium aliqui Tiberium cum Augusto imperasse conjunctim scribunt, ex quo scilicet adscitus ab Octavio sene est, ut provincias (*Suet. Tib. cap.* XXI. *vellei. lib.* II. *cap.* 21) communiter administraret, simulque censum agret. Ipsos adeo Romanos scriptores in figenda annorum. Tiberii Epocha discrepare, dum *Paterculus* aliter *Dio*, & ab utroque diversi, *Josephus*, *Clemens* atque *Eusebius* supputant. Adhæc, pergit Spanhemius, obiter tantum ætatem Christi, baptismi occasione, Lucas illic commemorat, idque vesbis ejusmodi, quæ laxa & indefinita sunt. Quis enim expediet nobis, an *ὡσεὶ* excessum notet, an defectum? Sic *τὸ ἀρχόμενος* ab *Euthymio* in *ἐρχόμενος* convertitur. Erasmus *ὡσεὶ* in vetustis quibusdam codicibus deesse notat. Res tota eo redit denique, uti in qua-

quatuor diversas partes auctores abeant. Annum XXIX. hoc loco innui, *Iræneus*, *Epiph. & Cajetanus* asserunt, XXXmum inchoatum, non completum, *Clemens Alex. Tertull. Thom. Lyran. Abulens. Onuphr. Sigon. Beroald. Svarezius &c.* nominant. Alii contendunt designari verbis illis, Christum baptizatum fuisse anno trigesimo exacto, XXXI. incipiente. Ita *Ignatius*, *Hieronym. August. Euseb. Euthym Theophil. Cedren. Beda*, *Salmer. Barrad. Scaliger*, *Torniellus* &c. statuunt. Recenset Spanhemius singularum classium rationes, atque examinat. Et quartam postremo sententiam addit, quæ maxime omnium probabilis ipsi videatur. Nempe existimat, phrasin Lucæ indefinitam, non posse præcise accipi, id enim dicere Evangelistam: Christum illo tempore, cum munus suum auspicaretur, fuisse *circiter annorum* XXX. hominem, seu *quasi tricenarium*, si quis ex statura & facie de eo judicaret, uti Kepplerus exponit. Quod autem excessum potius, quam defectum dictio illo inferat, id ex superioribus patet, ubi *Christum* ante XLIII. Julianum natum scripsimus; siquidem characteres varii, Herodis cumprimis regnum, inter se conferantur. Ut ergo sibi constet designatio temporum a Spiritu S. annotata, Christus tricenario major eo tempore fuit, cum LXXIII. Julianus demum respondeat XV. Tiberii anno.

LXIX. Sequitur illud tempus, quo ministerium publicum summus salutis nostræ auspex inchoavit. Quæ prima initia fuerint, qui progressus & fata doctrinæ, id traditum in illis libris est, quos de functione Christi, dum in terris ageret, sacer Evangelistarum labor perscripsit. Nobis illa potissimum exponenda sunt, quæ statum Ecclesiæ ac Reipublicæ Judaicæ arctius concernunt. Postquam igitur *Dei Filius* beneficia cœlestia publice proposuit, cum gaudio quidem & venerationem illa receperunt profanæ nationes. At Judæi, quem constituto tempore & loco venturum, significaret olim non unus vates, eum venisse jam & adesse præsentem non intellexerunt. Tanta vecordiæ vis eos pervaserat. Et sane quæ potuit esse desperatior perversitas, quam quod oculis ipsi suis, suisque auribus fidem haud habuerint: cum aderant jam non reum testimonia, sed res ipsæ. Utique hoc vindicandum ultricibus pœnis fuit. Et profecto dederunt illas, infelicissimi mortalium, sicuti id demonstrandum nobis in posterum erit. Fama interea factorum *Christi* (*Matt.* XIV. 1. 2.) ad Heroden Antipam Galilææ Tetrarcham perlata, valde solicitum hominem habuit, annon forte hic, quem *Christum* dicerent, sive *Jesum*, sit Johannes *Baptista*, jussu quidem suo paulo ante, ob libertatem Principibus nimiam, interemtus; nunc præsens iterum, uti vindictam expeteret. Nos existimamus Heroden quoque aliquid traxisse de vitio istius ævi, quo *Pythagoricam* μετεμψύχωσιν inepti quidam asserebant. Certe Pharisæis hunc errorem palam Flavius (*de B. J. lib.* II. *cap.* 7.) impingit, dum ait: *Animam omnem quidem incorruptam esse, solas bonorum in alia corpora transire credunt, improborum vero interminabili supplicio cruciari*, *vers. Aug. de* C. D. *lib.* XXII. *cap.* 28. *Lactant. div. inst. l.* VII. Eundem *Antipam* hoc temporum tractu Aretas bello petit, quo ultum iret contumeliam Filiæ suæ illatam. Judæi male rem gerunt, premunturque ab Arabibus. Id non alia ex re factum *Flavius* autumat, quam ob innoxiam Baptistæ cædem, quem *virum optimum* vocat, *excitamque Judæos ad virtutum studia, & imprimis pietatis ac justitiæ, simulque ad Baptismi lavacrum, quod ita demum Deo gratum ajebat fore, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant, sed animis per justitiam prius mundatis, addant & puritatem corporis*, *lib.* XVIII. *cap.* 9.

LXX. Illud vero inter hæc crudeliter a *Pilato* gestum est, quod Galilæos quosdam, dum sacrificarent occidi, illorumque & pecudum sanguinem misceri incem jusserit, *Luc.* XIII. 1. Caussa rei in incerto est. Neque enim Scriptura sacra, aut Josephus quicqua hic prodidere. Nisi si *Flavius lib.* II. de B. J. *cap.* 8. id intendit, ubi plebem immisso milite disjectam ait, quod adversus Pilatum illa, ob pecunia sacram in alienos usus conversam, insurrexisset. Forte seditionem excitavere Galilæi isti, in quas præcipue prona ea natio, uti repeterent libertatem. Cæterum quo lætioribus auspiciis res ageretur, a religionibus eam fuere exorsi. Illico Pilatus adest, admotasque hostias & sacrificalem apparatum, festamque conjurantium plebem, per milites proturbat. Atrociter in auctores animadversum, ne in exemplum abiret vitium, atque impunitatem speraret.

LXXI. *Christus* interea concionandi munus obit. Docet, arguit, confutat, corrigit, & nullum non movet lapidem, uti ad sanam mentem converteret homines male pertinaces. Illi omnibus modis obviam ire, & in id unum incumbere, uti procul a se arcerent salutem omnem, amoverentque irreparabili damno. Tam

alte

alte insederat animis eorum futilis opinio, terrenum quendam Regem (*conf. Joh.* VI. 15.) fore Messiam, qui sumtis armis, in libertatem assereret gentem Judaicam, excusso Romanorum jugo, & cæteras quoque X. tribus ex æterno exilio reduceret. Tunc pacem ubique & & optimarum rerum affluentiam fore &c. Acerbitates cæteras cum insidiis, quæ miserrimam *Christo* vitam, mortem vero concinnarunt pessimam, altius ex historia repetere, ignosce lector, si per mollitiem quandam animi non possum jam, aut nolo si possim, per indignitatem. Neque capit illa hic scripturæ modus. Actus a Judæis *Messias* in crucem est, (*Matth.* XXVII. 33. *Marc.* XV. 22. *Luc.* XXIII. 33. *Joh.* XIX. 18.) A. M. 3982. U. C. Varr. 786. Jul. 78. Æræ Dion. 33. exact. 35. Imp. Tib. 19. Procur. Pilati 7. Ser. Sulpicio Galba, & L. Cornelio Sulla Coss. Caussa ad Pilatum delata, cognitaque ab eo & definita, satis arguit, *αὐτονομίαν* Judæorum in angustum redactam, ac tantum non penitus tum expirasse, *ἡμῖν ὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι ὐδένα*, ultro Judæi, atque ingenue fatentur, *Joh.* XVIII. 31. Idem monumenta illorum loquuntur, judicia criminalia a se sublata XL. ann. ante devastationem Templi secundi. Ut videre est in *Talm. Hierosol. Sanh. cap.* 7. *Talm. Babyl. lib. Sanh.* f. 41. 1. *Avod. Zamb.* f. 82. & in *Schab.* f. 15. 1. *Juchas.* f. 51. 1. *Maim. Sanh. cap.* 14. S. 13. (*v. Hott. H. E. pag.* 1. *cap.* 1. *f.* 1.) Sed enimvero retinuerunt tamen aliquid ex veteri majestate, & saltem ex concessione Romanorum jurisdictionem quandam exercuere. Ita Litrensis: *Romanos*, inquit, *non omnia judicia capitalia* Judæis *ademisse, sed ea duntaxat, quæ exercerentur ob crimina legibus Rom. prohibita. Qua de caussa* Judæi *calumniati sunt*, Christum *in Cæsarem & Romanos deliquisse, ut videlicet crucifigeretur ad Romanis, sicut & factum est. Quæ autem crimina contra legem Judæorum essent perpetrata, digna morte; ea Judæi pœna mortis poterant plectere, Romanis concedentibus. Et fere paria scribit* Ben. Aretius: *Licuisse* nempe Judæis *in certis delictis, contra patriam religionem delinquentes occidere, argumento cap.* XVIII. *Act. vers.* 15. *ubi* Gallio *Judæis respondet: Si quæstio est de sermone, nominibus, & lege vestrate, ipsi videritis: judex enim ego istarum rerum esse nolo.* Itaque textum Johannem ita resolvunt: E nostris Joh. Hulsemannus. (Harm. Pauli & Jac. cont. H. Grot. num. CXL.) *Non vetabantur*, inquit, Judæi *per Romanos Præsides, quominus supplicia decernerent in suos, ob facinora in legem Mosis commissa, fatente Pilato*, Joh. XVIII. 31. *nec* Judæi *illis respondentes*, non licet *nobis occidere quenquam, fassi sunt defectum potestatis & jurisdictionis: quam criminalem, & meri imperii vocant: Sed exceperunt de religione illius supplicii, quod dicebatur crucis, cui tanquam seditiosum subjici volebant* Jesum; *cognitione hujus caussæ, quæ statum publicum concernebat, ad Præsidem devoluta. Tanquam blasphemus enim poterat a Judæis quidem supplicio affici, sed lapidationis. Sensus iste elucet, ex immediate subjecta caussa &c.* e Puritanis subscribit Montacutius (Orig. Eccl. tom. 1. pag. 2. num. CLXXVII.) *Judæi simplici hoc supplicio in blasphemos constituto, lapidatione, non contenti, acerbius meditantur. Itaque deserta prima accusatione, aliam instituunt, cui crucis supplicium debebatur. Nam quod ajunt: nobis non licet interficere quendam, vel falsum erat, quoniam legis suæ usum permittebant Romani: vel potius caussam spectabat secularem*: Non licet in hoc Casu. (*vers. J. T.*) *Maj. Exeg. in Act. Ap. cap.* 6.)

LXXII. Nimis indiligenter hic fumus, qui illustre *Flavii* (*A. J. lib.* XVIII. *cap.* 4.) de *Christo* testimonium nondum citavimus. Ita ille: *γίνεται δὲ κατὰ τῦτον Ἰησῦς ὁ σοφὸς ἀνὴρ, ἔιγε ἄνδρα ἀυτὸν λέγειν χρὴ· ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τ᾽ ἀληθῆ δεχομένων, κ᾽ πολλὺς μὲν Ἰυδαίυς, πολλὺς δὲ κ᾽ ἑλληνικὺς ἐπηγάγετο. ὁ χειςὸς ὗτος ἦν. κ᾽ ἀυτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ᾽ ἡμῖν ςαυρῷ, ἐπιτετιμηκότος Πιλάτυ, ὐκ ἐπαύσαντο ὅιγε πρῶτον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ ἀυτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα κ᾽ ἄλλα μύρια θαυμάσια περὶ ἀυτῦ εἰρηκότων. ἔις τε νῦν τῶν χειςιανῶν, ἀπὸ τῦδε ὠνομασμένων, ὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.* Citavere ista *Hieronymus*, *Eusebius*, aliique. Etiam Tacitus (*Act.* XV. *c.* 44.) *auctorem nominis* (Christiani) *Christum, Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectum* scripsit. Illud fortasse mirum videri potest, quod *Tertulianus* (*Apoc. cap.* 5. & 21.) annotavit: Tiberium de rebus *Christi* a Pilato certiorem factum, de eo in Deorum numerum recipiendo, ad Senatum retulisse, eoque repugnante, ipsum in sententia manentem, periculum accusatoribus Christianorum esse comminatum. Gemina his *Eusebius* (*H. E. lib.* 2. *c.* 2.) & *Gregorius Turonensis* (*Hist. lib.* 1. *c.* 24.) habent.

LXXIII. Quæ deinde post resurrectionem *Christi* ab Apostolis gesta, quam propagata late doctrina Evangelii: ut re-

receperint quidem illam aliquot Judæorum millia: ſed multo plures tamen ex ipſis propoſiti veteris tenaces, abnuerint illam afflixerintque peſſimis modis, id in Acta Lucas digeſſit. Non repetimus om nia, malumus enim ibi potius, quam hic iſta legi. Per id tempus *Philippus* moritur, (*Joſ. A. J. lib.* XVIII. *cap. 6.*) quem Trachonitidi, Gaulanitidi & Batanææ præfectum ſupra diximus. Vir ingenio miti ac placido, atque ob id quietis unice amans. Deceſſerat ſine liberis. Quare Tiberius ditionem ejus provinciæ Syriæ attribuit. *Agrippa* vero Ariſtobuli F. diu cum varia fortuna conflictatus, tandem ad Tiberium pergit, acceptuſque humaniter, & Druſi Filium, Tiberium Gemellum colere juſſus, magis tamen Cajum Germanici F. veneratus eſt. Quæ res Imperatori indignationem movit, uti Agrippam in vincula conjici juberet. Factum id anno Tiberii emortuali, exegitque ibi infelix VI. menſes, dum C. Caligula rerum potiretur. Anno Tiberii XXI. Q. Plautio Læliano, S. Pap. Gallieno Coſſ. L. *Vitellius* Proconſul in Syriam (*Joſ. A. J. lib.* XVIII. *cap. 6.*) a Tiberio miſſus, cum ex more provinciam luſtraret, etiam Hieroſolymas pervenit, comiterque ab incolis habitus, uti gratiam aliquam referret, totum vectigal fructuum venalium iis remiſit. Sacram quoque Pontificis veſtem, quam Romani hactenus in turri Antonia aſſervaverant, Sacerdotibus indulſit. Demum ubi ſummoto Cajapha, *Jonatham*, Annæ quondam Pontificis F. evexiſſet, Antiochiam reverſus eſt. Anno ſequenti, qui ultimus Tiberio fuit, Samaritanis (*loc. cit. cap.* V.) impoſtor quidam perſuaſit, ut convenirent in montem Garizin, apud eam gentem ſanctiſſimum, effoſſuros illic neſcio quæ vaſa, quæ vir divinus Moſes, quondam ibi depoſuiſſet. Illi ad ineptias promti, arreptis armis Tirathabam vicum inſederant, dum cæteri quoque confluerent, quos eadem veſania tenebat, inde immani agmine montem petituros. Prior Pilatus montem occupavit, adortuſque incompoſitam turbam, confecit aut fugavit. Indignum id facinus primoribus civitatum viſum eſt. Itaque Vitellium invocant, vim ſibi factam querentes, non enim defectionem iſthanc, ſed refugium ſaltum contra Pilati ſævitiem fuiſſe. Præſes, *Marcello* ad Procurationem Judææ miſſo, Pilatum Romam proficiſci jubet, cauſſam coram Cæſare dicturum. Equidem Tiberius iſtam, morte præventus, haud cognovit. Factum id tamen poſtea a C. Cæſare eſt. Pilatuſque Viennam Galliæ relegatus, dignum impietate ſua habuit exitum. Siquidem deſperatione actus, ſe ipſe tranſfixit. *Euſeb. Caſſiod. Oroſius* &c.

LXXIV. Neque multo poſt (*A. M. 3986. AC. 39. Ær. Dion. 37.*) ſupremi Tiberio Coſſ. Cn. Acerronius & C. Pontius (*v. Tac. A.* VI. *cap.* 45. 46.) magiſtratum occepere. Dubitaverat hactenus Princeps de tradenda Republica, primum inter Nepotes, quorum Druſo genitus, Tiberius Gemellus, ſanguine & charitate propior, ſed impubis. C. Cæſari robur juventæ, & proſperior ob Germanici Patris memoriam civium favor, eaque apud Avum odii cauſſa. Etiam de Claudio agitanti, quod is compoſita ætate, bonis artibus caperetur, hebetudo ejus obſtitit, quippe non judicium illi, non odium, niſi indita & juſſa. Sin peregrinus heres ſcriberetur, ne reverentia Auguſti, ne nomen Cæſarum, in ludibria & contumelias verterent, metuebat. Mox dubius animi, atque enecto corpore, conſilium cui impar erat, fato permiſit, jactis tamen vocibus, per quas intelligeretur providus futurorum. Ipſe interim nihil ex libidinibus & crudelitate remittens, XVII. Cal. Apr. anno æt. LXXVIII. Imp. XXII. m. VI. d. XXVIII. morte ſeu naturali ſublatus, (*Tac. loc. cit. cap.* 50. *Svet. Cal. cap.* XII.) ſeu Macronis officioſa in herum fides, maturavit ἀποθέωσιν ſeni, ne iis quidem luctum reliquit, quos & miniſtros ſcelerum habuerat & approbatores. Nec mirum populare gaudium non continuiſſe ſe, quin *Tiberium in Tiberin* plerique clamitarent. Scilicet hoſtis patriæ, parricida Senatus, qui omnia ſæve atque crudeliter deſtinaverat, publici odii victima merito habebatur. Supervixit tamen inter has cædes *C. Cæſar*, immanem animum ſubdola modeſtia tegens, non damnatione matris; non exilio fratrum rupta voce, qualem diem Tiberius induiſſet, pari habitu, haud multum diſtantibus verbis. Unde mox ſcitu *Paſſieni* Oratoris dictum (*Tac. A.* VI. *cap.* 20. *Svet. Cal. cap.* X.) percrebuit: *Neque meliorem unquam ſervum, neque deteriorem dominum fuiſſe.*

LXXV. Sic imperium adeptus *Caligula*, Agrippam (*Joſ. A. J. lib.* XVIII. *cap.* 8.) voti compotem fecit. Vinculis enim exoluto, catenam auream, ferreæ loco, titulumque regium, & Lyſaniæ ac Philippi tetrarchias donavit, memorabili exemplo, quantum in omni re poſſit fortuna. Vitellius inter hæc, quem ſuperſtes Tiberius bellum Aretæ inferre juſſerat, nondum comperta Principis morte, operi ſe accingit. Aſſumtiſque duabus

bus legionibus atque auxiliis, per Judæam exercitum ducere in Arabas orsus est. Advolant illico primores gentis, & transitum deprecantur, non signa regioni, non ullas imagines inferri posse, salvis religionibus. Annuit Vitellius, missisque per magnum campum copiis, ipse cum Herode Tetrarcha atque amicis Hierosolymas invisit, uti per celebritatem publicam, sacris ceremoniis operarentur. Triduum integrum ibi, inter exquisitissimos honores exegit. Pontificatum vero a Jonatha in fratrem *Theophilum* transtulit. Quarta demum die literæ allatæ, quæ excessisse Tiberium, & summam rerum penes Caligulam stare, significarent. Itaque prima provinciarum Orientis Judæa in verba novi Principis adacta est. Multum in eo gloriante Agrippa, (*Philo Leg. ad Caj.*) dum in literis ad Cajum perscriptis: *Hierosolymis*, inquit, *primum audita est, Imperator, exoptatissima tua successio. E sancta Civitate diffusa est ejus fama ad finitimas provincias. Et quoniam prima Orientalium hæc civitas Imperatorem te consalutavit, æquum est, ut a te tractetur liberalius.* Et Judæorum Senatus in oratione ad Petronium: *Cajo imperium adepto, primi ex tota Syria gratulati sumus; Vitellio, cujus successor es, tunc in urbe nostra degente, qui super hac re literas acceperat; & a nobis ad cæteras civitates fama lætum nuntium pertulit: primum nostrum templum excepit pro imperio Caii victimas.* Exercitus vero revocatus a Vitellio est, dum jussa Principis acciperet. Movitque idem postea ad Euphraten, ut cum Parthorum Rege iniret fœdus, de quo *Svetonius* (*Cal. cap.* XIV. *Vit. cap.* II.) & *Dio*. (*lib.* LIX.)

LXXVI. Redeundum ad Caligulam est, cujus incredibilis amentia Judæos prope ad incitas redegit. Veneratio domus Augustæ, jam sub ipso Octavio inter artes & obsequia aulæ recepta, Aulicorum studio & æmulatione celebrabatur. Nec in colendo Tiberio quicquam omisit solertium ingeniorum industria. Sed quoniam Augustus quidem, non minus civilitatis quam gravitatis amator fuit: Tiberius autem superbiam insitam, non uno artificio plerumque obtegere studuit: factum est, ut obsequii aulici formula, ratione potius quam adulatione censeri cuperet. At sub Cajo in abrupta omnia itum est. Securiorque jam adulatio novitatis gratiam avide arripuit. Hinc adorandi mos, ex orientalibus institutis, a L. Vitellio (*Svet. Vit. cap.* II.) Romam traductus, provectusque eo insolentiæ Cajus, ut manum tantummodo ac pedem adorandum etiam Senatoribus porrigeret, eoque nomine sibi gratias agi in curia sineret. Postremo jussit, (*Svet. Cal. cap.* XXII.) ut *simulacra numinum religione & arte præclara, inter quæ Olympici Jovis, apportarentur e Græcia, quibus capite demto suum imponeret. Sæpe inter Castorem & Pollucem medium se adorandum adeuntibus exhibebat, & quidam eum Latialem Jovem consalutaverunt. Templum etiam numini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum, amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur. Magisteria sacerdotii ditissimus quisque, & ambitione & licitatione maxima vicibus comparabant &c.*

LXXVII. Et hanc quidem insaniam cæteræ gentes perferebant. At vero cum Judæi divinos Caii honores non admissuri viderentur, facilis patuit occasio inimicis eorum & obtrectatoribus, criminandi illos apud Cæsarem, tanquam qui soli ex omnibus populis colere Cajum dedignarentur. Hinc Alexandriæ (*Jos. A. J. lib.* XVIII. *cap.* 10.) Græci pridem Judæis infesti, ingentem tumultum cient: omnibusque rerum & verborum acerbitatibus illos exagitantes, Caii imagines passim in Proseuchis eorum collocarunt. Non invito *Flacco Abillio* Ægypti Præside, qui plebem permissione ista demereri intendebat. Missi igitur utrinque ad Cajum aliqui, dum Græci quidem probare Imperatori factum suum vellent; hi vero injurias uti deprecarentur. Princeps Græcorum *Apion* erat, qui multa in Judæos invectus, id præcipue crimini dabat, quod Cæsari statuas dicare, & jurare per nomen ejus soli abnuerent. *Philonem* ex altera parte defensionem parantem, conticescere Cajus, atque illico ex conspectu suo abscedere jussit. Hic ille Apion est, homo Judæis inimicus, sed tanta nominis celebritate, atque tanto doctrinæ strepitu vivens, merito uti cymbalum mundi dictus habitusque sit. Paravit adversus eum Flavius Apologiam, ad miraculum usque, P. Cunæo (*loc. cit. lib.* I. *cap.* I.) judice, eruditam. Inter delatores Judæorum *Helicon* quoque *Ægyptius* fuit, Cajo per malas artes & scurriles ineptias mire gratus, qui ab Alexandrinis emtus, inter oblectationes Principis, accusatoriam diritatem in Judæos exercebat. Idem *Apelles* quoque agitavit, ex tragœdo & scorto, consultor & amicus Principis factus. Sed hic quidem postea a Cajo, ob flagitia ferreis compedibus vinctus, & contusus rota est. Alterum Claudius sustulit. Flaccum vero apud Stephanionem Ti-

Tiberii libertum convivantem, Bassus Centurio, auctore Caligula comprehendit, & Romam deportavit. Ubi judicio publico damnatus, ejectusque in Andrum insulam est, bonis in fiscum conversis.

LXXVIII. Parum adhuc egisse Cajus videbatur, nisi Hierosolymas quoque affligeret. Igitur iisdem impulsoribus, etiam Templo (*Jos.* A. J. *lib.* XVIII. *cap.* 11.) inferri imaginem suam voluit, & recusantibus minitatus extrema est. Effecerant id Capitonis Quæstoris in Judæa literæ, quibus incusabat cives Jamnienses, tanquam ob excitatam a paganis aram tumultuatos. Negotium hoc *Petronio* Syriæ Præsidi datum. Quæ vero exinde lamentationes Judæorum, qui ad Petronium concursus & preces fuerint, tum quæ secreta Præsidis, & cum amicis consultatio, quæque ad Cæsarem literæ, aut ira denique & dissimulatio Principis, ea solitis & suavissimis ambagibus Philo exequitur, conferendus erudite cum civiliori Josephi historia, lib. XVIII. cap. XI. Accessit tandem Numinis cœleste auxilium, quippe Petronius nuncium de Caii morte multo ante accepit, quam eas literas, quæ tribus mensibus ante scriptæ, excidium jubebant saræ gentis. Et sane significaverant hoc Petronio Judæi, malle se cum urbe penitus deleri, quam admittere, quod foret contra edictum divinæ legis. Tanta cupido gloriosę mortis, non in proceribus modo, sed & in plebe quoque, atque in mulierum apparuit sequiore sexu. Illud ridiculum est, quod subsidente iterum ferocia Cajus dixit (*Philo leg.*) *Homines isti, non tam mihi videntur mali, quam miseri, qui sibi persuaderi non sinunt, me esse divinæ naturæ participem.* Tam cœca & corrupta mens, perpetuis adulationibus erat, ut etiam serio Deum se crederet. Quanto dignior oratio Tiberii, (*Tac. A.* VI. *cap.* 37. 38.) habita in Senatu, cum Hispania oraret, uti delubrum Cęsari, Matrique ejus struerent. *Ego me P. C. mortalem esse, & hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam: & vos testor, & meminisse posteros volo, qui satis superque memoriæ meæ tribuent, ut majoribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies & mansuræ. Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, cives, & Deos ipsos precor: hos, ut mihi ad finem usque vitam quietam, & intelligentem humani divinique juris mentem duint; illos, ut quandocunque concessero, cum laude & bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei prosequantur.* Animus vere augustus. Si quidem per modestiam locutus ita est, an forte anxietas (*Boecl. de Princ. Tib.*) ista conscientię sese reformidantis fuit. Pessimus enim cum esset, facile providere potuit, tanto plus ignominię a posteritate metuendum, quanto plus honorum, pręsens ętas in immerentem cumulasset. Utut enim gloriam venturi temporis famamque cupiebat captabatque, fiduciam ejus, qui sui non haberet, concipere animo non poterat.

LXXIX. Sed quorsum abripimur? Redeundum in Judęam est, cum qua dirius multo per hęc tempora actum foret, nisi Patronum in aula Cęsaris *Agrippam* habuisset. Multum ille in animo Principis ex veteri necessitudine valuit. Vir gravis ac sapiens. Nam pleraque ab sęvis aliorum criminationibus in melius flexit, ęquabili auctoritute & gratia apud Caligulam vigens. Fere perpetuo Romę obhęsit, semel tantum commeatum a Cęsare impetravit, uti componeret regnum suum, reversusque illico est rebus utcunque ordinatis. Comperio eum literas quasdam ad C. Cęsarem ita finivisse (*Philo Leg.*) *Quid de me loquentur vel tribules, vel universi homines? Alterutrum enim sequetur. Aut ut appeller meorum proditor, aut inter tuos amicos posthac non hæbear. Quo utrolibet quid potest esse infelicius? Nam si adhuc in amicis numeror, proditionis insimulabor, si nec Patriam indemnem, nec Templum inviolatum præstitero. Nam vos præpotentes soletis amicorum ad imperatoriam opem confugientium rebus consulere. Quod si qua in re animo tuo molestus sum, noli me vincire, ut Tiberius: sed ne toties vincula timeam, jube mox interimi. Quid enim mihi vita opus est, cui spes unica salutis fuit in tua benevolentia?* Hic quidem infractus, & non iniquus genti suę deprehenditur. At nescio tamen, an excusari illud possit, quod in fratrem Antipam (*Jos. A. J. lib.* XVIII. *cap.* 9.) admisit. Erat isti uxor *Herodias* Agrippę Soror, quam Philippo Tetrarchę collocatam, Antipas abduxit, & justę conjugis instar habuit, veteri exturbata. Angebatur ferox Herodias, nihil materię in viro, neque ad cupiditatem, neque ad audaciam esse, tota in Agrippam fratrem versa, eum mirari, eum virum dicere, qui sceptrum & coronam a Cajo tulisset. Se quoque eidem decori natam.

tam. Quare exurgeret, sumeretque animum, & gratiam Principis pecunia, ambitu, prehensationibus sibi conciliaret, posthac se, nisi Reginam, non victuram. Celeriter virum temeritatis suę mulier implet. Itaque tendunt ambo ad Cęsarem, assecutique illum sunt, apud Bajas Campanię oppidum amœnissimum agentem. Non fugere ista Agrippam, ire igitur contra, ac perturbare rationes Antipæ intendit. Scriptisque illico ad Cajum literis, proditionis Antipam incusat. Dudum esse, quod cum Sejano adversus Tiberium fecerit, nunc paria illum moliri, convenisse enim cum Artabano Parthorum Rege, uti novum Imperatorem excuterent, congesta LXX. millium arma &c. Pessime id Cæsarem habuit. Percontatusque Heroden de apparatu tanto, cum non negaret iste, manifestam defectionem inde arguit. Sic infelix Antipas, dum regiam purpuram, & superbos titulos concipit animo atque affectat, infaustam exulis appellationem refert. Lugdunum enim Galliæ pellitur. Ditio ejus atque opes permissæ Agrippæ sunt. Et dederat quidem Cajus honori Fratris, uti Herodias soror exilii immunis esset. Posteaquam vero hæc voluntaria mariti comes esse elegit, in contumeliam suam vertens Cæsar, quæ pietas volebat dici, eandem pœnam subire contumacem jussit. Nimirum ambitio, & turpis incestus, innoxiaque *Johannis* cædes, & *Christus* ludibrio habitus, iram Numinis provocavere: quæ lento quidem gradu ad vindictam sui procedit, sed tarditatem supplicii gravitate compensat.

LXXX. Grassabatur adhuc Cajus sævitia & immanitate, capitibusque civium per animi petulantiam quasi insultabat. Exitus denique consecutus illum est, qualis imperio funesto congruebat, cruentus & deformis: Ceciditque multis confossum vulneribus fatale portentum, prodigiumque Reipublicæ: auctore facti *Cassio Cherea*, (*Suet. Cal. cap.* LVI. *seq.*) qui & suo privatim nomine offensus Cajo, etiam liberatæ patriæ decus ambiebat. Seriem rei nemo fusius exponit Josepho, (*A. J. lib.* XIX. *cap.* I.) unde repeti potest historia. Nobis in tam præcipiti festinatione, pene magis necessaria prætereunda, quam supervacua amplectenda sunt. Id unum dixisse juvat, sævam Caligulæ naturam & probrosam fuisse, quam sagacissimus Tiberius (*Suet. Cal. cap.* XI.) ita prorsus perspexerat, ut aliquoties prædicaret, *exitio suo omniumque Cajum vivere, & se natricem* (serpentis id genus) *Populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare*. Vixit ann. XXIX. imperavit triennio, & X. mensibus, diebusque VIII. Senatus vero, morte Principis, summæ rei arbitrium ad se devolutum existimans, perstitit aliquandiu in asserenda libertate. Urgentibus id consilium percussoribus Caii, qui & ante Libertatis publicæ titulum suo facinori prætulerant, nec in posterum aliunde impunitatem sibi poterant sperare. Interim militibus, apud quos suspectum Senatus imperium erat, diversa agitantibus, factum est mirabili casu, (*Sveton. Claud.* X.) ut *Claudius* e latebris protractus, cum ultima metueret, Imperator salutaretur, in castra Prętorianorum delatus. Monuit quidem Senatus per Tribunum pl. uti in curiam veniret, & judicium Patrum in constituenda Republica sequeretur. Ad quę Claudius, *vi se & necessitate teneri* respondit. Firmatus deinde Agrippę Regis (*J. A. J. lib.* XIX. *cap.* 2. 3.) consiliis: *Non mirandum*, inquit, *si Senatus ad nomen Principatus, memoria prioris Tyrannidis expavesceret, cæterum sibi curæ fore, ne quem suæ conditionis sub moderato Principe pœniteret*. Per hęc jam segnior (*Jos. A. J. lib.* XIX. *cap.* 2. 3.) in exequendis destinatis curia, per tędium ac dissensionem diversa censentium, & multitudine quę circumstabat, unum Rectorem jam, & nominatim exposcente, imperium Claudio decrevit.

LXXXI. Multum hoc ipso Agrippa Palæstinus lucrifecit. (*Jos. A. J. lib.* XIX. *cap.* 4.) Siquidem Claudius regnum ei a Cajo datum, Judæa & Samaria auxit, & Consulares quoque honores illi tributi. Fratri vero ejus Prætoria ornamenta, & Principatum Chalcidis concessit. Moxque a Claudio impetravere isti, uti Alexandriam rescriberet: *Volo inconcussa esse Judæorum Alexadrinorum jura, a Caji insania; eisque jus esse perseverandi in patriis ritibus. Jubeoque utramque partem quoad potest, dare operam, ne quid turbarum commoveatur: idque proposito hoc edicto ita statuo*. Idem & cæteris Judæis per orbem Romanum indultum: monitis tamen, *ut hac gratia contenti, modestius se gererent, neque conspuerent religiones exterarum gentium; suis autem suo arbitratu viverent legibus*. Permissum quoque Romæ agere, ne tamen in unum convenirent. Pœnaque de Doritis quibusdam, qui statuam Cæsaris in Synagoga locaverant, a Petronio sumtæ. Optime jam habere se res Judæorum & religio videbantur. Præsertim, ubi Agrippa Hierosolymam delatus, sacra omnia ex legum præscripto perageret. Etiam tributum civibus, quod in singulas ædes pende-

debant, remisit. Sed idem licentiosius mox se gessit, dejectoque Theophilo P. M. (*Jos. loc. cit. cap.* v.) *Simonem* cognomento *Cantharam*, Boethi Herodis M. soceri, filium suffecit. qui tamen intra paucos menses dignitate ista iterum excidit. Insulam Agrippa *Jonathæ*, Anani F. obtulit, qui recusare tamen, & jam ante honore isto se defunctum dicere. Fratrem vero suum longe digniorem, Regi humiliter se commendare. Conferret isti sacerdotium, siquidem clementiæ ejus visum esset. Ratum id Rex habuit. Cæterum Petronio Syriæ Præsidi, *Vibius Marcus* (*Jos. loc. cit. cap.* VII.) successit. Agrippa vero nobilem operam exorsus, muros Hierosolimæ sumtu publico restituit. Jamque in altitudinem quandam excreverant, cum Vibio Marso id suspectum videri. Scriptis itaque ad Claudium literis, exposuit novitatem rei. Non adeo modestam esse Judæorum gentem, uti potestas muniendæ Urbis tuto illi permittatur. Movitque ea res Principem. Quare desistere ab incepto Agrippam jussit. Obtemperavit Rex, ne tamen nihil ageret, theatrum Beryti, atque amphitheatrum, & balnea porticusque extruxit, dedicavitque solenniter. Æmulatus in eo Avum suum Heroden Magnum, profusæ hujus in ædificiis luxuriæ auctorem summum.

LXXXII. Neque multo post *Matthias* (*Jos. A. J.* XIX. *cap.* 7.) Anani filius, Pontificatu summotus, successorem *Elionæum* Cithæi F. habuit. Etiam Christianis infestus Agrippa deprehenditur. Siquidem *Jacobum Apostolum* (*Act.* XII.) securi percussit, pari exitio & *Petrum* (*Actor.* XII. 3. *seq.*) destinans. Interim custodiendum eum tradidit quatuor τετραδίοις, excubiis, quæ constabant ex militibus quatuor, & ne quid deesset custodiæ, inter duos milites concatenatus, ut videtur, jacebat, more veteribus usitato, quem notat *S. Augustinus* super *Psalm.* CXVIII. *Latro & colligatus, iste innocens, ille scele sceleratus, una catena ligantur*. Et *Seneca ep.* V. *eadem catena, & custodiam & militem copulat*. Proinde a dextra Petrus uni militum, a sinistra rursus alteri colligatus erat. Evasit tamen atrocitatem Agrippæ, solutus ab Angelo, v. VII. seq. quanquam id custodibus capite luendum fuerit, v. XIX. Insolescere inde Rex, & populi captare applausum. Auctaque in immensum ambitio, cum Tyrii quoque ac Sidonii venerari eum, & pacem petere haberent necesse. v. XX. Quæ res mature ipsi tristem exitum conciliavit. Extant ista in *Actis cap.* XII. 21. 22. 23. Nos *Flavii* (*A. J. lib.* XIX. *cap.* 7.) narrationem hoc loco exscribimus. Est enim prolixior, atque egregie cum Luca concordat. *Tertium*, inquit, *Judææ totius regni annum exegerat*, (ineunte jam quarto) *cum pervenit in urbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta est, ubi solennes ludos celebravit pro salute Cæsaris. Ad quam festivitatem magna multitudo nobilium ac procerum convenerat ex tota provincia. Ejus celebritatis die secundo, processit mane in theatrum, amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radiis orientis solis percussa, & divinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat spectantibus. Moxque adulatores perniciosi aliunde acclamantes Deum consalutabant, rogantes, ut faveret propitius, hactenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere, & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit, nec repulit. Secuta sunt ventris tormina, statim a principio vehementia. Conversis igitur in amicos oculis: En*, inquit, *ego vestra appellatione Deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium; & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cœlestis Numinis. Neque enim male viximus, imo tanta felicitate, ut omnes me beatum prædicent. Cruciatu deinde per continuos V. dies nihil intermittente confectus, vitam finiit*. Hæc ille: Regnavit annos VII. integros, IV. sub Caligula, III. sub Claudio Impp.

LXXXIII. Constituerat quidem Claudius, mittere filium *Agrippam* in hereditatem Patris. Dissuasere tamen Liberti, non convenire id lubrico juveni, cui ferendo quandoque viri impares. Re quidem vera id eo valebat, uti ipsi ex præfectura provinciarum illarum ditescere, atque in rebus bonis esse possent. Mittitur ann. seq. *Cuspius Fadus* (*Jos. A. J. lib.* XIX. *cap.* 7.) qui administraret regnum. Dabat enim Claudius honori, Agrippæ, ne Vibium Marsum, illi infensum, immitteret. Cæsarea & Sebaste, quod memoriam defuncti per contumeliam tractaverant, acriter castigatæ. Exorti deinceps a transamnanis Judæis motus, cito iterum comprehensis auctoribus subsedere. Etiam latronibus regnum expurgavit, duce eorum Ptolomæo in crucem acto. Per idem tempus Cassius Longinus & Cuspius Fadus, stolam Pontificis, & reliqua ornamenta repetebant, uti a Romanis deinceps in arce Antonia asservarentur. Non ausi abnuere Judæi, id tantum rogant, ut liceret sibi per missos quosdam advolvi ad

ge-

genua Cæſaris, daturi forte hoc precibus ſuis, quo ordinatio Vitellii perſiſteret. Data illis hæc venia, reſcripſitque Imperator: *ſalvum cuſtodiendæ ſtolæ jus Judæis manere*. Ac tandem cura illa, ſummique ſacerdotis electio, conceſſa, *Agrippæ Herodi*, Chalcidenſium Regi, a Claudio eſt, idque jus retentum a ſucceſſoribus ejus fuit, uſque ad extrema belli Judaici. Primus (*Joſ. lib.* xx. *cap.* I.) *Joſephus* Cami F. in locum amoti Simonis Cantharæ, (forte altera vice tum Pontificis, v. ſupr. §. 81.) ab illo inſtitutus eſt. Qnanto ſatius infelicibus fuiſſet, omiſſis inanibus, vera & ſumma ſectari, in quibus vis omnis umbrarum iſtarum poſita fuit. Non id laciniæ obſervandæ tempus: jam enim venerat *Chriſtus*, ſtatueratque his omnibus finem ac modum. Illi autem ſævire in nomen ejus atque exagitare paſſim, qui religionem iſtam ac cultum profitebantur. Excruciandi iterum peſſimis modis, nec brevi finituris. Tunc quidem inter cætera mala etiam fame urgebantur: quæ ex Agabi prædictione Act. XI. 28. anno Claudii IV. cepit. Levavit illam aliquantiſper *Helenæ* Adiabenorum Reginæ (*Joſ. A. J. lib.* xx. *cap.* 2.) ad Judaiſmum converſæ, & filii Izatis munificentia. Pene ridiculum eſt, quod de *Theuda* impoſtore; (diverſus hic ab altero quodam, de quo Lucas in *Actis cap.* v. 35.) Flavius Joſephus refert. Hinc ingenti Judæorum multitudini perſuaſerat, uti bona convaſarent, ſeque ad Jordanem ſequerentur. Vatem enim eſſe ſe profeſſus eſt, promiſitque ſe flumen iſtud ſiccis pedibus tranſiturum. Disjecit inſanientes Cuſpius Fadus, immiſſa Equitum alia, captuſque miſer ille, pœnas temeritatis dedit. *Joſ. loc. cit.*

LXXXIV. Imp. Claudio IV. L. Vitellio Nepote III. Coſſ. Cuſpium Fadum in procuratione Judææ *Tiberius Alexander* (*Joſ. loc. cit. cap.* 3.) excepit, Alexandri Alabarch Alexandrini, veteris amici Claudii F. qui patrias religiones pridem ejuraverat. Fames vehementer inſtat. Herodes Chalcidis Rex Joſephum Cami F. dignitate exuit, hancque in *Ananiam*, Nebedæi F. transfert. Hic ille eſt, quem D. Paulus *Act.* XXIII. 2. dealbatum parietem vocat: quanquam tum temporis iterum depulſus a Pontificatu fuerit. Anno *Chriſti* exact. 51. Æræ Dion. 49. C. Pompejo, & Q. Verannio Coſſ. Herodes Chalcidenſium Rex fato conceſſit. Regnum illius Agrippæ juveni, a Cæſare datum. Eoque ipſo *Ventidius Cumanus* Tiberio Alexandro ſurrogatus, ſub prima ſtatim imperii initia, impatientem Judæorum pertinaciam cognovit. Convenerant omnes undique ad ſolennitatem feſti, quod Paſcha Hebræis dicitur. Itaque Cumanus ſueto Procuratoribus more, cohortem unam militum in porticibus templi collocavit, quæ publicam quietem tueretur. Accidit forte, quarta die, uti miles quidam gregarius pudenda corporis per laſciviam detegeret. Quæ cum monſtraſſet propalam impudens nebulo, Judæi intolerabilem contumeliam rati, circumſiſtunt Cumanum, & vociferantur. *Deum* ipſum, cujus ſacra nunc colerent, irreverenter habitum. Neque deerant, qui a Cumano ſubmiſſum militem taciti aguerent. Quare cum oratione flectere exaſperatos haud poſſet, omnes copias in Antoniam arcem Templo imminentem advocavit. Ortaque ſubito trepidatione, dum ſibi quiſque, quantum poteſt, fuga conſulit, factum eſt, uti XX. hominum millia improvida feſtinatione obtererentur. Qui evaſerant, Stephanum quendam Cæſaris miniſtrum adorti in via ſunt. Quod dum ulciſci Cumanus parat, iterum parum abfuit, quin militis Romani licentia novas turbas dediſſet. Laceraverat hic Moſaicam legem, quam invenerat forte, haud parcens etiam verbis. Indignum id facinus Judæis viſum. Quare non acquievere prius, quam ſuplicio ſceleſti hominis, dignitati codicis eſſet ſatisfactum.

LXXXV. Sic Ventidius Cumanus quidem Galilæam Judęamqne tenuit. Samarię intermedię regundę *Antonius Felix* (*v. Tac. A.* XII. *cap.* 54. *H. V.* 9. *Joſ.* A. J. *lib.* xx. *cap.* 5.) datus, qui per omnem ſęvitiam ac libidinem, jus regium ſervili ingenio exercuit. Druſilla, Cleopatrę atque Antonii, nepte in matrimonium accepta: ut ejuſdem Antonii Felix progener, Claudius nepos eſſet. Frater ejus Pallas (*Tac. A.* XI. 29.) fuit, qui flagrantiſſima eo in tempore gratia agitabat. Atque hinc adeo Felix cuncta malefacta ſibi impune ratus eſt, tanta potentia ſubnixo. Unde perfacile fuit turbari Samariam & Judæam, provincias diſcordes olim, & tum contemtu regentium, minus coercitis odiis. Igitur raptare inter ſe, immittere latronum globos, ſtruere inſidias, ſæpe manum conſerere, ſpoliaque & prædas ad Procuratores referre. Res pulchre geſta primo gaudentium impetu, mox gliſcente pernicie, cum arma militum interjeciſſent, cæſæ cohortes. Arſiſſetque bello provincia, niſi *Numidius Quadratus* Syriæ rector ſubveniſſet. Illico procaciſſimi quique in crucem acti. Ananias P. M. & complures nobilium Romam miſſi.

Cu-

Cumanus & Felix cunctationem afferebant. Siquidem Imperator, cognita seditionionis caussa, jus statuendi etiam de Procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter Judices ostentavit, receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur, damnatusque flagitiorum, quæ duo commiserant, Cumanus, & quies provinciæ reddita. Nimirum Pallantem metuebat, Felicis fratrem, qui libertus Cæsaris, *libertum* iterum *Claudium* habebat, uti haud præter rem de eo Seneca (*in ἀποκλο. Claud.*) perscripsit. Quare nihil tam absurdum, tam ab honestate publica, & imperantis dignitate remotum excogitari poterat, quod arduum esset in animo Principis, *cui non judicium*, (*Tac. A.* XII. 3.) *non odium erat, nisi indita & jussa*. Felici Judæa insuper, Samariaque cessere.

LXXXVI. Extat *Act.* XVIII. 2. quod Claudius edicto publico cunctos Judæos Roma excedere jusserit. Idem forte existimandum est, quod *Svetonius* habet *cap.* XXV. *Judæos impulsore* Chresto *assidue tumultuantes, Roma expulit*. Jacobus Usserius Armachanus (*loc. cit. p. 666.*) censet, *seditiosum* quendam *civem*, dictum ita, non Salvatorem cummunem *Christum Jesum* ibi innui. Afferunt tamen alii hanc scriptionis diversitatem, ex imperitia gentilium ortam. Unde Tertullianus: (*Apol. cap.* 3.) *Sed & cum perperam*, inquit, *Chrestianus pronunciatur a vobis* (*nam nec nominis certa est notitia apud vos*) *a suavitate vel benignitate compositum est*. Paria *Lactantius* (*lib.* IV. *cap.* 7.) adfert, dum inquit. *Sed exponenda hæc nominis ratio propter Christi ignorantium errorem, qui eum immutata litera Chrestum solent dicere*. Res ita se habet: Judæi & Christiani perpetuis fere tumultibus Romæ invicem agitabantur; quod Judæi legem suam diminui, inique admodum ferrent. Utrumque ergo hominum genus Claudius expulit, quo publicæ tranquillitati consuleret. Quinto deinde Asinio Marcello, & Manio Aciolio Aviola Coss. Imperator obiit, fraude Agrippinæ, (*Tac. A.* XI. *cap.* 38.) quam incestis nuptiis sibi junxerat, postquam Messalina (*A.* XII. 5. *seq.*) impudicissima fœminarum occubuit. Extimulabat atrocem animum vox Claudii, quam temulentus jecerat, (*Tac. A.* XI. *cap.* 64.) *fatale sibi, ut conjugum flagitia ferret, dein puniret*. Agere itaque, & celerare statuit. Assumtaque in conscientiam Locusta, (quæ veneficii nuper damnata, diuque inter instrumenta regni habita fuerat,) & Xenophonte Medico, Claudium veneno tollit. (*cap.* 66. *seq.*) Jamque exanimi Claudio, Agrippina velut dolore victa, & solatia conquirens, tenere amplexu *Britannicum*, veram paterni oris effigiem appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Cunctosque aditus custodia sepserat, dum res firmando imperio Neronis componuntur: crebro vulgabat, ire in melius valetudinem Principis. Donec medio die, 3. ante Id. Oct. foribus palatii repente diductis *Nero* egressus, Imperator e militibus salutaretur; approbante id postea Senatu. Finiit vitam Claudius, anno ætatis LXIV. imperii XIV.

LXXXVII. Magnam iterum aleam Judæi adibant, cum incertum esset, quo se statim nobilis indoles daret. Ast initia illius, Parricidium Claudii, cujus etsi non auctor, conscius tamen fuit, itemque Britannici jus interversum si demas, valde speciosa (*conf. Tac. A.* XII. *cap.* 4. *Svet. Neron. cap.* X.) fuere, ut Trajanus identidem dicere solitus sit, *omnes bonos Principes procul abesse a primo quinquennio Neronis*. Nimirum abdita adhuc vitia erant, prevalebant bonarum rerum auctores. Sed quo magis tegebatur indoles & supprimebatur, eo violentius ad extremum erupit. Perscripsere ista *Tacitus*, *Svetonius*, aliique Nobis Judeę inhærendum est, misere tunc vexatæ. Præerat illi hactenus *Antonius Felix*, quem multa crudeliter atque avare fecisse, supra arguimus. Ad extremum pessimi exempli auctor, Jonathæ P. M. sicarios immisit, quod delicatæ Procuratoris aures, monentem recta aversarentur. Nam quod administrationis rationem reddi sibi Pontifex velit, frustra esse. Hanc enim non aliter constare, quam si nulli reddatur. *Cujus facinoris*, inquit Flavius, *quia nemo ultor extitit, invitati hac licentia sicarii, per singula festa ventitantes, & ferrum celantes, pari modo immixti turbis, alios propter privatas inimicitias, alios conducti pecunia, non modo in reliquis urbis partibus, sed etiam in ipso templo impune confodiebant*. Non enim ibi consistunt (*Vell. lib.* 2. *cap.* 3. *Sallust. Cat. cap.* LI.) exempla, unde ceperunt, sed quamlibet in exiguum recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt, & ubi semel recto deerratum est, in præceps devenitur, nec quisquam sibi putat turpe, quod aliis fuit fructuosum. Per idem tempus Ægyptius (*Jos.* A. J. *lib.* XX. *cap.* 6. *Actor.* XXI. 38.) quispiam populum ad Olivarum montem, quasi numinis imperio vocabat, iturus hinc Hierosolymam, atque una voce muros subversurus, ut per ruinas

nas apertum iter tutumque omnibus foret. Illico Felix advolat, vecordem turbam ad officium redacturus. CCC. cœsi, CC. capti, cæteris fuga salutem præbuit. Ægyptius vero ipse cum paucis pugna elapsus, nunquam deinde visus est. In universum vero *Flavius*, cum Judææ statum publicum, qui sub Felice erat, exequitur, pene indignabundus illud in hunc modum ait: *λῃστηρίων ἡ χώρα ἀνεπλήσθη, καὶ γοήτων ἀνθρώπων, οἳ τὸν ὄχλον ἠπάτων.* Et mox de iisdem ita subjicit: *δείξειν ἔφασαν ἐναργῆ τέρατα καὶ σημεῖα, κατὰ τὴν τοῦ θεοῦ πρόνοιαν γενόμενα· καὶ πολλοὶ πεισθέντες, τῆς ἀφροσύνης τιμωρίας ὑπέσχον.* Usque adeo nihil in speciem fallacius est, quam fanaticorum quorundam insidiosa hujusmodi religio pietasque. Statim enim plebs, ubi Dei numen magnis ausibus prætenditur, facilem se ad omnia præbet: & manifestum in exitium ruit, quasi altiori imperio acta, cui refragari fas haud sit. *Pauli* quoque Apostoli caussa (*Act.* XXIV.) apud hunc Præsidem disceptata est, non definita tamen, cum innocentiam suam, satis quidem judici approbasset reus, at vero nisi exoluto pretio dimitti haud posset. Tam gnarus Procurator parandarum opum erat, uti paria omnino cum Pallante fratre fecerit, quem tantum acquirere & rapere Imper. Claudius passus est, ut querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum: (*Svet. Cl. cap.* XXVIII.) *abundaturum, si a duobus libertis* (Pallante & Narcisso) *in consortium reciperetur*. Interfectus dein veneno Pallas (*Tac. A.* XIV. *cap.* 65.) a Nerone creditur, quod immensam pecuniam longa senecta detineret.

LXXXVIII. Per idem tempus Agrippa, summum sacerdotium *Ismaeli* (*Jos.* A. J. *lib.* XX. *cap.* 6.) contulit, Phabei F. Et nequid usquam integrum superesset, nova iterum malorum seges orta est: dum Pontifices & Sacerdotes diffidere a se, atque in factiones dividi ceperunt. Etiam primos civium pestilens contagio afflavit. Inde jus vi obrutum, potentiorque habitus prior, & discordiæ civium antea conditionibus sanari solitæ, ferro dijudicabantur. Omnia erant præcipitia in Republica. Neque alia quam captæ urbis facies. Incedebant enim stipati ferocissimorum juvenum globo, rapinisque ac cædibus sæviebant. Postea id quoque accessit, ut crudelitati materiem avaritia præberet, & modus culpæ ex pecuniæ modo constitueretur, plurimumque haberet, qui plurimos interfecisset.

LXXXIX. Ultimum operum Felicis fuit, composita seditio, (*Jos. loc. cit. A. M.* 4007. *A. C.* 60. *Æn. D.* 58.) quæ Cæsareæ Stratonis, inter Judæos & Syros de pari civitatis jure extiterat. Siquidem Imp. Nerone III. M. Valerio Messala Coss. successorem accepit *Porcium Festum*. Comitati Felicem provincia excedentem, qui accusationes ordirentur, irritas tamen adversus tanta potentia subnixum. Pauli caussa hactenus pendens, *Festo* (*Act.* XXV.) quamprimum a delatoribus commissa. Sed hic quidem ad Cæsarem provocavit. Festus vero pacandæ provinciæ intentus, summam curam in extirpandis latronibus (*Jos. loc. cit. cap.* VII.) habuit, qui rupto veluti fœdere generis humani, arcta omnia atque infesta fecerant. Sumsit etiam de impostore quodam pœnas, qui male credulos in solitudinem attraxerat, aurea secula illis, atque incolumitatem eximiam, vana fiducia promittens. At Romæ vero summa eo tempore *Sabinæ Poppææ* (*Tac. A.* XIII. 45.) potentia. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honestum animum, sermo comis, nec absurdum ingenium, modestiam præferre, & lascivia uti. Qua morum congruentia adeo devinxerat Neronem, uti pro lubitu fata civium ac felicitates pellex dispensaret. Non iniqua illa Judæis erat. An quia fato quodam & sorte nascendi, principum inclinatio in hos, offensio in illos: aut quod utilitas inde ostenderetur; effusa in largitiones gente, queis gratiam Cæsaris ambiret. Aderat quoque *Aliturus* ignobilis Judæus, & de scena homo, quibus se abutendum regendumque ita permiserat Cæsar, ut non minus libidinibus ipsorum servire, quam suis flagitiis obsequia eorum accommodare videretur. Sane vehementer cives suos Agrippa rex offenderat, (*Jos. loc. cit. cap.* VIII.) cum ex palatii edita parte prospectaret identidem sacram templi sedem, cerneretque ex alto, quid illic intus fieret. Id enim flagitium ingens arbitrati Judæi, murum celsum extruxere, qui regem intueri non sineret, quæ in templo agebantur. Ac mox decem legati cum Ismaele Pontifice & Elcia sacri ęrarii Quęstore, missi Romam sunt, qui precibus a Nerone peterent, uti confirmaret, quod populum facere religio subegerat. Atque obtinuere etiam Judęi caussam, adjutoribus Poppęa Alituroque. Quare iratus Agrippa, Ismaelem Pontificatu movet, & *Josephum* Simonis F. substituit. Eoque iterum dejecto, *Ananus* Anani F. infulam adeptus est. Raro exemplo, alligatę intra unam familiam felicitatis. Namque Ananus ipse Pon-

Pontificatu functus, V. Filios pari fastigio vidit.

XC. Incidit inter hęc Festi Procuratoris mors, (*A. M.* 4011. *A. C.* 64. *Ær. D.* 62.) quem *Albinus* (*cap.* VIII.) jussu Cęsaris excepit. Nondum intraverat iste provinciam, igitur Pontifex utendum occasione ratus, concilium cogit, statutumque coram eo Jacobum fratrem Domini, (*Jos. loc. cit.*) pluresque alios capitis damnat. Nec multum dilata executio. Displicere id vehementer omnibus bonis. Quanquam enim isthac tempestate difficile esset bonum civem reperire, non tamen adeo virtutum sterile seculum fuit, ut non & honesta exempla prodiderit. Albino igitur atque Agrippæ temeritatem facti exposuere. Quorum hic III. mense post Ananum dignitate exuit. Saducæis iste addictus fuerat, unde puritatem Ecclesiæ, ac statum æstimare licet. Id enim ita est profecto, (*A. Buchn.*)

In populos manant exempla & facta potentum:
Atque unus quicquid peccaverit, inficit omnes.
Nec gravius vexat, quam qui de vertice morbus
Labitur, & tetra sævit per viscera peste.

Albinus vero, postquam ingressus Magistratum est, deformem provinciam latrociniis invenit. Jam prope in morem illa abierant, itaque secandum erat vulnus immedicabile, ne sinceræ quoque partes vitium traherent. Sed neque vitia sua, nec remedia, immanes animi pati poterant. Nam cum Deum hominesque testes ac vindices facinorum viderent, eo se perductos censuere, ut non liceret illis ad meliora regredi. Perseverabant itaque, & scelera sceleribus tuebantur. Infelicissimus autem est, cui jam malo esse necesse est. Non vagi posthac & palantes, aut quasi reveriti quicquam: sed manifesta audacia, & junctis copiis grassari, multum solicito Præside, quippe parum adversus insaniam vi armatam valituro.

XCI. A. M. 4012. P. C. N. 65. Æræ Dion. 63. Neronis 10. C. Memmio Regulo, & L. Virginio Rufo Coss. *Jesus* quidam *Anani* F. de plebe homo, (*Jos.* B. J. *lib.* VIII. *cap.* 12.) Hierosolymas ad Festum Tabernaculorum veniens, repente exclamare cepit: *Vox ab oriente, vox a quatuor ventis. Vox in Hierosolymam & Templum; vox in maritos novos, novasque nuptas: vox in omnem hunc populum.* Diri ominis instar illud habitum: itaque abripiunt miserum, & male multant. Ille vociferari eadem, nihil deprecans, neque ingemiscens. Postremo ad Præsidem deductus est. Sed neque ibi lachrymam ullam aut verbulum emittere. Id unum ad singulos ictus lamentabili voce dixit: *væ, væ Hierosolymis.* Quare Albinus hominem furere judicatum dimisit. Is vero per plures annos idem repetiit, non lassitudinem inde, aut raucorem vocis contrahens. Postremo arctissima obsidione, cum sæpe vetus væ ingeminasset, addidit denique, *Væ etiam mihi*, confestimque lapis tormento emissus eum peremit. *Egesipp.* lib. v. cap. 44.

XCII. Diu est, quod Pontificem novum desideravimus. Adest jam *Jesus* Gamalielis F. qui *Jesum* Damei F. onere isto levet. Sed nondum hic defatigatus fuerat. Nam ita est profecto, avide cupimus imperium, nec minus avare possidemus, iniquissime omnium ferimus ademtum. Quare non alia temere Pontificum permutatio majores turbas dedit, itumque in factiones est, prout quisque novitio sacerdoti, aut veteri, studia sua addixerat. *Ex hoc maxime tempore*, inquit Josephus, (A. J. *lib.* XX. *cap.* 8. *lib.* II. *cap.* 13.) *labare cœpit Respublica Judaica, & multiplice existente tunc dominatione, futuri excidii semina spargebantur.* Albinus vero deformi avaritia, nihil quicquam habebat turpe, quod esset quæstuosum. Per summum enim dedecus, pecunia licentiam vendere, ac pessimos quosque, dum scelera redimerent, præstare impunes, & nihil non agere denique, quo erumperet brevi post belli exitiabilis incendium. Adhuc tamen secura fati sui gens erat. Ideo templi venustatem serio curare, & nescio quæ de orientali porticu moliri pergunt. Ex queis postremum istud fieri Agrippa vetuit. Quare aliud ex eo opus, non minus vanum, occępere, dum saxo albo urbem isternunt, mox sanguine effuso conspurcandam. Successit Albino *Gessius Florus*, (*Jos.* A. J. *lib.* XX. *cap.* 9. B. J. *lib.* II. *cap.* 13. 14.) evectus in id fastigium uxoris ambitu. Nam Cleopatra per improbitatem suam in amicitiam Poppææ penetraverat, quæ validissima in animo Principis, quibus vellet, dignitatem conciliabat. Dixeris impotentiam Albini ludum jocumque fuisse, præ his calamitatibus, quas Florus attulit. Nam ille quidem occulte malus fuit, jussitque scelera, non spectavit. Præcipua sub Floro miseriarum pars erat, videre & aspici, cum sævus ille animus, capitibus & fortunis civium quasi illuderet, tam

tam manifeste impietatem prodens, ac si publicus nequitiæ Professor datus a Nerone esset. Atrox atque immitis, & tristi arrogantia, omnia acerbe exequi, veniam peccatis parvis commodare haud noverat, nisi si lucrum ostenderetur. Unde quantalibet pecuna, a Præside in omnem aviditatem prono, redimebatur mutua dissimulatio mali. Ne latronum quidem spolia fastidiebat, tum demum justa latrocinia professus, si & ipse in partem præmiorum venisset. Igitur desiderare vulgo Albinum, & nomen ejus nequicquam ciere. Postremo multi voluntarium sibi exilium indixerunt. Quanquam enim *Cestium Gallum* Syriæ Præsidem Hierosolymas advenientem, circumfusa ingens turba enixissime obtestaretur, uti ejiceret hanc pestem provinciæ *Gessium Florum*; frustra tamen id omne erat. Etenim Gallus, gnarus sub Nerone temporum, quibus iniquitas pro sanctitate fuit, *Gessium* in tribunali ostentavit, multum etiam irridentem Judæos, cum audiendis tot accusationibus sufficeret ferox rubor, a quo se contra pudorem muniebat. Nimirum hoc illud est. Subibat Præsidem, quantum periculi sibi b Sabina Poppæa immineret, si hominem ipsi amicum, severiori forte sententia notasset. Itaque compescere populum satis habuit, id tamen addens: effecturum sese, uti placidius in posterum Gessius Florus agat.

XCIII. Hactenus patientia Judæis duravit. Versa denique in furorem est, cum sæpius læderetur. Intra breve enim spacium belli initia exarsere. Quis caussam dederit, id Josephus palam, & nulla circuitione usus indicat, cum ista scribit: *Florus igitur fuit, qui nos contra Romanos bellum fecit assumere; melius judicans citius, quam paulatim, & per tempora nos perire.* Haud absurde enim reputabat secum: *pace permanente, habiturum se apud Cæsarem accusatores Judæos: verum si defectionem caussatus fuisset, majore utique malo peccatorum minorum invidiam a se averti.* Hunc illud notare lubet, quantus error commissus a Romanis sit, dum Judææ præficerent talem virum, quem neque militaris virtus bellicosæ genti reverendum, & vero intemperantia, crudelitas, libertati generosorum hominum intolerabilem facerent. Sæpe ita accidit; ut in provinciarum administratione Lollii (*Vellei. lib.* II. *cap.* 97.) obrepant, *Varique Quintilii* (*l. c.* III. 55.) aut *Flori*, quorum vecordia rebellioni & novis rebus caussam præbet. Nec vane apud *Dionem* (*lib.* LV. LVI.) Baro quidam bis Tiberio respondit: ὑμεῖς τούτων αἴτιοι ἐστέ. ἐπὶ γὰρ τὰς ἀγέλας ὑμῶν, φύλακας, οὐ κύνας, οὐδὲ νομέας, ἀλλὰ λύκους πέμπετε. *Vos Romani caussam rebellandi eo dedistis, quod ad custodiendos Greges vestros, non canes, non pastores, sed lupos mittitis.* Crebra per idem tempus prodigia (B. J. *lib.* VII. *cap.* 12. *Tac. H. V. cap.* 13.) commonere Judæos exitii poterant. Sed prævalebant jam fata consiliis, omnemque animorum aciem præstrinxerant. Visæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma, & subito nubium igne collucere templum. Expassæ repente delubri fores, & audita major humana vox, *Exeamus hinc.* Id quod non aliud significavit, quam delendam Rempublicam, adimendumque sceptrum, quod datum olim sacræ genti erat. Non diu enim postea ordines functionesque, & ritus atque leges pleræque cessavere, secutaque ingens confusio, vastitas atque distractio est. Percrebuerat tum Oriente toto vetus & constans opinio, *esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Josephus* (B. J. *lib.* VII. 12.) ista atque *Egesippus* (lib. V. cap. 44. I.) & *Tacitus* (*H. V. cap.* 13.) *Svetoniusque* (*Vesp. cap.* IV.) prodidere. Videnturque postremi isti, qui verbis iisdem hoc oraculum referunt, ipsa verba expressisse, quibus id conceptum, in quibus apparent vestigia veritatis, & ejus vaticinii, unde istud manavit. Scriptum enim in sacris literis, ἐκ σοῦ ἐξελεύσεται ὁ ἡγούμενος, Mich. V. 2. Itaque vulgus quidem, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Flavius, Svetoniusque & Tacitus *Vespasianum* ambagibus istis prædictum statuunt. At Egesippus vero non præter rem addidit: *Prudentiores id ad* Jesum Christum *retulisse, qui eorum in terris secundum carnem genitus ex Maria, regnum suum per universa terrarum spacia diffudit.* Hæc quidem insolita evenere. Non item illud, quod Agrippa dejecto Pontifice, novum aliquem *Matthiam* Theophili F. induxit. (*Jos.* A. J. *lib.* XX. *cap.* 8.)

XCIV. A. M. 4014. P. N. C. 67. Æræ Dion. 65. Neronis XII. Gessii Flori II. P. Silano Nerva, & J. Attico Vestino Coss. bellum Judaicum exortum est. Ordinem atrocissimæ calamitatis, qua nulla unquam gravior Judæis fuit, justis voluminibus Josephus, Egesippus, atque alii exposuere. Nunc summa deflenda est. Decreverat tantarum rerum cumulum diruere *Deus*, & quia vim suam ingruentem frangi non volebat, passus est temeritate paucorum quorundam ad defectio-

ctionem solicitari populum. Paruit ducibus suis imprudens multitudo, & reverentiam excussit Romani Principis. Ita cum caussa atque origo omnis furoris, apud auctores esset, pœna omnium fuit. Extat (*Jos. B. J. lib.* II. *cap.* 16.) severa & gravis Agrippæ regis oratio, qua inflectere contumaces, atque edocere voluit, nihil minus quam arma capienda. Scire se, maximam populi partem perniciosis consiliis intactam esse, paucorum libidinem, avaritiam, quibus perdita Republica opus sit, omnia miscere. Frustra Rectorum injurias, multo etiam ineptius libertatem nominari. Colendos officii illos, non exasperandos jurgiis esse, irritatos acrius sævire, inque omnes libidines effundi, quas male coercitas, qualiscunque pudor tardavisset. Æqualiter se in adversis gererent. Id enim non aliud esse, quam sævientem fortunam in adjutorium sui pudore victam convertere. At vero nemini injuriæ suæ leves videntur. Forte in majus illas ab impatientibus extendi. Et quanquam ingentes eæ sint, non exuendam ideo Cæsaris reverentiam, qui ignarus istarum rerum, & procul dissitus agat, tantum abest, uti approbet. Præsentem arrogantiam modestia successoris brevi emendari. Non ita facile bellum restingui, quod ubi semel exarserit, ruinam & cladem det, & vastitatem. Inæstimabile equidem bonum Libertatem esse, nunc intempestivum illius studium. Olim istam, olim cum Pompejus fatuo consilio invitaretur, deperditam. Nunc ubi semel jugum subierint, temere illud excuti. Defectionem tantum esse, quæ contumacem servum potius, quam amatorem libertatis arguat. Inirent vero miseri virium suarum rationem, nominarent exercitus, quos oppolituri Romanis essent, dicerent classes. Non cum Ægypto imbelli, aut sueto latrociniis Arabe ipsis rem fore. Cogitarent Græcos, qui Salamina atque Thermopylas, & Platæas, camposque Marathonios, & victum ab Alexandro M. Orientem, ingentia decora, numerare possent. Hos quidem prudentia, Gallos opibus, Germanos fortitudine clarissimos, ignavum hodie stipendium conferre. Magnam vero rem Judæos occipere, si Romanis obviam ire tentent. Romanis, qui reverentiam imperii sui ultra Garamantas & Indos protulerint, omniaque complexi late sint, quæ inter Euphraten atque Oceanum & Rhenum continentur. Quos ergo in societatem belli traherent? Orbem pene totum Romanum esse. Nisi si forte aliquis spes ultra Euphraten porrigat, & X. Israeliticas tribus, quas fluvius ille æterno carcere hactenus clausit, advocet. Non auxilio tali, neque istis defensoribus tempus egeret. Nec licere id etiam per Parthum, indubium tuendæ cum Romanis amicitiæ. Exitium quidem rebellibus Judæis certum, victis ne fugæ quidem futurum locum. Exasperatos victores, atque ideo immites, omnia immoderate acturos. Videre jam se emicans Hierosolymæ incendium, cladem & solitudinem regionis, ipsos servos. Ne exteros quidem Judæos calamitatis istius fore immunes. Id unum superesse denique, ut supplici gestu, atque animi emendatione vim Numinis ingruentem sistant ac frangant. Darent vectigal, quod detrectaverint hactenus, & restituerent porticus Antonianas, flammis infelicibus exustas. Ita sopiri defectionis caussam, amoveri ultionem posse. Varios animorum motus sermo iste excitavit. Namque haud vane ita Regem differere videbant: & difficile tamen obstinatis erat, uti de ferocia aliquid remitterent. Quare succlamatum a concione est: non se adversum Romanos bellum gerere. Florum peti. At vero non Flori istud, sed Cęsaris pręsidium esse: Cęsari, non Floro pecuniam redire, Agrippa opposuit. Igitur in ruborem versi, ruere omnes, & restaurare porticus, exigereque residuum tributorum. Quo impetu Agrippa utendum ratus, monere non destitit, uti quiete agerent, subjecti Floro, dum interea successor a Nerone mitteretur.

XCV. Hic vero erupit male cohibitus furor. Ingerunt contumelias, jaciunt saxa, certo exitii Agrippa, nisi cederet insanientium turbæ. Exhinc rabie quadam, & profunda confundendi omnia cupiditate, conclamatum iterum ad arma est. Massada castellum munitissimum, cæso Romanorum præsidio intercipitur. Quin ipsi adeo Sacerdotes, ne ignavi audirent, turbare quantum ex se erat, statum publicum nitebantur. Sancivere enim (*Jos. B. J. lib.* II. *cap.* 17.) *ut nullius nisi Judæorum hostiæ admitterentur, ne illæ quidem, quæ pro Cæsare & Romanis offerri solebant.* Temerarium id facinus optimo cuique videbatur. Non destiterunt igitur monere Agrippam ac Florum, uti mature opprimeret surgentem dissensionem, mox in apertam defectionem erupturam. Ac Florus quidem id neglexit, fovendæ seditioni, quam unice volebat. Quos vero Agrippa miserat M. equites, postquam per dies VII. cohibuissent vecordem turbam, cessere tandem, obruti numero, atque in regiam Herodis superiorem se recepere. Hasmonæorum palatium atque archivum, Ana-

Ananiæque Pontificis domus, incendio absumta. Dehinc Antoniam expugnavere, interfectoque præsidio, arx exusta. Ne a regia quidem abstinuerunt, quam ubi intrasset Manahem, Judæ Galilæi F. tyrannidem ibi occupavit. Hunc Manahemum postea in templo Numinis, atque inter religiones, Eleazarus Præfectus templi obtruncavit, & sanguine propinqui respersit aras. Romanos vero, qui capta regia, in turres Hippicon, Phasaelum & Mariamnen evaserant, obsessos, & tandem se dedentes, ipso Sabbathi die, contra fidem datam trucidavere. Eadem die Cæsaræ, auctore facinoris Floro, xx. Judæorum millia, a civibus gentilitatem professis, interemta sunt. Inde exarcebati Judæi, Syrorum vicos & civitates depopulari, eoque ansam dare, ut omnes undique Judæi per Syriam commorantes, opprimerentur. Soli ab hac clade Antiocheni, Apamenique ac Sidonii extitere immunes. Alexandriæ quoque orta seditione L. Judæorum millia occubuerunt.

XCVI. Dum hæc aguntur, *Cestius Gallus* (*Tac. H. V. cap.* 10. *Sveton. Vesp. cap.* IV.) cum ampliori exercitu Judæam invadit. Receptaque per Cæsennium Galilæa, ipse Hierosolymas tendit, Joppe ac Lydda in itinere incensis. Opposuere cives ad LX. stadium infestam aciem, decertatumque est ancipiti prælio, dum auctis in majus copiis, Judæi intra mœnia compellerentur. Capta eodem impetu urbs, qua declivis est. Neque editior pars ac Templum vim sustinuissent, si tantum in oppugnatione animi Cestio an perseverantiæ. Utique populus Romanis tum favebat, solis interea seditiosis repugnantibus. Ita Cestius quidem soluta obsidione Antipatridam progressus est. Quod victoriam interpretati Judæi, ferocius instant, adortique in via Præsidem, magna copiarum parte atque impedimentis exuunt, Tormenta ac machinæ Hierosolymas devectæ, Judæis deinde ad propulsandam obsidionem haud parum contulerunt. Male humanis ingeniis natura consuluit, quod plerumque non futura sed transacta perpendimus. Quo fit, ut dum ex præsenti felicitate etiam longinqua estimamus, facile in insolentiam ac temeritatem prolabamur. Non uno hoc prelio debellati Romani erant, quos neque Pyrrhi atque Annibales, Arminiique ac Telesini, aut Mithridates confecissent. At vero Judæi, per summam vecordiam, omnem imperii reverentiam excutere & magistratus novos, quosdam etiam militię duces ordinare. Urbis custodia (*Jos. B. J. lib.* II. *cap.* 28.) *Anano* Pontifici, & *Josepho* Gorionis F. commissa. *Josepho* Mathathię F. Galilęa obtigit, qui cum variis æmulis, ac pręcipue cum Johanne quodam, Levię F. conflictatus est: postremo omnes prudentia ac bonitate superavit.

XCVII. Injuria virtutum *Josephi* (*v. Vita Josephi.*) fuerit, nihil de isto viro dicere; quem ne qui intellexit quidem abunde miratus est. Patrem paulo ante nominavimus. Nativitas ejus in annum I. Caligulę incidit. Cumque esset ingenio agili atque exerto, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. IV. & X. anno, tantam sapientię opinionem consecutus est, uti Pontifices quoque cęterique legum sacrarum interpretes, de penitiori earumdem sensu Josephum consulerent. Sectas omnes se perambulasse, tentasseque singulas ait, uti quid in quaque probandum maxime esset, exquireret. Mox cum studio sapientię flagrantem animum coercere nondum posset, per totos III. annos apud Banum quendam se fuisse scribit, qui in deserto, corticibus arborum vestitus, cibos duntaxat sponte natos sumebat; corpusque nocte & die frigidis undis mergebat, quo vitam castius ageret. IX. & X. ętatis anno civilem vitam ingressus, totum se denique Reipublicę dedit. Et quod non minus in rebus gerendis promtus, quam excogitandis esset, factum est, ut brevi tempore illustraretur. Romam dehinc difficilima navigatione vectus, per modestiam industriamque mature innotuit, magnisque a Sabina Poppęa muneribus auctus, remeavit iterum in Judęam, tum maxime nutantem. Scilicet in tempora Reipublicę suę, omni perturbationis genere inquieta, vereque fatalia incidit. Bellum contumax & diuturnum, hostis pręvalidus, & ad extremum victor: nulla foris in amicis spes, nulla domi concordia. Hęc miseros Judęos in eum adduxerant statum, ut malis suis & malorum remediis juxta laborarent. Non retineri in fide, non flecti contumaces ad obsequium poterant. Quid ergo ageret Josephus? Eundum in partes erat, & temporis imperiosa vis obsequio potius, quam contumacia propitianda. Primoribus civium, quique civilium rerum administrationi se dederunt, eoque suas curas & officia semper retulere, non licet a gubernaculo navis jactatæ diffugere, & cum agitantur omnia, se ad quietem compressis manibus componere, quominus omni divina humanaque ope,

præcipue quidem in portum, aut si vi majore prohibeantur, in stationem non infidam enitantur navem Reipublicæ subducere. Quare Josephus quidem etiam perplexa temporum & motus rerum, mentem a fide civibus debita irretortam conservavit. Galilæamque decerni sibi passus est, cum quicquid tuendum non suscepisset, periturum videret. Nimirum ancipiti statu, & flagitiosa desidia, ambiguaque industria erat. Mori tamen honeste, quam desertor esse & proditor Patriæ elegit. Sed fortitudinem quidem ejus, Vespasiani historia sibi vendicat. Hoc unum hic addimus. *Antiquitates* gentis suæ commentatus feliciter est, quæ fax quædam sunt, totius sacræ ac profanæ historiæ. Prima illis fides post sacrorum voluminum scriptores debetur. Etiam nos multa exinde passim citavimus. Atque hic quoque libri ejus, quos de *Bello* Judaico perscripsit, viam nobis præeunt. Extat præterea Apologia Flavii contra Apionem, summa eruditione atque judicio suscepta.

XCVIII. Fervere (*Jos. B. J. lib.* II. *cap.* 28.) interim belli cura, agi delectus, perstrepere Urbs officinis armorum, advehi commeatus, eaque cuncta per idoneos ministros suis quæque locis festinabantur. Ipse *Ananus* P. M. multum dissimili studio adire, hortari; feroces laude, segnes, aut qui pacem mallent, per increpationes incitare. Quædam tamen haud absurbe egit. Erat Hierosolymis genus quoddam hominum, qui se *Zelotas* dixere, ob id maxime exitiabiles, quod speciosa perscriptione, spei suæ cupiditatibusque veificarentur. Totam prope Judæam turbaverant: nunc Urbi etiam graves, omnia sibi pietatis prætextu condonabant. Hos revocare ad sanam mentem Pontifex, & Simonem quoque Gioræ F. nobilem latronem compescere, agitavit; quanquam irrito successu. Itaque ad hos motus comprimendos, cum exercitu justo, & non instrenuo duce opus esset, *Vespasianus* (*Tac. H. V. cap.* 10. *Sveton. Vespas. cap.* IV. *Jos. B. J. lib.* III. *cap.* I. *A. M.* 4016. *P. N. C.* 69. *Ær. D.* 67.) potissimum a Nerone delectus est, ut & industriæ expertæ, nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis ac nominis. Additis ergo V. & X. legionibus, VIII. alis, cohortibus X. (LX. millium exercitus confectus ita est) atque inter legatos majore Filio assumto, ut primum provinciam attigit, Sephorim Romanis faventem recepit. Inde in Galilæam movit. Gadarensium Urbem primo impetu captam, incendit ac devastavit. Festinationem victoriarum ejus morata aliquandiu *Jotapata* est, quam munitam egregie (*Jos. B. J. lib.* III. *cap.* 7. *seq.*) *Josephus* insederat, virtute ac variis artibus obsidionem eludens. XL. demum die in potestatem hostium pervenit. Josephus evitata ægre suorum vecordia, ad Vespasianum perductus, omnes admiratione sui cepit. Inde captivitate miti habitus, aliquem etiam in amicitia Principis tenuit locum. Præsertim, ubi secreto ipsi Filioque *Tito* arbitrium Romani orbis (*Jos. loc. cit. cap.* 14. *Sveton. Vesp. cap.* V.) fuisset auguratus. Quæ tanto magis in animum Vespasiani penetravere, postquam cognovit, Josephum & captivitatem suam, atque ipsum prope exitii diem, Jotapatanis edixisse. At Vespasianus paucis diebus Exercitum, ad refovendas ex obsidione vires, moratus, Tiberiadem postea deditione: Taricheam, & Gamalam, montemque Itaburium vi capit. Giscala quoque, nudata præsidio, quod clam aufugerat, victorem excepit. Mox Jamnia atque Azotus pari felicitate devictæ.

XCIX. In hac rerum sursum ac deorsum euntium atrocitate, non defuere tamen decora ingenia, quæ fidem atque obsequium mallent. Nunquam sine flagitio illud exui, raro absque pœna. Fugaverint Cestium Gallum, instrenuum ducem. Quem Vespasiano opponerent? fortuna famaque, atque egregiis ministris prope invicto. Experiundo se didicisse, quanti constiterit infelix conatus. Campos sanie squalidos, plateas cadaveribus instratas, vastitatem ubique ac ruinam. Redimerent itaque quibuscunque obsequiis pacem, quæ numquam care ematur. Quæ vox pro Republ. honesta, ipsis anceps erat. Siquidem proditores libertatis audiebant, & quasi cum hoste fecissent necabantur. Etiam nobilissimi civium interemti. Quare cum obicem improbitati ponere plebs niteretur, Templum Zelotæ occupavere, jam metuendi omnibus situ loci. Dehinc in ludibria religionum versi, *Phanniæ* cuidam, rudi admodum & plebejo homini, Pontificalem infulam deferunt. Mox obsessi ab Anano, Idumæos evocant, fingentes caussam, quasi inserviendo libertati communi, ipsi interea affligerentur. Horum XX. millia, per noctem intromissa, stragem ingentem edunt. Ananus P. eque præcipuis XX. millia, & vulgus promiscuum sine numero cecidere. Postremo inter ipsos quoque orta dissensio est, cum Johannes quidam summam rei affectaret, cæteri vero, qui eum ante parem habuerant, nunc ferre superiorem abnuerent.

C. Ves-

C. Vespasianus interim Gadaram, & quæ trans amnem est regionem, ad lacum usque Asphaltitem, præter Machærunta castellum occupat. Cunctaque jam camporum, atque omnes, præter Hierosolymam, Urbes victore exercitu tenebat, cum motus a Vindice excitati perferuntur. Scilicet Imper. *Nero*, successu tot scelerum amens & præceps, cum pessimis quibusque facinoribus vellet ostendere, (*Sveton. Ner. cap.* XXXVII. *Boecl. dissert. in Ner.*) *quantum Principi liceret*, quod ignorasse cæteros propalam mirabatur, omnes odii publici contemtusque caussas, diu adversum se cumulaverat. Petitus quidem est aliquot conspirationibus. Sed sæviendi illa occasio fuit. Tandem exortus e Gallia Vindex, (*Sveton. Ner. cap.* XL.) ostendit potius, quam absolvit vindictam. Namque & *Galbæ* digniori cessit, & rebus non ex voto cedentibus mortem sponte sumsit. At vero Galbæ (*cap.* XLII.) audito nomine cui auctoritas & vires aderant, ne Senatus quidem dubitavit, quin hostem judicaret Neronem, & majorum more puniendum decerneret. Fugiens (*cap.* XLVII. *seq.*) itaque ex urbe Imperator, semet ictu gladii transfegit, adjuvante trepidantem manum Eunucho Sporo, cum prius nullo reperto exclamaret: *Itane nec inimicum habeo, nec amicum? Dedecorose vixi, turpius peream*. Ita quem paulo minus XIV. annos perpessus terrarum orbis, tandem destituit Atque una periodus Cæsarea finitur. Quam inchoavit *Julius* magna vi, *Augustus* singulari prudentia ordinavit; & sustentavit *Tiberius* calliditate multa: *Caligula* vero, atque *Claudius* & *Nero* variis probris ac flagitiis polluere vastaveruntque annis pene C. Dehinc evulgatum imperii arcanum est, posse Principem alibi quam Romæ fieri, cujus ingnoratio antea multorum improbas spes coercuerat. Ex illa igitur tempestate, cum jam milites intellexissent, principatum sui benificii, atque a se dari posse, sane sicut *Galbæ* (*v. Tac. lib. Hist. & Svet. Galb. Oth. Vit.*) nunc, ita mox *Othoni*, ac dehinc statim *Vitellio* summam rei detulere. Et Palatina Cæsarum domus, intra menses non totos x. Imperatores IV. excepit; quos *Apollonius Thyanæus*, *Thebanos Imperatores* vocavit, quod eorum, sicut & VII. Thebanorum Regum, & brevis fuerit dominatio, & cruentus exitus. *Plutarchus* haud multum dissimili ratione *Tragicos* appellavit. Postremo ingenti consensu nationum militumque, idoneus *Vespasianus* (*Sveton. Vespas.* V. & VI.) visus est, qui subveniret imperio, summaque rerum capesseret. Ipse cum talis esset, qualem Arruntium (*Tac. A.* I. *cap.* 13.) judicavit Augustus, *non indignum scilicet imperio, & si casus daretur, ausurum*: cautissima æstimatione, quicquid in utramque partem metus & spes subjicere potuit, pensabat. Donec tandem votis terrarum, vocibus militum, hortatibus amicorum se permisit. Præcipuo in ea re adjutore usus *Muciano*, de quo Tacitus. (*H.* II. *cap.* 5.) videatur.

CI. Hoc itaque illud est, quod *Cornelius* (*H.* V. *cap.* 10.) inquit: *Proximus annus civili bello intentus, quantum ad Judæos, per otium transiit. Pace per Italiam parta, & externæ curæ rediere. Angebat iras, quod soli Judæi non cessissent*. Equidem Vespasianus Romæ aberat, uti concussum undique ac turbatum imperii corpus, in meliorem statum & firmiorem disciplinam componeret. *Titus* tamen militiæ Judaicæ præfectus, cum summi id momenti consiliique videretur, ad omnes novi Principatus eventus & casus, manere apud exercitus Filium. Erat Titus quantæcunque fortunæ capax, & primis militiæ annis celebratus. Adhæc Roma ipsi, opesque & voluptates ante oculos: ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Quod enim *Pontius Telesinus* (*Vell. lib.* 2. *cap.* 27.) de *Roma* dixit, *nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi sylva, in quam refugere solerent, esset excisa*, idem de Urbe ista Judæisque Titus judicavit. Igitur castris prope muros positis, instructum Exercitum ostentavit. Judæi sub ipsa mœnia ordinavere aciem, secunda victoria longius ausuri, & si premerentur, parato perfugio. Pugna initio anceps, mox impulsi isti cessere quidem, at proximis tamen diebus crebra pro portis prælia serebant, donec continuis cladibus intra muros compingerentur. Romani inde ad oppugnandum versi. Sed urbem arduam situ, opera molesque firmaverant, queis vel plana satis munirentur. Namque a Pompejo expugnatis, metus atque usus pleraque monstraverant. Et per avaritiam Claudianorum temporum, emto jure muniendi, struxerant muros in pace, tanquam ad bellum. Templum ipsum in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios porticus, egregium propugnaculum. Fusius ista executus *Josephus* est, sexto ex illis libris, quos de Bello Judaico perscripsit. Nos illud unum h. l. addimus, obsidionem paulo ante azymorum festum ceptam. Confluxerat in urbem infinita, ex more, hominum turba. Id quod non temere profecto fa-

ctum,

ctum, *Flavius* (*B.J. lib. 7. cap.* 17.) quoque prodidit, dum ait: *τότε γεμὼν ὥσπερ εἰς εἱρκτὴν ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης πᾶν συνεκλείσθη τὸ ἔθνος, καὶ κενὴν ὁ πόλεμος τὴν πόλιν ἀνθρώπων ἐκυκλώσατο*. *Tacitus* (*H. V. cap.* 13.) IↃC. millia intra urbem conclusa dicit. Sed longe majorem numerum *Flavius* indicat. Ad minimum duodecies centena millia fuere, ut ex cæsis, mortuis, & captis patet. Existimaverant enim Vespasianum ac Titum, cum ad civilia arma divertissent, atque in firmando imperio occuparentur, dilaturos utique urbis oppugnationem, immensi laboris ac temporis sumtuumque opus. At vero oppressi celeritate ducis, intersepti que sunt, inæstimabili Urbis damno. Etenim promiscuum hoc atque imbelle vulgus, brevi arctissimam annonam fecit. Cujus jam antea ingens difficultas fuerat, ex quo per discordiam mutuam, ferro atque igni intus sævierant. Ambusta ibi magna frumenti vis, quæ in longinqua obsidionis suffecisset.

CII. Vasta itaque colluvies urbem inundabat. Quæ aucta deinceps cæterarum urbium clade, (nam pervicacissimus quisque eo confugerat) major jam quam ut temperari posset, neque habilis gubernaculo, eoque seditiosius agebat. Tres Duces (*Jos.* B. J. *lib.* VI. *cap.* I. *Tac. H. V. cap.* 12.) totidem Exercitus erant. Extrema & latissima mœnium *Simon* quidam, quem Hierosolymitani adversus Johannem accersiverant, tenebat. *Johannes* autem cum Zelotis templum, ac mediam urbem firmaverat. Quæ tamen factio iterum in diversas partes scindebatur. Namque *Eleazarus* indigne ferens, Johannem per artes atque audaciam ad se traxisse summam rei, quæ penes ipsum primum steterat: facta conjuratione Templum interius occupat; multitudine quidem atque armis Johanni impar, est superior situ loci. Sic prælia inter ipsos, dolus, atque incendia grassabantur. Haud ita multo post Johannes, missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manumque ejus obtruncarent, templo potitur. Ita in duas factiones civitas discessit. Johannem 8400. Simonem 10000. civium, atque Idumæorum 5000. stipabant. Donec propinquantibus Romanis, bellum externum concordiam pareret.

CIII. Primum omnium, quem ex Judæis Titus ceperat, in crucem agi pro muris jussit, uti eo spectaculo territi ad sanam mentem converterentur. Dehinc admoveri machinas præcipit, & V. non. Mai exteriorem murum expugnat. V. die post, altero quoque potitur. Cumque ex Judæis quotidie plus minus D. caperentur, omnes sub ipsis mœnibus oculisque urbis suffixi in crucem sunt, brevi uti spacium crucibus deesset, & corporibus cruces. Et vero inter istos superfuisse quosdam, qui ingeminaverant vocem feralem (*Matth.* XXVII. 2. 2.) *Crucifige*, aut certe liberos eorum, quis ambigat? Judæi interim interiora tuendo, minorem indies urbem faciunt. Simul crescit inopia omnium longa obsidione. Maxime postquam Titus, uti omnem penitus viam intercluderet, muro urbem cinxisset. Incredibili celeritate extructus iste est. Quod admiratus *Flavius*, (*B J. lib.* VI. *cap.* 13.) ita scribit: *Murus quidem uno minus* XL. *stadiorum erat. Ad hoc autem foris castella* XIII. *ædificata sunt. Eorum gyrus denis stadiis numerabatur. Totum autem opus triduo constructum est, ut tamen dignum mensibus videretur, celeritas vero fide careret*. Postremo ad ultimum inopiæ (*loc. cit. cap.* 14.) adducti sunt, ut lora, detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur. Nec muribus aliove animali abstinebant. Atque omne herbarum radicumve genus aggeribus infimi muri erutum. Etiam purgamenta, atque quisquilias conquirebant, *πάντα δὲ ὑπ᾽ ὀδόντας ἦγεν ἡ ἀνάγκη, καὶ τὰ ῥυπαρώτατα τῶν ἀλόγων ζώων*, Flavius auctor est. Novissime humanas carnes, (*l.* VII. *c.* 7.) in cibum assumere, Mariam quandam Eleazari filiam, longi jejunii imperiosa necessitas jussit. Obstupuere omnes ad immane facinus, cum mulier nobilis filium ab ubere suo raptum, occisumque, assaret igni, quo solaretur rabidam famen infelicissimis epulis. *δοκοῦσι δ᾽ ἄν μοι, μὴ φθασθέντες ὑπὸ τῆς ἁλώσεως, δι᾽ ὑπερβολὴν ὠμότητος γεύσασθαι καὶ τῶν νεκρῶν*. Facturos idem & cæteros fuisse dicit, nisi excidio præventi essent, *loc. cit. cap.* XIV. A XIV. mensis Apr. qua cepit obsidio, usque ad Cal. Jul. per unam portam 1115800. cadaverum (*lib.* VI. *cap.* 16.) publico sumtu elata sunt, multa propinqui humavere. Id Præfectus Portæ *Mannæus*, cum transfugisset, Tito retulit. Postea ex aliis indicibus compertum est, DC. millia funerum evecta extra urbem, & præcipitata fuisse in subjectas valles. Ac tandem, cum efferendis pauperibus sufficere amplius haud possent, congessere cadavera in vacuas possessoribus domos, foribus ædium occlusis. Jamque undique tristis sanies tabefactis corporibus defluebat. Quam ubi vidit Titus, ingemuit, testatusque protensis manibus Deum est, *factum istud suum non esse*. Et sane non erat illi

li viro animus ferox, insatiabile gentium malum. Deliciæ enim, amorque non Romanorum modo, sed humani generis dictus habitusque est. Verum quid ageret? Reipublicæ causa adhibenda severitas erat, & crudelem medicum, intemperans æger fecit. Cum munus misericordiæ corrumperet pertinacia; & quanquam infracti jam ac prope subversi, reluctarentur tamen, tanta vecordia, ut nisi perirent, injuriam arbitrarentur.

CIV. Qui vero inter hæc perfugio sibi consuluerant, prope omnes interemti. Id ita accidit, Judæus quidam (*Jos. loc. cit. cap.* XV.) ex purgamentis alvi aureos colligebat, quos deglutiverat ante, cum fugam adornaret. Supervenit forte *Assyrius* miles, atque ab uno deinde in omnes opinio manavit, Judæos refertos intus auro esse. *Hoc genus hominum*, inquit Egesippus, (*lib.* V. *cap.* 24.) *præceps ad avaritiam & paratum ad versutiam habetur; uti nihil tam atrox sit, quod refugiat, nihil tam turpe, quod erubescat pecuniæ studio.* A Syris in *Arabas* diffusa fama est, *quos non avaros minus & crudeles*, idem auctor arguit. Diripiunt itaque obvios, contra jura ac leges deditionis, atque interpositam Cæsaris fidem: inciduntque viventes adhuc, & ventris secreta cruentis manibus eviscerat, tanta immanitate, ut existimet Flavius, *nullam Judæis sæviorem cladem accidisse*. Una enim nocte duo millia dissecta sunt multum irato Cæsare, qui circumfuso Equitatu confecisset nefarios, nisi plures longe puniendos, quam qui fuerant interfecti, videret. Cavit tamen imposterum securitati Judæorum, si qui forte perfugio clementiam suam præveniret. *Deus autem*, inquit Flavius, (*loc. cit.*) *damnaverat populum, & omnem viam salutis ad interitum verterat. Quod enim statutis pœnis interdixerat Cæsar, occulte in profugos admittebatur.*

CV. Ita acerbæ foris pœnæ, intus tamen gravior Johannes ac Simon, omnia sæve atque crudeliter administrabant. Ne a Templo (*loc. cit. cap.* XVI.) quidem manum Johannes abstinuit, postquam nullæ amplius ex populo prædæ agi possent. Cur enim non uterentur divinis rebus, qui pro Deo, proque templo depugnent? Utique nullas leges positas esse necessitati, quæ semper magnum humanæ imbecillitatis patrocinium fuerit, & quicquid coegit, defendat. Hæc quidem cupiditatibus suis, quæ sine modo erant, prætexuit. At Josephus vero per indignationem: *Non recusabo*, inquit, *dicere quæ dolor jubet. Puto si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodomæ incendia passuram*. Non mitigari illorum ferocia; non flecti ad deditionem poterant, quamvis præteritorum veniam, æquissimasque pacis conditiones Titus ipsis per nobilissimos transfugarunt, atque inprimis Flavium Josephum ultro deferret, ac rogaret etiam, ut si omnino exitii certi sint, Templum saltem, cui extrema jam immineant, eriperent. Exasperatos enim hac contumacia milites non posse ultra coerceri. Sed iis, quibus & pessima, & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Itaque fastidire clementiam Imperatoris & proturbare monentes recta. Parumque abfuit, quin Fl. Josephus, (VI. *c.* 15.) dum internuncium agit, ictu lapidis occumberet. Titus itaque Deum atque homines contestatus, se ad Urbis Templique exitium miserrima necessitudine compelli, validius Antoniam quatit, eamque XXIV. Jul. expugnat. Postquam diebus VII. ante, *juge* in Templo *sacrificium* cessasset. Nam qui curaret illud, nemo ultra aderat. Dehinc porticus omnes, partim ab hoste, quædam a Judæis exustæ. Titusque ad oppugnationem Templi (*lib.* VII. *cap.* 9. 10.) versus, arietes admovet, agit cuniculos, quanquam irrito labore, cum fortitudo muri impetum omnem frustraretur. Quare quod distulerat, loci reverentia motus, tandem urgente necessitate, ignem in interiora quoque injicit, atque iterum tamen nobilissimo operi parcens, flammam restingui jubet. Nimirum id agitabat Titus, uti ne deleretur ædes sacra, quę servata modestiæ Romanę testimonium, durata perennem crudelitatis notam pręberet. At contra alii evertendum templum imprimis censebant. *Nunquam enim Judæos a novis rebus posse desistere, templo manente, quo omnes, ubicunque essent colligerentur.* Perstitit tamen in sententia sua Titus, neque se unquam tantum opus incensurum dixit. *Jam enim Romanorum fore hoc damnum, sicut ornamentum quoque fore imperii, si maneret*, apud Flavium loc. cit. Erat enim hęc domus inter orbis miracula. Neque fuit tam seposita aut barbara gens, ex qua spectator in Syriam non veniret. Inprimis postquam Herodes opibus atque omni rerum copia affluens, illam ad invidiam ornasset, nihil ut jam inimici in ea, nisi pulcritudinem culparent. Sed enimvero inevitabilis fati vis, quicquid destinavit exequitur. Neque Flavius, etiam majus arbitrium inficiatus

tus est, cum scribit: *Militem quemdam non expectato cujusquam edicto, neque tantum facinus veritum, sed* δαιμονίῳ ὁρμῇ h. e. Divino quodam motum impetu *Templum succendisse*. Silicet gregarius aliquis miles, *semjustam nactus materiam, quæ de fastigio deciderat, adulto igne portæ admovit, quæ aurea nuncupabatur, quod auro vestitas haberet valvas. Liquefactus illico flammis auri rigor lignum nudavit, quod velut intecto latere patuit incendio. Exustis itaque foribus, intimos etiam templi recessus ignis penetravit. Id ubi comperisset Titus, illico advolat, & quanta poterat voce restingui flammam jubet. Sed neque per tumultum audiendi facultas erat, neque parcendi voluntas, cum Romani milites vindictæ studio ferverent, notaque pietas Cæsaris inobedientiæ metum suis demeret: nulli ex suis quicquam fraudi futurum, cum etiam hostibus ignosceretur. Nutu tamen & manu Titus revocabat, quos poterat, mandabatque aliquibus, ut impetum militum inhiberent*. Verba *Egesippi*. (*lib.* v. *cap.* 42. 43.) Postremo spectator tantum adfuit.

CVI. Res admiranda est, & singularis quędam divini judicii nota id, quod Josephus observavit, in eundem mensem & diem incidisse incendium Templi, quo Nabuchodonosor (I. *Par.* XXXVI. 19.) quondam illud deleverat. Xmum scilicet Augusti, qui in feriam septimam tum incidit: sicuti id & veteres, atque ex recentioribus *Scaliger*, *Petavius* &c. docent. Nec sine caussa voluit Deus ipso Sabbato Judaico Hierosolymam cum Templo funditus exscindere. Quo ipso satis indicatum, Deum sabbata illa Judaica, una cum Templo & ceremoniis aliis sublata voluisse. *Spanhem*. Illud hic præterea R. *Jose* (*ex Sed. Ol. cit. Cun. loc. cit. lib.* 2. *cap.* 15.) annotavit: *Quemadmodum meriti remuneratio, etiam post longum tempus, recidit ac revolvitur in eundem diem, ita & peccati*. Judæi vero ancipiti periculo premebantur, cum intus quidem flamma, foris hostis, arcta omnia atque infesta facerent. Effusi per circuitum milites, ut in quemque inciderant, sine ullo sexus, ætatis, ordinis discrimine contrucidabant. Undique armorum sonitus, undique cadentium tectorum fragor audiebantur. Omnia ejulatibus, lamentis, & morientium gemitibus personabant. Nondum tamen Judæi perfidiam exuere. Caussam contumaciæ tunc quidem impostor aliquis (*Jos. B. J. lib.* VII. *cap.* 11. *Eges. lib.* v. *cap.* 43.) dederat; qui vatem se professus, vocabat in partes populum, subinde ingeminans: *Templo divina præsidia non defutura, adhuc in Templo suo Deum manere, illico hunc hostium cuneos, & flammarum incendia amotorum*. Ferro itaque ac flamma promiscue hauriebantur, tam tristi rerum facie, uti miseratus eam hostis quoque sit. Etenim Titum, cum eversa omnia dirutaque cerneret, Flavius ingemuisse cum dolore ait, & defectionis succensuisse auctoribus, quorum execrando scelere acceleratum urbis fatum erat. Nam illum non nisi invitum, tam aspero remedio admovisse manum. Et sane quis potuit esse desperatior morbus, quam cum ipsi quoque sacerdotes, inter cineres Templi, arreptis verubus sedilibusque depugnarent, (*Jos. loc. cit. c.* 13.) spemque aliquam quærerent desperatione. Novissime pulsi loco, in parietem quendam se recepere. Unde v. die subacti fame prodeunt, & pacem petunt, neque impetrant, cum diceret Titus, *nullum amplius everso templo illorum usum*.

CVII. Hic finis Templi, quod per XLVI. annos (*Joh.* II. 20.) vix extruxerant reversi exules: denique quod refecerat eximie ornaveratque Herodes M. uti id a nobis dictum supra est. Verissimus vates apud Divum *Matthæum* (*c.* XXIV. 2.) Messias est, cum ita infit: οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ μὴ καταλυθήσεται. *Non relinquitur hic lapis super lapidem, qui non dissolvatur*. Inter summam magnificentiam & deformes reliquias momentum intercessit. Ita vertuntur subito cuncta. Ita arbores magnæ diu crescunt, una hora extirpantur. *Flauvius*, (*loc. cit. cap.* x.) hic ex *fato* solatium capit, *quod ut animalibus, ita operibus locisque sit ineluctabile*. Et vero quis ignorat, sicuti homines, ita imperia operaque nasci & crescere, decrescereque ac tandem mori. Scipio Æmilianus, quo nemo quisquam ullius gentis hominum ante eum, clariore urbium excidio nomen suum perpetuæ commendavit memoriæ, deletam a se Carthaginem aspexisse, & fortunam tum hujus urbis, tum Ilii atque Assyriorum, Medorumque & Persarum fata, cum hominum fatis comparasse legitur. ἐπὶ πολὺ δ' ἔννους ἐφ' ἑαυτοῦ γενόμενός τε, καὶ συνιδὼν ὅτι καὶ πόλεις καὶ ἔθνη καὶ ἀρχὰς ἁπάσας δεῖ μεταβαλεῖν, ὥσπερ ἀνθρώπους δαίμονα: *diu multumque cogitans, considerabat civitates, gentesque & imperia mutationibus obnoxia esse omnia, haud secus, quam fortunas hominum*. Appian. in Punic. Certis enim eunt cuncta temporibur. Nasci debent, crescere, extingui. Omnesque quæ usquam rerum potiuntur urbes, quæque alienorum imperiorum magna sunt

ſunt decora, ubi fuerunt, aliquando quæretur, & vario exitii genere tollentur. Nos quidem præterimus iſta. Id unum addimus, quod de tempore idem auctor annotavit. Nimirum a prima ſtructione Templi, quam Salomo inchoaverat, uſque ad hoc excidium, quod anno II. Veſpaſiani evenit, M.CXXX. VII. M. & dies XV. colligit. A poſteriori vero, quam II. anno Cyri Aggæus orſus ſit, uſque huc DCXXXIX. annos, & XLV. dies numerat. Quanquam altera illa ſupputatio non ſatis ſe probet viris ſummis. Qui iſtam Aggæi concionem, Templique exordia, potius in annum II. Darii Nothi rejiciunt, hic vero alligatur A. M. 3428. A. C. N. 420. quibus 70. annos ſi addas, CCCCXC. tantum emergunt. v. *Calviſ. op. Chron. ad hunc ann.* Expectant adhuc Judæi (*Cun. loc. cit. lib.* II. *cap.* 15.) tertium Templum, ajuntque tribus Patriarchis, Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, ſuam cuique deberi ædem. Id erutum ab illis ex ſacri codicis quibuſdam locis eſt, quæ non intellexere. Ita ſe miſeri ſua ſpe ſolantur, & cum Sabinis ſomniant quod volunt. Nos quid egerit deinceps Cæſar reviſimus.

CVIII. Poſtquam dirutum Templum, flammiſque exuſtum eſſet, Titus in Orientali ejus porta ſigna figit, peragitque ſolemne ſacrificium atque ingenti applauſu *Imperator* (*Joſ. loc. cit. cap.* XIII. *Svetos. Tit. cap.* V.) a legionibus ſalutatur, priſco erga duces honore, (*Tac. A.* III. *cap.* 74.) qui bene geſta Republica, gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur. Adeo vero locupletati præda milites ſunt, uti in Syria dimidio quam pridem fuerat pretio, pondus auri veniret. *Simon* autem & *Johannes*, (*Joſ. loc. cit.*) (ſuperiorem nunc Urbem iſti occupaverant) cum ſe teneri undique premi, poſtremo vinci quoque viderent, colloquium Titi expoſcunt. Ne tunc quidem illud mitiſſimus Imperatorum abnuit. Extatque apud Flavium ſevera ejus & gravis oratio, qua perfidiam illis & contumaciam exprobrat, quod ultra modum vecordes, & neque viribus ſatis, neque auxiliis inſtructi, vim tamen potius Romanam atque arma, quam manſuetudinem experiri ſtatuiſſent. Eſſe equidem illos jam in eum ſtatum adductos, ut vitam mortemve eorum, ira aut venia temperare poſſit: ſtatuam tamen, inquit, Judæos æternum clementiæ Romanæ exemplar. Et vitam vobis indulgeo, ſiquidem poſitis armis vos arbitrio meo permittitis. Reſpondent obſeſſi: fidem quidem ſe ab eo minime poſſe accipere, cum juraverint, nunquam id ſe facturos. Exeundi vero per munitiones, queis murum ſepſerat, cum conjugibus ac liberis facultatem petebant. Ituros ſe in ſolitudinem, ipſiſque oppidum relicturos. Ad quæ per indignationem Titus: non eo loci res Judæorum agi, ut conditiones victoribus præſcribant. Sed vitam ipſorum in extremum deductam, conceſſam tamen per clementiam, ſummi inſtar beneficii habendam. Quare dehinc mitia reſponſa haud ſperarent, clauſam benignitem. Orantibus veniam, vel excuſare ſe conantibus, una voce occurſurum, moriendum eſſe. Omnes proinde vires ſuas advocarent, & quantum poſſent, ſaluti ſuæ conſulerent, jam enim ſe omnia belli jure acturum. Itaque permiſſum militibus, uti omnem urbem quæ in poteſtate eorum eſſet, exurerent. Spectavere id incendium Judæi, alienatis ab omni ſenſu animis. Nunc enim contrucidato populo, incenſo templo, fumante urbe, ſecurius ſe interituros. Quippe ita ſe mores habent, ut publica quiſque ruina malit occidere, quam ſua proteri, atque idem paſſurus, minus conſpici.

CIX. Reſtabat igitur, uti hoc quoque gradu hoſtes dejicerentur. Sed locus undique præruptus moram offerebat. Vaſtæ in circuitu voragines, quæ jactis molibus explendæ, grandi atque ambigu labore, cum ad centeſimum ſtadium exciſa materies, in priorum operum ſtructuram ceſſiſſet. Incredibili tamen militum ſtudio, intra XVIII. dies aggeres perfecti. Cum inter hæc ingens hominum turba, eluſis cuſtodibus ad Titum profugeret. Multum ille, de prioris ſeveritate edicti remiſerat, ac milites quoque expleverant vindictam, cędium aſſiduitate. Denique VII. Sept. die (*Joſ. loc. cit. cap.* XVI.) machinę admotę, perfractoque muro, & diffugientibus prę metu ac conſternatione Tyrannis, Romani VIII. ejuſdem menſis luce, irrupere. Sane jactaverant (*Joſ. B. J. lib.* IV. *cap.* 5.) quondam Johannes & Simon, *non, ſi volaret Titus, Hieroſolymas expugnari poſſe*. Nunc illi ipſi ad conſpectum Romanorum territi, non ſtare loco, non arma contra ferre auſi, facilem hoſtibus victoriam fecere. Subitus enim terror omnes occupaverat. Et cuncta metu extollebantur, facili credulitate eorum, qui eadem pavebant. Ne ad fugiendum quidem ſatis animi, aut virium illis erat. *Unde quam maxime*, inquit Flavius, (*loc. cit. cap.* XVI.) *virtutem* Dei *contra injuſtos, & Romanorum virtutem quis perſpexerit. Tyranni ſiquidem*

dem semetipsos tuitione privavere, cum sponte de turribus descenderent, quæ haudquaquam per vim, sola vero fame domari possent. Romani vero qui tantum circa muros infirmiores laboraverant, eos quos machinis non potuissent, nunc fortuna cepere. Quare *expulsos Judæos* Dei *nutu* scribit. Recollegere quidem vires, adortique hostem sunt, sed vano impetu, nec fiducia pari, jam enim spes quoque eos defecerat. Vix fidem Romanis faciebat tam facilis successus. Namque insidias forte, aut residuum aliquid munimentorum suspicati, postremo cum nihil appareret, admirabantur. Titus ipse, postquam præruptas cautes, & prope invictum robur turrium lustraret. Deo *plane adjuvante pugnavimus*, & Deus *erat*, inquit, (*loc. cit.*) *qui Judæos ab istis munitionibus detraxit. Nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ adversus istas valerent?* Raro modestiæ exemplo, idque ex domo principis, quorum perpetuum fere malum est, fiducia sui. Sane arrogantem arguebat animum, cum *Ajax Telamonius*, se vel *invitis Diis victorem fore* diceret. Nimirum rudis pietatis, & robore corporis stolide ferox, omnia sibi imputabat, tanto calamitosius miser, cum ab Ulysse postea judicio caussæ victus, sua ipsius dextera cecidit. Sed enim vero constringebat Titum manifesta rerum fides. Igitur haud inique fassus est, (*Philostr. l.* VI.) Deum *talium auctorem operum, se vero* Deo, *iracundiam contra Judæos demonstranti, manus suas præbuisse*. Unde coronam quidem, quam finitimæ provinciæ victoriam gratulantes ipsi obtulerant, (*Jos. loc. cit. cap.* 13.) repudiavit. Supersunt tamen quædam Titi numismata (*Baron. Ann. Eccl. ad A. C.* 73. *n.* 1.) trophæo & quadriga triumphali, assidentibus duobus captivis insignita. Ut etiam quæ Vespasiani effigiem cum inscriptione nominis ex uno latere, ex altero mulierem in mærorem compositam, & vel ad trophæum, vel sub palma (quæ provinciæ Judææ hieroglyphicum fuit) considentem; atque hunc titulum, *Judæa capta*, præferunt.

CX. Urbem deinde totam & templum funditus everti (*Jos. loc. cit. cap.* XVI. *&* XVIII.) & complanari, eique de more aratrum induci Titus jussit. Si tamen occidentalem muri partem, & turres tres, Hippicon, Phasælum & Mariamnen, excipias. Has enim ob elegantiam & fortitudinem insignem, documentum esse posteris voluit magnificentiæ Hierosolymorum. Etiam *Fortunam* Cæsaris testari debebant, *qua commilitante*, inquit Flavius, *ista superasset*, quæ vim eludere omnem videbantur. Multum iterum deflexit Titus; nisi formulam istam commoda interpretatione juves. Sed quorsum id? cum male sensisse Cæsarem non ignoremus. Nimirum errorem istum ex infausta gentilium Theologia traxit, qui fortunam mentem quadam (*Nat. Com. Myth. lib.* IV. *cap.* 9.) putavere, in terras ablegatam, quæ pro lubitu omnia verset ac volvat. Sedere illam gentium Dominam sublimi nixam solio, & fata mortalium dispensare, qualemque quisque sortem ac statum habeat, illius jurisdictionem esse. Hinc illam nationem funditus exscindi, hanc transportari, libertatem aliis dari, aliis eripi, surgere illic urbes, hic ruere, & momento redigi in cinerem, quod longa constituerat ætas.

CXI. Ita concidit Urbs, pulcherrima omnium orientis, & præcipua sanctitate. Etsi enim omnibus locis adest Deus, mortaliumque audire vota ubique potest: tamen edicto legis Mosaicæ, *Deut.* XII. II. I. *Reg.* VIII. 19.) ceremoniarum sacrorumque custos, urbs una quędam esse debuit, cęteris omnibus dignior augustiorque ad quam omnes undique ter quotannis ad religionum solemnia convenirent. Hierosolymę datum hoc decus est. Ibi Templum atque altare, & arca cum insignibus sacri fœderis erat: ad hoc alia multa, quę adjiciebant aliquid receptę religioni. Sed pręstantia quidem Urbis in aperto est. Jam ad alia divertamus. Conditam primum a Melchisedecho, & *Salem* appellatam, Josephus (*loc. cit. cap.* XVIII.) prodidit. Dehinc Cananęi eam tenuere. Usque dum fortissimus Imperatorum David, pulsis veteribus colonis Jebusęis, (I. *Par.* XII. 4. *seq.*) illam *Jerusalem*, (quasi Jebusalem) dixit, sedemque regni atque religionum constituit. Et pergit Flavius: (*A. J. lib.* I. *cap.* XII.) τὴν μέν τοι σόλυμα, ὕστερον ἐκάλεσαν ἱεροσόλυμα. Nugas agit *Lysimachus* apud Josephum, (*lib.* I. *adv. Apion.*) cum *Judæos* ait *Ægypto expulsos, postquam ductu Mosis in itinere vexassent homines, compilassent templa, tandem in Judæa consedisse, urbique conditæ nomen ex re dedisse* ἱερόσυλα, *quasi a fanis spoliatis: postea probrosum nomen aliqua immutatione lenivisse; urbem Hierosolyma, se Hierosolymos dixisse*. Sed apte in hos originum auctores trahi potest, quod Josephus addidit: ὁ δὲ γενναῖος ὑπὸ πολλῆς τοῦ λοιδορεῖν ἀρκασίας οὐ συνῆκεν, ὅτι ἱεροσυλεῖν οὐ κατὰ τὴν αὐτὴν φωνὴν Ἰουδαῖοι τοῖς ἕλλησιν ὀνομάζομεν. *Generosus ille vir præ nimia criminandi intemperantia, non intellexit, quod* ἱεροσολεῖν, *adeoque Hierosolyma, quod inde deducit, non eadem lingua*

gua & significatione Judæi efferamus, qua Græci. Fuit vero ab omni ęvo magnis quassata tempestatibus ista Urbs. Et jam ante quidem in potestatem hostium *quinquies* pervenerat. Primus eam *Susacus Ægyptius* (1. *Reg.* XIV. 25.) expilavit, postquam gentis Hebręę unitas, & pulcherrimi imperii contextus, *Hieroboami* (1. *Reg.* XII. 16. 20.) artibus in duas partes dissiluit. Nam quod Herodotus factum id a Sesostri esse prodidit, error nominis est; uti recte Flavius judicavit. Etiam *Antiochus* (1. *Macc. c.* 1. 30. *seq.*) illam ac dein *Pompejus* M. (§. 12.) & cum *Herode Sosius* (*ibid.*) expugnavere. Sed nihil tamen pręcipue atrox passa ibi est. Ea autem tempestate, qua Sedecias illi imperitabat, *Nabuchodonosor* (1. *Par.* XXXVI. 19. 55.) cum ingenti exercitu eadem domuit, ac solo ęquavit. Sed restaurata iterum est, (*Esr.* 1.) postquam exacto exilio sedibus suis Judęi redderentur. Sexta hęc captivitas cęteras omnes acerbitate superavit. Titus enim, (quem Talmudici κατ' ἐξοχὴν *impium* appellant) evulsam quasi sedibus suis funditus sustulit. Plane uti quod de *Samnitibus* Florus (*lib.* 1. *cap.* 16.) scripsit, *illos quinquaginta annis, per Fabios ac Papyrios patres, eorumque liberos, ita subactos ac domitos, ita ruinas ipsas urbium dirutas, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorum:* idem & de Hierosolymis existimandum sit.

CXII. Per omne tempus obsidionis, *undecies centena millia*, fame aut gladio, aut rursum peste perierunt. Id *Flavio* (*B. J. lib.* VII. *cap.* XVII.) asserenti magis quam *Tacito* (*Hist.* V. *cap.* 13.) *Orosioque* (*lib.* VII. *cap.* 9.) credimus, qui DC. tantum millia interiisse scribunt. Capta vero XC. & VII. M. Unde vastum Urbis istius ambitum colligimus. Et ne quis fidem Flavii in dubium vocet, ipse satis cavit, dum ex victimarum numero, quæ solenni festo Paschatis cædebantur, hominum rationem initam non multo ante a Cestio scripsit. (*loc. cit. cap.* XVII.) Idque uti significaret Præses, vires gentis admodum a Nerone despectæ. Notat itaque Josephus, una die Paschatis, ducenties quinquagies sexies millena, & D. animalia immolata esse. Ad minimum vero X. convenire, qui unum agnum absumant. Inde vicies centena ac septingenta millia confici. Porro non nisi puris (*Num.* IX. 6. *seq.*) licebat sanctis epulis vesci. Quantum ergo ex omni sexu numerum superfuisse existimandum est. *Simon* vero & *Johannes* (*Jos. loc. cit. cap.* XVIII.) irrumpentes Romanos evaserant. Digniores nempe qui arbitrio victorum morerentur, quam iracundia militum. Abstrusos in cloacis fames exegerat, ut fidem Romanorum spretam toties ac proculcatam, nunc pacisceretur Johannes; at Simon vero, tentato nequicquam per ludibria quædam effugio, postremo victoribus sese permitteret. Uterque triumpho asservabatur. Etiam procerissimi quique Judæorum lecti sepositique ad pompam. Ac Johannes quidem postea perpetuis vinculis damnatus est. Simon, quod acerbissimarum rerum auctor, & tardior aliquanto in occupanda Cæsaris gratia, laqueo periit. Captivorum (*Mott. H. E. p.* 1. *lib.* 1. *s.* 1.) eo tempore tanta fuit vilitas, ut a Romanis XXX. uno numismate venderentur. Haud multo post, cum Titus natalem Domitiani fratris Cæsareæ celebraret, numerus Judæorum, qui cum bestiis aut inter se depugnavere, quique ignibus cremati sunt, 2500. excessit. Nec pauciores deinde Beryti, cum Patris natalem ageret, periere. (*Jos. loc. cit. cap.* XX.)

CXIII. Ita rebus gestis *Titus* (*Jos. loc. cit. cap.* XX.) classico ad concionem convocat, exorsusque exercitus sui laudes, alacritatem ac fortitudinem militum, constantiamque, tum pertinaciam atque atrocitatem hostium, arduaque munimentorum, extollit ac prædicat. Dehinc militaria dona, hastas coronasque, atque armillas & torques, multamque vestem, prout cujusque opera in bello enituisset, distribuit. Quæ res ipsi ingentem Exercitus benevolentiam conciliavit. Jam ante enim militia clarus, magna vi famaque agebat, (*Tac. H.* V. *cap.* 1.) certantibus provinciarum atque exercituum studiis. *Atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promtumque in armis ostendebat, comitate atque alloquiis officia provocans: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore.* Neque enim illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem diminuit. Quod consummati decoris elogium, Tacitus *Agricolæ*, (*Svet. Tit. cap.* VIII.) Plinius (*Agr. cap.* IX.) *Trajano* assignarunt. Nunc cumulatas nova virtute Imperatoris laudes, tanto amore (*Paneg. cap.* IV.) milites prosecuti sunt, ut decedentem provincia subinde detinuerint, suppliciter, nec non minaciter efflagitantes, *ut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret*. Festinabat nihilominus in Italiam, (reliquerat autem Hierosolymis legionem X. & cohortes quasdam, equi-

equitumque alas, præsidium loco, & coercendis, si quæ forte belli reliquiæ superessent) cumque Rhegium ac deinde Puteolos oneraria nave appulisset, Romam hinc expeditissimus contendit.

CXIV. Lætitiam illius diei, qua redditus Urbi Titus, concursumque civitatis, & vota *Flavius* (*loc. cit. cap.* XXII.) exposuit. Hæc dissertatio servet formam suam. Non multo post communem triumphum Pater & Filius agere. Utrorumque enim clara eo bello opera fuerat. Neuter tamen *Judaicus* cognominatus est. Extatque adhuc Romæ ad radices montis Palatini, Arcus triumphalis marmoreus, (*Xiphil. ex Dion. Bar. A. E. ad A. C.* 73. *n.* 2.) in honorem Titi erectus, quod inscriptio indicat: SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS. DIVO TITO. DIVI. VESPASIANI F. VESPASIANO. AUGUSTO. ex quo vasa templi in eo triumpho traducta, aliaque quædam *Villalpandus* (*Expl. Ezechiel tom.* II. *lib.* 5. *cap.* 7.) expressit. Novissima spoliorum *Lex* (*Jos. A. J. loc. cit. cap.* XXIV.) portabatur, quæ una cum penetralium velis purpureis in palatio reposita est. Visitur quoque in lapide seorsim posito hic titulus (*Baron. Ann. Eccl. ad A. C.* LXXIII. *n.* 2.) IMP. TITO. CÆSARI. DIVI. VESPASIANI. F. VESPASIANO. AUGUSTO. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBUN. POP. X. IMP. XVII. COSS. VIII. PP. PRINCIPI. SUO. S.P.Q.R. QUI. PRÆCEPTIS. PATRIS. CONSILIIS. QUE. ET. AUSPICIIS. GENTEM. JUDÆORUN. DOMUIT. ET. URBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBUS. ANTE. SE. DUCIBUS. REGIBUS. GENTIBUS. QUE. AUT. FRUSTRA. PETITAM. AUT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT.

CXV. At Judęa vero ne tunc quidem penitus subacta. *Massada* enim atque *Herudion* & *Machærus* Judaicis hactenus præsidiis tenebantur. Munitissimæ arces, & semina mox novarum rerum, inadsuetis verpis acerbissimi jugi, eoque seditiosius acturis. Nihil tuto in hoste contemnitur. Ac verissime illud *Marcus Tullius* (*pro Milon.*) dixit, *Martem communem esse, qui sæpe spoliantem jam & exultantem evertit & perculit ab abjecto*. Quare *Lucilio Basso* (*Jos. B. J. lib.* VII. *cap.* XXV.) negotium datum, uti suscepto a Cereali Vitelliano exercitu residuum belli conficeret. Videbat vetus militiæ, nonnisi eversis munitionibus ad certam imperii confessionem provinciam pacari. Itaque contractis copiis Herodion arcem deditione, & Macherunta, nequicquam obnitente præsidio, vi capit. Massadam omnium fortissimam, *Publius Sylva* postea (*cap.* XXVIII.) (ad quem Exercitus imperium morte Bassi pervenerat) conscendit, jam vacuam propugnatoribus, qui desperatione acti, arcem & supellectilem cæteram, & semetipsos insuper, vulneribus mutuis confectos, igni absumsere. An enim victorum ludibria, & superbum imperium toleraturi Judæi forent, *Eleazarus* concilii atrocis auctor, subinde quærebat. Id quasi complementum miseriarum fuit, quod Vespasianus (*cap.* XXVI.) vendi Judæam jussit. Scilicet ipsius quoque soli Romanos tædebat, quod tam infausta ingenia tulisset. Enimvero quicquid uspiam barbararum gentium est, mitescere disciplina denique, & jurium æquitate, aut armis compesci. Solos omnium Judæos obsequii expertes, non cogi imperio, neque modestia redimi. Sic itaque existimavit Cæsar, deglubendam esse importunam belluam, uti ferociam remitteret. Non enim aliter quam egestate Judæorum securitatem dominantis niti. Hinc novæ acerbitates, & sine modo inductæ. Sancitum etiam, ut didrachmum illud, quod viritim quotannis in usum Templi & sacrorum solverant, dehinc in Capitolium inferrent.

CXVI. Nihil erat jam in Judæa quod vinci posset. Interim turbari Ægyptum (*cap.* XXIX.) contigit, cum exules Palæstini aliorum opulentium fortunam haud æquo animo intuerentur. Hi imperitos animos, & quænam post eversam Urbem gentis conditio ambigentes, impellere paulatim occultis colloquiis, & dilapsis melioribus deterrimum quemque congregare. Postremo promtis jam & aliis seditionis ministris, velut concionabundi interrogabant: Cur iniquissimis Dominis in modum servorum obedirent? quorum superbiam frustra per obsequium & modestiam effugerint. Intuerentur sanctissimæ Urbis informes ruinas, & nobilissimæ gentis triste excidium. Eadem ipsis quoque imminere. Non terras enim non maria sufficere raptoribus orbis, qui trucidare, auferre, rapere, falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem facere, pacem appellent. Non eam esse Romanis in bello virtutem, quæ vinci nequeat. Judaicis illos dissensionibus ac discordiis claros, vitia hostium in gloriam Exercitus sui vertisse. Quare exurgerent sumerentque spiritus Judæis dignos, quos neque Vespasiani aut Titi, vel Procuratorum ambitiosam dominationem, sed *unius Imperium Numinis* suscipere conveniat. Adstrepebat vulgus diversis incitamentis, nutabatque tanto discrimine provincia, cum Cæsaris & ve-

tu-

tuſtiſſimorum tribulium auctoritas, motus ancipites oppreſſit. Seditioſiſſimi quique trucidati. Quoque affligerentur magis, Templum illud (*cap.* XXX.) quod *Onias* quondam in Ægypto extruxerat, dirui Veſpaſianus juſſit. Sed *Lupus* Alexandriæ per id tempus rector, ſpoliare illud, & claudere ſatis habuit. At *Paulinus* poſtea plane expilavit, & foribus occluſis ita inaceſſum fecit, ut ne veſtigium quidem religionis iſthic remaneret. Turpiſſime omnium ſe dederunt Judæi, tum ſordido opifici ſe abutendum permitterent. Id ita ſe habet. Evaſerat *Jonathas* aliquis, (*cap.* XXXI.) de textrinta homo, & Cyrenem delatus, duo Judæorum millia in ſolitudines attraxerat. Moxque ut fœcunda res error, plures confluxere, cum *Catulus*, Pentapolitanæ Libyæ rector, disjecit inſanientem turbam: cæſiſque III. M. Jonathas captus eſt. Parumque abfuit, quin nobiliſſimi quique Judæorum, interque quos Herodes Agrippa, (hic a Galbæ uſque tempeſtate Romæ obhæſerat) ac Flavius etiam Joſephus eo crimine implicarentur. Siquidem Jonathas vanitate inſita, illorum conſilio atque opibus, ceptam fotamque ſeditionem edixerat. Refutavere iſti falſas accuſationes, abſolutique conjurationis ſunt, cum Titi præterea ſtudiis adjuvarentur.

CXVII. Id ſingulare eſt, nec traditum Flavio, quod *Euſebius* (*H. E. lib.* III. *cap.* XI.) annotavit. *Ferunt*, inquit, *Veſpaſianum poſt vaſtationem Hieroſolymorum mandaſſe, ut omnes ex Davidis genere prognati, diligenter conquirerentur, quo nemo apud Judæos ex illa regia ſtirpe omnino in poſterum ſupereſſet: indeque in Judæos maximam denuo cladem & perſecutionem fuiſſe concitatam*. Nimirum de vatum oraculis aliquid inaudiverat: quibus prædictum fuit, regnaturum quendam ex progenie Davidis, cujus imperium eſſet æternum. *Cum vero*, ait Baronius, (*A. E. ad A. C.* 73. *n.* XI.) *Principi adulantes, cætera quæ erant in oraculis, quaſi de eo prædicta eſſent, Joſephus atque alii ipſi accommodaſſent; hoc quod adverſari videret, in hunc modum irritum reddi curavit*. Nos quidem verbum amplius haud addimus. Ita enim conſtitutum nobis erat, uti cum extremis Belli Judaici, *hanc Diſſertationem* finiremus. Etiam Flavius excidii Judaici hiſtoriam hic terminat, quam Romæ per otium, pari induſtria ac fide perſcripſit. Tam bene de nobis nobiliſſimus hiſtoricorum meritus eſt, uti ſub ipſam laboris metam audire *Joſephum* juvet. Ita ille I. adv. Apion. *Tanta mihi ſecuritas adfuit veritatis, ut primos omnium Imperatores belli, Veſpaſianum & Titum, teſtes non expaveſcerem. Primum namque illis obtuli libros, & poſt illos multis quidem Romanorum, qui bellis interfuere: plurimis vero noſtrorum eos etiam venum dedi, qui Græca eruditione videbantur imbuti, quorum eſt Julius Archelaus, Herodes honeſtiſſimus, & ipſe admirabilis Rex Agrippa Iſti ſiquidem univerſi teſtimonium perhibuere, quod veritatem diligenter excolui*.



JACOBI RHENFERDII DISSERTATIO DE ARABARCHA VEL ETNARCHA JUDÆORUM.

I. GRavissimus rerum Judaicarum Scriptor, Fl. Josephus, sepiuscule *Alabarchæ*, vel ut alli codices legunt, *Arabarchæ*, mentionem facit, supremi inter Judæos Alexandrinos, aliosve extra patrium solum degentes, magistratus; quem alias etiam, aliorum morem sequutus, *Ethnarcham* appellat neque vero idem Romanis Ictis, aliisve scriptoribus ignotus fuit, qui *Ethnarchæ Arabarchæ* vel denique *Arabarchiæ* in Egypto meminerunt.

II. De hoc *Arabarcha*, (sic enim insequentibus legendum esse ostendemus) jam olim ante seculam commentati sunt viri doctissimi Jac. Cujacius, & Nic. Fullerus, suamque de origine atque usu vocis sententiam dixerunt, quos alii recentiores, si quando occasio tulit sunt secuti. Quoniam vero magistratus ille Judeorum fuit: atque horum neuter ex jure vel historia Judaica quidquam in medium attulit quod ad muneris illius faciat explicationem: nobis id negotii datum existimabimus ut virum olim illustrem atque etiam nunc inter Judæos spectabilem, sed nullis vel certe paucissimis Christianorum notum in lucem protrahamus & rerum Judaicarum curiosis sistamus contemplandum.

III. Quo brevius vero & felicius hanc commentationem absolvamus, primo loca Josephi describemus, in quibus *Arabarchæ* vel *Ethnarchæ* mentionem facit: dehinc historiam unam & alteram, quas Judæi nobis de eodem reliquerunt exhibebimus, & cum Josephi vel Strabonis descriptione conferemus; quo facto, quid id hominis fuerit, mox illico constabit: *Denique*, quæ Juris Romani Conditores, vel alii quidam, de eodem argumento habent, ponderabimus, & convenienter superioribus conabimur explicare.

IV. Loca Josephi, quæ vel ipsi observavimus, vel ab aliis notata invenimus, hæc sunt. Originum Judaicarum Lib. XIX. cap. 4. in edicto Claudii Imperatoris, ex interpretatione Gelenii: *Quoniam cognitum habemus, Alexandrinos Judæos jam inde ab initio jus ejus civitatis ex æquo cum Alexandrinis cæteris consecutos a regibus*... Καὶ τελευτήσαντος τῦ Ἰυδαίων Ἐθνάρχυ τ̓ Σεβαςὸν μὴ κεκωλυκέναι Ἐθνάρχας γίνεσθαι, βυλόμενον ὑποτετάχθαι ἑκάςυς ἐμμένοντας τοῖς ἰδίοις ἔθεσι, ϗ μὴ παραβαίνειν ἀναγκαζομένυς τὴν πάτριον θρησκείαν. *Permissumque iis ab Augusto, ut in defuncti Ethnarchæ locum alium suis suffragiis substituerent: utque quisque in suis ritibus maneat, neque cogatur religionem patriam deserere*. Ibid. Lib. XIV. cap. 12. *Per Ægyptum sane etiam coloniæ sunt ejus* (Judaicæ) *gentis, absque eo quod Alexandrinæ urbis magna pars eis assignata est*. Καθέςαται ϗ Ἐθνάρχης αὐτῶν, ὃς διοικεῖ τε τὸ ἔθνος, ϗ διαιτᾷ κρίσεις, ϗ συμβολαίων ἐπιμελεῖται ϗ προςαγμάτων, πολιτείας ἄρχων αὐτοτελῶς. *Habet & proprium Magistratum, qui suæ gentis res administret, & controversias ex jure dirimat, & contractus atque pacta rata habeat, non aliter quam fit in absoluta republica*. Ibid. Lib. XVIII. cap. 1. *Agrippa, quamprimum nox terris incubuit, præcisis navis retinaculis navigat Alexandriam. Ibi ab Alexandro Arabarcha poposcit mutuo ducenta argenti millia*. Eodem Lib. cap. 10. *Philo e Judæorum legatis potior, vir per omnia clarissimus, Alexandri Arabarchæ frater, & non imperitus Philosophiæ, parabat causam suæ gentis agere*. Lib. XIX. c. 4. *Dimisit* (Claudius) *etiam Alexandrum Arabarcham, veterem amicum, & olim procuratorem suæ matris Antoniæ, quem Cajus iratus vinxerat*. Lib. XX. cap. 3. *Fado autem successit Tiberius Alexander*,

Αλ-

Ἀλεξάνδρου παῖς τοῦ καὶ Ἀραβαρχήσαντος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, *ejus Alexandri Filius, qui Arabarchæ Magiſtratum geſſit Alexandriæ, omnium in ea urbe ſuo tempore ditiſſimi, qui etiam erga Deum pietate ſuperavit filium, deſertorem religionis patriæ*. Ibidem lib. xx. c. 5. *Eodemque tempore etiam Mariamme dedignata Archelaum migravit in thalamum Demetrii, primi inter Alexandrinos, tam opibus quam genere*, Τότε δή τις Ἀντίοχος εἷς ἐξ αὐτῶν, καὶ μάλιστα διὰ τὸν πατέρα τιμώμενος, ἦν γὰρ ἄρχων τῶν ἐπ' Ἀντιοχείας Ἰουδαίων. *Tunc unus eorum Antiochus quidam, plurimum Patris cauſa honorabilis, (erat enim Princeps apud Antiochiam Judæorum &c.)*

V. Ex his Joſephi locis ſequentia notari velimus, quibus quaſi ſignis quibuſdam eundem *Arabarcham* apud ſequioris ævi Judæos inveſtigemus, agnitumque & inventum in clara luce ponamus.

1. *Quem Claudius Cæſar in edicto, & Strabo in hiſtoria, Græco nomine* Ethnarcham *vocant, illum a Joſepho* more Judæorum *voce mixto barbara ſæpius* Arabarcham *appellari, & ſemel ſimpliciter* ἄρχοντα *Principem Judæorum*. Nequis forte hos diverſos fuiſſe exiſtimet. Neque enim vero ſimile eſt, eodem tempore, quo Lyſimachus Alexander, & Demetrius, Alexandriæ *Arabarchæ* fuerunt, alium quoque ibidem *Ethnarcham* fuiſſe. Et quæ de *Ethnarcha* dicuntur, ea in progreſſu ita omnia *Arabarchæ* convenire oſtendemus, ut rem extra omnem controverſiæ aleam ponamus.

2. *Ethnarchiam vel Arabarchiam Magiſtratum fuiſſe Judæorum extra patriam, Alexandriæ & Antiochiæ, habitantium, ſtante adhuc R. P. Judæorum*, quæ ſuum נשיא, Synedrii Hieroſolymitani *Præſidem* habebat; quemadmodum Judæi in Babylonia ראש הגלות, vel ריש גלותא *Principem exſulum* venerabantur.

3. *Ethnarchas Regum Ægypti & Imperatorum Romanorum indultu liberis ſuorum ſuffragiis creari, & in decedentium locum ſubſtitui ſolitos*. Etſi enim Gelenii verſio, quam, exhibuimus, juſto liberalior videri poterat, tamen re rite perpenſa nihil cauſæ eſſe videmus, cur ab eadem recedamus. Verba Joſephi, quæ ſupra allegavimus, ſi cum Fullero ad literam vertas, ita Latine ſonant: *Defuncto Judæorum Ethnarcha, Auguſtum non vetuiſſe, (alios) deinceps Ethnarchas fieri*. Quod, niſi me ratio fallit, nihil minus dicit, quam quod Gelenius in ſua verſione repreſentat. Dixerat jam ſupra Claudius, inde ab Alexandria condita Judæos ἴσης πολιτείας παρὰ τῶν βασιλέων τετευχότας, *idem jus civitatis*, quod reliqui incolæ, *a Regibus accepiſſe*, neque hanc illorum conditionem ab Auguſto factam eſſe deteriorem; *neque eundem etiam vetuiſſe* ἐθνάρχας γίνεσθαι, *Ethnarchas fieri*, vel *creari*. Non ergo ipſe Auguſtus per ſe ſuoſve Præſides Ethnarchas conſtituebat, ſed ab aliis creari permittebat, ſive οὐκ ἐκώλυσεν *non vetabat*. A quibus itaque illos creari æqius erat, quam ab ipſis Judæis? quibus cum Reges & Imperatores ſuis legibus atque inſtitutis vivere concederent, ipſorum utique intererat, ejuſmodi ſibi Præfectum conſtituere, qui divini humanique juris, quo utebantur, peritus eſſet, ejuſdemque ipſe obſervans, ut tribules ſecundum illius normam regere & poſſet & vellet. Quod multo aliter evenire potuiſſet, ſi Præfecti illi vel ab Imperatoribus, vel ab illorum Procuratoribus, genti Judaicæ dati eſſent; quemadmodum Pontificum Hieroſolymitanorum hiſtoria abunde evincit, qui cum ab Herode ejuſque ſucceſſoribus, vel Romanis legerentur, adeo ſæpe rudes & inepti erant, ut neque legere neque literas noſſent.

4. Porro, quod in primis notandum, has muneris partes fuiſſe, *ut gentem ſuam gubernaret, jus diceret, pactis conventis attenderet*, (ut illa ex jure & æquo fierent) *idque haud aliter ac in liberrima civitate fieri ſolet*. Ex quo ſequitur illum Juris Judaici peritiſſimum fuiſſe, ſecundum cujus normam omnia illum adminiſtrare oportebat: quemadmodum de Alexandro Lyſimacho ex Philone fratre doctiſſimo literatiſſimoque Viro, facile eſt conjicere.

5. Denique *Ethnarchas illos & generis nobilitate, & opibus, & morum probitate inter ſuos præcipuos fuiſſe*, qui non ſuis tantum honoratiſſimi erant, ſed ipſis quoque Principibus, adeo ut neque Imperatores amicitiam, neque mulieres Principes thalamum illorum dedignarentur, quemadmodum Alexandri & Demetrii, Arabarcharum Alexandrinorum, exemplis conſtat.

VI. His ita præmiſſis nunc porro videamus, an alibi terrarum, & ſequioribus ſeculis, his quiſquam ſimilis inter Judæos inveniatnr. Atque ecce tibi illum Conſtantinopoli apud R. *Eliam Orientalem*, שאלות ותשובות ſive *Conſiliorum* Cap. LVII. ubi prolixam nobis hiſtoriam de הרב המנהיג כל הקהלות *ſupremo omnium Synagogarum moderatore*, enarrat, eademque munus ejus, jura item & dignitatem exponit.

§. Hiſtoria ita habet:

„ Con-

„ Constantinopoli inde ab omni me-
„ moria præter *Rabbanitas* (Judęos qui
„ majorum traditionibus inhęrent) etiam
„ *Karraitæ* fuerant, professi traditionum
„ Pharisaicarum hostes, sed divites illi
„ atque opulenti, qui Rabbanitarum mul-
„ tos sibi obnoxios habebant, illisque
„ adeo utroque nomine invisi erant.
„ Tandem tempore R. Eliæ Misrachii
„ sive Orientalis, quidam Rabbanitæ
„ cum Senioribus quarundam Synagoga-
„ rum adversus Karraitas conspirant,
„ & in frequenti concione, quam in
„ Synagoga Apulorum habebant, scis-
„ cunt atque inter se paciscuntur, ne
„ quis ipsorum in posterum Karraitarum
„ ullum artes liberales, imo ne primas
„ quidem litteras doceat. Ut vero de-
„ creto huic robur addant, summum
„ Magistratum ad se accersunt, הרב
„ המנהיג כלהקהלות *Magistrum qui uni-*
„ *versas Ecclesias gubernat*, ut ipso præ-
„ sente & approbante, solenni jure ju-
„ rando se cæterosque omnes Judæos ad
„ illius observationem obligent. Sed tan-
„ tum aberat, ut hic illis obsequeretur,
„ ut e contrario iniquissimum esse osten-
„ deret, aliis ea re interdicere, quæ
„ semper cuivis licita fuisset; cum in
„ confesso sit, Mathematicas saltem scien-
„ tias, reliquasque omnes Philosophiæ
„ partes, quæ longa serie ibi recensitæ
„ fuerant, Græcorum Philosophorum in-
„ venta esse, qui illas ex lumine natu-
„ ræ indagassent & composuissent, quas
„ adeo & Christianis, & Muhammeda-
„ nis, & Karraitis denique tradere libe-
„ rum semper solutumque fuisset, neque
„ unquam cuiquam interdictum. Cum
„ vero se nihil proficere videret, rem
„ omnem in crastinum mane differebat.
„ Unde cum illi facile intelligerent,
„ הרב *Magistrum* id agere, ut tempus
„ extraheretur, gravissimo jurejurando
„ sese obstringebant, ut postridie mane
„ rursus convenirent negotiumque perfi-
„ cerent, ea lege ne cui integrum esset
„ cœpto desistere, etiamsi postridie alii
„ in alia omnia irent, & longe plures
„ sententiæ in contrarium ferrentur. Id
„ cum illi, qui literas, liberalesque ar-
„ tes & scientiam, profitebantur, audi-
„ vissent, gravissime questi sunt, quod
„ quæ ab omni memoria a patribus at-
„ que avis licita accepissent, ea nunc
„ Zelotæ illi interdicere, ipsosque ful-
„ mine excomunicationis ferire, uno
„ verbo ad egestatem & inediam redi-
„ gere vellent. Pars itaque ad dictum
„ Præfectum adeunt, הרב המנהיג כל
„ הקהלות העומדות בעיר קוסטנדינה *Do-*
„ *ctorem*, inquam, *qui universas Ec-*
„ *clesias, quæ Constantinopoli habitant,*
„ *moderatur*, apud illum ut de vi atque
„ injuria querantur. Is bono animo esse
„ jubet, & domum abire; sibi id curæ
„ fore, ut animos ipsorum demulceat,
„ atque ab instituto avertat. Sed mul-
„ to aliter evenit. Dum enim hi inter
„ se colloquuntur, quidam Seniorum,
„ qui præcipui istius decreti condendi
„ auctores fuerant, audito Magistros apud
„ Præfectum esse, etiam ipsi eo pergunt,
„ quando gravissimæ rixæ, non sine in-
„ genti clamore, ortæ snnt. Qui ita-
„ que institutum illud urgebant, irati
„ inde discedebant, & nequissimorum
„ hominum manum colligebant ac fusti-
„ bus armabant, ut si qnis decreto illi
„ intercedere vellet, illum male mul-
„ ctarent. Postridie itaque mane magi-
„ stri illi, qui scholas habebant, fre-
„ quentes conveniebant, una cum ma-
„ gna multitudine omnium Ecclesiarum
„ & Seniorum quorundam, in Synago-
„ ga cœtus Zeitoniensis, & *Gubernato-*
„ *rem* הרב המנהיג ad se accersebant,
„ ut conjurationem illorum, qui decre-
„ tum jure jurando confirmare niteban-
„ tur, dissiparet. Cum hic eo pervenis-
„ set, eaque de re vix agi cœptum es-
„ set, mox quoque partis adversæ dele-
„ gati aderant, & ad הרב *Doctorem*:
„ Quin Tu, inquiunt, potius nobiscum
„ abis ad Synagogam Apulorum, ubi
„ heri conventus fuit, quam ad hanc
„ Proseucham? Ad hæc רב *Doctor* vel
„ *Magister*, Quoniam, inquit, pessimos
„ & levissimos quosque vobis sese agglo-
„ merasse video, qui nihil nisi malum
„ machinantur, idque unice agunt, ut
„ lites foveant, & quod animo suo lu-
„ bitum est, quo jure, quave injuria,
„ perficiant. Etsi ergo illi vehementer
„ instabant, ut secum iret, ipse tamen
„ constanter pernegavit. De novo ita-
„ que miserunt, qui renunciarent; Si
„ dicto audiens esset, ad eosque veni-
„ ret, bene fore; sin vero, jam illis,
„ qui in Synagoga Apulorum convene-
„ runt, certum esse alium רב *Doctorem*,
„ loco ejus creare, להנהיגם ולמשול בם
„ *qui illos moderetur & gubernet*. Qua
„ re audita, הרב *Doctor*, una cum illis
„ abit, sequentibus etiam quibusdam
„ Seniorum Israelis. Ibi vero lictores
„ fustibus armati ad ostium Synagogæ
„ Apulorum stabant, observaturi, si
„ qui essent tanta animi fiducia, ut il-
„ lorum decreta impedire sustinerent.
„ Quin imo publice promulgabant, si
„ quis adversæ partis ad ostium tento-
„ rii conventus eorum, (ita etiam ele-
„ gantias loquuntur, & conciliabulum

„ ſuum magnifico titulo appellant car-
„ nifices) qui decretum illud jurejuran-
„ do & anathemate ſolenniter ſancire
„ vellent, accedere auſit, morte eſſe lui-
„ turum. Qua re factum eſt, ut Præ-
„ ceptores ſuæ quiſque domi manerent,
„ neque ad Synagogam Apulorum, ad
„ colloquendum & cauſam ſuam defen-
„ dendam, accedere auderent. Doctor
„ itaque, הרב, videns neque Præcepto-
„ rum ullum adeſſe; neque eorum quem-
„ quam, qui præſentes aderant, metu
„ lictorum verbum facere audere ad de-
„ cretum illud reſcindendum; tum alte-
„ ros jam heſterno die ſe graviſſimo ju-
„ rejurando obligaſſe ad decretum illud
„ perficiendum, ita ut, tametſi omnia
„ argumenta in contrarium audirent, &
„ longe major pars in alia omnia iret,
„ ipſi tamen de ſententia decedere non
„ poſſent: plane conticuit, neque ver-
„ bum ullum fecit. Tum itaque illi,
„ qui Præceptoribus infenſi erant, tri-
„ bus legis voluminibus ex Sacrario pro-
„ latis decretum publice promulgarunt,
„ & ſolenni jurejurando & dirarum om-
„ nium in violatores ejus imprecatione
„ ſanxerunt & confirmarunt.

VI. Hæc rei geſtæ, pro eo atque *R. Elias* illam enarrat, ſumma: ex qua, reliquis omnibus miſſis, ea ſolummodo, quæ ad noſtrum inſtitutum faciunt, paucis delibare juvabit. Erant Conſtantinopoli, ampliſſima celeberrimaque urbe, complures Judęorum Synagogę, cum indigenarum, ſive illorum qui inde a multis annis & ſeculis aliquot ibi habitarant, tum Hiſpanorum, aliorumque qui omnibus regni Hiſpanici provinciis ejecti novas ibi ſedes fixerant. Sic alibi apud hunc ipſum R. Eliam *Hiſpanorum*, *Cordubenſium*; *Luſitanorum*, *Calabrorum*, aliorumque *Synagogæ* memorantur. Harum cum pleręque (pręter *Seniores*, זקנים, qui alibi, atque etiam hoc ipſo capite, טובים ſive *Boni* appellantur) ſuos ſingulæ Archiſynagogos haberent, hic loci unus omnium Pręfectus occurrit, qui integre הרב המנהיג כל הקהלות appellatur, ad verbum, *Doctor qui univerſas Eccleſias gubernat*; vel brevius הרב המנהיג, ὁ Διδάσκαλος ὁ ἡγήμενος, *Magiſter Gubernans* vel *Gubernator*; vel denique ſimpliciter הרב ὁ Διδάσκαλος, *Doctor* vel *Magiſter*.

VIII. Dum רב *Magiſter* appellatur, facile intelligunt, qui primis ſaltem labris res Judaicas deguſtarunt, virum eruditum eſſe, & Juris Judaici peritum, quique rite & ſolenniter promotus הוראה habeat, ſive facultatem de Jure reſpondendi, de mundo, immundo, licito vel vetito ſententiam ferendi, & ſi quæ id genus alia ad promotorum jura pertinent.

IX. Porro cum מנהיג nuncupatur, publicum ejus munus indicatur, quod in eo ſitum, ut populum ſua ſapientia, conſilio, auctoritate, ducat, moderetur, gubernet, atque omni ratione operam det, ne quid res publica Judæorum capiat detrimenti. Id enim præterquam quod voces הנהיג & מנהיג ſignificent, inde etiam porro liquet, quod conjurati illi alium conſtituere minantur להנהיגם ולמשול בם *ad gubernandum illos*, *& ad imperandum ipſis*.

X. in ſpecie vero cura ejus circa *pacta conventa* verſatur, quæ abſque ejus conſenſu & approbatione fieri nequeunt; ceu qui id ſtudere debeat, ut illa æquis legibus fiant, neque quicquam decernatur, quod aliis fraudi & damno eſſe poſſit. Hinc ergo conjurati illi, qui inter ſe de non docendis Karræis convenerant, & reliquos omnes eodem decreto obligare volebant, *Gubernatoris* illius *præſentiam & conſenſum* petunt ad ſui ſtatuti confirmationem: alteri item eundem adeunt, & in re graviſſima ejus auxilium implorant.

XI. Quod vero illa malignantium turba Doctorem loco movere, aliumque illi ſubſtituere minatur, id ſatis arguit, moris & juris fuiſſe apud Judæos Conſtantinopolitanos, ut *ſuis ſuffragiis hunc Gubernatorem crearent*; quod hic non ignorans tandem ſtudiis illorum in tantum obſequitur, ut præſentiam ſuam illis accommodet, etſi nec verbis nec geſtu illorum inſtitutum approbet.

XII. Ex quibus omnibus tandem convenientiam inter Ethnarcham Alexandrinum & Gubernatorem Byzantinum ſatis conſtare arbitramur. Ille *Alabarcha*, vel ut alias legitur, *Arabarcha* vocatur; hic *Harab hammanhig*, ἀρὰβ vel ἀρὰβ ἡγήμενος vel ὁ ἄρχων, quod eſt, ſi componas, Ἀραβάρχης. Illum juris Judaici peritum eſſe oportuit; hic eſt רב *Magiſter*, vel ſolenniter renunciatus Juris Doctor. Ille pactorum & decretorum curam gerebat; horum nihil ſine hujus conſenſu fieri poterat. Ille indultu Regum & Imperatorum liberis Judæorum ſuffragiis creabatur; hic pariter. Ille inter ſuos jus dicebat; hunc pariter id feciſſe in ſequentibus oſtendetur, ſi forte ex præſenti caſu nondum ſatis liquere videatur.

XIII. Ovum itaque ovo non erit ſimilius, quam hic noſter הרב המנהיג *Harab hammanhig* Conſtantinopolitanus veteri *Ethnarchæ* vel *Arabarchæ* Alexandrino, cujus Strabo & Joſephus faciunt men-

tio-

tionem. Quod quo magis liqueat, responsum quoque R. Eliæ ad præsentem casum afferre non abs re erit. Hic postquam multis argumentis prolixe ostenderat, illud seditiosorum decretum, etsi solenniter sancitum, tamen ipso jure nullum esse, & inter alia ex jure atque auctoritate *Gubernatoris* sic concludit.

XIV. *Porro, quia hoc decretum non est factum* בהסכמת הרב המנהיג כל הקהלות: *consensu Doctoris qui universas Ecclesias moderatur, de cujus sententia omnes leges & instituta civitatis fiunt, quique illis in omnibus causis est præpositus.*

Imo vero ille e contrario istud decretum fieri vetuit, & tribus distinctis vicibus cum illis egit, ut ab illo consilio abduceret.

Quemadmodum illorum consilium de ancillis & famulis, qui Karræis serviunt, & cum in aliis operibus suis passim offendunt, tum in profanatione festorum quæ in honorem Dei O. M. sunt instituta, approbavit & confirmavit, ne quis sc. in posterum Karræis serviret, &c.

At illi nihilominus monitis ejus obsequi noluerunt, sed graviter multis modis illi sunt minati, ut in suam sententiam adducerent, & institutum suum quovis modo per fas & nefas perficere volebant:

Ex his omnibus, inquam, sine omni controversia certum & manifestum est, istud decretum ipso jure nullum esse, respectu illorum, qui in illud non consenserunt: Quandoquidem isti (conjurati) nullam omnino facultatem habent leges condendi sine consensu & approbatione Doctoris qui illos gubernat, *quoniam universi cum illo comparati, unanimi omnium Doctorum consensu, nulli sunt.*

XV. Quid opus est verbis in re clars & manifesta? liquet utique, in pactis conventis approbationem nostri הרב המנהיג τῦ Διδασκάλυ τῦ ἡγυμένυ, tam necessariam esse, ut sine illa nulla pacta valeant, eos sane, qui illis intercesserint, nullo modo obligent. Id quod satis validum putamus esse argumentum ad concludendum, הרב המנהיג, *Arabarchem*, qui Constantinopoli fuit, eundem esse atque illum Judæorum *Ethnarcham*, quem Strabo apud Josephus describit, ἐπιμελύμενον συμβολαίων καὶ προσαγμάτων, qui pactis & decretis condendis attendere debeat.

XVI. Habuerunt ergo ante hos ipsos ducentos annos, quando R. Elias floruit, Judæi Const. suum Ethnarcham; Quin imo, si ex alia historia conjecturæ locus & ipse *Elias* aliquando hoc munere functus est, quemadmodum non ita multo post ipsum R. *Menahem F. Samuelis*, qui apud R. *Benjamen Lupum*, præterquam quod una cum reliquis Doctoribus Constant. scripserat, suas quoque seorsim literas mittit, qua occasione R. Benjamin illum vocat הגאון רב הקהלות מקושטדינא רבתי: *Excellentissimum Doctorem Cœtuum* (qui miserant) *Constantinopoli magna*.

XVII. Sed alibi quoque hominem quærere, & sub alio nomine latentem in lucem protrahere juvabit. En igitur illum Nehardæ in Babylonia. *Babba Bathra*, fol. 9. col. 1. הנהו תרי טבחי דעניינא בהדי הרדי דכל טהן דעביר ביומא דחבריה נקרעו' למשכיה· אזל חד מניהו עבד ביומא דחבריה. קרעו למשכיה. אתו לקמיה דרבא. חייבינהו רבא לשלומי. אתיביה רב ייטר בר שלמיה לרבא. ולהסיע על קצתם. לא אהדר ליה רבא. אמר רב פפא שפיר עבד דלא אהדר ליה מידי. הני מילי היכא דליכא ארם חשוב. אבל היכא דאיכא ארם חשוב לא כל כמיניהו: *Duo laniones inter se pacti erant* (ne quis alterius die mactaret;) *Quod si vero unus alterius die mactaret, alteri istius pelles conscindere liceret. Horum cum unus alterius die mactaret, alter mox advolare, & pelles conscindere. Ergo in jus eunt ad Rabbam. Hic illum* (qui alterius pelles conciderat) *condemnat, & datum damnum resarcire jubet. Tum Rabb Jemar F. Salamiæ objicit Rabbæ: At* (jus fasque est civibus inter se pacisci &c.) *& pactorum violatores mulctare. Sed Rabba nihil respondit. Rabb Papa vero, recte factum, inquit, quod ne quidem verbum responderit. Id enim,* (quod Rabh Jemar objicit) *ibi demum obtinet, ubi non est* vir honoratus; *ubicumque enim est* vir honoratus, *nullam ista pacta vim habent,* (nisi illius consensu sint inita.)

XVIII. Ad hanc historiam intelligendam sciendum est, in superioribus allegatam fuisse Exoticam: רשאין בני העיר להתנות על המדות ועל השערים ועל שכר פועלים ולהסיע על קצתם: *Facultatem habent cives de mensuris, rerum pretiis, & mercede operarum paciscendi; ut & multandi illos, qui statuta illorum fuerint transgressi*. Agitur hic de jure Judæorum, qui vel in sua republica, vel alibi, Regum & Principum indultu, suis legibus vivunt, in primisque suis rebus & negotiis modum & pretium statuunt.

XIX. Non inutile erit cum hac Exotica censerre legem Impp. Arcadii & Honorii, Cod. Theodosiani Lib. XVI. de Judæis & Cœlicolis, Tit. 8. L. 10. *Nemo exterus religionis Judæorum Judæis pretia statuet, cum venalia proponentur. Justum est enim sua cuique committere.* Ita-

Itaque Rectores Provinciæ vobis nullum diſcuſſorem, aut moderatorem eſſe concedent. Quod ſi qui ſumere ſibi curam, præter vos Proceresque veſtros, audeat, cum velut aliena adpetentem, ſupplicio coercere feſtinent. De una tantum Exoticæ parte hic agitur, rerum promercalium *pretiis ſtatuendis*; Sed ratio, quam Auguſti ſubjiciunt, *Juſtum eſſe ſua cuique committere*, tam generalis eſt, & tam late patet, ut reliqua de *menſuris*, *mercede operarum*, *& ſtatuenda mulcta*, facile ex eadem colligere poſſis, cum omnium eadem ratio atque indoles eſſe videatur.

XX. Hoc itaque jure laniones illi primum inter ſe pacti erant, & mox alter in alterum utebatur; ſed Rabba ſui quoque juris & poteſtatis non ignarus, pactum ſe inſcio initum reſcindit, & quam nullæ ſint ejuſmodi conſtitutiones inconſulto Gubernatore factæ, oſtendit, quando illum, qui alterius pelles corruperat, damnum datum reſtituere jubet.

XXI. Ex quibus omnibus tandem liquet, Rabbam quoque Nehardæ in Babylona מנהיג i. e. *Arabarcham* fuiſſe, titulo ארם חשוב *Viri Honorabilis* vel *Spectabilis*, utpote ſine cujus prævio conſenſu & approbatione nulli publici contractus rati & firmi erant. Sic diſerte R. Elias de illo, fol. 94. 2. m. אבל היכא גבי טבחי דאיכא ארם חשוב כמו רבא שהיה מנהיג בעירם וכו׳: *At hic in negotio lanionum, ubi* vir ſpectabilis *præſens adeſt, quemadmodum Rabba, qui Gubernator erat in urbe illorum &c.*

XXII. Sed & illud nunc conſtat, quod ſupra §. XII. oſtendere promiſimus, *Arabarchen* non tantum *συμβολαίων ἐπιμελεῖσθαι καὶ προσταγμάτων*, *pactis & decretis faciendis attendere* debuiſſe, quod ſupra in Arabarcha Conſtantinopolitano vidimus, ſed & *διαιτᾶν τὰς κρίσεις*, *juri dicundo* præfuiſſe. Cujus rei in ſequentibus adhuc quædam exempla allegabimus; nunc illa ſaltem obſervaſſe contenti, quæ leviter attendenti ſponte ſua ſeſe offerunt.

XXIII. Qui ergo in Ægypto *Ethnarcha* vel *Arabarcha* dicebatur, Judæis vulgo הרב המנהיג, vel ſimpliciter מנהיג, *Gubernator*; is in Babylonia ארם חשוב *Homo ſpectabilis* audiebat, & etiam nunc paſſim איש חשוב vel חכם חשוב vocatur, *Vir honoratus*, vel *Doctor ſpectabilis*. Quem titulum equidem non multum abludere putem ab illo Gamalielis, Synedrii Hieroſolymitani Præſidis, quem Lucas Act. v. 34. *νομοδιδάσκαλον* appellat, *Legis Doctorem*, *τίμιον παντὶ τῷ λαῷ*, *honoratum toti populo*. Paulo tamen plenior eſt Lucæ phraſis, quam illa, quam hactenus dedimus, Judæorum. Sed ſcire licet, ipſos Magiſtros aliquando etiam integre loqui. Sic Rabbenu Niſſim ad Alpheſium, Babha Bathra fol. 165. 1. hæc verba Babh Aſſæ אנא אפילו אתנויי לא צריכנא כיון דכל דאתי ארעתא דידי אתי מאי דבעינא עבידנא ביה: *Ego ne quidem paciſci neceſſe habeo; nam quicunque venit, ex mea ſententia venit: Quicquid volo, facio* מאי דבעינא עבידנא דרצוני הוא רצונם דכל הבאים ומתנדבים לכבודי הם באים · וכל כך אני חשוב בעיניהם דודעין שלא אעשה מנדבותם אלא מה שראוי לעשות. Quicquid volo facio. *Quia quod mihi videtur, illis pariter placet. Quicunque enim veniunt atque in uſum pauperum aliquid offerunt, meo arbitrio offerunt. Et tantæ ego ſum apud illos exiſtimationis*, οὕτως ἐγὼ τίμιος αὐτοῖς vel ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτῶν, *ut probe ſciant, me eleemoſynas illorum, non aliter, atque facto opus ſit, diſpenſaturum.* Qui in textu Talmudico, & in Epitome Feſſani, ſimpliciter ארם חשוב appellatur, hunc R. Niſſim vocat *adeo honoratum in oculis* populi, &c. quod eſt ipſum illud Lucæ, τίμιος παντὶ τῷ λαῷ. Ex quo adeo Rabh Aſſen quoque Soræ in Babylonia *Arabarcham* fuiſſe intelligimus, quemadmodum ex alia quoque ejuſdem hiſtoria liquet, Cod. Megilla, f. 26. c. 1. citante R. Benjamine Wolffio, Conſiliorum fol. 435. 2. f. אמר רב אשי האי בי כנישתא דמתא מחסייא אף על גב דמעלמא אתו לה כיון דארעתא דידי קא אתו אי בעינא מזבנינא לה: *Dixit Rabb Aſſes; Hanc Synagogam urbis Mahaſiæ* (Soræ) *etſi undique ad illam conveniunt, tamen quoniam mei cauſa illam frequentant, ſi quando velim, vendere poſſum.* Erat ſc. Rabh Aſſes is, cujus fidei atque curæ Sorani ſe ſuaque omnia commiſerant; cui negotium dederant, ne quid res ipſorum caperet detrimenti; plane qualem Virgilius alicubi deſcribit:

> *Tum pietate gravem & meritis ſi forte virum quem*
> *Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant.*

Sed & de ordinariis Doctoribus vel Archiſynagogis eadem phraſis occurrit apud Benjaminem, loco ſ. c. ipſo med. וכיון דכן הוא והם חשובים בעיני הקהלות: *Cum igitur hæc ita ſint, illique* (tres Archiſynagogi Artenſes) *magnæ exiſtimationis ſint apud Eccleſias*, τίμιοι ἐν ὀφθαλμοῖς τῶν ἐκκλησιῶν.

XXIV. Hactenus Joſephi & Strabonis indicium ſecuti, & Aſiæ atque Europæ Synagogas perſcrutatis, *Arabarcham* Alexandrinum, vel huic certe ſimillimum vi-

virum, investigavimus; & nisi nos clarissima certissimaque signa fallant, Constantinopoli, Nehardæ, Soræ assecuti sumus, & in lucem protraximus. Nunc ergo, priusquam ad reliqua pergamus, quo penitius hominem, quis sit, pernoscamus, paullo propius illum contemplari, & quid muneris gerat, quanta ejus dignitas atque auctoritas sit, accuratius considerare non abs re erit: si forte eadem alii quoque ejusdem tituli, sub quibus hactenus delituit, nobis innotescant.

XXV. Quid ergo, inquies, negotii illi *Gubernatori* in R. P. Judaica? Respondeant pro me Magistri Hebræorum. Audiatur Maimonides, *Jad chasakah*, Tit. de *Emtione & venditione*, cap. XI. §. ubi proxime antecedentia, quæ ex *Babba Bathra* allegata sunt, clarius explicat. רשאין בני העיר לקוץ להן שכר לכל דבר שירצו ואפילו בשר ולחם ולהתנות ביניהם לכל מי שיעבור שיענישו אותו כך וכך. וכן רשאין אנשי אומניות לפסוק ביניהם שלא יעשה אחד ביום שיעשה חבירו וכיוצא בזה וכל מי שיעבור על התנאי יענישו אותו כך וכך. במה דברים אמורים. במדינה שאין שם חכם חשוב לתקן מעשה המדינה ולהצליח דרכי יושביה׃ אבל אם יש שם חכם חשוב אין התנאי שלשם מועיל ואינם יכולים לענוש ולהפסיד על כל מי שלא קבל התנאי אלא אם כן התנה עמהם ועשו מדעת החכם וכל מי שהפסיד לפי התנאי שאינו שדעת החכם משלם׃ *Potestatem habent cives, quibuscunque rebus lubet, mercedem* (& pretium) *statuendi, etiam carnibus & pani; & certam mulctam imponendi illi, qui ipsorum statuta fuerit transgressus. Nec minus fabrorum collegiis definire licet, nequis illorum alterius die opus faciat, & quæ id genus alia sunt; & quisquis illorum statuta violarit, ut is certam mulctam incurrat. Id quod tamen ea cum adjunctione est accipiendum, ut id in civitate fiat, in qua non est Doctor Spectabilis, qui negotia civitatis moderetur, operamque det, ut omnia prospere feliciterque procedant. Quod si enim ibi Vir Spectabilis fuerit, pacta ipsorum irrita sunt, neque mulctare ullove damno afficere possunt eum, qui illornm pactis stare recusat, nisi illis jam antea sese obligarit, eaque de sententia illius Sapientis facta sint: adeo quidem ut si quis ejusmodi pacti nomine, quod a Sapiente non fuerit approbatum, alteri damnum dederit, illud restituere teneatur.* His verbis Maimonides auctoritatem *Arabarchæ* non tantum pactis conventis approbandis ostendit, sed in genere illius munus describit, לתקן מעשה העיר ולהצליח דרכי יושביה *ut ordinet, constituat, moderetur, res civitatis*, (sive Rem P.) *curetque ut omnia negotia civium feliciter procedant*. Quod nobis explicat, nisi multum fallor, illud Strabonis Διοικεῖν τὸ ἔθνος, *rempublicam gerere, moderari, administrare ex civium commodo*, quemadmodum Cicerone teste, *Moderatori civitatis beata civium vita est proposita*.

XXVI. Sed quantumcunque est, quod Maimonides illi adscribit, illud omne Hebræi vulgo una voce מנהיג *Gubernatoris* vel *Moderatoris* indicant, ceu qui ad id constitutus sit, להנהיג את העם εἰς τὸ διοικεῖν τὸ ἔθνος, *ut populum* commode *ducat, moderetur & gubernet*. Τὸ נהג enim usu Scripturæ sacræ est *gregem, jumentumve ducere*, vel *currum moderari*, cujus rei exempla apud *Cocceium* videantur: unde adeo non dubito, quin ipsum Græcum verbum ἡγεῖσθαι originem ducat. Quemadmodum enim ab aliis verbis a *Jod* vel *Nun* incipientibus, prima deficiente vel quiescente abjecta, Gręca, Latina, vel Germanica fiunt: ut a נטר τηρέω, נצר *servo*, נפל fallen/ vallen/ ידע εἰδέω, δαίω, δαιέω, יפע φάος, φῶς, φάω, φαίνω, ישע σάος, σῶς, σώζω, &c. ita a נהג, abjecta prima נ, fit ἡγέομαι, *præeo, dux sum viæ, duco*. Apud Rabbinos vero eadem vox etiam ad rem navalem transfertur, quibus מנהיגים *arma nautica*, in specie *remos* significant; & mirum sit, ni etiam *clavum* vel *gubernaculum*, etsi hujus usus exemplum nobis hactenus non occurrit.

XXVII. Quemadmodum itaque Rectores & Principes populi, Gręcis Latinisque, translatione a re pastorali, vel navali desumta, ἡγέμενοι, ἡγεμόνες, κυβερνῆται &c. *duces, moderatores, gubernatores*, dicuntur: ita Hebręis quoque eadem ratione מנהיגים *duces, gubernatores*, appellantur. Insigne hujus translationis exemplum a re pastorali desumtum apud R. Benjaminem occurrit, Resp. CCIIIC. circa finem, petitum ex *Babba Kamma* fol. 52. 1. p. מאי משכונית הכא תרגמו כרכשתתא (זוג המקרקש לפני העדר והעדר הולך אחריו.) רבי יעקוב אומר עיזא דאזלא בריש עררא (כלומר יש לבעל העדר עז חריף ודרך העזים להלך בראש וכל העדר הולך אחריו) כררש ההוא גלילאה עליה דרב הסדא. כררגיזא רעיא על עאנא עביד להו נגורא סמייתא. (כלומר העז המושכת העדר מנקר עיניה ונופלת כבור והעדר אחריה. כך כשהקב״ה כועס על ישראל ממנה להם פרנסים ומנהיגים שאינן מהוגנין להם) *Quid est* משכונים? *Hic* (in Babele) *interpretantur* כרכשתא, (*tintinnabulum quod ante gregem sonitum edit, ita ut grex illum sonitum sequatur.*) *R. Jacob dicit, esse caprum, qui* re-

reliquis præcedit, (*solet sc. dominus gregis insignem habere caprum. Caprorum autem mos est, ut præeant gregi, qui deinde mox sequitur*) *Quemadmodum Galilæus ille coram Rabh Chasda exposuit: Quando Pastor iratus est gregi, dat illi ducem cæcum*: (*Capro gregem ducenti oculos eruit, quem in foveam illapsum mox grex totus sequitur. Ita pariterquando* D.O M. *iratus est Israeli, præficit illis Pastores & duces ineptos.*)

XXVIII. R. Elias Misrachi fol. 94. 3. f. lin. 13. seq. ואפילו היכא דאיכא אדם חשוב שמתנהגים על פיו: *Etiam ubi est Vir honoratus, cujus consilio gubernantur, res suas instituunt*. Idem f. 96. 3. f. אבל איכא מנהיג בעיר שענייני העיר הם נעשים על פיו: *Sed si fuerit in urbe Gubernator, de cujus sententia negotia civitatis gerantur*. Id. alibi, (circa finem, vid. sup. §. XIV. nam numeri foliorum in hoc capite plane sunt confusi) הרב המנהיג כל הקהלות שעל פיו נעשים כל תקוני העיר ומנהגיה והוא הממונה עליהם לכל ענייניהם: *Arabarcha* vel *Ethnarcha*, *de cujus consilio omnes constitutiones & mores civitatis introducuntur; quique illis in omnibus rebus est præfectus*. Rabbenu Nissim, ad Alphesium, *Babba Bathra* f. 165. 1. lib. 9. אדם חשיב הממונה על הציבור: *Vir Honoratus, qui præpositus est cœtui*. R. Benjamin, fol. 420. 1. m. אדם חשוב כלומר דמה שעשה עשוי: *Vir Honoratus, id est, quicquid ille facit, illud ratum & firmum est*. Idem fol. 417. 1. lin. 9. אם התנו ביניהם לדעת כולם והוא שעשאוהו בחבר עיר דהוא חבר שמתעסק בצרכי העיר כי הנהו טבחי: *Si inte se pacti sint communi consensu, idque præsente Doctore Civitatis, qui negotia civitatis procurat, quemadmodum in exemplo lanionum illorum &c.*

XXIX. In hisce omnibus locis de *Arabarcha* agi facile intelliget, qui superiora legerit. Postremo saltem loco novus titulus occurrit *Socii* vel *Doctoris Civitatis*, de quo nos alibi prolixius egimus: Sed hic quoque illum pro *Arabarcha* venire, ex argumento loci liquet, & exemplo lanionum, de quo supra. Definitur autem *Arabarcha* ita, ut toti *civitati* vel *universitati*, non uni alicui Ecclesiæ, siquidem plures sint in eadem urbe, sed *universis cœtibus*, & quidem *in omnibus negotiis*, *præpositus* esse dicatur, idque summa cum potestate, ut *quicquid decernat*, *ratum & firmum* habeatur.

XXX. Sed adhuc locum unum vel alterum addamus. R. Bezaleel Ascanius, vel Germanus, f. 48. 3. pr. והנה אחד קדוש מגדולי החכמים אשר בעיר מנהיג ודבר בענייני הקהלות: *At vero unus vir sanctus ex maximis Doctoribus, qui sunt in urbe, Gubernator & moderator in negotiis cœtuum*. Erant plures distincti in illa urbe Cœtus, plures adeo etiam illorum Doctores vel Archisynagogi, qui suas quique Synagogas regebant; Sed præter hos unus omnium præfectus, qui negotia universorum curabat, *Gubernator & Dabbar* דבר בענייני הקהלות *in negotiis*, non unius alicujus cœtus, sed *cœtuum* universorum. Novus vero etiam titulus huic occurrit דבר, *Ducis* vel *Rectoris*, de quo infra aliquid addemus.

XXXI. In genere itaque sic satis vidimus, quid *Arabarcha* muneris gerat, & quod item satis sit ad explicandum illud Strabonis, ὅτι διοικεῖ τὸ ἔθνος, quod *suæ gentis res administret*, quemadmodum quidem Gelenius feliciter & convenienter juri Judaico reddidit.

XXXII. In specie vero causarum cognitionem & jurisdictionem Strabo eidem adscribit; καὶ διαιτᾷ τὰς κρίσεις, *& controversias ex jure dirimit*. Διαιτᾷ præter cætera etiam *arbitrium* notat, stricte sic dictum, prout *judicio* opponitur: unde διαιτάω *arbitror* vel *arbiter sum*, nec non *lites compono*. Nihil tamen causæ esse videtur, cur non aliquando hæc vocabula latius etiam *judicium* significent. Sic supra de Rabba vidimus, illum jus dixisse lanionibus illis, & illorum unum condemnasse, sententiamque ejus a Rabh Papa laudatam esse. Hinc ergo *Arabarcha* noster etiam דיין *Judex* appellatur. Bezaleel Germanus, Consiliorum fol. 79. 4. pr. אלו הן הטענות שטענו בני הקק״ ועל פיהם פטרם הרב הגדול נר ישראל דיין העיר נרו' ושבח אותם ומעשיהם לשם שמים ואמר להם שהם פטורים ומותרים ברוכים הם לה': *Hæ sunt rationes, quibus illi qui erant de sancta Synagoga N. N. causam suam defendebant; propter quas Magnus ille Magister, Lampas Israelis, Judex Civitatis, quem Deus misericors & redemtor custodiat, illos absolvit, laudavitque quod opera ipsorum in Dei gloriam facerent &c.*

XXXIII. Inprimis vero *Arabarchæ* munus circa *pacta conventa* versatur, nam συμβολαίων ἐπιμελεῖται καὶ προσταγμάτων; quæ qualia sint, quid circa illa observare debeat, porro videndum. Hebræi pariter duabus vocibus passim utuntur, תנאים ומנהגים *pactorum & institutorum*, vel הסכמות ותקנות *conventorum & decretorum*, sive *edictorum*: quæ cum Græcis rite collatæ ad amussim illi conveniunt, & insignem Strabonis in rebus Judaicis observandis & describendis diligentiam atque accurationem ostendunt.

XXXIV. Judæi sc. quotquot in eandem

dem civitatem conveniunt, non tantum communi quodam cognationis & religionis vinculo inter se continentur, sed vel in primis ratione vitæ civilis, & commerciorum, sine quibus illa consistere nullo modo potest, arctissimam inter se societatem habent vel instituunt.

XXXV. Tametsi enim in celebrioribus locis in varios cœtus sunt distracti, quorum suam quique peculiarem Synagogam frequentant; suos item singuli vel plerique *Archisynagogos*, *Seniores*, *Diaconos*, *Ministros*, *pauperes*, *reditus*, *ritus*, &c. habent; in iisque creandis, alendis, curandis, sui singuli juris sunt, neque alii aliis subjecti: Tamen, quoniam inde a monte Sinai inter se sponsores sunt, & de Lege Dei sancte observanda alii pro aliis obligati; magni sua interesse existimant, Leges divinas, humanasque a majoribus acceptas, sartas tectas esse, neque ab improbis suæ gentis hominibus proterve violari, convelli, everti. In hunc finem ergo לצרך השעה, ut ajunt, *pro re nata & exigente necessitate*, novas sæpe leges condunt, לחיזוק הדת *ad muniendam tuendamque legem & religionem*, למגדר מלתא *ad circumscribendam nimiam licentiam*, ולאפרושי מאיסורא *suosque ea ratione ab interdicti violatione probibendos*; vel quod idem est, גדר וסייג נוזרים ומסייגים להרחיק לתורה: *sepem legi prætendunt*, מן העבירה *ad elongandum a transgressione*. In hanc, inquam, rem sæpe novas constitutiones faciunt, quas הסכמות *conventiones*, גזירות *decreta*, תקנות *edicta* &c. appellant.

XXXVI. Quoniam vero præter hanc, quæ ex religione est, conjunctionem, vitæ civilis ratio aliam quoque societatem illos inire cogit, de tributis conferendis, tractandis commerciis, & quæ id genus alia esse solent; ipsique juris & moris aviti tenacissimi sunt, & a Gentilium tribunalibus toto pectore abhorrent; & inter se, quod Apostolus quoque Corinthiis suadet, lites componere amant: hinc ליישוב העולם *ad vitæ civilis commoda*, לתיקון העיר *ad ordinandam civitatem*, pariter leges condunt. Cum vero hæ more Romano *rogandæ* sint, & liberis civium suffragiis statuendæ; תנאים & הסכמות *conventiones*, *pactiones*, מנהגים *instituta*, quæ legum vim habent, תקנות *statuta & edicta*; & denique, quoniam hæc in Synagogis sub pœna excommunicationis non sine solennibus ceremoniis promulgantur, etiam חרמות appellantur, id est, *leges jure jurando & devotione sancitæ*.

XXXVII. In hujusmodi itaque pactis & decretis condendis, *Arabarchæ* auctoritas atque consensus, siquidem aliquis in ea civitate sit, accedat necesse est; absque eo enim sit, plane irrita sunt & ipso jure nulla. R. *Elias Misrachi*, fol. 94. 3. f. ויש לומר דהיכא דאיכא אדם חשוב בעיר שמתנהגים בכל תנאיהם ומנהגיהם על פיו קיים לן דאף על גב דאיכא הנאה לכל אחד מבני העיר דקא צייתי להדדי אפילו הכי לא גמר לאקנויי מפני שהוא סבור שמכיון שכל תנאי ומנהגי העיר הם על פי אותו חכם לא יתקיימו התנאים שעשו ביניהם שלא מדעתו: *Dicendum adeo est, ubicunque est Vir Spectabilis in civitate, cujus consilio in omnibus* Pactis & institutis *faciendis uti solent, certum nobis & ratum esse, etsi universis & singulis civibus, qui inter se contrahunt, ex hoc contractu lucrum oriatur, tamen nemini ex illo actionem nasci; quoniam ille* (......) *ita existimat, quandoquidem omnes contractus & statuta civitatis ex illius Doctoris sententia fieri debent, hinc adeo nullam vim habere contractus, qui illo inscio & invito initi sint*. Idem f. 96. 3. m. אבל איכא מנהיג אין רשאין להסיע אם לא מדעתו מכלל שאם לא היה החכם שבעיר מנהיג אותם הם רשאים להסיע על קיצתן ואף על פי שעשו אותן הקיצות שלא מדעתו וכל שכן שלא מדעת טובי העיר בשלא היו חכמים מפני שאינם לא חכמים ולא מנהיגים: *Sed si fuerit Gubernator* (in illa urbe, cives) *non habent jus mulctandi* (pactorum violatorem) *nisi ipso consentiente; ex eo scilicet, quod si Doctor, qui est in urbe, non fuerit illorum etiam Gubernator, habeant jus mulctandi propter decreta violata, etiam si illa decreta absque illius consensu fuerint inita; multoque magis, etsi sint inita sine consensu Bonorum Civitatis, quando non adsunt Doctores; eopse sc. quod illi (Boni) neque Doctores sunt, neque Gubernatores.* Adeo nempe jus *pactorum conventorum ad solum Arabarchen* pertinet, ut ordinarii *Doctores*, & ipsi *Boni*, sive *Seniores cœtuum*, nullo modo in censum veniant, nisi titulo & potestate gaudeant המנהיגים *Gubernatorum*, vel *Ethnarcharum*.

XXXVIII. Sed longum esset omnia describere, quæ R. Elias, cum suo, tum aliorum nomine, in hanc rem affert. Folio 93. col. 3. f. Exoticam allegat, ex Babha Bathra, f. 9. col. 2. f. רשאין בני העיר *Potestatem habent cives &c.* (quam vide supra, §. XVIII.) eamque ex restrictione Rabh Papæ, quæ ibid. fol. seq. subjicitur, explicat tum demum locum habere, quando nullus est in Civitate *Arabarches*; Sed si hic adsit, nulla pacta obligare, nisi בפניו *ipso præsente*,

&

& מודעתו *ex illius sententia & consensu*, & על פי עצתו *de consilio ejus* inita sint. Inde ergo ab illo loco usque ad finem fere capitis, per sex admodum folia, de jure civium, & *Arabarchæ* inprimis, ut & Seniorum, in pactis condendis agit; præstantissimos Juris Judaici consultos, *Maimonidem*, *M. N. Tam*, *Præceptorem R. A. B. I. H. Senem Metensem*; *Jarchium* item, *Nachmanidem*, aliosque in partes vocat; qui etsi in explicanda Exotica, & objectione a Rabh Jemar inde adversus Rabbam petita, nec non de solutione Rabh Papæ, disputant, tamen in eo omnes consentiunt, שאין בידם של בני העיר לגזור שום גזירה ושום תיקון בלתי הסכמת הרב המנהיג אותם משום דכולהו בטלי לגביה בין לדברי הגאונים הראשונים בין לדברי הגאונים השניים דעד כאן לא קמפלגי אלא כשהיה על פי המנהיג ולא התנו כולם מתחלה או כשלא היה שם מנהיג ועשו על פי טובי העיר ורוב בני העיר ולא התנו כולם מתחלה. אבל היכא שהיה שם מנהיג ועשו שלא מדעתו לא שנה התנו כולם מתחלה לא שנה לא התנו בו אף על פי שנעשה אותו חרם על פי כל בני העיר ועל פי כל טובוה בין לדברי הגאונים הראשונים בין לדברי הגאונים השניים אין החרם הזה חל על אותם שלא הסכימו בו כלל לא ריחו ולא ריח ריחו: *Non esse civibus facultatem quicquam sciscendi & statuendi absque consensu Arabarchæ, quoniam universi ad illum comparati nulli sunt, consentientibus in eo & prioribus & posterioribus Doctoribus, quandoquidem hactenus non disputant, nisi in hoc solo; si vel auctoritate Arabarchæ pactum initum sit, neque tamen omnes ab initio pacti sint; vel si, deficiente Arabarcha, contraxerint consentientibus Bonis Civitatis & maxima parte civium, neque tamen universi ab initio pacti sint. Enimvero sicubi Arabarcha adsit, & tamen absque illius consensu pacti sint, nihil interest, sive ab initio omnes pacti sint, sive non; etiamsi illud decretum consensu totius civitatis & omnium Bonorum factum sit. In eo, inquam, omnes Doctores illi, & priores & posteriores, consentiunt, istud decretum nullo pacto & specie obligare illos, qui in illud nunquam consenserunt.*

XXXIX. Eccur vero *Gubernator pactis civium attendere* debeat? Ut illa æquo jure & ex omnium commodo fiant, neque alii alios ejusmodi pactis circumscribant. Frequentia hujus generis exempla apud Doctores occurrunt, quando vel ex odio atque invidia, vel lucri cupiditate, alii aliorum commoda impedire vel intercipere conantur: quo casu *Arabarches* providere debet, ne quid cuiquam damni vel injuriæ inferatur. R. Benjamin, fol. 420. 1. p. lin. 7. ונרא' לעד דאין כוח בידם להכריח לשום אחד היכא דאיכא פסידא להאי אא״כ במנדר מלתא דהיינו לאכרושי מאיסורא: *Mihi itaque pro captus mei tenuitate sic videtur, non esse illis potestatem quemquam cogendi, in re ex qua illi damnum detur; sed tantum in coercenda licentia, id est, ad probibendum a re vetita.* Idem, f. 421. 2. pr. lin. 10. ואין ממש באותה תקנה שעשו להכריח אחד מהקהל כיון דבזמן שהיה חי האלוף מהר״ר דוד הכהן לא נהנוהו מקודם בחייו אינם יכולים עתה לשנות מנהגם דמנהג אינו נקרא אלא מנהג ותיקון או היכא דאיכא מגדר מלתא לאפוקי הכא דאין שום דבר ממגדר מלתא ואכא פסידא להאי ורווחא להאי דאין לעשות להסכמתם אם לא מדעת כולם: *Nihil itaque est in illa constitutione, quam fecerunt, ad cogendum quemquam ex Cœtu. Quoniam enim superstite adhuc Viro Cl. Davide Coben istam consuetudinem non habuerunt, nunc quoque non possunt consuetudinem mutare. Quia consuetudinis nomen non datur nisi illi, quæ a piis sanctisque viris fuerit instituta, aut in qua auctoritas & vis Legis versatur; ut excipiantur noster ejusque similes casus, in quibus uni damnum, alteri lucrum affertur, quando illorum institutum non est observandum, nisi communi consensu sit firmatum.*

XL. Id ergo Arabarcha curare debet in pactis civium vel opificum, ut jus omnibus æquum sit, eamque in rem vel cives ipsos, vel seniores cœtus in consilium adhibere. Idem Benj. f. 228. 1. m. וראוי לכל חכם ומנהיג כשירצה לעשות איזה תקנה שיראה לו שהיא תקנה לרבים שיכניף לראשי הקהל כההיא דפ״ק דסנהדרין ובפ״ג מכניף ומייתי רבנן [מבי רב וכו': *Æquum itaque est, si quis Doctor vel Gubernator quamcunque legem, quæ universos attineat, ferre velit, ut prius principes cœtus convocet, (cum iisque deliberet) exemplo Rabh Hunæ, Codice Sanbedrin cap. I. & Horajoth, cap. III. qui siqua lis ad illum perferretur, Magistros ex Academia convocabat &c.*

XLI. Sed ne aliunde exempla conquiramus, historia pacti illius Constantinopolitani, quam supra exhibuimus, rem satis illustrat. Audiamus iterum conclusionem R. Eliæ, circa finem responsi. ועוד מפני שזה החרם לא נעשה לשם שמים ולא לכונת תקון העולם כמשפט החרם והנדוי הנעשים לתקון העולם ולחזק הדת וקיומו אבל זה החרם נעשה על צד הקנאה ושנא' שהיה לקצתם על המלמדים מצד חכבור שהיו מקבלים מהקראים וכו': *Porro, quoniam illa constitutio non est facta in honorem Dei neque in salutem vel commodum Rei-*

pu-

publicæ, more aliarum ſanctionum, quæ in uſum Reip. & ad ſtabiliendam Legem fiunt: Imo vero, ex odio & invidia profecta eſt, qua partim adverſus Magiſtros laborant, propter honorem, quo a Karræis afficiuntur; partim adverſus ipſos Karræos, propter uſuras, quas a Judæis more & lege omnium fœneratorum accipiunt, quos inde adeo omnes homines graviter odiſſe ſolent, quoſque nunc ulciſci volebant: Et abſque illa invidia atque ira fuiſſet, nunquam has turbas dediſſent, quod apud omnes conſtat & in confeſſo eſt &c. Hinc adeo Arabarcha Conſtantinopolitanus iniquiſſimum illud improborum hominum pactum impedire debebat, & quantum in ſe erat, impedire conabatur.

XLII. Sed vela contrahenda ſunt, ne Diſſertationis modum excedamus. Videamus paucis de *auctoritate* & *poteſtate* Arabarchæ noſtri. R. Elias, fol. 97. 1. p. *Sed ſi una aliqua* (harum conditionum, quarum quaſdam mox recenſet) *deſit, ut ſi, verbi gratia, pacta inita ſint abſque conſilio Bonorum civitatis, & multo magis* שלא בעצת החכם המנהיג *ſi inconſulto Arabarcha*, דכולהו בטלי לגביה מפני שהוה ממונה עליהם כמו שהבית דין הגדול הוא ממונה בדור: *cum quo univerſi comparati nulli ſunt, eo quod hic illis præpoſitus eſt, quemadmodum ſummum Synedrium* (toti) *ſeculo eſt præfectum. Itaque igitur, tametſi major civium pars pactum inierint, tamen non habent facultatem quemquam ullo modo multandi vel puniendi, qui illorum ſtatuta non receperit*, eo quod in tali caſu nihil multæ relictum eſt loci, דכיון שנעשו התנאים שלא מדעת החכם המנהיג העומד במקום בית דין הגדול שבירושלים: *Eo ſc. ipſo, quod pacta inita ſunt abſque conſenſu Doctoris Regentis, qui obtinet locum ſummi Synedrii Hieroſolymitani, ex ſententia Doctorum, quos ſecundo loco allegavimus.* וכל חכמים והטובים שבעירם אפילו אם היו יותר מופלגים מהחכם המנהיג בחכמה ובזקנה הכל בטלים לגביה משום דהאי מנהיג מכיון שהוא ממונה עליהם תורת מלכות אית ביה והוה ליה כבית דין הגדול שבירושלים שכל החכמים היו בטלים לגביה: *Et omnes Doctores Senioreſque, qui ſunt in urbe illorum, etiamſi Arabarchæ & eruditione & ætate præſtent, tamen, ſi ipſum ſpectes, nulli ſunt; ex eo ſc. quod hic Arabarches* (vel Gubernator) *eo ipſo quod illis præfectus eſt*, Jus Imperii *habet, & ſimilis eſt Synedrio ſummo Hieroſolymitano, cum quo reliqui omnes Doctores comparati, nihili erant.*

XLIII. Satis ergo liquet, quanta ſit Arabarchæ auctoritas & poteſtas, & quo jure in ſuperioribus dictum ſit, שמה שעשה עשוי *quicquid facit ratum eſſe*, quoniam, ut comparationem ejus cum *Summo Synedrio* & reliquis *Doctoribus* mittamus, תורת מלכות אית ביה, quæ phraſis, utpote hactenus inſolentior, paucis erit explicanda.

XLIV. Sic apud R. Benjaminem, fol. 331. 1. lin. 6. כיון דאיכא ביה תורת תלמיד חכם: id eſt, ſi ad verbum reddas, *quandoquidem in illo eſt Lex Diſcipuli Sapientis*. Sed plenius ibidem, fol. 331. 2. f. lin. 4. כיון דאיכא ביה דין תורת ת״ח, *quandoquidem in illo eſt Jus Legis Diſcipuli Sapientis*, id eſt, quia omnia legitimi Doctoris requiſita, jura, privilegia habet, vel ſi quibus aliis vocabulis hæc exprimi ſoleant & poſſint. E contrario ibid. lin. penult. דלית ביה דין תורת ת״ח *qui non habet* requiſita, jus, auctoritatem legitimi, promoti, *Doctoris*. R. Elias Miſrachi, f. 74. 2. pr. *Et quemadmodum in variis controverſiis, quæ in ipſis cœtibus agitatæ ſunt, R. Aſcher reſpondit, jus eſſe ut ſequamur plura ſuffragia*, משום דכל אנשי הקהל בכלם לעניין ההסכמות והתקנות והגזירות שלהם הם נקראים בית דין ותורת בית דין עליהם בכל דבר: *Ex eo quod omnes viri Cœtus ſimul ſumti, in pactis, ſtatutis, & decretis ſuis, vocantur Domus judicii, & jus judicii habent in omnibus rebus.* Idem, fol. 17. 1. *Et quod cives atque opifices ſimiliter inter ſe paciſci & ſtatuta condere poſſint, neque neceſſe ſit, ut illorum ſtatuta ex ſententia religioſorum Doctorum fiant*, משום דהוו בהנהו מילי כמו שותפין ויש להם כל דיני השותפין שמשביעים קצתם את קיצתם: *eo quod in illis rebus quaſi ſocietatem inter ſe habent, & amnia jura ſociorum habent, quorum alii alios adjurant.*

XLV. Ex his itaque ſic ſatis conſtare arbitramur, illud תורת מלכות אית ביה hoc ſignificare: *Arabarchen legitimum Magiſtratum eſſe, & omnia legitimi ac ſummi* (inter Judæos) *magiſtratus jura & privilegia habere*, non ea ſolum de quibus hactenus, ductum Strabonis ſecuti, egimus, ſed & ſi quæ ſunt id genus alia, ut de diſpenſando ærario publico, etiam ſacro, quemadmodum prudens lector ex iis, quæ §. XXIII. de Raf Aſſe narrantur, per ſe facile intelliget. Unde adeo nullus dubito, quin de *Arabarcha* noſtro illud quoque valeat, quod Hebræorum Magiſti paſſim inculcare ſolent, דינא דמלכותא דינא *Jus Regni*, vel *Magiſtratus*; *jus eſt*; & ut noſtri JCti loqui ſolent, *Sententia Judicis pro veritate habetur*: etſi, quod fateor, hactenus illud de *Manhig* noſtro nondum memini obſervare.

XLVI. Quanquam vero Disputatio nostra ad finem properat, tamen non possumus, B. L. quin Te hic אנב אורחא, ὡς ἐν παρόδῳ, moneamus, observes illud, quod §. XLIV. R. Elias de universa civitate, vel universo cœtu, aut collegio fabrorum testatur, esse illos ב״ד *domum judicii*, sive *judices* in suis negotiis ordinandis. Quæ observatio eo faciet, ut sicubi legas, Eleemosynas a ב״ד *domo judicii*, *curia*, definiri & cuique imponi; scias atque intelligas, quodnam illud *judicium* sit; non sane Magistratum civilem, quod Alii Tibi persuasum velint, sed Synagogam, sive ipsum cœtum, qui ad Synagogam aliquam pertinet, quique jus & potestatem habet definiendi, quomodo universi eleemosynas conferre, & quantum singuli contribuere debeant: quemadmodum nos alibi, Deo volente, ex certo Jure & historiis Hebræorum, pluribus ostendemus.

XLVII. Sed ut e diverticulo in viam redeamus, nunc illud quoque tandem liquere arbitramur, quid sit, quod Strabo apud Josephum de Ethnarcha ait, esse illum ἄρχοντα πολιτείας αὐτοτελοῦς, *principem absolutæ Rei Publicæ*, Αὐτοτελὴς, ut Græci Lexicographi docent, non tantum in genere illud dicit, quod in se *absolutum & perfectum* est; Sed in specie, αὐτοτελὴς δίκη, ἀφ' ἧς οὐκ ἔστιν ἐκκαλέσασθαι ἐφ' ἑτέραν, *judicium* vel *sententia*, *a quo ad aliud judicium sententiamve provocare non licet*. „ αὐτοτελὴς αἰτία, *causa per se finem faciens*. Nam αὐτοτελῆ „ αἴτια, auctore Galeno sunt, quæ ipsæ, „ tantum & per se finem & eventum „ faciunt: quibus opponuntur τὰ συναίτια, „ id est, *adjuvantes causæ*: nimirum quæ „ cum aliis parem potestatem habentibus, eventum faciunt, solæ vero per „ se nihil tale possunt. „ Vide Lexicon Rob. Constantini, ex quo hæc in rem nostram non dubitavimus transferre.

XLVIII. Cum itaque Judæorum illud corpus, quod Alexandriæ erat, inde ab Urbe condita, idem jus civitatis haberet, quo reliqui Græci & Ægyptii gaudebant, suisque per omnia moribus & institutis viverent; suos quoque sibi Rectores & Magistratus habebant; qui de causis & negotiis Judæorum soli cognoscebant & sententiam ferebant, ita libere & absolute, ut neque Gentiles sese illorum negotiis immiscerent, neque Judæis a sententia lata ad aliud tribunal appellare liceret. In hac itaque, quantum quidem dominatus regii ratio ferebat, libera & florentissima civitate, noster ille Princeps erat, πολιτείας ἄρχων αὐτοτελοῦς; unde exteris vulgo Ἐθνάρχης, *nationis Judaicæ Princeps*, ipsis vero Judæis Alexandrinis voce semibarbara Ἀραβάρχης dicebatur, quod supra satis ostendimus respondere Hebræo titulo הרב המנהיג *Harab hammanhig*, *Doctor Rector* vel *Gubernator*.

XLIX. Sed nunc tempus est, ut ea quoque, quæ Juris Romani Conditores, aliique, de *Arabarcha* scripta reliquerunt, congeramus, & ponderemus; si vel superioribus aliquid lucis adfundere possint, vel potius inde veniant illustranda. Imp. Justinianus Edicto XI. Cap. II. *Sed & necesse omnino habebunt, ut tum Præfecto apud Alexandrinos Augustali, quique pro tempore eum Magistratum habebunt, in consuetis frumenti emissionibus, tum vero etiam* Arabarchæ *qui nunc est, quique pro tempore futurus est: & sacrorum nostrorum thesaurorum Præposito, nullo prorsus accepto lucro aurum suppeditent*. Cap. III. *Ita vero illi hujus rei curam injunximus, iisque qui Magistratum post ipsum suscepturi sunt, & cohortibus, quæ ipsis parent, ut sciant, si pro obryzo aut Sacrarum nostrarum* Arabarchiarum Præfectis, *aut a Sacrarum nostrarum largitionum Præposito quicquam exactum esse manifestum fiat &c.*

Cod. Lib. IV. Tit. 61. Leg. 9. *Usurpationem totius licentiæ summovemus circa* Vectigal Arabarchiæ *per Ægyptum atque Augustaneam constitutum; nihilque super traductione animalium (quæ sine præbitione solita minime permitenda est) temerarie per licentiam vindicari concedimus*.

Cicero ad Atticum Libr. II. Epist. 17. *Velim e Theophane expiscere, quonam in me animo sit Arabarches*.

Juvenalis Sat. I. V. 129. seq.

> *Inter quas ausus habere*
> *Nescio quis titulos Ægyptius, atque*
> *Arabarches*.

Et denique, qui omnium primus adduci meruerat, Paulus 2. Cor. XI. 32. Ἐν Δαμασκῷ ὁ Ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως ἐφρούρει τὴν Δαμασκηνῶν πόλιν, πιάσαι με θέλων. *Damasci Ethnarcha Aretæ Regis præsidio custodiebat urbem Damascenam, volens me prehendere*; coll. Act. IX. 24. *Intelligebat autem Saulus insidias illorum* (Judæorum,) *& observabant portas interdiu & noctu, ut illum prehenderent*.

L. Hæc præcipua sunt, quæ hactenus a Viris Doctis de *Arabarcha* vel *Ethnarcha*, apud Veteres sunt observata. In quibus adeo & legendis, ἀλαβάρχης an ἀραβάρχης? & multo magis interpretandis, varii varie se torserunt; quemadmodum

dum ex iis, quæ *Cujacius*, Obſerv. Lib. VIII. cap. 37. *Fullerus* Miſcellaneorum Lib. IV. cap. 16. Commentarii Variorum ad Ciceronem & Juvenalem exhibent, abunde conſtare poteſt. Præſtiterunt Viri literatiſſimi & omni laude digniſſimi, quod ex ſuis principiis potuerunt: ut nobis nihil cauſſæ eſſe exiſtimemus, cur quemquem illorum nominatim refutare aggrediamur, ſola noſtræ ſententiæ explicatione contenti. Cujacii ſententiam de Ἀλαβάρχῃ *Scripturæ Magiſtro*, Fullerus ſatis ſolide refutavit: Utrum vero Fullerus, de חליק ארכא *Vicario Principe*, voce Arabico-Græca, an ego de *Harab hammanbig*, ſive *Arab* ἄρχων voce Hebræorum Græca, tot teſtibus probata, felicius collinearim, tuum, B. L. arbitrium eſto. Ego loca citata paucis ponderabo.

LI. Quod itaque *Ciceronem* attinet, ex eo nihil proficere datur. Solum *Arabarchæ* nomen, nulla nota addita, nobis exhibet: quo ſive Pompejum deſignaverit, uti quidam Viri Docti exiſtimant, ſive, ut alii, Antonium, perquam difficile eſſe arbitror divinare, quid Cicero, ut elegans & facetus erat, ſpectarit, cum vel Pompejum, vel Antonium, hoc nomine appellaret.

LII. Paullo magis Juvenalis juvat, quando *Ægyptium* & *Arabarchen* conjungit; ad rei tamen ſummam nihil magnopere confert. Tametſi enim *Ægyptius atque Arabarches* pari paſſu apud illum incedunt, & indignationis Poeticæ objectum ſunt; ut facile intelligas, de *Arabarcha Alexandrino* agi: tamen quis qualiſve ille *Arabarches* ſit, ex hoc loco nullo modo conſtare poteſt.

LIII. Neque vero plus luminis Pauli locus affert, 2. Cor. XI. niſi quod Ἐθνάρχην *Aretæ*, *Arabum Regis*, nobis exhibet: Unde recte collegeris, quemadmodum Alexandriæ & Antiochiæ, inde ab antiquiſſimis temporibus, *Arabarchæ*, *Ethnarchæ*, *Principes* Judæorum fuerunt; ita quoque pariter Damaſci, ſed qui nova relatione, *Ethnarcha* (non Judæorum ſed) *Aretæ*, Arabum Regis appelletur; quique jus habuerit hominem Judæum prehendendi, eoque nomine portas urbis, atque omnes aditus, obſidendi.

LIV. Quod itaque tandem ad Edictum Juſtiniani attinet, *Arabarches* noſter mox illico magnis permixtus Achivis cernitur; inter *Præfectum Auguſtalem & Sacrorum Theſaurorum Præpoſitum*, medius locatur, Edicto XI. cap. 2. vel *Sacrarum largitionum Præpoſito* adjungitur, cap. 3. Id quod non tantum ſucceſſionem *Arabarchæ Alexandrini* uſque ad ævum Juſtiniani oſtendit, ſed in primis ejus dignitatem arguit, ceu qui ſummis in Ægypto Viris comparetur.

LV. Sed quid Saul, inquies, inter Prophetas? vel quid *Arabarchæ* cum *Præfecto Auguſtali & Sacrorum Theſaurorum Præpoſito*? Quemadmodum ſc. hi ab Alexandrinis reliquiſque Ægyptiis, Imperatoris nomine, tributa colligebant, ita pariter *Arabarches* a Judæis. Horum quiſquis per Germaniam, Bohemiam, Poloniam, Turciam, jura & mores noverit, ignorare non poteſt, Judæos in illis oris vectigalem libertatem habere, & certam tantum auri ſummam Principi quotannis pendere, de cætero ab omnibus ordinariis oneribus & tributis liberos atque immunes. Quo pacto vero Judæi ſummam illam conferant, per capita illam, vel facultates, aut fundos deſcribant atque exigant, id vero Principes non curant, ſed Judæorum arbitrio permittunt. Vidimus aliquando ipſi Judæos hoc nomine coactos; teſtantur publicæ rerum novarum tabulæ: ſed clamant ante omnia tot controverſiæ inter Judæos hac de re agitatę, quibus enarrandis nulla quantumvis magna diſſertatio ſufficiat. Cum itaque Alexandrini, cæterique Ægyptum incolentes Judæi, non minus atque reliqui omnes, Imperatori vectigal penderent; ac, pro more & jure ſuo, inter ſe de illo conferendo pacta & rationes inirent nihil prius atque potius erat, quam ut ſuę hic *Arabarchæ* partes, eęque facile principes, eſſent. Quemadmodum enim ad alia pacta publica ejus auctoritas requirebatur; ita hic vel maxime neceſſaria erat, ubi & res Principis, & nationis ſalus agebatur. Cum itaque in reliquis populi Judaici negotiis tanta ejus auctoritas eſſet, hoc inſuper ad cętera acceſſit, ut etiam ęrarium populi curaret, & vectigalia ac tributa, quę Judęorum natio ſive pro more, ſive aliquando extra ordinem, pendere debebat, in Imperatoris fiſcum inferret.

LVI. Unde illud nunc quoque conſtare arbitror, cur Imperator *Arabarchias ſacras* appellet: *Si pro obryzo*, inquit, *aut a Sacrarum Noſtrarum Arabarchiarum Præfectis &c.* Nempe enim *Arabarchæ* ita a gente ſua creabantur, itaque illi pręerant, ut jus Principis ſimul tueri deberent; qui ſi quid Judęos vellet, *Arabarchæ* tantum negotium dabat; cujus uti apud populum maxima erat auctoritas, ita Principi ipſe ſubjectus erat, cujus mandata exſequi debebat. Quemadmodum igitur Damaſcenus ille a Paulo *Ethnarcha Aretæ Regis* appellatur; ita *Arabarchiæ* Ægypti *Sacræ* vocantur, ceu ſin-

singulariter ad Imperatorem pertinentes, quarum non minus curam habebat, quam *Sacrorum thesaurorum*, quorum illas non contemnendam partem constituisse vero nobis simile videtur. Tempore vero Justiniani Imperatoris jam plures in Ægypto *Arabarchiæ* erant, forte pro numero celebriorum urbium, quas insignis aliquis Judęorum numerus incolebat. Sed hęc in pręsenti sufficiant. Alias, Deo volente, reliqua, quæ in superioribus promisimus, & insuper adhuc alia quędam non indigna scitu de hoc argumento addemus.

PETRI WESSELINGII DIATRIBE DE JUDÆORUM ARCHONTIBUS AD INSCRIPTIONEM BERENICENSEM.

VIRO CLARISSIMO

JAC. PH. D' ORVILLE

S. D. P.

P. WESSELING.

CUM primum animum adpellerem ad Diatriben hanc publicandam, recentandamque repetita editione Dissertationem, ante hos quinque annos Franequeræ scriptam, consilium erat eliam illis comitem addere, quæ artes fraudesque Anonymi Ravennatis in lucem proferret; quod tædio lentitudinis operarum, quibus illas describendas dederam, etsi deinceps repudiaverim, libe• scriptionis ejus occasionem & summa capita familiarius tecum communicare. Venerat in manus meas *Naturalis Provinciæ Narbonensis Historia*; cujus eruditæ & sane quam elegantis auctor cum longo sermone ostendisset, pictam Tabulam, quæ Peutingerorum fuit, & Antonini Itinerarium invicem sibi, ubi mendis obsita sunt, auxilio esse & pæne mutuas operas tradere, justa, uti videbatur, conclusione conficiebat; *Castorium*, unde Ravennas Anonymus haud pauca depromsit & pro suis usus est, aut Tabulam eam atque Itinerarium descripsisse & conpilasse, aut ea veteris ævi monumenta ex *Castorii* commentariis videri composita atque digesta: neque adeo probabili eos ratione carere, qui *Castorium* Tabulæ Puetingerianæ & Itinerarii, quorum genuini parentes sunt ignoti, conditorem arbitrantur: plurima certe horum ope in melius posse refingi, quæ nunc prava & miserandum in modum lacera in Ravennate leguntur: eam vero successus & auxilii spem *Lollianum*, *Aristarchum*, *Libanium*, ceterosque scriptores, quos Ravennas ille testes excitare solet, (1) destituere. Quæ mira mihi cum legerem, neque enim diffitebor, accidebant. Sic enim mecum ipse putabam: si *Lollianus*, *Aristarchus*, *Libanius Sardatius*, & reliqui Ravennatis auctores iisdem fontibus, quibus *Castorius*, hortulos suos irrigarunt, quid tandem illud erit, quod efficiet, quo minus & illi eandem opem ad Tabulam & Itinerarium novo cultu ornandum conferre possint? Et, merces fallaces ac fucosas si lectoribus Ravennas obtruserit, scriptoresque commentus sit, qui aut nunquam fuerunt, aut nihil istiusmodi in literas retulere, quam vim illæ conclusiones habebunt? Neque prave me cogitasse, neutramque harum suspicionum veritatis viribus posse infringi, jam olim repetita libri lectione deprehenderam. Ad primam enim si spectes, quæ in Ægypto atque Africæ civitatum recensione ex *Lolliano Romanorum*, ut ait, (2) *Cosmographo* adfert, ea cum pulvisculo ex picta Tabula, cujuscemodi

di est Peutingeriana, abstulit. Indidem & ea mutua sumsit, quæ *Libanio* in Bospori, Scythiæ Mœsiæ utriusque & Thraciæ descriptione (3) accepta retulit. Nec alium illa auctorem agnoscunt, quæ in Epiro, Pelagonia, Macedonia & Græcia (4) *Aristarchi*, & in Dacia prima & secunda *Sardatii* esse perhibentur. In ea quidem, ne fallaciæ exstarent, addidit subinde aliqua ex Jornandis Rebus (5) Geticis, vel sic tamen manifesto deprehensus tenetur. Vide modo de *Maximo*, *Marco Miro*, *Athanarido*, urbibusque per Illyrici, Pannoniæ, Dalmatiæ, Valeriæ, Germaniæque (6) provincias. Altera ita mihi certa videbatur, ut nihil posset supra. Ecquis enim unquam fando accepit, *Penthesileum* & *Marpesium* de Caucasiis montibus & Amazonum sede commentaria (7) reliquisse? *Hylam* (8) Macedonum & Roxolanorum, *Pirithoum* Asiæ minoris urbes scriptis suis (9) illustrasse? Ausim quovis pignore contendere, Ravennatem ex Phenthesilea & Marpesia, nobilissimis Amazonum, atque ex Hyla Herculis & Pirithoo Thesei amico hos nobis Geographos procreasse. Ceteri ejus auctores etsi plura literis consignarunt, nihil tamen eorum, quæ Anonymus inpudenter mentitur, *Libanium* ait Onogoriam ad Ponticum mare (10) scriptione subtilius declarasse, cujus ætate Uniguri sive Onoguri vix auditu Romanis erant cogniti, quippe multis a morte ejus annis ad eorum fines (11) delati: *Ptolemæum regem Ægypti*, Roxolanorum & Sarmatarum regiones, quas flumen Vistula alluat, (12) descripsisse; Claudium Ptolemæum, nobilem Geographum, cum illustrissimo Ægypti rege turpi flagitio confundens: præterea *Aristarchum*, *Jamblichum*, *Porphyrium*, *Libanium* & *Eutropium* in Dardaniæ, Mœsiæ, Macedoniæ, Epiri & Helladis urbibus enumerandis diligentissime esse versatos. Quæ sine pudore ementiri de scriptoribus nominis haud obscuri cum sustinuerit, quis homini, tametsi jurato, crediderit, *Castorium*, *Lollianum*, *Sardatium*, *Maximum*, *Marcum Mirum*, *Athanaridum* Geographiæ attendisse, & quidquam hoc de genere composuisse? Ego profecto cum nomina oppidorum, quæ ab obscurissimis & vix usquam lectis scriptoribus se accepisse fingit, ex Tabula Peutingeriana nullo negotio eruantur, haud ab re mihi suspicari videbar, eodem omnes parente esse progenitos, qui *Penthesileum*, *Marpesium*, *Hylam*, & *Pirithoum* malo publico edidit. Atque hæc cum paullo copiosius, Amicissime D'Orvilli, essem exsecutus, orationem ad hominis ætatem & tempus scripti libri constituendum converti. Qua in quæstione recentia Germaniæ urbium nomina, *Anternacha*, *Gormetia* (13) sive *Wormatia*, *Spira*, *Argentaria*, *quæ modo Stratisburgo*, vix ante seculum IX. audita, non vile patrocinium erant. Aderat & *Rhenus* (14) *in mare Oceanum sub Dorostate*, *Frisonum patria*, *ingressus*. Id enim scribi nisi post Caroli M. ætatem haud potuisse noveram. Occupaverant Frisones loca, per quæ Rhenus in mare evolvitur, exeunte seculo VII., sed victi ad *castrum* (15) *Dorostate* a Pipino intra suos se fines continuere; donec vertentibus annis exuberante juventutis flore in easdem regiones concesserunt, & gentis suæ nomen cum iisdem communicarunt. His majus robur & pondus addebant. *Quæstiones ad Antiochum principem*, quæ vulgo Athanasio tribuuntur, & sine controversia post (16) Caroli M. tempora editæ sunt, quarumque auctoritate Ravennas (17) utitur. Hinc necessaria consecutione concludebam, Anonymum hunc seculo IX. posteriorem videri. Quærebam deinde idemne esset ac Guido Ravennas, quem de Geographia librum conscripsisse Blondus, Galateus & Volaterranus testimonio sunt: reque diligentius in utramque partem examinata, & repudiata priore sententia, concedebam in partes Clarissimi Astruc, Anonymum Ravennatem & Guidonem eum accuratissime (18) distinguentis. Habes argumentum meditatæ Dissertationis. Diatriben de Judæorum Archontibus comiter pro amicitia recipies & probabis spero. Secus si cecederit, tibi ipse imputabis: Te enim suasore & auctore de Archontibus illis scribere ingressus sum. Vale. Trajecti ad Rhenum Kal. Junii CIƆIƆCCXXXVIII.

(1) *Memoires pour l' Histoire Naturelle de Languedoc Part. I. Chap. 13. pag. 176.*
(2) *Lib. III. cap. 2. & 3.*
(3) *Lib. IV. cap. 3. 5. 6. 7.*
(4) *Ibid. cap. 8. 9. 10. 14.*
(5) *Vid. Jornandis Get. cap. 5. 22. 56. & Raven. lib. IV. cap. 3. 14. 9.*
(6) *Ravennas lib. IV. cap. 15. 16. 19. 20. 22. 24.*
(7) *Ibid. cap. 4.*
(8) *Ibid. cap. 9. 11.*
(9) *Lib. II. cap. 16.*
(10) *Lib. IV. cap. 2.*
(11) *Vid. Agathonem Diaconum in Combefisii tom. II. Auctarii pag. 202. & Menandrum in Excerpt. Hoeschelii pag. 238.*
(12) *Lib. I. cap. 9. & lib. IV. cap. 4.*
(13) *Lib. IV. cap. 26.*
(14) *Lib. I. cap. 11. & lib. IV. cap. 24.*
(15) *Fredegarius Chron. cap. 102.*
(16) *Vid. Differt. Chorogr. tom. X. Script. Ital. pag. 10.*
(17) *Lib. I. cap. 6.*
(18) *Memoires pour l' Histoire de Languedoc Part. I. Chap. 12. pag. 193.*

CAPUT PRIMUM.

Patres Synagogarum qui fuerint? Συναγώγιον de cœtu. *Mater Synagogæ. Inscriptio Berenicensis.*

PRiscę Judæorum res etsi nostra patrumque memoria diligenti excellentium ingeniorum cura abunde videantur illustratæ, sæpe usu venit, ut ea incidant, quæ densioribus obsepta tenebris lucem desiderant. Synagoga, in qua instruenda tantopere viri egregii desudarunt, plura hujus generis offert, sive monumentorum defectu, seu turpi Judæorum negligentia. Ecquid enim in usque diem e gentis commentariis prolatum est, quo dignatio atque auctoritas *Synagogæ patrum* constitui potuit? qui tamen titullus sollemnis apud seculum prius Synagogæ quibusdam fuit ministris. Habent enim hos *Patres* Imperatorum (*lib.* 4. *cap. Tit. de Judæis & Cælicolis.*) Constitutiones, estque in veteri lapide ΠΑΝΧΑΡΙΟΣ ΠΑΤΗΡ ΣΥΝΑΓΩΓΗΣ *Pancharis Pater Synagogæ* (*Dissert. A. Lupi in Severæ Martyris Epitaphium pag.* 178.) qui mox rariore honoris appellatione ΦΙΛΟΛΑΟΣ ΚΑΙ ΦΙΛΕΝΤΟΛΟΣ *populi præceptorumque amator* dicitur.

Equidem non temere dissensero ab erudita Clarissimi J. Renferdii conjectura, qua *Patres* hos (*Dissert.* 11. *de* x. *Otiosis pag.* 410.) & Synagogæ presbyteros ejusdem muneris consortes censuit; nec ita tamen eas in partes concessero, ut inscriptionis verbis aliud indicari posse inficier. Menaseas, qui alio in marmore (*Dissert. A. Lupi in Severæ Epitap. pag.* 51.) ΜΑΘΗΤΗΣ ΣΟΦΩΝ ΚΑΙ ΠΑΓΗΡ ΣΥΝΑΓΩΓΩΝ, sive, quod ductus literarum postulant, ΣΥΝΑΓΩΓΙΩΝ, quodque Philo de Judæorum conciliabulis (*Leg. Caj. p.* 1035. *E. & de Somniis p.* 1125. *D.*) usurpat, *discipulus sapientum & Synagogarum Pater nuncupatur*, presbyteri sive senioris honori non videtur acquiescere: curam enim & benevolentiam in plures, non uni adscriptus, ut solent ceteroqui presbyteri, divisit; nactusque, uti opinor, ob paternum, quo in cœtus suæ gentis erat, animum, hunc tituli honorem; prorsus ut rex Cyrus a popularibus (*Herodotus lib.* III. 89.) *πατὴρ pater*, *ὅτι ἤπιός τε καὶ ἀγαθά σφι πάντα ἐμηχανήσατο*, *quod & miti ingenio & omnium bonorum ipsis auctor fuisset*, & Romanorum Imperatores *Patriæ Patres* vocabantur, (*Senec. lib.* 1. *Clement. cap.* 14.) *ut scirent datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis cunsulens, suaque post illos reponens*. Cœlia Paterna Mater Synagogæ Brixianorum in lapide (*Memor. Brix. Octavii Rubei pag.* 236.) Brixiano, & Beturia Paulla Sacra Mater Synagogarum Campi & Bolumni (*Apud Spon. & Fleetwood. pap.* 259.) simili ex caussa videntur appellatę.

A Synagoga si recesseris atque animum ad gentis ejusdem per Romani Imperii provincias conditionem adverteris, alia occurrent, haud minus inplicacata atque obscuris immersa: quorum tamen aliqua, modo diligentior cura accesserit, & plura eruantur priscæ vetustatis monumenta, emergent, dubiisque facem præferent. Periculum ejus rei in *Judæorum Archontibus* cum maxime consilium est facere; cui disquisitioni uberem materiam suppeditabit inscriptio Berenicensis, nuper admodum egregio Illstrium eruditione & honorum amplitudine virorum, *Antiq. Gallic. Epist.* 1. & VIII.) Scip. Maffeii & (*Explication de de quelques Marbres p.* 30.) Jo. Bouhierii, opere publicata explicitaque: quam hic si recentem, & in alia omnia, ubi veri studium expostularit, concedam, neuter, qua sunt humanitate, indigne ferent.

..ΤΟΥΣΝΕΦΑΩΦΚΕΕΠΙΣΥΛΛΟΓΟΥΤΗΣΣΚΗΝΟ
ΠΗΓΙΑΣΕΠΙΑΡΧΟΝΤΩΝΚΛΕΑΝΔΡΟΥΤΟΥ
ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΟΥΕΥΦΡΑΝΟΡΟΣΤΟΥΑΡΙΣΤΩΝΟΣ
ΣΩΣΙΓΕΝΟΥΣΤΟΥΣΩΣΙΠΠΟΥΑΝΔΡΟΜΑΧΟΥ
ΩΝΟΣΤΟΥΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥΦΙΛΩΝΙΔΟΥΤΟΥΑΓΗ
ΜΟΝΟΣΑΥΤΟΚΛΕΟΥΣΤΟΥ ΞΗΝΩΝΟΣΣΩΝΙ
ΚΟΥΤΟΥΘΕΟΔΟΤΟΥΙΩΣΗΠΟΥΙΟΥΣΤΡΑΤΩΝΟΣ
ΕΠΕΙΜΑΡΚΟΣΤΙΤΤΙΟΣΣΕΞΤΟΥΥΙΟΣΑΙΜΙΛΙΑ
ΑΝΗΡΚΑΛΟΣΚΑΙΑΓΑΘΟΣΠΑΡΑΓΗΝΗΘΕΙΣΕΙΣ
ΤΗΕΠΑΡΧΕΙΑΝΕΠΙΔΗΜΟΣΙΩΝΠΡΑΓΜΑΤΩΝΤΗΝ
ΤΕΠΡΟΣΤΑΣΙΑΝΑΥΤΩΝΕΠΟΙΗΣΑΤΟΦΙΛΑΝΘΡΩ
ΠΩΣΚΑΙΚΑΛΩΣΕΝΤΕΤΗΙΑΝΑΣΤΡΟΦΗΙΗΣΥΧΙΟΝ
ΗΘΟΣΕΝΔΙΚΝΥΜΕΝΟΣΑΕΙΔΙΑΤΕΛΩΝΤΥΓΧΑΝΕΙ
ΟΥΜΟΝΟΝΔΕΕΝΤΟΥΤΟΙΣΑΒΑΡΗΕΑΥΤΟΝΠΑΡΕΣ
ΧΗΤΑΙΑΛΛΑΚΑΙΤΟΙΣΚΑΤΙΔΙΑΝΕΝΤΥΓΧΑΝΟΥΣΙ

ΤΩΝ-

ΤΩΝΠΟΛΙΤΩΝΕΤΙΔΕΚΑΙΤΟΙΣΕΚΤΟΥΠΟΛΙΤΕΥ
ΜΑΤΟΣΗΜΩΝΙΟΥΔΑΙΟΙΣΚΑΙΚΟΙΝΗΚΑΙΚΑΤΙΔΙΑΝ
ΕΥΧΡΗΣΤΟΝΠΡΟΣΣΤΑΣΙΑΝΠΟΙΟΥΜΕΝΟΣΟΥΔΙΑ
ΛΕΙΠΕΙΤΗΣΙΔΙΑΣΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΣΑΞΙΑΠΡΑΣΣΩΝ
ΩΝΧΑΡΙΝΕΔΟΞΕΤΟΙΣΑΡΧΟΥΣΙΚΑΙΤΩΙΠΟΛΙΤΕΥ
ΜΑΤΙΤΩΝΕΝΒΕΡΕΝΙΚΗΙΙΟΥΔΑΙΩΝΕΠΑΙΝΕΣΑΙΤΕΑΥ
ΤΟΝΚΑΙΣΤΕΦΑΝΟΥΝΟΝΟΜΑΣΤΙΚΑΘΕΚΑΣΤΗΝ
ΣΥΝΟΔΟΝΚΑΙΝΟΥΜΗΝΙΑΝΣΤΕΦΑΝΩΙΕΛΑΙΝΩΙΚΑΙ
ΛΗΜΝΙΣΚΩΙΤΟΥΣΔΕΑΡΧΟΝΤΑΣΑΝΑΓΡΑΨΑΙΤΟ
ΨΗΦΙΣΜΑΕΙΣΤΗΛΗΝΛΙΘΟΥΠΑΡΙΟΥΚΑΙΘΕΙΝΑΙΕΙΣ
ΤΟΝΕΠΙΣΗΜΟΤΑΤΟΝΤΟΠΟΝΤΟΥΑΜΦΙΘΕΑΤΡΟΥ
ΛΕΥ ΚΑΙ ΠΑ ΣΑΙ

Ετους νε φαώφ κε ἐπὶ συλλόγου τῆς σκηνοπηγίας, ἐπὶ ἀρχόντων Κλεάνδρου τοῦ Στρατονίκου, Εὐφράνορος τοῦ Ἀρίστωνος, Σωσιγένους τοῦ Σωσίππου, Ἀνδρομάχου τοῦ Ἀνδρομάχου, Μάρκου Λαιλίου Ονασίωνος τοῦ Ἀπολλωνίου, Φιλωνίδου του Αγήμονος, Αὐτοκλέους τοῦ Ζήνωνος, Σωνίκου τοῦ Θεοδότου, Ιωσίπου τοῦ Στράτωνος.

Ε'πεὶ Μάρκος Τίττιος Σέξτου υἱὸς Αἰμιλία ἀνὴρ καλὸς καὶ ἀγαθὸς παραγινηθεὶς εἰς τὴν ἐπαρχείαν ἐπὶ δημοσίων πραγμάτων, τήν τε προστασίαν αὐτῶν ἐποιήσατο φιλανθρώπως καὶ καλῶς, ἔν τε τῇ ἀναστοροφῇ ἡσύχιον ἦθος ἐνδικνύμενος ἀεὶ διατελῶν τυγχάνει, οὐ μόνον δὲ ἐν τούτοις ἀβαρῆ ἑαυτὸν παρέσχηται, ἀλλὰ καὶ τοῖς κατ᾽ ἰδίαν ἐντυγχάνουσι τῶν πολιτῶν, ἔτι δὲ καὶ τοῖς ἐκ τοῦ πολιτεύματος ἡμῶν Ιουδαίοις, καὶ κοινῇ καὶ κατ᾽ ἰδίαν εὔχρηστον προστασίαν ποιούμενος, οὐ διαλήπει τῆς ἰδίας καλοκἀγαθίας ἄξια πράσσων. ὧν χάριν ἔδοξε τοῖς ἄρχουσι καὶ τῷ πολιτεύματι τῶν ἐν Βερενίκῃ Ἰουδαίων ἐπαινέσαι τε αὐτὸν, καὶ στεφανοῦν ὀνομαστὶ καθ᾽ ἑκάστην σύνοδον καὶ ἑκάστην σύνοδον καὶ νουμηνίαν στεφάνῳ ἐλαΐνῳ καὶ λημνίσκῳ, τοὺς δὲ ἄρχοντας ἀναγράψαι τὸ ψήφισμα εἰς στήλην λίθου Παρίου, καὶ θεῖναι εἰς τὸν ἐπισημότατον τόπον τοῦ ἀμφιθεάτρου.

Λευκαὶ πᾶσαι.

Anno LV. *Phaophi* XXV. *in conventu festi tabernaculorum, Archontibus Cleandro Stratonici F., Euphranore Aristonis F., Sosigene Sosippi F., Andromacho Andromachi F., Marco Lælio Onasione Apollonii F., Philonide Agemonis, F., Autocle Zenonis F., Sonico Theodoti F., Josepo Stratonis F.*

Quoniam M. Tittius Sex. F. Æmilia, vir probus & honestus, provinciam rerum publicarum caussa ingressus, earum & curam humaniter ec dextre egit, & in vitæ instituto placidns mores perpetuo ostendere perseverat; nec tantum in illis haud gravem se præstitit, sed & civibus seorsum se convenientibus, pretereaque Judæis ex corpore nostro & publice & privatim benivolam curam impendit, haud cessans dignissima probitate sua officia perficere. Propterea placuit Archontibus & Communi Judæorum Berenicensium eum collaudare & nominatim singulis Sabbatis & interluniis oleagina corona & lemnisco coronare, utque Archontes decretum hoc columnæ marmoris Parii incidi, & in maxime conspicua Amphitheatri parte collocari curent.

Omnes albi.

Hactenus elegantissima inscriptio; quam Tripoli ex Africa allatam Aquæ Sextiæ asservant.

CAPUT II.

Mensis Ægyptiorum Paophi. Metellita de Tabernaculorum festo die. Judæorum plures libertinæ conditionis. Græca Judæorum nomina. De voce ἀναστροφῆς. Agatharchides explicitus. Ἀβαρὴς *de non molesto. De coronæ & lemniscorum honore &c.*

PRius vero quam ad ea aggredimur, quorum caussa apposita est, verba inscriptionis, ne alia acturos intempestive morentur, brevi commentario explicemus.

Ετους νὲ φαώφ κὲ. Recte fugientem primæ vocis literam Viri Præstantissimi suam in sedem revocarunt. *Paophi* mensem Thoth proxime excipiebat, anni Ægyptii secundus. Vetus epigramma, (*lib.* I. *Anthol. cap.* 91.) quod, sicuti indices mensium a J. Prideaux (*Marmor. Oxon. pag.* 230.) & Steph. Le Moyne publicati, (*Var. Sacr. T.* I. *pag.* 452.) *Phaothi*, quamquam prave, appellat.

> Πρῶτος Θωθ ἐδάη δρεπάνην ἐπὶ βότρυν ἐγέρειν,
> Ἰχθυβόλοισι Φαωθὶ φέρει πανδήμιον ἄγρην.

Respondebat in stabili & fixo Alexandrinorum anno maxima ex parte Romanorum Octobri, autumnali æquinoctio posterior. Plutarchus *T.* II. *pag.* 372.

τῇ ὀγδόῃ τȣ̃ φθίνοτος Φαωφὶ, ---- ὂν ἄγȣσι μετὰ φθινοπωρινὴν ἰσημερίαν.

Επὶ συλλόγȣ Σκηνοπηγίας. Sollemni huic tabernaculorum festo diei opportunior locus erit. Nunc opem feramus Jo. Chrysostomo, nisi tamen, quod suspicor, alius Homiliæ *in Natalem Johannis Baptistæ* auctor. In *cujus*, inquit (*T.* II. *pag.* 520. *&* 521. *Edit. Paris.* 1687.) *memoriam Judæi quotannis jejunium mense Septembri observant*; *quod* Metellitum *sive Scenopegiam nuncupant*. Et interpositis quibusdam: *In illa sollemnitate Scenopegiæ, sive* Intellitide, *in qua Johannes conceptus est, quando & lucernas, multas accendunt*. Quæ sana atque integra si forent, verum nomen, quo Judæi diem scriptoris ætate signabant, indicarent. Putem *Metellata* aut *Metellita* fuisse; nam יתב במטלתא in reliquiis sermonis Chaldæi, qui Judæis olim in frequenti usu, non aliud est ac in tentoriis agere; quod quoniam per ejus diei sollemnitatem patrio more receptum erat, eandem *Metellita*, quemadmodum Græce locuti σκηνοπηγίαν, appellasse videntur.

Μάρκȣ Λαιλίȣ Ὀνασίωνος. Nomen & prænomen hominem hunc civium Romanorum numero inserunt; quod jus utrum beneficiis in rempublicam gentemque Læliam, an ære suo, an manumissione bello captus & in servitutem divenditus, inpetraverit, finiri haud potest. Manumissione plura Judæorum millia Augusti Tiberiique principatu civium numerum auxerunt, teste (*Leg. ad Caj. pag.* 1014. *D.*) Philone. Beatiore qui conditione erant, pecunia sibi viam ad civitatem, ut ejus majestate inter alia opinatos sese tuerentur, atque ordinem Equestrem emuniebant, sicuti τȣ̃ ἱππικȣ̃ τάγματος Judæi apud (*lib.* II. *B. J. cap.* 14. 9.) Josephum.

Ƶήνωνος Σωίκȣ. Forma literæ, quæ *Zenonis* vocem orditur, in literatis lapidibus & nummis, præsertim Cyzicenorum & Anazarbensium, quemadmodum a viris doctis (*Ab. Ortel. Thes. Geogr. Cyzicus*, *&* *Cl. Sig. Havercamp Dissert. de Lit. Gr. pag.* 248.) sæpe animadversum est, frequentatur. Z & H levi inflexione figuram corrumpunt; quare & philosophi quatuor rerum corrumpendarum modos exemplis illustraturi, μεταθέσει τὸ Z στοιχεῖον ϗ τὸ H interire docebant, uti Philo, *De mundo haud corrupt.* pag. 958. E.

Ιωσήπȣ τȣ̃ Στράτωνος. Firmantur hinc quæ de *Josepi* nomine H. Valesius ad (*lib.* I. *H. E. cap.* 9.) Eusebium disputavit. Neque obest Hebræum hoc nomen Josephi collegis ne eadem ex gente orti censeantur: valuerat enim consuetudo, ut aut duplici cognomine, quorum altero inter populares, altero inter extraneos essent insignes, (*Jo. Braunius lib.* I. *Sel. S. cap.* 2.) uterentur, aut prorsus Græcum sibi inderent; quod Philo & sine numero alii probarunt.

Τίτπος Σέξτȣ υἱός. Errans fabrile scalprum literam geminavit; cui simile peccatum in voce ΠΡΟΣΣΑΤΣΙΑΣ eminet. Fuit Titius, sive nepotem eum feceris M. Titii, suffecti cunsulis & Syriæ olim præsidis, seu ejus gentilem, Legatus aut Quæstor provinciarum Cretæ & Cyrenes; quam utramque Proconsule mortuo; cui consueta sibi cunctatione Tiberius successorem negaverat, administrasse ex (*lib.* LVII. *pag.* 701. *A.*) Dione alias ostendam.

Α'ιμιλίᾳ. Tribus nomen est, in qua M. Titius censebatur, quæque hoc casu semper exprimitur. Γάιος Σέιπος Γάιȣ υἱὸς Α'ιμιλίᾳ Χιλίαρχος, ut alios prætercam, est apud (*lib.* XIV. *Antiq. cap.* 10. 19.) Josephum: qua in re, sicuti in pluribus aliis, Atheniensium morem, quo civium nominibus ὁ πατὴρ ϗ ὁ δῆμος (*Demosth. in Boeotum de Nomine pag.* 577.) adscribebatur, Romani videntur secuti.

Καλὸς ϗ ἀγαθός. Suidas hoc improbat, καλὸς κἀγαθὸς scribi oportere decernens. Non ita veteres. Aristoteles *Ethic. M.* II. 9. ἔστιν ȣ̃ν ὁ καλὸς ϗ ἀγαθὸς, ᾧ τὰ ἁπλῶς ἀγαθά ἐςιν ἀγαθὰ, ϗ τὰ ἁπλῶς καλὰ, καλά ἐςιν· ὁ τοιȣ̃τος γὰρ καλὸς ϗ ἀγαθός. Themistius *Orat.* XXVI. *p.* 327. *B.* ὅπως ἂν καλὸς ϗ ἀγαθὸς ἀπεργασθῇ. Sed desino. Suidæ præceptum ex Platonis *Gorgia p.* 471. E. H. Stephanus dudum respuit. Mox παραγενηθεὶς εἰς τὴν ἐπαρχίαν oportuerat. Δημόσια πράγματα habet & Josephus *Lib.* VIII. *A. C.* 9. 2.

Τὴν τε προςασίαν ἐποιήσατο. Qui genti provinciæve præest, ut vim fraudemque a civibus prohibeat, προστάτης est & dicitur. ὁ τȣ̃ ἔθνȣς ἐπιμελητὴς ϗ προστάτης Moses Philoni *de Præm. & Pœn. p.* 222. *B.* & Josephus Ægypto præpositus τῆς Α'ιγύπτȣ τὴν ἐπιμέλειαν ϗ προςασίαν λαβὼν *De Josepho p.* 549. *A.* Præfectusque Augustalis, ὃς τὴν προςασίαν ϗ ἐπιμέλειαν ἔχει Α'ιγύπτȣ *De Somniis p.* 1125. *A.* Curam itaque parentibus & imperio subditis qui diligentem impendit, προστασίαν αὐτῶν ποιεῖται. Quod de M. Titio Judæi plus una vice prædicant, de mundi vero rectore & curatore optimo, quem magnifice σωτηρίως εὐθύνοντα τὸ οἰκεῖον ἔργον, ἐπιμέλειάν τε ϗ προστασίαν ϗ τῶν ἐν αὐτῷ μερῶν, ὅσα θείας ἐπάξια φροντίδος, πο-

ποιούμενον describit, idem Philo *De Abrabamo p. 360. B.*

Ε'ν τε τῇ ἀναςροφῇ. Solent & hac voce rationem cum hominibus conversandi & vitæ instituendæ N. T. scriptores significare; qui usus ceteris cum sit rarior, a Judæis, Græce minus culte locutis, derivatur: quod jure an injuria fiat, quæremus. Jo. Stobæus (*Serm.* CXLI. *pag.* 418.) ex Platone adfert, πολιτέια γὰρ ἀναςροφὴ ἀνθρώπων ἐςι, καλὴ μὲν ἀγαθῶν. μὴ καλὴ δὲ κακῶν. quæ vocabulo eam significationem, modo legitima essent, adstruerent: indicant enim rempublicam hominum esse conversationem seu vitæ agendæ modum, & honestum quidem bonorum, inhonestum vero pravorum. Sed intercedit Plato, in cujus *Menexeno pag.* 238. *C.* τροφὴ ἀνθρώπων, aut τροφὸς, quemadmodum Dionysius *Tom.* II. *pag.* 179. & verius, legitur. Itaque alia circumspiciamus: In Agatharchide *de Rubro Mari pag.* 45. invenio, ἡ δὲ ἀναςροφὴ αὐτῶν. *Mos vitæ eorum talis est*, & *pag.* 31. ὥσπερ ἀπονωτέραν τῶν λοιπῶν ἔχουσι τὴν ἀναςροφήν. *Quanto minus exercitam, quam ceteri, ætatem agunt.* Eaque aptissima forent, nisi omnia suaderent, utrobique eum ἀνατροφῆς voce usum fuisse; namque victus & nutrimenti genus, quo vitam rubri maris accolæ & Troglodytæ prorogabant, exsequitur; cui simile peccatum in Artemidori *Lib.* IV. *Oneirocrit. C.* 85. & prorsus contrarium II. *Maccab.* VI. 23. neque enim dubitare licet, quin ϗ τῆς ἐκ παιδὸς καλλίςης ἀναςροφῆς, quod & vetus interpres expressit, libri scriptor dederit. Certius voci præsidium in Polybio erit, qui *lib.* IV. *cap.* 82. de rege Philippo κατὰ τὲ τὴν λοιπὴν ἀναςροφὴν ϗ τὰς πράξεις τεθαυμασμένος ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν. Vitæ enim institutum ac rationem, propter quam & rerum gestarum magnitudinem rex majorem, quam pro ætate, hominum admirationem consecutus erat, describit. Et Arriano *Lib.* I. *Disp. Epict. Cap.* 9. εἰ δὲ ὁ Θεὸς ἔν τινι χώρᾳ ϗ ἀναςροφῇ κατατέταχε. Quæ cum Judæos satis absolvant, non exscribam ejusdem Arriani *lib.* IV. *cap.* 7., nec Teletis Philosophi verba, a Stobæo (*Serm.* CCXXVII. *pag.* 780.) nobis servata, nedum decreti Cnosiorum in *Antiq. Asiat. pag.* 121. Ed. Chishul.

Η'σύχιον ἦθος ἐνδεικνύμενος. Sic oportuerat. Sculptoris error detracta litera ἐνδικνύμενος fecerat. Geminum huic generi est illud Dionis Chrysostomi *Orat.* II. *pag.* 23. *D.* ἁπλάςως δὲ ϗ ἁπλῶς ἐνδεικνύμενος αὐτοῖς τοῖς ἔργοις φιλάνθρωπον ἦθος ϗ πρᾷον ϗ δίκαιον. Nec multum dissentit Lucianeum ex *Phalaride* I. *pag.* 843.

Α'βαρῆ ἑαυτὸν παρέςχηται. Rarius hoc de non molesto & minime civibus oneroso vocabulum Apostolus Paulus haud neglexit, abstinentiam suam Corinthiis probans, 1. *Cor.* XI. 9. ϗ ἐν παντὶ ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα. Graviter vero Diotogenes Pythagoreus boni regis, uti solet, munera præpingens, ἀβαρέα δὲ δεῖ ἦμεν, inquit (*Apud Stobæum serm.* CXLVII. *pag.* 491.) ποτὶ πάντας ἀνθρώπως, μάλιςα δὲ ποττὼς μήονας ϗ καταδεεςέρως ταῖς τύχαις. Oportere eum nemini gravem ac molestum esse, minime illis, qui tenuiore conditione ac fortuna premantur. Παῤῥησία μαλθακὴ ϗ ἀβαρὴς, quæque nemini nocet, est apud Plutarchum *Tom.* II. *pag.* 59. *C.*

Ε'κ τῶ πολιτεύματος ἡμῶν. Judæis nostræ civitatis, seu e communi nostro. Diodorus *lib.* XII. *pag.* 296. *B.* ϗ τὸ πολίτευμα μακάριον εἶχε βίον, τῆς τοιαύτης κακίας ἀπηλλαγμένον. *Republica illa peste repurgata, beatam cives vitam agebant.* Strabo *lib.* III. *Geogr. pag.* 241. *B.* τῷ χρόνῳ δ' εἰς ταὐτὸ πολίτευμα, συνῆλθον. Fruebantur Judæi per urbes provinciæ Cyrenaicę ἰσονομίᾳ, quam a Lagidis regibus impetratam Romani ratam habuere: atque hinc suos sibi magistratus & quandam quasi rem publicam (*Josephus lib.* XVI. *Antiq. cap.* 6. 1.) ibidem constituebant.

Οὐ διαλέπει ἄξια πράσσων. Sollemnia sunt in populi decretis verba, quibus bene de se meritos cohonestabant. Exempla dabunt Æschines *in Ctesiphont. pag.* 60. Lucianus *Timon. cap.* 50. & ad eum Celeber. T. Hemsterhuisius.

Ε'δοξε - - ἐπαινέσαι. Et hęc consueta formula. Δεδόχθαι ἐπαινέσαι τάν τε Τηίων πόλιν in decreto Cnosiorum *Antiq. Asiat. pag.* 121. & δεδόχθαι Σαυξίων τοῖς Κόσμοις ϗ τᾷ πόλει ἐπαινέσαι τὼς πρεγευτὰς in iisdem *Antiq. pag.* 117. Collaudabant bene de re publica meritos & eorum res gestas summa grati animi significatione recitabant. Berenice, cujus incolę hi Judęi, in Syrtis extimo cornu, quondam Hesperides vocata, sedem habebat, sicuti deinceps ostendam.

Στεφανοῦν ὀνομαςὶ καθ' ἑκάςην σύνοδον. Et nominatim quolibet sabbato corona redimire. Σύνοδος de cœtu, qui sacrorum caussa septimo die cogitur in Philonis *Legat. ad Cajum pag.* 1037. *B.* & Josepho *lib.* XIV. *Antiq. C.* 10. 7. Edicunt autem, ut quoties sabbato aut interluniis sacrorum caussa coeant, laudes M. Titii iterent, & corona, nomine ejus recitato, dignissimum esse prędicent. Ferebat vetus consuetudo, utque palam pronuntiaretur celeberrimo in loco, suo me-

merito hoc eos honoris insigni condecorari; quod τὸν ϛέφανον ἀνειπεῖν ἐν θεάτρῳ (*Lib.* XIV. *Ant. cap.* 14. 8.) Josepho, & ϛεφανῶσαι ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τὰς τιμὰς ἀναγγεῖλαι psephismati Pariorum apud (*Lib.* XIV. *Ant. cap.* 14. 8.) Montfauconium. Repetebant præterea coronæ illud decus, collatique caussas quotannis commemorabant; atque hoc est, ut arbitror, ἀναγγέλλεσθαι τὸν ϛέφανον καθ' ἕκαϛον ἔτος (*Antiquit. Asiat. Ed. Chisbul. pag.*) monumenti Attali.

Στεφάνῳ ἐλαΐνῳ. Nihil hæc corona insolitum præfert. Et quam veteri Atheniensium republica, quam in civibus condecorandis parcam fuisse (*Orat. in Leptin. pag.* 302.) Demosthenes docet, Miltiadi θαλλοῦ ϛέφανον αἰτοῦντι *coronam oleaginam petenti* Sochares vehementer con- 483. *A.* postea legatis & si qui alii rem bene gesserant, inponebatur. De Demosthene Æschines *Legat. Fals. pag.* 34. tradixerit, auctore Plutarcho *Tom.* I. ἔγραψε ὑμᾶς ϛεφανῶσαι θαλλοῦ ϛεφάνῳ ἕκαϛον, εὐνοίας ἕνεκα τῆς εἰς τὸν δῆμον. Pindaro *Olympion. Ode* XI. 13. ϛέφανος χρυσέας ἐλαίας, Dioni Chrysostomo *Orat.* LVV. *pag.* 604. *D.* atque aliis.

Καὶ λημνίσκῳ. Lemnisci seu fasciolæ coloris purpurei coronis innectebantur, quibus & amplius decus conciliabant & passim propterea junguntur. De Tito Flaminio Polybius *Excep. Legat.* 2X. *pag.* 1110. οἱ δὲ πολλοὶ ϛεφάνους ἐπιρρίπτοντες καὶ λημνίσκους παρ' ὀλίγον διώλεσαν τὸν ἄνθρωπον. *Ut ruente turba*, ita Livius, (*Lib.* XXXIII. *cap.* 33.) *coronas lemniscosque jacientium haud procul periculo fuerit*. Quæ utriusque scriptoris certa sunt indicia, hoc illos honoris genere, qui multitudinem beneficiis demeriti erant, fuisse cultos; quamobrem recte Firmus Cæsareensis *Epist.* XVII. Ταινίαις ἀναδοῦμεν, ὡς εὐεργέτας. Deferebatur tamen & athletis; Scionæi Brasidam ἐταινίουν τε καὶ προσήρχοντο ὥσπερ ἀθλητῇ in Thucydidis *lib.* IV. *cap. cap.* 121., quorsum & pertinet ex Arati nondum vulgato epigrammate,

> Πυγμῇ νικήσαντα τὸν Ἀντικλέους Μενέχαρμον
> Λημνίσκοις μαλακοῖς ἐϛεφάνωσα δέκα.

Plura de hoc genere Is. Casaubonus in Svetonii *Neron. cap.* 25.

Ἀναγράψαι τὸ ψήφισμα. In his nihil adversum gentis Judææ moribus: adsueverant & Cæsaribus sub principatus initia συγχαρτικὰ ψηφίσματα, uti Josepho (*Lib.* IV. *Bel. J. C.* 10. 6.) dicuntur, cernere, atque initum illis honorem gratulari, & ceteris, egregie de gente sua meritis, hoc officio gratum animum testificari. Augustus de Judæis Asianis & Cyrenæis τό τε ψήφισμα, inquit, τὸ δοθέν μοι ὑπ' αὐτῶν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς εὐσεβείας, ἧς ἔχω πρὸς πάντας ἀνθρώπους καὶ ὑπὲρ Γαΐου Μαρκίου Κηνσωρίνου, καὶ τοῦτο τὸ διάταγμα κελεύω ἀνατεθῆναι ἐν ἐπισημοτάτῳ τόπῳ, γενηθέντι μοι ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀγκύρῃ apud Josephum *lib.* XVI. *Antiq. cap.* 6. 2.) Quæ mox adduntur de columna marmoris Parii & decreto in eam incidendo, sollemia (*Vid. Antiq. Asiat. pag.* 145. 147. & *Reines. Clas.* VII. 23.) sunt.

Λευκαὶ πᾶσαι. Formula, alibi insolentior & inaudita, ea in regione consueta fuit; siquidem & alium lapidem, indidem in provinciam Narbonensem asportatum, Λευκαὶ πᾶσαι, uti Illust. Maffejus (*Antiq. Gallic. Epist.* 8.) admonuit, claudunt. Diceres huc respexisse Symmachum *lib.* I. *Epist.* 96. *Ergo etsi intelligo, quod nostri amore fallaris, tamen titulum præclari testimonii* Albo Calculo, *veterum more, signabo*.

Atque hæc quidem satis, opinor, illustrabunt, quæ marmor obscuriora præferebat. Deinceps de urbe Berenice, auctoribus & anno vulgati decreti atque ejus Archontibus disputabitur.

CAPUT III.

Situs Berenices Ægyptiæ & Pentapolitanæ. Præfecti Augustales qui fuerint in Ægypto principe Tiberio? De Judæorum multitudine & fatis in provincie Cyrene. Anni Ægyptii forma a Cyrenæis recepta.

URbem, in cujus amphitheatro monumentum fuit dedicatum, Archontes Berenicen appellant; quo nomine cum plura a Stephano memorentur oppida, duo potissimum in censum venire possunt, Ægypti alterum, alterum provinciæ Cyrenes: hoc haud procul Boreo promontorio atque extimo Syrtis cornu (*Ptolemæus lib.* IV. *Geogr. cap.* 4. & *Plinius lib.* V. *cap.* 5.) positum, feracissimum atque uberrimum ejus oræ agrum occuparat, nobilitatum propterea *hortorum Hesperidum* fabulis: illud sinui Arabico accubans & celebri portu incinctum, receptas ex India atque Arabia merces per vicinam Thebaidem & reliquam Ægyptum copiosissime (*Epiphanius Hæres.* LXVI. *cap.* I.) dividebat; quod & Judæos, quorum ad decies centena millia omnem eam regionem, quæ late a Libyæ catabathmo ad Æthiopiæ terminos patet, (*Philo in. Flaccum p.* 971. *C.* in-

incolebant, frequentes inhabitasse, gentis ingenium, jam tum in mercandi studia proclive, persuadet. Cumque anni forma Ægyptia & mensis *Poaphi* in lapide signentur, haud sane injuria Ill. Bouhierius Ægyptiacam Berenicen, præsertim si M. Titius Præfectus Augustalis fuerit, præoptasse videri posset, nisi multa huic conjecturæ officerent.

Non dico, quod tamen recte ursit Ampl. Maffejus, lapidem in Tripolitana Africæ urbe repertum atque ex ea in Galliam Narbonensem fuisse translatum: neque esse probabile, ex intima illum Ægypto in oram Africę, mediterraneo mari affinem, fuisse transvectum: obstare enim inmensum pęne & difficillimum per loca, quę cœli solique siccitas infestat, iter. Id adfirmare audeo, nullam esse caussam, quę Cyrenaicam Berenicen negligi jubeat. Nam M. Titium si spectes, is Tiberio principe, quo conditum censetur hoc decretum, pręfectura Ægypti Augustali functus non est. Atque hoc ne temere jecisse videar, Pręfectos, qui Ægyptum imperante Tiberio obtinuerunt, ex annalibus conquisitos proponam.

Ultimis Tiberii annis pręfecturam Augustalem administravit Flaccus Avilius, eam in sex annos sortitus; quorum quinque superstite Tiberio transacti, Ἑξαετίαν γὰρ τὴν ἐπικρατέιαν λαβὼν, ait (*In Flaccum pag. 966. C. & 987.*) Philo, πέντε μὲν ἔτη τὰ πρῶτα ζῶντος Τιβερίου Καίσαρος τὴν εἰρήνην διεφύλαξε. Mansit ea in provincia ad annum imperii Cajani tertium; cujus autumno, cum festo tabernaculorum (*Philo pag. 982. A.*) Judęi studerent, indidem abstractus, in insulam Andrum relegatus est; namque eam adhuc curabat, cum Herodes Agrippa rex a Cajo renuntiaretur & Alexandriam, regnum avitum petiturus, (*Idem pag. 968. D.*) veniret; venit autem eam in urbem anno Principis Caji (*Joseph. lib.* XVIII. *Ant. cap. 6.* 11.) secundo; neque inde Flaccus decesserat, cum mortua Drusilla justitium indiceretur & luctus omnibus (*Philo pag. 973. C.*) imperaretur. Auspiciis vero principatus Tiberiani Pręfectum agebat Æmilius Rectus, cui grandiorem solita pecunię summam ex Ægypto mittenti rescripsit Tiberius, *tonderi se oves non deglubi velle.* (*Dio Cassius lib.* LVII. *pag. 697.*) Inter utrumque Præfecturę honorem obierunt Vetrasius Pollio & Iberus, (*Idem lib.* LVIII. *pag. 726.*) sive Severus, ut apud Philonem: quorum hic Flacci Avillii in breve tempus decessor, ille Æmilii Recti per sedecim annos successor Ægypto præfuit, sicuti optime Just. Lipsius (*Ad Senec. Consol. ad Helv. cap. 17.*) commonstravit.

Nullus itaque M. Titio inter Pręfectos Augustales Ægypti locus est imperante Tiberio: commodus vero in provincia Cyrenaica; quę postquam Romanorum in potestatem venit, eidem pręsidi, cui Creta insula mandata erat, paruit. Augustus de illo rei publicę more nihil demutavit, conjunctęque manserunt post divisas ipsum inter & populum provincias (*Strabo lib.* XVII. *Geog. fine.*) Creta & Cyrene. Tiberius, ut erat in hoc genere cunctator maximus, cum fatis provincię pręfectus concessisset, successorem non misit, sed mandata per quęstorem aut legatum exsequenda (*Dio Cass. lib.* LVII. *pag. 702.*) curavit: quo temporis intervallo M. Titius provinciam videtur ingressus, & a Judęis merito suo honoribus cohonestatus.

Atque hęc fidem invenient majorem, ubi paruerit, Judęos ingenti numero in Pentapoli totaque Cyrene egisse. Traduxerat hos eam in regionem Ptolemęus Lagi F., auctaque deinceps eorum frequentia est, quo tempore Antiochus Epiphanes in sacra gentis & cerimonias impie grassabatur. Strabo (*Apud Joseph. lib.* XIV. *Ant. cap. 7. 2.*) nationem hanc εἰς πᾶσαν πόλιν in omnes ejus Provincię urbes penetrasse, & eodem, quo ceteri, jure & privilegio, ἰσονομίᾳ καὶ ἰσοτελέᾳ, fuisse usos (*lib.* XVI. *Ant. cap. 6. 1.*) Josephus perhibet. Nihil itaque miramur Synagogam Cyrenęorum in Actis Apostolorum, nec accrescentem mox ab eversa sacrorum & gentis a Tito metropoli eo in Africę tractu (*Idem lib.* VII. *Bel. cap.* 11. 1.) numerum, nedum feralis belli semina a male quietis ibidem imperatorem Trajano sparsa: qua occasione etsi gravissima strage fuerint (*Xiphilin. in Trajan. pag. 350.*) proculcati, duravere tamen in sera usque tempora fertiles reliquię. Synesii ętate omnis generis artes exercebant, ne quidem a re nautica alieni; qui & scęvos gubernatoris & nautarum Judęorum mores haud sine periculo expertus, perpetua eos nota (*Epist.* IV. *pag. 160. B. & lib. 18. C. Th. de Navicular.*) inussit. Justiniano vero principe tanta in his finibus redundabant copia, ut prope Boreum, inque ipsa Berenices vicinia, magnificum haberent templum sive Synagogam, exstructam, ut stolide jactabant, a rege Salomone, sed jussu imperatoris in ędem cultus melioris conversam, indice (*Lib.* VI. *de Ædif. Just. C. 2.*) Procopio.

Quę cum Cyrenaicę provincię & pręci-

cipuis ejus urbibus Judæos copiose tranſcribant, quis Berenicæ, urbi amplæ & negotiandi induſtriæ accomodatiſſimæ, eoſdem negaverit? Sola Ægyptii anni forma & menſis *Paophi* hactenus haud infeliciter diſputatis nocere videntur. Sed Cyrene Lagidarum regno cum fuerit ſubdita, atque Ægypti partem, quod adfirmanti Straboni facile credimus, fecerit, haud quidquam illis alienum dicetur, quæ vulgo uſu venire animadvertimus, ſi annum menſeſque Ægyptios ab ejus civibus receptos conjecerimus. Ne tamen conjecturis, quæ hoc in genere ſæpiſſime fallunt, niti videamur, teſtem excitabimus provinciæ hujus indigenam & epiſcopum Syneſium; qui presbyterum ſui cœtus ſollemnem Paſchatis diem in XIX. menſis *Pharmuthi* incurrere, annique Ægyptii rationem ſuæ genti receptam eſſe (*Epiſt.* XIII.) docet; cui teſtimonio ne quis obmoveat, Paſchalem diem ſæpe menſis *Pharmuthi* fuiſſe ſollemnem, ac propterea ab Ambroſio, cui Mediolani nihil cum Ægyptiorum anno commune erat, memorari; fierique potuiſſe, ut Ptolemaidis præſul a Theophilo Alexandrino, ſicuti mos & uſus ferebant, eam diem acceperit, addam alia, exceptionibus hujuſmodi prorſus libera. Fratri enim wortem Caſtricii nunciaturus ἑκκαιδεκάτῃ μηνὸς Ἀθὺρ, (*Epiſt.* XXXVI.) inquit, ὁ μακαρίτης Κασείκιος αὐτὸ τοῦτο ἐγένετο. *Sexta decima menſis* Athyr *beatus, ſicuti eſt, Caſtricius factus eſt*, & alibi (*Epiſt.* CXLII. *pag.* 2800. C.) εἴκοσι τοῦ Μεσωρὶ ἡμέρας συντίθεμαί σοι περιμένειν σέ, μεθ᾽ ἃς σὺν θεῷ τῆς ὁδοῦ ἕξομαι. *Viginti toto* Meſori *dies me tibi præſtolaturum polliceor, quibus exactis, favente Deo, iter adgrediar*. Quo utroque loco Ægyptiorum menſibus, nam tales ſine controverſia *Athyr* & *Meſori*, temporis ſpatia cum finiat, citra dubium eſt, in provincia Cyrene habitum menſeſque anni Ægyptiaci communi quodam uſu atque incolarum more fuiſſe celebratos.

CAPUT IV.

Judæi Berenicenſes decreti ſunt auctores. Adſueverant in Ægypto ceteriſque in provinciis pſephiſmata condere, & in proſeuchis dedicare. A ludis theatralibus & amphitheatro non abhorruere. Cur in amphitheatro decreti columna ſit poſita?

Vidimus de urbe Berenice; deinceps; quod propoſitum erat, dc auctoribus decreti agetur: incertum enim opinantium diverſitas facit, Judęiſne acceptum ferri debeat an Berenicenſium magiſtratibus. Judæos feſtus Sdenopegiæ dies requirere videtur; neque enim credibile fore arbitor, Berenicenſes, a ſecta atque inſtitutis Hebræę gentis remotiſſimos, illam ſollemnitatem in actis publicoque inſtrumento memoraſſe. Scio anniverſariam feſti hujus diei celebritatem Gręcis haud fuiſſe ignotam, quidque de ea (*Lib.* IV. *Sympoſ. Quæſt.* 5. *pag.* 671.) Plutarchus memorię prodiderit; ſed ullos eorum inventos eſſe, qui gentis inviſę & contemtę feſto die ad temporis conditionem atque intervalla indicanda uterentur, nec exemplorum auctoritate neque probabili argumentorum pondere firmatur: abhorret enim a ſtudio ac voluntate diverſæ religionis hominum. Eſt pręterea inter Archontes Joſephus Stratonis F., qui nomine Judęum ultro ſe profitetur; illum autem, non ejurata patria religione, in municipio honores delibaſſe, aut Berenicenſium voluntate recepiſſe, utriuſque populi mores ut credamus prohibent.

Berenicenſes, ut vitio humani ingenii in contrariis ſacrorum ſtudiis aſſolet, Judęos oderant; δι᾽ ἐπηρείας εἶχον αὐτοὺς generatim de Cyrenęis (*lib.* XVI. *Antiq. cap.* 6. 1.) Joſephus ait, inſuperque ἀπανθρωπίαν ſive inmanem crudelitatem illis contribuit. Judęos ſacra & cerimonię vetabant, ne temere paganis miſcerentur. Notę ſunt graviſſimę eorum querelę, quas apud Agrippam, cum cogerentur militiam & publica munera obire, (*Joſephus eod. lib. cap.* 4. 3. 4.) στρατιῶν καὶ λειτουργιῶν κοινωνεῖν, expromſerunt. Et quamquam Imperatores Severus & Antoninus *eis, qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur, honores adipiſci permiſerunt, neceſſitates* tamen *eis impoſuerunt, quæ ſuperſtitionem eorum non* (*In lib.* 3. §. 3. *D. de Decurior. & Cl. Otto de Ædi. lib. c.* 7.) *læderent*; qua moderatione & lenitate animi Berenicenſes ſuę civitatis Judęos non ſunt complexi. Quod uni autem Joſepho Hebręum nomen eſt, & collegę Gręcis utuntur, id eos a cultu religionis Judaicę alienos haud facit, ut ſupra dixi: erat enim hoc arbitrarium, neque deſunt ſimilia (*Joſeph. lib.* XIV. *Antiq. cap.* 10. 10.) exempla. Accedit ad hęc omnia, quod Archontes & Judęorum apud Berenicenſes commune coronam & lemniſcum M. Titio decernant, ſibique plane & aperte decretum vindicent. Et quid tandem illud eſt in hoc marmore, quod a moribus & inſtitutis Judęorum abhorret?

An laudibus provinciæ præſidem celebra-

brare, quod Ill. Maffejo (*Antiq. Gallic. Epist.* 8.) in mentem venit, *psephisma condere, & columnæ incidere Græcorum mores redolent, non Hebræorum*? Atqui Felicem laudibus effert Judæorum nomine in Actis Apostolicis (*Cap.* XXIV. 3. 4. *&c.*) Tertullus, & qui hujus gentis Alexandriæ agebant, omnis generis honores, quos per leges patrias licebat, Cajo Caligulæ decernunt, scripto eum in finem psephismate, ac Flacco, ut Romam mitteretur, porrecto. Τιμὰς γὰρ ὅσας οἷόν τε ἦν, καὶ ἐπέτρεπον οἱ νόμοι, πάσας Γαΐῳ ψηφισάμενοι καὶ ἐπιτελέσαντες ἔργοις, ἀνέδομεν τὸ ΨΗΦΙΣΜΑ αὐτῷ, inquit (*In Flaccum pag.* 979. *B.*) Philo. Cujusmodi honores cum & aliis Imperatoribus deferrent, ne eorum memoria interiret, decreta monumentis columnisque inscribebant. Σιωπῶ, iterum (*Leg. ad Cus. pag.* 1011. *B.*) Philo, τὰς συγκαθαιρεθείσας καὶ συμπρησθείσας τῶν Αὐτοκρατόρων τιμὰς ἀσπίδων καὶ στεφάνων ἐπιχρύσων καὶ στηλῶν καὶ ἐπιγραφῶν. *Taceo deletos eodem incendio honores Imperatorum, clypeos, coronas auratas, columnasque suis cum titulis.* Quæ profecto multo ampliora sunt, & propius ad Græcarum civitatum instituta, sed crimine superstitionis immunia, accedunt.

Ergone amphitheatrum obstabit, idque Judæos frequentasse negabimus, quod ludi, munera & venationes fictis Deorum numinibus essent sacrata? Quod etsi sine ullo caussæ detrimento, neque enim in marmore nostro venationum & munerum spectatores sunt, largiri possem, haud tamen inviti illis spectaculis sæpe adfuerunt. Philo, non infrequens alioqui religionis avitæ cultor, adire theatrum & in cavea spectare, turpe aut flagitiosum esse nunquam censuit, professus (*De Temulent. pag.* 266. *B.*) frequenter se in ejus spectaculis sedisse: ceteros ejusdem sectæ sabbatis sæpe numero non tam legi audiendæ quam ludis theatralibus vacasse, μὴ τῇ ἀκροάσει τοῦ νόμου, ἀλλὰ τοῖς θεατρικοῖς σχολάζειν tradit (*Lib.* VII. *H. E. cap.* 13.) Socrates, Amphitheatro se autem dare, & aut multitudinis concioni interesse, aut oculos crudelissimis munerum spectaculis pascere, haud illis fuisse insuetum, (*Lib.* II. *Bel. J. cap.* 18. 17.) Josephus & Acta S. Polycarpi (*Act. Mart. Ruinart. pag.* 41.) abunde docebunt.

Id tamen rarum & prorsus esse singulare non diffiteor, quod decretum columnæ incisum conspicua amphitheatri parte collocari jubeant. Adsueverant enim in Synagogis & proseuchis, ut bene de se sacrisque suis promeritos vice reddita cohonestarent, hujus generis dedicatos honores ponere, & posteris conspiciendos transmittere. Docet hoc Philo eo *Legationis ad Cajum* loco, quem in superioribus exscriptum dedi, & insigniore alio, quo proseuchas argumenta & publica quædam incitamenta pietatis Judaicæ erga familiam Augustam ubique esse declarat, [*In Flaccum pag.* 972. *B.*] τοῖς πανταχόθεν τῆς οἰκουμένης Ἰουδαίοις ὁρμητήρια τῆς εἰς τὸν Σεβαστὸν οἶκον ὁσιότητος.

At quid si Berenicenses Judæi hujus rei caussas habuerint extraordinarias, & a republica impetraverint, ut conspectiore in loco columna poneretur? In Synagogis & proseuchis ea, quæ magistratuum honoribus consecrabantur, solis ne sectam hanc atque instituta amplexis patebant; amphitheatri eminentior pars, omniumque oculis exposita, monumenti honorem augebat. Juvisse etiam haud parum videtur præsentis M. Titii auctoritas, ut facilioribus hanc in rem Berenicensibus uterentur. Quarum tamen rationum nulla si fuerit vera, effici non poterit, ut Berenicenses magistratus decreti sint auctores, non autem Judæi. Multa enim hujusmodi in rebus, quæ a nostra memoria longissime absunt, nobis latent; neque hominis ingenui & prudentis est, cum cetera bene congruant, ob unum aliquod obscurius leviorisque momenti factum pervicaci animo reniti & assensum cohibere.

Jam Archontes novem & decretum festo Scenopegiæ die constitutum, quod adfirmari [*Antiq. Gall. Epist.* 8. *pag.* 41.] video, legibus disciplinæque Judaicæ neque contraria sunt, nec pugnant. Erat profecto tabernaculorum ea sollemnitas sanctissima & maxima, [*Josephus lib.* VIII. *Antiq. cap.* 4. 1.] ἑορτὴ σφόδρα παρὰ τοῖς Ἑβραίοις ἁγιωτάτη καὶ μεγίστη. Cujus tamen omnes dies neque a labore opereque prorsus vacui; neque prohibitum usquam est, ne aut bene meritis gratia haberetur, aut hujusmodi decreta eo tempore conderentur. Immo vero umbraculorum hoc festo die in provinciis id præcipue studebant, ut res suæ societatis ordinarent, novos magistratus eligerent & quæ observanda forent, decernerent, teste auctore [*Operum Chrysost. Latin. tom.* II. *pag.* 521.] *Homiliæ in Natalem Johannis*.

Novem vero Archontes, quo numero olim etiam Athenis prætores, Judæorum moribus utrum conveniant, operæ pretium nunc foret diligenter inquireres nisi res ipsa postulare videretur, ut prius de anno, quo vulgatum est hoc spephisma, disputaretur. Hoc itaque agamus.

C A-

CAPUT V.

Annus V. C. IↃCCXIV. *non potest esse is, de quo Berenicense decretum. Festus umbraculorum dies circa æquinoctium autumnale celebrabatur. De Scenopegia mensis Casleu. Æræ Ægyptiorum Augustanæ quodnam fuerit principium? Alexandrini, damnato Ægyptiorum vago anno, fixum & immobilem adsciverunt. Plures tamen erraticum annum retinuerunt. Possitne annus* V. C. IↃCCLXXIX. *is esse, de quo in decreto?*

DEcreti promulgati tempus anno LV. adstringitur; cujus æræ caput & principium, quoniam Berenicensium hoc in genere consuetudo ob monumentorum penuriam prorsus est ignota, in controversia & contentione versatur: per tamen id commodum accidit, quod festus umbraculorum inter Judæos dies mensis Paophi XXV. innectitur; ex eo enim potior disputationis hujus pars pendebit & regetur.

Ordiemur a libertate regni Cyrenaici; qua ejus civitates donatæ sunt a Senatu populoque Romano COSS. Cn. Domitio Ahenobarbo & C. Cassio Longino. *Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomen Apioni fuit*, ait (*Epit.* LXX. *& Jul. Obsequens de Prodigiis cap.* 109.) Livius, *mortuus heredem populum Romanum reliquit, & ejus regni civitates Senatus liberas esse jussit*. Ab hoc initio, est autem annus V.C. Varronianus DCLIX. annos numerare si Berenicenses fuerint ingressi, annus psephismatis LV. non alius erit ac V. C. DCCXIV.; qui quoque, modo reliqua bene convenirent, recipi & pro legitimo agnosci posset. Neque enim rarum aut invisitatum est, ut provinciæ civitatesque annorum numerandorum principia a libertate impetrata auspicentur. Sed obest atque æræ hoc initium vetat festus Scenopegiæ dies eo anno XXV. mensis Paophi celebratus; quod, nisi fallor, hinc clarissime patefiet.

Memorat (*lib.* VII. *Magnæ Syntax. cap.* 3. *pag.* 171.) Ptolemæus observationem Astronomicam Timocharidis anno XXXVI. primæ periodi Calippi, die XXV. Posideonis Attici, Anno Nobonassari CCCCLIV., Paophi XVI., horis tribus post mediam noctem: qui annus ante Christi natales CCXCV. fuit; quo neomenia Thoth Ægyptii cœpit meridie diei V. Novembris, & XVI. Paophi desiit XXI. Decembris. Jam cum annus Ægyptius ob neglectum intercalarium diem vertente seculo diebus ferme XXV. retrolabatur, anno V. C. DCCXIV., sive Nabonassari DCCVIII. neomenia Thoth in diem Septembris II., & XXV. Paophi in XXVI. Octobris Juliani incidit. Fieri autem non potest, ut festus tabernaculorum dies in extremum mensem Octobrem rejiciatur.

Judæi eam sollemnitatem inchoabant XV. septimi (*Levit. cap.* XXIII. 34.) mensis, cui Tisri nomen, perduxeratque longior usus in morem, ut circa autumnale æquinoctium læti in umbraculis agerent: cui rei locuples testis est (*De Festis pag.* 1195. *E.*) Philo τελευταία δ' ἐςὶν ἑορτὴ τῶν ἐνιαυσιαίων προσαγορευομένη Σκηναὶ, καιρὸν ἔχουσα τὸν μετοπωρινῆς ἰσημερίας. *Postremus festus e sollemnibus dies est Tabernaculorum, quorum tempus incidit in æquinoctium autumnale*. Et apertius (*In Flaccum p.* 982. *A.*) alio loco. Ἑορτὴ μὲν γὰρ ἦν πάνδημος τοῖς Ἰουδαίοις κατὰ τὴν μετοπωρινὴν ἰσημερίαν, ἐν ᾗ διάγειν Ἰουδαίοις ἔθος ἐν σκηναῖς. Quod & veteri consuetudine & lege introductum fuisse (*de Decalogo pag.* 766. *E.*) adfirmat. Ejus autem & columellæ ætate autumnale æquinoctium a. d. IX. Kal. Octobris, sive XXIII. Septembris, (*Columella lib.* II. *R. R. cap.* 8.) conficiebatur Igitur Scenopegiam si XXVI. Octobris celebraverint, toto amplius mense ab æquinoctio, quod lex & usus vetabant, festos eos dies obierunt.

Bene memini σκηνοπηγίαν τοῦ Χασελεῦ μηνὸς, sive umbraculorum sollemnia, quæ XXV. mensis Chasseu agerentur, in historia (*lib.* II. *cap.* I. 9. 18.) Maccabaica recenseri, eumque Hebræorum mensem Decembri Juliano ex præcipua parte sæpe respondere: Verum extraordinaria ea fuit sollemnitas, & σκηνωμάτων τρόπον seu ad morem modumque tabernaculorum ea tempestate celebrata, quoniam haud multo ante eam lætos alioqui dies in montibus & eorum cavernis hostium metu absumserant, ὡς πρὸ μικροῦ χρόνου τὴν τῶν σκηνῶν ἑορτὴν ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ τοῖς σπηλαίοις ἦσαν νεμόμενοι (2. *Macab.* x. 8.) Quare cum neque ea res efficere queat, ut Judaica Scenopegia extremo mense Octobri celebretur, abjici debet illud a libertate adepta repetitum æræ caput, quærendumque aliud est, hujusmodi incommodis ac difficultatibus liberum atque exemtum.

Placuit præter ceteros viris egregiis annus V. C. IↃCCXXIV., quo oppresso Antonio sublataque Cleopatra Ægyptus in provinciæ formam redacta est. Hinc Ægyptiis æræ Augustanæ initium; Senatus

tus enim Romanus diem, quo Augustus Alexandriam expugnavit, pro festo haberi, & eorum annos in posterum ab ea victoria numerari jussit, τήν τε ἡμέραν, inquit (*lib.* LI. *pag.* 523. *cap.*) Dio, ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι. Ab eo anno quinquagesimus quintus, qui in lapide Berenicensi, cum respondeat V. C. IↃCCLXXIX. anno, sive æræ vulgatę XXVI., illum prętoptarunt. Et quoniam vulgo chronologi omnes censuerunt, recepta Augusti ęra, anni Ægyptii rationem esse mutatam, frenoque retrogradę Thoth neominię injecto, perpetuum ejus principium diei XXIX. mensis Augusti esse illigatum, atque eo modo annum, antea errantem & vagum factum esse stabilem: id vero Ægyptii anni initium diem XXV. Paophi & Scenopegiam Judęorum ad XXII. Octobris Juliani & XXX. Tisri Judaici, si tamen recte (*Chronogr. pag.* 7. *cum nota Jac. Goar.*) Syncellus hos menses inter se composuerit, cum demittat, & longissime ab ęquinoctio autumnali & decimo quinto mensis Tisri, qui festo umbraculorum primus, removeat: fixum illud & perpetuum anni Ægyptii exordium, quippe male natum, negandum & prorsus infringendum suo quodam jure (*Ill. Maffejus Ant. Gallicar. Epist.* 8. *pag.* 42.) sumserunt.

Equidem huic disputationi non admodum refragor, nec plane tamen veram sinceramque, quod pace eorum dixerim, autumo: nam Alexandrinos habitum ac forma anni Juliani recepisse, & quarto quoque anno intercalarium diem inseruisse veterum testimoniis revincitur. Apertissima ad hanc rem stabiliendam verba sunt (*in Append. ad Disser. Cyprian. H. Dodvvelli p.* 30.) Theonis Alexandrini. Ἐπεὶ γὰρ ὁ καθ᾽ Ἕλληνας, ἤτοι κατ᾽ Ἀλεξανδρέας, ἀναδιδόμενος ἐνιαυτός ἐστι τξε΄ δ. ὁ δὲ κατ᾽ Αἰγυπτίους, ὡς ἔφαμεν, τξε΄ μόνον. δῆλον ὡς ὅτι κατὰ τέσσαρα ἔτη μίαν προλαμβάνει ὁ κατ᾽ Ἀλεξάνδρειαν. κατὰ δὲ αυξ΄ ἔτη ἡμέρας τξε΄, τουτέστι κατ᾽ Αἰγυπτίους ἐνιαυτὸν ἕνα. *Quoniam enim annus Græcorum, id est, Alexandrinorum est dierum* $365\frac{1}{4}$, *Ægyptiacus autem dierum, sicuti diximus,* 365. *tantummodo; perspicuum est quarto quoque anno diem unum ad Alexandrinum accrescere; in annis vero* CIↃCCCCLX. *dies* CCCLXV., *i. e. annum unum Ægyptiacum.* Addit deinceps annorum illorum principia, fixi & retro cedentis Thoth neomenias, exactis annis CIↃCCCCLX. ad idem primordium devolvi, eamque revolutionem, ut ita dicam, & ἀποκατάστασιν anno (*Vid. Petavium lib.* X. *Doctrin. Tempor. cap.* 73.) Augusti V. contigisse. Quo tempore cum neomeniam Thoth die XXIX. mensis Augusti orditur, mirum non esse, ex ea die firmi fixique anni initium si sumserint; quibus gemina & germana Ibn Jounis, scriptor Arabs, sed domo & gente Ægyptius, apud (*Not. ad Alfergan. pag.* 47.) Jac. Golium tradit; neque diffident illi, quos Jo. Georg. Herwartus (*Chronol. Novæ cap.* CCXXVII.) excitavit.

Atque his, puto, non argumentis, sed certissimis testibus facile tenebimus Ægyptios Augusto principe vagam atque erraticam anni sui formam stabili & fixa mutasse: addamus tamen in cumulum ex Plutarcho pauca; qui cum de mense Athyr, ἐν ᾧ τὸν σκορπίον ὁ ἥλιος διέξεισιν, eo solem scorpium transire (*Isid. & Osirid. pag.* 356. *D.*) perhibet, firmum fixumque Ægyptiorum annum agnovit, quo mensis Athyr partim Octobri, partim Novembri Juliano respondet: quare eundem ferme ac Pyanepsionem Atticum & Damatrium Boeotorum ac σπόριμον περὶ πλειάδα esse (*Ibidem pag.* 378. *E.*) adfirmat: quoniam ab occasu Vergiliarum, qui fiebat a. d. IX. Kal. Novembris, satio (*Columella lib.* II. *R. R. cap.* 8.) tritici ad brumæ tempora frequentaretur. Hęc quoque caussa est, cur XXII. mensis Paophi diem festum μετὰ τὴν φθινοπωρινὴν ἰσημερίαν post ęquinoctium autumnale (*Isid. & Osirid. pag.* 372. *B.*) transigi, & neomeniam Phamenoth ἔαρος ἀρχὴν (*Ibid. pag.* 368. *C.*) seu veris principium haberi perhibeat; falsum enim utrumque in vagante, sive retrogrado potius, Ægyptiorum anno; justum autem & verum est in stabili.

Habuerunt ergo Ægyptiorum aliqui & pręter ceteros Alexandrini certum atque inmobile anni primordium; nec vulgo tamen per universam Ægyptum, quod egregie viri pręstantissimi docuerunt, & Alexandrinus Theo adprobat, recepta ea consuetudo est. Mansit ex veteri quadam superstitione genti ad seros usque posteros mos, quo neomenia Thoth in alium atque alium diem retro cedebat, & paullatim per singula anni tempora vagabatur. *Nam Ibn Jounis, ubi de computo Ægyptiorum agit, disertis testatur verbis, & tunc eorum fuisse quosdam, qui priscam æquabilis anni formam adhuc servarent; licet apud alios plerosque omnes intercalatio usu recepta esset*, sic (*ad Alfergan. pag.* 47.) Golius.

Restat, ut inquiramus, possitne ope vagi hujus anni festus Scenopegiæ dies XXV. mensis Paophi in anno Berenicensium

sium LV. celebrari. Si æræ principium sit annus V. C. IↃCCXXIV., non alius erit quinquagesimus is quintus ac V. C. IↃCCLXXIX. sive a Christi notalibus XXVI., ut supra ostendimus, quo vagum Ægyptiorum Thoth incurret in XVII. mensis Augusti, & XXV. Paophi in X. Octobris. Umbraculorum autem sollemnitas septem diebus absolvebatur, quorum primus, modo recte Syncellus menses Hebræorum & Romanorum inter se comparaverit, conveniet VII. Octobris Juliani & hujus anni Paophi XXII.; nec longe admodum ab æquinoctii autumnalis die, circa quem sollemnis erat Scenopegia, aberrabit. Justum propterea & verum Berenicensium illud epochæ principium haberi posset modo plausibili aliqua ratione constabiliretur.

Dio Cassius (*lib.* LI. *pag.* 523. *C.*) festum eum diem, quo capta ab Augusto est Alexandria, & annorum numerandorum principium Senatus decreto fuisse constitutum auctor est. Alexandrinis, quibus eo tempore novum sidus affulsisse videbatur, probe ea res conveniebat, non item Cyrenaicæ provinciæ civibus, qui dudum Romanis paruerant, iisdem, quibus Cretenses, magistratibus dicto audientes. Ad hoc Alexandrini anni sui formam cum Romana mutarunt; quam Berenicenses, servato volubili & vago anno, cum spreverint, neque illorum æram Augustanam videntur probasse. Superabat præterea anno V. C. IↃCCLXXIX. Sejanus, Judææ gentis acerrimus (*Philo in Flacum pag.* 965. *& Legat. ad Caj. pag.* 1015. *B.*) osor, cujus summa quoque auctoritas compescere & cohibere M. Titium debuit, ne adeo civilem se & lenem Judæis præberet. Adde his omnibus, neomeniam Tisri Judaici anno XXVI. a natalibus Christi pæne æqualem fuisse (*Vid. Ægid. Bucherium de Paschali Judæorum Cyclo pag.* 364.) principio Septembris Juliani, neque adeo differri ultra eum mensem potuisse umbraculorum sollemnitatem.

Quid si itaque Berenicenses suam sibi epocham, ut pleræque civitates, constituerint, cujus annus LV. in ultima imperii Tiberiani tempora, & post Sejani fata, inciderit? propius utique ad legitimum Scenopegiæ tempus eo modo deveniemus; nec quidquam provincialium moribus adversum adfirmabitur. Sed dies hæc & meliora monumenta ad liquidum perducent. Τὸ γὰρ ἀληθὲς διϊσχυρίζεσθαι ταῦτα οὕτως ἔχειν, πολλῶν ἀμφισβητούντων, θεοῦ, ut bene Philosophus.

CAPUT VI.

Disputatur de Archontibus. Non sunt Archisynagogi, neque e Synagoga erui possunt. Josephus explicatur. De usu vocis ὑπηρέτε plura. Johannes, cui cognomen Marco, cur ὑπηρέτης Paulli & Barnabæ in Actis A.? De æditu Synagogæ. Quot judices in oppidis Judææ Josephi ætate fuerint? Levitæ scribarum munere functi sunt. Fuerunt & janitores.

VEnio ad Archontes; qui Judæi cum fuerint, sicuti ante probavi, exsistit hoc in loco quæstio subdifficilis, cujus tandem ordinis & dignitatis illi fuerint? De Archisynagogis suspicari viri Amplissimus (*Explication de quelques Marbres pag.* 33.) cœpit, qui haud raro ἄρχοντες & ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς, ut in Evangelio Jairus, & alii, de quibus abunde Camp. Vitringa (*De Synagog. Veter.* L. III. *Part.* I. *cap.* I.) egit. Verum singuli Synagogis cum præessent Archisynagogi, nihil illis titulus proderit, nisi & novem Synagogas Berenicæ dederis; quod jure fieri an possit, equidem vehementer dubito. Erat ea quidem urbs, satis ampla, & Judæorum celebri coetu instructa; tantum tamen fuisse, ut novem Synagogis ad sacra obeunda esset opus, ad credendum est difficile. Agebant inter paganos, odio in ritus & disciplinam Judaicam incensos; & majoribus in urbibus sæpe una multitudini sufficiebat, uti Alexandriæ, ubi multo sane amplior gentis frequentia, & plures quidem proseuchæ, at una Synagoga, amplitudine & elegantia excellens, ac Judæorum propterea domestico præconio celebratissima. Synagogæ præterea præfectus negotia & curam sui cœtus (*J. Rhenferd. Diss.* II. *de X. Otios. cap.* 7.) administrabat, singulorum mores inspiciens, atque in eos, qui vitam male regerent, animadvertens: Archontes autem Judæorum Berenicensium communi societatis suæ consulunt: cumque illi in Cyrenaicæ provinciæ vicinia ab Archisynagogis fuerint diversi, ut suo loco declarabo, cur Berenicæ eos confundemus?

Atque hęc quoque fecerunt, ut opinionem, in quam marmoris epigramma obiter considerans descenderam, ultro repudiarim. Arbitrabar novem hos Archontes totidem esse Synagogę Berenicensis administros: omnium principem, τὸν ἄρχοντα τῆς συναγωγῆς,, septem ejus adsessores, quos שבעה טובי העיר, *septem civitatis optimos* (*Idem Investig. Præf. &*

Mi-

Ministror. Synagog. pag. 554.) nuncupare adsuerunt: quibus, ut numerum rotundarem, ministrum addebam, operas Synagoga obire solitum, cui nomen est sollemne חזן *Chassan*: videbarque adeo mihi ipsa e Synagoga novem viros haud infeliciter eruisse, neque eorum plerisque ἀρχόντων honararium titulum posse negare. Ultimus tamen vilissimę conditionis & infimi subsellii homo, ut alias dicam, eo honore indignus est; nęc inpetrare unquam a suis valuit, ut ceteris Synagogę prępositis ęquipararetur.

Ipse Vir illustris, sive eadem ad animum revocarit, seu qua alia re permotus, damnata, de Archisynagogis sententia, novem Archontibus (*Explicat. de quelques Marbres pag.* 42.) pręsidium ex Josepho paravit: memorat is loco nobili & sæpe honestissimis doctorum contentionibus (*lib. Antiq. cap.* 8. 14.) vexato, edixisse Mosem, ut oppidatim septemviri, virtute & justitię studiis excellentes, qui de jure responderent & litium sederent judices, constitueretur; utque illis adjungerentur duo e tribu Levitica administri, ἑκάστῃ δὲ ἀρχῇ, inquit δύο ἄνδρες ὑπηρέται διδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευιτῶν φυλῆς. Hinc enim clare atque aperte parrere, novem viros Judęorum urbibus fuisse inpositos, septem nimirum judices, duosque e tribu Levitica adsessores & doctores: quam opinionem ut omnibus adprobet, ὑπηρέτας sua vi & usu esse ministros recte docet; fieri tamen haud raro, ut id vocabulum in summo honoris fastigio positos designet: Levitas in gente Hebręa pręcipua fuisse auctoritate, legis voluntatisque divinę interpretes; quorum muneri congruens & conveniens non esse, ut judicibus in oppidis appareant & ministrent. Legis & oraculorum divinorum explanatores ὑπερέτας τοῦ λόγου, quo titulo Christi (*Lucæ Evang.* I. 2. *&* I. *Corinth.* IV. I.) Apostoli ornantur, & ὑπηρέτας τοῦ θεοῦ recte dici: immo vero Levitam (*Evangel. cap.* IV. 10., *& Actor. Apostol. cap.* XIII. 4.) ὑπηρέτην apertissime vocari a S. Luca, & Johannem, cui cognomen Marco, quantumvis collegam in docendo Evangelio Paulli & Barnabæ, eodem vocabulo describi. Quare Josephi verba commodissime verti, *Unicuique præfecturæ duo doctores jungantur e tribu Levitica*.

Quæ tametsi subtiliter disputata, pro veris & certis plura ponunt, bona viri egregii venia dixerim, de quibus haud injuria dubites. Non equidem inficias ivero, ὑπηρέτην posse præcipuæ dignitatis virum appellari: Moses enim ὑπηρέτης dicitur (*lib.* VI. *Antiq. cap.* 4. 47.) Josepho, & rex legitimus μιματὴς καὶ ὑπερέτας νόμιμος τῶ θεῶ Sthenidæ Locrensi, & θεῶ μεγάλης δικαιοσύνης ὑπηρέτης Eusebio Philosopho apud (*Serm.* CXLVII. *pag.* 492. *& Serm.* CXLII. *pag.* 528.) Stobensem, (*Tom.* II. *pag.* 789. *D.*) & Plutarcho πολιέως Διὸς ὑπηρέται magistratus, sicuti Apostolo Paullo (*Roman.* XIII. 4.) διάκονοι τοῦ θεοῦ. Verum illis omnibus in locis non sua sibi vi regem principem designat, sed quoniam Dei O. M. vicem illi funguntur, ejusque inter homines sunt administri. Neque nego Levitas jure optimo ὑπηρέτας nuncupari. Ὑπηρέτης ἐστί. τὰς γὰρ λειτουργίας ἁπάσας ἀναδέχεται, ὅσαι πρὸς ἱερωσύνην ἀναφέρονται τελείαν. *Minister est Levita; omnibus enim officiis fungitur, qua perfectum sacerdotium requirit*. Quæ verba (*De Sacrific. Abelis pag.* 153. *C.*) Philonis tituli ejus caussam clarissime exponunt, & cur iidem (*lib.* XX. *Antiq. cap.* 9. 6.) Josepho λειτουργοί.

Posse vero idem vocabulum, simpliciter & haud comparate positum, legis & oraculorum interpretem expingere, non arbitrer; neque exemplis is vocis usus adfirmatur. Paullus quidem & Barnabas Salamine cum docerent, Johanne administro utebantur, εἶχον δὲ, Lucas (*Act. A. cap.* XIII. 5.) ait, καὶ Ἰωάννην ὑπερέτην. Quem etsi nullas in explicanda Christi doctrina partes obiisse, dicere nolim, illis nunquam æquiperaverim aut collegam addiderim. Aderat ipsis, & quotidiana officia præstabat, ut quondam Eliæ prophetę Elisęus, qui ea de caussa (*lib.* VIII. *Antiq. cap.* 13. 7.) Josepho μαθητὴς καὶ διάκονος vatis ejus est discipulus & minister, & Paullo Apostolo Timotheus & Erastus, qui ab eodem (*Act. A. cap.* XIX. 22.) Luca δύο τῶν διακονούντων αὐτῷ vocantur. Cumque seu metu vexationum, quę Christi discipulis inter paganos parabantur, seu alia de caussa, temere ab illis discessisset, spretus deinceps neglectusque est a Paullo is Johannes, ut male fidus itineris comes. Christus autem convolutum sacrarum literarum codicem cum porrigeret (*Evang. Lucæ cap.* IV. 10.) τῷ ὑπηρέτῃ, haud sane Levitę aut legis doctori atque interpreti, sed infimi ordinis in Synagoga ministro, quem חזן *Chassan* Judęi, Latini *æditum* vocant, tradidit, quemque, ne ad alios provocem, (*Hæres.* XXX. *cap.* II.) Epiphanius describit tanquam ὑπηρέτην καὶ διάκονον sive ministrum & Synagogę servum.

Atque hoc linguę genius, qui ministrum & alio propterea inferiorem postulat, abunde firmat. Quare si ὑπηρέται ma-

magiſtratibus attribuntur, aut ſcribas, aut lictores, aut aliqua ex cauſſa illis ſubjectos complectuntur. Dionyſius Halicarnaſſenſis Ædiles plebis (*lib.* VI. *Ant. Rom. pag.* 411.) tribunorum ὑπηρέτας, Plutarchus (*Tom.* II. *pag.* 534. *cap.* & *Tom.* I. *pag.* 766. *B.*) lictores Quęſtoris & ſcribas quęſtorios eadem voce appellat; ſine dubio quod apparerent & his magiſtratibus miniſtrarent. Demoſtheni quoque Syracuſę ὑφ᾽ ὡὸς γραμματέως, ὃς ὑπηρέτης ἦν, *a ſcriba* Dionyſio, *qui miniſter erat*, tyrannide dicuntur (*Orat. in Leptin. pag.* 313. & *Polyæn. lib.* V. *cap.* 2. 2.) oppreſſę; a quo nihil diſſentit Polyęnus. Joſephus, ut ad eum propius accedam, nihil diverſum intellexit: ſeptemviris, per ſingulas civitates conſtitutis, binos miniſtros, qui illis adeſſent, contribuit.

Moſes, cujus conſtitutionem explicat, neque numerum adſeſſorum, nec τῶν ὑπηρετῶν finivit: tantum edixerat, ut שפטים ושטרים (*Deuteronom. cap.* XVI. 18.) municipatim crearentur; quorum priores cum citra controverſiam ſint judices, & poſteriores Alexandrinis interpretibus ſint atque habeantur γραμματοεισαγγελεῖς & γραμματεῖς, mihi quidem dubium non eſt, quin Joſephus, duos ſcribas, qui ſeptemviris apparerent & acta conficerent, intellexerit. Ipſa res eos requirebat, quę ſine eorum opera in actionibus forenſibus commode tranſigi non poterat: accedebat ſenatus Hieroſolymitani exemplum in quo שני ספרי הריינים *duo judicum ſcribæ* (*Cod. Sanhedrin cap.* IV. 3.) aſſidue ſuo munere fungebantur. Hos vero ſcribas ipſis judicibus dignitate ſi ęquaveris, novemviris in ſeptemvirorum locum ſuffectis & ſubſtitutis, & contra receptum rerum uſum venies, quo miniſtri magiſtratibus minores, ſicuti ſunt, cenſentur, & intercedet Joſephus, ſcribas ſive ὑπηρέτας judicum albo eradens, atque ἑπτὰ κρίτας ſeptem duntaxat civitatum judices (*lib.* IV. *Antiq. cap.* 8. 38.) memorans.

Hoc amplius, Galilęę quum fatali Judæis bello imperaret, LXX. ſenatores, qui, ſicuti in ſacrorum & gentis metropoli aſſolebat, ea in regione ſummam rerum adminiſtrarent, ſeptem vero judices (*lib.* II. *Bel. J. cap.* 20. 5.) oppidatim conſtituit, ἑπτὰ δὲ δικαστὰς ἑκάστῃ ἐν πόλει. Ut ambigi de judicum in oppidis illis numero non poſſe videatur. Non me quidem fugit, quid his obmoveri poſſit ex eorum libris, qui patrio ſuę gentis ſermone mores & inſtituta majorum ſunt exſecuti: verum id male firmum eſt, & alias a me tangetur.

Id tamen dici mihi nolim, ſcribarum illud munus dignatione Levitarum longe eſſe inferius. Nam tametſi apud Romanos revera, ſicuti erant, mercenarii ſcribæ exiſtimabantur, pleriſque in (*Corn. Nep. in Eumene cap.* I.) Græciæ civitatibus & in primis apud Judæos multo erat id genus honorificentius: nemo enim ad id officium admittebatur niſi honeſto loco & fide & induſtria cognita; ſuntque adeo οἱ ἀπὸ Λευιτῶν γραμματεῖς ſive ſcribæ a Levitis lecti in ſacris V. T. (2. *Chron.* XXXIV. 13.) libris haud obſcuri. Et vilius ſi fuiſſet id munus, abjectiora & magis contemta videri poterant, quæ in excubiis per templi montem & portarum cuſtodiis noctu atque interdiu obire debebant. ἦσαν δέ τινες τεταγμένοι νεωκόροι καὶ ἱερόδουλοι, τὴν τῶν πυλωρῶν τεταγμένοι τάξιν, ut vere (*De Præm. & Pœn. pag.* 922. *B.*) Philo. Verum ea, tanquam in aperto poſita, prætereo.

C A P U T VII.

Judæi in urbibus Romani imperii ſuos magiſtratus ſive Archontes habuerunt. Epiſtola L. Antonii explicatur. Hetærias, ἑταιρείας, *cur prohibuerint Romani? Sardibus Judæorum Archontes fuerunt. Aurum quotannis ex omnibus provinciis Hieroſolymam mittebatur. De Judæis Alexandrinis, eorum Ethnarcha, Senatu & Archontibus.*

ETſi vero nihil admodum juvent ſeptemviri juri dicundo, de quibus Joſephus, ad Archontem apud Berenicenſes dignitatem conſtituendum, adduci poſſum, ut credam, Judæos in provinciis & oppidis ultra citraque patriæ ſuæ terminos ſæpe ſuos ſibi magiſtratus habuiſſe, qui litium & controverſiarum judices ſederent, & pro virili ſua popularium commodis proſpicerent, atque ea propter ἄρχοντες *Archontes* eſſent & haberentur: quo modo Synedrii adſeſſores in hiſtoria (*lib.* I. *cap.* XIV. 27.) Maccabæorum ἄρχοντες τοῦ ἔθνους, & in (*cap.* IV. 8.) Actis A. ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, & Hieroſolymorum magiſtratus (*lib.* XX. *Antiq. cap.* I. 2.) Joſepho ἄρχοντες Ἱεροσολυμιτῶν appellantur, mores gentis & certiſſimæ fidei exempla hoc ut amplexer facile a me inpetrant: namque diſciplinam & populi ejus inſtituta omni acie ingenii ſi contempleris, plurima occurrent, ſeque conſideranti offerent, quæ neque tutum erat ad diverſæ religionis magiſtratus referre, & de quibus, ſi qua adirentur, aut judicare propter inſcitiam ju-

juris Judaici recte haud poterant, aut etiam præ contemtu, ut olim Corinthi (*Act. Apost. cap.* XVIII. 15.) Proconsul Gallio, detractabant. Haud quoque raro ipsorum rebus magis congruens atque utile erat, ut potius arbitrum e popularibus caperent, quam ut ad judicem irent, & fori litiumque moris atque impendiis, & pragmaticorum ea augentium versutiis implicarentur.

Quæ ceterasque provincialium injurias a se ut propulsarent, & pecunia copiose atque opportune divisa & vario officiorum genere multifariam consecuti sunt, ut summa sibi sacrorum patriique ritus permitteretur libertas; cujus etiam vestigia in variis Romani imperii civitatibus exstant manifesta. Libera republica aurum Judæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus provinciis Hierosolymam exportari solebat; quam rem etsi L. Flaccus (*Cicero pro Flacco cap.* 28.) edicto prohibuerit, clarum tamen atque apertum est, ante eum Proconsulem exportari id licuisse, & fuisse, qui pecunias, in sacra & templum insumendas, Judęis, quibus ne id fraudi esset & Cęsar & Augustus deinceps (*Joseph. lib.* XIV. *Antiq. cap.* 10. 8. & *Philo Legat. ad Caj. pag.* 1036. *B.*) caverunt, imperarent. A Cęsare Julio multo ampliora suo merito nacti sunt; quæ singulatim recensendo ne longum faciam, vide mihi has L. Antonii ad Sardianos (*Apud Joseph. lib.* XIV. *Antiq. cap.* 10. 17.) literas. Λεύκιος Ἀντώνιος -- Σαρδιανῶν ἄρχουσι -- χαίρειν. Ἰουδαῖοι πολῖται ἡμέτεροι προσελθόντες μοι ἐπέδειξαν ἑαυτοὺς σύνοδον ἔχειν ἰδίαν κατὰ τοὺς πατρίους νόμους ἀπ᾽ ἀρχῆς, καὶ τόπον ἴδιον, ἐν ᾧ τά τε πράγματα καὶ τὰς πρὸς ἀλλήλους, ἀντιλογίας κρίνουσι. τοῦτο δὲ αἰτησαμένοις, ἵν᾽ ἐξῇ αὐτοῖς ποιεῖν, ποιεῖν, τηρῆσαι καὶ ἐπιτρέψαι ἔκρινα. *L. Antonius Sardianorum magistratibus salutem. Judæi cives nostri, cum ad me accessissent, ostenderunt se suos habere cœtus ex patriis legibus jam inde ab initio, & locum proprium, in quo de negotiis & controversiis, inter ipsos ortis, judicium ferunt, cumque a me petiissent, ut id ipsis facere liceret, idem illis servari permittique decrevi.* Hinc, quod adfirmavi clarum apertumque erit.

Prohibuerat, puto, Sardiani Proconsulis mandatu, ne cœtus fierent: sæpe enim in provinciis plures collegii aut sacrorum nomine conveniebant, & consilia, paci publicæ pernitiosa, conferebant. Quod ne fieret, edicere provinciarum præsides adsuerant, ne cœtus ejusmodi essent. In Ægypto hac ex caussa Flaccus Avilius societates & collegia distraxit; τάς τε ἑταιρείας καὶ συνόδους διέλυσε, ait (*In Flaccum pag.* 965. *D.*) Philo. Judæis, qui & sabbatis & sicubi festi dies essent, frequentes in unum conducebantur, ex edicto, quasi rebus novandis studerent & propterea coirent, inpacta calumnia est; quam a se ut amolirentur, L. Antonio significarunt, patrium hunc sibi esse morem, nec nisi religionis caussa congregari. Quod ipsum postea Imperatorem Augustum docuerunt: cum enim & is ex Mæcenatis admonitu (*Dio lib.* LII. *pag.* 561. *D.*) τὰς συστάσεις ἑταιρείας τε conciliabula & coitiones vetaret; Judæos legibus solvit, utque sacrorum caussa convenirent, indulsit: μὴ βουληθεὶς τῷ κοινῷ τύπῳ, (*Legat. ad Caj. pag.* 1036. *D.*) Philo ait, τὰς συνόδων ἀναιρεθῆναι τὰς τῶν Ἰουδαίων εἰς ταυτὸ συμφοιτήσεις, ἃς ἀπαρχῶν ἕνεκα ποιοῦνται καὶ τῆς ἄλλης εὐσεβείας. *Vetans ne communi conventiculorum titulo tollerentur Judæorum in unum coitiones, quas propter primitiarum collationes & pietatis studia facere solent.* Neque hercule injuria; Judæos esse qui sinit, eum oportet & sacrorum & in unum congregandi libertatem permittere; neque latebat Augusto, non esse hæc ebriosorum collegia & societates ad pacem disturbandam, verum in Synagogis justitiæ & temperantiæ præcepta dictari. μὴ εἶναι (*Philo ibid. pag.* 1035. *E.*) ταύτας συνόδους ἐκ μέθης καὶ παροινίας ἐπὶ συστάσει, ὡς λυμαίνεσθαι τὰ τῆς εἰρήνης, ἀλλὰ διδασκαλεῖα σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης. Rem itaque æquissimam L. Antonium, ut redeam, unde digressus eram, rogarunt, cumque gratia apud fratrem ejus Marcum plurimum valerent, haud difficulter eam obtinuerunt atque insuper assensus est, ut peculiarem Sardibus locum haberent, in quo controversias æquo jure disceptarent, atque adeo suos uti magistratus eligerent, qui judiciis præsiderent. Neque enim liberum illis judiciorum usum permittere potuit, nisi concessa pariter judicum sive ἀρχόντων constituendorum facultate.

Ex Asia nunc in Ægyptum atque Alexandriam si migremus, citra dubium id erit, quod quærimus. Consederant ea in urbe tam frequenti multitudine, ut binas ex quinque ejus partibus, in tot enim regiones (*Idem in Flaccum p.* 973. *B.*) erat descripta, implerent, & sparsim per reliquas domicilia figerent. Utebantur eadem, qua ceteri Macedones, civitatis prærogativa, illis non tantum (*Joseph. lib.* XII. *Antiq. cap.* 1.) optimo jure ἰσοπολῖται, sed & hactenus pares, ut ex majorum constitutionibus liberrime patriis sacris operarentur, & præfectum sua e gente haberent, cujus

& dicto audientes essent & sententiæ in controversiarum disceptatione acquiescerent. (*Strabo apud Joseph. lib.* XIV. *Antiq. cap.* I.) Καθίϛαται δὲ ϗ ἐθνάρχης αὐτῶν, ὃς διοικεῖ τε τὸ ἔθνος ϗ διαιτᾷ κρίσεις ϗ συμβολαίων ἐπιμελεῖται ϗ προςαγμάτων, ὡς ἂν πολιτείας ἄρχων αὐτοτελοῦς. *Quin & suus illis Ethnarcha est, qui gentis res administrat, & judicia exercet, curamque agit contractuum & mandatorum, quasi esset perfectæ & sui juris reipublicæ præfectus.* Quæ sane quam invidenda cum reges Lagidæ Judæis condonarent, videntur & quieti civitatis, & ejus frequentię, ut privilegiorum amplitudine plures illicerentur, consuluisse; qua opinione falsi quoque non sunt, sicuti ostendimus.

Romani, Ægypto in provincię formam redacta, Judæis ea, quę reges liberaliter dederant, non surripuerunt: nam regione Pręfecto Augustali mandata, Ægyptiis, quique aliunde eo commigrarant, minores magistratus, quibus ante paruerant, reliquerunt ὑποςρατήγους τινὰς ϗ νομάρχας ϗ ἐθνάρχας καλουμένους appellat (*lib.* XVII. *Geogr. pag.* 1149. *A.*) Strabo. Unde & Judęorum Alexandrina in civitate corpori pristinum jus plane integrum suaque e gente prępositus sive Ethnarches mansit: donec eo tandem fatis functo, mandatu principis Augusti, senatus, cui res Judaicę curę cordique essent, crearetur. Γερουσίαν ἐπιμελησομένην τῶν Ἰουδαϊκῶν vocat (*In Flaccum pag.* 975. *D.*) Philo.

Quo autem numero is senatus fuerit circumscriptus, definiri non posse arbitror; neque ad hanc caussam, in quam ingressi sumus, multum refert. Plures tamen in eum cooptati erant: triginta enim & octo ex eo ordine in vincula conjectos, & ejusdem dignitatis triumviros, Evodium, Tryphonem & Andronem, horribili flagello jussu Flacci concisos, idem (*Idem ibid. & pag.* 976. *A.*) memorat; quibus *Archontes* si addideris, magna accessione catalogus augebitur. Erant enim, quod pręter cetera maxipopere animadverti velim, plures inibi hoc titulo pręsignes ex ipso senatu, ut communi gentis pręessent, lecti. Philonem, cui servatam eorum (*Idem p.* 976. *A. D. & pag.* 982. *A.*) memoriam debemus, iterum audiamus: Ἐδηλώθη γὰρ αὐτῷ μεταπεμψαμένῳ τοὺς ἡμετέρους ΑΡΧΟΝΤΑΣ, ὅσα τῷ δοκεῖν ἐπὶ καταλλαγαῖς. *Dixerat enim accitis nostris* Archontibus, *quasi acturus de concordia*, & post pauca τοὺς ΑΡΧΟΝΤΑΣ, τὴν γερουσίαν, οἳ ϗ γέρως ϗ τιμῆς εἰσὶν ἐπώνυμοι, κατὰ τοῦτο τὸ μέρος ἔλαττον τῶν ὑπηκόων ἐνέγκασθαι, & denique, τῶν μὲν ΑΡΧΟΝΤΩΝ ἔτι καθειργμένων μετὰ τὰς συνεχεῖς ϗ ἀφορήτους αἰκίας ϗ ὕβρεις. Quę ejus loca stipanda censui, ut Archontes Judęi, a senatu Alexandrino distincti, clariore luce refulgerent, & quę de illis professus sum, nullam dubitationem haberent. Addo principes senatus πρωτεύοντας τῆς γερουσίας Josepho (*lib.* VII. *Belli J. cap.* 10. 1.), & Socrati (*lib.* VII. *Hist. Eccl. cap.* 13.) τοὺς τῶν Ἰουδαίων πρωτεύοντας sive primos e Judęis Alexandrinis dici.

Jam stabilita assertaque Archontum Judaicorum Alexandrię auctoritate, flectere aliorsum iter, & amplius in eos inquirere liceret, nisi manum injiceret ejusdem gentis illa in regione Ethnarcha, quem obiter atque aliud agens attigi, seque ab Arabarcha, quamquam nihil ejusmodi commeritum, pęne opprimi quereretur. Demus ergo hanc illi operam & injuriam ab eo prohibeamus.

CAPUT VIII.

De Arabarcha, quem alium atque Ethnarcham fuisse ostenditur. Philonis & Josephi verba explicantur & componuntur. De Præfectis Augustalibus principe Augusto. Arabarchæ apud Josephum examinantur. Utrum verius sit nomen Alabarches an Arabarches. Cujacius defenditur. Quid Cypriis ἀλάβα? *De nomo Ægypti Arabia. Inde Arabarches dictus. Explicantur verba Constitutionis Impp. Gratiani & Theodosii. De vectigali Arabarchiæ. Arabarchæ non fuerunt semper e Judæis.*

ARabarcham, cujus præter Josephum Cicero, Juvenalis & Imperatores Theodosius & Justinianus commeminerunt, (*Diss. de Arabarcha pag.* 584.) Henr. Valesius (*Not. in Eusebium lib.* II. *H. E. cap.* 5.) Jac. Rhenferdius, non infimi inter eruditos loci, eundem ac Judæorum Ethnarcham fuisse censuerunt. Ille (*lib.* XXVII. *Adverf. cap.* 25.) Adr. Turnebum secutus novum nomen & per risum & contumeliam sibi confictum videri: hic honestissimæ originis, sed mixtæ tamen, titulum esse perhibet: non enim diversum esse Arabarcham ab הרב המנהיג *Harab Hammanhig* sive summo gentis Judææ in provinciis gubernatore: immo vero formatum inde Arabarchæ esse vocabulum. הרב *Harab* contulisse primam partem: המנהיג exprimere τὸν ἄρχοντα seu præfectum: utroque vocabulo coeunte & artius coalescente, dedisse Ægyptios, & ejus loci græcissantes Judæos hybrida voce Ἀραβάρ-

βάρχην. Josephum præterea, diligentissimum rerum Hebræorum scriptorem, variis locis Alexandrum, Philonis fratrem & Tiberii Alexandri parentem, & Demetrium, in cujus torum Mariamne concesserit, Arabarchiæ munere in Ægypto atque Alexandriæ instructos commemorasse; bis etiam, cum Strabonis, tum Claudii Imperatoris verbis, Judæorum eadem in provincia Ethnarcham designasse. Hinc vero præter alia prono amne manare, & primo quidem, (*Jac. Rhenferdii Dissert. de Arabar. pag.* 586.) *Quem Claudius Cæsar in edicto & Strabo in historia* Ethnarcham *vocant*, *illum a Josepho*, *more Judæorum*, *voce mixto barbara sæpius* Arabarcham *appellari*, tum deinde, *Ethnarchiam vel Arabarchiam magistratum fuisse Judæorum extra patriam*, *Antiochiæ & Alexandriæ habitantium*. Addit hujus generis alia, erudite inventa & eleganter disposita.

Seponam ab hac controversia eam partem, quæ vocis originationem complectitur. Utque ipsam causę arcem invadam, verba Philonis, & quę illis contraria, ubi primum sub oculi aciem venerint, arbitreris, ex Imp. Claudii edicto exscribam. Philonis (*In Flaccum pag.* 975. *D.*) hæc sunt. Τῆς γὰρ ἡμετέρας γερουσίας, ἣν ὁ σωτὴρ καὶ εὐεργέτης Σεβαστὸς ἐπιμελησομένην τῶν Ἰουδαικῶν εἵλετο μετὰ τὴν τοῦ Γενάρχου τελευτὴν διὰ τῶν πρὸς Μάνιν Μάξιμον ἐντολῶν, μέλλοντα πάλιν ἐπ' Αἰγύπτου καὶ τῆς χώρας ἐπιτροπεύειν, ὀκτὼ καὶ τριάκοντα συλλαβών. Senatum ait Augusti mandatu constitutum, qui res Judaicas curaret, cum forte Ethnarcha fatis concessisset; nihil enim hic locus dubitationis habet, quin Γενάρχης generis gentisque Judaicę apud Alexandrinos gubernator prorsus idem sit, qui Ethnarcha. Eam vero rem accidisse, quum Man. Maximus iterum Ægypto pręfectus esset. Ex quo illud, nisi me omnia fallant, consequitur, Judęis ea in provincia, cum senatus ex principis edicto gentis res administraret, nullum fuisse Ethnarcham: hujus enim in demortui locum suffectus is est. Quid vero Imp. Claudius? *Quoniam jam olim*, (*Josephus lib.* XIX. *Antiq. cap.* 5. 2.) inquit, *cognitum habuimus Judæos*, *qui Alexandriæ sunt & Alexandrini appellantur*, *statim ab urbe condita una cum Alexandrinis habitatum missos*, *& civitatis jus ex æquo consecutos a regibus esse*, *idque palam est ex rescriptis eorum pariter & edictis*, *& postquam imperio nostro per Augustum subjecta fuisset Alexandria*, *sua illis integra mansisse jura*, *conservata per missos illo diversis temporibus præsides*, *nullamque de illo jure controversiam motam fuisse*, ἅμα καθ' ὃν καιρὸν Ἀκύλας ἦν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ τελευτήσαντος τοῦ τῶν Ἰουδαίων ἐθνάρχου τὸν Σεβαστὸν μὴ κεκωλυκέναι ἐθνάρχας γίνεσθαι, βουλόμενον ὑποτετάχθαι ἑκάστους τοῖς ἰδίοις ἔθεσι. quibus indicat, Augustum eo tempore, quo Aquilas Alexandrię Pręfectus pręesset, & Ethnarcha Judęorum vita decessisset, haud sane pręprediisse, quo minus alii Ethnarchę sufficerentur: voluisse enim ut singuli suis ibi institutis parerent.

Quę profecto contra sententiam Philonis apertissime veniunt, dantque Judęis liberam Ethnarchę eligendi & constituendi facultatem. Sed ea pugnantia & sibi, uti videntur, contraria, si tempora distinguas, facili opera in concordiam redibunt: nam Philo quod memorat, serius evenit; prius est, de quo Claudius in edicto. Aquila Præfectus Augustalis fuit ante Maximum, duntaxat antequam altera is vice Ægypto pręponeretur. Deficit quidem & magna ex parte hiat index Pręfectorum Augustalium, qui Augusto principe Ægypti curam egerunt, neque adeo Aquilę & Maximo anni sui citra controversiam contribui possunt. Eo tamen ordine, quem utrique adsignavi, inter Petronium & Æmilium Rectum, Pręfectos Augustales, collocari oportere, in contentione versari non debet. Philo libros *in Flaccum* & *de Legatione ad Cajum* sub initia imperii Claudiani (*Philo Legat. ad Caj. pag.* 1022. *A.*) publicavit, quo tempore edictum, quo de agitur, propositum est. Augusti pręcepto in Ethnarchæ defuncti locum senatum, qui rebus Judęorum Alexandrię prospiceret atque invigilaret, lectum & substitutum esse, liquidissime asseverat. Senatum eum Cajo imperatore Flaccus iniquissime pariter & crudelissime habet; magistratus, sive *Archontes*, e senatu Judaico creati, ejus & ceterorum apud Præfectum sunt deprecatores. Ethnarchæ nulla usquam mentio; qui si tum fuisset, gentis patrocinium & suscepisset, & jura pro virili tuitus esset, nedum præteriri in ea popularium calamitate potuisset. His insuper adde, Josephum extremo *lib.* VII. *de Bello*, ut superiore capite significavi, profiteri, Alexandrinum eum senatum in annos usque Vespasiani perennasse. Quare effici nullo poterit modo, ut id, quod in Claudii edicto de Ethnarcha perscribitur, posterius sit creato constitutoque apud Alexandrinos senatu Judaico.

Neque hic objici mihi patior, Claudium permisisse, ut Ethnarchæ essent. Tantum integra & salva Judæis relinqui oportere decernit, quorum inminutionem

Caji

Caji principis & Flacci malignitate erant passi. Βούλομαι, (*Joseph. lib.* XIX. *Antiq. cap.* 5. 2.) inquit, μηδὲν διὰ τὴν Γαΐου παραφροσύνην τῶν δικαίων τῷ Ἰουδαίων ἔθνει παραπεπτωκέναι, φυλάσσεσθαι δὲ αὐτοῖς καὶ τὰ πρότερον δικαιώματα, ἐμμένουσι τοῖς ἰδίοις ἔθεσι. *Volo nihil propter Caji amentiam illi detractum iri, quod Judæorum genti fuerit concessum: sed jura, quibus olim gaudebant, illis sarta tecta manere, patriis in moribus & institutis perseverantibus.* Τὰ πρότερον δικαιώματα circumscriptione quadam comprehendunt concluduntque ęqum civitatis jus, summam sacrorum ex patriis moribus libertatem, & ne proseuchæ statuis principum opplerentur. Quę omnia odio gentis & summa Flacci malitia in controversiam fuerant deducta. De Ethnarcha prorsus nihil: nullum enim habuerant, cum seditio Alexandriæ moveretur, neque de eo vel minima litis umbra fuerat enata.

Itaque nullum, ut tandem ad Arabarcham propius adpropinquem, ultimis Augusti annis, nec toto Tiberii, Caji & Claudii principatu sibi impositum Judæi Ethnarcham per Ægypti provinciam viderunt, sed ejus vice senatum, negotia popularium curantem.

Consideremus nunc cum cura, ut cetera sint expeditiora, Arabarchas, a Josepho nobis & posteritati traditos, eorumque ætatem, quam vivendo attigerunt. Primus est Lysimachus Alexander, quo de in rebus Herodis Agrippæ hoc modo: (*Idem lib.* XVIII. *Antiq. cap.* 6. 3.) Νυκτὸς δὲ ἐπιθεινομένης, κόψας τὰ ἀπόγεια, ᾤχετο ἐπ' Ἀλεξανδρείας πλέων· ἔνθα Ἀλεξάνδρου δεῖται τοῦ Ἀλαβάρχου μυριάδας εἴκοσι δάνεια αὐτῷ δοῦναι. *De nocte vero præcisis retinaculis, Alexandriam navigat; ubi ab Alexandro Alabarcha, ut viginti drachmarum millia usura sibi collocaret, poscit.* Iter illud rex Agrippa ingressus est eo anno, qui ultimum vitæ Tiberii proxime (*Idem ibid. cap.* 5. 3.) antecessit. Vitam ergo Alexander Alabarcha exeunte Tiberii principatu egit; quam & ad Claudium usque extendit. Datus enim Caji jussu in vincula libertatem bona imperatoris Claudii voluntate ruciperavit. Λύει δὲ καὶ (*Idem lib.* XIX. *cap.* 5. 1.) Ἀλέξανδρον Λυσίμαχον τὸν Ἀλαβάρχην, φίλον ἀρχαῖον αὐτῷ γεγονότα, καὶ αὐτοῦ ἐπιτροπεύσαντα τὴν μητέρα, ὀργῇ τῇ Γαΐου δεδεμένον. *Vinculis vero exsolvit Alexandrum Lysimachum Alabarcham, quo cum vetus illi amicitia, quique olim suæ matris Antoniæ procurator fuerat, quem Cajus iratus vinxerat.*

Quæ Josephi verba, quamquam aliorsum properantem, manibus pæne injectis morantur, & pauca animadverti jubent. Antoniæ Alexandrum in urbe Roma procuratorem constituunt; quod ego muneris genus cum Ethnarchia haud bene convenire arbitror. Ethnarcha Alexandriæ atque in Ægypto vitam præcipue agitabat, resque suæ gentis & judicia præsens curabat. Διοικεῖ τὸ ἔθνος, inquit de eo (*Apud Josephum lib.* XIV. *Ant. cap.* 7. 2.) Strabo, καὶ διαιτᾷ κρίσεις καὶ συμβολαίων ἐπιμελεῖται καὶ προσταγμάτων. *Gentis res administrat & judicia exercet, curatque contractus & mandata.* Neque adeo assiduum in urbe, relicta Alexandria, versari, & procuratione fungi poterat. Hoc amplius, a Cajo in vincula conjectum referunt Alexandrum; qui si Ethnarchiæ honore excelluisset, credemusne Philonem, ne Cajo invidiam faceret, id fuisse silentio præteriturum? Immo vero bene hominem si novi, Dei hominumque fidem obtestatus quiritasset, gentis suæ jura labefactari & convelli, Ethnarchamque catenis oneratum ignominiose traduci. Quorum tamen, etsi occasio haud deesset, atque impune liceret, nihil apud eum. Sed ad incoeptum redeo.

De altero Arabarcha sic (*lib.* XX. *Antiq. cap.* 7. 3.) Josephus: Τῷ αὐτῷ δὲ καιρῷ καὶ Μαριάμμη, παραιτησαμένη τὸν Ἀρχέλαον, συνῴκησε Δημητρίῳ, τῷ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίων πρωτεύοντι γένει τε καὶ πλούτῳ· τότε δὴ καὶ τὴν Ἀλαβαρχίαν αὐτὸς εἶχε. *Eodem tempore*, inquit, *Mariamne, repudiato Archelao, nupsit Demetrio, primo inter Alexandrinos Judæos genere & opibus: tunc etiam & ipse Alabarchiam habebat.* Quæ Demetrii & Mariamnæ nuptiæ conciliatæ cum sint ultimis Claudii annis, sicuti ea, quæ apud Josephum præcedunt & continuo consequuntur, manifesto arguunt, de Arabarchæ Demetrii ætate explorata & perspecta sunt omnia. Vixere ergo & Arabarchiæ honore perfuncti sunt Alexander & Demetrius ea tempestate, qua Tiberius, Cajus & Claudius gubernacula imperii tractarunt. Quorum principatu quoniam Judæis, in Ægypto atque Alexandrina civitate incolentibus, quemadmodum ante ostensum est, nullus fuit Ethnarcha, justa & consequens hæc conclusio videtur, non posse Arabarcham eundem ac Ethnarcham haberi.

Itaque sua sponte corruunt, subducto hoc fundamento, quæ de vocabuli originatione & Arabarchæ auctoritate ingeniosissime commentus est (*Diss. de Arabarcha pag.* 586.) Jac. Rhenferdius. Nec validiora sunt aut magis se tuentur, quæ

quæ N. Fullerus (*lib.* IV. *Miſcellan. cap. 16.*) excogitavit , atque ejus in partes tranſgreſſus (*De Vita & Geſt. Herod.* §. 78.) Chriſt. Noldius ; rati enim Alabarcham, ſeu Arabarcham potius, non alium fuiſſe atque Ethnarcham, eum voce barbara הלף ארכא, quaſi dicas *vicarium principis* , appellatum pertendunt : *obtinuiſſe* enim *majeſtatis imperatoriæ vicem apud ſuos* , *in illis potiſſimum locis atque urbibus ubi Judæi peculiari libertatis jure potiebantur* . Quod eorum effatum vero ſi contrarium, ſicuti eſt, adfirmaveris, quo tibicine labantem ſuſpicionem ſuffulcient ? Atque his poſſemus defungi; provocante tamen materia nondum hinc abibimus.

Joſephus Ἀλαβάρχην , conſpirantibus fere in eam ſcripturam codicibus & ἀλαβαρχεῖν de muneris adminiſtratione adhibet , neque ab eo diſſentiunt [*lib.* II. *E. cap.* 5. & *Zonar. tom.* I. *pag.* 194.] Euſebius & Zonaras. Ciceroni [*lib.* II. *Attic. Ep.* 17. & *Juven. Sat.* I. 130.] & Juvenali, etſi parum conſtanter, *Arabarches* eſt. In Imperatorum Conſtitutionibus eadem variatio. Epigramma incerti poetę ἀλαβαρχίην habet. Qua ſcriptnrę variante diſcrepantia, uti ſolet, effectum id eſt, ut his Ἀραβάρχης , illis Ἀλαβάρχης verior videretur : neque abſurdi quidquam alterutro eſt in nomine. Cur enim malę notę *Alabarches* habebitur , cum *Alytarches* , *Irenarches* & hujus generis alii , ſine noxa dimittantur ? Ἄλαβα , ut ex Phavorino docuit [*lib.* VIII. *Obſervat. cap.* 37.] Cujacius , notat τὸ μέλαν , ᾧ γράφομεν , *atramentum, quo ſcribimus*. Vocabulum erat Cypriorum, quibus ἄλαβα , teſte Heſychio, λιγνὺς , μαείλη , *fuligo*, frequentis olim uſus in atramento terendo. A Cypriis, qui Lagidis olim regibus paruere, accepere id Ægyptii . Hinc Ἀλαβάρχης *Alabarches* haud male formabitur , ſcripturę magiſter, vectigalibuſque colligendis prępoſitus: ad ſcripturam ſaltem alluſiſſe videtur poeta, cum de infelici [*Antholog. lib.* II. *cap.* 10. 13.] aſino.

Ἐξ ἀλαβαρχίης γραμματικοῦ γέγονεν.

Indicat enim ex officina eum miſeri & ſcripturientis grammatici prodiiſſe. Nam nihili cenſenda ſunt , quæ verſui adſcripta leguntur , de figlina & figulis , qui olim ἀλάβαρχοι dicti fuerint & habiti . Neque illis commoveri quemquam velim, quæ N. Fullerus (*lib.* IV. *Miſcell. cap.* 16.) magno Cujacio objecit : ſunt enim nata ex ſumma Ethnarchæ dignitate , qua pæne invitum Alabarcham inſtruxerat . Quamquam recte ſi putaſſet Fullerus , Ethnarchæ hoc ſcripturæ genus , tamquam ejus auctoritate & honore longe inferius , haud abſtuliſſet. Fatetur Lyſimachum Alexandrum eodem tempore & Ethnarcham , etſi perverſe nec citra errorem, & Antoniæ procuratorem fuiſſe quod equidem ego priore multo fuiſſe honeſtius atque excellentius haud arbitrer .

Arabarcham vero ſi receperis , ut ego ſane malim , ſtatim illi auxilio venient *Aſiarches* , (*Acta S. Tarachi cap.* 10. *pag.* 444.) *Cilicharches* , *Syriarches* & alii plures a provinciis, quibus quodammodo præerant, ea nomina ſortiti. Fuit Ægypti pars (*Ptolemæus lib.* IV. *Geog. cap:* 5.) Νομὸς Ἀραβίας ſeu Nomus , cui Arabiæ nomen ; cujus præfectus quin Ἀραβάρχης fuerit nuncupatus, mihi quidem dubium non eſt . Romani , Ægypto ſubacta , vetera magiſtratuum per eam provinciam nomina retinuerunt, & negotia momenti haud magni illis , Strabone (*lib.* XVII. *Geogr. pag.* 1149. *A.*) teſte, mandarunt: neque eorum adeo regiminis forma Arabarchæ incommodum conciliat , multoque minus domicilium Lyſimachi Alexandri & Demetrii , cum Arabarchia fungerentur, in urbe Alexandrina . Nam & ea civitas neque longiſſime ab *Arabiæ Nomo* diſtabat, nec ulla lege prohibitum fuiſſe memini , ne Nomarches, ſeu nomi præfectus, extra regionis ſuæ limites commoraretur : ad hoc cauſſa eſſe legitima potuit, cur Alexandriæ agere & reliqua per operas adminiſtrare mallet .

Vectigal erat Arabarchiæ conſtitutum, ut Imperatores (*Leg.* 9. *C. de Vectigal.*) ajunt , *per Ægyptum & Auguſtaneam* . Ægyptus , quæ parum animadverſa res multis ſæpe fraudi fuit, non eſt omnis, quæ late patet , provincia; ſed pars ejus inferior , totum pæne Delta & portionem vicinæ Libyæ ambitu ſuo complexa, cujus (*Vid. Hieroclis Synecdem. pag.* 723. , & *Amm. Marcellin. lib.* XXII. *cap.* 16.) metropolis Alexandria . Huic artius adhærebat Auguſtamnica , verſus Syriam Palæſtinam & ſinum Arabicum protenſa , finibuſque ſuis ipſum *Arabiæ nomum* circumſcribens . Quidquid autem ex ſinu Arabico in Auguſtamnicam atque in Ægyptum inportabatur, id omne Arabiæ nomum tranſibat . Foſſa enim Ptolemæorum ad Phacuſam , nomi hujus (*Ptolemæus lib.* IV. *Geogr. cap.* 5. *pag.* 124.) metropolim , Nilo jungebatur. Quidquid præterea ex Arabia felice & Syria in eamdem Ægyptum invehebatur, id aut ad eamdem Phacuſam Nilum

lum traducebatur, aut circa Pelusium, quorsum ex (*Strabo lib.* XVII. *Geogr. pag.* 1155. *A.*) Nabathæa commodissimum iter, flumen tramittebat. Cumque cameli atque alia jumenta magno numero (*Diodor. Siculus lib.* v. *pag.* 220. *B.*), aromatibus onusta, huc ultro citroque commearent, satis exploratum habemus, quam ob rem Imperatores *nihil super traductione animalium temerarie per licentiam vindicari concedant*, & cur *Arabarchæ* vectigalis colligendi cura sit injuncta, idque *Arabarchiæ* nomine appellatum. Neque obscurum etiam est, quam ob caussam ea lex, de qua agitur, data sit ad *Comitem Sacrarum Largitionum*, & quare *Arabarchæ* & *Arabarchiæ præfecti* a Cesare (*In Edicto* XI. *cap.* 2. *&* 3.) Justiniano jungantur *sacrorum thesaurorum Præposito*. Comiti enim Sacrorum Largitionum per omnes diœceses & Præpositi thesaurorum, & ceteri vectigalium præfecti, e quo numero Arabarcha, subjecti (*Notit. Imp. Orient. pag.* 117.) parebant.

Caussa vero nulla est, cur quisquam in animum inducat, solos Judæos in Justiniani usque ætatem hoc Arabarchiæ munere fuisse perfunctos. Deficit enim locuples veteris scriptoris & justæ rationis auctoritas, qua id confirmetur: nam quæ vir doctissimus (*Rhenferdius Diss. de Arabar. pag.* 611.) ex Arabarchiæ Judaicæ honore certa, ut putabat, conclusione derivabat, ea veritatis viribus rupulsa ita confregimus, ut tenere id nunquam possint; prәsertim cum *lege in omne ævum valitura* (*Leg.* 18. *Cod. de Cœlicol. & Judæis.*) edixerint Imperatores, *neminem* Judęorum, *quibus* omnes administrationes & Dignitates *interdictæ sunt*, *nec defensoris civitatis fungi officio*, *nec patriæ honorem arripere* debere. Atque hęc de Arabarcha: nunc ad Archontes, unde Ethnarchę caussa digressus eram, redeo.

CAPUT IX.

De Judæis Antiochenis eorumque Archonte. Josephus ex Theodoreto emendatur. Ethnarcha Aretæ Arabum regis apud Damascenos fueritne Judæorum magistratus? Quinam ἐθνάρχαι; Archontes in literatis lapidibus obvii. Hierei, ἱρεῖς, qua auctoritate inter Judæos fuerint. Explicantur tres Inscriptiones. Labente Romanorum imperio voces Græcæ perperam sæpe scriptæ. Alsius Juda *& Archontis & Archisynagogi munere fuit perfunctus.*

Concesserant in Syriam Seleucidarum beneficiis illecti maxime frequentia Judęi. Antiochię Seleucus omnes civitatis jure donaverat, paresque honore Macedonibus & Gręcis, eam inhabitantibus, fecerat. Καὶ ἐν αὐτῇ, inquit [*Lib.* XII. *Antiq. cap.* 3. 1.) Josephus, τῇ μητροπόλει Ἀντιοχείᾳ πολιτείας αὐτοὺς ἠξίωσε, καὶ τοῖς ἐνοικισθεῖσιν ἰσοτίμους ἀπέδειξε Μακεδόσι καὶ Ἕλλησι. Magni Antiochi ętate, cum Palęstina bellis arderet, haud leviter ejus regionis Judęi fuerant attriti; sive enim armis ille victor discederet, seu a Ptolemęo Philopatore ejusque filio Epiphane vinceretur, calamitatibus, quippe in medio positi & neutrarum sæpe partium, adfligebantur. Πολεμοῦντος [*Ibid.* §. 3.] γὰρ αὐτοῦ πρὸς τὸν Φιλοπάτορα Πτολεμαῖον, καὶ πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Πτολεμαῖον, τὸν κληθέντα Ἐπιφανῆ, κακοπαθεῖν συνέβαινεν αὐτοῖς, καὶ νικῶντος αὐτοῦ καὶ πταίοντος ταὐτὰ πάρχειν. Sic ea Josephi, quod obiter admoneo, legi oportet, mirorque neminem interpretum, quos tamen turpe, quod editos libros insedit, vitium haud pręteriit, animadvertisse, Theodoretum ea olim, & multo emendatius, (*Commentar. in Danielis cap.* IX. *p.* 683.) exscripsisse. Damnavero & clades eas idem Antiochus multis deinceps beneficiis pensavit, idque ejus honestissimum institutum, si Antiochum Epiphanem exceperis, plerique omnes Seleucidę secuti Judęis Antiochenis libertatem & civitates pręrogativam confirmarunt.

Quę illis omnia citra rectoris atque inspectoris opem integra & salva esse haud commode cum possent, ex ipsis popularibus uti crearetur, benignissime permiserunt. Josephus ejus aliud agens commeminit; nam de Antiocho quodam, homine ingeniosissime nequam, εἷς ἐξ αὐτῶν, (*Lib.* VII. *Belli cap.* 3. 3.) inquit, τὰ μάλιστα διὰ τὸν πατέρα τιμώμενος, ἦν γὰρ ΑΡΧΩΝ τῶν ἐπ' Ἀντιοχείας Ἰουδαίων. *Unus eorum, cui patris caussa plurimum de-*

deferebatur : erat enim Judæorum Antiochenorum Archon, five præpofitus. Non equidem ignoro, Archifynagogi munus inventum & hic fuiffe; fed titulus ἄρχοντος τῶν ἐπ' Ἀντιοχείας Ἰουδαίων amplior eft, & eum, qui magiftratum gerit, ac gentis fuæ tutelam adminiftrat, requirit Zonaras [*Tom.* I. *pag.* 219. *Edit. Bafil.*] rectiffime explicuit, τῶν ἐπ' Ἀντιοχείας Ἰουδαίων τὸν πρῶτον *principem Judæorum, qui Antiochiæ agebant*. Atque hæc mihi hominis dignitati abunde fatisfacere videntur. Nimii in honoribus ejus accumulandis (*N. Fullerus lib.* IV. *Mifcel. cap.* 16. *& Jac. Rhenferdius Diffet. de Arabar. pog.* 586.) viri funt doctiffimi, qui illum Ethnarchę Alexandrino & re & nomine ęquarunt, neque eo inferiorem fuiffe cenfuerunt, qui ראש הגלות *princeps exfulum* deinceps in Babylonia dicebatur. Huc enim ufque perfpectum atque exploratum nobis non eft, in Syria & Antiochię Judęis pari dignitate & poteftate Ethnarcham imperaffe, qua olim in Ægypto atque Alexandrię folebat. Ἄρχοντος vocabulum eam honoris amplitudinem non expofcit. Sollemne Jofepho eft fuę gentis in urbibus [*lib.* II. *Belli Jud. cap.* 21. 3. *& de vita fua cap.* 53.] pręfectos eo defcribere, reliquis municipiorum duumviris nulla ne potiores.

Habemus ergo manifefte deprehenfum & Antiochiæ Judæorum *Archontem*: quorfum etiam referrem, ut numerus auctior foret, *Ethnarcham* Aretæ regis Damafcenum, qui Paullo Apoftolo, nifi amici fubveniffent, vincula (2. *Cor.* XI. 32.) injeciffet, fi Judæum & folis popularibus, Damafcum incolentibus, præpofitum fuiffe liquido (*Vid. Johan. Coccejum in* 2. *Corinth.* XI. 32.) conftaret. Sed id fruftra quæres. Non poftulat hominem Judæum *Ethnarchæ* titulus, quemcunque genti impofitum indicans. Afander ἐπίτροπος τοῦ Βοσπόρου feu Bofporum cum nomine (*Dio Caffius lib.* XLII. *pag.* 233. *A.*) Pharnacis adminiftraret, illo fublato, Augufti principis conceffu ἀντὶ ἐθνάρχου βασιλεὺς Βοσπόρου mutato titulo pro Ethnarcha (*Lucianus tom.* II. *pag.* 471.) rex dictus & conftitutus eft. Fuerat ergo τοῦ Φαρνάκου ἐθνάρχης & Pharnacis juffu ac nomine Bofporanos rexerat. In Ægypto plures fuerunt ἐθνάρχαι, jam olim multitudini regundæ præfecti, nec a Romanis (*Strabo lib.* XVII. *pag.* 1149.) ea dejecti auctoritate. Ipfe Archelaus ἐθνάρχης erat Augufti, cujus imperio & permiffu Judæos (*Jofephus lib.* II. *Belli cap.* 6. 3.) fibi fubjectos habebat. Nec aliud dicendum videtur de hoc Aretæ, Arabum regis, Ethnarcha, quippe vicem ejus fungente & Damafcenis omnibus impofito. In (*Cap.* IX. 24.) Actis vero Ap. quæ de Judæis, portas Damafcenas, ut Paullum opprimerent, obfidentibus, memorantur, tantummodo quibus miniftris & figniferis ad Apoftolum intercipiendum fuerit ufus, non autem gentis Judaicæ *Archontem* egiffe, docent.

Firmius & magis fidum Judæorum Archontibus ex literatis lapidibus præfidium veniet. Romæ in palatio D. de Naris ad S. Claræ farcophago [*Anton. Lupus Differt. ad S. Severæ Epitaph pag.* 51.] infcriptum legitur.

ΕΝΘΔΑΕ	*Hic fitus*
ΚΕΙΤΕ ΙΟΤ	*eft Juli-*
ΛΙΑΝΟΣ ΙΕΡΕΤΣ Α	*anus facer-*
ΡΧΩΝ ΚΑΛ	*dos, Archon,*
ΚΑΡΠΙΕΙΩΝ ΤΙ	*dictus Capion,*
ΟΣ ΙΟΤΛΙΑΝΟ	*filius Juliani*
Τ ΑΡΧΙΣΤΝ	*Archifyna-*
ΑΓΩΓΟΤ.	*gogi.*

Quod epigramma aperte cum loquatur & Julianum facerdotem & *Archontem*, Juliani Archifynagogi F., nobis repræfentet, vicem illi reddemus, atque obfcuriora, quæ complectitur, illuftrabimus.

Julianus appellatur ἱερεὺς *facerdos*, five *Hiereus*, fic enim Imperatorum [*Leg.* 4. *Cod. Theod. de Judæis & Coelic.*] Conftitutiones edunt, quoniam genus longa avorum ferie ab Aarone repetebat. Erant *Hierei* præcipua inter fuos dignitate, uti docuit (*Differt.* II. *de* x. *Otiof. pag.* 409.) Jac. Rhenferdius; ampliora tamen de illis [*Tom.* VI. *Savil. pag.* 724.] Johannes Chryfoftomus *Orat. in eos, qui conventum Eccle/. deferunt*, Ἰουδαίοις ἐὰν εἴπωσιν, inquit, οἱ ἱερεῖς ἡμέρας ἀργῆσαι, καὶ δέκα, καὶ εἴκοσι, καὶ τριάκοντα οὐκ ἀντιλέγουσι. Καί τοι τί τῆς ἀργίας ἐκείνης χαλεπώτερον, τὰς θύρας ἀποκλείουσι, καὶ οὔτε πῦρ καίουσι, οὐχ ὕδωρ φέρουσι, οὐκ ἄλλο τι πρὸς τὴν χρείαν τὴν τοιαύτην μεταχειρίζειν ἐφίενται. *Judæi, fi Hierei ipfis otium feptem, decem, viginti, & triginta dierum imperaverint, non obloquuntur? nihil tamen eo otio moleftius eft; claudunt januas, ignem non alunt, nec aquam ferunt, neque eorum aliquid ipfis adminiftrare, quæ ufus requirit, permittitur.* Ut adeo ad multitudinem Judæam plurimum auctoritate valuerint.

Id vero majoris operæ & curæ eft, quid tandem fibi velint ΚΑΛ. ΚΑΡΠΙΕΙΩΝ? Sponius, qui primus infcriptionem [*Mifcellan. Sect.* X. *pag.* 371.] vul-

vulgavit, edi jussit ΚΑΛ. ΑΓΡΙΠΠΗΣΙΩΝ, atque occasionem viro erudito [*Index Inscript. Gudii cap.* XIX.] de Judęis Agrippinensibus commentandi suppeditavit. At male Sponius; quod secuti sumus ex lapide, accuratiore diligentia examinato, eruit Anton. Maria Lupus, addita, ad tenebras disjiciendas, duplici conjectura: quarum prior *ἄρχοντα καλήβων Καρπέων principem circumcisorum Carpensium* ex civitate Mysię, aut Scythię potius, Carpo, qua de Hierocles, arcessens, ipsi viro doctissimo se probare non potuit. Neque id ab re: nam & vitiosa est ea *Carpus*, Carsus appellanda, sicuti alias (*Ad Hieroclis Synecdum pag.* 627.) ostendi, & *κάληβοι, τὸ αἰδοῖον ἀπεσκολυμμένοι*, uti apud Hesychium legitur, vix usquam, quod quidem recordor, Judęis, & si quis eos ita vocarit, non tamen sine imposita contumelia. Pesteriore, qnamquam nulla parte meliorem, ut solent alioqui δευτέραι φροντίδες, his verbis exsequitur. *Verum conjecturas has destruit Stephani Byzantini auctoritas, qui in Bithynia fuisse scribit* Calpeusas, *quos &* Calpinos *&* Carpejanos *dicere consueverint; quem ad modum urbem* Carpejam. *Ut post hæc tam liquida, dubitari non possit,* τὰ Καλκαρπιέων, *quæ sunt in sarcophago, non de* καλήβοις Καρπέοι, *sed de* Καλπεῦσι *illis* Καρπέοις *intelligi* [*Dissert. in S. Severæ Epitaph. pag.* 51.] *oportere*. Peccat enim multimodis; nam & Bithynię urbem Κάλπας & Hispanię Κάλπειαν sive *Calpen*, longissimo terrarum tractu disjunctas, permiscet, & *Calpeusas* ex gentili nomine Καλπεύς, & Καλκαρπέως *Calcarpeos* nobis, exemplo invisitato & inaudito, ex Hispana Bithynaque civitate, hybridas cives format. Quę sane quam absurda si [*In* Κάλπαι *&* Καρπηία. Stephanum, & quæ illi L. Holstenius adscripsit, cum cura considerasset, profecto haud commisisset.

Equidem cetera si paterentur, *Carpenses* ex Africa advocarem. Non longe enim Carthagine urbs aberat, quam *Carpos* [*lib.* II. *de Schism. Donat. cap.* 18.] Optatus Milevitanus, & Ptolemæus [*lib.* IV. *Geogr. cap.* 3. *pag.* 109.] Κάρπις eo more, quo urbium nomina sexto casu efferebantur, appellat. Sed vetant literæ ΚΑΛ. quæ, nisi erro atque hujus animi frustra sum, Juliani cognomen indicant, explerique debent ΚΑΛούμενος. Hoc enim & composito in simili re utuntur. Διοκλέα τὸν φλυέα τὸν Ὀρέστην ἐπικαλούμενον [*De Heredit. Cyronis pag.* 68.] Isæus, & (*Actor. A. cap.* I. 23.) Lucas Ἰωσὴφ τὸν καλούμενον Βαρσαβᾶν habent. *Carpi* vero & *Carpii* & *Carpiones* cum plures sint in hujus generis monumentis, de eo cognomine ambigere nos vetant. Atque hæc de priore lapide. Transeo ad alium, planissime *Archontem* exhibiturum.

ΑΜΕΛΙΩ ΤΕΧΝΩ ΓΛΥΚΥ	Amelio filio dul-
ΤΑΤΩ ΟϹ ΕΖΖΗϹ	cissimo, qui vixit
ΕΝ ΕΤΗ Β ΜΗΝ	annos II. men
ΑϹ Β ΗΜΕΡΑϹ	ses II. dies
Ε ΑΜΕΛΙϹ ΑΡΧΩ	v. Amelius Archon
ΚΕ ΜΑΡΙΑ ΓΟΝΕΙϹ ΤΕ	& Maria parentes
ΚΝΩ ΑΜΜΩΜΩ ΟϹΕΙΩ	filio irreprehenso
ΕΠΟΙΗϹΑΝ	pio fecerunt.

Ant. Lupus, cujus diligentiæ & hoc epigramma (*Dissert. in S. Severæ Epitap. pag.* 140.) debemus, corrigit Ἀμέλιοι Ἄρχων καὶ Μαρία *Amelii Archon & Maria*, quasi pater materque fuissent Amelii, & pater cognomine *Archon*; sed sine justa gravique caussa. ΑΜΕΛΙϹ idem est ac ΑΜΕΛΙΟϹ *Amelius*, quemadmodum ΕΙΜΕΡΙϹ est ΕΙΜΕΡΙΟϹ (*Ibid. pag.* 34.) *Himerius*. Præterea vertit ultime verba: *Filio meo Musæo fecerunt*, addens insuper, *non plane se intelligere vocabula* ἀμμῶ μωσείῳ, *nisi explicentur, meo suavi*. Puto sculptoris errorem illi tenebras induxisse, quo voci ἀμμώμῳ litera consonans & ὁσείῳ vocalis liberalitate intempestiva est addita. Solebant enim labente Romani imperii ævo in vocalibus id frequentare, quo modo, ΕΝ ΘΕΩ ΚΥΡΕΙΩ ΧΡΕΙϹΤΩ & ΕΙΣ ΤΟ ΑΓΕΙΟΝ ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ (*Ibid. pag.* 190. *&* 34.) eadem in Dissertatione.

Quamquam autem hoc in lapide mater *Maria* & *Amelius Archon* Hebręam originem præ se ferre videntur, nolim tamen, si Christianis eos validiore argumento inseras, quod haberi an possit ignoro, præfracte pugnare. Neque de caussa, quam tueor, quidquam decedet. Quod enim in eo desideres, id hic cumulate explebit. (*Inscription. Gudii pag.* CCLXIII. 5.)

ALFIVS IVDA
ARCON ARCOSI
NAGOGVS Q. VI
ANN. LXX. MESIB. VII.
DIEBVS X. ALFIA SOTE
RIS CVM Q. ANN. XXXXVIII.
CONIVGI INCOMPARA
BILI BENEMERENTI
FECIT.

Apertissime *Alfius Juda* se Archontis & Archisynagogi munere inter suos functum fuisse significat; quod & recte nuper admodum vir reverendus [*Miscellan. Duisburgens. tom.* 1. *Fasciculo* II. *pag.* 238.] animadvertit, ea tamen in re a ve-

vero longius aberrans, qua Synagogæ præfectum eundem semper atque Archontem dignitatis locum obtinuisse, vincere se posse arbitrabatur. *Alsius* hic omnia alia docet, Archontisque & Archisynagogi, titulos, ut oportebat, distincte positos discernit, ludibrium omnibus debiturus, Archon & Archisynagogus idem si forent, nullaque in re discreparent. Cetera, quæ de *Alsii* nomine Hebræo, & de populari ejus, uti satis fidenter decernitur, *Alsio* apud Horatium (*Eopd.* II. 67.) *feneratore*, marmori explicando ibidem sunt adscripta, tamquam dubia & incerta, ne quid inclementius dicam, prætereo.

CAPUT X.

De auctore Homiliæ in S. Johannis Natalem inter Chrysostomi opera. Quo mense Judæorum Archontes fuerint constituti? Habuerunt suos Apostolos sive nuncios, æque ac Judæorum in Oriente Patriarchæ. Qui Primates & Proceres Judæorum in constitutionibus Impp. illi non alii sunt ac Archontes. De munere Archontum. Christiani seculo IV. *inter Judæos sanctiorem esse juris jurandi religionem censebant. Sæpe judices ex gente Judaica Christianis impositi.*

INscriptiones, de quibus superiore capite, & literarum figura & vocibus ΚΕΙΤΕ, ΚΕ, ΟϹΕΙΩ, pro κεῖται, καὶ, ὁσίῳ labentis ac in senium vergentis imperii tempus plane & dilucide patefaciunt: qua eadem tempestate auctor *Homiliæ in S. Johannis Natalem*, quem Chrysostomum perperam censuerunt, vita in Italia, aut ejus certe vicina, degit; quæ enim de *natali solis invicti* extrema oratione memorat, & de Kalendis Julii, *circumcisus est*, (*Oper. Chrysost. tom.* II. *pag.* 522. *Edit. Paris.* 1687.) inquiens, *Johannes Calendis Julii, id est* VIII. *die, quando* Migratio *fit*, ea Romanos potissimum spectant. Notum est ex Bucheriano Kalendario, art. dist. VIII. Kal. Januarias *natalem solis invicti* Romæ fuisse celebratum: Julii vero Kalendis in usu & more fuisse, ut in ædes, quas conduxerant, migrarent, qua de re plura (*Th. Reinesius Inscript.* VII. 34. *& P. Burmannus de Vectigal. cap.* 8. *pag.* 104.) viri egregii. Utcumque autem id, quod conjeci, ceciderit, scriptor is auctoritatem addit lapidibus literatis, suaque ætate Judæos magistratus sibi constituisse certissimus testis est. *Inter hæc*, inquit, *intuendæ sunt temporum qualitates & gesta morum; & primum perfidia Judæorum, qui semper in Deum & in Mosem contumaces exstiterunt, qui cum a Deo secundum Mosem, initium anni mensem Martium acceperint; illi dictum pravitatis sive superbiæ exercentes mensem Septembrem ipsum novum annum nuncupant; quo & mense magistratus sibi designant, quos* Archontas *vocant*. Quæ præterea & mensem nos docent, quo sollemnis erat *Archontum* electio: unde ratione concludere posse videor, eos annuum duntaxat tempus in magistratu confecisse.

In eo vero magistratu cum multa sæpe inciderent, quæ cum aliis communicari oporteret, aderant *Archontibus* administri, quos literis instructos quaqua versum amandabant, quosque ex ea re שלוחים ἀποστόλους *Apostolos* appellabant. Commeminit eorum pariter ac Archontum Eusebius, (*Commentar. in Esajam cap.* XVIII. *pag.* 429. Ἀποστόλους δὲ εἰσέτι καὶ νῦν, inquiens, ἔθος ἐστὶν Ἰουδαίοις ὀνομάζειν τοὺς τὰ ἐγκύκλια γράμματα παρὰ τῶν ΑΡΧΟΝΤΩΝ αὐτῶν ἐπικομιζομένους. *nunc Judæi eos nuncupare solent, qui Archontum suorum literas circum quaque deportare solent*. Probe scio *Apostolos* excellenti quodam modo & eos fuisse dictos, qui gentis Patriarchæ in consilio aderant, cumque eo noctu sæpe atque interdiu legis divinæ explicationi vacabant. Docet id (*Hæresi* XXX. *cap.* 4. *pag.* 128.) Epiphanius: Εἰσὶ δὲ οὗτοι μετὰ τὸν Πατριάρχην ἀπόστολοι καλούμενοι. προσεδρεύουσι δὲ τῷ πατριάρχῃ, καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις καὶ ἐν νυκτὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διάγουσι, διὰ τὸ συμβουλεύειν καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν νόμον. Sed Apostolorum id nomen latius patet, sicuti bene advertit diligentissimus (*Præfat. in Euseb. Comment. cap.* 4.) Montfauconius, eosque suo ambitu complectitur, qui & a Patriarcha & a magistratibus seu Archontibus ad alios, ut mandata & literas perferrent, ablegantur. *Apostoli, qui ad exigendum aurum atque argentum a Patriarcha certo tempore diriguntur*, sunt in Constitutione quadam Imperatorum (*Leg.* 14. *C. Th. de Judæis & Cælic.*) Arcadii & Honorii.

Nolim autem in animum inducas, Patriarchæ illos Apostolos Eusebium tantummodo designasse; justa enim id suspicandi caussa deest. Habet ille quidem alio loco (*Comment. in Esajam cap.* 3. 4.) Patriarchas atque ipsius vestigia & verba sublegens Hieronymus; quos quoniam ibi τοὺς ὀνομαζομένους παρὰ Ἰουδαίοις Πατριάρχας vocat, & hic generali *Archontum* nomine defungitur, solos Patriarcharum Apostolos haud descripsisse censendus est. Præsertim quod Archontum il-

illud munus, uti ante indicavi, operam Apostolorum eorum sæpe desideraret. Vetum hoc perquam leve est, & ad caussam hanc non multum confert.

In eam itaque curam omni potius studio incumbam, ut amplius decus & præsidium Judæorum Archontibus parem. Sunt in Constitutionibus Imperatorum *Primates* Judæorum, *Proceres* & *Judices*, quibus Græcum nomen si indideris, plane ἄρχοντες erunt. Optime etiam conveniunt, quæ de illis prædicantur. Feruntur in utraque Palæstina & alii in provinciis degisse. *Judæorum* (*Leg.* 23. *c. Theod. de Jud. & Cœlicol.*) *Primates qui in utriusque Palæstinæ Synedriis nominantur, vel in aliis provinciis degunt, quæcumque post excessum Patriarcharum pensionis nomine susceperunt, cogantur exsolvere. In futurum vero periculo eorundem anniversarius canon de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigatur.* Quæ legis verba *Primates* a Synagogæ præfectura removent & plane *Archontes* faciunt: contra se enim collocantur *Synedria* & *Synagogæ*: in illis nominabantur, sive potius, ut in Justiniani est Codice, (*Leg.* 17. *C. de Jud. & Cœlicol.*) *dominabantur*, ab his canonem anniversarium exigere jubentur. *Synedria*, vere ait J. Gothofredus, *consessus judicum fuere, γερουσία, senatus, cucia, sive curandæ reipublicæ sive judiciorum ergo. Synagogæ vero conventus Ecclesiastici.* Neque hoc Jac. Rhenferdio latuit; tametsi enim hos Primates Synagogæ impositos mallet, alia tamen opinatis (*Dissert.* II. *de x. Otios. pag.* 406.) vehementer obluctari abnuit.

Dicuntur de jure respondisse in controversiis ad superstitionem suam pertinentibus. *Judæorum querelæ* (*Leg.* 8. *C. Theod. de Jud. & Cœlic.*) *quosdam auctoritate judicium recipi in sectam suam reclamantibus legis suæ primatibus adserverant, quos ipsi judicio ac valuntate projiciunt: quorum omnino submoveri jubemus injuriam. Nec eorum in ea superstitione, aut per vim judicum, aut rescripti subreptione, invitis primatibus suis, quos virorum clarissimorum & inlustrium Patriarcharum arbitrio manifestum est habere sua de religione sententiam, opem reconciliationis mereantur indebitæ.* Cujus Constitutionis verba in numerato si habuisset diligentissimus ceteroqui J. Gothofredus, profecto superiori legi haud adscripsisset, Primates Judæorum post excessum Patriarchæ, principe Theodosio Juniore, constitui demum esse cœptos. Liquet autem in Orientis (*Vid. Petrum Marcam lib.* I. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 3.) provinciis & præcipue in Palæstina, ubi Patriarcharum auctoritas plurimum valebat. Primates sive Archontes illorum fere arbitrio fuisse creatos; quod & alia (*Leg.* 15. *Cod. Th. ejusd. tit. adde Jo. Coccejum ad Cod. Sanhedrin cap.* 1. §. 1.) Constitutione & Judæorum confessione firmatur.

Erat præterea haud levis eorum in commerciis auctoritas, statuebantque pretia rebus suorum promercalibus. *Nemo exterus religionis* (*Ibid. Leg.* 10.) *Judæorum, Judæis pretia statuet, cum venalia proponentur. Justum est enim sua cuique committere. Itaque rectores provinciarum vobis nullum discussorem aut moderatorem esse concedent. Quod si qui sumere sibi curam præter vos Proceresque vestros audeat, eum velut aliena appetentem supplicio coercere festinent.* Quæ licet de rebus promercalibus præcipue agant, ampliora tamen comprehendere videntur ob eam rationem, quam Augusti addunt: *justum esse sua cuique committere.* Neque dubitem, quin illa in commodum suum, ut solent homines in utilissimam partem talia interpretari, Judæi acceperint. Præter cetera vero id apertissime liquet, *Proceres* eos a Synagogæ cura & præfectura fuisse remotissimos; nihil hic de sacris, quorum administratio Archisynagogis erat mandata, sed de illis, quæ in foro ementes inter & vendentes contingunt, quæque *Proceres* hos veri nominis *Archontes* constituunt.

Denique litium quibusdam in caussis judices sedebant; quod juris dictionis genus a Theodosio Juniore illis ablatum est. *Si qua* (*Leg.* 15. *cap. de Jud. & Cœlicol.*) *inter Christianos & Judæos sit contentio, non a senioribus Judæorum, sed ab ordinariis judicibus dirimatur.* Nec ita tamen surrepta illis judicandi facultas videtur, ut coortas inter populares controversias componere & ex æquitate dijudicare haud liceret. Nihil hoc de genere in principis decreto: tantummodo de contentionibus Judæos inter & Christianos: quod & planius ac apertius constat ex hac lege: *Et ut Christianos* (*Leg.* 22. *Cod. Th. ejus. tituli.*) *nullam habeant copiam judicandi; sed si qua inter eos & Judæos sit contentio, a rectoribus provinciæ dirimatur.* Nimirum eo tempore imperitum Christianorum vulgus de Judæis magnifice sentiebat. Lites si essent & jurejurando vellent compositas, ad Judæos eorumque Synagogas aut synedria adire solebant. Εἰς τὰ Ἰουδαίων, inquit (*Tom.* VII. *pag.* 369. *Edit. Savilii.*) Jo. Chrysostomus, ἀπελθεῖν, κἀκεῖ παρασχεῖν ὅρκον περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων πραγμάτων. cujus rei, oppido mirabilis,

lis, hanc cauſſam dabant; *φοβερωτέρους τοὺς ἐκεῖ γενομένους ὅρκους εἶναι, jurisjurandi religionem longe illic eſſe terribiliorem*. Adſueverant enim Judæi ſanctiſſima nec ſine horrore audienda Dei nomina congerere & acervatim in jurandi formulis per ſummam impudentiam ſtipare, rati crebris dejerationibus ſe ſibi ut credatur impetraturos: *τὰς φρικωδεστάτας ὀνομάζειν κλήσεις καὶ ἄλλ' ἐπ' ἄλλοις ἐπιφέρειν ὀνόματα, νομίζοντες τῇ πυκνότητι καὶ τῷ συνεχεῖ τῶν ἐπαλλήλων ὅρκων, ὧν διανοῦνται, τελέσεσθαι*, inquit, impietatem hanc deteſtatus, (*De Legib. Specialib. pag.* 771. C.) Philo. Johannes Chryſoſtomus ſanequam pro eo ac debebat, graviter moleſteque tulit inconſultum hoc Chriſtianorum facinus, jureque ſummo Imperator, ne litibus ortis Judæos arbitros caperent, prohibuit. Ceteroqui alio in loco *Primates in Synedriis*, ſunt (*Sic Aſterius Homil.* 1. *pag.* 12.) autem *ἀρχοντικὰ κελτήρια* ſeu judicum conſeſſus, ſicuti dictum ſupra eſt, eos *dominari* aſſeverat.

Patet igitur Judæis & utraque in Palæſtina & aliis in provinciis ſuos fuiſſe magiſtratus, qui Latinis *Primates* & *Proceres*, Græco vocabulo *Archontes* dicebantur; eoſque partim a Patriarchis partim a popularium multitudine fuiſſe lectos & conſtitutos, & eam quidem in finem, ut gentilium rebus proſpicerent, judiciis præſiderent, & commerciorum curam inter ſuos agerent. Atque hæc Imperatorum inſigni quadam benevolentia nacti cum eſſent, ampliora tamen ſibi vitio humanæ cupiditatis & gentili arrogantia ſumſiſſe; neque immerito [*Rutilius lib.* 1. *Itiner. verſ.* 395.] poetam Principum eorum ætate, quorum Conſtitutiones conſideravimus, ceciniſſe:

> *O utinam numquam Judæas ſubacta fuiſſet,*
> *Pompeji bellis, imperioque Titi.*
> *Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,*
> *Victoreſque ſuos natio victa premit.*

Quod & labentibus annis vehementer etiam atque etiam viri boni doluerunt, cum inertiſſima Principum quorundam ſegnitia & fœdiſſima avaritia paſſim per Galliam atque Italiam Judæi pro tribunali Chriſtianorum lites dijudicarent, illiſque ex arbitrio imperarent. Quam eorum impudentiam utcumque repreſſerunt hac ſanctione patres in Matiſconenſi circa annum DLXXXII. Synodo I. [*Apud Agobardum de Judaic. Superſtition. cap.* 6. *pag.* 71.] *Ne Judæi Chriſtianis Judices deputentur, aut Telonarii eſſe permittantur, per quod illis, quod Deus avertat, Chriſtiani videanter ſubjecti*. Sed manſit multifariam neque hactenus elui potuit ea labes, duraturaque inter eos videtur, qui vero & honeſto longe pretium ante ponunt.

CAPUT XI.

Talmudiciſne an Joſepho in rebus ſuæ gentis potius ſit credendum? Non fuerunt in Judææ oppidis majoribus XXIII. *virorum ſemper Synedria. Tiberiade Senatus* IↃC. *& decem primi erant. Ibidem Joſephi ætate Archon erat, ab Archiſynagogo plane diverſus. Joſephus emendatur & explicatur. Eruitur ex Lucæ Evangelio Archon, ejuſque verba illuſtrantur. Archontes* IX. *in lapide Berenicenſi fuerunt Judæorum magiſtratus.*

NUnc, controverſia de Archontibus Judęorum pęne confecta, videor mihi de urbibus Palęſtinę & earum regimine aliquid addere debere; qua in quęſtione impedire nos & morari Judęorum illi poſſunt, qui patrio ſermone majorum ritus & inſtituta monumentis conſignarunt, & vulgari Talmudicorum nomine ſunt notabiles. Multa illi de Synedriis XXIII. virorum in urbibus paullo amplioribus & triumviralibus (*Cod. Sanhedrin cap.* 1. 6.) in oppidis minoribus diſputare ſolent; quę etſi ego in falſis deputare nolim, generatim tamen vera non putem. Joſephus de judicum tribunalibus adſeſſorumque per urbes Judęę ſua ętate numero longe diverſiſſima memorię prodidit, ſicuti (*cap.* VI.) ſupra patefactum eſt; quę profecto tantum fidei merentur, quantum illis tribui ſolet. Narrat ea, quæ ſuo tempore in uſu & conſuetudine erant, & quorum ipſe pars fuerat haud exigua. Et fidem illi negabimus? Omnes pręſertim fallendi cauſſę cum procul ſint. Eſt quidem arrogans hoc genus & in laudibus ſuorum tumidum & paullo jactantius: ſed nihil de gentis gloria decedebat, ſeu VII. ſive XXIII. in urbibus fuerint judices. Ad ſcriptorem quoque & ad Romanos, quibus hiſtoriarum libros deſtinabat, ſi ſpectes, nihil temere reperies, quo adduci potuerit, ut lectores in fraudem atque errorem induceret. Nam in oblivionem veniſſe totius negotii, quod ſuo ductu atque auſpiciis in Galilęa adminiſtratum erat, id vero tale eſt, ut nemini, qui hominem bene noverit, exci-

cidere queat. Verum hoc ab instituto longius nos auferet. Exemplo agemus.

Galileę non infimi loci & dignitatis urbs erat Tiberias; ejus autem senatum non absolvebant XXIII. viri, sed plane sexcenti. Μέχει πᾶσαν μὲν, Josephus (*lib.* II. *Bel. Jud. c.* 21. 9.) ait, τὴν βουλὴν, οὖσαν εἰς ἑξακοσίους, ἀνήγαγε σκάφεσιν εἰς Ταριχαίας. *senatum, qui* IↃC. *virorum, scaphis Tarichæas abduxit*. Si dixeris ex eo decurionum numero legi potuisse XXIII. viros, qui judiciis pręsiderent & controversias dirimerent, sine teste, quo tamen locuplete in his rebus opus est, loqueris. Josephus nusquam eos habet. Contra ea sępe *decem primos* Tiberiensium, quos τοὺς δέκα πρώτους τῆς βουλῆς, (*Ibid. & lib. de Vita sua cap.* 15. 33. 57.) & δέκα τοῦ πλήθους τῶν Τιβεριέων, & δέκα τοῦ πλήθους προστάτας appellat. Hi vero ex decurionum ordine creabantur in coloniis & municipiis, ut cum dictatore, duumviris aut quatuorviris, neque enim ubique eadem regendi forma & ratio obtinebat, in administranda republica versarentur, ut dudum (*Vid. Jo. Georg. Grævium ad Cic. pro Roscio cap. 9. & Ever. Ottonem de Ædilib. Colon. cap.* 5. *pag.* 150.) viri eruditi ostenderunt. Neque dubium supererit, si scriptorem Judęum in consilium miseris, quin Tiberiensium *decem* hi *primi* ea auctoritatis gloria floruerint. Quę quam longe distent a decretis Talmudicorum, me non monente per se quisque animadvertit.

Addo ad superiora, Tiberiensibus suum adfuisse Archontem, qui communi reipublicę consuleret. Fungebatur eo honore sub initia feralis belli, quod gentis libertatem exstinxit, Jesus Sapphiæ F. τοὺς μὲν οὖν σὺν ἐμοὶ, de se (*lib. de Vita sua cap.* 57.) Josephus inquit, πάντας ἐκκλεῖσαι προσέταξεν Ἰησοῦς ὁ ΑΡΧΩΝ. *Omnes qui mecum erant excludi præcepit Jesus, civitatis princeps* sive Archon. Non equidem ignoro, & hunc hominem Synagogæ rectorem a (*Camp. Vitringa Synag. Veter. lib.* II. *cap.* 9. *p.* 561.) viro præstantissimo fuisse impositum; cujus in partes ne transeam, multa prohibent. Dicitur Jesus hic (*Joseph. lib.* II. *Belli Jud. cap.* 21. 3.) ὁ τότε ΑΡΧΩΝ τῆς Τιβεριάδος *eo tempore Tiberiadis summus præfectus*; qui titulus amplior est, & Archisynagogi honore multo excellentior: pręterea (*Idem de Vita sua cap.* 53.) ὁ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐκείνων ΑΡΧΩΝ. Unde & non unius Synagogę, sed communes omnium Tiberiensium res curat, atque ea agit, Josephi quidem consiliis adversa, sed quę ex utilitate suę civitatis fore censebat. Erant porro Tiberiade Synagogę plures, & XIII. quidem, si fidem veri non excedunt scriptores (*In Baracoth. fol.* 30. 2.) Talmudici; quo ergo modo solus Sapphię F. Jesus ὁ τότε ἄρχων τῆς Τιβεριάδος appellabitur? Mitto dicere, homine hoc nihil fuisse nequius, nihil posterius, moribusque eum & vitę instituto a cura rerum sacrarum & Synagogę prorsus discrepasse: Tiberiensium enim civitate in tres factiones scissa, ipse nautarum atque inopum signifer, secundęque partis caput, divina humanaque omnia (*Joseph. Vitæ suæ cap.* 9.) miscere insueverat: quę, etsi eo tempore uberrimus eorum esset in illa gente proventus, quibus seditiosa & tumultuosa vita utilior placida & pacata videretur, in Synagogę tamen prefectum haud bene conveniunt. Maneat ergo Sapphię hic filius in pristina dignitate & sede Tiberiensium *Archon*.

Ego vero, asserta hominis auctoritate, Josepho, qui facem pręluxit, auxilium vicissim feram. Φθάνει, (*Ibid. cap.* 12.) inquit, Ἰησοῦς ὁ τοῦ Σαπφία παῖς, ὃν τῆς τῶν ναυτῶν καὶ τῶν ἀπόρων στάσεως πρῶτον ἔφαμεν ἄρξαι. In superioribus ait se memorasse, Jesum hunc Sapphię F. nautarum & tenuioris fortunę hominum Tiberiade fuisse principem; quorum tamen nihil nunc reperitur. De partibus Tiberiensium hęc habet: [*Ibid. cap.* 9.] στάσεις τρεῖς ἦσαν κατὰ τὴν πόλιν· μία μὲν ἀνδρῶν εὐσχημόνων, ἦρχε δὲ αὐτῆς Ἰούλιος Κάπελλος. *Tres erant in urbe factiones. Una quidem constabat ex viris honoratis, quorum caput erat Julius Capellus*. Hos censuisse in fide Romanorum & regis Agrippę permanendum esse constanter: in ea vero sententia non acquievisse Pistum: τῇ γνώμῃ δ᾽ οὐ συνηρέσκετο Πιστὸς, παραφερόμενος ὑπὸ Ἰούστου τοῦ παιδός. καὶ γὰρ ἦν φύσει πως ἐπιμανής, *Eam sententiam non probabat Pistus, torrentis in modum a filio Justo abreptus: natura enim quodammodo furiosior erat*. Sic enim ea legi & verti oportet: nam vulgo quod editur, id ferri non potest. Consentit etiam illi, quod amplexi sumus, ex parte aliqua codex Vossianus. Sequitur apud Josephum, ἡ δευτέρα δὲ ἐκ τῶν ἀσημοτάτων συνεστηκυῖα πολεμεῖν ἔκρινεν. E quibus excidisse videtur nomen Jesu Sapphiæ F.; quod & plane ut restituatur necessarium est; tum quoniam signiferos & faces nomine quemque suo designat, tum etiam, quia de Jesu hoc disertis id se fecisse verbis adfirmat. Equidem facili opera refingerem, ἡ δευτέρα δὲ στάσις — ἔκρινεν· ἦρχε δ᾽ αὐτῆς Σαπφία παῖς, modo mihi liqueret, his potius eum uti quam aliis voluisse: sed in viam.

Ar-

Archontem & hac in vicina apertissime ostendit (*Evang. cap.* XII. 58.) Lucas, εἰ γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ' ΑΡΧΟΝΤΑ, ἐν τῇ ὁδῷ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, μήποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κρίτην, καὶ ὁ κρίτης σε παραδῷ τῷ πράκτορι, καὶ ὁ πράκτωρ βάλλῃ σε εἰς φυλακήν. Servator Jesus, ejus enim verba sunt, multum sæpe temporis in Galilæa & ad lacum Tiberiadis contrivit; admonens autem, ut qui cum adversario ad *Archontem* pergit, potius cum eo in gratiam redeat, quam carceris se periculo exponat, quidni putabitur ad morem & formam reipublicæ, qua primaria Galilææ urbs utebatur, respexisse? quæ *Archontem*, senatum decemque primos habebat. Judiciis, si caussæ agerentur graviores, videtur *Archon*, sicuti in municipiis dictator aut duumviri (*Vid. Car. Sigonium lib.* II. *de Antiq. Jur. Italiæ cap.* 8.) præfuisse: in ceteris negotiis, si qua litigatores concordare nollent, ex decem primis judices dedisse: atque huc spectant, μήποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κρίτην, *ne ad judicem te trahat*; non, quod ipse faucibus correptum ad judicem, quem dederat, pertraxerit: id dignitate & munere ejus longe erat inferius; sed quod duci hominem ad tribunal jusserit. Sic enim & alibi Lucas loqui assolet; veluti cum Paullus & Silas δείραντες ἡμᾶς δημοσίᾳ [*Actor. A. cap.* XVI. 37.] inquiunt de duumviris Philippensibus, ἀκατακρίτους, ἀνθρώπους Ῥωμαίους ὑπάρχοντας; ἔβαλον εἰς φυλακήν. *Cum virgis nos cecidissent publice, indemnatos & cives Romanos, conjecerunt in carcerem*: atqui mandaverant id tantum; ἐκέλευον ῥαβδίζειν, dicerat (*Ibid. vers.* 22.) ante. Quod genus & alibi [*Actor. A. cap.* XXII. 25. 29. 30.] probat, passimque in usu est. De Semiramide Diodorus [*lib.* II. *pag.* 71. *A.*] ἡ δὲ Σεμίραμις ἐκ τῶν Ἀρμενίων ὀρῶν λίθον ἔτεμε. *Semiramis etiam saxum e montibus Armeniæ excidit*; quod profecto excidi tantum jussit. Xenophon de Tissapherne, [*In Agesilao pag.* 24. *Ed. Hutchin.*] rex Persarum, inquit, misso Tithrauste, ἀπέτεμεν αὐτοῦ τὴν κεφαλήν, *caput illi præcidit*. Mitto alia, quæ, cum res sit [*Vid. Jac. Perizon. ad Ælian. lib.* XIV. V. *H.* 49.] notissima, levi opera congeri possent.

Quapropter cum omnia ea, quæ in nobili S. Lucæ loco de Archonte prædicantur, bene conveniant & genio sermonis & institutis Galilææ, nihil post hæc necesse fuerit, ut aut cum (*Hor. Hebr. ad Matth. cap.* V. 25.) Ligtfooto per ἄρχοντα *Judices in infimis Synedriis intelligas, per* κρίτην *Judices in summo*, aut ad talem ἄρχοντα, secutus (*Miscellan. Duisburg. tom.* I. *pag.* 227.) viri reverendi vestigia, decurras, *qui non Judicis, sed arbitri munere functus ad lites pecuniarias componendas*, Synagogæ curam administraverit. Archon enim a Christo nostro designatus amplioris ordinis & conditionis est, communique reipuqlicæ præpositus, & plane ejus loci, quem civium suffragio Tiberiade Sapphiæ filius Jesus occupaverat.

Jam, finem tandem ut faciam, compluribus argumentis atque exemplis cum abunde exposuerim, Judæos plurifariam per Romani imperii provincias suos sibi Magistratus sive *Archontes*, qui popularium rebus bene consulerent, & controversiarum judices sederent, constituisse: incoluerint autem incredibili numero Cyrenen, singulasque ejus urbes colonis inpleverint, jure ἰσονομίας Principum liberalitate donati, nec quidquam eo in jure Romani mutarint, contra ea novis additis privilegiis auxerit, permissa liberrima sacræ pecuniæ (*Josephus lib.* XVI. *Antiq. cap.* 6. I. 2.) undiquaque colligendæ facultate: videor mihi necessaria quadam consecutione hanc conclusionem posse conficere, *Archontes* IX., in lapide Berenicensi memoratos, Judæos & rebus popularium administrandis præpositos videri. Josepho (*lib.* VII. *de Bello J. C.* II. I.) hi & qui reliquis ejus in provinciæ urbibus gentilium suorum negotiis præerant, οἱ τοῖς ἀξιώμασι προῦχοντες τῶν ἐπὶ τῆς Κυρήνης Ἰουδαίων, sive auctoritate inter Judæos Cyrenenses excellentes dicuntur, quippe communi gentis impositi. Numerus vero Archontum IX. neminem ab assensu cohibebit aut morabitur; sive enim Atheniensium seu aliorum sectam ea in re fuerint secuti, arbitrio gentis id debetur. Alexandriæ, uti ostendimus, amplior, aliis in urbibus numerus erat contractior.